ILLYRICI
SACRI
TOMUS QUARTUS.
ECCLESIÆ SUFFRAGANEÆ
METROPOLIS SPALATENSIS.

AUCTORE

DANIELE FARLATO

PRESBYTERO SOCIETATIS JESU.



VENETIIS, MDCCLXIX.

APUD SEBASTIANUM COLETI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

JOANNI LUCÆ GARAGNINO

ARCHIEPISCOPO SPALATENSI

AC PRIMATI DALMATIÆ ET CHROBATIÆ

D. F.

TOmus Quartus Illyrici Sacri jure quam optimo Tibi debetur, Præſul ampliſſime. Argumentum enim, in quo verſatur, & materia, quam tractat, ſunt Eccleſiæ Provinciæ Spalatenſis, quæ Te ſuum Metropolitam agnoſcunt & colunt, Tibi Pontificatum non ita pridem ſuſceptum gratulantur, in tuo nomine apparere, tuis auſpiciis hiſtoriam rerum ſuarum conſecrare geſtiunt. Hoc qualicumque munuſculo ſe Tibi offerunt, ſe Tibi commendant, ſuam erga Te fidem, obedientiam, venerationem teſtantur. Cum multi pro aſſequenda Cathedra Spalatenſi nomina profiterentur, nemo erat, quem illæ avidius expeterent, quam Te; nemo fuit, quem Clemens XIII. Pont. Max. æquiſſimus virorum ac virtutum æſtimator, ad nobiliſſimam iſtam provinciam regendam Te aptiorem judicaret; hujus quidem auctoritas ſuprema & cælo proxima Te unum ex omnibus delegit, atque in editiſſimo Eccleſiæ Dalmaticæ faſtigio collocavit; ſed

pontificiam electionem illarum vota præverterant, quæ in Te unum ſpectabant, Te unum Præſidem ſibi & rectorem tacitis precibus depoſcebant. Nota quippe omnibus erat morum tuorum integritas atque innocentia ſingularis, nota optimarum artium ſtudia, in quibus jam inde a puero verſatus fuiſti, nota excellens doctrina & prudentia, eximia in Deum & proximos charitas, & flagrans illa Tibi naturaliter inſita de omnibus & ſingulis hominibus benemerendi cupiditas; qualis vero & quantus futurus eſſes Archiepiſcopus, multa jam dederas & maxima in omnium virtutum genere documenta. Vix ordinem ſacerdotalem adeptus, & Tragurium in patriam reverſus, quidquid vales ingenio, doctrina, induſtria, ut plurimum certe vales, in civium tuorum utilitatem contuliſti; ita enim tuum omne tempus diſtribueras, ut partim tradenda clericis Philoſophia ac Theologia, partim pueris & porrectæ ætatis hominibus chriſtiana catecheſi erudiendis, partim concionibus habendis, confeſſionibus audiendis, ægrotis viſendis ſolandiſque impenderes, tanta diligentia & aſſiduitate, ut nullum Tibi diem a piis hujuſcemodi exercitationibus vacuum elabi patereris. Nondum aggregatus fueras ad collegium Canonicorum Eccleſiæ Tragurienſis, cum Hieronymus Fonda Epiſcopus, non ſolum Te ſocium adjutoremque ad luſtrandam diœceſim adhibuit, ſed cum doctrinam tuam, integritatem, juris utriuſque ſcientiam plane cognitam & perſpectam haberet, Te auditorem ac judicem quibuslibet vel graviſſimis controverſiis eccleſiaſticis dirimendis præeſſe, & ſuum locum tenere juſſit: *Manu*, inquit, *tenentes probitatem, ſcientiam, prudentiam, & diſcretionem admod. Reverendi Domini Joannis Lucæ Garagnini, noſtræ cathedralis eccleſiæ Presbyteri, S. Theolog. Doct. ipſum pro cauſis quomodolibet ad noſtrum forum ſpectantibus, tam civilibus, quam criminalibus, matrimonialibus, & mixtis, in auditorem noſtrum & locumtenentem generalem pro civitate & diœceſi tota facimus, conſtituimus, creamus, & deputamus, dantes eidem & concedentes plenam & liberam poteſtatem, & mandatum ſpeciale, beneplacito noſtro duraturum, omnes & ſingulas cauſas, prout præfertur, ad curiam noſtram epiſcopalem ſpectantes cognoſcendi & decidendi, conſtitutiones faciendi, & factas moderandi, & exequi faciendi, clericos delinquentes corrigendi, mulctandi, cenſuris etiam comprimendi, ſuſpendendi perſonas, & loca interdicendi, ab ipſis abſolvendi, brachium ſæculare invocandi, & delinquentes carcerandi, & condemnandi &c.* Quæ poteſtas pleniſſima, & nullis fere terminis definita, ſatis declarat, quantum fidei tuæ, æquitati, ſapientiæ, perſpicaciæ prudentiſſimus Præſul tribueret, & confideret. Idem Antiſtes præſtantiſſimus, cum ei neceſſarius eſſet diſceſſus ab urbe & diœceſi, neminem fide, intelligentia, ſollertia Te magis idoneum ad ſupplendam epiſcopalem abſentiam eſſe exiſtimavit; Tibique totius rei eccleſiaſticæ adminiſtrationem commiſit, cum ſumma rerum omnium gerendarum poteſtate, & præclara tuarum virtutum ac meritorum teſtificatione. Extat etiam apud me teſtimonium illuſtre ac magnificum, quod Canonici Tragurienſes Tibi tuiſque egregiis factis dederunt; & eadem fere, quæ tui collegæ, de tuis in patriam & rem chriſtianam meritis teſtificati ſunt verbis ampliſſimis Judices, Syndici, Primores Conſilii publici Tragurienſis. Tot ac tantis laudibus & teſtificationibus ornatum, & quod caput eſt, illis omnibus virtutibus præditum, quas Paullus in Epiſcopis requirit, Benedictus XIV. Te ad ſummum

Chri-

Chriſtiani Sacerdotii apicem evexit, & Eccleſiæ Arbenſi regendæ præfecit . Quæ per novem ipſos annos ad gregem tibi concreditum divini verbi & Sacramentorum pabulo alendum , ad cleri diſciplinam ſapientiſſimis inſtitutis firmandam, ad chriſtianæ plebis pietatem magis magiſque augendam, laborioſe , utiliter, pieque geſſiſti , non eſt hujus loci exponere ; ea quippe ad hiſtoriam Eccleſiæ Arbenſis reſervari oportet. Ut paucis omnia complectar, illud vere affirmare poſſum, nullas a Te prætermiſſas fuiſſe vigilantiſſimi paſtoris & parentis amantiſſimi partes, non ſollicitam chriſtianæ inſtitutionis curam, non effuſam in egentes ac miſeros liberalitatem , non fervens ad omnia Religionis opera, & indefeſſum ſtudium; ut jure ac merito tuum ab illa Eccleſia diſceſſum civitas univerſa inſolito omnium ordinum mœrore proſecuta fuerit, & memoria Epiſcopi de ſe optime meriti deſideriumque in animis Arbenſium altius ac tenacius inſederit , quam ut ulla temporum diuturnitate deleri, aut divelli poſſit. Etenim Clemens XIII. Pont. Max. pro ſumma illa providentia intenta in omnes Chriſtianæ Reipublicæ partes, in omneſque apoſtolicæ ſuæ ſollicitudinis adminiſtros, tantam virtutem & ſapientiam , tam eximium divini cultus augendi , æternæque mortalium ſalutis procurandæ ſtudium , tantam denique rei eccleſiaſticæ gerendæ ſcientiam atque induſtriam , exiguis Eccleſiæ Arbenſis finibus haud diutius circumſcribi oportere exiſtimavit ; Teque abſentem , nihil minus quærentem, ac ne cogitantem quidem , Præſidem & rectorem nobiliſſimæ iſtius provinciæ conſtituit ; ut campum ampliſſimum Tibi daret , in quo egregia tua virtus , & immenſa illa , qua incenſus es , divinæ gloriæ propagandæ , dominici gregis curandi , & tuis ſanctiſſimis præceptis excolendi cupiditas latiſſime excurrere, exercerique poſſit. Nec vero Te majori mœſtitia & plangore Arba dimiſit, quam gratulatione & gaudio Spalatum excepit; quam autem primo ipſo adventu expectationem Tui concitaſti, non modo præclare ſuſtines , ac tueris, ſed longe multumque jam viciſti, & ſuperaſti. Illud perincommode accidit, quod Tertius Tomus Illyrici Sacri, ideſt Hiſtoria Eccleſiæ Spalatenſis, cum antea in publicum prodierit, quam Tibi hæc Metropolis decreta fuiſſet , tui nominis celebritate & ſplendore illuſtrari non potuit; ſi quando tamen ſecundas curas ſubibit , iterum typis conſignandus , uberrimam ſegetem , ac materiam rerum pulcherrimarum tuus Pontificatus ei ſuppeditabit. Nec vero ſolum hujus Tomi, ut ſupra dixi, atque operis argumentum, ſed illud præterea impulit me, ut haſce meas lucubrationes Tibi potiſſimum dicatas vellem , quod ſupremum Eccleſiæ Dalmaticæ Pontificatum adeptus verbis benigniſſimis oſtendiſti, quam Tibi cordi eſſet Hiſtoria Illyrici Sacri, ultro & liberaliſſime pollicitus, nihil abs Te ad eam conficiendam adjumenti & ſubſidii defuturum. Hæc igitur Hiſtoria, cum omnibus Eccleſiis Provinciæ Spalatenſis tuæ poteſtati curæque commiſſis , ſe in tuam fidem & clientelam confert , quam ſibi maximo & decori & præſidio fore confidit . Reliquum eſt, quod Te oro atque obſecro , ut me quoque multis nominibus Tibi addictum, deditum, obſtrictum, in tuam gratiam tuumque patrocinium recipias.

Patavii Idibus Novembris MDCCLXV.

EPISCOPATUS

QUI IN HOC TOMO CONTINENTUR.

BELGRADENSIS & SCARDONENSIS.

BOSNENSIS.

CORBAVIENSIS, MODRUSSENSIS, SENIENSIS, & OTTOCIENSIS.

DUMNENSIS.

MACARENSIS, five MACARSCHENSIS.

NONENSIS.

PHARIENSIS.

TINNINIENSIS.

TRAGURIENSIS, ex quo

SIBENICENSIS.

CONSPECTUS
HUJUS VOLUMINIS.

EPISCOPI SUFFRAGANEI
Metropolis Spalatenſis.

BELGRADENSES & SCARDONENSES.

EPISCOPI BELGRADENSES. Pag. 1.

1059. I. Theodoſius. 2.
1066. II. Dabro. 3.
1069. III. Theodoſius II. 4.
1072. IV. B. *ibid.*
1075. V. Præſtantius. *ibid.*
1076. VI. Theodoſius III. 5.
1100. VII. Bonus. *ibid.*
1115. VIII. N. N. idemque Scardonenſis I. 6.

EPISCOPI SCARDONENSES. 9.

1160. II. Lampridius. 11.
1178. III. Michael. *ibid.*
1200. IV. Bartholomæus. 13.
1228. V. Nicolaus. 14.
1240. VI. Bartholomæus II. *ibid.*
1148. VII. Joannes. *ibid.*
1270. VIII. Andreas. 15.
1280. IX. Galvanus. *ibid.*
1285. X. Nicolaus II. *ibid.*
1300. XI. Damianus. *ibid.*
1315. XII. Nicolaus III. 16.
1320. XIII. Paullinus. 17.
Interregnum epiſcopale. 18.
1325. XIV. Andreas II. *ibid.*
1350. XV. Michael II. 19.
1360. XVI. Guillelmus. *ibid.*
1363. XVII. Michael III. 20.
1393. XVIII. Franciſcus. *ibid.*
1410. XIX. Petramuſtus. 21.
1417. XX. Nicolaus IV. 22.
1418. XXI. Petrus. *ibid.*
1420. Georgius electus. *ibid.*
Interregnum epiſcopale. *ibid.*
1426. XXII. Nicolaus V. *ibid.*
1428. XXIII. Joannes II. *ibid.*
1431. XXIV. Jacobus. *ibid.*
1444. XXV. Felix. 23.
1460. XXVI. Jacobus II. *ibid.*
1463. XXVII. Alexander. *ibid.*
1479. XXVIII. Petrus II. 24.
1491. XXIX. Archangelus. *ibid.*
1502. XXX. Nicolaus VI. 26.
1519. XXXI. Thomas. *ibid.*
1524. XXXII. Joannes III. 27.
Interregnum epiſcopale. 28.
. . . XXXIII. N. N. *ibid.*
1613. XXXIV. Antonius. *ibid.*
1625. XXXV. Thomas II. *ibid.*
1642. XXXVI. Paullus. *ibid.*
Interregnum epiſcopale. 29.
1698. XXXVII. Gregorius. *ibid.*
1714. Joannes electus. 31.
1717. XXXVIII. Matthæus. 32.
1721. XXXIX. Nicolaus VII. 34.
1733. XL. Vincentius. *ibid.*
1754. XLI. Antonius II. 35.
1759. XLII. Dominicus. 36.
1766. XLIII. Stephanus Antonius. *ibid.*

EPISCOPI BOSNENSES. 37.

1141. I. Uladislavus. 43.
1150. II. Micovanus. 44.
1171. III. Rhadagaſtus. *ibid.*
1200. IV. Daniel. 45.
Interregnum epiſcopale. 46.
1238. V. B. Joannes Teutonicus. 49.
1240. VI. Aimus. 53.
1253. VII. Joannes II. 54.
Interregnum epiſcopale. *ibid.*
1280. VIII. Andreas. *ibid.*
1304. IX. Nicolaus. 56.
1310. X. Benedictus. *ibid.*
1317. XI. Petrus. *ibid.*
1335. XII. Laurentius. 58.
1343. XIII. Bonjoannes. 60.
1349. XIV. B. Peregrinus. *ibid.*
1357. XV. Petrus II. 61.
1379. XVI. Dominicus. 64.
1383. XVII. Georgius. *ibid.*
1388. XVIII. Joannes III. 65.
1410. XIX. Benedictus II. *ibid.*
1427. XX. Dionyſius. *ibid.*
1428. XXI. Joſeph. 66.
1444. XXII. Stephanus, & Antonius electus. 67.
Interregnum epiſcopale. 74.
Sedes epiſcopalis Diacovum translata. 75.
1469. XXIII. Benedictus III. 76.
1486. XXIV. Matthias. *ibid.*
1491. XXV. Lucas. *ibid.*
1494. XXVI. Gabriel. *ibid.*
1502. XXVII. Michael. *ibid.*
1516. XXVIII. Donatus. *ibid.*
1520. XXIX. Georgius II. *ibid.*
1530. XXX. Blaſius. 77.
1540. XXXI. Thomas. *ibid.*
Interregnum epiſcopale. *ibid.*
1573. XXXII. Antonius. *ibid.*
Interregnum epiſcopale. *ibid.*
1588. XXXIII. Franciſcus, quo ſuperſtite 78.
1600. XXXIV. Aloyſius. 79.
1607. XXXV. Franciſcus II. *ibid.*
1610. XXXVI. Joannes IV. *ibid.*
1618. XXXVII. Thomas II. } Epiſcopi nominati, ſed non approbati. *ibid.*
1622. XXXVIII. Stephanus II. } *ibid.*
1628. XXXIX. Joannes V. } *ibid.*
. . . . XL. Vincentius. } *ibid.*
1631. XLI. Joannes VI. 80.
1639. XLII. Thomas III. 81.
1645. XLIII. Joannes Hieronymus. *ibid.*
1647. XLIV. Marianus. *ibid.*
Interregnum epiſcopale. 82.
1669. XLV. Nicolaus II. *ibid.*

1702. XLVI. Petrus III. 83.
1703. XLVII. Georgius III, *ibid.*
1716. XLVIII. Petrus IV. 84.
1749. XLIX. Franciſcus III, *ibid.*
1751. L. Joſeph Antonius, *ibid.*

Vicarii Apoſtolici in Boſina, *ib.*

1735. I. Matthæus Delivichius. *ibid.*
1740. II. Paullus Dragechivichius, *ibid.*

Appendix ad Epiſcopos Boſnenſes. 87.

EPISCOPI CORBAVIENSES, MODRUSSENSES, SENIENSES, & OTTOCIENSES.

EPISCOPI CORBAVIENSES. 91.

1185. I. Matthæus, 92.
1224. II. Martinus. 93.
1240. III. Saracenus. *ibid.*
1300. IV. Petrus. 95.
1332. V. Bonifacius, *ibid.*
1340. VI. Radoslavus. 96.
1350. VII. Valentinus. 97.
1360. VIII. Ladislavus, *ibid.*
1370. IX. Petrus II. *ibid.*
1379. X. Thomas. 98.
1388. XI. Nicolaus. *ibid.*
1410. XII. Geminianus. 99.
Interregnum epiſcopale, 100.
1418. XIII. Petrus III. 101.
1431. XIV. Vitus. *ibid.*
1457. XV. Franciſcus. 104.
1460. Sedes epiſcopalis Corbavia Modruſſam translata. 105.

EPISCOPI MODRUSSENSES. 106.

1461. I. Nicolaus. 108.
1481. II. Antonius. 109.
1489. III. Chriſtophorus. 110.
1499. Jacobus electus. *ibid.*
1500. IV. Simon. *ibid.*
1536. V. Petrus Paullus. 112.
1536. VI. Hermolaus. 113.
1537. VII. Joannes Evangeliſta. *ibid.*
1538. VIII. Didacus. *ibid.*
1540. IX. Philippus. *ibid.*
1548. X. Albertus. *ibid.*
1550. XI. Laurentius. *ibid.*
1560. XII. Dionyſius. *ibid.*
1564. XIII. Joannes. *ibid.*

EPISCOPI SENIENSES. 114.

1150. I. Miræus. 117.
1210. II. Joannes. 119.
1224. III. Borislavus. *ibid.*
1240. IV. Joannes II. *ibid.*
1246. V. Philippus. 120.
1280. VI. Martinus. *ibid.*
1308. VII. Nicolaus. 121.
1333. VIII. Joannes, vel Bernardus. *ibid.*
1349. IX. Pontius. *ibid.*
1351. X. Peregrinus. *ibid.*
1360. XI. Portina. *ibid.*
1380. XII. Joannes III. 122.
1383. XIII. Thomas. *ibid.*
1388. XIV. Joannes IV. *ibid.*
1393. XV. Leonardus. 123.
1404. XVI. Nicolaus II. 124.
1411. XVII. Thomas II. *ibid.*
1419. XVIII. Georgius. 125.
1420. XIX. Thomas III. *ibid.*
1427. XX. Conradus. 126.
1428. XXI. Henricus. *ibid.*
1430. XXII. Thomas IV. *ibid.*
1432. XXIII. Joannes V. 127.
1436. XXIV. Ludovicus. *ibid.*
1437. XXV. Nicolaus III. 128.
1443. XXVI. Andreas. *ibid.*
1450. XXVII. Bartholomæus. 129.
1459. XXVIII. Nicolaus IV. *ibid.*
1462. XXIX. Marcus. *ibid.*
1465. XXX. Paullus. *ibid.*
1488. XXXI. Donatus. 131.
1488. XXXII. Paullus II. *ibid.*
1489. Michael electus. 131.
1493. XXXIII. Andreas II. *ibid.*
1499. XXXIV. Michael. 133.
1501. XXXV. Jacobus. *ibid.*
1520. XXXVI. Franciſcus. 134.
1537. XXXVII. Joannes VI. 135.
1541. XXXVIII. Franciſcus II. *ibid.*
1560. XXXIX. Georgius II. 136.
1570. Nicolaus electus. *ibid.*
1577. XL. Georgius III. *ibid.*
1583. XLI. Michael II. *ibid.*
1588. XLII. Bonaventura. 137.
1593. XLIII. Antonius. *ibid.*
1600. XLIV. Marcus Antonius. *ibid.*
1604. XLV. Marcellus. 138.
Interregnum epiſcopale. *ibid.*
1613. XLVI. Vincentius. *ibid.*
1617. XLVII. Joannes Baptiſta, qui & Epiſcopus Modruſſenſis XIV. *ibid.*
1647. Andreas electus. 140.
1650. XLVIII. Petrus, & Modruſſenſis XV. *ibid.*
1665. XLIX. Joannes VII. & Modruſſenſis XVI. 145.
1677. Franciſcus electus. *ibid.*
1681. L. Hyacinthus, & Modruſſenſis XVII. 146.
1690. LI. Sebaſtianus, & Modruſſenſis XVIII. 147.
1699. LII. Martinus II. & Modruſſenſis XIX. 148.
1704. LIII. Benedictus, & Modruſſenſis XX. 157.
1712. LIV. Adamus & Modruſſenſis XXI. 159.
1718. LV. Nicolaus V. & Modruſſenſis XXII. 160.
1731. LVI. Joannes Antonius, & Modruſſenſis XXIII. *ibid.*
1746. LVII. Georgius Wolphangus, & Modruſſenſis XXIV. 162.
1764. LVIII. Pius, & Modruſſenſis XXV. *ibid.*

EPISCOPI OTTOCIENSES. 163.

1461. I. Blaſius. 164.
1492. II. Joannes. 165.
1493. III. Vincentius. *ibid.*
1521. IV. Petrus. *ibid.*

EPI-

EPISCOPI DUMNENSES, 168.

590. I. Malchus. 170.
Interregnum epiſcopale, 172.
1337. II. Madius. *ibid.*
1347. III. Guerrinus. 173.
1355. IV. Stephanus. *ibid.*
1394. V. Petrus. 174.
1406. VI. Georgius. *ibid.*
1412. VII. Georgius II. *ibid.*
1419. VIII. Blaſius. *ibid.*
1426. IX. Nicolaus. *ibid.*
1433. X. Hugo, *ibid.*
1439. XI. Hieronymus, 175.
1460. XII. Nicolaus II. 176.
1490. XIII. Vitus. 178.
Interregnum epiſcopale, 179.
1540. XIV. Nicolaus III. *ibid.*
1551. XV. Daniel. 180.
1590. XVI. Daniel II. 181.
Interregnum epiſcopale, *ibid.*
1644. XVII. Marianus. *ibid.*
Interregnum epiſcopale, 182.
1654. Michael. *ibid.*

Vicarii Apoſtolici, 183.

1685. I. Nicolaus Blancovichius. *ibid.*
1735. II. Matthæus Delivichius. *ibid.*
1740. III. Paullus Dragechivichius, *ibid.*

EPISCOPI MACARENSES, ſive MACARSCHENSES. 184.

532. I. Stephanus. *ibid.*
Interregnum epiſcopale, *ibid.*
1320. II. Valentinus. 185.
1367. III. Joannes. 188.
1370. IV. Simon. *ibid.*
1373. V. Jacobus. *ibid.*
1388. VI. Joannes II. 189.
Interregnum epiſcopale, *ibid.*
1445. VII. Franciſcus. *ibid.*
1472. VIII. Andreas. *ibid.*
1490. IX. Vitus. 190.
Interregnum epiſcopale. 191.
1520. X. Franciſcus II. 192.
Interregnum epiſcopale. 193.
1615. XI. Bartholomæus. *ibid.*
1646. XII. Petrus. 196.
1664. XIII. Marianus. 197.
Interregnum epiſcopale. 198.
1698. XIV. Nicolaus. *ibid.*
1731. XV. Stephanus II. 203.

EPISCOPI NONENSES, 204.

Sæculo primo. I. S. Anſelmus. *ibid.*
Interregnum epiſcopale. 205.
879. II. Theodoſius. 206.
890. III. Alfreda. 208.
900. IV. Gregorius. 212.
Interregnum epiſcopale. 214.
1050. V. Andreas. *ibid.*
1074. VI. Forminus. 215.
1104. VII. Gregorius II. *ibid.*
1163. VIII. Rodanus. *ibid.*
1170. IX. Matthæus. *ibid.*
1195. X. Prodanus. 217.
1206. XI. Joannes. *ibid.*
1214. XII. Grubcius. *ibid.*
1221. XIII. B. 218.
1230. XIV. Sanſon, ſive Janſon, *ibid.*
1250. XV. Joannes II. *ibid.*
1270. XVI. Stephanus. *ibid.*
1281. XVII. Marcellus. 219.
1290. XVIII. Marcus. *ibid.*
1318. XIX. Joannes III. 220.
1328. XX. Natalis. *ibid.*
1330. XXI. Nicolaus. *ibid.*
1340. XXII. Joannes IV. *ibid.*
1353. XXIII. Demetrius. *ibid.*
1388. XXIV. Joannes V. 221.
Interregnum epiſcopale. *ibid.*
1410. XXV. Nicolaus II. *ibid.*
1424. XXVI. Ludovicus. 222.
1440. XXVII. Natalis II. *ibid.*
1463. XXVIII. Jacobus. 223.
1475. XXIX. Georgius. *ibid.*
1530. XXX. Jacobus II. 225.
1557. XXXI. Marcus II. 226.
1577. XXXII. Petrus. 227.
1581. XXXIII. Hieronymus. *ibid.*
1588. XXXIV. Angelus. 228.
1592. XXXV. Horatius. *ibid.*
1602. XXXVI. Blaſius. 229.
1624. XXXVII. Hippolytus. *ibid.*
1646. XXXVIII. Simeon. *ibid.*
1649. XXXIX. Georgius II. 230.
1653. XL. Franciſcus. *ibid.*
1667. XLI. Franciſcus II. 231.
1677. XLII. Joannes VI. 233.
1688. XLIII. Joannes VII. 235.
1690. XLIV. Georgius III. *ibid.*
1703. XLV. Martinus. 236.
1709. XLVI. Joannes VIII. *ibid.*
1713. XLVII. Antonius. 237.
1716. XLVIII. Nicolaus III. *ibid.*
17 . . XLIX. Bernardus Dominicus. *ibid.*
17 . . L. Andreas II. *ibid.*
1732. LI. Hieronymus II. *ibid.*
1738. LII. Joannes Fridericus. *ibid.*
1743. LIII. Thomas. *ibid.*
1754. LIV. Antonius II. 238.

EPISCOPI PHARIENSES, *ibid.*

1147. I. Martinus. 241.
1175. II. Luccarus. 242.
1177. Martinus iterum, *ibid.*
1184. III. Nicolaus. 244.
1198. IV. Micha. 245.
1230. V. Nicolaus II. 247.
1260. VI. Dobronia. 248.
1280. VII. Simon. *ibid.*
1288. VIII. Duimus, 249.
1308. IX. Gabriel. *ibid.*
1313. X. Gregorius. 250.
1323. XI. Stephanus. 251.
1329. XII. Lucas. 252.
1341. XIII. Joannes. *ibid.*
1350. XIV. Stephanus II. *ibid.*
1385. XV. Benvenutus. 254.
1412. XVI. Georgius. *ibid.*
1421. XVII. Dodinus, ſive Domnius. *ibid.*
1423. Georgius iterum. *ibid.*
1428. XVIII. Thomas. 255.
1467. XIX. Nicolaus III. 263.
1473. XX. Laurentius. 264.
1490. XXI. Hieronymus. 265.
1492. XXII. Bernardinus. *ibid.*
1509. XXIII. Franciſcus. 267.
1522. XXIV. Joannes Baptiſta. *ibid.*

1524. XXV. Zacharias. 268,
1537. XXVI. Hieronymus II. *ibid.*
1549. XXVII. Marcus, *ibid.*
1553. XXVIII. Zacharias II. *ibid.*
1574. XXIX. Martinus II. 269.
1581. XXX. Petrus. 274.
1635. XXXI. Nicolaus IV. 275.
1644. XXXII. Vincentius, *ibid.*
1667. XXXIII. Joannes II. 277.
1676. XXXIV. Hieronymus III. *ibid.*
1693. XXXV. Joannes Thomas. 278.
1704. XXXVI. Raymundus. *ibid.*
1723. XXXVII. Dominicus. 279.
1736. XXXVIII. Cæsar. *ibid.*
1759. XXXIX. Antonius. *ibid.*
1761. XL. Joachimus Maria. *ibid.*
1767. XLI. Petrus II. *ibid.*

EPISCOPI TINNINIENSES. 280.

1050. I. Marcus. 282.
1059. II. Raynerius. *ibid.*
1069. III. Anastasius. 283.
1073. IV. Gregorius. *ibid.*
1080. V. Petrus. 284.
1100. VI. Anastasius II. *ibid.*
1140. VII. V. 285.
1162. VIII. Deda. *ibid.*
1170. IX. Flasco. *ibid.*
1192. X. Georgius. 286.
1210. XI. Micusus. *ibid.*
1260. XII. Ladislavus. 287.
1272. XIII. Nicolaus. *ibid.*
1274. XIV. Y. 288.
1290. XV. Petrus II. *ibid.*
1300. XVI. Leonardus. 289.
1322. XVII. Nicolaus II. *ibid.*
1330. XVIII. Archangelus. *ibid.*
1334. XIX. Joannes. *ibid.*
1337. XX. Thomas. 290.
1344. XXI. Nicolaus III. *ibid.*
1349. XXII. Dionysius. 291.
1350. XXIII. Blasius. *ibid.*
1358. XXIV. Joannes II. *ibid.*
1366. XXV. Nicolaus IV. 292.
1373. XXVI. Paullus. *ibid.*
1390. Michael electus. 293.
1392. XXVII. Ladislavus II. *ibid.*
Interregnum episcopale. 294.
1418. XXVIII. Nicolaus V. *ibid.*
1428. XXIX. Joannes III. 295.
1442. XXX. Demetrius. *ibid.*
1446. XXXI. Franciscus. *ibid.*
1462. XXXII. Marcus II. *ibid.*
1469. XXXIII. Nicolaus VI. 296.
1490. XXXIV. Nicolaus VII. *ibid.*
1492. XXXV. Britius. *ibid.*
1525. XXXVI. Franciscus II. 298.
1539. XXXVII. Andreas. *ibid.*
1550. XXXVIII. Matthias. *ibid.*
1554. XXXIX. Paullus II. *ibid.*
1558. XL. Joannes IV. *ibid.*
1562. XLI. Andreas II. *ibid.*
1571. XLII. Stephanus. 299.
1573. XLIII. Zacharias. *ibid.*
Interregnum episcopale. *ibid.*
1584. XLIV. Petrus III. *ibid.*
Interregnum episcopale. *ibid.*
1589. XLV. Joannes V. 300.
1600. XLVI. Matthias II. *ibid.*
1608. XLVII. Georgius II. *ibid.*
1610. XLVIII. Paullus III. *ibid.*
1634. XLIX. Joannes VI. *ibid.*
1648. L. Georgius III. *ibid.*
1668. LI. Christophorus. *ibid.*
1687. LII. Alexander. 301.
1688. LIII. Blasius II. *ibid.*
1692. LIV. Nicolaus VIII. *ibid.*
1696. LV. Franciscus III. *ibid.*
1708. LVI. Andreas III. *ibid.*
1714. LVII. Georgius IV. *ibid.*
1728. LVIII. Alexander II. *ibid.*
1755. LIX. Joseph Carolus. 302.

EPISCOPI TRAGURIENSES. 303.

700. Petrus. 306.
1000. N. N. *ibid.*
1062. I. S. Joannes Ursinus. 309.
1112. II. N. N. 329.
Interregnum episcopale. 330.
1151. III. Dessa. *ibid.*
1180. IV. Michael. 331.
1206. V. Treguanus. 335.
1256. VI. Columbanus. 346.
1276. VII. Joannes II. 358.
1282. VIII. Gregorius. 359.
1297. Joannes electus. 361.
1297. IX. Liberius. 362.
1320. X. Lampridius. 373.
1349. XI. Bartholomæus. 381.
1362. XII. Nicolaus. 390.
1370. XIII. Valentinus. 392.
1373. XIV. Chrysogonus. *ibid.*
1403. XV. Simon. 396.
1423. XVI. Marinus. 399.
1424. XVII. Thomas. 401.
1435. XVIII. Ludovicus. 405.
1437. XIX. Joannes III. 406.
1440. XX. Angelus. 407.
1452. XXI. Jacobus. 409.
1484. XXII. Leonellus. 411.
1489. XXIII. Franciscus. *ibid.*
1524. XXIV. Thomas II. 413.
1525. XXV. Christophorus. *ibid.*
1560. XXVI. Federicus. 415.
1561. XXVII. Aloysius. *ibid.*
1567. XXVIII. Thomas III. 418.
1574. XXIX. Antonius. 421.
1604. XXX. Marcius. 426.
1623. XXXI. Pax. 427.
Interregnum episcopale. 429.
1654. XXXII. Franciscus II. *ibid.*
1663. XXXIII. Joannes Paullus. 430.
1676. XXXIV. Joannes IV. 436.
1684. XXXV. Joannes V. 438.
1695. XXXVI. Simon II. 439.
1699. XXXVII. Stephanus. *ibid.*
1708. XXXVIII. Petrus Paullus. 442.
1713. XXXIX. Michael Angelus. *ibid.*
1716. XL. Joannes VI. 443.
1722. XLI. Antonius II. *ibid.*
1731. XLII. Joseph. 444.
1738. XLIII. Hieronymus. 445.
1755. XLIV. Didacus. 447.
1766. XLV. Antonius III. 448.

EPISCOPI SIBENICENSES. 449.

1298. I. Martinus. 460.
1319. II. Chrysogonus. *ibid.*
1340. III. Martinus II. 461.
1344. IV. Tolonus. 462.
1357. V. Matthæus. 463.

1388. VI. Bonifacius. *ibid.*
1395. VII. Antonius. 464.
1402. VIII. Bogdanus. 466.
1440. IX. Georgius. 468.
1454. X. Urbanus. *ibid.*
1469. XI. Lucas. 470.
1491. XII. Franciſcus. 473.
1495. XIII. Bartholomæus. 474.
1512. XIV. Joannes. 475.
1528. XV. Joannes II. *ibid.*
1557. XVI. Hieronymus. 476.
1574. XVII. Lucas II. 483.
1589. XVIII. Vincentius. 484.
1599. XIX. Vincentius II. *ibid.*
1627. XX. Joannes Paullus. 495.
1628. XXI. Joannes Thomas. *ibid.*
1635. XXII. Aloyſius. 496.
1654. XXIII. Natalis. 498.
1676. XXIV. Joannes Dominicus. 499.
1722. XXV. Carolus Antonius. *ibid.*
1756. XXVI. Joannes III. *ibid.*
1759. XXVII. Hieronymus Blaſius. 500.
Interregnum epiſcopale. *ibid.*
1767. XXVIII. Nicolaus. *ibid.*

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la fede di Reviſione, ed Approvazione del P. *F. Filippo Roſa Lanzi*, Inquiſitor General del Santo Officio di Venezia, nel libro intitolato, *Illyrici Sacri Tom. IV. Auctore Daniele Farlato Societatis Jeſu &c. MS.* non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimenti per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo licenza a *Sebaſtian Coleti* Stampator di Venezia, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite copie alle pubbliche librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 9. Gennaro 1766. M. V.

(Sebaſtian Zuſtinian Rif.
(Andrea Tron Kav. Rif.
(Girolamo Grimani Rif.

Regiſtrato in Libro a carte 3017. al num. 2009.

Davidde Marcheſini Segretario.

19. Gennaro 1766. M. V.

Regiſtrato.

Franceſco Gadaldini Segretario.

ANGELUS MELCHIORI
e SOCIETATE JESU
In Provincia Veneta Præpoſitus Provincialis.

CUm librum, cui titulus: *Illyrici Sacri Tomus quartus*: a P. Daniele Farlati Societatis noſtræ Sacerdote latine conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtate nobis a R. P. N. Laurentio Ricci Præpoſito Generali ad id tradita, facultatem concedimus, ut typis mandetur, ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur: cujus rei gratia has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus.

Placentiæ die 18. Januarii 1766.

Angelus Melchiori.

EPI-

EPISCOPI SUFFRAGANEI
METROPOLIS SPALATENSIS.

BELGRADENSES ET SCARDONENSES.

EPISCOPI BELGRADENSES.

Belgradum, varie appellatum, describitur.

BElgradum civitas erat maritima, pervetus ac nobilis, millia paſſuum circiter duodeviginti ab Jadera in ortum diſtans, quam Auctor Itinerarii Antoniniani, ut ex loci poſitione conjici licet, *Blandonam* vocat, Conſtantinus Porphyrogenitus *Beligradum*, Malterra *Beligratam*, aliqui *Bilogradum*, indigenæ *Biograd* & *Beligrad* vulgo appellant. Id nomen huic urbi a Slavis obvenit, e duobus Slavonicis vocabulis conflatum, ſcilicet ex *Grad*, quo civitas, & *Biela*, quo Alba ſignificatur. Itaque apud Slavos idem ſonat *Beligradum*, quod apud Latinos *Alba civitas*. At Latini, poſteriori prætermiſſa & priori voce retenta, *Albam* dicunt; atque ut ab aliis ejuſdem nominis oppidis dignoſci poſſit, maris cognomentum adjiciunt. Eſt enim *Alba regalis* in Hungaria, *Alba Julia* in Tranſylvania, & *Alba Græca* in Serblia, quæ itidem Belgradum vulgo dicitur. Noſtra vero eſt Alba maris, quippe mari adjacet. Si de magnitudine urbis ex ejus ruderibus conjecturam fieri liceat, vix mille paſſus ambitu mœniorum complectebatur. Arx ſupereminebat, loco edito ac præcelſo impoſita, quam reges tum Chrobatiæ, tum Hungariæ muris & propugnaculis ſane validis munierant. Territorium habuit anguſtum illud quidem, ſed ubertate agrorum, varietate fructuum, copia paſcuorum opimum in primis ac fertile. Ad Belgradenſium ditionem, præter alias minores inſulas, ſive ſcopulos non omnino infecundos, pertinebat inſula Paſmania e regione urbis poſita, villis haud raris habitata, & rerum omnium ferax, quæ ad victum natura deſiderat.

Varii urbis Domini.

Belgradum antiquitus Blandona primum Romanis, poſtea Græcis Imperatoribus paruit. Octavo ſæculo in poteſtatem principum ac deinde regum Chrobatiæ pervenit. Deinde alias regum Hungariæ, alias Venetorum imperium ſubivit. Demum anno 1225. Dominicus Michael dux Venetiarum, quod Belgradenſes redire ad obſequium nollent, urbem captam diripuit, tectiſque magna ex parte dirutis vel incenſis, mœnibus ac propugnaculis nudavit, ut Archidiaconus ac Dandulus docent. Ejus agrum fere omnes cum inſulis proximis Jadertinis donavit. Nunc ex urbe olim ſatis opulenta ac nobili vicus eſt exiguus, qui a nautis *Jadera vetus* nominatur, perinde quaſi altera illa Jadera, quæ ceteroquin, ſi non vetuſtate, certe amplitudine, divitiis, numero civium multo illuſtrior fuit, quam Belgradum, *Jadera nova* dicenda eſſet, propterea quod ex illius civitatis interitu, propter acceſſionem territorii & inſularum Belgradenſium, majoris cujuſdam celebritatis opulentiæque initium ſumpſiſſet.

Belgradenſium ad Chriſtum converſio, & Epiſcopatus.

Quemadmodum ceteræ civitates Dalmatiæ, ſic Belgradum, quæ tunc Blandona vocabatur, Chriſtianæ religionis rudimenta ab ipſis Apoſtolorum diſcipulis Tito ac Domnio accepit. Antequam Epiſcopali ſede donaretur, primum Jadertino, deinde cum in poteſtatem veniſſet ducum ac regum Chrobatiæ, Nonenſi Slavorum Epiſcopo ſubjecta fuit. Belgradenſis autem Epiſcopatus auctor & conditor fuiſſe putatur Creſimirus IV. qui anno circiter 1050. regnum in Chrobatis obtinuit, nec Chrobatiæ ſolum, ſed etiam Dalmatiæ rex appellari voluit. Chrobati eorumque duces ac reges poſt Chriſtianam religionem ſeptimo ſæculo ſuſceptam unicum tantummodo Epiſcopum e ſua natione ad hæc uſque tempora habuerant, cujus ſedes pontificia Nonæ in urbe ditionis Chrobaticæ conſtituta erat. Duos eodem tempore Epiſcopos, qui univerſæ Chrobatorum genti præeſſent, Creſimirus adjunxit, qui longe lateque regni fines propagaverat, Belgradenſem, ac Tinninienſem; de hoc alias. Diœceſis Nonenſis latiſſime patebat, & fere quidquid in Dalmatia Chrobatorum regum imperio ſuberat, complectebatur. Ex hac igitur detrahi oportuit quod ſatis eſſet ad conficiendam diœceſim Epiſcopi Belgradenſis; atque idcirco Archidiaconus ſcripſit: *Jadrenſis Epiſcopatus non magnam habuit parochiam, propter vicinitatem Nonenſis & Belgradenſis Epiſcopatuum*. Ceterum jus poteſtatemque novi hujus Epiſcopi extra terminos territorii ac ditionis Belgradenſis ſupra deſcriptos prolatum fuiſſe non arbitror. Ædis Cathedralis, ac Divi Patroni, cujus titulo ſuberat, nulla extat memoria. Belgradenſis Capituli aliqua indicia, ſeu veſtigia intueri licet in antiquis monumentis, in quibus *Nicolaus Archidiaconus*, *Drago Archipresbyter*, *Joannes* item *Archidiaconus* Belgradenſes nominantur. Hanc ſedem Epiſcopalem, antequam urbe exciſa Scardonam migraret, octo ipſi Antiſtites occuparunt, quorum nomina hic ſimul conjuncta ſubjicio. Ex annis, quibus quiſque præfuit Eccleſiæ Belgradenſi, unum alterumve ex antiquis monumentis certo aſſignare poſſumus; non item annum, a quo cujuſque Epiſcopatus initium duxerit, vel in quem deſierit.

Epiſcopi Belgradenſes.

I. Theodoſius Ep. Belgrad. ſedebat an. 1059.
II. Dabro an. 1066.
III. Theodoſius II. an. 1069.
IV. B. an. 1072.
V. Præſtantius an. 1076.
VI. Theodoſius III. an. 1076.
VII. Bonus an. 1100.
VIII. N. N. an. 1115.

Urbe everſa anno 1126. & ſedes Epiſcopalis Scardonam translata eſt.

THEODOSIUS EP. BELGRADENSIS I.

HIc non ſolum præclaris exemplis atque inſtitutis initia ſedis Epiſcopalis illuſtravit, ſed etiam auctor præcipuus videtur fuiſſe Creſimiro IV. regi Chrobatiæ & Dalmatiæ, ut ad illius Eccleſiæ præſidium ac decus, Deique cultum augendum, cœnobium Monachis Benedictinis in urbe fundaret, atque idoneis vectigalibus inſtrueret. Itaque Creſimirus, cui dignitas atque utilitas Eccleſiæ Belgradenſis ab ſe conditæ haud minus cordi erat, quam Theodoſio, hujus monitis ac ſuaſionibus haud libentius quam promptius paruit. Erat in inſula Zurio, quæ ad regnum Dalmaticum Creſimiri pertinebat, cœnobium Ordinis Benedictini: ex eo accerſiri juſſit Andream monachum ſingulari virtute ac prudentia præditum, templo & monaſterio ædificando locum atque aream deſignavit, eique negotium dedit, ut ære ſumptuque regio utrumque apte congruenterque ad normam, uſus, & functiones inſtituti monachalis accommodatum exſtrueret. Cum ædificium magna ex parte abſolutum eſſet, eique jam faſtigium impoſitum, non ſolum Epiſcopos aliquot Dalmatiæ cum Laurentio Metropolita Spalatenſi & regni proceres Belgradum convocavit, ſed etiam intereſſe voluit Maynardum Abbatem ex Ordine S. Benedicti, qui anno 1059. in Dalmatia juſſu miſſuque Nicolai II. Pontificis Maximi legatione Apoſtolica fungebatur, de qua dictum eſt in Joanne IV. Archiepiſc. Spalaten. In eo. frequentiſſimo & auguſtiſſimo conventu templum & cœnobium, quod titulo & patrocinio S. Joannis Evangeliſtæ ſubeſſe juſſit, monachis Benedictinis ſollemni ritu ac formula donavit, & Andream ſupra laudatum primum ejuſdem monaſterii Abbatem conſtitui voluit. Ad hæc inſulam Zurium cum omnibus agris, paſcuis, ſilvis, itemque alia prædia templo ac cœnobio S. Joannis Evang. attribuit; atque in hujus poteſtate ut eſſet cella, ſive domicilium Benedictinum inſulæ Zurianæ decrevit, & ampliſſimam eidem immunitatem omnis alieni dominatus, omniſque etiam regii vectigalis expertem impertivit. Diploma Creſimiri, ex Codice Privilegiorum mon. SS. Coſmæ & Damiani, qui *Polichorion* inſcribitur, deſumptum, eſt in hæc verba compoſitum.

Diploma Creſimiri cœnobium S. Joannis Evangeliſtæ fundantis.

In nomine S. & Individuæ Trinitatis, anno Incarn. Jeſu Chriſti omnium dominantis 1059. *abeunte, Indictione X.* a *elabente, Beatiſſimo Papa Nicolao* b *univerſaliter mundo Apoſtolicante, in Orientis partibus, Conſtantinopoleos ſcilicet Comneno* c *Imperante, ac Belgradi Theodoſio Præſulante, ibidemque Dragoslavo Priorante, menſe quidem Februario: Ego Creſimyr Stephani regis filius, divina favente clementia rex Dalmatiæ Croatiæque, Andream virum religioſum, Deo & hominibus dilectum, monendo, rogando ab inſula, quæ Zuri nuncupatur, advocavi, præfatæ urbis Pontifice, Priore, clero, ac populo volente, cogente, & collaudante. Quo advocato, ſuiſque fratribus, his prædictis præſentibus Epiſcopo, Priore, ac Belgradenſibus civibus, in præſentia etiam D. Mainardi Reverendiſſimi viri, & Eccleſiæ Romanæ Apochriſarii, Legati a ſupradicto Apoſtolico N., regali auctoritate, magnatumque meorum favorabili voluntate, ſcribi mandavi ſtabile privilegium libertatis, tali uſus eloquio.*

Quia Deitatis opitulante gratia, tu Abbas Andreas, tuique fratres meis precibus obtemperaſtis, eccleſiam, ſuper qua vobis ſuperne ſupplicaveram, ædificaſtis, & Chriſto coadjuvante miſericordia, veſtri laboris ſtudio, mearumque rerum ſolatio ad effectum perduxiſtis, concedo, faveo, annuo tibi Andreæ Abbati, & tibi regulariter ſuccedentibus hanc auctoritatem, & hujus potentiæ libertatem, ut præter debitam d *eccleſiaſticæ diſciplinæ reverentiam, nulli mortalium poteſtati ſubjecti habeamini, ſed uſque adeo liberum ſit & plenarie abſolutum monaſterium S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, ut neque tributum neque vectigal fiſco regali ſolvat, donaria ſæcularia debita Banis, Jupanis, vel reliquis potentiolis prorſus neſciat. Ut autem hoc affirmative ſtabiliatur, illud in audientia & adſentia prælibatorum aſtantium regaliter auctorizo, dominaliter corroboro, potentialiter confirmo, ut ita definitum, itaque determinatum habeatur, ne umquam alicujus præſumptuoſi temeritate, vel ſacrilego auſu profani cujuſvis corrumpatur, ſed ut aſſignatum & deſcriptum eſt, æternaliter fixum teneatur. Volo etiam, & affectuoſe concedo, ut tota inſula* e *Zuri ſit propria & ſpecialis præfati monaſterii, cum univerſis illic conſiſtentibus tam ex ipſa natura, quam manuali poſitura, cum terris arabilibus, ſive non, ſilvis, ſaltibus, puteis, fontibus, paſcuis in valle aut montibus, pratis ſiccis aut virentibus, & loci ejus locis omnibus. Quin &* f *Cella, quæ in ea eſt tempore in termino, Catholica fidelitate huic ſublateralis obice ſine ullo efficiatur. Quia vero non inceptor operis dignus laude habetur, immo voti compos & efficax pro meritis glorificatur, omnis enim laus in fine canitur, & ibi neceſſario devote orantium ceſſabit oratio, ubi ſpes aufugit humanæ vitæ, ſi careat vitali ſuffragio; eadem regali auctoritate, una cum Goyzone Bano, meiſque primatibus concedo, faveo, annuo tibi Andreæ Abbati, omnibus quoque Beatiſſimi Joannis monaſterium juxta Patrum inſtituta regentibus, Rogova Curtem in condeſcenſione collis proximi, & imminentis Belgraden. civitati poſitam ab aquilone cum omnibus ſuis pertinentiis, videlicet villa* g *Dollani, villa Blatta, villa Serviza, Barcanus, Sydraga, Sephova, Nabrete, Murazulum, Elzami.*

Si quis autem hæc regalia beneficia collecta, & regaliter auctorizata mon. S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ pro animabus meorum parentum tam præteritorum, quam futurorum, mea quoque, nefario conatu violare, aut minorare, aut extrahere præſumpſerit, ira divini furoris illi abundanter effluat, & ſicut ille Judas proditor diſpereat, inſuper illorum 318. *Sanctorum Patrum maledictionem habeat, lege Chriſtiana careat, regali typo Chroatiæ ſubjaceat, centum videlicet auri pondera ſolvat ei, quicumque in hoc regno regnaverit. Ut autem ſic auctorizabile, ut dictum eſt, teneatur, horum legitimo aſtantium teſtimonio, veriſſimaque approbatione corroboratur. His omnibus præſentibus collaudantibus, & hæc omnia pleniter confirmantibus; in primis* h *D. Mainardo ſupradicto Apochriſario, Laurentio Archiepiſcopo, Raynerio* i *Croatino Epiſcopo, Theodoſio, & Præſtantio* l *Epiſcopis, Goyzone Bano, Boleslao, Teuzone, Privanego Jupano de Luca, Dragoslavo Priore, Juraina Jupano de Sydraga, Drago Priore, Drago de Caſtriza, Dabreina Priore, & Petro filio ejus, Gregorio, Petrainna armati, Draſe filio Epiſcopi Præſt. & fratre ſuo Madio, Michaele,*

& ejus

& ejus fratre, Petro Braneico, & ejus fratre, Piſa Capellano, ejuſque filio Budizo, Joanne Eunucho Schytonoſſa, & fratre ſuo, poſt Juppo Chruchenna Draſen, poſt Juppo de Blatta, Sabachio, & ejus fratre, cum pluribus aliis.

Notæ.

a Indictio X. non cohæret cum anno 1059. ſed Indictio XI. ſiquidem initium cujuſque Indictionis a Septembri menſe ex more antiquo ſumendum ſit.

b Nicolaus II. anno 1059. III. Nonas Januarii electus Pontificatum geſſit uſque ad menſem Quintilem an. 1061.

c Iſaacius Comnenus ab anno 1057. uſque ad annum 1059. Imperium Orientis obtinuit. Imperator Conſtantinopolitanus vel honoris cauſſa nominatur, vel quia Creſimirus ſe clientem, ac jure fiduciario obſtrictum Imperatoribus Græcis profitebatur.

d Scilicet templum ac cœnobium illud omni extranea poteſtate ſic exemptum declarat, ut nihil detractum velit, neque de ſuprema auctoritate Romani Pontificis, cui ſubſunt omnes eccleſiæ & monaſteria, quæ ubicumque terrarum ſint, neque de reverentia illa atque obedientia, quam cœtus omnes monachorum Epiſcopo, in cujus diœceſi erant, ex antiqua diſciplina eccleſiaſtica præſtare debuerant, niſi forte illos Sedes Apoſtolica in ſuam peculiarem clientelam receptos exemiſſet.

e *Zurium*, ſive *Surium* poſtrema eſt inſularum Liburnidum a Belgrado longe diſtans in orientem, ac fere contra Sibenicum poſita.

f Cella idem eſt, ac domicilium monaſticum, quod erat in inſula Zuri, hoc ſiquidem monaſterio S. Joannis Evangeliſtæ, tamquam membrum ſuo capiti annexum & ſubjectum eſſe decrevit.

g Hæc loca intra fines territorii ac diœceſis Belgradenſis continebantur. Valerius a Ponte Archidiaconus Jadrenſis tradit monaſterium S. Joannis Evangeliſtæ multas villas, omnino ad ſex & triginta ex donatione regum, vel privatorum hominum poſſediſſe.

h Priore loco ante Laurentium Archiepiſcopum teſtis approbatorque nominatur Maynardus Legatus Pontificius, pro eo, ac poſtulabat debita Sedi Apoſtolicæ reverentia.

i Erat Epiſcopus Tininienſis, qui cujuſdam excellentiæ cauſſa etiam Epiſcopus Chrobatiæ appellari ſolebat, quod reliquis duobus Chrobatorum Epiſcopis Nonenſi & Belgradenſi amplitudine diœceſeos & regalium privilegiorum antecederet.

l Cum nomen urbis & Eccleſiæ, cujus erat Epiſcopus Præſtantius, appoſitum non ſit, incertum eſt cujus loci eſſet Epiſcopus.

Alterum Creſimiri privilegium iiſdem monachis conceſſum.

Eodem anno, menſe, ac loco, ſed uno altero poſt die, quidquid priore diplomate ſanciverat, altero paucioribus verbis, ſed in eamdem ſententiam ſcripto confirmavit; duo tamen ſunt, quæ nominatim adjecit; primum monachis leviſſimum tributum Epiſcopo ſingulis annis ſolvendum impoſuit; deinde jus omne in monachos & monaſterium, ſive corrigendi, ſive imperandi, aut vetandi Epiſcopo ademit, contra quam diſciplina eccleſiaſtica illorum temporum requirebat. Ceterum regii diplomatis cum approbator etiam, non ſolum teſtis fuerit Maynardus, opinari licet hunc rogatu Creſimiri pollicitum eſſe curaturum ſe, ut Pontifex Maximus, monaſterio illo in fidem ac tutelam Sedis Apoſtolicæ recepto, conceſſam eidem ab rege immunitatem ratam haberet. Bis in regio diplomate nominatur Theodoſius Epiſcopus Belgradenſis.

Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti 1059. *Indictione X. (XI.) regnante Chreſſimiro rege Chrobatorum, & Dalmatiarum, menſe Februario, in civitate Belgrado, Dragoslao Priore, & Theodoſio Epiſcopo, abſolutionis & libertatis cartula facta eſt monaſterio S. Joannis Evangeliſtæ, nuper ſito in eodem loco, præſente Andrea Abbate, ejuſque fratribus, ipſo rege jubente hoc modo. Ego Chreſimer rex tibi Ven. Abbati Andreæ, tuiſque fratribus, tuoque monaſterio, quod mea juſſione & ſolatio, immo magis veſtro labore inchoatur & perficitur, tribuo & concedo; ita ut præmiſſo eccleſiaſtico jure nulli homini ſubjugemini, niſi Deo ſummo, cui veſtram militiam devoviſtis, veſtrumque monaſterium ſit abſolutum ab omni fiſcali tributo, excepto quod gratia caritatis in ſollemnitate ejuſdem eccleſiæ, Epiſcopo loci ipſius agnus unus, & ſampulla vini largiens tribuatur; & his largitis, non Epiſcopo, non Priori vobis illicite auſu temerario liceat dominari; & ne hæc noſtræ definitionis paginula ſolubilis per labentia tempora videatur, coram Apochriſario S. R. Eccleſiæ, Ven. Abbate Maynardo miſſo a Nicolao Sanctiſſimo Papa, roboramus perpetuo permanenda; cui & jure perpetuo adhæreat tradita a nobis inſula, quæ vocatur Zuris, & Curte in loco contiguo civitatis, quod Rogovo dicitur, cum omnibus poſſeſſionibus ipſius monaſterii conſtantiſſime confirmamus. Si quis autem hanc juſtam noſtram definitionem temptaverit ſolvere, majeſtatis iram incurrat ſupernæ, & noſtris ſit legibus reus, aurea componat pondera centum, & hæc noſtræ diſtinctionis cartula in ſua firmitate permaneat. Goyzo Bano teſtis, Boleslao Tepizo teſtis, Privanego Jupano de Luca teſtis, Epiſcopus Theodoſius Belgradenſis teſtis, Dragoslao Priore teſtis, Juramna Jupano de Sidraga teſtis, Prior Drago teſtis, Drago de Caſtrizza teſtis, Georgius Vrattaro teſtis.*

Nullam præterea de Theodoſio primo Belgradenſium Epiſcopo mentionem in tabulis Dalmaticis factam invenio, & anno 1066. jam ſedem illam Epiſcopalem Theodoſii morte vacuam occupabat

DABRO EP. BELGRADENSIS II.

Hujus, quemadmodum res geſtas, ſic etiam nomen vetuſtas oblivione obruiſſet, niſi ex uno Creſimiri diplomate cognitum eſſet. Creſimirus in pleniſſimo Epiſcoporum ac procerum conventu Sibenici habito regia libertate donavit cœnobium Virginum Jadrenſium, quod Cicha regis ſoror in urbe illa fundaverat; ideſt, ut Lucius interpretatur, poſſeſſiones illius cœnobii, quæ in ſolo erant imperii Chrobatici, nulli tributo obnoxias eſſe juſſit, ac regali tutelæ ſubjecit; nihil enim juris Creſimiro erat in urbem & cœnobium Jadrenſe, quod tunc ſuberat Imperatoribus Orientis. Regium diploma cum Laurentio Archiepiſcopo & ceteris Dalmatiæ Epiſcopis approbavit & laudavit *Dabro Belgrad. Epiſcopus An. Incarnationis D. N. J. Chriſti* 1066. *In die natali Domini in Sibenico*. Triennio poſt Dabro jam diem ſuum obierat.

THEODOSIUS II. EP. BELGRAD. III.

Dum Ecclesiam Belgradensem administrabat, Cresimirus rex Chrobatiæ & Dalmatiæ vel hujus Episcopi hortatu, vel pro sua singulari erga Deum religione, & pia erga Virgines Deo sacratas voluntate, cœnobium Belgradense S. Thomæ Apostoli fortassis ab se conditum, in quo sub Dobriza antistita plures Dei ancillæ ex præscripto ac disciplina S. Benedicti vitam ab hominum consortio segregatam caste pieque degebant, liberum esse, nullique tributo regio subjici debere decrevit; eidem præterea prædium regale territorii Belgradensis, certis finibus circumscriptum, *& terras in Sydraga* donavit. Extat Cresimiri diploma Laurentii Archiepiscopi, Theodosii Episcopi urbis, & Raynerii Episcopi Tininiensis chirographo ac testimonio confirmatum anno 1069. mense Octobri.

Cresimiri erga Virgines cœnobii Belgraden. beneficentia & diploma.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, anno quoque Dominicæ Incarn. 1069. Indict. 6. mense Octobris. Ego Chresimer rex Chroatorum atque Dalmatinorum testimonium facio cum omnibus nobilibus meis, quod monasterio S. Thomæ Apostoli, sub manu Dominæ Dobrizæ ejusdem monasterii matris, confero firmum, stabilemque observare decerno, scilicet ut idem monasterium a modo & deinceps absque omni tributo perpetuo existat liberum, ita ut nec mihi, nec meis successoribus cujuslibet consuetudinis debito implicatum esse videatur, nisi tamen voluntariam exhibens honorificentiam, quatenus omnium ancillarum Dei in eodem commorantium cœnobio libertas & diuturna quies omnium sæcularium infestatione exempta licentius atque instantius suo possint famulari Creatori, cui se sub sacræ legis jugo subdidisse libentissime noscuntur; quapropter jam dictum cœnobium non solum libertate donamus, verum insuper & regale territorium in loco, qui Rasochatiza vocatur, incipiente ab ipsa Rasochatiza, ubi sunt duæ funtanæ, & usque ad puteum, qui manet juxta terram Mogorovizi longitudine, & in latitudine a monte Tini usque ad rivum, & ibidem Smurdulani, incipiente a termino vallis usque ad pedem montis Tini; si enim quandoque quislibet meus successor intervenerit, hujusque mei decreti stabilitum parvi penderit, & ex omnibus, quæ a me fideliter statuta sunt, aliquid minuere, vel transgredi voluerit, iram habeat omnipotentis Dei, & omnium Sanctorum super illos maneat, nec non & 318. Patrum anathematis vinculo innodentur, & in novissimo ac tremendo examine cum Diabolo, suisque ministris, ac Juda traditore damnentur, & inextinguibilis flammæ incendio crucientur; hujus denique rei stabilitum, palam actum, & coram his testibus roboratur L. Archiepiscopo, R. Croatico Episcopo, G. Bano, & alii plures.

Ego prædictus rex Chresimer per caritatem Dei, & Beatæ Mariæ Virginis, nec non & S. Thomæ Apostoli aliquam benedictionem, dono pro redemptione animæ meæ meorumque successorum monasterio prædicto S. Thomæ sito in civitate Belgrado terras, quas in Sydraga nominant, ut sint in perpetuum illarum; & qui post nostrum discessum aliud aliquid corrumpere temptaverit, maledictus sit a Deo omnipotenti, a Beato Thoma Apostolo, & ab omnibus Sanctis Dei, & cum Juda particeps fiat in æternum incendium, & hæc contra . . . . Hæc facta sunt coram his testibus Episcopo Theodosio, Drago Priore, Raineriо Croatino Episcopo, Goizone Bano, & alii plures.

B. EP. BELGRADENSIS IV.

Cum in tabulis antiquis ejus nomen expressum sit unica littera B, si interpretari velis, eumdem aut *Basilium*, aut *Bertrandum*, aut *Banum*, aut alio quopiam vocabulo, qui ab ea littera initium ducat, rite appellaveris. Interfuit anno 1072. cum aliis Episcopis Dalmatiæ Concilio Provinciali Jadrensi, de quo in Laurentio Metropolita Spalatensi, itemque sollemni dedicationi Ædis Marianæ collegii Virginum Jadrensium; & cum Andreas Episcopus Jaderæ, & Drago Prior seu Prætor ejusdem urbis, clerus & populus insulam Silvæ donassent eidem templo ac cœnobio S. Mariæ, hanc donationem cum aliis Episcopis ratam habuit, suaque manu subscripsit: *Actum hoc est anno 1072. in die consecrationis Basilicæ S. Mariæ ante Andream nostrum Episcopum, & coram ejus clero, & Madio Abbate, & Trasone Abbate. L. D. G. Spalat. sedis Archiepiscopus, A. Jadertin. Episcopus . . . . B. Belgrad. Episcopus.* Hic eodem anno e vita decessit.

PRÆSTANTIUS EP. BELGRAD. V.

Dum adhuc Cresimirus regnabat in Chrobatia & Dalmatia, hujus Ecclesiæ regimen suscepit. Argumento est, quod cum Præstantius ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani non longe ab urbe in insula Pasmania edito loco sitam, cum omnibus, quibus dotata erat, prædiis & vectigalibus dono dedisset monasterio S. Joannis Evangelistæ; nondum Cresimirus e regno ac vita decesserat. Cum enim Felix Abbas traditam sibi ejusdem ecclesiæ possessionem adire vellet, non defuerunt, qui litem eidem intenderent, quod fortassis existimabant jus non fuisse Episcopo illius ecclesiæ alienandæ, quam jure patronatus vel ad civitatem, vel ad aliquam privatam familiam pertinere contendebant. Adversarios in judicium cum Abbas vocasset apud regem Cresimirum, hic Vitum Dragum virum prudentem, & in hujusmodi causis cognoscendis apprime versatum ei controversiæ dirimendæ præposuit, qui secundum Abbatem & monachos sententiam tulit, ut scriptum est in tabulis ejusdem cœnobii: *Breve recordationis quomodo placuit regi Cresimiro, quod mitteret in Alba civitate* (idest Belgradum) *nuncium suum inquirere a populo civitatis, si vera essent ea, quæ Abbas Felix requirebat, & proclamationem faciebat, scilicet de justitia ecclesiæ S. Joannis Evangelistæ de Sanctis Cosma & Damiano, & quid populus diceret; inde misit Vitum Dragum, qui vocavit populum ad se ad S. Joannem, ad quem populus venit dicens, quod Abbas requirebat de justitia ecclesiæ, justum requirebat. Ista sunt nomina hominum, Semivitus, Petrus Judex, Nicolaus Archidiaconus . . . . & omnes cives affirmaverunt privilegium S. Joannis de Sanctorum Cosmæ & Damiani ecclesia; & semper debuisset permanere sub potestate hujus monasterii.*

Præstantius Ep. Belgrad. monachis S. Joan. Evangel. ecclesiam donavit SS. Cosmæ & Damiani.

Ergo Præstantius, ne quis in posterum monachis S. Joannis de illa ecclesia litem inferre, aut negotium facessere auderet; coram Laurentio Archiepiscopo & Legatis Sedis Apostolicæ, in frequentissimo cleri populique conventu, donationem ejusdem ecclesiæ, ut fidei plus habe-

haberet atque auctoritatis, renovandam & confirmandam cenſuit. Anno 1076. Gregorius VII. Gebizonem Abbatem SS. Bonifacii & Alexii, & Fulcoinum Epiſcopum Fori Sempronii miſit in Dalmatiam, ut Svinimiro, cui etiam Demetrio cognomen fuit, regis titulum & inſignia traderent. Is quippe poſt Creſimirum regem anno 1073. vel ſequenti extinctum, & Slavizam itidem regem a Northmannis captum, regnum Chrobatiæ & Dalmatiæ adeptus eſt, quod Eccleſiæ Romanæ tributarium facere decreverat. Uterque Legatus poſt regium diadema ſollemni ritu ac cærimonia Svinimiro impoſitum, rogatu Præſtantii Epiſcopi, itemque Laurentius Metropolita Spalat. Belgradum ſe contulit. Convocati ſunt primores cleri, magiſtratus, nobilitas, & populus; frequenteſque convenerunt, & Legatis Pontificiis cum Laurentio audientibus atque approbantibus Præſtantius tabulas ſupradictæ donationis recitari juſſit, & confirmandas curavit. Ita enim ſcriptum eſt in codice, quod inſcribitur *Polichorium*.

Qualiter Dominus Præſtantius Belgrad. Epiſcopus perpetualiter habere conceſſit monaſterio S. Joannis Evangeliſtæ eccleſiam SS. Coſmi & Damiani de Monte.

In nomine P. & F. & SS. unius Trinitatis, & Trinæ Unitatis individuæ. Notum ſit omnibus fidelibus tam præſentibus, quam futuris, quod Præſtantius Belgraden. Epiſcopus gratia divinæ & humanæ caritatis, eccleſiam SS. Coſmæ & Damiani, quæ ſita eſt in acuto vertice cujuſdam monticuli non longe a ſupradicta urbe diſtantis, monaſterio S. Joannis Evangeliſtæ perpetualiter habere conceſſit. Ne autem aliquis ſuccedentium, violentia Principum, Regis videlicet, Epiſcopi, aut Prioris ejuſdem civitatis temeraria mente, feroci tyrannide hæc ſtatuta violare audeat, & ſua audacitate corrumpat; hujus conceſſionis ſanctio ante perſonas virorum honeſtiſſimorum, & ſanctæ religionis cultum jugiter exequentium, abſque ulla contradictione laudabiliter corroborata eſt, in præſentia ſ. Dominorum Laurentii totius Dalmatiæ & Chroatiæ reverendiſs. Archiepiſcopi, & Domni Gebizonis SS. Bonifacii & Alexii religioſiſſimi Abbatis, una cum Fulcoino Fori Simphronii Venerab. Epiſcopo, Ap. Sedis Apocriſariorum, in vinea juſtitiæ Dei totis viribus miſericorditer laborantium, aſtantibus etiam Belgradenſis Eccleſiæ Archipresbytero Drago, & omnibus Clericis utriuſque civitatis, & Domno Juſto Priore, Gregorio Judice, Drago, Præſtantio, Michaele, Druſia, & fere totius ſupradictæ civitatis clero favente ac populo. Anno milleſimo ab Incarnatione D. N. Jeſu Chriſti, videlicet ſeptuageſimo ſexto, Indictione vero quintadecima, tempore ejuſdem Gregorii ſeptimi Papæ, & Demetrii Dalmatiæ & Chroatiæ regis, & Domni Petri ejuſdem monaſterii Abbatis religioſi. Quicumque autem corrumperit quod horum omnium laude confirmatum eſt, Dei, & eorum maledictionem perpetuo incurrat. Amen.

Conſecratio ædis S. Joan. Evangeliſtæ, & eidem decumæ olearum additæ.

Iiſdem diebus Laurentius Archiepiſcopus cum Legatis Pontificiis & Præſtantio Epiſcopo ædem S. Joannis Evangeliſtæ conſecravit. Commune vero Belgradenſium decimas annuas ex olearum fructibus templo & monaſterio S. Joannis ſolvendi lege perpetua ſe obſtrinxit. Ex tabulis ejuſdem cœnobii confectis in hæc verba.

Notum ſit omnibus fidelibus tam poſteris, quam præſentibus, quia nos Belgradenſes divites & inopes, nullo cogente, nullo monente, immo ſpontanea voluntate, gratia devotæ intentionis promiſimus dare ſingulis annis decimas noſtrarum olivarum monaſterio S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, die videlicet dedicationis ejuſdem eccleſiæ, quam viri religioſiſſimi Domnus ſcilicet Laurentius Spalatinus Archiepiſcopus, una cum Apocriſariis Romanæ Sedis Epiſcopo Fulcoino, & Gebizone Abbate SS. Bonifacii & Alexii, nec non & Præſtantio ejuſdem urbis Epiſcopo dedicaverant; eiſdem etiam donum ſupradictum collaudantibus, ac firmiter corroborantibus, & auctoritate Apoſtolica interdicentibus, ne umquam ab aliquo præſumatur violari. Quod ſi forte aliquis temerario conatu abnegaverit, iram ſupernæ Majeſtatis incurrat, omniumque Sanctorum maledictionem poſſideat; & hæc donatio acta, ſancitaque fuit anno ab Incarnatione D. N. J. C. milleſimo ſeptuageſimo ſexto, Indictione vero decima quinta; & hoc Apoſtolante Gregorio ſeptimo Papa, apud Græcos Michaele imperante, apud Sclavos Svinimiro regnante, Petro in eodem monaſterio Abbatiante, Dominico Juſto Belgradi Priorante.

Idem Præſtantius cum aliis Provinciæ Spalatenſis Epiſcopis anno ſuperiori 1075. interfuerat Synodo provinciali, quam Laurentius Metropolita juſſu Gerardi Legati Pontificii Spalatum convocavit, de qua in Actis Laurentii. Erravit igitur Thomas Archidiaconus, qui *Theodoſium* Belgradenſem huic Concilio interfuiſſe ſcripſit. Nam hic neque Theodoſius I. eſſe potuit, cui Dabro, neque Theodoſius II. cui B. ſucceſſit, inter Theodoſium II. & Præſtantium interjectus; neque demum Theodoſius III. qui poſt Præſtantium hujus Eccleſiæ regimen ſuſcepit. Porro Præſtantius, non multo poſt ſollemnem dedicationem templi S. Joannis Evangeliſtæ, eodem anno 1076. e vita migravit: huic ſiquidem eodem anno vergente ſuffectus eſt

THEODOSIUS III. EP. BELGRAD. VI.

Nam in eo diplomate, quod Svinimirus rex Chrobatiæ & Dalmatiæ ſecundum Eccleſiam Spalatenſem fecit an. 1076. VIII. Id. Octobris, ſubſcriptum invenitur nomen *Theodoſii* Epiſcopi Belgradenſis. Vide cap. 2. §. 3. in Laurentio Archiepiſcopo. Hanc ſedem quamdiu tenuerit, non eſt compertum.

BONUS EP. BELGRADENSIS VII.

Intra finem ſæculi undecimi Theodoſio III. in Sedem Epiſcopalem ſucceſſit; niſi forte quem interjicere lubeat, cujus nomen antiquitas obliteravit. Anno 1097. filiam Rogerii Comitis Siciliæ excepit, quæ Belgradum appulit, ut docet Gaufridus Malterra, cum in Hungariam duceretur nuptum Colomano regi Hungariæ, qui poſt extinctos vel ſublatos reges Chrobatiæ ex genere Slavonico univerſam Chrobatiam cum Belgrado ſubjugaverat; deinde anno 1102. ipſum Colomanum excepit, cum Chrobati, qui a fide deſciverant, potentiſſimi regis adventu perterriti voluntaria deditione ſub ejus imperium redierunt. In ea civitate Colomanus regalia inſignia cum titulo regis Chrobatiæ ac Dalmatiæ ſumpſit; & Belgradum urbem regiam appellavit, ut ipſemet docet in privilegio, quod Virginibus Jadertinis S. Mariæ conceſſit: *Anno Incarn. D. N. J. Chriſti* 1002. *Ego Colomanus Dei gratia rex Ungariæ, Croatiæ, atque Dalmatiæ . . . poſtquam coronatus fui Belgradi ſupra mare in urbe regia, ro-*

gatu ſubſcriptorum meorum Comitum pro caritate Dei & remedio animæ meæ dono perpetuam pacem & regiam libertatem monaſterio S. Mariæ monialium, quod ſitum eſt in Jadera &c.

Bonus aliquot annos Eccleſiam Belgradenſem pie prudenterque adminiſtravit; ſed in eo viſus eſt ab æquitate & juſtitia deſciviſſe, quod cum ægre ferret eccleſiam SS. Coſmæ & Damiani, quam cum omnibus vineis ac prædiis eidem annexis Præſtantius Epiſcopus monachis S. Joannis Evangeliſtæ attribuerat, a menſa Epiſcopali divulſam fuiſſe; eamdem repetiit, ac pro poteſtate monachis ademptam retinebat. Forte evenit, ut Auguſtinus S. R. E. Cardinalis, a Paſchali II. in Dalmatiam & Hungariam ad res eccleſiaſticas inviſendas, controverſias dirimendas, & cleri populique diſciplinam reſtituendam miſſus Legatus Apoſtolicus, in illis partibus anno 1103. verſaretur. Hic Belgradi cum eſſet, Dabro cœnobiarcha graviter apud eum queſtus eſt de Bono urbis Epiſcopo, quod monachis abſtuliſſet eccleſiam SS. Coſmæ ac Damiani, quam iiſdem perpetuo poſſidendam Præſtantius tradiderat. Auguſtinus Epiſcopum adiit, qui tum periculoſe ægrotabat; ſuæ illum injuſtitiæ admonuit ac redarguit; & mortis potiſſimum divinique judicii ingruentis metu perculſum facile impulit, ut eccleſiam illam monachis reſtitueret; eamque reſtitutionem ſuo decreto notam omnibus, ac teſtatam apud poſteros eſſe voluit; quod decretum ex codice privilegiorum ejuſdem monaſterii deſumptum ita ſe habet.

Decretum Auguſtini Legati Apoſtolici pro monachis Benedictinis adverſus Epiſcopum.

In Chriſti nomine. Anno ab Incarnatione milleſimo centeſimo tertio, Indictione IV. regnante Alexio Imperatore, Ego Auguſtinus Sanctæ Romanæ Sedis Cardinalis miſſus a Domno Papa Paſchali Beatiſſimo in Dalmatiam & Ungariam Apocbriſarius, adjutorio Omnipotentis adjutus, & defenſione Apoſtolorum Petri & Paulli circumtectus, & zelo juſtitiæ accinctus ad propagandam per Dalmatinas civitates juſtitiam, ea quæ invenimus in eis extirpanda extirpavimus, & quæ plantanda erant plantavimus, & quæ corrigenda erant canonice correximus; intuſque Belgradum nobis cum Tortibulenſi religioſo Epiſcopo ſatis Romanæ Eccleſiæ dilecto commorantibus, Dabro Abbas cœnobii S. Joannis Evangeliſtæ valde vir religioſus, cum ſuis fratribus regulariter viventibus, conqueſtus eſt nobis de eccleſia SS. Coſmæ & Damiani, quæ non longe ab urbe ſita eſt in inſula, quam Bonus Belgradenſis Epiſcopus per longos annos de ſub præfato cœnobio injuſte & temerarie retraxerat. Itaque pendente querimonia, idem Bonus Epiſcopus ad mortem jam infirmabatur, quem fraterno amore curavimus viſitare, & de injuſtitia, quam monaſterio per multa tempora fecerat, ſtuduimus recordari, & de præſumptione redarguere; qui divino tactus timore, quoniam cognoverat ſe magnum periculum ſuæ animæ incurriſſe, eo quod conceſſionis decretum, quod Præſtantius Epiſcopus illius anteceſſor fecerat, præſumptuoſe corrupiſſet, reddidit eccleſiam Sanctorum Coſmæ & Damiani cum omnibus ad eam pertinentibus Abbati & ſuis fratribus; conceſſerat namque Præſtantius bonæ memoriæ Belgradenſis Epiſcopus præfatam eccleſiam Martyrum, humana & divina caritate devictus, prædicto monaſterio S. Joannis perpetualiter habendam, poſſidendam, atque fruendam, conſentiente clero cuncto & populo . . . . . D. Laurentio Spalatenſis Sedis Archiepiſcopo, & Domno Zebizone religioſiſſimo Abbate, una cum Fulcoino venerando Epiſcopo, & Apoſtolicæ Sedis Apochriſariis conſentientibus atque collaudantibus; manu ſua ſubſcripſerunt & corroboraverunt. Hujus decreti teſtes Abbas Dabro, Andreas monachus, Boſna monachus, Joannes monachus, Abbatiſſa Agapi, Dominoia, Marichna, Domanna, Micha teſtis, P. Judex teſtis, Micha vetulus teſtis, Zurra teſtis. Ego Joannes Jaderatinæ Eccleſiæ Archipresbyter rogatus teſtis.

Bonus haud diu ſuperſtes fuit; cum enim graviſſimo illo & mortifero morbo urgeretur, eodem intra paucos menſes vel dies extinctum fuiſſe credibile eſt. Nulla certe hujus Epiſcopi mentio poſthac in vetuſtis illorum temporum monumentis reperitur: niſi forte *Bonus Belgradenſis* idem habendus eſſet ac *Banus Albenſis*: Epiſcopus, qui cum aliis Dalmatiæ Epiſcopis ſuo teſtimonio confirmavit privilegium Colomani regis Hungariæ, conceſſum Eccleſiæ Arbenſi anno 1111. Cum Belgradum dicta ſit *Alba maria*, ex eo potuit Epiſcopus hujus civitatis cognominari *Albenſis*; ſed vero propius eſt eum fuiſſe Epiſcopum *Albæ regalis* in Hungaria.

N. N. EP. BELGRAD. VIII. idemque SCARDONENSIS I.

De quo ne nomen quidem, nedum res ab eo geſtæ, litteris ac memoriæ prodiatum eſt. Ad hujus, vel ſucceſſoris, ſi quem habuit, Epiſcopatum referenda eſt urbis & Eccleſiæ Belgradenſis everſio. Dalmatiæ civitates, Venetis a Colomano contra fas & fidem ereptas, Ordelaphus dux Venetorum poſt obitum Colomani recuperavit anno 1116. ſimulque Belgradum aliaſque urbes Chrobaticas ad imperium Venetum adjunxit. Fuſcus Abbas cœnobii S. Joannis Evangeliſtæ, ut eccleſiæ SS. Coſmæ ac Damiani ſua monachis permaneret ſtabilis ac certa poſſeſſio, eam diplomate Ordelaphi confirmandam curavit.

Privilegium ducis Venetorum monachis S. Joannis Evang. conceſſum.

Anno Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti 1116. Indictione nona, Ego Ordilaſus Faletrus dux Venetiarum, Dalmaticorum, atque Croaticorum, privilegium S. Joannis Evangeliſtæ Belgradenſis monaſterii a Creſimiro rege factum, ego collaudo & in ſua ſtabilitate confirmo, ita ut nullus Epiſcopus, aut Comes, vel civis prædicti monaſterii libertatem violare audeat, quam non ſolum a nobis confirmandam eſſe dicimus, ſed a B. Gregorio Romanæ urbis Papa ſancitam in ſuis decretis eſſe cognoſcimus. Volo igitur ducali auctoritate firmare, ut ſi quislibet hujus libertatis conceſſionem temerario auſu infringere temptaverit, libram auri regali fiſco perſolvat. Similiter eccleſiam SS. Coſmæ & Damiani laudo & confirmo ideo, ut agnoſco veraciter fuiſſe propriam monaſterii B. Joannis Evangeliſtæ Belgradenſis monaſterii ex donatione Epiſcopi illius civitatis, & Romanæ Sedis Apochriſariorum confirmatione, & cleri ac populi; collaudo, & confirmo eam habendam in perpetuo; quicumque autem Epiſcoporum, aut aliorum hominum hoc decretum infringere temptaverit, & alia illius eccleſiæ privilegia violaverit, omnia quæ poſſidet in fiſco ducali & regali deveniant. Hæc decreta ſcilicet libertatis monaſterii S. Joannis Evangeliſtæ tibi Fuſco Abbati, omnibuſque ſucceſſoribus tuis firmiter & in perpetuum tenenda.

Veneti, recuperata Dalmatia, Belgradum evertunt.

Stephanus Colomani filius rex Hungariæ ex abſentia Venetæ claſſis, quæ in Syriam ſacræ expeditionis cauſſa trajecerat, Dalmatiæ recuperan-

perandæ occaſionem arripuit; & præter Jaderam fere omnia, quæ Veneti in illa regione poſſidebant, in ſuam poteſtatem redegit anno 1124. Sed Dominicus Michael dux Venetorum Syriaco bello proſpere perfunctus, cum Venetias rediret, Dalmatiæ urbes aut vi, aut deditione recepit anno 1126. Cum autem Belgradenſes, ſive quod obſtinatis animis, averſiſque a Venetorum imperio obſiſterent, ſeque defendere conarentur; ſive quod, ut Lucius exiſtimat, navigationem Adriaticam tum Jadrenſibus, tum peregrinis voti ac religionis cauſſa in Palæſtinam proficiſcentibus infeſtam redderent; Michael dux urbem expugnavit, captam ſolo æquavit: *Mox*, inquit Dandulus, *Hungari expulſi* (Spalato & Tragurio) *in Belgradum veniunt; eiſque reſiſtentibus, dux urbem obtinuit, & vaſtationi ſuppoſuit*. Ita ſimul civitas & Eccleſia Belgradenſis communi ruina oppreſſæ periérunt. Territorium & inſulas Belgradenſes dux Jadertinis attribuit. Diœceſis vero pars non exigua in fidem ac poteſtatem Jadrenſis Epiſcopi conceſſit. Plerique incolarum amiſſa patria Scardonam migrarunt, quam in urbem ſedes Epiſcopalis translata fuit. Virgines Benedictinas S. Thomæ profugas Jadera excepit. Jadrenſes vero eccleſiam S. Demetrii & proximas eidem ædes illis attribuerunt, Monachi vero itidem Benedictini, cum templum & monaſterium S. Joannis Evangeliſtæ diſtutum eſſet, in Paſmaniam inſulam ad Sanctorum Coſmæ & Damiani ſe tranſtulerunt. Hoc templum SS. Martyrum ſitum erat in extremo ejuſdem inſulæ angulo ad orientem, (Icon vulgo dicitur) loco prærato incumbens; ex quo *Eccleſia SS. Coſmæ & Damiani de Monte* cognominari ſolebat. Ibi laxatis ædibus auctiſque, ſedem ac domicilium collocarunt, in ejuſque ditionem ac poteſtatem tranſivit quidquid terrarum ac privilegiorum vetus cœnobium S. Joannis Evangeliſtæ poſſidebat. Exinde autem poſthabito veteri titulo *S. Joannis Evangeliſtæ*, cœnobium ab Sanctis martyribus Coſma & Damiano fere ſemper denominari cœpit: quod quidem cœnobium ampliſſimis privilegiis atque immunitatibus donarunt reges Hungariæ, Romanique Pontifices; idemque & celeberrimum, & opulentiſſimum fuit, ut docent *plura diplomata Pontificum & regum*, inquit Valerius Archidiaconus Jadrenſis in ſuis Mſs. *qua teſtantur amplitudinem poſſeſſionum ejuſdem monaſterii S. Joannis Evangeliſtæ, in cujus ditione 36. villæ reperiebantur, quarum judex ordinarius Abbas monaſterii exiſtebat*. Has poſſeſſiones partim ex liberalitate regum, & donatione piorum hominum monachi obtinebant, partim etiam emptione acquiſierant. Earum nomina & confinia deſcripta ſunt in tabulis, quas unus de illis monachis in unum codicem membranaceum collegit; eique hunc titulum præfixit: *Incipit liber Polichorium, qui & Topicus vocatus; eſt enim de diverſis bonis & territoriis multarum villarum, orthographice compoſitus, monaſterii S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, ad juriſdictionem conventus & monaſterii SS. Coſmæ & Damiani pertinentium*. Ex hoc libro ſeriem quorumdam Abbatum contexere, & aliquot privilegia, præter illa quæ ſupra deſcripta ſunt, decerpere libuit, quæ lectoribus hujuſmodi antiquitatum cupidis non ingrata fore exiſtimo.

Sedes Belgradenſis Scardonam translata.

Abbates cœnobii SS Coſmæ & Damiani, olim S. Joannis Ev.

Hæc ſunt nomina Abbatum, quorum mentio in tabulis cœnobii SS. Coſmæ & Damiani habetur, illis annis affixa quos cuique adſcripſimus.

Andreas Abbas I. an. 1059.
Lupus Ab. II. an. 106...
M. Lupi ſucceſſor Ab. III. an. 106...
Felix Ab. IV. an. 107...
Petrus Ab. V. 1075. 1076.
Dabro Ab. VI. 1103.
Fuſcus Ab. VII. 1116.

Poſt everſionem urbis & cœnobii Belgradenſis, & cœnobitarum migrationem ad SS. Coſmæ ac Damiani:

Joannes Abbas VIII. an. 1129.
Nicephorus Ab. IX. 1146. 1172. 1174.
Otto Ab. X. 1175.
Dominicus Abbas XI. 1187. 1188. 1194. 1197. 1203. 1207.
Milza Ab. XII. 1217.
Rupertus Ab. XIII. 1222. 1229. 1240.
Joannes II. Ab. XIV. 1308.
Martinus Ab. XV. 1343.
Gregorius Ab. XVI. 1358.
Petrus II. Ab. XVII. 1369.

De libertate monaſterii SS. Coſmæ & Damiani.

Privilegium Stephani III. Reg. Hung.

Diplomata ad cœnobium SS. Coſmæ & Damiani ſpectantia.

In nomine Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, anno ejuſdem Incarnationis 1166. Ego Stephanus Geycæ regis filius D. G. Ungariæ, Dalmatiæ, Chroatiæ, Ramæque rex. Cognoſcens, & firmiter tenens regii eſſe officii, ad honorem & exaltationem Eccleſiæ totis intendere viribus, & eccleſiaſtica pro jure ſuo ſervare, augere, ab invaſionibus poteſtate cælitus ſibi data defendere; monaſterio S. Joannis in finibus Dalmatiæ ſito in urbe, quæ quondam, dum in ſuo ſtatu exiſteret, Alba vocabatur, confirmamus, & præſenti privilegii teſtimonio corroboramus, ut integre fratres prædicti monaſterii habeant omnes terras illas, quas olim Creſimir & Svenimir quondam Croatiæ reges, & eorum principes jam dicto monaſterio jure perpetuo tradiderunt, ſicut in eorum privilegiis continetur ſecundum quantitatem & terminum terrarum illarum, videlicet terram in Rogova & Virbiza cum aqua molendinaria, & in Kameniani, & ceteras terras, quas in diverſis locis per Croatiam ſæpe dictum monaſterium obtinet. Hoc autem edicto præſentis ſtatuti confirmamus, ut ſi quis infringere temptaverit, & Abbati & fratribus illis de prædictis terris diminutionem vel moleſtiam aliquam facere voluerit, divinæ ira periculum incurrat, & noſtram ſe ſentiat lædere majeſtatem, ac regali judicio ſubjaceat. Præterea ob peccatorum noſtrorum remiſſionem nos eis concedimus, ut quoſcumque hoſpites ad inhabitandas terras illas de quibuſcumque locis inducere poterint, a nemine niſi a fratribus & eorum Præpoſitis judicentur . . . . . quod ſi quis eis vim intulerit aliquam, prædictæ ſententiæ ſubjaceat. Factum eſt autem iſtud in communi præſentia principum noſtrorum, præſenti Sarna Agrienſi Epiſcopo, & Stephano . . . . Sedis electo, Ampudino Palatino Comite &c.

Idem Privilegium iiſdem ac totidem verbis confirmavit an. 1188. Bela III. Stephani III. frater idem ac ſucceſſor, præſente Paullo Colocenſi electo.

Privilegium Hemerici Regis Hungariæ.

In nomine Sanctæ Trinitatis, & individuæ Unitatis Hemericus D. G. Ung. Dalm. Croatiæ rex in perpetuum. Divini cultus profectui debita jugiter ſollicitudine inhiantibus nobis expedire dignoſcitur, ut humanæ perverſitati nocendi viam ſolerter

lerter concludendo, venerabilium locorum bona seu immunitates regali potentia diligenter confoveamus; proinde debiti nostri considerantes exigentiam, terras, quas donatione Cresimir & Svenimir regum Croatiæ, seu principum suorum salubri liberalitate, monasterium S. Joannis in finibus Dalmatiæ urbe, quæ quondam Alba vocabatur, constitutum, legitime possidere dignoscitur, inter alios quidem Ungariæ reges Reverendi Patris nostri Belæ regis auctoritate confirmatas; nos quoque salutis nostræ intuitu monasterio, de quo loquimur, confirmamus, terram videlicet in Rogova, Verbiza, cum aqua molendinaria, & in Chamen, ceteraſque terras, quas quorumlibet devotio per diversas Croatiæ partes monasterio, cujus meminimus, deputavit; beneficium quoque, quod sæpe dictum monasterium a Stephano rege Geyce filio sub robore privilegii est adeptum, ratum habentes decernimus, ut quantacumque hospitum multitudo terras, quarum meminimus, inhabitaverit, Abbatis vel fratrum, sive Præpositorum subesse judicio, alias nec per sigillum, nec per hominem venire cogatur judicanda. Nulli igitur hominum fas sit contra præsentem nostræ confirmationis paginam ausu temerario venire, seu bonis ac populo memoratæ ecclesiæ gravamen inferre; quod si quis indebite fecerit, indignationem Dei omnipotentis incurrat, & propter institutorum inobservantiam districte multandum se cognoscat,

Datum per manus Desiderii aulæ regiæ Cancellarii anno Dominicæ Incarn. 1200. Ven. Job Stigonien. Archiepiscopo, Rlao Colos. Arch., Culano Quinqueccleſien. Episcopo, Ugrino Gevrien. Episc. Dominico Zagrab. Episc. Catapano Agrien. Episc. Micha Palatino &c.

Privilegium Andreæ ducis Dalmatiæ &c. fratris Hemerici regis Hung.

In nomine S. Trinitatis, & individuæ Unitatis. Andreas Dei gratia, Dalmatiæ, Croatiæ, Chulmiæque dux in perpetuum. Cum antiquorum veterum prudentia salubriter cogitans & providens in posterum, pia devotione sanxerit, ut quidquid beneficiorum in præsenti impenditur monasteriis, viriſque religiosis, ad salutem & remedium indubitanter transire debeat animarum, & divini refrigerii locum capere non dubitetur, piis instanter pulsati precibus Abbatis & fratrum de monasterio SS. Cosmæ & Damiani, dedimus terram ecclesiæ S. Grisogoni, quæ est sita in Juburbio Sibenig ad duo aratra excolendam, & perpetuo possidendam; terra autem vocatur Dub ab arbore ibidem exorta; prædictam itaque capellam S. Grisogoni a civibus prædicti Castri fundatam, & eorumdem voluntate præfato monasterio traditam, adeo volumus esse liberam, ut nemini liceat ab ea exigere quicquam ex debito, nec in decimis, nec in aliis, salvo dumtaxat jure & honore diocesani Episcopi; nos autem ipsi sumus tutores, & defensores ejus. Sed quoniam memoriæ novercatur oblivio, oblivionis enim ortus est memoriæ defectus; ne hujus nostri facti series fuligine vetustatis caligetur, scripto commendari jussimus; ut autem firmius robur obtineat, sigilli nostri impressione communivimus. Dat. per manus Jacobi Præpositi Magistri nostri & Cancellarii, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo. Prestaldus autem Comes Domaldus, Jobagionum vero nomina, qui tunc aderant, & huic vostro facto testimonium perhibuerant, hæc sunt; Bernardus Spalatinus Archiepiscopus, Nicolaus Jadretinus Archielectus, Georgius Tinienſis Episcopus, Mog Comes, Nicolaus Banus &c.

Diploma Innocentii III.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Abbati & fratribus conventus SS. Cosmæ & Damiani de monte salutem & Apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana Ecclesia devotos & humiles filios assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tamquam pia mater, protectionis suæ munimine confovere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus gratum impertientes assensum, personas vestras cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis dante Deo potestis adipisci, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus; specialiter autem ecclesias monasterio vestro subditas, sicut eas juste & pacifice possidetis; nec non etiam donationem ecclesiarum S. Petri de Bubniani, & S. Dimetri de Jadra, cum omnibus pertinentiis earumdem ab illis, ad quos hujusmodi donatio pertinebat, provida vobis liberalitate concessas; vobis, & per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis & protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Paulli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Viterbii 14. Kalen. Julii, Pontificatus nostri anno 12.

Diploma Innocentii VI.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Gregorio Abbati monasterii SS. Cosmæ & Damiani de monte, ejusque fratribus tam præsentibus, quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Quoties a nobis petitur quod religioni & honestati convenire dignoscitur, animo nos decet lubenti concedere, & petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & monasterium vestrum SS. Cosmæ & Damiani de monte Jadrensis diocesis, in quo divino estis mancipati obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuimus, ut ordo monasticus, qui secundum Deum & B. Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, sive aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestris quoque successoribus, & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, locum ipsum, in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis &c. Cetera desunt.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Guillelmus Episc. Tusculanus subscripsi &c.
Ego Guido Portuensis & S. Ruffinæ Episcopus subscripsi.
Ego P. Ostiensis & Velletren. Episc. subscripsi.
Ego Hugo tit. S. Laurentii in Damaso Presb. Card. subscripsi.

Ego

Ego . . . . tit. S. Crucis in Jeruſalem Presb. Card. ſubſcripſi.

Ego Petrus tit. S. Martinì in Montibus Presb. Card. ſubſcripſi.

Ego Guillelmus tit. S. Mariæ in Traſtiberim Presb. Card. ſubſcripſi.

Ego Andò ... tit. Sanctorum Joannis & Paulli Presb. Card. ſubſcripſi.

Ego Helias tit. S. Stephani in Cælii monte Presb. Card. ſubſcripſi.

Ego Petrus tit. S. Anaſtaſiæ Presb. Card. ſubſcripſi.

Ego Fr. Guillelmus tit. SS. Marci & Petri Presb. Card. ſubſcripſi.

Ego Fr. Nicolaus tit. Sancti Sixti Presb. Card. ſubſcripſi.

Ego B. tit. S. Euſtachii Diaconus Card. ſubſcripſi.

Ego Guillelmus tit. S. Mariæ in Coſmedin Diaconus Card. ſubſcripſi.

Ego Raynaldus tit. S. Adriani Diaconus Card. ſubſcripſi.

Ego P. tit. S. Mariæ novæ Diaconus Cardin. ſubſcripſi.

Ego Joannes tit. S. Georgii ad Velum aureum Diaconus Card. ſubſcripſi.

Dat. Avenione per manum P. Epiſcopi Peneſtrin. S. R. E. Vice Cancellarii, Indict. XI. Incarn. Dominicæ anno 1358. Pontificatus verò D. Innocentii PP. VI. anno ſexto.

Eccleſia & monaſterium SS. Coſmæ & Damiani in inſula Paſmania contra Belgradum ſive Albam maris ſita, neſcio quo anno, quo caſu, quave calamitate funditus everſa ſunt. Utrumque anno 1369. reædificatum fuit, ut docet inſcriptio ſupra januam lateralem ejuſdem eccleſiæ.

Hoc opus novæ conſtructionis, ad futuram rei memoriam, poſt deſtructionem infraſcriptorum loci & eccleſiæ SS. Coſmæ & Damiani, Artemii, Leontii, & Euprepii MM. & fratrum, reædificatum eſt, & a fundamento conſtruitur ad laudem Dei omnipotentis, & Beatiſſimæ ejus matris Mariæ, dictorumque Sanctorum per fratrem Petrum de Jadra, Dei & Apoſtolica gratia humilem Abbatem dicti loci, Capellanumque Domini Papæ, inſtanti anno a nativit. Salvatoris 1369. Indict. 7. die 4. Junii, Præſidente Papatui D. Urbano div. prov. Papa V. anno ejus ſeptimo.

Sæculo decimo quinto, vel ſuperiori, ut plures aliæ, ſic etiam Abbatia SS. Coſmæ ac Damiani, Epiſcopis, aliiſve Præſulibus, & viris eccleſiaſticis commendari cœpit. Anno 1418. Franciſcus Maripetrus, qui poſtea fuit Archiepiſcopus Spalatenſis; anno 1467. Petrus Fuſcarus Primicerius S. Marci, 1525. Jacobus Vordius fuerunt Abbates Commendatarii.

EPISCOPI SCARDONENSES.

Scardonæ ſitus, & celebritas.

SCardona urbs perantiqua, frequens olim atque opulenta, ſita eſt apud lacum, ſive euripum cognominem, in quem Titius e loco declivi magno impetu ſonituque delabitur, & ſuas cum aquis marinis commiſcet; ac deinde duos alios interfluit lacus *Proclianum* & *Sibenicenſem*, quos efficit mare terram irrumpens, fretiſque ſubiens peranguſtis ex altero in alterum, ac tandem in Scardonicum lacum permeat, ibique longè lateque diffunditur. Titius autem per has fauces euripoſque delabitur fluxu adeo celeri rapidoque, ut præter ſalſuginem, quam contrahit ex undis marinis, quibuſcum immiſcetur, fluminis decurrentis ſpeciem ac ſimilitudinem retineat. Naves hiſce faucibus & euripis, Titioque adverſo ſubvectæ Scardonam uſque & ultra perveniunt; id quod Strabo annotavit lib. 7. *Eſt in ea ora fluvius* (ideſt Titius), *quo adverſo ſubvehunt naves uſque ad Dalmatas, & urbes Scardon, & Liburna*, ideſt *Liburnum*, ſive *Burnum*, unde *Burniſtæ* Pliniani. Cum autem Plinius ſcripſit *Scardonam in amne eo* (Titio) *XII. M. P. a mari diſtare*, hujus diſtantiæ initium ſumpſit a mari aperto, in quod Titius infra Sibenicum invehitur, non ab illo ſinu, ſive euripo, cui aſſidet Scardona, quemque lacum Scardonæ vocant, & maritimum eſſe aquarum ſalſugo declarat.

Erat Scardona civitas ad orientem extrema veteris Liburniæ, quam Titius, nunc *Kercha* dictus, a Dalmatia ſejungebat, a Belgrado amplius viginti, a Sibenico circiter decem milliaribus diſtans; eratque una e tribus illis Illyrici maritimi civitatibus, in quibus Prætor Romanus, dum provinciam luſtrabat, conſiſtere, conventus agere, jus dicere, controverſias dirimere ſolebat. Hinc Conventus Scardonitanus frequens ac nobilis, ad quem adſcripti erant Japides ac Liburni; & quatuordecim ipſas Liburnorum civitates juris petendi cauſſa Scardonam ventitaſſe auctor Plinius, quibus adde urbes Japidiæ, & gentes utriuſque regionis, quas Plinius nominatim percenſet. Sub Romanis & Græcis Imperatoribus, commercio, divitiis, civium & advenarum frequentia floruit. Poſt irruptionem clademque Avaricam, quæ Salonas, aliiſque Dalmatiæ civitatibus exitio fuit, a priſtina florentique fortuna defcivit; ac deinde eaſdem ferme rerum publicarum converſiones, ac dominorum mutationes ſubiit, quibus obnoxia fuit reliqua Dalmatia; ſæpe diruta eſt, ſæpe etiam reædificata, ſed nunquam in antiquum ſuæ amplitudinis, atque opulentiæ ſtatum reſtituta. Nunc iiſdem fere veſtigiis ac ruderibus veteris Scardonæ incumbit nova Scardona, in quadam veluti peninſula, quam lacus ejuſdem nominis a ſeptemtrione, oriente, ac meridie circumfluit, civitas exigui circuitus, ſed mœnibus cincta & propugnaculis, ad hoſtiles aggreſſiones ſuſtinendas & repulſandas idoneis.

Antiquitas Epiſcopatus Scardonenſis.

Mihi dubium non eſt, quin Scardona priſcis æræ Chriſtianæ ſæculis, cum & nominis celebritate, & multitudine incolarum, & frequentia tectorum, & copiis opibuſque florebat, digna habita fuerit, in qua ſedes Epiſcopalis conſtitueretur. Et Concilio quidem Salonitano provinciali, quod Honorius III. Metropolita convoca-

vocavit anno 530. interfuit & subscripsit *Constantinus Episcopus Ecclesiæ Scardonitanæ*. In Concilio generali Delmitano, quod habitum est anno 877. Scardona inter urbes Episcopales Metropolitæ Spalatensi subjectas annumeratur, ut diximus in Georgio Archiepiscopo Spalatensi. Præter hæc nullam aliud antiqui Episcopatus Scardonitani vestigium in antiquis monumentis reperire licuit. Itaque posterioribus sæculis Scardona, incertum quo casu, quove infortunio, Sedem Episcopalem amisit, nec vero ante sæculum duodecimum & Belgradum funditus eversum recuperavit. Tunc enim, ut auctor est Archidiaconus, Sedes Belgradensis Scardonam translata fuit: *Cum autem Belgradensis civitas destructa fuisset a Venetis, mutavit* (Episc. Belgrad.) *sedem suam in Scardonam, namque Veneti destruxerunt Belgradum, prope Jadram, civitatem.* Itaque Episcopus Belgradensis cum plerisque civium, post urbem illam excisam, Scardonam migravit, ibique sedem pontificiam Belgrado translatam constituit: quæ quidem translatio a Romano Pontifice, vel certe a Metropolita Spalatensi approbata fuerit necesse est. Ex accessione exulum Belgradensium civitas crevit, atque ut numero incolarum, sic tectis atque ædificiis aucta est. Qui postremus Belgradi, idem primus fuit Episcopus Ecclesiæ Scardonitanæ longo intervallo restitutæ; sed ejus nomen vetustas posteritati præripuit. Huic successit Lampridius anno circiter 1160. Ab hoc series Episcopalis ad nostram usque ætatem perducta hæc est,

Episcopi Scardonenses.

II. Lampridius anno circiter 1160.
III. Michael anno cir. 1178.
IV. Bartholomæus an. cir. 1200.
V. Nicolaus an. cir. 1228.
VI. Bartholomæus II. an. cir. 1240.
VII. Joannes an. 1248.
VIII. Andreas an. cir. 1270.
IX. Galvanus an. cir. 1280.
X. Nicolaus II. an. cir. 1285.
XI. Damianus an. cir. 1300.
XII. Nicolaus III. an. cir. 1315.
XIII. Paullinus an. cir. 1320.
Interregnum Episcopale.
XIV. Andreas II. an. 1325.
XV. Michael II. an. cir. 1350.
XVI. Guillelmus an. cir. 1360.
XVII. Michael III. an. 1363.
XVIII. Franciscus an. 1393.
XIX. Petramustus an. 1410.
XX. Nicolaus IV. an. 1417.
XXI. Petrus an. 1418.
Georgius electus an. 1420.
Interregnum Episcopale.
XXII. Nicolaus V. an. 1426.
XXIII. Joannes II. an. 1428.
XXIV. Jacobus an. 1431.
XXV. Felix an. 1444.
XXVI. Jacobus II. an. 1460.
XXVII. Alexander an. 1463.
XXVIII. Petrus II. an. 1479.
XXIX. Archangelus an. 1491.
XXX. Nicolaus VI. an. 1502.
XXXI. Thomas an. 1519.
XXXII. Joannes III. an. 1524.
Interregnum Episcopale.
XXXIII. N.N. an. . . . .
XXXIV. Antonius an. 1613.
XXXV. Thomas II. an. 1625.
XXXVI. Paullus an. 1642.
Interregnum Episcopale.
XXXVII. Gregorius an. 1698.
Joannes electus an. 1714.
XXXVIII. Matthæus an. 1717.
XXXIX. Nicolaus VII. an. 1721.
XXXX. Vincentius an. 1733.
XXXXI. Antonius II. an. 1754.
XXXXII. Dominicus an. 1759.
XXXXIII. Stephanus Antonius an. 1766.

Principio Ecclesia Scardonitana suam jurisdictionem Episcopalem terminis sane exiguis definiebat: quippe pars major diœcesis Belgradensis sub potestatem Episcopi Jadertini migraverat. Sed eodem sæculo cum confusi essent atque incerti fines diœcesium Provinciæ Spalatensis, Petrus VII. Metropolita Concilium provinciale Spalatum convocavit anno 1185. ut suas cuique diœcesi parœcias assignaret, & suis quamque terminis circumscriberet. Scardonensi hæ regiones attributæ sunt: *Scardonensis Episcopus habeat Scardonam, Briber, Belgrad, cum tota Sidraga. Briber, seu Brebera* una erat ex undecim Zupaniis, in quas Chrobati cisalpinam Chrobatiam teste Porphyrogenito divisserant, sita supra Scardonam ad septemtrionem, qui deinde dictus est Comitatus Briberiensis, unde Comites Briberii, familia Chrobatica principatus amplitudine, summa apud reges Hungariæ gratia, divitiarum copia præpollens. Sidraga una itidem erat ex antiquis Chrobatorum Zupaniis infra Breberam ad meridiem, in qua civitas Belgradi: hanc ademptam esse arbitror Episcopo Jadertino ac restitutam Sedi Belgradensi Scardonam translatæ; huic tamen nullas ex illis, quas antea possidebat, insulas attributas invenio præter Pasmaniam. Itaque diœcesis Scardonitana ex decreto hujus Synodi, in mediterraneis locis potissimum, satis longe lateque patebat, Jadertinæ ac Nonensi ab occasu, Tragurienſi ab oriente ac meridie, Tininiensi ab septemtrione conterminà. Nunc vero post urbem a Venetis e Turcarum servitute redemptam, angustioribus finibus circumscribitur, & circuitu passuum millia fere triginta complectitur: referta est familiis ritus Serbliani, sive Græci, earumque Christianæ institutioni præsunt Calogeri, sive Monachi ejusdem ritus, qui nec levem molestiam exhibent populis ritus Latini, & negotii plurimum Episcopis facessere solent. Tota diœcesis constat e pagis, villis, castellis quinque & quadraginta; habitatur millibus hominum quatuor ac fere trecentis, e quibus dimidio plures in rebus sacris ritu Græco & sermone Slavonico utuntur. Parœcias Catholicas habet omnino quindecim; quarum pleræque ad rem divinam peragendam idioma Slavonicum adhibent, sed cum ritu Romano conjunctum. Harum administratio commissa est Patribus Franciscanis ab observantia cognominatis.

Diœcesis Scardonensis.

Incolæ partim Græci, partim Latini ritus.

Ædes Cathedralis, ut vetus, quam Turcæ diruerunt; sic nova, quæ ex Senatus consulto extructa est publico ærario sumptus contribuente, Deo consecrata fuit in honorem cultumque Beatissimæ Virginis Mariæ; quem quidem titulum e Belgradensi in templum Scardonitanum una cum sede pontificia translatum fuisse existimo. Indigenæ permisti cum advenis Serblianis in urbe habitant, omnes circiter quingenti. Unica est urbana parœcia, cui præfici solet unus de collegio Canonicorum, in eumque omnis Catholicæ plebis institutio, reique Christianæ procura-

Ædes Cathedralis, & Capitulum.

curatio incumbit. Capitulum Scardonenſe antiquitate non inferius, quam Sedes Epiſcopalis fuit, & Belgradenſes Canonicos ſimul cum Epiſcopo Scardonam migraſſe arbitror. Vigebat certe florebatque ſæculo decimo quinto ineunte, ut intelligi poteſt ex tabulis ejuſdem Capituli confectis anno 1304. quas ſuo loco proferemus. Nunc Scardonenſe Capitulum ſex ipſis Canonicis conſtat, quibus loco ac dignitate antecedit Archidiaconus. Poteſtas nominandi Epiſcopi & Archidiaconi conceſſu Romani Pontificis penes Senatum Venetum, jus eligendi Canonicos penes Epiſcopum eſt.

LAMPRIDIUS EP. SCARDONENSIS II.

HUjus nomen ignotuit nobis ex diplomate Stephani III. regis Hungariæ, qui anno 1163. regiæ auctoritatis præſidio communivit quæcumque Archiepiſcopus Spalatenſis & Eccleſia S. Domnii ex liberalitate ac donatione Geyſæ parentis ſui & regum ſuperiorum poſſidebant, in eorumque perpetua poteſtate permanere juſſit *in præſentia Epiſcoporum Rodani Nonen., Lampridii Scardonen. & Dede Chroatien. anno ſecundo regni noſtri, anno Incarnationis Chriſti MCLXIII.* Habes hoc diploma in Petro VI. Archiep. Spalaten. Lampridio, dum præſidebat huic eccleſiæ, controverſia fuit cum fratribus Templariis cœnobii Gregoriani Auranæ, quod cum Svinimirus rex Chrobatiæ & Dalmatiæ donaviſſet Eccleſiæ Romanæ, ut eo tamquam hoſpitio uterentur Legati Sedis Apoſtolicæ, Pontifices Romani Equitibus Templariis attribuerunt, ut diximus in Laurentio Archiepiſcopo Spalatenſi. Id cœnobium erat in diœceſi Epiſcopi Belgradenſis Scardonam translati. Juriſdictioni ac poteſtati Epiſcopali ſubjectum eſſe ajebat Lampridius, negabant Templarii, propterea quia ab omni extraneo dominatu liberum atque immune ſub clientela Romani Pontificis eſſe contendebant. Cauſſa delata eſt ad Sedem Apoſtolicam; Alexander III. litteris datis ad Gerardum Archiep. Spalaten. ſecundum Templarios judicavit.

Lampridius Ep. Item habet de cœnobio Auranenſi S. Gregorii cum Templariis.

Epiſtola de hac Alexandri III. P. ad Gerardum Archiep. Spal.

Alexander ſervus ſervorum Dei Venerabili fratri G. Spalatenſi Archiepiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. In regiſtro patris & prædeceſſoris noſtri Eugenii Papæ annotatum invenimus Demetrium quondam Dalmatiæ Croatiæque ducem monaſterium D. Gregorii, quod Urana vocatur, tempore B. M. Gregorii VII. Prædeceſſoris noſtri Romanæ Eccleſiæ obtuliſſe, cum omnibus mobilibus ſuis, & immobilibus. Unde quoniam inter fratrem noſtrum L. Scardonen. Epiſcopum & dilectos filios militiæ Templi ſuper monaſterio præſcripto controverſia eſt ſuborta, præſertim cum idem Epiſcopus hoc ad ſe jure parochiali ſpectare proponat; fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus jam dictum monaſterium, quemadmodum B. Petro & Eccleſiæ Romanæ fuit a præfato duce oblatum, liberum facias permanere, & memoratos fratres a prælibato Epiſcopo ſuper hoc de cetero moleſtari nequaquam permittas. Tranſcriptum autem illius, quod in ſupraſcripto regiſtro invenimus, tibi præſentibus litteris incluſum tranſmittimus. Datum Beneventi XII. Kalendas Martii, anno videlicet 1169.

Interfuit Concilio Spalatenſi.

Anno 1171. interfuit Concilio Spalatenſi, quod Raymundus Cardinalis de Capella Legatus Sedis Apoſtolicæ indixerat, & cum aliis Epiſcopis Dalmatiæ ſubſcripſit chirographo Raynerii Archiepiſcopi teſtantis ſe litteras Pontificias a Legato accepiſſe; niſi forte hujuſmodi ſubſcriptio referenda ſit ad ſucceſſorem Lampridii; nam in eo chirographo præſens quidem ac teſtis dicitur fuiſſe *Scardonenſis*, ſed ut aliorum præterquam Tinninienſis, ſic hujus Epiſcopi nomen deſideratur: *In præſentia Flaſconis Tinien. Nonen., Scardonen. &c. Epiſcoporum.* Ceterum Lampridii vita & Pontificatus perduci poteſt uſque ad annum 1178. nam ex Harduino de Conciliis anno ſequenti hanc Sedem obtinebat.

MICHAEL EP. SCARDONENSIS III.

Hic quippe cum Raynerio Metropolita Spalatenſi & Matthæo Nonenſi Epiſcopo Romam ſe contulit anno 1179. ad Concilium Lateranenſe III. ejuſque actis ſubſcriptus reperitur *Michael Scardonenſis*. In tabulis Dalmaticis hujus Epiſcopi mentionem iterum ac ſæpius factam invenio. Deſcriptionem diœceſeon provinciæ Spalatenſis ex decreto Synodi provincialis ſancitam anno 1185. approbavit *Michael Scardonenſis*, eique aſſignatæ ſunt hæ *Parochiæ Scardona, Briber, Belgrad, cum tota Sidraga;* ut ſupra dictum eſt. De hoc Concilio in actis Petri VII. Archiep. Spal. Unam itemque alteram ſententiam dixit ſecundum Virgines Jadertinas S. Demetrii. Virgines Belgradenſes S. Thomæ poſt urbem a Venetis everſam receperant ſe Jaderam in cœnobium S. Demetrii; & cum illis quidquid prædiorum & vectigalium poſſidebant intra fines diœceſis Belgradenſis, in jus poteſtatemque monaſterii Demetriani tranſivit. Habebant autem fundos ſane amplos & frugiferos in villa quadam, cui nomen erat Bubniano. De his cum Saracenus & Bruconia litem intuliſſent Bunnæ, ſeu Bonæ Antiſtitæ illius cœnobii, in eoſque invadere conarentur; cauſſa delata eſt ad Michael Scardonenſem Epiſcopum, in cujus diœceſi erant loca, quæ in controverſiam vocabantur. Hic vero, ut e tabulis ejuſdem monaſterii, atque ex idoneis teſtibus rem totam diligenter ac penitus cognoſceret, Jaderam ſe contulit; & cum adverſarii, quos citari juſſerat, ad conſtitutam diem non veniſſent, agros illos fundoſque Antiſtitæ ac Virginibus S. Demetrii adjudicavit; quam quidem ſententiam octavo poſt anno, cum litem redintegraſſent, in eadem urbe confirmavit. Exemplum utriuſque ſententiæ tabulis conſignatum fuit in hæc verba.

Michael Virginibus Belgradenſibus Jaderam ad S. Demetrii translatis agros in Bubniano ſemel atque iterum adjudicavit.

In nomine æterni Dei, anno Incarnationis ejus 1181. menſe Martio, Indictione quarta decima, Jadræ, temporibus D. Thebaldi Vener. Jadren. Archiepiſcopi hoc actum eſt. Ego in Chriſti nomine Michael Scardonen. Epiſcopus, reſidentibus mecum magnifico Marino Raguſino, Nicolao S. Petri Plebano, Draſe & Martino Capellanis meis, Rainerio Quinqueccleſienſi, magnifico Laurentio, Purce, Bratonia Sacerdotibus, Votchania judice, Nicolao Molcac, Dimitrio Sclavo, Petro Sloradi Conſule, Blanculino, Domachia, Strechia, & Gaudio Mutagange, Lampredio, Vitaze, ac Botta; quod jam in mea præſentia actum fuerat, intimare curavi. Quippe cum non minus ſit peccatum veritatem tacere, quam proferre mendacium; venit equidem Petriz filius Michaelis Pance, Sanctorum Dimitrii Martyris & Thomæ Apoſtoli advocatus reſpondere pro eiſdem eccleſiis de quibuſdam terris, quæ ſunt in loco, qui dicitur Bubniani, quas moliebantur invadere Saracenus

filius

filius Beſſianni, & Bruconia; præfati vero Saracenus & Bruconia in noſtra præſentia poſiti poſt litis conteſtationem inducias poſtularunt . . . . . ad cauſæ deciſionem illis terminum primum, ſecundum, tertium, quartum, & quintum præfiximus, conſideratis temporibus, & ambarum partium opportunitatibus; audito quod apud Jadram Farcaſius Palatinus Comes Domini mei regis Ungariæ, & cum eo Flaſconus Tinien. Epiſcopus, & Machareuſius Comes, & plures nobiles viri Sclavoniæ eſſent, ad illos pergere ſtudui, in quorum præſentia, & mea, & ad quorum collaudationem volens quod ratio ita definiri deberetur; prædictos Saracenum & Bruconiam citavimus, habito, & dato illis ultimo termino, ut ad litem conteſtandam, ſi de cauſa conſiderent, accederent reſponſuri; ſin vero, ſententiæ non lucrarentur examen. Ipſi vero non venientes, juſta neceſſitatis præcedentis cauſa ſublata, nobis dandæ ſententiæ præſtiterunt opportunitatem. Nos itaque inſtrumenta, teſtes, atque allegationes prædictorum Sanctorum ſufficientes eſſe cernentes, de conſilio omnium aſtantium, Epiſcopi, & Comitum, pro eccleſia Sanctorum Dimitrii & Thomæ, ſententiæ corroborationem noſtra auctoritate firmavimus, terram a prædictis Saraceno & Bruconia invaſam jure perpetuo ad eccleſiam Beatorum Dimitrii Martyris & Thomæ Apoſtoli reverti debere ſecundum regulam canonum & civilis juris, & ad ultimum per ſoliditatem Preſtaldi nobilis viri, Draſſenni Juppani filii Sloviniæ, Dominam Bonam prædicti monaſterii Abbatiſſam in poſſeſſione prædictarum terrarum ponere fecimus, & eas perpetuo jure poſſidendas dedimus. Hanc utique ſententiam de mandato prædicti Michaelis Scardonenſis Epiſcopi ſcripſi ego Matthæus S. Anaſtaſiæ Subdiaconus, & Jadræ tabellio, ut audivi, roboravi, & ſolito ſigno ſignavi.

Anno ab Incarnatione Domini 1189. menſe Maii die 2. aſtante Indictione ſeptima, temporibus equidem Domini noſtri Belæ glorioſiſſimi regis Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæque, & Galaciæ, & Macarii curialis Comitis ejus, vice Bani, ac Petri Salonitanæ Sedis Archiepiſcopi. Cum ego ſiquidem Michael Sanctæ Scardonenſis Eccleſiæ Epiſcopus ad jam dictum Comitem Macarium viſendum Jadram perrexiſſem, & totius mei Epiſcopatus jura pro juribus ventilando definiſſem; Bruconia cum filiis in mea multorumque aliorum præſentia, quos inferius dicemus, ſua nobis inſinuatione monſtrabat, quod tu Bunna S. Dimitrii Abbatiſſa cum tuo conventu quædam territoria ejus in Bubniano & in campeſtribus deorſum poſita per violentiam retinebas; tu vero e contra taliter reſpondebas, quod de cetero ſuper hoc reſpondere non deberes, eo quod annis a multis retroactis pro eadem cauſa ſteteras, & Draſſennum filium Sloviniæ Preſtaldum tali tenore ſuſceperas, quod ad primum, & ſecundum, tertium ac quartum, & uſque ad quintum terminum præfatus Bruconia cum filiis citatus fuerat, & venire contempſerat: auditis gratis utriſque partibus, & recordans, quod omnia, quæ tu Abbatiſſa dixeras, vera erant, tibi præfatæ Abbatiſſæ & tuis poſteris Abbatiſſis prænotata territoria cum omnibus terminis & pertinentiis ſuis habere & perpetuo poſſidere per ſententiam adjudicavimus; tibique præfatum Draſſennum ad noſtri judicii confirmationem dedimus, ipſe vero vice ſui Toliſium Tugomivik ſuper eamdem cauſam conſtituit. Acta ſunt quidem hæc & definita coram Damiano Comite Jadræ, Dimitrio Sclavo, & Petronio Cucilæ judicibus, Micha Strigulæ, Boricio Michaelis, Michael Subbæ, Nicolao Segerlatti, Gregorio Cilumbuli; de Sclavis autem fuerunt hi, Vilzarius filius Goyſæ, Milonia cum filio de genere Chriſclza, & multi alii, coram quibus præfata territoria circumventa & terminata fuerunt. Et ego Blaſius S. Anaſtaſiæ Diaconus, Jadertinæ civitatis notarius a præfato Epiſcopo Scardonenſi rogatus, hanc definitionis & protectionis cartulam, ut audivi, ſcripſi, roboravi, & ſolito ſigno ſignavi.

Judex a Cæleſtino III. datus Canonicis Spalaten.

Extat epiſtola Cæleſtini III. anno 1196. ad *Scardonen.* & *Tinien.* Epiſcopos, quam inſeruimus actis Petri VIII. Metropol. Spalaten. Jubentur litem dirimere a Canonicis Archiepiſcopo illatam de quarta parte decimarum, quam Capitulo deberi, attribuique oportere contendebant. Anno 1197. Spalatum ad comitia Archiepiſcopalia ſe contulit *M. Scardonen.* Sed cum de ſucceſſore ejuſdem Petri VIII. deligendo Epiſcoporum ſuffragia inter ſe diſcreparent, neque in unum convenire poſſent, re infecta cum aliis diſceſſit. Vide §. Petri VIII. actis ſubjectum. Anno 1198. cum Andreas dux Dalmatiæ &c. *confirmavit B. Domnio capellam S. Moyſi & S. Stephani in Salona*, præſens ac teſtis adfuit cum aliis Epiſcopis provincialibus *Michael Scardonenſis*. Vide §. modo laudatum.

Jubetur ſubeſſe Archiepiſcopo Jadertino.

Antiſtes Jadertinus, cum ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ ante annos circiter quadraginta titulo ac dignitate Archiepiſcopali auctus fuiſſet, juriſdictionis metropoliticæ fines amplificare cupiens, fictis & commentitiis rationibus Henrico Hungariæ regi ſuadere conatus eſt Eccleſiam Scardonitanam ad provinciam Jadrenſem pertinere. Vellet igitur ac juberet, ut Michael Scardonenſis Epiſcopus ſubjectum ſe Archiepiſcopo Jadertino atque obedientem præberet. Extat epiſtola Henrici regis ad Michaelem, quam hic ſubjicio.

Henricus Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæque rex M. Scardonenſi Epiſcopo ſalutem & gratiam.

Diſcretioni tuæ diſtricte præcipimus, ut ad civitatem Jadertinam viſis litteris accedas, & Archiepiſcopatus privilegium diligenter perſcrutando, in omnibus, ſicut in ejuſdem privilegii tenore Epiſcopatum tuum Archiepiſcopatui Jadertino ſubditum eſſe legeris, fideli noſtro Archiepiſcopo Jadertino debitæ ſubjectionis officium patienter & diligenter impendas, & univerſis ejus ſucceſſoribus.

Hanc epiſtolam, cum notis chronologicis careat, ſcriptam fuiſſe arbitror anno 1198. biennio fere poſtquam Belæ III. parenti Henricus in regnum Hungariæ ſucceſſerat. Cum per eos dies Spalatina Sedes vacaret, Capitulum Spalatenſe cauſſam ac defenſionem ſuæ Metropolis ſuſcepit, Jadertini conatus infregit, cujus poſtulatum nullis tabulis, nullo jure, nulla conſuetudine niti per ſuos nuncios ac litteras regi declaravit. Henricus igitur regium mandatum revocavit; & epiſtolam plenam officii ac benevolentiæ ad Capitulum reſcripſit, quam exhibuimus eodem paragrapho ſubjecto actis Petri VIII. Archiepiſcopi.

Ad Michaelem pertinet epiſtola Innocentii III. inſcripta Tininienſi & Scardonenſi Epiſcopis, itemque cœnobiarchæ Tragurienſi S. Joannis; quæ data eſt Laterani IV. Id. Julii anno 2. Pontificatus, ideſt æræ vulgaris 1199. Nicolaus Epiſcopus Phariæ in Sedem Jadertinam injuſſu Romani

mani Pontificis invaſerat, & in ejus locum Pharienſes Micham Canonicum Spalatenſem populari ſuffragio ſubſtituerant. De re utraque Pontifex quæſtionem inſtitui jubet, & quæ comperta fuerint ad ſe referri. Initium epiſtolæ Innocentianæ eſt ejuſmodi: *Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ven. fratribus Tinien. & Scardon. Epiſcopis, & dilecto filio Ab. Tragurien. ſal. & Apoſtolicam benedict.* Hæc epiſtola cum ad Eccleſias Jadrenſem & Pharienſem pertineat, alterutrius hiſtoriæ reſervanda eſt.

Theodorus Ep. Sareanenſis ſubſcriptus Concilio Diocletano non Scardonenſis, ſed Sorbienſis fuit.

Concilio provinciali, quod in Dalmatia ſuperiori habitum eſt anno 1199. ex mandato Innocentii III. præſidentibus duobus Legatis Apoſtolicis, poſt Joannem Antibarenſem, ſive Diocletanum Archiepiſcopum, alioſque ejuſdem provinciæ Epiſcopos, poſtremo loco ſubſcriptus reperitur in collectione Veneta Labbeana *Theodorus Epiſcopus Sareanenſis*. Joannes Harduinus legendum putat *Theodorus Scardonenſis Epiſcopus*; quam lectionem confirmat index ejuſdem collectionis Labbeanæ: *Theodorus Sareanenſis, pro Scardonenſis*. Sed hanc lectionem reſpuit metropolis & provincia Diocletana, ſive Antibarenſis, ad quam non pertinebat Eccleſia Scardonenſis, neque hujus Epiſcopo ad eam Synodum aditus eſſe poterat. Legendum itaque *Theodorus Sorbienſis Epiſcopus*, ut eſt in meis ſchedulis mſs. Is quippe ex epiſtola Alexandri II. ſuberat Metropolitæ Antibarenſi, ſive Diocletano. Quare nihil eſt, cur hic Theodorus in catalogum Antiſtitum Scardonenſium recipi debeat. Michaeli autem proxime in hanc Sedem Epiſcopalem ſucceſſit

BARTHOLOMÆUS EP. SCARD. IV.

Sæculo decimo tertio ineunte ad hanc Eccleſiam regendam acceſſit. Erat patria Jadertinus; conſecrationem Epiſcopalem ſimul cum Joanne electo Nonenſi ſuſcepit a Bernardo Metropolita Spalatenſi. Sed cum utrique deeſſet tum ætas matura, tum ſcientia neceſſaria ad munus Epiſcopale ſuſtinendum ac regendum; Innocentii III. reprehenſionem, atque animadverſionem canonicam, qui eos conſecravit, effugere non potuit. His duobus Epiſcopis quid pœnæ eccleſiaſticæ inflictum fuerit, incompertum eſt: neutrum certe Pontifex Epiſcopatu movit. *Ordinavit autem Bernardus uno die Joannem nepotem Cutilæ Nonenſem Epiſcopum, & Bartholomæum nepotem Titionis in Epiſcopum Scardonenſem. Hi ambo erant Jadrenſes; nec ſatis legitime in eorum fuerat promotione proceſſum; quippe in ætate & ſcientia non modicum patiebantur defectum. Unde quia Bernardus non qua debuit circumſpectione ad eorum examinationem proceſſit, nimiſque feſtinanter eis manus impoſuit, non ſibi ceſſit impune. Nam delatus ad Summum Pontificem canonica fuit animadverſione punitus.* Hæc Archidiaconus cap. xxv.

Bartholomæus Ep. eccleſiæ S. Petri cum cœnobio SS. Coſmæ & Damiani conjunctionem confirmat.

Valerius de Ponte Archidiaconus Jadrenſis de Bartholomæo mentionem fecit his verbis: *Cum eccleſia S. Petri Bubgnanæ eſſet diœceſis Belgradenſis, cujus Sedes Epiſcopalis Scardonam translata fuit poſt everſionem Belgradi; ideo Bartholomæus Epiſcopus Scardonenſis unionem illius eccleſiæ cum monaſterio SS. Coſmæ ac Damiani confirmavit anno* 1207. Quod ut planius intelligi poſſit, res paullo altius repetenda eſt. Anno 1202. cum Veneti Jaderam, quæ jampridem ad reges Hungariæ defecerat, & ſæpius ad imperium revocata redire noluerat, expugnatam captamque mœnibus nudaſſent, ac pleraque ædificia privata & publica demoliti eſſent; Virgines S. Demetrii partim cum Viola Antiſtita in Arbam inſulam ac civitatem tranſvectæ receperunt ſe in monaſterium S. Andreæ, partim vero ad eccleſiam S. Petri de Bubniano, domumque illam campeſtrem commigrarunt, quæ ad monaſterium S. Demetrii pertinebat. Jadrenſes poſt exactos Venetos, & patriam recuperatam, cum nulla ſpes eſſet reſtituendi cœnobii Demetriani, eccleſiam illam grati animi ergo donarunt Dominico Abbati SS. Coſmæ ac Damiani: *quoniam*, ut ipſi ajunt in tabulis donationis, *noſtræ deſolationis tempore, vos & monaſterium veſtrum agnovimus nobis profligatis fore aſylum pariter & auxilium*. Hanc donationem Viola Antiſtita Jaderam reverſa, ac recepta in monaſterium Benedictinum Jadrenſe S. Mariæ, confirmavit. Ceteræ Virgines Demetrianæ, quæ ad S. Petri de Bubniano confugerant, cum ſumma rerum omnium inopia & multis ac magnis incommodis conflictarentur, ejuſdem Dominici Abbatis opem & auxilium implorarunt. Hic illarum vicem miſeratus non ſolum in præſens earum egeſtati ſubvenit, ſed etiam pollicitus eſt nihil eiſdem in poſterum, quoad viverent, ab ſe & ſuo monaſterio defuturum, ſive ad victum, ſive ad cultum & veſtitum: *Suſcepit nos*, inquiunt, *in conſortio fraternitatis ſuæ, firmiter nobis pollicens in vita noſtra tam in victualibus, quam & indumentis, ſeu in omnibus neceſſariis, prout ſororibus ſuis, velut meliori e fratribus monaſterii providere &c.* Hanc tam benignam & beneficam erga ſe voluntatem remunerari cupientes eccleſiam S. Petri de Bubniano, de conſenſu illorum, qui eam condiderant, cum omnibus vineis ac prædiis eidem annexis Dominico cœnobiarchæ & monachis SS. Coſmæ & Damiani perpetuo poſſidendam tradiderunt, *præſente Domino Bartholomæo Scardonenſe Epiſcopo;* qui donationem, & conjunctionem illius eccleſiæ cum illo cœnobio Benedictino approbavit anno 1207. idque teſtatum eſſe voluit hoc diplomate Epiſcopali.

Diploma Bartholomæi.

Bartholomæus divina diſpoſitione Scardonenſis Epiſcopus licet indignus Dominico Abbati S. Damiani de monte, dilecto in Chriſto fratri, & per te tuis Catholicis ſucceſſoribus in perpetuum. Dignum itaque & conſentaneum omni rationi eſt omnibus, maxime eccleſiarum prælatis, monaſteria & loca Dei fovere, manutenere, & omni modo conſulere, ac vota, quæ rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente implere. Ea propter, dilecte in Domino frater, tuis juſtis poſtulationibus gratum præbentes aſſenſum, eccleſiam S. Petri de Bubniano, quæ voluntate & aſſenſu fundatorum ejus, quorum nomina inferius ſcripta ſunt, tibi & tuo monaſterio cum omnibus ſuis pertinentiis ſubpoſita & tradita eſt, auctoritate noſtra damus, & confirmamus, ſtatuentes præſentis ſcripti firmitate, ut nulli omnino hominum de prædicta eccleſia te, vel ipſum monaſterium, & ſucceſſores tuos aliqua doloſitate, vel violentia liceat perturbare, moleſtari, vel inquietare. Quicumque igitur fuerit ille cujuſcumque ordinis, ſeu conditionis, qui prædictum monaſterium S. Damiani de prædicta eccleſia, & omnibus ſuis pertinentiis, & tuos quoque ſucceſſores fatigare præſumpſerit, iratum habeat Deum Patrem omnipotentem, & Jeſum Chriſtum filium ejus ac Spiritum ſanctum ab utroque procedentem;

tem ; conſervatoribus autem ſit pax D. N. Jeſu Chriſti , & vita potiantur æterna . Hæc omnia per nos ſtatuta & completa ſunt traditione Sloviniæ filii Boricii, & Grubeſſe fratris ejus, Radoslavi , & Dragoslavi filiorum Stephani, Yrace Binboli filii Tolliſſi, Jurgii filii Redoſci, Nicule & Prodanizi filiorum Dominici Guſſikiorum, prædictæ eccleſiæ fundatorum; præſentibus Mirgo & Deſſidrago, Stojanno, Negoſſo, Dragovano presbyteris, Duymo, Mogorowikio, Tattaro, Chleunanino, Choddimero, Caciclo, Juttroſo &c. Scripta ſunt hæc omnia & firmata a Vitale S. Petri veteris plebano & Jadertino notario, feſto S. Benedicti Abbatis, quæ eſt XII. Kal. Aprilis, anno Incarnationis D. N. Jeſu Chriſti 1207. Indictione decima, tempore Domini Innocentii Papæ Tertii, regnante vero Andrea Tertii Belæ regis filio, Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæque rege feliciter.

Bartholomæus Eccleſiæ Scardonenſi præfuit uſque ad annum fere 1228. neque enim ante hoc tempus ſucceſſor illi datus eſt

NICOLAUS EP. SCARDONENSIS V.

Erat Canonicus Eccleſiæ Spalatenſis , ut docet *Memoria Archiep. Salonit. & Spalaten. Eccleſiæ;* quem conſecratum fuiſſe a Guncello Metropolita teſtes ſunt Thomas Archidiaconus , Anonymus Acutheanus in catalogo Antiſt. Spalatenſium, itemque Michael Pharienſis, & Treguanus Tragurienſis Epiſcopi, Cataldus Archidiaconus Spalatenſis . Ex hujus poſtremi teſtimonio colligitur conſecrationem Nicolai referendam eſſe ad annum hujus ſæculi vel 28. vel 29. Cataldus quippe non ultra biennium nomen *Archidiaconi electi* ſuſtinuit : hujus quippe electionem ut Guncellus approbaret , adduci nunquam potuit: huic e vivis erepto ſucceſſit anno 1230. ipſemet Thomas ſcriptor hiſtoriæ Salonitanæ : *Erat autem Cataldus jam ætate grandævus , nec toto peracto biennio mortis debitum ſolvit . . . . . Anno Domini MCCXXX. vacante Archidiaconatu Capitulum & univerſus clerus in ſumma concordia elegerunt Thomam Canonicum in Archidiaconum ſuum.* Ex cap. XXVII. & XXXIII. hiſtoriæ Salonit. Guncello hæſitanti ac dubitanti eſſetne ſatis duorum Epiſcoporum præſentia ac miniſterium ad novum Epiſcopum Scardonenſem rite initiandum, præſto adfuerunt duo illi Epiſcopi ſupra laudati, & Cataldus Archidiaconus electus , qui omnem dubitationem eximerent . Horum teſtificationes deſcriptæ ſunt in Actis Guncelli Archiepiſcopi.

Cum de quibuſdam prædiis in agro Rogovitano controverſia eſſet inter Fratres Templarios Auranæ & Rupertum Abbatem SS. Coſmæ ac Damiani , ad eam dirimendam arbitrum ſumpſere Guncellum , qui ſecundum Abbatem & monachos ſententiam dixit, ſuæque ſententiæ teſtem atque approbatorem eſſe voluit *Nicolaum Epiſcopum Scardonenſem . Viros*, inquit Guncellus, *eccleſiaſticos , & ſpirituales convocavimus N. Scardonen. Epiſcop., B. Archipresbyterum de Birberio &c. Anno Domini* 1229. *Indict.* 3. *menſ. Decembris*. Hæc in Actis Guncelli.

BARTHOLOMÆUS II. EP. SCARD. VI.

Huic quoque conſecrationem Epiſcopalem impertiit Guncellus Archiepiſcopus , ut eſt apud Archidiaconum : *Conſecravit Nicolaum Scardonenſem , quo defuncto alium ibidem conſecravit Epiſcopum nomine Bartholomæum. Fuerunt autem ambo iſti de civitate Spalatenſi aſſumpti* . Guncellus e vita migravit anno 1242. Itaque ante hunc Bartholomæus regimen eccleſiæ Scardonitanæ ſuſcepit . Elucebat in eo ſingularis rerum omnium humanarum deſpicientia , exquiſita doctrina , flagrans in Deum & in proximum caritas . Anno 1247. ut docet Archidiaconus , cum tribus aliis Epiſcopis ſuffraganeis Hugrinum electum Metropolitam Spalatenſem pontificia conſecratione inauguravit . Cum Hugrinus Philippum Epiſcopum Senienſem Lugdunum in Galliam miſiſſet ad Innocentium IV. pallii pontificalis petendi cauſſa , Pontifex Bartholomæo munus pallii Hugrino imponendi , honoris ergo decrevit ; ad quem una cum pallio litteras miſit , quos in Hugrino deſcripſimus.

Bartholomæus poſtquam Epiſcopatum cum inſtituto Franciſcano commutaret , pallium Hugrino Arch. Spal. impoſuit.

Sed antequam Epiſcopus Senienſis cum pallio & litteris pontificiis Spalatum perveniſſet , Bartholomæus , dimiſſo Epiſcopatu , ut ſibi uni ac Deo vacaret, ad Patres Franciſcanos de obſervantia tranſierat , vitæque monaſticæ ſe addixerat. Cum Epiſcopalem characterem retineret , rite ac legitimæ pallium Archiepiſcopo tradere , & Pontificis mandata exſequi potuit ; quibus perfunctus ſtatim ſe ad cœnobium retulit . *Reverſus eſt Epiſcopus* , ait Archidiaconus , *palliumque tradidit ex mandato Apoſtolico in manibus Bartholomæi Scardonenſis Epiſcopi , eidem Archiepiſcopo aſſignandum . Idem tamen Epiſcopus licet jam relicto ſæculo Fratrum minorum religionem intraſſet , vocatus tamen Spalatum venit , pallioque , ut ei mandatum fuerat , Hugrinum Archiepiſcopum inveſtivit*. Erat in provincia Breberienſi , quæ ad diœceſim Scardonitanam pertinebat , non incelebre monaſterium ordinis Franciſcani , quod non multis annis poſt obitum S. Franciſci Comites Breberienſes fundaverant. In eo vitam religioſam Bartholomæum profeſſum fuiſſe arbitror , quam ad normam Franciſcanæ diſciplinæ ad extremum uſque ſpiritum ſanctiſſime tranſegit . Anno 1267. adhuc vivebat ; quippe quem nominatum invenio in proœmio cujuſdam actus & ſententiæ judicialis , quam eodem anno Joannes Metropolita Spalatenſis Sibenici promulgari juſſit ; hic ſiquidem Archipresbyterum ejus oppidi , duos Abbates , tres presbyteros , alioſque inferiorum ordinum clericos , quibus digni erant , pœnis affecit : *Coram eccleſia ſenioribus , videlicet venerabilibus fratribus , Epiſcopo Tragurienſi ejuſdem loci diœceſano , & Epiſcopo Pharenſi, & fratre Bartholomæo quondam Epiſcopo Scardonenſi &c.*

JOANNES EP. SCARDONENSIS VII.

Joannes Ep. Scardonen. electus Arch. Spalat. ſed non admiſſus a Pontifice.

E ſanctiſſima Divi Dominici ſodalitate aſſumptus eſt evectuſque ad Sedem Scardonenſem, de quo Archidiaconus c. 48. *In his diebus* (anno 1248.) *contigit quemdam fratrem Joannem natione Hungarum de ordine Prædicatorum eligi in Epiſcopum Scardonenſem , qui præſentatus Archiepiſcopo* (Hugrino) *in illis tunc partibus exiſtenti , confirmationem ab eo ſuſcepit , ſecumque duxit ad Metropolitanam Eccleſiam conſecrandum . Miſitque & vocavit ſuffraganeos , cum quibus eadem erat conſecratio celebranda . Eo autem temporis articulo infelix Hugrinus gravi languore corripitur , & ingraveſcente paullatim morbi fervore XI. die ad extrema pervenit . . . Suffraganei , qui ad conſecrandum Scardonenſem Epiſcopum*

pum convenerant, ejuſdem Archiepiſcopi exequias celebrarunt; & frater Joannes, qui in Epiſcopum venerat conſecrari, per electionem unanimem in Archiepiſcopum extitit poſtulatus.

Sed Innocentius IV. Spalatenſium Legatorum poſtulatione rejecta, & Joannis electione reſciſſa, Rogerium virum ſingulari doctrina præditum Spalatenſibus Archiepiſcopum dedit. Joannes ergo ad ſuam eccleſiam reverſus, biennio poſt ab Rogerio, qui Spalatum venit an. 1250. pontificiam conſecrationem ſuſcepit. Per ea tempora clero Sibenicenſi cum Treguano Epiſcopo multæ & graves contentiones fuerunt, de quibus alio loco, fervebantque in dies vehementius. Pontifex per litteras Anagniæ datas v. Id. Julii Joannem Scardonenſem Epiſcopum & Archiepiſcopum Jadrenſem judices conſtituit, ut de quibus inter utroſque controverſia erat, rite cognoſcerent, ac ſententiam ferrent; vel ſi alterutra pars nollet eorum judicio ſtare, terminum utriſque præfinirent, intra quem Sedem Apoſtolicam vel per ſe, vel per ſuos procuratores cauſſam dicturi accederent. Epiſtolam Innocentianam habes in hiſtoria Sibenicenſis Eccleſiæ.

Judex præpoſitus controverſiæ dirimendæ, quæ Epiſc. Tragurienſi erat cum clero Sibenicenſi.

Tragurienſes ſoli quod ſatis eſſet ad cœnobium ac templum ædificandum in ſuburbio Patribus Dominicanis aſſignaverant. Columbanus Epiſcopus Tragurienſis cum obſtaret, Clemens IV. anno 1265. Joanni Epiſcopo Scardonenſi per litteras mandavit, ut fratrum ſuorum cauſſam apud Epiſcopum tuendam ſuſciperet. Hæ litteræ pertinent ad eccleſiam Tragurienſem. Nec fruſtra operam ſuam interpoſuit; nam paullo poſt Dominicana familia Tragurium ingenti omnium ordinum lætitia & gratulatione recepta eſt. Poſtquam aliquot annos ſumma totius civitatis approbatione eccleſiam illam gubernaſſet, moriens non ſolum virtutis ac bonitatis ſuæ triſte deſiderium, ſed etiam cupiditatem alios atque alios Epiſcopos nanciſcendi ex eadem omnium virtutum ſchola, ex qua ille prodierat, Scardonenſium animis infixam reliquit. Itaque ex eodem Prædicatorum ordine deſumptus eſt

ANDREAS EP. SCARDONENSIS VIII.

Inſignis Theologiæ magiſter tum eruditione, tum probitate conſpicuus, qui graviſſimo Sacræ Inquiſitionis munere per id temporis Jaderæ fungebatur, ut docent tabulæ Jadrenſes. Sub Andrea Epiſcopo cœnobium Dominicanum Scardonæ fundatum fuiſſe arbitror, cujus mentio reperitur in antiquis monumentis; ſed nunc non extat, neſcio quo fato, quove tempore ſublatum. Ad ejuſdem Epiſcopatum referenda cenſeo initia monaſterii Virginum S. Clárae, quod extra urbis mœnia conditum fuiſſe dicitur a Stanislava ſorore Pauli Comitis de Breberio, ſub titulo ac patrocinio S. Eliſabethæ filiæ Andreæ II. regis Hungariæ, quæ cum ad ſodalitatem earumdem Virginum aggregari voluiſſet, vitam duxit omnibus ſanctimoniæ notis inſignem. Illam Gregorius IX. Divarum catalogo adſcripſerat. Dynaſtæ Breberienſes per ea tempora copiis opibuſque pollebant, ac fere dominabantur in Dalmatia. Erant quinque fratres, quibus Ladislavus rex Hungariæ ſummam rerum omnium gerendarum poteſtatem permiſerat. Ex his erat Paullus Chrobatiæ idem ac Dalmatiæ Banus. Hujus ergo ſoror Stanislava habuit a fratre, unde monaſterium Scardonenſe ædificaret ac dotaret, optimiſque vectigalibus inſtrueret; in quo ipſa quoque Franciſcanum habitum ſumpſit, Deoque ſe in perpetuum devovit. De hoc monaſterio paullo poſt iterum mentionem fieri oportebit. Neuter annus, vel a quo initium duxerit, vel in quem deſierit Epiſcopatus Andreæ, compertus mihi eſt.

Collegium Virginum S. Clarae in ſuburbio fundavit Stanislava ſoror Pauli Bani.

GALVANUS EP. SCARDONENSIS IX.

Hic tertius eſt Epiſcopus ex ordine S. Dominici delectus ad Eccleſiam Scardonitanam regendam. Ejus mentionem perhonorificam fecit Cavallerius in eo libro Italico, qui inſcribitur *Galleria de' PP. Predicatori*. Idem tamen Cavallerius & alii ſcriptores hiſtoriæ Dominicanæ tradunt fuiſſe illum quidem a Martino IV. qui anno 1281. ſublectus eſt Nicolao III. in Sede Scardonenſi confirmatum, ſed poſtea graviſſimo anathemate perculſum anno 1284. III. Id. Aprilis, propterea quod compertum fuit Galvanum a cœnobio ad Sedem Epiſcopalem injuſſu præſidum ſuorum tranſiiſſe; id quod decreta Pontificum vetabant. An vero etiam ſacerdotio in perpetuum privatus fuerit, juſſuſque ad priſtinum religioſæ vitæ inſtitutum redire, mihi non liquet.

NICOLAUS II. EP. SCARDONENSIS X.

Extat objurgatoria epiſtola Joannis V. Metropolitæ Spalatenſis ad Nicolaum Epiſcopum Scardonenſem data anno 1293. Dum acerrima illa & diuturna contentio fervebat inter Tragurienſes & Sibenicenſes, quod hi jamdudum molirentur eccleſiam ſuam juriſdictioni Tragurienſis Epiſcopi ſubducere; nullus per ea tempora fuit, qui Epiſcopi operam & officia Sibenicenſibus præſtaret; nullus qui novos clericos initiaret, vel jam initiatos ad ſuperiores ordines promoveret; nullus denique qui plebem Chriſtianam ſacro chriſmate inungeret; nam Leonardus Faletrus, quem Sibenicenſes elegerant in Epiſcopum, neque confirmatus fuerat, & conſecrationis Epiſcopalis expers erat. Sibenicenſes ergo rogarunt Nicolaum Epiſcopum Scardonenſem, ut Epiſcopi vicem ſuppleret. Sibenicenſium poſtulatis cum ille per ſummam imprudentiam paruiſſet; dignum ſe præbuit, quem Joannes Metropolita jure ac merito reprehenderet ob violatam juriſdictionem Epiſcopi Tragurienſis; ac de interdicto nuperrimi concilii provincialis admonitum abſterruit, ne quid tale in poſterum auderet. Hæc paullo diſtinctius & fuſius in actis Joannis Metropolitæ, ubi hujus ad Nicolaum epiſtolam deſcriptam reperies. De Nicolao II. Ep. Scardonen. nihil præterea memoriæ proditum eſt.

DAMIANUS EP. SCARDONENSIS XI.

Hunc Valerius a Ponte Archidiaconus Jadertinus & alii anteponunt Nicolao II. decepti nota chronologica ſubjecta quibuſdam tabulis Capituli Scardonenſis, in quibus nominatur *Damianus Epiſc. Scardonen.*, quam quidem notam vitiatam eſſe deinde oſtendam. Scardonenſes ut ſe graviſſimis oneribus, operibuſque ſervilibus eximerent, quæ Paullus Banus Chrobatiæ & Dalmatiæ impoſuerat, pacti fuerant duo millia librarum ſingulis annis eidem perſolvenda; & pro portoriis & vectigalibus, quæ pro ſingulis rebus, quæcumque venirent, exigebat, libellas annuas omnino ad ſexcentas; itemque quaternas

naviculas lignis onuſtas, quater quoque anno, ſtatiſque diebus contribuendas monaſterio S. Eliſabethæ, in quo Stanislava ſoror Bani vitam religioſam degebat. Hæc acta ſunt & confirmata coram Damiano Epiſcopo ejuſque Canonicis. Capitulum vero hujus conventionis tabulas confici, ſuumque iiſdem & civitatis ſignum imprimi juſſit.

Tabulæ cujuſdam conventionis inter Scardonenſes & Paullum Banum confectæ a Capitulo Scardon.

Nos Capitulum univerſum cathed. eccleſiæ B. M. Virginis de Scardona, ſignificantes memoriæ commendamus univerſis, quibus expedit, præſentem paginam inſpecturis, quod accedentes ad noſtram præſentiam viri nobiles cives Scardonæ, videlicet Lubavac filius q. Bartoduzzi, Coſmar & Michael filii q. Dobroſii cognomento Tuardouh, Pribinus & Boſanus, Berislavus, Dominicus, Laurentius, & Zane pro parte ſua, ſuorumque civium omnium Scardonæ, pro parte vero altera V. Nob. nomine Purchio q. Stroimiri in perſona D. Bani Paulli, tamquam per pactum pro eo quod dictæ civitatis cives tenebantur ad caſtrum Scardonæ in quibuſdam ſervitiis, videlicet vigilias ſeu cuſtodias ſervare, vineas & terras colere, & aquam portare, onera & alia ſervitia conſueta facere; his & aliis cupientes abſolvi, & eſſe liberi, & frui libertatibus civilibus, convenerunt cum prafato D. Bano, & ſe obligaverunt eidem annuatim & in perpetuum ſolvere duo millia librarum; & pro pedagio portarum civitatis ejuſdem, pro piſcaria, pro macello, & pro arboragio porti, & pro tranſitu barcarei lib. 600. Ven. par. Item iidem VV. NN. obligaverunt ſe in perpetuum facere conducere monaſterio S. Elijabeth, ubi degit Stanislava ſanctimonialis ſoror dicti D. Paulli Bani, & hoc neceſſitate ipſarum dominarum, & capellanorum earumdem, de lignis quatuor vicibus in anno, in feſtivitatibus videlicet omnium Sanctorum, in nativitate Domini, in Carniſprivio, & Penteceſte, omni vice quatuor barchas, vulgariter dictas Baſtaſſizas; hoc tamen, facta ſatisfactione prius dicta civit. civibus, videl. Vuladislavo filio Petri, Stoyslavo, & Lucæ filiorum q. Berizzi, & Comiti per a. D. Paullum Banum pro quibuſdam territoriis, ſylvis, & campis, pratis, aquis, & aquarum conductibus, quas idem cives & communitas Scardonæ vendiderunt d. D. Paullo Bano & conſorti ſuæ D. Urſæ Baniſtæ pro tribus M. lib. & 141. quorum quidem territoriorum venditorum per dictos cives & Comitem ſunt termini, ſive confines . . . . & deſcendunt ad fluvium Karca vulgariter vocata, prout continetur in litteris ſeu inſtrumentis confectis ſuper factum præfatæ venditionis, & annuatim deviciant debitum ſuum ſive obligationem duo Mil. & 600. lib. quitando, donec fiat ſatis pro utraque parte; quod ſi aliud dicti cives ſecus fecerint, vel eſſent auſi contraire dictæ compoſitioni, ſe obligaverunt duplum ſolvere, & ad priſtina ſervitia redire; præſentibus videlicet Rev. in Chriſto Pat. & DD. Damiano Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Scardonen. nec non & viris nobb. ſcilicet Comite Neliptio filio q. Georgii, & Comite Budislavo Corbavien. filio q. Curiaci, & aliis quampluribus ad hoc vocatis ad noſtrum ſecretarium; in cujus rei teſtimonium præſentes juſſimus per noſtrum notarium in carta publica redigi, redactum ſigillo Capituli noſtri prætacti una cum ſigillo communitatis Scardonæ, munimine ſub appenſione conſignari. Datum Scardonæ cathed. eccleſiæ. A. Nat. 1284. Indict. 2. Pontif. Bened. PP. die 11. men. Februarii.

Annus 1284. neque cum Indictione II. neque cum Pontificatu Benedicti XI. congruit, ſed cum Indictione XII. & anno tertio Martini IV. Cohærent autem inter ſe Indictio ſecunda, & annus primus ejuſdem Benedicti; utrique vero reſpondet annus æræ vulgaris 1304. ad quem tabulas illas referri neceſſe eſt. Numeri annorum vitiati culpam librario attribuendam cenſeo, qui notas illas arithmeticas ob vetuſtatem cariolas & ſemeſas, dum interpretari volebat, fœdum in modum depravavit. Ex his autem tabulis colligitur Damianum ſæculo decimo quarto ineunte Eccleſiæ Scardonenſi præfuiſſe. His temporibus prope a cœnobio S. Eliſabethæ Urſa Baniſta, ideſt uxor Paulli Bani, eccleſiam S. Joannis Baptiſtæ ædificavit, eidemque domicilium adjungere decreverat ac tradere Patribus Franciſcanis de obſervantia, qui curam ſacrarum Virginum proximi collegii ſuſciperent, eiſque divina ſacramenta miniſtrarent. Interea Paullus Banus mortuus eſt, ut tradit Micha Madius cap. vi. *Anno 1312. menſe Maji Paullus Banus Nob. Croat. obiit ad Chriſtum; & Mladinus ejus filius in Banum ordinatur.* Nec multo poſt Urſa quoque vidua Paulli morte prærepta ædem quidem S. Joannis abſolutam reliquit, cœnobium vero ſi non perfectum, certe inchoatum. Illud Mladinus utriuſque filius perfecit, tradiditque Patribus Franciſcanis.

Urſa Paulli Bani uxor eccleſiam S. Joannis ædificavit,

De jure percipiendi decimas ex agris, quos monachi SS. Coſmæ & Damiani poſſidebant in diœceſi Scardonenſi, litem habuit Damianus cum Joanne Abbate. Cauſſa delata eſt an. 1308. ad Franciſcum Cardinalem Gentilem, qui tunc Legati Pontificii munere in Hungaria & Dalmatia fungebatur, actaque fuit coram ejuſdem auditore Philippo de Sardinia, ut docent tabulæ archivi Apoſtolici Avenionenſis: *Die undecima menſis Auguſti 1308. Pontificatus Clementis V. anno tertio, proceſſura facta coram D. Philippo de Sardinea auditore generali Reverendiſſimi D. Franciſci Gentilis Dei gratia tituli S. Martini in montibus Presbyteri Cardinalis, ad inſtantiam Venerabilis in Chriſto Patris Epiſcopi Scardonenſis, contra religioſum virum fratrem Joannem Abbatem monaſterii SS. Coſmæ & Damiani de monte Jadren. diœceſis, ad effectum conſequendi collectam, ſeu decimas, quas dicto Epiſcopo debet ſolvere pro terris, poſſeſſionibus, & eccleſiis, quas dictus Abbas & dictum monaſterium habent in diœceſi Scardonen.*

NICOLAUS III. EP. SCARDON. XII.

De quo nihil extat in tabulis Dalmaticis, niſi quædam ejus teſtificatio, quam Joannes Lucius refert ad annum 1319. & monumentis Tragurienſibus interuit lib. 3. cap. 8. *Frater Nicolaus Epiſcopus Scardonæ cum ſacramento expoſuit, quod Marinus Andreæ nobilior & potentior inter cives Trag. occidit cum comitiva ſua notarium communis, & vulneravit duos de Conſulibus, propter quod commoti omnes nobiles & ignobiles fecerunt Matthæum Zori primo Capitaneum & Rectorem &c.* Hoc eodem anno Joannes XXII. poteſtatem fecit Patribus Franciſcanis recipiendi eccleſiam S. Joannis ab Urſa uxore Paulli Bani exſtructam & a Mladino illis traditam, itemque monaſterii ibidem ædificandi, ut ſcriptum eſt in tabulis Avenionenſibus: *Facultas miniſtro & FF. Min. de Sclavonia recipiendi eccleſiam S. Joannis Scardonen. diœceſis per uxorem quon-*

quæ per Mladinum filium tradita fuit Patribus Franciſcanis Joanne XXII. P. approbante.

quondam Paulli Bani . . . ædificatam , & per nob. virum Mladinum ipſis FF. oblatam ; ibique ponendi conventum. Dat. Avenione XII. Cal. Julii , anno Pontif. Joannis 3. qui congruit cum anno Chriſti 1319. Extat epiſtola ejuſdem Pontificis , eodem anno dieque ſcripta , in qua non ſolum eccleſiam , ſed etiam cœnobium a Mladino exædificatum recipiendi facultatem iiſdem Patribus dedit .

Sacræ Religionis veſtræ merita , ſub qua virtutum omnium Domino militantes , vobis per vitæ meritum , & aliis proficitis per exemplum , inſtanter expoſcunt , ut petitionibus veſtris favorabiliter annuamus . Sane petitio veſtra nobis exhibita continebat , quod dilectus filius nob. vir Banus Maladinus zelo piæ devotionis inductus conventum fratrum veſtri ordinis in eccleſia S. Joannis diœc. Scardonenſis , quam quondam legitima tunc uxor quondam Paulli Bani , dicti Bani Maladini uxor ad hoc ipſum cum quibuſdam ædificiis eccleſiæ prædictæ adjunctis ædificare curavit , cupit habere , ubi majeſtas Altiſſimi collaudetur ; ac propterea eccleſiam ipſam accipiendi , & ponendi conventum fratrum veſtri ordinis ſupradicti , vobis largiri licentiam a nobis ſupplicite poſtulatis . Nos igitur qui piis votis fidelium libenter annuimus , eaque , quantum nobis ex alto permittitur , favorabiliter exaudimus , veſtris ſupplicationibus inclinati recipiendi ipſam eccleſiam cum ædificiis ſupradictis , & ibidem conventum fratrum prædictorum ponendi , prout videbitis expedire , non obſtante Conſtitutione felicis recordationis Bonifacii Pp. VIII. prædeceſſoris noſtri in contrarium edita , vobis concedimus facultatem ſine juris præjudicio alieni. Nulli ergo &c. Dat. Avenione 12. Cal. Julii , anno 3. ideſt ut ſupra anno Chriſti 1319.

Nec vero dubium eſſe videtur , quin ad hanc facultatem Patribus Franciſcanis impetrandam , eorum precibus ſuas quoque adjunxerit Nicolaus Epiſcopus ; erat quippe ex eadem Franciſcana , vel certe Dominicana familia , ut *Fratris* titulus eidem in tabulis ſupra laudatis appoſitus declarat . Eodem anno 1319. vel proximo ineunte Nicolaus e vita deceſſit.

PAULLINUS EP. SCARDON. XIII.

Nobiliſſima ſtirpe & antiquiſſima ortus , haud minus virtutum , quam generis ſplendore Sedem Scardonitanam nobilitavit. Gens Draſcovitia divitiarum affluentia , virorum inſignium copia , magiſtratuum & rerum geſtarum gloria in primis inter principes Chrobatiæ familias floruit . Hanc Comes Gualdus Prioratus e Dynaſtis ſive Comitibus Tinninii propagatam tradit in eo libro Italico , quo vita & facta præclara illuſtrium virorum complexus eſt , quemque anno 1674. Viennæ in Auſtria ex typographia Michaelis Turnmayer emiſit. Omnes nominatim percenſet Banos , Duces , Epiſcopos , Cardinales , qui e domo Draſcovitia prodierunt. In his Paullinum noſtrum numerat , quem ob ſingularem vitæ innocentiam , doctrinam exquiſitam , & virtutes eximias ad Sedem Scardonenſem evectum fuiſſe affirmat. In hoc tamen erravit Prioratus , quod initia ejus Epiſcopatus conjunxit cum an. 1311. anno ſiquidem 1319. vergente nondum e vita & ſede pontificali deceſſerat Nicolaus III., qui proxime ante Paullinum Eccleſiæ Scardonitanæ præfuit.

Suſcepto igitur hujus eccleſiæ regimine ita ſe geſſit , ut omnes optimi Præſulis partes plene cumulateque expleverit . Erat in eo flagrans divini cultus augendi ſtudium , ſollicita Chriſtianæ inſtitutionis cura , effuſa in egenos liberalitas , invictum animi robur ad bona & jura eccleſiæ ſeu tuenda , ſeu vindicanda. Inexplebilis avaritia , ſuperbia , & arrogantia Mladini Bani Dalmatiæ & Chrobatiæ , ac nimiarum opum potentia in apertam tyrannidem deſciverat . Ejus immania & tyrannica facta commemoravit , acrique oratione perſtrinxit Micha Madius , videlicet acerbiſſimas exactiones tributorum , proventus eccleſiarum interverſos , vim puellis , alieniſque uxoribus illatam , poſſeſſiones avitis dominis ereptas , cædes nobilium virorum ; & alia hujuſmodi prorſus iniqua , nefaria , crudelia , quæ vel ipſe , vel ejus adminiſtri rectoreſque civitatum impune committebant . Cum eadem moliri cœpiſſet contra eccleſiam & urbem Scardonæ , quæ civitas erat in poteſtate Comitum Breberienſium ; Paullinus Epiſcopus immanibus & ſacrilegis cœptis conſtanter & libere ſe oppoſuit , paratus , ſi res poſceret , tamquam bonus paſtor , *animam ſuam dare pro ovibus ſuis* , & pro eccleſiæ ſuæ defenſione ; nec dubitavit graviſſimis verbis hominem reprehendere humani divinique juris violatorem , ſua illi flagitia exprobrare , cæleſtis iræ terrorem incutere , ac denunciare execrationes pœnaſque eccleſiaſticas , niſi ab impiis & ſceleratis conatibus deſiſteret . Moleſtum & acrem reprehenſorem , ſuæque effrenatæ cupiditatis hoſtem ac vindicem cum Mladinus pati non poſſet , primum occultis inſidiis in eum graſſari ſtatuit , deinde palam & aperte ſanctiſſimum virum de medio tollere decrevit . Itaque immiſſis ſatellitibus comprehendi , & in carcerem detrudi juſſit : poſtquam nec minis , neque pollicitationibus conſtantiam ejus infringi poſſe animadvertit , filium Marci fratris ſui , hominem indole ac moribus patruo ſimilem , audacemque ad omne facinus , ſicarium & carnificem ad cædem illam ſacrilegam adhibuit . *Eodem anno* (ut eſt apud Micham Madium cap. 26.) *Paullinus Epiſcopus Scardonenſis a filio Marci de Birberio fuit mortuus gladio* . Paullinum pro tuenda eccleſiæ libertate atque immunitate glorioſam mortem oppetiiſſe , & ejuſdem generis martyrio , quo S. Thomas Cantuarienſis & S. Raynerius Spalatenſis Archiepiſcopi , perfunctum eſſe , communis opinio fuit. Sacrilegi hujus parricidii atrocitate perculſa cohorruit univerſa Dalmatia ; & pleræque civitates tam impium & immane facinus execratæ , ſimulque Mladini & ejus fratris Georgii Bani maritimi tyrannidem exoſæ , Banalis imperii depellendi concilium cœperunt , & pleræque ſub Venetorum imperium tranſiere . Nec vero Mladinus execrandi ſacrilegii pœnam omnem effugere potuit. Cum enim Carolus rex Hungariæ in Dalmatiam veniſſet , Mladinum in vincula conjici juſſit , vinctumque in Hungariam abduxit , unde nunquam rediit in Dalmatiam , ut docet Micha Madius cap. XIX. Joannes Tomcus Marnavitius in vita S. Auguſtini Epiſcopi Zagrabienſis auctor eſt Carolum veniſſe in Dalmatiam , ut ſacrilegam necem Paullino illatam ulciſceretur : *Rex Carolus venit cum exercitu prope civitatem Tinninienſem vindicaturus indignam necem perpetratam parricidio & ſacrilegio nepotis Bani Mladini in caput Paullini Draſcovich Scardonenſis Epiſcopi* . Ceterum ne Mladinum , quo dignus erat , extremo ſupplicio afficeret , Caro-

Paullini contra Mladini Bani impios conatus fortitudo & conſtantia.

Mors glorioſa.

dum prohibuit recordatio veterum beneficiorum, quæ a Dynaſtis Breberienſibus acceperat : hos ſiquidem non ſolum fautores, ſed etiam adjutores ad regnum Hungariæ & Dalmatiæ adipiſcendum ſibi fuiſſe memminerat.

Micha Madius mortem Paullini anno 1328. per errorem affixit; nam ante biennium Andreas Paullini ſucceſſor Sedem Scardonenſem obtinebat, & Mladinum ejus interfectorem intra finem anni 1322. omni dignitate ac poteſtate ſpoliatum Carolus rex in Hungariam abduxit. Itaque Paullinus huic eccleſiæ ne duos quidem annos præfuit; ejus vero mors cum anno altero & viceſimo ſæculi decimi quarti colliganda eſſe videtur.

ANDREAS II. EP. SCARDON. XIV.

Interregnum Epiſcopale.

Poſt obitum Paullini quatuor ferme anni interceſſerunt, antequam Andreas in ejus locum ſuccederet. Ea quippe conſecuta ſunt tempora Scardonenſibus calamitoſa, ut Epiſcopi eligendi neque facultatem, neque voluntatem illis relinquerent. Tragurienſes ſiquidem & Sibenicenſes ſociali fœdere inter ſe juncti, & auxiliis Venetorum adjuti, quorum ſe in fidem & clientelam contulerant, Mladino & Georgio ejus fratri bellum intulere; huic Almiſſam, illi Scardonam de improviſo adorti eripuerunt; utramque urbem direptam ferro & igni vaſtarunt. *Tragurienſes & Sibenicenſes*, ait Madius, *cum galeis Venetorum, & ſtipendiariis per ipſos Venetos conceſſis, una nocte de Tragurio exeuntes Almiſſium & Scardonam ceperunt, aerobantes, & comburentes domos, res, & homines, atque barcas & ligna, quæ erant ibi, ducentes ſecum Tragurium & Sibenicum cum magna victoria.* Urbis direptio & domorum incenſio ad publica & privata damna reſarcienda cogitationes omnes curaſque Scardonenſium converterat, ut de Antiſtite vel eligendo, vel a Sede Apoſtolica poſtulando, vix cogitandi, nedum deliberandi ſpatium haberent. Duobus vel tribus annis interjectis, quod temporis ſatis eſſe potuit ad res communes & privatas utcumque reſtituendas, demum ex antiquo more indicta ſunt comitia Epiſcopalia; & fere cunctis Capituli ſuffragiis renunciatus eſt Epiſcopus Vitus Lucas de Spingarolis Canonicus Scardonenſis. Sed cum per legatos Avenionem miſſos ab Joanne XXII. petiiſſent, ut Sacerdotii Vito collati auctor atque approbator fieri vellet; Pontifex illius electionem irritam eſſe declaravit; quippe jampridem jus conferendi Epiſcopatus, ubicumque terrarum vacarent, Capitulis ademptum ad Sedem Apoſtolicam avocaverat. Quare *Andream Cantorem* Eccleſiæ Agrienſis in Hungaria Epiſcopum Scardonenſibus dedit. Hic fortaſſis Avenione apud Curiam Pontificiam rationes & negotia Capituli Agrienſis tunc procurabat, in quo *Cantoris* nomen ac dignitatem obtinebat : quæ quidem dignitas in quibuſdam Capitulis perhonorifica eſt, & vel primum inter Canonicos, vel ſecundum, vel certe huic proximum locum tenet.

Vitus Lucas de Spingarolis electus Epiſcopus rejicitur.

Andream Ep. Scardonenſibus dedit Joannes XXII. P.

Andreas igitur anno 1325. Epiſcopus rite inauguratus, cum litteris teſtibus ſuſceptæ conſecrationis Epiſcopalis, Avenione diſceſſit, & intra finem ejuſdem anni Scardonam pervenit. Hæc e tabulis Avenionenſibus, in quas pro *Agrienſi Agyenſem* neſcio quam eccleſiam librarii culpa irrepſiſſe invenies : *Promotio Andreæ Cantoris Eccleſiæ Agyen. ad Epiſcopatum Scardonen. per obitum Paullini apud Sedem Apoſtolicam prævia reſervatione vacantem, caſſata prius electione contra dictam reſervationem facta favore Viti Lucæ de Spingarolis Canonici Scardonenſis, cum teſtimonialibus conſecrationis ejuſdem Andreæ. Dat. Aven. Nonis Julii, Anno Joannis Pp. 4.* qui congruit cum anno Chriſti 1325.

Andream ſæpe nominatum invenio in tabulis Dalmaticis. Anno 1332. cum Dominicus Archiepiſcopus Spalatenſis quoddam privilegium Svinimiri regis Chrobatiæ Laurentio Archiepiſcopo & Eccleſiæ Spalatenſi conceſſum anno 1076. e formula juris recognoſci, & cum autographo conferri voluiſſet, tres Epiſcopos præſentes ac teſtes adhibuit, & publici ſcribæ teſtificationem firmari & ſubſcribi juſſit chirographo *Archangeli Dei gratia Tinnien. Epiſcopi, Andreæ Scardonen. Epiſcopi, Bernardi Segnien. Epiſcopi*. Anno 1337. ex mandato & auctoritate Benedicti XII. Pontificis exemit impedimento canonico, cui ſuberant, Joannem filium Georgii & Catharinam ſororem Mladini Comitum Breberienſium, quarto conſanguinitatis gradu inter ſe conjunctos, ut rite ac legitime alter alteram in matrimonium duceret : quo quidem matrimonio ſedari poſſe videbantur exitiales quædam diſcordiæ, unde mala plurima & graviſſima orta cum eſſent, plura etiam & graviora impendebant : *Mandatum Epiſcopo Scardonenſi quatenus ſuper quarto conſanguinitatis gradu diſpenſet in matrimonio ad ſedandum graves guerras, ex quibus villarum & caſtrorum ſubverſio, homicidia, & talia mala plurima ſunt ſequuta, contrahendo inter nobilem virum Joannem Georgii Buberio Comitem Cliſſiæ Scardonen. diœceſis & Catharinam ſororem nobilis viri Mladini Scardonæ Comitis. Dat. Avenione 13. Kal. Febr. Anno Benedicti XIII. Pp. 3.* qui congruit cum anno Chriſti 1337. Ex Tomo X. Archivi Apoſtolici Avenionenſis. Joannes Lucius arbori genealogicæ Dynaſtarum Breberienſium neque Joannem, neque Catharinam inſeruit. In hac arbore inſertos invenio quatuor Georgios : *Georgium I. Comitem Almiſſi, Trag., & Siben.* 1282. *Georgium II.* (filium Paulli I.) *Comitem Almiſſi & civitatum maritimarum* 1292. & 1298. *Dalmatiæ* 1303. 1319. 1326. *mortuum* 1332. *Georgium III.* (filium Paulli II. fratris Georgii II.) & *Georgium IV.* (filium Georgii II.) quatuor itidem Mladinos; Mladinum I. (fratrem Georgii I.) *Comitem Trag.* 1276. *Com. Spal.* 1282. *Mladinum II.* (filium Paulli I. fratrem Georgii I.) *Banum maritimum* 1282. *Ban. Boſnæ* 1292. *Comitem Jadræ, Principem Dalmatiæ & ſecundum Banum Boſnæ* 1311. a quo interfectus fuit Paullinus Epiſcopus Scardonenſis anno 1321. *Mladinum III.* (filium Georgii II.) *Com. Scardonæ* 1303. *Com. Cliſſi* 1333. *Mladinum IV.* (Mladini III. filium). Ut igitur *Joannes filius Georgii de Buberio a Catharina filia Mladini*, quam in matrimonium duxit, quarto conſanguinitatis gradu diſtet; hæc quidem ſoror Mladini IV. ille filius fuerit neceſſe eſt Georgii I. quem liberis carentem exhibet arbor Luciana. In eodem mandato pontificio per errorem videtur attributus eſſe Joanni *Comitatus Cliſſiæ in diœceſi Scardonenſi;* nam Mladinus III. temporibus illis non Scardonam modo, ſed etiam Cliſſam obtinebat, ut docent tabulæ Dalmaticæ; nec vero Cliſſa unquam ad diœceſim Scardonenſem pertinuit, quæ ab ea longiſſime abeſt, atque intra

Mandata Pontificia Andreæ impoſita.

tra fines diœceſis Spalatenſis includitur. Vero propius eſſe arbitror, pro *Cliſſia* ſubſtituendum aliquod caſtellum ſive oppidum Scardonenſis diœceſis, quod Joanni filio Georgii I. hæreditario jure obvenerat. Idcirco autem Mladinus IV. frater Catharinæ vocatur *Comes Scardonæ*, quia Mladinus III. parens filium, hæredem utriuſque oppidi futurum, titulo *Comitis Scardonæ* honoris cauſſa impertierat, vel etiam ipſum oppidum eidem jam donaverat.

Sub idem tempus alterum a Benedicto XII. mandatum accepit, quod illi ſimul cum Archiepiſcopo Jadertino & Epiſcopo Nonenſi exequendum erat. Siquidem hi tres Antiſtites jubebantur inquirere & canonicis pœnis animadvertere in quemdam F. Joannem ex cœtu Fratrum hoſpitalium S. Joannis Hieroſolymitani, qui multa de rebus cœnobii furatus cum eſſet, habitu monachali dimiſſo profugerat, ſeque ſacrilegis nuptiis illigaverat. *Dat. &c. Avenione III. Id. April. an. Benedicti Pp. XII. tertio.*

Pacem compoſuit inter Com. Tinninii & Com. Oſtrovitiæ.

Neliptius Comes Tinninii & Conſtantinus Joannis fratris Neliptii filius bellum acre gerebant cum Paullo Breberienſi Comite Oſtrovitiæ & Mladino III. filio Georgii fratris Paulli Comite Cliſſenſi. Ad pacem inter utroſque conciliandam plurimum valuiſſe arbitror auctoritatem operamque Andreæ Epiſcopi Scardonenſis, in cujus diœceſi erat caſtellum Oſtrovitiæ; nam pax anno 1337. IV. Nonas Aprilis compoſita eſt in quadam valle ejuſdem diœceſis Scardonenſis coram Andrea Epiſcopo, & pacis conditiones perſcriptæ ſunt, inter quas illa præcipua fuit, ut Neliptius Oſtrovitiam Paullo ademptam reſtitueret. In tabulis pactionum primo loco nominatur *Andreas Muſculus Epiſcopus Scardonenſis*, ex quo intelligitur illi cognomen fuiſſe *Muſculo*: atque ita cognominatum invenio in catalogo Antiſtitum Scardonenſium, quem Valerius a Ponte Archidiaconus Jadrenſis confecit. Anno 1344. interfuit Concilio provinciali, quod Spalatum convocavit Dominicus Archiepiſcopus. Ex decreto Concilii cum quatuor aliis Epiſcopis conſtitutus eſt judex ad cognoſcendam cauſſam Valentini Macarenſis Epiſcopi, qui Metropolitæ mandatis obtemperare, & citatus ad Synodum adeſſe noluerat.

Dum Andreas Eccleſiæ Scardonenſi fortaſſe adhuc præſidebat, civitas cum arce eidem impoſita, conſentientibus Lelea vidua Mladini III. & matre Mladini IV. hujuſque patruo Paullo, aut venditione, aut permutatione in poteſtatem Venetorum pervenit. Miſſus eſt qui urbi præeſſet, in eaque ſtationem ſuam collocaret Laurentius Celſus Præfectus militiæ equeſtris. Hic cum decreviſſet an. 1356. cives in avitam bonorum ſuorum poſſeſſionem, unde ſuperiorum temporum acerbitate depulſi fuerant, reſtituere; dubium eſſe non poteſt, quin Andreæ Epiſcopi auctoritate & hortatione impulſus eccleſiis etiam, quæ olim per Mladinum II. ablata fuerant, reddi jufſerit. Edictum Celſi extat apud Joannem Lucium lib. 5. cap. 2. Haud multo poſt Andreas moriens Sedem Scardonenſem vacuam reliquit, niſi forte aliquot annis ante Laurentianum edictum e vita deceſſerit. Valerius a Ponte duos ejuſdem nominis Epiſcopos Scardonæ, quorum alter alteri ſucceſſit, ſuo catalogo intexuit, *Andream de Muſculo*, & *Andream de Venetiis*. Si uterque retinendus eſt, in duos diſtribui oportet, quæ nos in unum contulimus.

MICHAEL II. EP. SCARDONEN. XV.

Nulla monumenta ſuperſunt, ex quibus dignoſci poſſit annus, quo inierit, vel quo Scardonenſem Epiſcopatum depoſuerit. Hanc eccleſiam regebat anno 1358. id quod declarat diploma Ludovici regis Hungariæ, quo privilegia regum ſuperiorum conceſſa Eccleſiæ Tragurienſi confirmantur, confectum anno 1358. III. Nonas Septembris. Huic enim cum aliis Præſulibus Hungariæ & Dalmatiæ nomen ſuum & ſubſcriptionem appoſuit *Michael Scardonen.* Anno ſuperiori, cum Veneti ut pacem a Ludovico rege Hungariæ impetrarent, totius Dalmatiæ poſſeſſione decediſſent, Scardona ſub ejuſdem imperium tranſivit. De Michael nihil habeo præterea quod ſcribam. Regali privilegio, quod Ludovicus Virginibus S. Claræ conceſſit anno 1360. ſubſcripſit *Frater Michael Scardon.* Ex *Fratris* prænomine colligitur, eum ex aliqua religioſa familia deſumptum fuiſſe.

GUILLELMUS EP. SCARDON. XVI.

Quem fere omnes Scriptores hiſtoriæ Dominicanæ tradunt e ſuo cœtu delectum fuiſſe ad regendam Eccleſiam Scardonenſem, quamvis abſit a catalogo Valerii a Ponte. Anno 1361. IX. Kal. Septembris Jaderæ in eccleſia Patrum ſui Ordinis, altare maximum, itemque alia duo minora, permiſſu Archiepiſcopi Jadrenſis conſecravit; eiſque indulgentiam quadraginta dierum affixit, quas perciperent qui ſacra confeſſione expiati ea pie caſteque viſerent illis diebus, quos ipſe conſtituit, vel eidem eccleſiæ aliquid ſubſidii conferrent. Litteræ conſecrationis teſtes hæ ſunt.

Jadræ in eccleſia ſui Ordinis tres aras conſecravit.

F. Guillelmus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Scardonenſis Epiſcopus. Univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem, & æternæ ſalutis memoriam in omnium Salvatore. Digne agere credimus, ſi Chriſti fideles ad exercendum opera pietatis & devotionis inducimus, & ſpiritualibus muneribus excitamus. Cupientes igitur ut eccleſia conventus religioſorum virorum noſtrorum fratrum Ordinis Prædicatorum in civitate Jadra, apud quos de licentia reverendiſſimi in Chriſto Patris ac Domini Dom. Nicolai miſeratione divina & Sedis Apoſtolicæ gratia Archiepiſcopi Jadrenſis, altare majus, quod eſt in eccleſia ipſorum noſtrorum fratrum, ad honorem B. Dominici Patris & fundatoris prædicti Ordinis noſtri & B. Platonis Mart. & aliud, quod eſt in latere dextero in ingreſſu ipſius chori excluſive, ad honorem SS. Apoſtolorum ſcilicet Thomæ & Bartholomæi, & aliud ad honorem S. Andreæ Apoſtoli in latere ſiniſtro conſecravimus, a Chriſti fidelibus, dum divina ibi officia celebrantur, devote viſitetur & frequentetur perpetuis temporibus, ad honorem Dei, qui glorioſus eſt in Sanctis ſuis, & ad laudem & venerationem prædictorum Sanctorum, ob reverentiam quorum prædicta altaria conſecravimus, & ut Chriſti fideles eo libentius ad illam confluant, quo majori dono cæleſtis gratiæ conſpexerint ſe refectos; de Omnipotentis Dei miſericordia, & B. Petri & Paulli Apoſtolorum auctoritate confiſi, omnibus bene pœnitentibus & confeſſis, qui eccleſiam dicti conventus antedictorum noſtrorum fratrum Ord. Prædicatorum in feſtivitatibus prædictorum Sanctorum . . . altaria, ut prædiximus, conſecra-

erata, & per eorum octavam devote viſitaverint annuatim, vel ejuſdem eccleſiæ fabricæ & ſuſtentationi manus ſuas porrexerint adjutrices, auctoritate Epiſcopali, & de licentia prædicti Domini Archiepiſcopi Jadrenſis 40. dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus. In quorum omnium teſtimonium litteras noſtras ſigillo noſtro &c. Dat. Jadræ XXIX. die Auguſti, Pontif. Sanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini Innocentii divina miſeratione Papæ ſexti anno IX.

Transfertur ad Eccleſiam Capritanam.

Guillelmus biennio poſt, ideſt anno 1363. Eccleſiæ Scardonenſi nuncium remiſit, quem Urbanus V. inſulæ Caprearum in regno Neapolitano Epiſcopum præfecit; de quo Ferdinandus Ughellus in Epiſcopis Capritanis provinciæ Amalphitanæ: *Guillelmus Epiſcopus Scardonenſis ad hanc Capritanam Eccleſiam translatus ab Urbano V. anno 1363. Non. Novembris, ſub quo condi cœptum eſt cœnobium S. Jacobi Carthuſianorum.*

MICHAEL III. EP. SCARDON. XVII.

Hujus Epiſcopatum Valerius a Ponte uſque in annum tertium & nonageſimum hujus ſæculi perduxit. Anno 1367. Ludovicus rex Hungariæ ad Comitia generalia non Dynaſtas & proceres ſolum, ſed etiam Epiſcopos tum Hungariæ, tum Dalmatiæ Budam convocavit; his interfuiſſe legitur *Michael Scardonen.* An. 1378. cum eccleſiam & urbem Scardonenſem Præfecti regii acerbiſſimis exactionibus oppreſſam tenerent, Michael Epiſcopus & primores civitatis ab Ludovico rege reſcriptum impetrarunt, quo privilegiis atque immunitatibus tum eccleſiæ, tum urbis cavetur. *Dat. Budæ 12. Febr. an. 1378.* Cum rex Ludovicus diem obiiſſet anno 1382. Maria ejus filia, hæres regnorum Hungariæ & Dalmatiæ, biennio poſt privilegium Spalatenſibus conceſſit, in quo præſens ac teſtis nominatur *Michael Scardonen.* itemque in decreto, quod anno 1388. ſecundum Spalatenſes fecit Sigiſmundus rex Hungariæ & Dalmatiæ, poſtquam Mariam in regnum paternum reſtitutam, ex quo a perduellibus dejecta & in cuſtodiam tradita fuerat, ſibi jampridem a parente deſponſam in tori ac regni ſocietatem recepit. Scardonenſes eximium ſuæ adverſus regem ac reginam fidei documentum dederunt; quippe contra hoſtes utriuſque fœdus cum Spalatenſibus & Sibenicenſibus fecere: cujus præclari fœderis auctorem fuiſſe arbitror Michaelem Epiſcopum; quo præſente & approbante hujuſmodi fœdus ictum eſt, ac leges fœderis præſcriptæ *in eccleſia B. Virginis Cathedralis Scardonæ. An. nativ. Domini* 1388. *Indict. XI. die Martis, 6. Octobris.* Duo Ludovici privilegia, alterum an. 1373. alterum an. 1379. & unum Sigiſmundi an. 1388. ſubſcripſit *Michael Scardon.*

FRANCISCUS EP. SCARDON. XVIII.

Sacerdotium S. Joannis collatum Bartholomæo Canonico Tinninienſi confirmavit diplomate.

Cujus initium Epiſcopale Valerius a Ponte confert in annum 1393. *Fratris* titulus Franciſco præpoſitus indicio eſt eum ex Dominicana, vel Franciſcana familia deſumptum fuiſſe eveſtumque ad Sedem Scardonenſem. Anno 1397. nominatus eſt in privilegio Sigiſmundi ſecundum Eccleſiam Strigonienſem. Comites Hugrinovichii ex illuſtri ſtirpe Comitum Breberienſium orti, horumque hæredes, Bartholomæum Canonicum Tinninienſem jure patronatus elegerant ac nominaverant Parochum eccleſiæ S. Joannis in oppido Breberio diœceſis Scardonenſis. Hanc nominationem & Sacerdotium Thomæ collatum Franciſcus Epiſcopus confirmavit diplomate in hæc verba confecto.

F. Franciſcus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Scardonenſis dilecto filio in Chriſto presbytero Bartholomæo quondam Thomæ de Poſega Canonico Tinienſi in Chriſto ſalutem æternam. Cum dilecti filii nobis in Chriſto Gregorius quondam Georgii Hugrinich & nepotes ſui filii quondam Nicolai, Joannes filius Petri, Michael filius Marchones Brincich, & Petrus Obradich, ac omnes alii de genere Brebich de Berberio noſtra Scardonenſis diœceſis vacante eccleſia S. Joannis de Berberio, cui cura nominetur animarum per mortem presbyteri Guſchi immediate plebani dictæ eccleſiæ S. Joannis, tamquam jus patronatus habentes in dicta eccleſia te concorditer in ipſius eccleſiæ S. Joannis plebanum & rectorem elegerunt, ac nobis te ſic electum confirmandum per eorum litteras præſentaverunt. Nos vero attendentes ne propter diutinam vacationem dicta eccleſia detrimentum patiatur ut paſtore deſtituta, attendentes confirmationem hujuſmodi de dicta eccleſia ad nos ſpectare & ſucceſſores noſtros in perpetuum, conſideranies in te ſcientiæ probitatem vitæ ac morum honeſtate plurimum vigere commendatas, volentesque tibi gratiam facere ſpecialem præmiſſo edicto cum terminis a juribus præfixis, nec non juramento recepto a te in forma juris conſueta de fidelitate & obedientia nobis & noſtræ Eccleſiæ Scardonenſi ac noſtris ſucceſſoribus debita & debenda, electionem & præſentationem præfatas hujuſmodi de te celebratas & factas auctoritate noſtra ordinariæ poteſtatis tenore præſentium confirmamus, teque perſonaliter coram nobis genuflexum inveſtientes per noſtrum annulum de prædictis plebanum & rectorem dictæ eccleſiæ S. Joannis de Berberio auctoritate noſtra facimus, conſtituimus, & ordinamus, dantes eodem tenore tibi auctoritatem, ac plenam & liberam adminiſtrationem in ſpiritualibus & temporalibus in & de dicta eccleſia, prout ſicut alii prædeceſſores plebani in eadem habere conſueverant in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Et ut præſentes hujuſmodi confirmationes, & inſtitutiones, & ordinationes ſuum debitum ſortiantur effectum, præſentium tenore mandamus Venerabili viro Nicolao Santa noſtro in ſpiritualibus vicario generali, quatenus te de prædicta eccleſia S. Joannis cum omnibus ſuis juribus quibuſcumque te, vel tuum procuratorem in poſſeſſionem corporalem inducat ac inductum conſervet amodo inde quolibet alio . . . de tempore, faciatque tibi de omnibus fructibus, præſentibus reditibus, & obvenientibus quibuſcumque dictæ eccleſiæ ab omnibus effectualiter reſponderi, contradictores & rebellos auctoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam compeſcendo. Tu autem onus impoſitum . . . pertractare, ut apud Deum gratiam & gloriam merearis, & apud nos effectualiter ſis merito commendat . . . teſtimonium & cautelam præſentes fieri fecimus, Pontificatuſque noſtri ſigilli appenſione juſſimus communiri . . . . noſtræ ad præſens habitationes . . . Conventum Fratrum Prædicatorum die ultimo Februarii Anni . . . duodecimæ Indictionis.

Decimas quarumdam villarum, de quibus controverſia erat inter Franciſcum & Lucam Archiepiſcopum Capitulumque Jadertinum, Allamanus Archiepiſcopus Tarentinus, idemque Vicarius

carius Angeli Presbyteri Cardinalis Legati Apostolici in partibus Dalmatiæ & Hungariæ adjudicaverat Jadrensi Archiepiscopo & Capitulo. Ab hujus sententia Franciscus ad Sedem Apostolicam appellavit, & Bonifacius Papa IX. ejus causæ cognitionem delegavit Antonio Episcopo Sibenicensi. Hic vero quid sententiæ tulerit, mihi non est compertum. Epistola Pontificia hæc est.

Bonifacius IX. P. cognitionem controversiæ ad se per appellationem delatæ Ep. Sibenicensi committit.

Bonifacius Episcopus servus servorum Dei Ven. Fratri Episcopo Sibenicensi salutem & Apostolicam benedict. Sua nobis Ven. Frater Franciscus Episcopus Scardonensis petitione monstravit, quod licet perceptio decimarum de frugibus excrescentibus in villis Gogone, Verbiaze, Bulgnave, Gozieze, Tudinave, Loscevize, Setrialiavas, Sycovo, Cosmane, Podrusie, & Napodgravie Scardonen. diœcesis, ipsarumque villarum territoria pro tempore ad mensam Episcopalem Scardonen. legitime pertineant; quia tamen Lucas Archiepiscopus & Capitulum Jadren. minus veraciter prætendentes perceptionem hujusmodi decimarum ad Ecclesiam Jadrensem pertinere, communiter contra justitiam impediebant, quominus idem Episcopus decimas hujusmodi percipere pacifice posset; præfatus Episcopus eosdem Archiepiscopum & Capitulum, super hoc petendo ipsis, super impedimento hujusmodi perpetuum silentium imponi volens, coram Ven. fratre nostro Allamano Archiepiscopo Tarentino, tunc in partibus illis commorante, cui dilectus filius noster Angelus tit. S. Laurentii in Damaso presbyt. Card. in eisdem partibus tunc Apostolicæ Sedis Legatus causam hujusmodi auctoritate dictæ legationis audiendam commiserat & fine debito terminandam, hujusmodi commissionis vigore communiter fecit ad judicium evocari; idemque Archiepiscopus Allamanus perperam in hujusmodi causa procedens definitivam, per quam Archiepiscopum & Capitulum prædictos ab impetitione dicti Episcopi absolvit, sententiamque promulgavit iniquam, ipsum Episcopum in expensis in hujusmodi causa factis nihilominus condemnando, ipsarum impensarum taxatione sibi in posterum reservata, a qua quidem sententia dictus Episcopus ad sedem prædictam appellavit. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus in hujusmodi appellationis causa procedens legitime, sententiam ipsam confirmare, vel infirmare, appellatione remota procures, prout de jure fuerit faciendum. Dat. Romæ apud S. Petrum Nonis Maji, Pontificatus nostri anno XII. (ideſt 1401.)

Dum Franciscus huic ecclesiæ præerat, Sigismundus rex Hungariæ in ea controversia, quam Andreas Archiepiscopus Spalatensis habebat cum Margarita Comitissa Cetinæ de jure decimarum, judicem dedit Capitulum Scardonense anno 1400. ut in actis ejusdem Andreæ dictum est. Franciscus hujus ecclesiæ gubernacula tenuit usque ad annum 1410. Interea vero dum ille Episcopatum gerebat, ut Dalmatia, sic Scardona alias Tuartko & Ostojæ regibus Bosinæ, alias Ladislavo regi Neapolitano paruit. Anno demum 1408. Scardona cum universa Dalmatia sub imperium Sigismundi rediit, præter Jaderam, quæ in fide mansit ac potestate Venetorum.

PETRAMUSTUS EP. SCARDON. XIX.

Hunc ita nominatum reperio in tabulis Romanis *Provis. Eccles. & Actorum Consistorialium*: diciturque translatus esse ab Ecclesia *Aciensi* ad Scardonitanam. Sed *Aciensis* Episcopatus, nisi forte in partibus infidelium, ubi terrarum esset, mihi non est compertum. Vereor ne huc quoque pro *Agriensi* Ecclesia *Aciensis* irrepserit: 30. *Julii* 1419. *Absolvit* (Alexander V.) *D. Fratrem Petramustum Ep. Acien., ipsumque transtulit ad Ecclesiam Scardonen. in Sclavonia vacantem per obitum Francisci ultimi Episcopi*. Hunc Auctor Viridarii seraphici Petrum vocat, assumptumque ex ordine Franciscano ad Sedem pontificiam Scardonensem an. 1419.

Inter initia hujus Episcopatus nihil acerbius accidere potuit Scardonensibus, quam decretum Sigismundi, quod illis ingenti æque damno ac dedecori fuit. Nec vero Episcopi apud Sigismundum auctoritas vel preces valuere, ut eum a proposito susceptoque consilio abducerent. Verebatur siquidem, ne civitas, cujus fidem forsasse suspectam habebat, in potestatem Venetorum concederet. Itaque ut Sibenicensium animos sibi magis magisque obstringeret, & Scardonenses in fide atque officio contineret, Scardonam cum ejus territorio Sibenicensibus in potestatem tradidit, severeque denunciavit Scardonensibus, ut se illis subjectos atque obedientes præstarent: *Quia nostræ intentionis est*, inquit, *ut vos & quilibet vestrum in majestatis nostræ persona fidelibus nostris communitatis civitatis nostræ Sibenicensis . . . sitis & esse debeatis obedientes &c.* Præterea Sibenicensibus potestatem fecit quælibet imperandi Scardonensibus, quæ vel sua, vel regni Hungarici interesse putarent, atque etiam civitatis demoliendæ, si periculum foret, ne illa Veneti potirentur. Hæc ex litteris Sigismundi ad Sibenicenses, atque ad Petrum Meslinum Præfectum militiæ Hungaricæ, quem jussit præsto esse Sibenicensibus, si manu militari opus esset cogere Scardonenses ad imperata facienda. Ceterum nihil Sigismundo profuit vel beneficentia erga Sibenicenses, vel severitas erga Scardonenses. Siquidem illi anno 1410. se Venetis ultro tradiderunt; horumque ad Venetum imperium transitionem secuta est deditio Scardonæ propemodum necessaria; nec tamen propterea civitas dominatu Sibenicensium exempta fuit, quippe inter cetera postulata Sibenicensium, cum se Venetis dediderunt, nonum hoc fuerat: *Quod Scardona sit & esse debeat perpetualiter sub dominio Sibenici, & quod omnia illa bona, quæ fuerant subjecta Castro Scardonæ, sint communis Sibenici &c.* Dux & Senatus annuit: *Ad istud nonum capitulum respondetur, quod placet nobis, non intelligendo de bonis specialium personarum &c.* In tanta rerum communium calamitate, ac totius civitatis mœrore, Petramustus Episcopus, quod boni parentis erat officium non prætermisit; & quando grave vulnus acceptum sanare non poterat, pia tamen blandaque oratione lenire, ac miseros cives & afflictos erigere ac solari conatus est, hortarique ut fortunam adversam æquo & Christiano animo ferrent, supplices ad Deum confugerent, in eo spe omni reposita, confiderent divinam opem sibi non defuturam ad pristinam libertatem recuperandam. Nec ejus dicta fefellit eventus; nam haud multo post Scardona, cum sub imperium Sigismundi rediisset, odiosam illam atque infensam Sibenicensium dominationem discussit. Anno 1417. cum jam Scardona jus suum libertatemque pristinam adepta esset, Petramustus ecclesiam & urbem tranquillam & quietam moriens reliquit.

Sigismundus jussit Scardonenses subesse Sibenicensibus.

NI-

NICOLAUS IV. EP. SCARDON. XX.

Natione Dalmata, patria Spalatenſis fuit; ab ipſa adoleſcentia ad ſodalitatem Patrum S. Franciſci ſeſe aggregaverat, ut tradunt Scriptores Hiſtoriæ ſeraphicæ. Ex hac præclara diſciplina ad regendum Eccleſiam Ceretenenſem acceſſit, quam cum Scardonitana commutavit, ut eſt in tabulis conciſtorialibus: *Anno* 1417. *Kal. Auguſti translatus eſt Nicolaus Epiſcopus Ceretenen. ad Eccl. Scardonen. vac. per mortem &c.* Sed vix hujus eccleſiæ regimen inierat, cum paucis poſt menſibus vita functus ad ſuperos migravit.

PETRUS EP. SCARDONEN. XXI.

Ad Caſtrenſem Eccleſiam tranſivit.

Erat hic quoque ex ordine Fratrum minorum S. Franciſci, quibus ab obſervantia cognomen eſt; de quo mentionem fecit *Petrus Antonius* de Venetiis *Min. Obſerv. Ref.* in ſuo Viridario ſeraphico, Sedem Scardonenſem fere biennium tenuit; inde amotus Caſtrenſis Eccleſiæ gubernacula ſuſcepit, ut docent tabulæ Romanæ: *XVIII. Kalend. Febr.* 1420. *translatus eſt Petrus Epiſcopus Scardonen. ad Eccleſiam Caſtren. vac. per obitum.*

GEORGIUS EP. SCARDON. electus.

Primum Dumnenſis, deinde Pharienſis Epiſcopus fuit. Cum eum Scardonenſes expeterent ac depoſcerent, poteſtas illi Pharienſis cum Scardonitana Eccleſia commutandæ per Martinum V. facta eſt illo ipſo die, quo decreta fuit Petri deceſſoris translatio ad Sedem Epiſcopalem Caſtrenſem: *Eodem die* (ideſt XVIII. Calend. Febr. 1420.) *translatus eſt Epiſcopus Farenſis Georgius ad dictam Eccleſiam Scardonen.* Sed antequam eccleſiæ ſibi traditæ poſſeſſionem adiret, cum illam ſuis bonis magna ex parte per quoſdam præpotentes viros ſpoliatam videret, quæ recuperari ab ſe poſſe diffideret, commutationis ſibi permiſſæ pœnituit. Romam ſe contulit, ſupplex a Pontifice petiit, ut ſibi regredi liceret ad Pharienſem Eccleſiam, quam Domnius Epiſcopus vix annua adminiſtratione perfunctus, & per eos dies morte præreptus novo ſucceſſori vacuam fecerat. Sed cum varia ejus, nec ita levia crimina delata fuiſſent ad Sedem Apoſtolicam, Pontifex judicem delegavit Blaſium Molinum Archiepiſcopum Jadrenſem, ut cum Bogdano Epiſcopo Sibenicenſi & Nicolao Abbate S. Michaelis, de quibus Georgius accuſabatur, diligenti adhibita inquiſitione cognoſceret, & pro eo, ac jus & æquitas poſtulabat, ſententiam ferret. Acta quæſtionis in eum inſtitutæ ſervantur in tabulario Eccleſiæ Jadertinæ; ſed nulla illis ſubjecta ſententia legitur, qua Georgius vel abſolutus, vel condemnatus fuiſſe dicatur. Ceterum abſolutus fuerit oportuit, cum eum Martinus in Eccleſiam Pharienſem ab eo dimiſſam reſtituerit, quam uſque ad annum 1428. retinuit. Interea Eccleſia Scardonenſis poſt obitum Petri fere integrum ſexennium paſtore caruit.

Ad Pharienſem Epiſcopatum, a quo ad Scardonenſem translatus erat, regredi cupivit.

Interregnum Epiſcopale.

NICOLAUS V. EP. SCARDON. XXII.

Hunc etiam Epiſcopum Scardonenſibus dedit familia Franciſcana, Præſulum vel doctrina vel ſanctitate illuſtrium fecunda: de quo in tabulis Romanis Proviſ. Eccl. ſub Martino V. *VII. Id. Julii* 1426. *proviſum eſt Eccl. Scardonen. vacanti per translationem Petri ad Eccleſiam Caſtrenſem de perſona F. Nicolai de Spalato Ord. Min.* Biennium præfuit, & e vita deceſſit anno 1428.

JOANNES II. EP. SCARDON. XXIII.

E cœtu Eremitarum S. Auguſtini, ac cœnobio Brixienſi S. Mariæ, cui præpoſitus erat, ad Sedem Scardonitanam evectus eſt, ut tradunt tabulæ Romanæ; *VIII. Kalend. Novembris anno* 1428. *proviſum eſt Eccleſiæ Scardonen. vacanti per obitum F. Nicolai de perſona F. Joannis Prioris monaſterii B. Mariæ Virginis de Brixia ordinis Eremitarum.* Poſt triennium a ſuſcepta hujus Eccleſiæ adminiſtratione vivere deſiit,

JACOBUS EP. SCARDON. XXIV.

III. Kal. Auguſti 1431. *proviſum fuit Eccleſiæ Scardonen. vacanti per obitum Fr. Joannis ord. Eremitarum, de perſona Domini Jacobi plebani S. Joannis de Mugla, præſentis in Curia.* Ex tab. Romanis. Natum ferunt e vetuſtiſſima ampliſſimaque gente Martinuſia, quæ divitiis, honoribus, bellicis laudibus cum primariis Chrobatiæ familiis jure conferri poteſt. Ex ejus ſorore genitus Cardinalis Utiſſenovichius, vir celeberrimi nominis, qui adeo gloriabatur Jacobo avunculo ſuo, ut paterno poſthabito maternum cognomen ſibi adoptaverit, & Cardinalis Martinuſius appellari voluerit; nec ſane immerito, quippe Jacobus cum eximia nobilitate ſingularem doctrinam ac religionem conjunxit. Clericali militiæ cum nomen dediſſet, Muglæ in oppido Iſtriæ ſacerdotium ſane opulentum & honorificum obtinuit; & præpoſitus templo majori Muglenſi per aliquot annos Chriſtianæ plebi ejuſdem oppidi præfuit, quam haud minus ſuarum virtutum exemplis, quam divinis præceptis ac myſteriis excoluit. Anno 1431. cum Eugenius IV. Eccleſiæ univerſalis regimen ſuſcepit, apud Curiam Romanam eccleſiæ ſuæ negotia curabat. Summa hominis integritas, exquiſita doctrina, excellens in rebus agendis prudentia, flagrans divini cultus augendi cupiditas, cum perſpecta eſſet omnibus, tum Pontifici ignota eſſe non potuit, qui tantam virtutem cum tanta nobilitate conjunctam in editiori faſtigio, ut pluribus prodeſſet, collocari oportere cenſuit. Itaque in frequenti Cardinalium ac procerum Senatu Eccleſiam Scardonenſem Jacobo decrevit. Hanc ille temporibus optimis tranquilliſque ſumma cum laude adminiſtravit. Scardona, Cliſſa, Cetina cum paucis aliis oppidulis adhuc in fide manebant ac poteſtate regum Hungariæ; reliqua omnis Dalmatia ſub imperium Venetorum redierat. His autem per eos annos nihil belli aut diſcordiæ fuit ſive cum Sigiſmundo, ſive cum hujus genero Alberto, ſive cum Uladislavo regibus Hungariæ, quod rebus communibus Dalmatiæ perturbationem afferret. Sed quemadmodum pleraque aliorum Antiſtitum, ſic Jacobi acta præclara, quæ publicis privatiſque tabulis conſignata fuerant, ſæculo proximo in urbis direptione ac ſubverſione interierunt. Præter nomen *Jacobi Epiſcopi Scardonenſis*, quod adhuc retinent tabulæ Sibenicenſes anno 1434. confectæ, in quibus nominatur etiam Bogdanus Sibenici Epiſcopus, in aliis illorum temporum monumentis, quæ ſuperſunt, nulla ejus memoria reperitur.

FE-

FELIX EP. SCARDONEN. XXV.

Hujus primam mentionem nobis exhibent tabulæ archivi Archiepiſcopalis Spalatenſis, in quibus anno 1444. teſtis adhibetur, & citatur *Felix Epiſcopus Scardonenſis*. Anno 1454. Joannes Petri filius erat Archidiaconus hujus eccleſiæ, qui pacta concordiæ inter Sibenicenſes & Scardonenſes redintegratæ ſcriptis mandavit, quippe cum idem eſſet *Sacra imperiali auctoritate not. & juratus tabellio civit. Scard.* Tunc Sibenicum Venetis, Scardona Hungaris ſuberat. Felici Scardonenſi Epiſcopo duas cauſſas, ſive controverſias, alteram Nicolaus V. anno 1451. alteram Calliſtus III. an. 1457. delegavit, de quibus cum Maphæo Jadertino Archiepiſcopo & Natali Georgio Antiſtite Nonenſi cognoſceret ac judicaret. Thomas Budislavichius Comes Corbaviæ ad Sedem Apoſtolicam detulerat nomen Thomæ Tuertki patricii Nonæ ac militis de iniqua poſſeſſione cujuſdam caſtelli, quod non ſolum contra jus faſque, ſed etiam contra interdictum eccleſiaſticum ſumma pervicacia retinebat. Bodinus Vicarius generalis Archiepiſcopi Raguſini ſollemni anathemate perculerat Paſchalem Gradonicum, quod de negotiis quibuſdam agere & colloqui auſus fuerat cum primariis quibuſdam hæreticis Boſnenſibus, quorum congreſſu & colloquio nominatim Catholicis interdictum erat. Gradonicus a ſententia Bodini ad Sedem Apoſtolicam appellavit. Nicolaus igitur prioris, Calliſtus poſterioris cauſſæ cognitionem tribus illis, quos dixi, Epiſcopis delegavit. Neutri controverſiæ examinandæ Felix intereſſe ac præeſſe potuit: & primum hac excuſatione uſus eſt, quod cum hæreſis Manichæorum e Boſina proſerpens in loca finitima irrepſiſſet, manaretque in dies latius, ad locum ſuperiori quæſtioni ac judicio decretum ſe conferre, & eccleſiam ſibi commiſſam deſerere non poſſet, ne contagio illa gregem ſuum paſtoris vigilantia & præſidio deſtitutum inficeret. Anno autem 1457. cum alterius cauſſæ diſceptatio & cognitio demandata fuit, Laurentii Zanmii Archiepiſcopi Spalatenſis vicario munere fungebatur; & plurimis graviſſimiſque hujus eccleſiæ negotiis diſtentus Spalato diſcedere non potuit, ut ipſemet teſtatur in ſuis litteris ad duos illos Antiſtites Jadertinum & Nonenſem, ad quos omnem poteſtatem ſibi delegatam tranſtulit; & quam illi tuliſſent ſententiam, ad eam jam nunc ſe accedere ac ratam habere profitetur.

Duas illi cauſſas cum Jadertino & Nonenſi Epiſcopis cognoſcendas dedit Sedes Apoſtolica.

Reverendiſſimi in Chriſto PP. Domini Colendiſſimi poſt commendationem. Reverendiſſimæ PP. veſtræ ſcribunt mihi, qualiter per Breve S. D. N. &c. & ut ego velim intereſſe judicio talis cauſſæ; ad quod reſpondeo: Cum ſim filius obedientiæ, in omnibus vellem obtemperare, ut teneor, præceptis Apoſtolicis. Sed quia multis & quodammodo infinitis negotiis præpeditus Eccleſiæ Spalatenſis, Locumtenens & Vicarius Domini Archiepiſcopi, illuc ſine detrimento hujus eccleſiæ ad præſens non valeo accedere. Quapropter vices & auctoritatem meam Reverendiſſimis Dominationibus veſtris tribuo, ſemper ratum habendo quidquid ipſæ in tali cauſſa deciderint; quæ feliciter valeant. Ex Spalato die 18. *Madii* 1458.

RR. PP. VV.

Filius & Frater Felix
Epiſcopus Scardonenſis

Tres annos præterea Felix Eccleſiam Scardonenſem ſapienter pieque gubernavit, a qua ſimul & vita deceſſit anno 1460.

JACOBUS II. EP. SCARDON. XXVI.

Natus eſt Venetiis ex patricia familia Bragadena. Poſt primam ætatem politioribus litteris excultam, Philoſophiæ, juriſque civilis ac pontificii ſtudiis multam operam dedit. Juris utriuſque lauream adeptus, atque in ordinem presbyterorum aggregatus, Romam ſe contulit; qua in urbe cum egregium eruditionis & ingenii ſpecimen præbuiſſet, cum Pius II. Pontifex omni doctrina & virtute ornatiſſimus, idemque litteratorum hominum fautor eximius, ampliſſimo Cubicularii Pontificii titulo atque inſignibus decoravit. Cum Sedes Scardonenſis ob mortem Felicis Epiſcopi vacaret, Epiſcopum huic civitati Jacobum Bragadenum perſpectæ ſibi virtutis, prudentiæ, & doctrinæ virum præfecit anno 1460. *Certe hominem illi eccleſiæ propter ſua merita admodum utilem;* ut Pontifex ait in ſuis litteris ad Laurentium Archiepiſcopum Spalatenſem. Itaque Jacobus poſt ſuſceptam conſecrationem Epiſcopalem ex urbe profectus eſt ad poſſeſſionem eccleſiæ ſibi traditæ adeundam. Verum Sedem illam ab alio præoccupatam invenit. Alexander quidam ex ordine Fratrum minorum S. Franciſci, neſcio quo jure aut titulo, temere certe & injuſſu Sedis Apoſtolicæ in eam invaſerat; acceſſuque ad eamdem Epiſcopum legitimum prohibuit. Pontifex id ſibi cum ſignificatum eſſet, ſtatim Laurentio Metropolitæ Spalatenſi per litteras mandavit, ut Alexandrum intruſum expelleret. Aberat tum forte Laurentius, ac Venetiis degebat. Quare mandatum pontificium, quod per ſe abſens non poterat, exſequendum dedit *Maphæo Archiepiſcopo Jadertino, Natali Nonenſi, Jacobo Tragurienſi, Urbano Sibenicenſi, & Franciſco Tinienſi Epiſcopis, eorumque, & cujuslibet ipſorum in ſpiritualibus ac temporalibus Vicariis & officialibus generalibus; nec non univerſis & ſingulis Venerabilibus Abbatibus, Archidiaconis, Canonicis, & reliquis Scardonenſis Eccleſiæ, aliarumque cathedralium & collegiatarum eccleſiarum, ac parochialium rectoribus, locumtenentibus &c.* Quibus imperavit, ut Alexandrum ſive præſentem ſive abſentem, ſuo, ſeu potius Pontificis nomine, propoſitis graviſſimis pœnis canonicis ab Sede illa occupanda abſterrerent. Vide cetera in actis ejuſdem Laurentii §. 1. ejuſque epiſtolam, cui Pianæ ad eum litteræ inſertæ ſunt. Alexander, ut ibidem diximus, ſive denunciatione pœnarum, atque anathematum deterritus, ſive ſua ſponte ante ipſam denunciationem, Epiſcopatum illum male occupatum dimiſit; & Jacobus Bragadenus Eccleſiæ Scardonenſis adminiſtrationem ſuſcepit, treſque annos retinuit. Anno quippe 1463. ab eodem Pontifice translatus eſt ad regimen Eccleſiæ Nonenſis.

Jacobus Bragadenus Sedem Epiſcopalem ab alio præoccupatam recepit, ac tres annos retinuit.

ALEXANDER EP. SCARDON. XXVII.

Ille idem eſt, qui Sedem Scardonenſem Jacobo præripuerat, ex qua vel ſponte, vel invitus & coactus diſceſſit. Cum dignus judicatus fuerit, qui in locum ejus, cui adverſatus erat, ſuccederet, neceſſe eſt Alexandrum vel bona fide recepiſſe, ac retinere voluiſſe Epiſcopatum, quem illi fortaſſe Capitulum cunctis ſuffragiis

Alexander Sedem hanc primum ab ſe occupatã, poſtea dimiſſam recuperavit.

more

more antiquo detulerat ; vel ſtatim atque admonitus fuit, Pontificis & Metropolitæ ſui mandatis paruiſſe ; vel ſi forte aliquantulum repugnavit, brevem illam contumaciam inſigni pœnitentia delevit . Itaque probabili errore deceptus , aut nullam , aut venia dignam culpam contraxit ; ſi quid vero temeritatis ac pertinaciæ fuit, graviori etiam, quam meruerat, pœna ſponte ſuſcepta, humilique ſatisfactione compenſavit , & cum Pio II. Pontifice in gratiam rediit ; qui virum eximia ceteroquin doctrina & virtute præditum Eccleſiæ Scardonenſi pluriſmum prodeſſe poſſe exiſtimavit. Patria Raguſinus fuit , ut tradit Auctor Viridarii ſeraphici, eratque de religione ac pietate Chriſtiana optime meritus; quippe nullis laboribus, aut periculis parcebat, ut hæreticos ad rectam in Deum fidem, Catholicos ad honeſtam piamque vivendi rationem traduceret. Hanc eccleſiam ſumma cum laude gubernavit uſque ad annum 1479.

PETRUS II. EP. SCARDON. XXVIII.

Scriptores rerum Franciſcanarum vocant F. Petrum *de Marco* , ſive *de Marchis* , eumque ex ſodalitio Fratrum Minorum ad regendam Eccleſiam Scardonenſem evocatum fuiſſe an. 1479. affirmant . Extat epiſtola Sixti IV. inſcripta Epiſcopo Scardonenſi , cui Pontifex poteſtatem delegavit eximendi Stephanum presbyterum e duplici vinculo, quo illigatus erat, canonico & divino . Hic enim auctor fuerat quibuſdam captivis Chriſtianis , ut Turcam cuſtodem interficerent , eo autem ſublato fugam arriperent ; quod quidem homicidium illi erat impedimento canonico, quo minus rem divinam facere , ceteriſque ſacerdotalibus muneribus fungi poſſet . Idem præterea , cum per vim & calumniam a Præfecto cujuſdam civitatis Hungaricæ conjectus fuiſſet in carcerem , aliter libertatem recuperare non potuerat , niſi juraſſet nunquam ſe in calumniatores judicium de injuriis acceptis poſtulaturum : ne autem fidem Deo teſte datam falleret, jure divino tenebatur. Pontifex ergo , ſi res ita eſſet , quemadmodum ſibi expoſita fuerat , Petro Epiſcopo mandavit , ut Stephanum utroque vinculo exſolveret , ſimulque uti erat antea idoneum redderet ſive ad retinenda , quæ habebat , ſive ad alia , ſi qua oblata fuiſſent , Sacerdotia recipienda.

Argumentum epiſtolæ Sixtinæ ad Petrum Ep. Scardon.

Sixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Venerabili fratri Epiſcopo Scardonenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sedes Apoſtolica pia mater recurrentibus ad eam cum humilitate filiis poſt exceſſum libenter ſe propitiam exhibet & benignam , ac ſtatui eorum providet opportune . Sane pro parte dilecti filii Stephani Goloſiuch presbyteri Scardonenſis, nobis nuper exhibita petitio continebat , quod alias metu quorumdam inimicorum ſuorum ad partes infidelium Turcorum una cum quodam ſuo familiari ſeceſſit, & ibidem aliquandiu , in fide tamen Catholica perſiſtens , moram traxit ; demum videns quoſdam Chriſti fideles captivos per quemdam Turcum eorum cuſtodem , vinculis detractis cupiens ipſorum ſalutem & libertatem vindicare , ad interficiendum dictum Turcum cuſtodem & inde fugiendum illos exhortatus eſt. Cujus conſilio & exhortatione præfati Chriſti fideles captivi dictum Turcum interfecerunt , & cum dicto Stephano ad patriam remearunt ; & deinde præfatus Stephanus per quemdam, tunc pro chariſſimo in Chriſto filio noſtro Matthia Ungariæ rege illuſtri , in partibus illis gubernatorem ſine cauſſa ad quorumdam æmulorum inſtantiam & indebite carceribus mancipatus , & diverſis ſuppliciis , & injuriis affectus eſt ; & poſtmodum de hujuſmodi injuriis ſibi illatis contra ipſorum aliquem impoſtorum ullo tempore non reclamare , medio juramento corporaliter præſtito, jurare coactus eſt: propter quod homicidii reatum , inhabilitatis & infamiæ maculam incurriſſe , nec non irregularitatis laqueo involutum eſſe dubitat. Quare pro parte dicti Stephani, qui , ut aſſeritur , Canonicatum & præbendam Eccleſiæ Scardonenſis, & quæ in eccleſia B. Mariæ Scardonenſis ſimplex officium exiſtit , ſacriſtiam, ac eccleſiam S. Georgii de Bigliano , plebem nuncupatam , Scardonenſis diœceſis obtinet ; de præmiſſis , in quibus aliter , quam ut præmittitur, culpabilis non fuit, ab intimis dolet, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi & ſtatui ſuo in præmiſſis opportune providere , nec non juramentum hujuſmodi relaxare de benignitate Apoſtolica dignaremur . Nos igitur attendentes, quod Apoſtolicæ Sedis clementia non conſuevit veniam petentibus denegare, eumdem Stephanum alias apud nos de vitæ & morum honeſtate, aliiſque probitatis & virtutum meritis multipliciter commendatum , horum intuitu , grato favore proſequi volentes, & de præmiſſis certam notitiam non habentes , hujuſmodi ſupplicationibus inclinati fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus, ſi eſt ita , eumdem Stephanum , ſi id humiliter petierit, a reatu homicidii prædicto auctoritate noſtra hac vice dumtaxat abſolvas in forma eccleſiæ conſueta, injunctis inde ſibi pro modo culpæ pœnitentia ſalutari , & aliis , quæ de jure fuerint injungenda ; juramentumque hujuſmodi relaxes , ſecumque ſuper irregularitate , quam præmiſſorum occaſione contraxit, & ut in omnibus ſacris ordinibus, atque in altaris miniſterio miniſtrare, quodque Canonicatum & præbendam prædicta , & quæcumque alia beneficia eccleſiaſtica cum cura & ſine cura , quæ tempore ſuæ captivitatis obtinebat , & in poſterum eum canonice aſſequi contigerit, quæcumque, quotcumque, & qualiacumque fuerint , recuperare & retinere libere & licite valeat, eadem auctoritate diſpenſes, abolеaſque omnem inhabilitatis & infamiæ maculam : non obſtantibus præmiſſis , & ordinationibus , & conſtitutionibus Apoſtolicis , ceteriſque contrariis quibuſcumque. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnat. Dom. 1479. 12. Octobris , Pontificatus noſtri anno nono.

Petrus annos circiter decem præfuit Eccleſiæ Scardonenſi , eamque pariter cum vita dimiſit anno 1490.

ARCHANGELUS EP. SCARD. XXIX.

Ampla & illuſtri familia, cui *de Varicaſſis* cognomen fuit , natus eſt Jaderæ . Nepos erat Creſcii de Varicaſſis , viri acerrimo ingenio & ſingulari in rebus gerendis ſollertia , qui cum duobus aliis patriciis Jadrenſibus, anno 96. ſæculi ſuperioris , miſſus eſt Tinninium legatus ad Sigiſmundum. Cum a Philoſophia, & Theologia , tum ab jure civili pontificio præclare inſtructus ad hanc eccleſiam gubernandam acceſſit. *Doctor utriuſque juris* appellatus eſt in actis tabularii Epiſcopalis Spalatenſis, quibus annum 1491. adſcriptum invenio . Suſcepto Epiſcopatu , nihil prius ſibi faciendum putavit , quam ut Synodum diœceſanam indiceret , quam ad diſci-

disciplinam ecclesiasticam restituendam & Christiani populi mores corrigendos necessariam esse duxit. Igitur per litteras encyclicas Præpositos ecclesiarum, ceterosque omnes, quibus jus esset suffragii ferendi, ac sententiæ dicendæ, in ædem cathedralem convocavit. Salubri consilio optimi Præsulis intervenit superbia & contumacia Thomæ parochi ecclesiæ S. Joannis in oppido Breberii, remque omnem disturbavit. Hic siquidem vocatus cum esset, venire pertinaciter recusavit; cum enim parœciam suam Dynastis Breberiensibus, per quos electus & nominatus fuerat, acceptam referret, negabat se ulla lege teneri adeundæ Synodi diœcesanæ Scardonensis. Cum nullis neque rationibus, neque hortationibus aut de falsa illa opinione, aut de sua pervicacia dimoveri posset, privatim admonitus est de pœna pecuniaria eidem irroganda, nisi Episcopi ad Concilium vocantis edicto paruisset. Tum vero exarsit iracundia & furore; advolat ad urbem homo impotentissimus, in ædem cathedralem insano œstro percitus gradu citato se confert, ad Vicarium Episcopalem & Canonicos, qui tum divinæ psalmodiæ operam dabant, torvis oculis conversus, elata ac terribili voce profitetur, nihil rei sibi esse cum Episcopo, posse illum quidem suis Canonicis & parochis quidquid liberet imperare, sibi non posse, quippe cum in clientela esset ac potestate Principum Breberiensium; idque ut re ipsa declararet, enfem lateri aptavit, ut significaret non ecclesiasticæ, sed laicali jurisdictioni se obnoxium esse. Tanta temeritate & audacia obstupefacti Canonici verbis quam lenissimis ferociam vesani hominis placare conantur; suæ illum debitæ Episcopo reverentiæ, atque obedientiæ admonent; orant atque obsecrant ne mandatis Episcopalibus repugnare pergat, neve in suum damnum ac dedecus gravissimas pœnas ecclesiasticas sibi consciscere velit. Sed surdæ erant aures vesania obstrepente, nihil salutarium verborum & admonitionum in animum admisit, nullaque responsione reddita, e templo, conspectuque Canonicorum se indignabundus proripuit. Ad hæc præfracte & pertinacissime abnuit Episcopo sistere se, ab eoque petere, ut possessionem sibi traderet alterius Sacerdotii auspiciis subjecti ac titulo S. Francisci, quod hujus patroni Comites Breberienses eidem contulerant. Cum igitur Thomæ temeritas & contumacia eo progressa esset, ut minime ferenda videretur, Episcopus illum semel, iterum, tertio nequidquam citari jussit; & post trinam admonitionem de consensu Capituli privatum omni sacerdotali officio ac dignitate exsutum sollemni anathemate perculit; ac nisi intra tempus sibi præstitutum resipisceret, decrevit tradendum esse potestati magistratuum laicalium, per quos gravioribus suppliciis afficeretur, quam quibus uti consuevit benignitas ecclesiæ ad fontes puniendos. Ab hac sententia ille appellavit ad Metropolitam; e cujus etiam judicio damnatus discessit, jussusque est supplex ad genua Episcopi se abjicere, de iis, quæ in eum irreverenter & contumaciter peccaverat, confiteri, veniam petere, & cum idoneam pro gravitate delicti satisfactionem præstitisset, orare & obtestari, ut se, quibus illaqueatus fuerat, pœnis & vinculis ecclesiasticis eximeret. Utrum Thomas imperata fecerit, ac præstiterit, quæ jussus fuerat, perscriptum non est in actis hujus quæstionis ac judicii, e quibus hæc omnia desumpsi.

Thomas parochus S. Joannis de Breberio vocatus ad Synodum diœcesanam venire abnuit.

Anathemate inuritur.

Alias etiam lites habuit Archangelus, quarum una ad curiam Archiepiscopalem delata fuit, & per sententiam Metropolitæ, sive ejus Vicarii composita est; cum suæ causæ actorem ibidem constituisset, *cum auctoritate compromittendi Joannem Canonicum Spalatensem spectabilem artium & medicinæ Doctorem*; alteram, quæ illi erat cum quibusdam Sibenicensibus, diremit & composuit Stephanus Episcopus Santuarienſis, qui Sibenici locum tenebat & partes agebat Francisci Quirini illius urbis Episcopi, qui tunc aberat, & Romæ gravissimis ecclesiæ suæ negotiis distinebatur. Noster itidem Archangelus ad functiones Episcopales obeundas, siquando necesse erat, operam navabat Bartholomæo Bonino absenti, qui Francisco Quirino in Sedem Sibenicensem successerat, ut colligitur ex epistola Hieronymi Mazzarelli Vicarii Metropolitæ Spalatensis ad Georgium Sigoreum Vicarium generalem ejusdem Bonini, in qua *Archangelum Episcopum Scardonensem* nominatum invenio *Sibenicensis Ecclesiæ Suffraganeum*.

Nec levis Archangelo controversia fuit cum Thoma Morichio parocho ecclesiæ S. Crucis apud Dobrovichium, qui vicus est diœcesis Scardonensis. Anno 1498. decrevit, ut ne quis decimas exigeret sine interventu ac testimonio duorum virorum spectatæ fidei & probitatis, quos ipse Episcopus nominasset; horum siquidem præsentia & auctoritate compesci volebat nimian quorumdam importunitatem, qui summo jure agebant, ac ne pauperrimis quidem de solutione sibi debita quidquam remittebant; id quod homines ecclesiasticos dedecere & immoderatæ cujusdam cupiditatis speciem præferre videbatur. Huic decreto Thomas acerrime intercessit; Episcopus judicio Capituli rem omnem permisit, Canonici decretum Episcopale confirmarunt. Non acquievit Thomas; ex indulgentia Episcopi res delata est ad arbitrium unius de Capitulo; is fuit Nicolaus Martinusius, qui sententiam itidem tulit secundum Episcopum. Provocavit Thomas ad Sedem Metropolitanam. In actis Spalatensibus Thomæ quidem temeritas notatur, sed quid sententiæ pronunciatum fuerit, ibidem non legitur; rursus Thomam causa cecidisse illud argumento est, quod postea Sedem Apostolicam appellavit. Sacra Romana Congregatio nihil novandum esse censuit; & rescripsit ad Vicarium Metropolitæ Spalatensis, ut juberet Episcopum quod contra veterem consuetudinem decreverat, revocare. Id cum Archangelus ægerrime ferret, tergiversari cœpit, decreti sui æquitatem defendere, negare se posse, salva conscientia, id rescindere, quod post diligentem considerationem & consultationem adhibitam constituerat. Sed cum ei denunciatum fuisset, nisi imperata faceret, illi aditu ecclesiæ suæ interdictum iri, Sacræ Congregationis judicio suum ipse submisit. Hæc ex actis hujus controversiæ.

Decretum Archangeli contra Thomam parochum S. Crucis, quod postea revocat.

Ita per annos circiter duodeviginti Archangelus Episcopatum gessit oppido negotiosum, ac fere continuis litibus exercitum; verumtamen in hac multiplici & molesta litigiorum varietate, nullum prætermisit vigilantis atque optimi Episcopi officium, quod vel incrementum divini cultus, vel custodia ecclesiasticæ disciplinæ, vel denique necessitas atque utilitas gregis sibi concrediti postularet. Obiit anno 1502.

NICOLAUS VI. EP. SCARDON. XXX.

Ex eadem gente Martinuſia, unde ortus erat Jacobus Epiſcopus Scardonenſis XXIV. originem traxit, & *Martinoſvich* in ſcriptis illorum temporum cognominari ſolet. Ceterum ipſe in quodam ſuo diplomate infra deſcribendo ſe *Nicolaum Mauritium Rogoſitam* appellavit, Martinuſii cognomen reticuit. Fuit primum Archipresbyter oppidi Cliſſenſis, deinde Canonicus Eccleſiæ Tininienſis, quem canonicatum ob diſcordias neſcio quas cum canonicatu Scardonenſi commutavit. Tunc Cliſſa, Scardona, Modruſſa, aliaque oppida mediterranea imperio regis Hungariæ ſuberant. E Canonico creatus Epiſcopus, Eccleſiæ Scardonitanæ regimen ſuſcepit anno 1502. ut eſt in tabulis Romanis: 1502. *proviſum de perſona D. Nicolai Martinoſvich Eccleſiæ Scardonen. per obitum D. Archangeli vacanti*. Neque huic lites defuerunt. De rebus œconomicis eccleſiæ controverſia illi fuit cum Capitulo, quæ anno 1506. compoſita fuit in curia Archiepiſcopali. Ut proventus Menſæ Epiſcopalis ſartos tectos tueretur, moleſtam ſane ac diuturnam litem habuit cum Joanne Blaptichio Canonico Sibenicenſi. Et quamvis Scardona Hungaricæ, Sibenicum Venetæ ditſonis eſſet, jus tamen & æquitas valuit apud magiſtratum Venetum, ſive Comitem Sibenici, ad quem hujus cauſſæ cognitio & diſceptatio pertinebat, hujuſque integritas ab omni ſtudio partium alienam ſe præbuit; nam Canonicus Sibenicenſis amiſit, Epiſcopus Scardonitanus litem obtinuit anno 1514.

Eccleſiam S. Stephani donavit Patribus tertii ordinis Franciſcani.

Ante triennium Patribus tertii ordinis S. Franciſci domum & eccleſiam Sancti Stephani donavit, ut conſtat ex diplomate donationis, quod cum Italice & ſatis verboſe ſcriptum ſit, nos latine converſum pauciora in verba contraximus.

Nicolaus Mauritius Rogoſita Dei & Sedis Apoſtolicæ gratia Epiſcopus Scardonæ omnibus & ſingulis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam.

Libenter indulgemus piis votis fidelium, præſertim illorum, qui nihil aliud ſpectant, niſi religionis incrementum, ac ſalutem animarum. Vir ſpectabilis Petrus de Draganich patricius Sibenicenſis, cultus divini amplificandi & Chriſtianæ plebis commodis utilitatique ſerviendi ſtudio incenſus, a nobis enixe petivit, ut eccleſiam Sancti Stephani cum ejuſdem cœmeterio, & turri, æreoque tintinnabulo, itemque domum exiguam eidem adnexam noſtræ diœceſis, ſitam in eo loco, cui nomen eſt Suſtipanaz, *ad caput vallis Macherinæ, tradere vellemus Fratribus Franciſcanis tertii ordinis, qui religioſæ vitæ exemplis, crebris concionibus, ſaluberrimis monitis, magno ſunt hominibus adjumento ad honeſte pieque vivendum; hanc ſibi mentem divinitus injectam eſſe, ut cœnobium ibidem fratribus iiſdem conſtrueret, ac de ſuo patrimonio dotaret. Nos igitur benigne annuentes precibus ejuſdem Petri, & fratris Andreæ præpoſiti miniſtri tertii ordinis Franciſcani in Dalmatia, tum Petro fundandi dotandique, tum fratribus ſupradictis recipiendi, habitandique cœnobii eorum gratia ædificandi poteſtatem in Domino largimur: iiſdemque fratribus eccleſiam & domum S. Stephani cum cœmeterio, turri, ac tintinnabulo in perpetuum poſſidendam tradimus. In quorum fidem has litteras publici ſcribæ manu deſcribi, & ſigno Epiſcopali muniri juſſimus.*

Dat. Scardonæ IV. Id. April. anno Domini 1511. *Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris Julii II.* VIII.

Rerum ab eo geſtarum nihil præterea extat memoriæ ac litteris traditum. Ceterum ſatis diu ac proſpere, nec minus prudenter pieque per annos fere ſeptemdecim eccleſiam ſuam adminiſtravit: ne diutius vitam produceret, ejus felicitati adſcribendum: mors ſiquidem illum præripuit, ne urbem illam & eccleſiam Turcarum tyrannide oppreſſam videret.

THOMAS EP. SCARDON. XXXI.

Acta Thomæ ante Epiſcopatum.

Cognomento *de Nigris*, patria Spalatenſis fuit, qui cum ingenio & doctrina, conſilio & prudentia eximiam religionem ac pietatem conjunxit. Itaque per ſe cognitus aliena commendatione non indiguit, ut ſibi exiſtimationem & gratiam principum virorum conciliaret, ab iiſque ad res arduas & præclaras gerendas adhiberetur. Illum Senatus Venetus Bartholomæo Averoldo Archiepiſcopo Spalatenſi Vicarium dedit, ut eccleſiæ illius detrimenta ſarciret, quæ ceperat ex diuturna ſui paſtoris abſentia. Eumdem Bernardus Zannius in locum Averoldi ſuffectus, Romæ cum eſſet, per litteras rogavit, ut ne gravaretur munus jampridem ſuſceptum retinere, ſibique vicariam operam ad regendam illam eccleſiam navare. Tanti autem eum faciebat, tantumque ejus virtuti ac prudentiæ tribuebat, ut nihil ſine illius conſilio ſibi decernendum, aut ſuſcipiendum putaret; ejuſque induſtria ac ſollertia ad omnia utebatur. Romam profecturus anno 1512. ad Concilium Lateranenſe, Thomam ſecum adduxit. De oratione eloquentiſſima, quam idem Bernardus habuit in primo conventu Patrum Lateranenſium, ſumma cum laude ſcripſit Thomas ad Marcum Marulum civem ſuum; ejus epiſtolam actis Bernardi Archiepiſcopi ſubjunximus, ex qua præcellens Thomæ religio, doctrina, ingenium, facultas latine dicendi, ſcribendique facile dignoſci poteſt. Cum anno 1514. Bernardus Romæ pontificatu Spalatenſi ſe abdicavit, Thomas quoque munus Vicarii depoſuit. Sed major illi datus eſt campus, in quo excurrere hominis virtus & exerceri poſſet. Thomam ſiquidem muneris Epiſcopalis Vicarium ſibi adſcivit Petrus Berislavus Epiſcopus Veſprimienſis, Præfectus ærarii regii, Banus Dalmatiæ & Chrobatiæ, vir abundans laudibus æque bellicis, atque eccleſiaſticis, qui quamdiu vixit, frenum injecit potentiæ Turcarum, ne latius barbaricam dominationem proferrent. Hic igitur Thomæ Vicario ſuo cum alia graviſſima negotia gerenda, tum legationes perhonorificas ſuo nomine obeundas dedit. Anno 1516. Romam miſit ad Leonem X. de petendis auxiliis adverſus Turcas; iterum anno inſequenti eum ad Pontificem legavit; qui, cum Cardinales unum & triginta exemplo inaudito creaſſet, præterito Petro Berislavo de re Chriſtiana egregie merito, litteras officii ac benevolentiæ Thomæ ad Petrum dedit, in quibus temporum ac difficultatum ingruentium excuſatione uſus rationem reddidit, cur illum, contra quam decreverat, in numerum Cardinalium non allegiſſet, ceteroquin eo loco & honore digniſſimum. Ex epiſtola pontificia, quæ ad Thomæ laudationem pertinent,

nent; pauca decerpsi: *Nolumus mirari, nec moleste ferre fraternitatem tuam, si iis ipsis diebus sacro collegio Ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium per novam creationem auctio, multisque per nos in eum summum ordinem adscitis, fraternitatem tuam, contra quam in animo habebamus, & quam erat nobis decretum, in aliud tempus reservavimus . . . Multa certe intervenerant, quæ nos & in hanc & in illam partem compellerent, ut quamvis tam grandi numero adlecto, tamen aliquibus vel caris affinibus nostris, tum etiam optime de nobis meritis, satisfacere non potuerimus; sed non omnia perscribenda sunt, præsertim cum dilectus filius Thomas Niger Vicarius tuus homo & prudens, & summe erga te fidelis, copiosius sit tibi totum animum nostrum, quem ipse perspectum habet, expositurus; qui præsens temporum rerumque necessitudines & difficultates cognovit . . . . Sed de his & aliis supra dictus Thomas Vicarius tuus cum fraternitate tua abundantius nostro nomine colloquetur, cui fidem plenam adhibebis.*

Dat. Romæ VII. Julii MDXVII. Pont. anno V.

Anno 1519. Thomas tertio Romam venit legatus a Petro, ut auxilia peteret pro defensione Dalmatiæ & Chrobatiæ; summum enim erat periculum, ne præsidiis destitutæ in Turcarum potestatem venirent. Hac tertia Romana legatione perfunctum Banus peramanter accepit; & Thomæ præclara merita remunerari volens, Episcopatum Scardonensem Nicolai morte vacuum illi a Leone Pontifice conferendum curavit anno 1519. exeunte. Nec tamen illum ab se omnino discedere, & Vicarii sui nomen munusque dimittere voluit; ejus siquidem operam sibi reique publicæ Christianæ perneccessariam existimabat. Itaque Thomas necesse habuit Vicarium Scardonæ constituere, qui ecclesiæ sibi traditæ procurationem susciperet. Haud multo post susceptam Episcopalem consecrationem illum Petrus in Belgium legavit ad Carolum V. ut Cæsarem doceret de periculo propemodum extremo, in quo Chrobatia & regiones finitimæ versabantur, simulque ad consocianda cum Hungaris arma contra communes Christiani nominis hostes adhortaretur. Thomas orationem habuit apud Cæsarem graviſſimis verbis sententiisque plenam, ex qua ille singularem hominis facundiam, doctrinam, prudentiam, & flagrans religionis tuendæ studium perspexit; ac proinde idoneum censuit, quem internuncium, suæque voluntatis interpretem Romam mitteret ad Leonem Pontificem cum suis ad eumdem litteris, quarum extrema particula hæc est: *Reliqua multa de mandato nostro a Reverendo Scardonensi sanctitati vestræ referrentur, cui fides plena adhibeatur: quem ut virum bonum, Christianæque religionis studiosum apprime commendamus.* Reſcripsit etiam Carolus ad Petrum Berislavum: *Quæ*, inquit, *nobis de tua virtute satis antea cognita fuerant, perspectiora illustrioraque tum litteris Summi Pontificis, tum Reverendi Scardonensis oratione facta sunt; ex eoque in te uno tantum spei reposuimus, ut non alio magis, quam pietatis tuæ præsidio labentes Croatorum res sisti posse confidamus. De animo nostro tum ad Rempublicam omnibus subsidiis juvandam, tum ad dignitatem tuam pro excellentibus meritis amplificandam, ex eodem Scardonensi intelliges &c. Dat. Bruxellis XXIII. Junii MDXX.* Verum hæc epistola Petrum e vivis sublatum invenit; quippe eodem anno, mense Majo, in acie fortiter

Fit Episcopus Scardonensis.

dimicans relictus a suis, cæsus a Turcis, glorioſam quidem, sed alieniſſimo Christianæ reipublicæ tempore, mortem oppetiit.

Itaque Petrus primo sui Episcopatus anno vix spatium habuit adeundæ visendæque ecclesiæ sibi concreditæ, nedum stabili commoratione ad ejus gubernacula sedendi. Post interitum Berislavi, dubium non esse videtur, quin se ad curandum & custodiendum gregem suum Scardonam contulerit. Totam civitatem suspensam metu, & impendentium malorum expectatione sollicitam offendit; quippe omnem circa regionem crebris incursionibus Turcæ vastabant, qui bellum, ante aliquot annos susceptum, assidue cum Hungaris gerebant, ac ferme tota ejus belli moles in Chrobatiam & partes illas Dalmatiæ, quæ pertinebant ad Hungaricam ditionem, incubuerat. In ea rerum ac temporum perturbatione illud Thomæ potissimum curæ fuit, ut afflictos mœrentesque animos civium piis verbis ac divinis præsidiis confirmaret atque excitaret. Sed anno 1523. civitas a Turcis obsessa, vehementerque oppugnata, & auxiliis Hungaricis destituta, demum barbaricæ servitutis jugum subire coacta est; quod annos amplius centum & sexaginta sustinuit, ac pertulit.

Scardona a Turcis capta.

Quamdiu Scardona sub imperio Turcarum fuit, huic urbi ac diœcesi non defuit providentia Sedis Apostolicæ, quæ ut gentium illarum Christianæ institutioni & saluti consuleret, suum illis Episcopum præficere non desiit, aut certe alicui ex finitimis Episcopis curam Ecclesiæ Scardonensis committere. Sed neque Episcopis, neque Vicariis Episcopalibus palam ac libere urbis adeundæ, vel in ea commorandi potestas fuit. Post Scardonam amissam, cum Thomas de Nigris translatus fuisset anno 1524. ad Ecclesiam Tragurienſem, huic in Episcopatum Scardonensem successit

Thomas ad Ecclesiam Tragurienſem transfertur.

JOANNES III. EP. SCARDON. XXXII.

Jadera oriundus erat, a Rosa cognominatus, Episcopus Svacensis in Serblia, & Præsul domesticus in aula pontificia. Hunc Clemens VII. dissoluto vinculo, quo priori ecclesiæ obstrictus tenebatur, Episcopum Scardonensibus dedit; eique unius anni proventus solutionem, quam Annatam vocant, condonavit, ut est in tabulis Romanis. 27. *Septembris an.* 1524. *providit Ecclesiæ Scardonensi vacanti per translationem D. Thomæ Ep. Scardon. de persona Joannis Episcopi Svacianen. cum remissione annatæ ex eo, quia anno superiori civitas fuit occupata a Turcis.* Annos fere septem Episcopi Scardonitani nomen & munus gessit, neque intermisit statis temporibus urbem ac diœcesim, caute tamen, & sine apparatu pontificali lustrare, singulis in locis clandestinos conventus agere, concionesque habere, rem divinam facere, & Christianæ plebi divina mysteria impertire. Cum ædes urbanas pontificias Turcæ occupassent, necesse habuit sedes precarias quærere, in quibus post Apostolicas illas excursiones consisteret & quiesceret. Anno 1531. idem Clemens VII. Joannem e Spalatensi ad Jadertinam provinciam translatum, Ecclesiæ Veglensi Episcopum præposuit, sic tamen, ut Ecclesiæ Scardonensis procurationem retineret; siquidem alteram cum altera Ecclesia conjunxit, ut scriptum est in tabulis Romanis. 3. *Julii* 1531. *sua Sanctitas proposuit occupationem Ecclesiæ Scardonensis factam ab infidelibus*, in

Translatus ad Veglensem curam retinuit Scardonensis Ecclesiæ.

in qua cum adhuc aliqui Christi fideles colerent, ac divinis sacramentis carerent, eam Veglienſi durante occupatione conjunxit. Itaque Joannes eccleſiam utramque adminiſtravit, alteram præſens, alteram abſens per ſuos Vicarios; hanc vero interdum per ſe ipſe, alias per ſuos paſtoralis muneris adminiſtros intervilere ſolebat, & quibus indigebat, ſubſidiis præſidiiſque divinis muniebat. Anno 1537. cum Solimannus Venetis bellum intuliſſet, Piſaurus imperator Venetæ claſſis Scardonam ad deditionem compulit. Locum haud ſatis mœnibus firmum, cum tanti non eſſe putaret præſidio tenere, incolis alio translatis, ſolo æquavit. Sed Turcæ poſt pacem cum Venetis redintegratam urbem reædificarunt ac munierunt; & patriæ cupiditas cum veteres incolas revocaſſet, rurſus habitari cœpit.

Poſt obitum Joannis commendata eſt Danieli Vocatio,

Cum inſula Vegla itinere multorum dierum ſive terreſtri, ſive maritimo ab Scardona diſtaret, Eccleſiæ Scardonenſis adminiſtratio Epiſcopo Veglenſi commiſſa tum huic incommoda ac perdifficilis erat, tum rei Chriſtianæ Scardonenſi haud parum detrimenti afferebat. Igitur cum Joannes anno 1549. diem ſuum obiiſſet, viſum eſt eccleſiam illam Epiſcopo non ita longinquo commendari. Commendata ergo fuit F. Danieli Vocatio Epiſcopo Dumnenſi. Tres unus regebat eccleſias, ſuam videlicet, & duas ſuæ fidei ac paſtorali ſollicitudini concreditas, Scardonenſem & Macharſchenſem; nulla earum erat, in qua ſedem ſtabilem habere, ac tuto conſiſtere poſſet; quippe cum tres illæ civitates ante aliquot annos ſub imperium Turcarum cecidiſſent. Annos tres ac triginta ſane operoſam ac difficillimam curam tribus hiſce eccleſiis impendit. Anno autem 1583. ſenectute ac laboribus confectus vacationem Epiſcopalium munerum impetravit, & Dumnenſis atque Macharſchenſis eccleſiæ adminiſtrationem F. Nicolao Ugrinovichio demandandam curavit. Eodem anno cum F. Andreas Cernota ex ordine Patrum minorum S. Franciſci datus fuiſſet adjutor Blaſio Sidenæo Epiſcopo Arbenſi, juſſus idem eſt curam ſuſcipere Scardonenſis Eccleſiæ, ut docent tabulæ Romanæ. 1583. 8. *Auguſti deputavit* (Gregorius XIII.) *in coadjutorem Epiſcopi Arbenſis cum futura ſucceſſione in eadem eccleſia Andream Cernotam ord. S. Franciſci de obſervantia . . . Eadem die coadjutoria eadem providit Eccleſiam Scardonenſem in Dalmatia ſub Turcarum tyrannide de perſona ejuſdem Andreæ cum gratia &c.* In diplomate Pontificis vocatur *Electus Scardonenſis*; nondum enim Epiſcopali conſecratione initiatus fuerat; ſed cum hic paucis poſt menſibus Blaſio vita functo in Sedem Arbenſem ſucceſſerit, Eccleſiæ Scardonitanæ breviſſime præfuit, quam ob cauſſam inter Epiſcopos Scardonæ annumerandum eſſe non cenſui. Utrum vero hujus eccleſiæ procurationem retinuerit, mihi non liquet. Arbenſem cum vita dimiſit anno 1588.

cui ſuffectus eſt in eâdem procurationem Antonius Cernota.

N. N. EP. SCARDONENSIS XXXIII.

Cujus neque nomen, neque patriam, neque inſtitutum vitæ anteactæ, neque quid rerum geſſerit, dum per annos plurimos hujus eccleſiæ titulum tenuit, litteris conſignatum invenio. Ex tabulis Romanis colligi poteſt illum obiiſſe anno circiter 1613.

ANTONIUS EP. SCARDON. XXXIV.

Ex ordine S. Franciſci, quem Paullus V. huic eccleſiæ Epiſcopum præfecit. *Anno 1613. 17. Junii prov. Eccl. Scardonen. in partibus infidelium vacanti per obitum illius ultimi Epiſcopi de perſona F. Antonii Theologi ord. S. Franciſci de obſervantia*. Ex tab. Rom. In tabulis provinciæ Franciſcanæ Boſnenſis cognominatur de Poſega, unde oriundus erat, & conſecratus fuiſſe dicitur a P. Franciſco Ballichevichio Epiſcopo Boſnenſi, cui e vivis ſublato ſucceſſit in adminiſtrationem Eccleſiæ Boſnenſis anno 1615. Utrique eccleſiæ præfuit uſque ad annum 1625. Obiit, ut eſt in iiſdem tabulis Franciſcanis, *Foinicæ* 1625. *& ſepultus eſt ibidem in eccleſia S. Spiritus coram Conceptionis altari*.

THOMAS II. EP. SCARDON. XXXV.

Huic cognomen fuit *Juvcovichio*. Ad ſodalitatem Fratrum S. Franciſci de obſervantia aggregatus cum eſſet, ut erat inſigni doctrina, prudentia, ac religione, plures monaſticas præfecturas geſſit; ac demum conſtitutus fuerat Miniſter provincialis fratrum ſuorum in Boſina Argentina. Hoc munere cum fungeretur, Urbanus VIII. Eccleſiam Scardonenſem ei decorevit, ſimulque Boſnenſis Eccleſiæ curam delegavit, ut docent tabulæ Romanæ. *An. 1625. 28. Octobr. providit Eccleſiæ Scardonen. in partibus infidelium exiſtenti ſub Archiep. Spalaten. in qua multi Catholici ſunt, de perſona F. Thomæ Hivcovich Boſnenſis, miniſtri provincialis Boſnæ Argentinæ, ord. min. de obſer. cui commiſſa fuit adminiſtratio Eccleſiæ Boſnenſis, & aliarum vicinarum eccleſiarum, quæ paſtoris cura deſtitutæ ſunt*. Sfortia Ponzonus Archiep. Spalaten. Thomam in æde Metropolitana ſollemni ritu ac cærimonia conſecravit. Hujus conſecrationis adminiſtris uſus eſt Bartholomæo Macharſchenſi, & Pace Jordano Tragurienſi Epiſcopis, ut idem Jordanus teſtatur lib. 10. de conſec. Epiſcoporum. *Congrueret*, inquit, *quod conſecratio ſuffraganei facienda eſſet extra curiam, & delegaretur Metropolitano, ut minus recederetur ab antiqua canonum diſpoſitione; ut Fratrum regularium pluries memini, & ſignanter anno Domini 1626. in ordinatione Fratris Thomæ Juvcovich min. obſer. ad Eccleſiam Scardonenſem ſuffraganeam Archiepiſcopo Spalatenſi; fuit enim eidem Archiepiſcopo delegata, & ab eo celebrata die Dominico 8. Martii dicti anni in Eccleſia Metropolitana Spalatenſi, aſſiſtentibus Fratre Bartholomæo Epiſcopo Macarienſi, meque indigno. Sed ut plurimum delegatur ad votum conſecrandi, ut quotidie experimur*. Ut eccleſiæ utriuſque ſibi traditæ commodis utilitatique ſerviret, modo Viſcovatii in cœnobio Fratrum ſuorum non longe ab Scardona, modo in Slavonia apud Poſegam commorabatur, quæ a confiniis Boſinæ prope aberat. Huic ſucceſſit anno 1642.

PAULLUS EP. SCARDON. XXXVI.

Erat itidem e familia Franciſcana Fratrum minorum de obſervantia. Natus eſt Glamaſci in pago haud ignobili regni Boſnenſis; cognomen illi fuit Poſilovichio. In Boſina præclaram Evangelio operam plures annos navavit; atque ut Boſnenſis juventus haberet, unde erudiri poſſet,

ſet ; ac virtutum exempla ſumeret, ex Italico in Boſnenſem ſermonem tranſtulit opuſculum illud, quod inſcribitur *Flos virtutum*. Hæc ſiquidem in ſchedis mihi e Dalmatia tranſmiſſis invenio. *Frater Paullus Poſilovich de Glamaz Epiſcopus Scardonenſis floruit anno 1647. prout in dedicatoria ab ipſo facta Sereniſſimo Ferdinando IV. Bohemiæ & Hungariæ regi, auguſtiſſimo Romanorum Imperatori, Ferdinandi III. filio & heredi, opuſculi nuncupati Flos virtutum, ab ipſo antiſtite ex Italico in Illyricum idioma traducti.*

Paulli Epiſcopale initium Auctor Viridarii ſeraphici, ceterique Scriptores Franciſcani ad annum 1642. referunt. Vix tres annos Eccleſiæ Scardonenſi præfuit, cum exortum eſt bellum Cretenſe, quod etiam Dalmatiam pervaſit. Anno ſecundo belli Cretici, 1647. æræ vulgaris Leonardus Foſculus, penes quem erat ſummum imperium militare in Dalmatia, claſſe navium, triremium, atque aliarum varii generis ad ſeptuaginta, adverſo ſubvectus euripo Scardonam acceſſit. Equitibus Turcis pluſquam quingentis, qui excenſione prohibere conabantur, fuſis & fugatis, urbem obſedit, oppugnavit, ac cepit. Dum immemor hoſtium ad prædam miles diſcurrit, multitudo eorum ſuperveniens pavorem & fugam injecit; cæſique in eo tumultu plurimi forent, ni duces plerique ac Foſculus ipſe cum prætoria cohorte illuc protinus advolans impetum repreſſiſſet. Ceterum Scardona ſeu vi, ſeu fraude intercepta in poteſtatem Turcarum recidit.

Veneti Scardonam recipiunt.

Poſt Paulli mortem, onus paſcendi regendique gregis Scardonitani incubuit in Epiſcopum Macharſchæ Marianum Liſnichium ex eadem ſodalitate S. Franciſci. Anno 1683. cum jam inſtaret bellum Peloponneſium, Jadertini & populi finitimi, ut veteres ac recentes injurias a Turcis acceptas ulciſcerentur, cum hoſtibus pugnare præoccuparunt; & cum alia oppida, tum Scardonam ex nec opinato adorti, partim vi atque armis ceperunt, partim ad deditionem compulerunt. Ita anno ſupra centeſimum circiter quadrageſimo, quam in poteſtatem Turcarum venerat, a Venetis recepta, in perpetuum, ut ſperare licet, jugum barbaricæ repulit ſervitutis. Sed illuvie ac ſordibus incolarum, incendiis, direptionibus, tectorum ruinis deformata civitas cum eſſet, viſum non eſt ſuum illi Epiſcopum ſtatim reſtituere, qui neque commode ibidem, neque pro dignitate habitare poterat. Interea dum muri ac domus reſtaurantur, mortuus eſt Marianus Liſnichius; eique in adminiſtrationem diœceſis & Eccleſiæ Scardonenſis ſucceſſit anno 1686. Nicolaus Blancovichius, fundator Congregationis Philippinæ Spalatenſis, idemque Canonicus ædis metropolitanæ, & Vicarius generalis Stephani Coſmi Archiepiſcopi: vir doctrinæ & ſanctitatis eximiæ, plenus ſpiritus Apoſtolici, & divinæ gloriæ propagandæ, animarumque ſervandarum ſtudio flagrantiſſimus: qui quamvis ferveret bellum Turcicum Peloponneſium, nullis difficultatibus aut periculis deterritus, ſæpe Evangelicis excurſionibus aſperas illas adituque difficiles regiones cum ingenti illarum gentium utilitate peragravit. Hunc Innocentius Vicarium Apoſtolicum, & rectorem præfuit non ſolum Scardonæ, ſed etiam Macharſchæ: quæ civitas, Turcarum imperio depulſo, ſponte in fidem ac poteſtatem Venetorum ſe contulerat. Utrique eccleſiæ aliquot annos ſumma vigilantia præfuit, & diœceſes illas obeundo nihil prætermiſit, quod earum gentium ſalutem, Chriſtianamque inſtitutionem pertineret.

Poſt Paulli obitum commendata eſt Eccleſia Scardonen. Ep. Macharſchæ.

Interea Petrus Valerius ſupremus Dalmatiæ Præfectus, mœnibus ac tectis reædificatis, Scardonam reſtauravit, egregieque communivit tum ad ſuſtinendas, tum ad repellendas Turcarum aggreſſiones: exinde cogitari cœptum eſt de præficiendo Epiſcopo, qui fixam in urbe ac ſtabilem ſedem haberet. Alexander VIII. anno 1690. Senatui Veneto ob rem Chriſtianam contra Turcas æque feliciter ac ſtrenue geſtam jus conceſſit nominandi eligendique Epiſcopos atque Archiepiſcopos illarum civitatum, quas in Dalmatia & Peloponneſo Turcis eripuerant. Anno igitur 1695. III. Nonas Martii in frequenti Senatu cunctis ſuffragiis electus eſt

Alexander VIII. Venetis Ep. eligendi poteſtatem fecit.

GREGORIUS EP. SCARDON. XXXVII.

Natus eſt Jaderæ nobili loco, & gente patricia Civalella. In Capitulum ædis metropolitanæ Jadrenſis aggregatus titulum & ſubſellium Primicerii obtinuit. Antequam peteretur a Sede Apoſtolica, ut Gregorii electionem & nominationem confirmaret, ex præſcripto Alexandri VIII. providendum fuit, ne ad victum & cultum neceſſaria deeſſent Epiſcopo, Canonicis, ac ceteris ſacrorum adminiſtris. Nam latifundia ſane luculenta, quibus olim dotata fuerat eccleſia illa, ſublatis confinibus, abolitiſque indiciis terminorum, e quibus ſacrum a profano internoſci poſſet, confuſa erant ac deperdita, & pleraque in alienam poteſtatem tranſierant. Itaque anno 1696. Senatus decrevit, ut, dum certi ac ſtabiles reditus aliunde aſſignarentur, de publico ærario mille annui argentei, qui anno ſequenti crevere ad quingentos, Epiſcopo; duceni primoribus Capituli; ſex vero Canonicis, centeni cuique ac viceni in ſingulos annos ſolverentur. His adjuncti ſunt quatuor presbyteri ordinis inferioris, & ſingulis decreti argentei annui quinquageni; itemque duo clerici, quibus duplo minor, quam presbyteris, penſio conſtituta fuit. Ædes cathedralis, quæ bellorum turbinibus labefactata corruerat, nihil præter rudera & aliquid parietum ſemirutorum extabat. Itaque templum S. Mariæ & S. Franciſci, ſordibus ſuperſtitionis Turcicæ expiatum, in ædem cathedralem converti placuit; quam interea, dum nova ædificaretur, clerus populuſque ad Deum ac Divos ex inſtitutis Chriſtianæ religionis colendos frequentarent. Eamdem vero Senatus ſacris veſtibus ac vaſis, ſupellectili copioſa linea, ſerica, argentea, ceteriſque rebus ad cultum divinum neceſſariis inſtruxit. His ad hunc modum conſtitutis, anno 1698. juſſus eſt Venetus apud Sedem Apoſtolicam orator ſignificare Innocentio XII. nominationem a Senatu factam tum Scardonenſis, tum Macharſchenſis Epiſcopi, eidemque ſupplicare, ut vellet ac juberet utramque ratam eſſe. Annuit Pontifex, poſtquam poſtulationem Senatus Veneti Sacra Congregatio, ad quam relata fuerat, admittendam eſſe cenſuit his verbis: *Cum Sereniſſima Venetorum Reſpublica vigore indulti nuper a felic. record. Alexandro VIII. ſibi conceſſi, ad Eccleſiam Scardonen. & de Macarſca in Dalmatia non ita pridem a manibus infidelium recuperatas, perſonas idoneas præſentaverit, & congruam eis dotem ex publicis reditibus annuatim perſolvendam conſtituerit . . . Congregatio particularis a Sanctiſſimo Domino noſtro deputata Eminentiſſimorum*

Poſtulatio Veneta, quam admittendam cenſuit Sacra Congregatio.

ac Reverendiſſimorum Dominorum Cardinalium Spadæ, Panciatici, & Albani, ac Reverendi D. Jacometi Paſſionei ſecretarii, toto hoc negotio maturæ diſcuſſo, præſentationem Reverendi Domini Gregorii Civalelli ad Eccleſiam Scardonen. ac Reverendi Domini Nicolai Biancovich ad Eccleſiam de Macarſca cenſuit, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro placuerit, admittendam, aſſignatis tamen prius in forma valida per Sereniſſimam Rempublicam pro dote cujuslibet eccleſiarum 1500. *ducatis illarum partium, ac pro fundatione primarum dignitatum in iiſdem eccleſiis* 200. *pro qualibet; nec non pro præbenda & diſtributione cuilibet ex Canonicis* 120. *pro penſione domuum eorum habitationis; ac tandem* 4. *presbyteris* 50. *uti & duobus clericis* 25. *ducatis ſimilibus, ſingulis reſpective a capſa publica libere & abſque ullo prorſus onere quolibet anno perſolvendis; donec tamen, & quouſque præſens contra Turcas bellum duraverit; quo expleto eadem Reſpublica tot bona ſtabilia ab omni prorſus onere immunia, ex quibus eoſdem reditus, ut ſupra in pecuniis aſſignatos, quilibet annuatim percipiat, conſtituere teneatur; ac dummodo pro ſupellectili ſacra ducatos* 1000. *pro hac vice tantum cuilibet ex prædictis eccleſiis perſolverit; ac pro cathedrali Scardonenſi eccleſiam S. Mariæ, ſeu S. Franciſci, olim a Turcis profanatam, nec non domum ibi proximam pro habitatione Epiſcopi; in civitate vero de Macarſca pro cathedrali eccleſiam S. Joannis Baptiſtæ ac domum prope turrim pro habitatione Epiſcopi conceſſerit; & in iiſdem eccleſiis chorum, organum, campanile, ac cætera, quæ ad uſum cathedralium eccleſiarum neceſſaria ſunt, extrui curaverit.*

Nominatione Gregorii Pontifex approbavit.

Hæc cum approbata, & præſcripta fuiſſent a Sacra Congregatione, Pontifex eodem anno 1698. 19. *Decembris ad præſentationem Reipub. Venetæ vigore indulti felicis mem. Alexandri VIII. dotationem præſcribentis, providit Eccleſiæ Scardonenſi, in cujus cathedralem deſignavit & nuncupavit eccleſiam S. Mariæ & S. Franciſci, vacanti certo modo, de perſona Gregorii Civalelli presb. Jadrenſis, cum decreto quod omnia beneficia quæ obtinet, per hujuſmodi proviſionem vacent eo ipſo, ſuſpenſo tamen effectu vacationis uſque ad ſui obitum.*

Joannes Baduarius Patriarcha Venetiarum anno 1699. IX. Kal. Aprilis in æde Patriarchali Gregorium Epiſcopali conſecratione initiavit. Hic vero Scardonam ingreſſus anno ſequenti XV. Kalendas Auguſti, & a clero populoque ſollemni pompa & gratulatione exceptus, eccleſiæ ſibi commiſſæ poſſeſſionem adivit. Cum dicœceſis Scardonenſis de Turcarum dominatu redemptæ certi fines nondum conſtituti ac deſignati fuiſſent, ac de multis locis, quæ antiquitus ad eam pertinere dicebantur, controverſia eſſet cum Epiſcopis finitimis, illam Epiſcopali ritu luſtrare ſuperſedendum cenſuit. Itaque in eam cogitationem curamque ſedulo incubuit, ut loca illa repeteret, quæ certo conſtabat olim Scardonenſi Epiſcopo ſubjecta fuiſſe, quæque ſub poteſtatem Antiſtitum Jadertini, Nonenſis, Sibenicenſis tranſierant; & nonnulla quidem recuperavit. Interea Senatus copioſa prædia ac ſtabiles fundos eccleſiæ aſſignavit, unde annuos proventus Epiſcopus, Capitulum, & clerus inferior perciperet, atque ærarium publicum onere penſionum illis ſolvendarum eximeretur. Quo in ſtatu eſſet res Chriſtiana & Eccleſiaſtica Scardonenſis ſub Gregorio Epiſcopo, Carolus de Rubeis Archidiaconus ejuſdem eccleſiæ & Vicarius generalis ejuſdem Gregorii diligenter expoſuit in ſua quadam ad Sacram Congregationem Cardinalium epiſtola, ex qua nonnullas particulas decerpere, & huic loco intexere viſum eſt.

Carolus de Rubeis Vic. generalis de ſtatu Eccleſiæ Scardonen. ſcripſit ad Sacram Congregationem.

Nunc in renaſcenti Eccleſia cathedrali Scardonenſi, ope Dei, armiſque Venetorum Reipublicæ ex ruinis eruta, & a tyrannide Turcica erepta, munificentia Excellentiſſimi Senatus ad Archidiaconalem dignitatem, & ab Epiſcopo Civalelli ad Vicariatum translatus fui: quo in munere patentiorem campum nactus dilatandæ fidei, totam diœceſim perluſtravi, quam non ſine animi mœrore dumis pravarum conſuetudinum inviam, ac perverſorum dogmatum fere ſuffocatam inveni.

Scardona anno milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo quarto in Venetorum poteſtatem redacta, & ad priſtinum ſplendorem Epiſcopalem reſtituta fuit. Tamen ferreo temporis dente attrita vix abjecti ruris faciem demonſtrat. Tribus ex partibus Titio flumine alluitur, ab occidente vero continenti adjungitur. Sed non exigua ſpes eſt, quod vigilantia Excellentiſſimi Senatus, collectis hinc inde civibus, ad uberiorem & meliorem ſtatum eam reducat.

Decem millia & ultra hæc civitas olim incolarum paſcebat, nunc ducentos, & eos rudes & agreſtes, qui ex partibus infidelium ſub tutela Veneti Leonis advolarunt. Cathedralis pro nunc aſſignata olim Turcarum delubrum; nam antiquæ tot tantiſque bellorum fragoribus concuſſæ vix veſtigia apparent; eleemoſynis fidelium exſtructa, & in ſacram ædem reducta, ac B. Virgini Mariæ & S. Franciſco dicata eſt; ſed adeo anguſta, ut diebus feſtivis & ſollemnioribus tertia pars populi ex villis ſuburbanis advenientis ſacrum audire nequeat; tamen religioſiſſimæ Reipublicæ liberalitate quamprimum in amplam, elegantem, & luculentam formam redigetur. Proventus ejuſdem nulli, niſi qui ex paucis eleemoſynis fidelium ipſi contingunt, adeo ut pro lumine lampadis ante corpus Chriſti, & candelis pro diurnis officiis vix ſufficiant; at pietas Senatus quam citiſſime providebit.

Habet ſacriſtiam regia largitate Principis ſatis proviſam de omnibus, quæ ad cathedralem ſunt neceſſaria; videlicet paramenta pontificalia & ſacerdotalia omnium colorum auro & argento contexta, baculum paſtoralem pulchrum de argento cum mitris & aliis pro Epiſcopo. Habet oſtenſorium de argento figuræ ſphericæ, radiis ſolaribus circumdatum, in quo diebus ſollemnioribus & quadrageſimalibus Corpus Chriſti populo oſtenditur: item turibulum argenteum cum pyxide pariter de argento intus deaurata, in quo Euchariſtiæ ſacramentum aſſervatur in armariolo ligneo deaurato; tres calices de argento cum tribus vaſculis pro conſervandis oleis ſanctis, ceteraque omnia ad cultum divinum & ſervitium eccleſiæ ſpectantia.

Clerus pro nunc componitur ex Archidiacono, ſex Canonicis, quatuor manſionariis, & duobus clericis. Collatio primi ex indulto S. Sedis ad Senatum, reliquorum ad Epiſcopum pertinet. Omnes adhuc liberalitate Principis ex publico ærario non exigua ſtipendia percipiebant; ſed nunc aſſignatis tam Epiſcopo, quam Canonicis, & aliis copioſis poſſeſſionibus & perpetuis fundis, quiſque percipiet reditus ad ſui ſuſtentationem; ita reſtituta divinorum officiorum pſalmodia, horas canonicas perſolvunt, & abſentes diſtributionum, vel fructuum amiſſione puniuntur. Cura animarum

rum per Canonicum exercetur, licet nullam pro tali labore habeat mercedem. Theologalis præbenda adhuc nulla, nec pœnitentialis, donec in meliorem ſtatum Eccleſia & Capitulum redigatur. Seminarium nullum, nec ſpes pro nunc erigendi, exiſtentibus in civitate paucis Morlachorum familiis, qui ſtatui religioſo & eccleſiæ ſervitio filios dicare minime curant; ſed vix ad annos quinque perductos ovibus præficiunt, & agreſtibus ſervitiis ad lucrandum panem deſtinant. Ideo neceſſarium eſt, & valde utile exiſtens, quod ſaltem unus in collegio de Propaganda, vel in collegio Firmi admittatur, qui perfectis ſtudiis poſſit animabus quærentibus panem opitulari.

Extat unica Abbatia nuncupata S. Joannis Baptiſtæ in caſtro Bribir a fratribus Subich Comitibus dicti caſtri erecta, fundiſque perpetuis ſatis proviſa, pro quibus olim magiſtratui decimarum eccleſiaſticarum centum viginti quatuor libras monetæ Venetæ perſolvebat. Nunc conflictata malis, bellorumque cataſtrophas paſſa, nec fundos, nec reditus habet; & vix eccleſiæ non exiguæ extant veſtigia, quæ quatuor abhinc annis a ſchiſmaticis occupata, Dei gratia cooperante & me inſtante, auctoritate Principis erepta, & in antiquum Catholicum ritum confirmata fuit; in qua ſingulis annis ad augendum fidelium Catholicorum devotionem, & ſchiſmaticorum confuſionem, magno concurſu populi ſollemniter Miſſæ celebrantur, & indulgentiæ nuper a S. Sede conceſſæ publicantur. Attamen nullum dubium eſt, quod piiſſima Reſpublica pietate mota ad reſtaurandam eccleſiam & Dei cultum augendum bona dictæ eccleſiæ reſtituat.

Hujus diœceſis nunc ad triginta millia paſſuum per circuitum fines dimetiuntur; olim ex Concilio Provinciali de anno milleſimo octogeſimo quinto ſub Lucio tertio Summo Pontifice celebrato ad ſedandas controverſias inter Epiſcopos natas, eo quod parœciæ erant confuſæ, ac nullis limitibus diſtinctæ, pari voto & conſenſu omnium Epiſcoporum, ſeptuaginta millia paſſuum extendebantur, atque ad orientem Titio flumine, ad occidentem agro Nonenſi, ad meridiem Jadertino & Sibenicenſi, ad aquilonem Tinienſi terminabatur. Triginta inſuper nunc in ſe continet pagos & caſtra, præter quæ ab Archiepiſcopo Jadrenſi, Epiſcopis Sibenicenſi & Nonenſi, hujus antiquæ diœceſis finibus comprehenſa, detinentur: omnia jugo duriſſimæ ſervitutis Turcicæ oppreſſa, nunc benigno Venetorum gaudent imperio.

Meſſis quidem multa, operarii autem pauci; nam triginta & ultra oppida & caſtra a tribus ſolis Fratribus S. Franciſci minorum de obſervantia ex cœnobio S. Mariæ de Viſovaz reguntur. Nec ſolum in ſupradictis pagis, & caſtris, ſed per totam diœceſim inveniuntur pluſquam decem millia ſchiſmaticorum, qui a viginti Calogeris ſive monachis ſchiſmaticis, ex Pannonia ejectis, falſis dogmatibus imbuuntur. Unus ex illis divitiis inhians, & ut Epiſcopatum acciperet, ficta fide coram Nuncio Apoſtolico, & Patriarcha Venetiarum, multiſque nobilibus viris approbavit quæ S. Mater Eccleſia Romana approbat, & damnavit quæ ipſa damnat, juravitque ſe in poſterum veram Summo Pontifici, uti totius Eccleſiæ capiti & Vicario Chriſti præſtare obedientiam. Sed vix ab Archiepiſcopo Philadelphiæ Venetiis conſecratus, & in Dalmatia reverſus, neſcio quo ſpiritu ductus in Serbliam ſe recepit; ibique coram Patriarcha ſchiſmatico in loco dicto de Pech omnia, quæ coram Nuncio Apoſtolico profeſſus eſt, abjuravit. At non poſt multum temporis pœnitentia ductus, ſed impinguatus & divitiis onuſtus Epiſcopatum dimiſit, & ad montem ſanctum ſe recepit. Quo audito quidam alius Epiſcopus pejor priore ex Macedonia advolavit, & eſt nunc cum Calogeris, qui extructis jam tribus monaſteriis cum eccleſiis, ab ipſis Domus ſanctæ Dei appellatis, non ſolum pravis dogmatibus illaqueant homines, verum etiam miris modis ab incautis & ignaris populis, pro dirimendis matrimoniis, confeſſionibus, & aliis ſacramentis, non exigua extrahunt ſtipendia; adeo ut ultra modum ditati nulli præſtent obedientiam. Ideo ſine regia manu nec arceri, nec extirpari poſſunt. Dicitur tamen, quod religioſiſſima Reſpublica Epiſcopum ſupradictum ex provincia ejecit.

Superaddo quod multitudo copioſa tam ſchiſmaticorum, quam Catholicorum ex finibus Turcarum ad Tinienſem diœceſim carentem Paſtore & operariis advolavit, qui petunt panem, & non eſt, qui frangat eis; nam in tam magna diœceſi ſoli tres Fratres curam exercent; ideo inſtanter petitur, ut huic malo conſulatur.

Univerſus denique diœceſis populus Catholicus utriuſque ſexus, religioſus & devotus, licet agreſtibus negotiis & rebus ruralibus impeditus, feſtivis tamen diebus eccleſias frequentare non deſiſtit; ſed major pars ſymbolum fidei & Dominicam orationem ignorat; & neceſſitate communicandi cum ſchiſmaticis facile commaculari poteſt &c.

Gregorius cum annos fere tredecim huic eccleſiæ præfuiſſet, mortem obiit Sibenici anno 1713. VI. Id. Novembris. In ejus locum ſubſtitutus eſt & nominatus anno ſequenti

JOANNES EP. SCARDON. electus.

Indidem Scardona oriundus, ex nobili familia Vidovichia, & Canonicus Sibenicenſis. Vix annum integrum *electi* nomen geſſit, non tamen ab omni cura & ſollicitudine vacuum. Referta erat civitas & diœceſis alienigenis, genere Serblis, ſive Raſcianis, ritu Græcis, quos patrio Turcico ſolo profugos Veneti in fidem ac clientelam receperant, illiſque ſedes & domicilia, aliis in urbe, aliis in pagis viciſque aſſignaverant ſub ea conditione, ut retentis Græcorum ritibus ac cærimoniis Catholicam fidem profiterentur, & cum ſuis Calogeris ſive monachis & presbyteris Epiſcopo Scardonenſi ſubjectos ſe obedienteſque præberent. Horum precibus in ſpeciem honeſtis, callidiſque artibus circumventus Proviſor generalis Dalmatiæ poteſtatem fecerat templi ædificandi, in quo ipſi a Latinis ſejuncti, e præſcripto rituque Eccleſiæ Græcæ, rebus divinis operam darent. Nec ſane illorum poſtulatio rejicienda erat, ſiquidem pactis & promiſſis ſtare voluiſſent; ſed illi cum ritibus Græcis errores & ſchiſma Græcorum retinebant, ſeque haud obſcuris indiciis a Catholica religione, Romanoque Pontifice alienos eſſe oſtendebant; quin immo dogmatis & ſchiſmatis Photiani propagandi mira cupiditate flagrabant. Quare tum omnes Catholici Scardonenſes, tum præcipue Joannes electus Epiſcopus omni ope, operaque enitendum cenſuerunt, ut illorum conſiliis & conatibus obviam iretur. Joannes igitur libello ſupplici Senatum edocuit quo cogitata & molimina ſchiſmaticorum ſpectarent, quantum illis acceſſurum eſſet licentiæ & audaciæ ad ſuam cum Græcis Eccleſiæ Romanæ hoſtibus com-

communionem aperte profitendam, si quod petebant impetrarent; quot & quam periculosæ discordiæ hinc essent orituræ inter cultores utriusque ritus, quanta denique pernicies e schismatica contagione gregi Catholico immineret, nisi illorum cupiditas & arrogantia cohibeatur. Recte & prudenter monere visus est. Datæ igitur sunt anno 1714. III. Kalendas Octobris litteræ Ducales ad Provisorem generalem Dalmatiæ & Albaniæ, scriptæ in hanc sententiam: *Joannem Vidovichium electum Scardonensem, studio tuendæ Catholicæ religionis incensum, ad Senatum detulisse libellum supplicem, in quo multas & graves rationes afferebat, cur permittendum non esset schismaticis, ut sibi templum peculiare exstruerent, quod ædi cathedrali e regione oppositum ædificare jam cœperant. Jubeat igitur illos ab hujusmodi ædificatione desistere, & gravissimis pœnis propositis deterreat, ne quid tale in posterum injussu Senatus audeant.*

Reſcriptum Principis contra ſchiſmaticos templum ſibi ædificare cupientium.

Extat præterea interdictum ad Provisorem Dalmatiæ & Albaniæ missum, ac de mandato collegii Sapientum in hæc verba compositum, *Spectabilis & generose vir. Mittimus spectabili, vestræ occlusum, præsentatum, annotatum in cancellaria Ducali, de mandato excel. Sapientum, & ad instantiam Reverendissimi Episcopi, populorumque Catholicorum Scardonæ; eamdem requirimus, ut illud notificari faciat omnibus & singulis a latore præsentium nominandis, eis insuper de mandato nostro Comiti faciendo intimare, quod contra formam legum & decretorum Excellentissimi Senatus non audeant sub quovis prætextu novas ecclesias græci ritus ædificare; & si quas forsan construere cœpissent, in constructione prosequi non possint sine expressa prævia licentia dicti Excellentissimi Senatus, In eventum inobedientiæ contra inobedientes formare faciat processum, illumque sub suis litteris & sigillo nobis & officio nostro transmittat pro effectibus justitiæ. Ita exequatur, & exequi faciat &c.*

Alterum contra eaſdem decretum.

Cum nullas notas chronologicas huic interdicto appositas invenerim, incertum mihi est, utrum Vidovichii, an ejus, qui Vidovichio subjectus est, rogatu factum fuerit. At Vidovichius quidem antequam consecrationem Episcopalem susciperet, atque a Sede Apostolica vel postulatum, vel impetratum esset, ut collatum illi Sacerdotium approbaret; Episcopus Ecclesiæ Tragurien. præpositus fuit anno 1716. cum anno superiori VI. Kal. Octobris electus fuisset a Senatu & nominatus

Joannes ad Epiſcopatum Tragurienſem tranſlatus.

MATTHÆUS EP. SCARD. XXXVIII.

Antiqua & illustri familia Joannicia Spalati natus est, quam Politiani & Bractienses ad primarium gentis suæ consilium aggregaverant. In Capitulum Spalatense cooptatus munus Archidiaconi ac principem dignitatis locum obtinuit. Idem ornatus fuerat titulo Protonotarii Apostolici; & cum juris utriusque scientia polleret, eum Stephanus Cupillus Archiepiscopus suum auditorem creavit, & controversiis ecclesiasticis dirimendis præesse voluit. Clemens XI. ejus electionem & nominationem, de consilio Sacræ Congregationis Cardinalium & Præsulum ad id convocatæ, approbavit anno 1717. XVIII. Kal. Julii. Decretum Sacræ Congregationis.

Decretum Sac. Congregationis a nemine approbationem Matthæi a Senatu Veneto factam approbavit.

Congregatio particularis a Sanctissimo Patre nostro deputata censuit admittendam esse præsentationem ad Ecclesiam Scardonensem, factam a Serenissima Venet. Republica, de persona Reverendissimi Patris Domini Matthæi Joannicii Archidiaconi Spalatensis, tum inspecto rerum statu, ne ingruente ad bellum Turcicum ingenti Dalmatiæ periculo ecclesia illa Pastore diutius destituta sit, tum etiam attento augmento ducatorum 400. illarum partium facto mensæ Episcopali per Senatum die 18. Maji 1715. injuncta tamen lege præsentato docendi de triennio in triennium Sedem Apostolicam per authentica documenta de statu illius ecclesiæ, & præsertim de reditibus prædictæ mensæ; ita ut tam ratione præsentis, quam pro futuris temporibus, admittendis cautum sit illos constituere integram annuam summam 1500. ducatorum, & cetera omnia impleta esse, quæ per decretum S. memoriæ Innocentii XII. disponuntur, quæ ubi impleta non sint, per pietatem Senatus impleri possint. Et facta per me infrascriptum secretarium relatione, Sanctiss. D. N. omnibus & singulis benigne annuit. Dat. Romæ die 16. Maji 1716.

F. Card. Sacripantes.

Dominicus Riviera dictæ Congreg. Secret.

Itaque Clemens XI. anno proximo 1717. 14. Junii prov. Eccles. Scardonen. ad præsentationem Ducis & Reip. Ven. vacanti per obitum Gregorii, *de persona Matthæi Joannicii Archidiaconi Spalatensis, ei committendo quod de triennio in triennium Sedem Apostolicam, &c.* ut supra in decreto Sac. Congreg. Idem commendatum illi fuit in diplomate Pontificio confirmationis.

Joannicius rogatus a Proviſore Dalmatiæ, ut Græcis templum permittat, caute reſpondet.

Joannes Cornelius Dux Venetiarum per litteras Ducales imperavit præfectis ac magistratibus, ut Matthæum Episcopum ex formula juris mitterent in possessionem omnium bonorum stabilium Ecclesiæ Scardonensis, ac diligenter caverent ne quis impedimento illi esset, quominus debitos sibi fructus & proventus ex fundis ecclesiasticis percipere posset.

Jo: Cornelius Dei gratia Dux Venetiarum universis & singulis rapresentantibus & ministris nostris, ad quos hæ nostræ pervenerint, significamus hodie in Consilio nostro rogatorum captam fuisse partem tenoris infrascripti, videlicet: Essendo vacante la chiesa cattedrale di Scardona juspatronato della Signoria nostra &c. Dat. in nostro Ducali palatio die 31. Julii, Indict. 10. 1717.

Nondum Joannicius Scardonam venerat, cum ab Angelo Emo Provisore generali Dalmatiæ & Albaniæ, quem schismatici dolosis artibus circumventum in suam sententiam & voluntatem perduxerant, litteras accepit anno 1717. VI. Id. April. in hanc sententiam: jamdudum Græcos, qui Scardonæ habitant, vehementer optare sibi potestatem fieri construendi in urbe templi, in quo, ex disciplina rituque suæ gentis, divina mysteria celebrare possent, ne festis diebus cogerentur plurium milliarium iter conficere, ut ad Sacrum audiendum in templa suæ nationis longe distantia se conferrent; fuisse aliquos, qui sub religionis obtentu, vel potius privatæ alicujus utilitatis causa obstiterunt, ne voti compotes fierent. Illorum desiderium ac postulatum sibi honestum ac pium videri: rem totam ex arbitrio Episcopi potissimum pendere; Græcos illos omni asseveratione professos esse & persancte pollicitos, se futuros semper in Episcopi potestate, eique subjectos atque obedientes. Salva igitur, quod caput est, auctoritate Episcopali, nihil esse cur illorum voluntati ac precibus indulgere non debeat; se quoque Christiana pietate impulsum ab eo petere in beneficii loco

& gra-

& gratiæ, ut ſuum conſenſum præbeat. Si annuat, id ſibi pergratum, perquè honorificum erit.

Lectis hiſce litteris, fraus & malitia ſchiſmaticorum Joannicio ſubolùit. Plane & aperte, quod ſummus ille Dalmatiæ magiſtratus petébat, negare, non erat hominis prudentis atque officioſi; tergiverſatione utendum ſibi eſſe cenſuit. Reſcripſit igitur nihil ſibi potius eſſe, aut umquam futurum, quam ut in rebus omnibus, quantum in ſe eſſet, ſummi Proviſoris voluntati obſequeretur. De templo, quod Græci petebant, vel concedere, vel abnuere, ſitum non eſſe in ſua poteſtate; ſibi explorandos eſſe Catholicorum animos, quos ne ab ſe alienaret periculum erat, ſiquid illis inſciis aut invitis ſtatueret. Quare cum adhuc abſit a ſua eccleſia, nihil poſſe in alterutram partem decernere. Hac reſponſione, quæ reddita fuit v. Kalendas Maji, tunc quidem molimina ſchiſmaticorum disjecta ſunt, & periculum diſcuſſum, quod Catholicis imminebat.

Conſecratura Metropolita Spal.

Anno 1717. ſub initium Septembris Spalatum ſe contulit, ut conſecrationem Epiſcopalem ex antiquis Eccleſiæ inſtitutis a ſuo Metropolita ſuſciperet. Illum igitur Stephanus Cupillus Archiepiſcopus Spalatenſis, adjutoribus atque adminiſtris adhibitis Pharienſi ac Tragurienſi Epiſcopis, in æde metropolitana conſecravit; ut docent litteræ Archiepiſcopales compoſitæ in hæc verba.

Stephanus Cupilli Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Spalaten. olim Salonitanus, Dalmatiæ ac totius Croatiæ Primas.

Univerſis & ſingulis has noſtras inſpecturis, vel audituris fidem facimus ac teſtamur Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum Matthæum Joannitium a nobis, cum aſſiſtentia Illuſtriſſimorum & Reverendiſſimorum Antiſtitum F. Raymundi Aſperti Pharen. & Brachien. nec non Joannis Vidovich Tragurienſis, conſecratum fuiſſe in Epiſcopum Scardonen. in Eccleſia noſtra metropolitana hac die 7. Septembris; idque vigore mandati Apoſtolici contenti in Bulla Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ Clementis XI. data apud S. Mariam Majorem Romæ Kal. Julii, anno Incarnationis Dominicæ 1717. Pontificatus ſui 17. In quorum fidem &c.

Dat. Spalati ex palatio noſtro Archiepiſcopali die 7. Septembris 1717.

L. S. Stephanus Archiepiſcopus Spalatenſis.
Simeon de Pr. a Secretis.

Eodem anno XII. Kalendas Decembris, ipſoque die, Beatiſſimæ Mariæ Virginis Deo in templo Hieroſolymitano ſollemni ritu oblatæ ſacro, Scardonam ingreſſus eſt; quem clerus populuſque obviam effuſus, in ædem cathedralem deduxit. Poſt gratias Deo & ſuperis actas, & confertiſſimam multitudinem Epiſcopali benedictione impertitam, ad domicilium ſibi paratum diſceſſit. Duos annos, & menſes amplius octo, Eccleſiam Scardonenſem ſapienter pieque adminiſtravit. Diœceſim univerſam luſtravit, & pravas, quæ irrepſerant, conſuetudines abolevit. Multos ab errore & ſchiſmate ad rectam in Deum fidem, & obedientiam Romano Pontifici debitam revocavit. Cetera, quæ vel ipſe laudabiliter geſſit, vel ad ſtatum illius eccleſiæ pertinent, intelligi poſſunt ex epiſtola ſubjecta, quam ipſe Joannicius ad Sacram Congregationem Cardinalium ſcripſit.

Ejus acta, de quibus ipſe in ſua ad Sacram Congregat. epiſtola.

Scardona civitas antiquiſſima, profanis olim comitiis & conventu populorum nobilis, Chriſtiana confeſſione in ipſis eccleſiæ primordiis nobilior. Eam Titius amnis alluit, ab oriente, meridie, & aquilone montibus vallata, ab occidente in planitiem protenditur. Continet in ſe 130. domos, quarum quadraginta ſeptem tegulis, & ſexaginta tres tabulatis tectæ, una cum aliis viginti, & quamplurimis in maceriem redactis conſpiciuntur; ita ut civitas olim tam ampla, vix in ſuo ſolo reperiatur. Ab advenis tamen nihilominus ad eam commercii titulo confluentibus, plura reſtaurantur ædificia, ita ut ope Dei in ampliorem ſtatum redigetur. Ducentas olim circiter animas, & viginti ſchiſmate infectas numerabat præceſſor meus; nunc vero trecentas & ſeptem de veris fidelibus, & octoginta quatuor de ſchiſmaticis invenio. Eccleſia pro cathedrali deputata ſub titulo nativitatis B. M. V. olim Maumeticum ſanum, undecim cubitorum tantum extenditur longitudine, & octo latitudine, nam antiquæ veſtigia dirutæ vix conſpiciuntur. Nullus ſive parochus, ſive Archipresbyter ad animarum curam præcipue deputatus in civitate reperitur, eo quod nulla ipſis emolumenta aſſignata; ideo huc uſque fideles animæ tum ſacramentorum ſedulo adminiſtratore, tum Chriſtianorum rudimentorum pabulo ſummopere indigebant. Providentiæ tamen paſtoralis debitum exiſtimavi decernere, ut per turnum animarum cura inter Canonicos exerceatur, donec aliter ſtatutum fuerit.

Extant & veſtigia extra civitatem cujuſdam monaſterii, ut ajunt, & eccleſiæ, quæ nunc eleemoſynis fidelium reædificata eſt in honorem S. Hieronymi; ad quam non modo ſuo feſtivo die magno concurſu populi proceſſionaliter accedo, ibique ſollemniter pontificalia exerceo; verum etiam ſingulis hebdomadis quadrageſimæ feriis ſextis, ob præcipuam fidelium devotionem noviter per me introductam, ad eam proceſſionem inſtituo.

Diœceſim totam luſtravi, quæ nunc in quadraginta pagos & caſtra parva diffunditur, quorum decem & ſeptem tantum ſunt de Catholicis; 28. autem aut integra ſchiſmaticorum, aut mixta ſchiſmaticis. Extant 10. eccleſiæ parochiales ſimul & campeſtres, quarum aliquæ vetuſtate, & barbarorum immanitate dirutæ ſunt; parochiales ipſæ parva prædia fundoſque proprios habent; tamen de eleemoſynis fidelium, quoad neceſſaria providentur, & decenti forma gubernantur. In nulla tamen earum euchariſtiæ ſacramentum cuſtoditur; eo quod eccleſiæ ipſæ vel longe a ſuis pagis diſtent, vel ſitæ ſint in inviis, & ſolitudine. In una modo eccleſia baptiſmalem fontem inveni, eumdemque vacuum; uſque enim ad hoc tempus PP. obſervantes S. Franciſci ipſarum rectores ſimplici aqua pueros abluebant; eoſque compuli, ut juxta Ritualis Romani formam aqua rite benedicta uterentur. Capellas quoque parvas in ſingulis pagis juſſi ædificari, tum ut paſtores diurnæ gregis cuſtodiæ mancipati, cæterique villici Chriſtianæ fidei rudimentis de ſero aut mane poſſent eruditi; tum ne adverſa valetudine oppreſſi fideles ſacroſanctæ euchariſtiæ cibo carerent, & parochi præſto unicuique poſſent opem ferre, & ſpirituale auxilium præſtare.

Continet hæc diœceſis duo millia, quatuor centum, nonaginta tres animas Catholicas; & in tanto pagorum numero, & locorum extenſione, & diſtantia tres tantum Fratres min. obſer. tamquam animarum curati a Guardiano conventus B. M. V. de Viſſovaz, confirmandi ab ordinario, præfici ſolebant, ob quorum paucitatem, ſicuti popu-

populi affirmant, & ob cujuslibet parochiæ vastitatem, quarum unaquæque triginta fere millia passuum per gyrum comprehendit, permulti absque sacramentis, & sacerdotali assistentia destituti decesserunt. Cui malo ut irem obviam, & providerem, tribus antiquis duas recentes parochias addidi. Operæ pretium putarim, si sacerdotibus sæcularibus animæ præfatæ concrederentur; sed quia sub dira Turcarum barbarie Patres ipsi in Christiana religione fideles servavere, ideo sereniſſimi Principis jussu minime sunt amovendi.

In hac vinea reperiuntur mille octingenti & duodecim de schismaticis, qui a Calogeris, seu monachis nullam obedientiam S. Sedi præstantibus, falsis dogmatibus imbuuntur; & habent etiam conventum in ripa positum Titii fluminis, octo millia passuum a civitate Tinienſi ad austrum. Duæ eorum ecclesiæ sunt in hac diœcesi, in quibus exercent suas functiones. Visitavi ipsas, & inveni picturis sive imaginibus sacris ornatas, præcipue permultis sedilibus ligneis decenti forma fabrefactis; & in medio sedile elevatum, quod dixerunt esse sui Episcopi, quem vocant Vladika. Retinent altare absque pallio, unica tela coopertum, & desuper vacuum tabernaculum; calicem cum patena de stanno, non linitum auro, absque tamen purificatorio, cum palla parva lignea absque corporali.

Sollicitudinis meæ potiorem partem existimo Catholicos a schismaticorum commercio in spiritualibus prorsus avertere, & sartam tectam Apostolicam Romanam doctrinam servare; idque matrimoniorum præcipue occasione. Irrepserat enim promiscuus quidam abusus & licentia sponsalia inter Catholicos & schismaticos contrahendi, quod interdicere tunc præsertim studeo, cum periculum subversionis Catholici conjugis imminere timeo.

Extat etiam ecclesia abbatialis S. Joannis Baptistæ in quodam colle vocato Brebir, quæ annis elapsis a schismaticis ipsis occupata, auctoritate Principis Catholicis restituta, & in antiquum Romanum ritum redacta fuit. Sunt ibidem vestigia conventus & ecclesiæ Patrum conventualium S. Francisci; modo autem memoriæ dicti monasterii, & sacræ reliquiæ existunt in ecclesia & conventu dictorum Sibenicensium.

Sic diœcesis olim ampliſſima, Turcarum diuturna tyrannide vastata, ad præsens a conterminis Episcopis discerpta conspicitur. Synodum diœcesanam, expleto visitationis meæ curriculo, convocassem, ut quæ per me localiter sancita fuerunt, in omnium conventu vulgarentur; nisi operariorum in tanta diœcesis extensione penuria hoc salutare opus vetaret: nequeunt enim in tanta locorum distantia sine animarum detrimento parochi advocari, cum substitutos nullos subrogare ob sacerdotum inopia valeant; crescentibus vero in dies, per promotionem ad sacros ordines, novis candidatis & operariis, dabit Deus suo operi incrementum, & Episcopus synodales congregationes celebrare poterit &c.

Optimum Præsulem dum multa & perutilia ad resarcienda ecclesiæ suæ detrimenta, eamque in pristinum statum restituendam cogitaret ac moliretur, in hac ipsa pulcherrimorum rerum meditatione mors immatura oppressit. Scardonæ mortuus est anno 1720. & Spalatum translatus in æde S. Mariæ sepultus fuit.

NICOLAUS VII. EP. SCARD. XXXIX.

In oppido & insula Bractia natus ex nobili familia Thomasea. Nominatus fuit Episcopus Scardonensis anno 1721. VIII. Id. Febr. Anno sequenti Scardonam profectus, ipsis Kalendis Januarii ecclesiæ sibi commissæ possessionem adivit. Nihil vehementius optavit, quam ut se vivo ædes cathedralis exstrueretur; in idque & hortando, & rogando omni contentione studioque incubuit. Fundamenta quidem jacta fuerunt, & ex aliqua parte perducti fere ad summum usque parietes; sed seu turbine, seu fato nescio quo impulsi corruerunt. Nihil prætermisit, quantum facere enitique potuit, quin ædificii quod dirutum erat, reficeretur. Sed rei magnitudo ac difficultas propter angustias ærarii publici, omnes pii Antistitis conatus elusit. Annos fere duodecim summa vigilantia & sedulitate ecclesiam suam gubernavit. Sibenici decessit anno 1731. x. Kal. Septembris. In patriam transferri se jusserat, atque in avito majorum suorum sepulcro tumulari; supremæ illius voluntati obsecundatum est.

VINCENTIUS EP. SCARDON. XL.

E gente Bragadena, quæ vel originis antiquitate, vel civilium & bellicarum laudum splendore illustrem inter patricias Venetorum familias locum obtinet. Natus est Venetiis altero & nonagesimo anno sæculi superioris, xv. Kal. Aprilis. Egregia indole ac pietate adolescens in ipso ætatis flore, mortalibus rebus valere jussis, asperrimum vitæ institutum amplexus, inter Patres Franciscanos Capucinos Deo se in perpetuum dicavit. Post annos circiter viginti ad normam rigidioris Franciscanæ disciplinæ laudabiliter exactos, e sanctissima illa omnium virtutum palæstra ad regendam Ecclesiam Scardonensem evocatus, anno 1733. XVI. Kal. Januarii consecrationem Episcopalem suscepit; & anno sequenti Scardonam se contulit. Nihil habuit antiquius, quam ut, quod decessor cœperat conatusque fuerat, perficeret. Ejus igitur potissimum industria, diligentia, operaque ædes cathedralis sane ampla, & perpulchre descripta, ad fastigium perducta est, eique tectum impositum fuit. Ad eam absolvendam ornandamque non solum plurimum materiæ, calcis, & lapidis elaborati, sed etiam pecuniæ publicæ in ærario fisci Sibenicensis reliquit. Liberalitas religiosa Senatus Veneti eamdem annuo proventu dotavit, & sacra supellectili cujusque generis instruxit. Vincentius huic ecclesiæ annos fere viginti ita præfuit, ut nullum vigilis ac laborioſi pastoris, amantissimique parentis officium prætermitteret. Clerum ac populum paterna caritate complexus, utrique & verbis & exemplis ad honeste pieque vivendum incitamento erat atque adjumento; utque omnibus prodesset, nulla in re sibi parcebat, nullumque sive laborem, sive incommodum defugiebat. Sed cum propter insciticiam sermonis Slavonici ovibus sibi creditis, quæ ipsam pastoris vocem audire nequibant, minus utilis, quam voluisset, sibi esse videretur; alium sibi gregem dari cupiebat, apud quem utilius operam suam collocare posset. Forte evenit, ut Albertus de Grandis anno 1752. moriens Sedem Clugiensem vacuam relinqueret, Episcopus eximiæ sanctitatis & doctrinæ, quem Clugien-

Ædem cathedralem ad fastigia perduxit.

Ad Sedem Clugiensem transfertur.

sibus

ſibus potius oſtenſum, quam datum dixerim; vix enim alterum Epiſcopatus annum attigerat; in quo tam exiguo, tamque brevi Epiſcopalis adminiſtrationis curriculo, tot ac tanta virtutum omnium, quas Paullus in Epiſcopo requirit, ac præſertim paternæ erga omnes caritatis & beneficentiæ argumenta dedit, ut civitas univerſa funeris illius exequias inſolito omnium ordinum luctu & lacrymis proſecuta ſatis oſtenderet, quam triſte & acerbum ſui deſiderium talis ac tantus Antiſtes in omnium animis defixum reliquerit. Vincentius igitur oblatam occaſionem commutandæ Scardonenſis cum Clugienſi Eccleſia minime prætermittendam putavit; & omnino is unus eſſe viſus eſt, qui Præſulis illius extincti jacturam lenire, ejuſque locum ſumma omnium approbatione tenere poſſet. Itaque Senatus Venetus, ceteris competitoribus poſthabitis, Vincentium, ex recenti privilegio Pontificio, Epiſcopum Clugienſem anno 1753. nominavit.

ANTONIUS II. EP. SCARDON. XLI.

Ejus acta ante Scardonenſem Epiſcopatum.

Inter antiquiſſimas Serbliæ familias Becichia, quamdiu regnum Serblorum ſtetit, vel generis nobilitate, vel rerum geſtarum gloria, vel denique honoribus, imperiis militaribus, divitiis, opibuſque in primis floruit. Poſt regnum Serblianum extinctum, ejuſque Dynaſtas, quibus potiebantur, civitatibus & caſtellis exſutos, Becichii ſedem omnium rerum ac fortunarum ſuarum Butuæ collocarunt, quæ civitas eſt vetuſtiſſima Dalmatiæ, mari adjacens, ab oſtiis ſinus Catarenſis millia paſſuum fere viginti in orientem disjuncta. Hac nobiliſſima familia natus eſt Butuæ Antonius anno 1698. cujus majores bellica virtute & conſtanti erga Rempublicam Venetorum fide, magna decora ſimul & præmia ſibi ac poſteris pepererunt, haud minus ſuis præclare factis, quam honoribus, præfecturis militaribus, aliiſque beneficiis a Senatu Veneto collatis illuſtres. Poſt primam ætatem politioribus litteris excultam, Romæ in collegium de propaganda fide admiſſus, Philoſophiæ, ac Theologiæ, ceteriſque ſacrarum diſciplinarum ſtudiis operam dedit; quorum curriculo abſoluto in patriam reverſus eſt. Sacerdotio jam initiatum, & muneri Apoſtolico haud magis ætate, quam doctrina & virtute maturum, Archiepiſcopus Antibarenſis Vicarium generalem ſibi delegit. Ab eodem Evangelii cauſſa miſſus eſt in regiones Turcarum imperio ſubjectas; ut Chriſtianos in illis degentes & miſeranda ſervitute oppreſſos inviſeret, ſolaretur, divinis præceptis ac myſteriis imbueret. Hac Evangelica expeditione iterum ac ſæpius perfuncto altera longe periculoſior & laborioſior demandata fuit a Sacra Romana Congregatione, quæ illum Vicarium Apoſtolicum totius Valachiæ conſtituit: quo in munere naviter utiliterque ad earum gentium ſalutem obeundo, dignum ſe præbuit, cui Clemens XII. anno 1743. Epiſcopatum Nicopolitanum conferret: ſi tamen hoc præmii loco habendum fuit, quod eidem onus graviſſimum majorum laborum, curarum, & periculorum impoſuit. Nicopolitanus enim ejuſdem eſt generis, atque antiqui eccleſiæ primævæ Epiſcopatus; ad quos gerendos qui mittebantur, eos non ad opes & copias, ſed ad labores & aperta vitæ diſcrimina deſtinari conſtabat. Epiſcopatum plurimis difficultatibus implicitum, magnis incommodis & cutis exercitum, periculis & inſidiis circumſeptum agitatumque inter Turcas & Schiſmaticos, per annos circiter ſeptem, ſumma alacritate & vigilantia geſſit; neque antea eum depoſuit, quam nimiis animi & corporis laboribus defatigatum, maleque affectum neceſſitas compulit, ut ad curandam valetudinem ac vires reficiendas quietem ſibi & vacationem poſtulandam eſſe exiſtimaret. Quam ob cauſſam anno 1749. Patavium ſe contulit, & perhumaniter a Carolo Cardinali Rezzonico urbis Epiſcopo ac benigne hoſpitio acceptus eſt, qui optimum Præſulem de re Chriſtiana egregie meritum quatuor fere annos ſua liberalitate ſuſtentavit, eumque ſibi familiarem habuit, jucundumque, & quotidianum convictorem. Hominis quippe ingenui, ac ſinceri, ſolida virtute præditi, feſtivi ac ſuavis conſuetudine graviſſimus ille ac ſapientiſſimus Princeps mirifice delectabatur. Anno Jubilæi eum Romam ſecum adduxit, eique a Benedicto XIV. poteſtatem dimittendæ Eccleſiæ Nicopolitanæ, tenuemque annuam penſionem impetravit. Uterque Patavium reverſus cum eſſet, Sedes Scardonenſis ob tranſitum Vincentii Bragadeni Epiſcopi ad Eccleſiam Clugienſem anno 1753. vacavit. Ad illam obtinendam plurimum Antonio tum gratioſa Cardinalis Rezzonici commendatio, tum vero & ſua & majorum ſuorum merita profuerunt. Anno igitur 1754. in frequenti Senatu pluribus ſuffragiis electus eſt nominatuſque Epiſcopus Scardonenſis. Eodem anno pridie Nonas Octobris Scardonam ingreſſus, & ingenti omnium gratulatione, plauſuque exceptus, illius Eccleſiæ regimen ſuſcepit. Illud in primis illi curæ fuit, ut operis & ornamenti quod deerat eccleſiæ cathedrali, perficeret & curaret; quam quidem anno quarto, quam Scardonam venerat, ſumma totius urbis ac diœceſis lætitia, & confertiſſimæ multitudinis concurſu, ſollemni ritu ac cærimonia dedicavit XVI. Kal. Maji. In eadem aram ex marmore, opere eleganti, Deiparæ Virgini Carmelitanæ de ſuo exſtruxit. Eamdem ædem cathedralem multa & pretioſa ſupellectili partim e ſuo cenſu, partim ex pia liberalitate Senatus Veneti, augendam curavit. Annos circiter quinque huic Eccleſiæ præfuit; & nihil umquam induſtriæ, curæque prætermiſit, quod vel ad ſponſam ſuam magis ac magis ornandam, vel ad gregis ſibi concrediti utilitatem ac ſalutem pertineret. Itaque omnes, clerum pariter atque populum, quæ ejus erat erga omnes caritas & benevolentia, ſibi obſequio & amore devinctos tenuit. Anno 1758. dies ille auſpicatiſſimus orbi Chriſtiano illuxit, cum Carolus Cardinalis Rezzonicus Summus Pontifex creatus eſt. Haud committendum putavit Antonius, ut non ſtatim ad illum officii & grati animi cauſſa venerabundus accederet. Facili aditu ad Pontificem admiſſus, quam antea expertus fuerat in Carolo Cardinali, eamdem in Clemente XIII. erga ſe benignitatem & gratiam invenit: quippe eum honoris ergo inter Præſules domeſticos, atque Epiſcopos pontificali ſolio aſſiſtentes cooptavit, & cum multis aliis donis, tum ampliſſimis indulgentiarum muneribus cumulavit, quibus eccleſiam ſuam locupletaret ornaretque. Evenit interea, dum adhuc Romæ verſaretur, ut Eccleſia Pharienſis, propter obitum Cæſaris Bonajuti Epiſcopi, paſtore deſtituta eſſet. Hanc Pontifex Antonio Epiſcopo Scardonenſi decrevit an. 1759. III. Idus Julii;

Scardonenſem Eccleſiam obtinet.

Translatus eſt ad Eccleſiam Pharienſem.

Julii ; ut id & argumentum eſſet ſuæ erga illum beneficæ voluntatis , & præmium optimo Antiſtiti pro præteritis laboribus , periculis , incommodis Chriſtianæ religionis cauſſa ſuſceptis . Siquidem Pharienſis Eccleſia longe opulentior eſt , & ab illis curis ac moleſtiis libera , quas Epiſcopis Catholicis exhibere ſolent ſchiſmatici , quorum referta eſt Scardonenſis . Antequam novam adiret , veterem ſuam Eccleſiam reviſere , & gregi ſibi cariſſimo ſupremum vale dicere voluit . Quam porro ipſe carus & acceptus ſummis juxta & infimis eſſet , digreſſus oſtendit . Eodem anno 1759. Idibus Septembris cives omnium ordinum in ædem cathedralem frequentiſſimi convenerant , paſtoris amantiſſimi ultimum viſendi , fruendi , & audiendi ſtudio ; quibus cum ille poſtrema monita ad honeſte pieque vivendum ſalutaria traderet , atque ad extremum benedictionem Epiſcopalem impertiret , incredibile dictu eſt , quo & quanto mœrore animos omnium perculerit , ſuam orbitatem ac ſolitudinem lamentantium , talemque paſtorem ac patrem ab ſe divelli & abrumpi querentium ; nec ſine lacrymis poſtridie abeuntem proſecuti ſunt .

DOMINICUS EP. SCARDON. XLII.

Patricius Venetus e gente Paſchalica , idemque Canonicus Eccleſiæ Patavinæ , vir ſingulari modeſtia , integritate , ac religione , omnibuſque illis virtutibus præditus , quæ hominem eccleſiaſticum maxime decent , ornantque . Poſt Antonium Becichium ad Pharienſem Eccleſiam translatum , Venetiis in ſummo & maximo Concilio habita ſunt comitia novo Epiſcopo Scardonenſi eligendo . Multi erant competitores , ſed omnibus prælatus eſt Dominicus , cujus egregia virtus omnibus cognita & perſpecta promerita fuit , ut pleraque graviſſimorum illorum Patrum ſuffragia in eum confluerent . In hujus Eccleſiæ regimine ſane difficili propter ſchiſmaticos , a quibus civitas illa & diœceſis incolitur & habitatur frequentiſſime , ita ſe geſſit , ut ob eximiam erga omnes benignitatem æque ſchiſmaticis atque Catholicis carus fuerit acceptuſque , nec minorem apud utroſque veneratione innocentia vitæ & ſanctitas illi conciliavit . Sed Præſul optimus gravi morbo correptus ad ſuperos evolavit anno 1766. XVIII. Cal. Majas annum agens ætatis 66. ſepultuſque eſt , ut teſtamento ſuo mandaverat , in æde monialium S. Catharinæ .

STEPHANUS ANTONIUS EP. SC. XLIII.

Bartholomæi Triviſani patricii Veneti filius , vir ſingulari pietate & doctrina præditus , ac in pauperes maxime liberalis , cum vix ætatem ad Epiſcopale munus idoneam attigiſſet , ex Archidiacono Eccleſiæ Scardonenſis in Epiſcopum a Senatu Veneto electus eſt eodem anno 1766. XIV. Cal. Octobris .

EPIS-

EPISCOPI BOSNENSES.

Circumſcriptio Boſinæ.

BOſinam intermediam a ſeptentrione Slavonia, ab occaſu Chrobatia, ab oriente Serblia, a meridie Dalmatia definiunt; Savus amnis a Slavonia, Drinus a Serblia, montes Ardii a Dalmatia, Verbaſius a Chrobatia disjungunt; niſi quod Verbaſium ab occidente tranſgreſſa particulam quamdam Chrobatiæ amplectitur, in qua eſt Jaycza civitas Boſinæ præſtantiſſima. Ante Auguſtum ſimul cum Chrobatia Pannoniæ vocabulo ſuberat, & pars erat Pannoniæ Auſtralis inter Savum & montes Dalmatiæ interjecta. Auguſto imperante ab reliqua Pannonia divulſa in jus nomenque Dalmaticum migravit, ut colligitur ex Strabone, qui Dalmatiam Ardio monte intermedio bifariam diviſit, & partem alteram vergere ad mare, alteram in oppoſitam aquilonarem plagam ſpectare ſcripſit: *Porro mons, cui nomen Ardium, Dalmatiam mediam ſecat, ut altera ejus pars ad mare ſpectet, altera in diverſum*. Idem confirmant Tabulæ Ptolemaicæ apud Joannem Lucium lib. 1. de Reg. Dalm. & Croat. *Ex tabulis Ptolemæi clare perſpicitur Pannones a Dalmatis receſſiſſe ad Savum, Dalmatiamque Savum uſque dilatatam fuiſſe, quod ultimo bello, tempore Auguſti eveniſſe conjectari poteſt*. Sæculo ſeptimo poſt adventum Chrobatorum & Serblorum, quibus Heraclius Imperator partes mediterraneas Dalmatiæ ultra citraque montes habitandas tradidit; hæ regiones, qua vergunt in occaſum Chrobatiæ, qua in ortum proſpectant, Serbliæ vocabulo ab novis incolis appellari cœperunt. Sed regio illa, quæ Verbaſio & Drino fluminibus interjacet, quamvis pars Serbliæ eſſe non deſierit, nomen a Serblis acceptum cum recentiori *Boſinæ*, ſeu *Boſnæ* vocabulo commutavit. Sunt qui hoc nomen illatum putent a Beſſis populis Mœſiæ inferioris; ſed de migratione Beſſorum adventuque in hanc regionem nihil in antiquis monumentis proditum invenio; & *Beſſorum*, ac *Boſinæ* vocabula inter ſe adeo differunt, ut alterum ab altero derivatum eſſe non videatur. Communis eſt opinio longeque probabilior Boſinam denominatam eſſe a *Boſna* fluvio, qui oriens ex Ardiis, ſive Adriis montibus regionem fere mediam interſecat, & poſt varios ac multiplices flexus in Savum delabitur. Pars occidentalis citra Boſnam *Inferior*, orientalis ultra Boſnam *Superior* Boſina dicitur. Sunt tamen qui hanc regionem aliter dividant, & quæ pars ſpectat in ſeptemtrionem, *Inferiorem*, quæ vero ad meridiem declinat, *Superiorem* Boſinam appellant. Boſinæ vocabulum antiquius eſt ſæculo decimo; eo ſiquidem uſus eſt Conſtantinus Porphyrogenitus de adm. cap. 32. *In agro vero Boſonæ Catera, & Deſnec*. Cum *agrum* (χωρίον) *Boſonæ* vocat, videtur nomen Boſinæ per ea tempora exiguis circa Boſnam fluvium terminis circumſcriptum fuiſſe, quod deinde longe lateque prolatum integram provinciam & regnum juſtæ magnitudinis complexum eſt.

Boſina unde appellata?

Cum Tiberius Pannones ſubegit, hæc quoque regio, quæ tum Pannoniæ, poſtea Dalmatiæ, demum Serbliæ pars fuit, dictaque eſt Boſina, ad Romanum Imperium acceſſit. Cum duo vel plures Romanorum Imperatores creari cœperunt, ejus poteſtati ſuberat, cui vel integrum, vel occidentale Illyricum obtigerat. Poſt extinctum occidentale Imperium, Imperatoribus Orientis paruit; niſi quod ſæculo quinto ad exitum vergente ſub imperium Gothorum cecidit; ſed eam Juſtinianus debellatis Gothis recuperavit. Sæculo ſeptimo Heraclius Imperator hanc provinciam una cum Mœſia ſuperiori, & Dalmatia mediterranea orientali, Serblis fiduciariam dedit: ex his provinciis, quæ antiquis nominibus poſthabitis, communi Serbliæ vocabulo appellari cœperunt, regnum Serblianum conflatum eſt. Presbyter Diocleas auctor eſt partem occidentalem Serbliæ, quæ Savo & montibus Dalmatiæ interjacet, auctore Svetopleko, ſive, ut vocant alii, Budimiro, qui primus e regibus Serbliæ Chriſtiana ſacra ſuſcepit, *Boſinam* nominatam eſſe a fluvio cognomine intermedio; itemque partem auſtralem Mœſiæ ſuperioris, quæ olim Dardania, ab amne Raſca illam interfluente appellatam fuiſſe *Raſciam*. Reges Serblorum ut minoribus *Jupanos*, ſic majoribus provinciis, veluti Boſinæ, *Banos* rectores præficere ſolebant. Sæculo nono Boſina ut eſt apud Diocleatem, a Pribislavo rege Serblorum defecit, qui cum perduellibus dimicans in prælio occubuit. Hujus filius Creſimirus, Bani Boſnenſis copiis adjutus, regionem illam ad fidem & obſequium revocavit. Sæculo decimo iterum deſcivit ab rege Tieſcimiro, ut idem Diocleates docet; Creſimirus Tieſcimiri, ex filia Cidomiri Bani ac deinde ducis Chrobatorum, junior filius, cum Boſnenſibus acie congreſſus, provinciam illam recuperavit, atque ad Principatum Chrobatiæ adjunxit, in quem ipſe avo materno Cidomiro ſucceſſit. Quamdiu Boſina ſub imperio ducum Chrobatiæ manſerit, mihi non liquet. Carolus Dufreſnius ex Orbino & Luccaro tradit duces Chrobatiæ dominatos fuiſſe in Boſina uſque ad Creſimirum II., nobis III., qui ſæculo undecimo ineunte principatum in Chrobatis obtinuit. Idem Dufreſnius inter duces Chrobatorum & Boſnenſium Stephanum Creſimiri filium, Legetum, & Ucmirum Stephani filios annumerat, qui omnes a catalogo ſerieque ducum Chrobatiæ abſunt. Citius arbitror, Boſinam in poteſtatem regum Serbliæ rediiſſe; nam poſt Creſimirum patrem Stephani ac Cidomiri nepotem in hiſtoria regum Chrobatiæ nullam Boſinæ mentionem factam invenio. Stephanum tamen Creſimiri filium in utraque provincia rerum potitum fuiſſe tradit Diocleas: *Creſimiro autem natus eſt filius, cui Stephani nomen impoſuit; iſte poſt mortem patris rexit Croatiam Albam, & Boſnam*. Anno circiter octogeſimo ſæculi undecimi Bodinus expulſo Radoslavo patruo, paternum Serbliæ regnum ſimul cum Boſina recuperavit; & huic provinciæ Stephanum Banum præfecit.

Quibus paruit?

Bela II. cognomento cæcus, qui Stephano II. patrueli in regnum Hungariæ ſucceſſit anno 1131. Boſinam Serblis ademptam in ſuam poteſtatem redegit, ejuſque fines in meridiem amplificavit; nam regionem illam Boſinæ adjunxit, quam interfluit Rama oriens ex Adriis montibus, illabenſque in Naronem: ab eo denominatur *Rama*, & pars eſt Dalmatiæ inalpinæ. Exinde Boſina bifariam dividi cœpit in ſuperiorem & inferio-

feriorem. Pars *ſuperior* ad ſeptemtrionem ultra montes eadem eſt, ac vetus Boſina; *inferior* ad meridiem citra montes eſt altera pars adſcriptitia, quam *Ramam* vocari diximus. Reges Hungariæ, neglecto antiquo Boſinæ, utramque ſub recentiori Ramæ nomine comprehendi voluerunt. Itaque cum utramque poſſiderent, in ſuis tamen diplomatibus reges, ſeu duces *Ramæ* tantummodo ſe inſcribere ſolebant. Hi populi cum in poteſtatem Hungarorum veniſſent, eamdem, quam antea ſub regibus Serbliæ, ſuis legibus & inſtitutis vivendi libertatem retinuerunt; niſi quod ſuberant Exarcho ſive Bano Boſnenſi a regibus Hungariæ conſtituto, qui regibus iiſdem vectigalis cum eſſet, regionem illam jure fiduciario adminiſtrabat: id quod etiam ex Joanne Cinnamo intelligi poteſt, qui lib. 3. in Emanuele Imp. hæc ſcripſit: *Ad Savum cum veniſſet* (ſcilicet Emanuel) *ad illud inde flumen deflectit nomine Drunam* (Drinum), *quod ſuperiori e loco fractis oſtiis Boſthnam a reliqua Serblia dividit: ceterum Boſthna imperio non ſubeſt Archizupani Serbliæ* (qui ſe regem appellabat); *ſed gens tunc temporis moribus ſuis, ſuoque magiſtratu agebat . . . His cognitis rebus, ſimulque intellecto Boritzen Boſthnæ regionis Dalmaticæ Exarchum, qui ſocius in bello fuerat Peonarchæ* (ideſt regi Pannoniæ, cui erat vectigalis) *in ſuam redigere ditionem cupiens, fortiſſimos milites ad conſerendas cum Boritze manus dimiſit.*

Reges Hung. Boſinam Banis regendam jure fiduciario tradebant.

Bani Boſnenſes.

Cum Geyſa II. anno 1141. Belæ parenti ſuffectus rerum in Hungaria potiebatur, Boritzes, quem alii Boriſium, alii Borichium vocant, Banus erat Boſnenſis, eidem regi jure clientelæ obnoxius. Porro Emanuel ut Dalmatiam & Chrobatiam, ſic etiam Boſinam Stephano III. Geyſæ filio ademit; ſed poſt ejus mortem Bela III. Stephani III. frater has provincias recuperavit, & Boſinæ Culinum Banum præfecit; de quo extat epiſtola Innocentii III. ad regem Hungariæ. Hic ſub Bela III. Emerico II. Ladislavo III. Andrea II. regibus Hungariæ, ſex annos & triginta huic provinciæ præfuiſſe traditur. Culino imperante tantam rerum omnium, quas natura deſiderat, copiam & abundantiam extitiſſe ferunt, ut gentes illæ, ſiquando lætior præter expectationem fertiliorque annus arrideat, illud proverbii loco uſurpare ſoleant: *jam ad Culini tempora redimus.* Plures deinceps hanc provinciam adminiſtrarunt Banali titulo imperioque contenti uſque ad ſæculum decimum quartum: quo quidem ſæculo Stephanus Tuartkus Stephano patruo in Boſnæ principatum ſucceſſit, & poſthabito Bani, titulum regis an. 1376. aſſumpſit conceſſu Ludovici regis Hungariæ, cui erat affinitate devinctus: Ludovicus enim Eliſabetham ſororem patruelem Tuartki in matrimonio habebat. Ad regnum Boſnenſe principatum Chelmenſem ſive ducatum S. Sabbæ in Dalmatia, & partem Serbliæ meridianam adjunxit, quæ ab amne Raſca interfluente Raſcia denominatur. Tuartko extincto, regnum in Boſnenſibus obtinuit anno 1392. Stephanus Dabiſcia, quem Miroſlavus patruus Tuartki ex toro non legitimo genuerat. Dabiſciam excepit anno 1396. Stephanus Tuartkus II. cognomento Scurus, Tuartki primi e pellice filius; cui partem regni ademit Stephanus Oſtoja Chriſtichius, & uterque regis Boſnenſis titulum geſſit. Oſtoja ob ſuperbiam ac libidinem non ferendam expulſo, Boſnenſes regem crearunt anno 1415. Stephanum Jablanovichium. Hic cum Tuartko fœdus iniit; contra utrumque Oſtoja pugnavit, adjutus auxiliis Turcarum, quibus & vectigal annuum promiſit, & filium obſidem dedit. Poſt multa prælia vario marte commiſſa, tandem anno 1422. inter eos ita convenit, ut regnum inter ſe trifariam partiti, reges Boſinæ ſinguli appellarentur. Sed Jablanovichius nulla relicta prole non multo poſt e vivis exceſſit. Oſtoja cum plures annos regnaſſet, diem ſupremum obiit an. 1434. Tuartkus vivere ac regnare deſiit an. 1443. Huic a Boſnenſibus proceribus in regnum ſubrogatus eſt Stephanus Thomaſcus, ſive Thomas, quem alii e Chriſtichia, alii ex Jablanovichia gente oriundum tradunt. Parenti regnum ac vitam eripuit Stephanus e concubina filius, qui regum Boſnenſium poſtremus fuit. Hic ſiquidem in caſtro Elutio obſeſſus a Turcis, vehementerque oppugnatus cum eſſet, fame & aquæ inopia compulſus, ſe ac regnum in hoſtium poteſtatem tradidit anno 1463. quem Mahumetes II. rex Turcarum contra fidem datam obtruncari juſſit, ſive, ut aliqui tradunt, ſua ipſe manu interfecit. Boſinam magna ex parte haud multo poſt recuperavit Matthias rex Hungariæ; ſed ſæculo ſexto decimo recidit ſub dominatum Turcarum, quorum imperio adhuc ſubeſt.

Reges Boſnæ.

Turcæ Boſina potiuntur.

De Boſina præſertim hodierna P. Hieronymum de Rama, qui Franciſcanæ provinciæ in Dalmatia ſupremam præfecturam gerebat, quædam per litteras interrogavi, quæ mihi vel dubia, vel ignota. Hic cum ab illis locis abeſſet, mea poſtulata rejecit ad P. Marcum Dabreſich nunc in Boſina miniſtrum provincialem ejuſdem Ordinis, qui gravioribus curis diſtentus cum eſſet, rogavit P. Philippum de Ochievia exprovincialem virum eximiæ doctrinæ, & locorum atque antiquitatum illius regni atque eccleſiæ ſcientiſſimum, ut mihi ad interrogata reſponderet. Quod rogabatur, fecit perlibenter & cumulate religioſiſſimus, atque humaniſſimus Pater; ac decem folia rerum Boſnenſium cujuſque generis referta tranſmiſit, in quibus de Topographia, totiuſque regni & eccleſiæ Boſnenſis ſtatu multa & ſelecta, cognituque digniſſima perquam accurate deſcripſit. Tribus hiſce primariis ac reverendiſſimis Patribus tantum debeo, quantum perſolvere difficile eſt; maximas certe gratias ago, majores etiam habeo, duobus illis prioribus, quod talem ac tantum virum, diligentiſſimum inveſtigatorem rerum Boſnenſium ſubſidio mihi, meiſque ſtudiis comparaverint; P. vero Philippo, quod mei ac meorum ſtudiorum cauſſa tantum laboris atque incommodi ſuſceperit. Quæ igitur litteris tradita accepi a P. Philippo, ea diſperſe variis hujus hiſtoriæ locis intexam, prout rerum ac temporum ratio poſtulabit. Ac primum diviſionem, circumſcriptionem, ac dimenſionem Boſinæ his verbis tradit.

Boſinæ hodiernæ deſcriptio.

Aliqui dividunt Boſnam in regnum & ducatum. Boſnam regnum dicunt partem inferiorem, cujus flumina ſeptemtrionem verſus labuntur in Savum. Boſnam vero ducatum, cujus flumina meridiem & occaſum verſus in mare Adriaticum prolabuntur, & conterminat cum ſtatu Reipublicæ Raguſinæ. Hic notandum eſt modo, quod in his partibus diſtantiæ locorum dietis, horiſque, non milliaribus ſignantur. Dieta autem plerumque pro tanta diſtantia accipitur, quantam peragunt agaſones cum jumentis oneratis in una die:

die : videtur nobis complecti circiter 25. milliaria Italica. His prænotatis, Bosna in longitudine habet dietas 14. in 15. in latitudine vero, ubi latior, habet 8. vel 9. dietas itineris. Nunc geometræ est ejus spatium in orbem taxare. Si autem accipiatur Bosna, prout modo a Passa Turcico regitur, procul dubio in longitudine habebit plures dietas supradictas; nam extenditur super aliquot arces ultra fluvium Hunnam, qui conterminat modernam Croatiam cum Bosna. Tandem si accipiatur Bosna inferior tantum, quam, ut supra dictum est, regnum vocant, longitudo sua a fluvio Drina usque ad montes, quibus dividitur à Korbavia, vel ut moderni Itali vocant, Morlakia, numerat decem dietas circiter; latitudo vero a fluvio Sava usque ad scaturigines earum aquarum, quæ ad mare Adriaticum labuntur, habet circiter 6. dietas.

In hac descriptione Bosina in meridiem producta Hertzegovinam, alias ducatum S. Sabbæ, sive Principatum Chelmensem complectitur, quem sæculo decimo quarto, ut supra dictum est, Stephanus Tuartkus ad regnum Bosnense adjunxit, & fiduciarium dedit Ulatko Vajvodæ ob præclara hujus in rempublicam merita; quippe octodecim millia Turcarum, qui Bosinam invaserant, duplici prælio profligavit. Siquidem P. Philippus Bosinæ regno & vocabulo subjecit quidquid nunc imperio subest Bassæ Bosnensis; ac propterea Bosinæ fines etiam in occasum ultra Verbasium usque ad Unnam fluvium produxit, particulam Chrobatiæ eidem attribuens. Hic itaque Dalmatiæ superioris partem non exiguam Bosinæ adjungit, hanc vero Bosinam superiorem, & ducatum appellat. Nos vero, secluſa Dalmatia, Bosinam iisdem, quibus antiquitus definiebatur, terminis circumscripsimus. Nunc de primariis Bosinæ civitatibus.

Urbes primariæ.

Cum Bosina exiguis circa ripam utramque Bosnæ fluvii terminis coercebatur, duas tantummodo urbes huic regioni attribuit Constantinus Porphyrogenitus, *Desnec*, & *Cateram* ab hac *Decateram*, nunc *Catarum*, olim *Ascrivium*, civitatem Dalmatiæ denominatam ferunt. Sub regibus Hungariæ multis urbibus, castellis, oppidisque egregie munitis habitari cœpit. Jaycza, sive Jaicia princeps olim Bosinæ civitas, & interdum sedes Banorum ac Regum, in ipsis confiniis Chrobatiæ, imposita est colli prærupto & undique prærupto, quem Plina, seu Pliva fluvius (Usforam vocat Ritterus) & aquæ ex eo stagnantes circumfluunt. Ab ovo, ad cujus similitudinem exstructa est, seu potius ab ipso tumulo, quem insidet, in modum ovi acuminato, nomen accepit: *Jaitze* enim apud Slavos idem significat, quod *ovum* apud Latinos. Mœnibus atque propugnaculis cingitur, opere quidem antiquo, sed mira crassitudine ac firmitate compactis; acclivitas loci præceps, præacutis rupibus obsepta, peranguſtum aditum ac perdifficilem præbet; ut, nisi fame, vix expugnari posse videatur. Ab infimis radicibus montis extenditur continuatio serieſque privatarum ædium, in quibus plerique incolarum habitant, urbis anguſtiis excluſi; ac territorio plano, late patenti, crebris arboribus consito, fertili, ac bene culto utuntur.

Banialuka, altera ex celebrioribus Bosinæ urbibus, ab Jaycza passuum millia circiter viginti in septemtrionem distat; assidet ad ripam Verbasii fluminis, in planitie peramœna & pulcherrima. Congruit nomen cum situ ac natura loci; nam pratum juxta rivos aquarum lingua Slavorum appellatur *Luka*; nec quidquam est aliud *Banialuka*, si interpretari velis, nisi *Pratum Bani*. Præfectus & gubernator Turcicus totius regni, quem *Bassam* vocant, aliquando in hac urbe sedem stabilem, certumque domicilium habuit; cujus imperio subest non solum Rama regni Bosnensis appendix non exigua, sed etiam pars mediterranea, quæ olim Chulmia, nunc Principatus S. Sabbæ, & Hertzegovina appellatur.

Kreſcevum millia passuum fere quindecim a Bosna fluvio in occasum distans, civitas quondam frequens ac nobilis fuit; nunc vicus exiguus foeis haud ita multis habitatur. Hinc millia passuum circiter quinque in meridiem abest Varbosania, vulgo *Verbossen*, quæ antiquitus & ambitus magnitudine, & mœniorum munitione, & incolarum frequentia inter præcipuas regni urbes habita fuit; nunc tectorum numero diminutam, & muris ac propugnaculis nudatam tegunt circumcirca tumuli crebri & silvæ densæ, atque ab hostilibus irruptionibus defendunt.

In ea Bosnæ superioris regione, quæ vergit ad meridiem, situm est Seralium, civitas quondam opulentissima, idemque celeberrimum totius regni emporium; sed multiplex vastatio cladesque hostilis quantum illi de commercio, tantumdem de copia divitiarum diminuit. Adhuc tamen stationem præbet Turcis negotiatoribus, qui merces illuc convehere, atque inde quaquaversum in loca finitima ac remota distrahere solent. Amnis *Migliazka* urbem interfluit, infra quam alveo obliquo devectus in Bosnam delabitur. Sunt qui *Bistum novum* tabulæ Peutingerianæ, ubi nunc Seralium est, situm fuisse existiment; nec desunt qui urbem hanc primum *Bosnam* communi totius regionis vocabulo, deinde Seralium appellatum esse censeant, id quod confirmat Antonius Baudrandus: *Bosna Sarajum, urbs Bosniæ, quæ ab aliis Seralium dicitur*. Ex his urbibus nullam fuisse arbitror, in qua stabilem & perpetuam sedem sive Bani, sive Reges collocarent; alii alias deligebant, in quibus ædes sive regias, sive prætorias, & curiam haberent: id quod ferme cohæret cum responsis Patris Philippi ad mea interrogata redditis.

Regum & Banorum sedes vagæ.

Jaicze quosdam Bosnæ reges resedisse certum est. Sed loquendo de Baniis & regibus universim, probabilius diversos in diversis locis resedisse. Legimus quippe privilegium quoddam a Bano Stephano Kontromanovich datum Comitibus Omachevich anno 1278. die 18. Decembris talem subscriptionem habens: Datum in nostro palatio in Suttisca. Aliunde olim Suttisca Curia Bani vocitata est, quæ quondam fuit locus spectabilis utique, nunc vero quasi villa, nisi eam nobilitare velimus conventu nostro S. Joannis Baptistæ; a quo non longe distat, ferme uno, aut semialtero jactu scloppi, Meschita Turcarum. Thomam penultimum, Stephanumque ultimum reges Bosinæ in Bobovacz sedem tenuisse, tum ex traditione, tum ex quibusdam conjecturis asseruerimus. Hoc fortalitium, cujus rudera & turres adhuc altiusculum a terra conspiciuntur, distat a Suttisca orientem æstivum versus 4. in 5. milliaribus Italicis; situ & arte videtur prope inexpugnabile; constructum fuit in monticulo, a quo post aliquam planitiem parvam septemtrionem & orientem æstivum versus exurgit mons magnus; item cum ab occidente, tum a meridie vallatur aliis

montibus, qui omnes ſunt nemoribus, pratis, agriſque excultis ſpectabiles; plane ſub monticulo fortalitii coeunt duo fluvii, & conſtituunt flumen mediocre, fluens inter montes ſtrictiſſimum paſſum ſibi dantes, Boſnam flumen verſus, quod a Bobovacz diſtat 10. *in* 12. *millia Italica. Thomas igitur penultimus Boſnæ rex, eſto traditorie apud Bilas prope confinia Croatiæ in campo obiverit, ſepultus tamen eſt in conventu S. Joannis Baptiſtæ Suttiſcæ, tamquam viciniori ſedi ſuæ Bobovacz. In hocce conventu adhuc conſervatur in ſacriſtia una effigies vetuſtiſſima, in qua Chriſtus Dominus cernitur regi Thomæ apparens genuflexo; quam apparitionem accidiſſe in Bobovacz traditio fert. In eadem ſacriſtia una ſtola cum manipulo, burſa corporalium, & una parte planetæ acu picta, filis aureis modo admirando, viſuque delectabili; ſuper quibus immemorabilis fert traditio, quod id operis regina Catherina (Romæ quieſcens) uxor ejuſdem Thomæ regis, propriis manibus ſit operata; & cum poſt regis obitum oportuiſſet eam fugere, idcirco non potuit finire planetam. Nunc Paſſa Turcicus reſidet ſtabiliter Herboſæ (vulgo Traunyk) nec de facto poteſt alibi manere ſine nova facultate Sultani. Hic loci eſt fortalitium parvum, ſuburbia autem numerant pluſquam* 2000. *capita; diſtat a Saraevo ſeu Saralio occid. æſtivum verſus duobus dietis. In Saraevo commoratur Mulla, qui Primas regni dici poteſt; hic locus numerat pluſquam octoginta Meſquitas, quaſi Parochias &c.*

Sedes Baſſæ Boſnenſis, ſive Præfecti Turcici.

Oppida minora & caſtella.

Civitates Boſinæ crebris vaſtatæ bellis, populationibus, incendiis, & illuvie ac ſordibus Turcarum deformatæ, vix aliqua veteris magnificentiæ ac ſplendoris veſtigia retinent. Plura ſunt præterea nunc obſcuri nominis, & exigui circuitus oppidula & caſtella in utraque Boſina ſuperiori & inferiori, citra ultraque amnem, qui regionem diſcriminat; veluti *Svivar & Brodt* ad ripam citeriorem Savi; *Arkium* prope confluentes Savi & Boſnæ; *Jeſſerum* ad confinia Chrobatiæ; ultra Boſnam ad orientem *Sale* utrumque ſuperius, & inferius, a ſalinis denominatus; *Zuornich* caſtrum natura & loco munitum in extremo regni limite ad Drinum; *Bobovacium* oppidum olim munitiſſimum, de quo ſupra; *Suteſcha* ad confluentes Dabrovizæ, & Tariſtinicæ, qui infra oppidum uno eodemque alveo in Boſnam decurrunt. Aliquot regalia privilegia ibidem ſcripta reperiuntur, veluti Tuartki, & Dabiſciæ: *Dat. in aula noſtra Suteſchæ*, *Foyniza* nulla re celebrior quam frequentiſſimo cœnobio Patrum Minorum Ordinis Franciſcani, quibus ab obſervantia cognomen eſt. *Cognizium* in extremis Boſinæ partibus ad meridiem; ubi, Stephano Thomaſco regnante, celeberrimus Antiſtitum & Procerum conventus habitus fuit anno 1446. Prætermitto cetera, quorum pleraque nunc aggeribus e terra congeſta, ligneiſque vallis ac munimentis clauduntur. Regnum univerſum Turcæ diſtribuere ſolent in octo præfecturas, quas ipſi *Sangiacatus* vocant, & *Sangiacos*, qui earum regimini præſunt.

Regionis ac ſoli natura.

Regio eſt perfrigida, hibernis imbribus ac nivibus obnoxia, multis locis montoſa ac ſterilis, magna tamen ex parte campeſtris, naturaque fertilis, ac diligenti incolarum cultura fertilior; tritico, & cujuſque generis frugibus abundat, gregibus & armentis alendis uberrima paſcua ſuppeditat. Silvæ ingentem ferarum copiam ad venationem præbent. Nec auri fodinis caret; ſed argenti fodinis maxime nobilis eſt, unde *Boſna Argentina* cognominata fuit; verum auri argentique inveſtigandi & effodiendi vel induſtria, vel ſcientia incolis deeſt. Ex quo ſub imperium Turcarum cecidit, regionis amœniſſimæ & cultiſſimæ faciem immutatam deplorat Auctor Topographiæ Hungaricæ cap. IV. *Regnum lamentabile nunc reddunt caſtella, oppida, villæ incolis deſtitutæ, civitates paucæ a barbarorum rabie ſuperſtites, & hæ quoque defœdatæ; deſerta, ſolitudines, quæ vix prioris culturæ veſtigia oſtentant; & quod præcipuum eſt, ſub barbaro dominio barbari mores &c.* Hic addere libet quæ ſcripſit P. Philippus de mira fertilitate ſoli Boſnenſis, abundantiaque rerum omnium, quas natura non modo ad uſus vitæ neceſſarios, ſed etiam ad delicias deſiderat.

Proprietates, valor, & qualitates hujus regni, minus ſunt cognita orbi, quam ut eloqui ea audeamus genuine licet, quin criticis hyperboles ac ingenioſa ornamenta loqui videamur. Obſcurata quippe ſunt hæc a tyranno ſibi dominante; ac per conſequens a Coſmographis & Geographis obſcurantur, qui utpote inexperti ſoli hujus nimis parce de valore ſuo inteſtino, proprietatibus, prærogativis; denique nihil, niſi depreſſionem indigitare contendunt; unde qui magis experientia, quam hiſtoricorum relationibus ſoli Boſnenſis eſſent gnari, facilius juſtificarent ea, quæ hic rati fore, ut non ingratam rem ſimus appoſituri cupienti & requirenti nonnullas informationes, adjiciemus.

Boſnam igitur abundare montibus conceſſerimus; ſed falluntur hiſtorici, notitia ſoli expertes, dum autumant hos montes eſſe Gelboe, ſeu ſterilitate plexos, & inamœnitate. Boſna abundat non modo montibus, ſed planitiebus, & campis, & quidem utriſque fertiliſſimis. Nam nulli, præſertim in Boſna inferiori montes, licet alti, ſunt, qui pratis, nemoribuſque, mira varietate ſibi inſertis non ditantur, atque rivulis aquarum viventium irrigati viſu non oblectant, & deliciant animum fruendi. Nulla flumina, quæ utrinque campis, agriſque excultis cum planis, tum colliculoſis non ſtipantur fertiliſſimis. Nec incredibile æſtimetur dictu emanare in montibus nonnullis hujuſce regni auriſera flumina; dicant Epirotæ, qui utpote artis alluendi auri ex arenis gnari, facultate Sultani inſtructi, non raro veniunt hoc auro ditandi. Piſces, non flumina duntaxat majora, ſed torrentes quoque abundanter procreant delicioſiſſimos. Vineis quidem parcior eſt Boſna ſaltem inferior, non item ſuperior; verumtamen, non quia inepta, quinimmo loca illa omnigeni vini procreandi ſunt aptiſſima, ſed quia talis eſt diſpoſitio Domini jus dicentis. Ceterum frumenti, olerum, pomorum, pyrorum, prunorum, aliorumque id genus (pauca ſi, quæ hyemalem rigorem nimium non tolerant, excipias) copia frequentiſſima, ſpecieſque innumeræ. Pecudibus, non minus ac paſcuis pro æſtivo, pratiſque, in queis fœnum colligitur pro hyemali eorum nutrimento, abundat omnigenis. Frequentes rivuli ac fontes aquarum viventium per omnia conſpicantur, quarum dum ſingulæ viſum ſua claritate oblectant, atque guſtum hauſtæ recentes ſuavitate recreant, aliquæ inſuper ægris plurimis medelam præſtant. Porro aquæ acidæ in pluribus locis ſcaturiunt præſtantiſſimæ, judicio medicorum hac tranſeuntium, vel etiam in aula Paſſæ verſatorum, ceu verſatus fuit per plures annos famoſiſſimus D. Dominicus Caſtelli, probatæ tantæ perfectionis, ut vix in Europa dentur ſimiles.

Quo-

Quocirca e Christianitate adventantes quidam viri nobiles, suasu forte medicorum expertorum, non visu modo, sed haustu quoque sanandi, visitatione sua eas sunt dignati; quinimmo per septimanas, aut menses juxta hærentes, eis usi: præcipue loquendo de illa, quæ admirando bullitu exurgit juxta flumen Lepenicza non longe a taberna diversoria, quæ ab eadem aquæ nomenclatura sumpta appellatur Kiseli Hàn, *ideſt Acida taberna. Sita ferme est in medio viæ regiæ ducentis a Saralio Herbosam, vulgo Traunik. Dantur item pluribus in locis Thermæ, non dicimus, calidæ, sed plane ferventes; eisdem laudatis medicis probatæ tam miræ virtutis & activitatis in morbos, ut si monarcha noster christianorum principum morem gereret, ingentes proventus ex ipsis sibi decimaret. Hoc idem de metallis dicendum venit. Enimvero quot montes & valles, tot prope loca metallifera; inculta tamen ob nescimus quam politiam, statusque, ut inquiunt, rationem; ausim dicere vix dari aliquod metallum, quo soli hujus viscera careant. Verum tamen ex omnibus ferrum duntaxat cum chalybe pluribus in locis abundantissime eruitur, atque fabricatur; nec non in maxima copia ad exteras regiones distrahitur. Subinde etiam auripigmentum, & mercurius in admodum minori copia. Demum in salinis cum superioribus, tum inferioribus, & alibi quoque sunt putei in abundantia subministrantes aquam salsam, quæ hausta, esto colorem viridem subflavum præseferat, recocta tamen optimum sal tribuit nivei coloris eatenus, quatenus, nisi gustes, a saccharo candido distingues nunquam. Hujus quidem salis usus nobis est plurimi; at non desunt permultis loca probatissima, ubi possent aperiri fodinæ petrei salis; idem quoque de sulphure dicendum. Sed his supradicta politia silentium indicit. Verbo concludendum: Bosna nulla re ad humanam vitam commode sustentandam in se ipsa privari, experto facile probatur.*

Christiana religio a principio Christiani nominis Bosnensibus illata.

Iisdem fere temporibus Apostolicis, quibus Dalmatia & Pannonia, Bosina quoque intermedia Christianam fidem susceperit, illatam ab iisdem Apostolorum discipulis, qui regionibus illis Evangelii lucem attulerunt. Easdem prioribus ecclesiæ sæculis, quas finitimæ christianæ provinciæ, etiam religio Bosnensium, vexationes, vicissitudines, calamitates sive ab hostibus Christiani nominis, sive ab hæreticis perpessa fuit. Cum Bosnenses sub dominatu supremo Imperatorum orientis, regibus Serbliæ suberant, post Græcorum ab Ecclesia Romana defectionem, ipsos quoque Photiano schismate infectos, vel certe afflatos fuisse accepimus. Hanc labem purgavit delevitque omnino ex Ecclesia Bosinensi Bela II. cum hanc provinciam ad regnum Hungariæ adjunxit. Sed non ita multis post annis immigravit huc e Bulgaria pestis longe pernicioſior ac fœdior: Patarenos vulgo appellabant, vel Catharos & Albigenses. Erant veterum Manichæorum infelix propago, quæ nefarios parentum suorum errores aliis atque aliis erroribus cumulaverat. Brevi totam Bosinam pervasit, & annos fere tercentos hujusmodi impuritatum ac flagitiorum colluvione obrutam, oppletamque tenuit. Nihil curæ industriæque prætermissum fuit a Romanis Pontificibus, a Legatis Apostolicis, ab Episcopis, a regibus Hungariæ, ut sectam fœdissimam exterminarent. In id egregiam & constantem operam navarunt Patres tum Dominicanæ, tum Franciscanæ familiæ; quorum non pauci ab hæreticis interfecti, gloriosam pro Christo mortem oppetierunt. Hæc impurorum hominum sentina imminui quidem, sed vix semel post multa sæcula prorsus exhauriri potuit. Nunc hanc regionem incolunt Christiani cum Turcis permisti, partim Catholici, rituſque Latini, sed linguæ Slavonicæ; partim schismatici, rituſque Græcanici, sed linguæ itidem Slavonicæ. Addo ex P. Philippo: *Patarenorum ne ulla quidem nunc vestigia. Igitur 1. Turcæ, 2. Christiani catholici, 3. Christiani schismatici Græci, plures quam catholici in duplo; 4. Hebræi pauci præ aliis.* Bosnenses hodierni.

Bosnenses procero sunt corpore ac robusto, aptoque ad militares labores; ingenio autem facili, ab omnique fraude abhorrenti. Erga Dei cultum resque divinas singulari studio ducuntur; idque declarant rudera ac vestigia, quæ passim visuntur, sacrarum ædium, quas veterum Bosnensium religio ac pietas Deo divisque consecravit. Sacrorum Antistites summa reverentia & veneratione prosequuntur; quidquid illi vel doceant, vel imperent, illis fidem habent, dictoque audientes se præbent. Rudes plerumque sunt & agrestes; sed Christianæ legis addiscendæ mira cupiditate flagrant, neque minorem ad bene pieque vivendi disciplinam animi propensionem afferunt: & si ab recto tramite declinant, non tam voluntate ac malitia, quam insciti & errore aberrant. Catholici gregis, qui sane numerosus est, intacti ab omni hæretica, schismatica, Turcica contagione conservati laus præcipua ac tota propemodum debetur Patribus Franciscanis ab observantia cognominatis. Hi siquidem sub ipsa sanctissimi hujus Ordinis primordia hanc Christi vineam, nullis libertatis vitæque periculis deterriti, multo labore ac sudore per annos amplius quingentos, ad hanc usque ætatem impigre constanterque excoluerunt. Habent in hac regione cœnobia & domicilia: ex his autem, aliisque finitimæ Dalmatiæ ac Serbliæ conflatur duplex provincia Franciscana, altera Bosnæ Chrobaticæ, altera Bosnæ Argentinæ, quam a provincia Franciscana Dalmatica Sancti Caji sejungi placuit. Vitam degunt hi optimi Patres assiduis laboribus ærumnisque exercitam ac Turcarum injuriis & vexationibus expositam, a quibus ut se redimant, acerbissima & intoleranda pecuniarum tributa identidem solvere coguntur. Omnis rerum sacrarum procuratio, & christiana institutio gentium illarum in eos incumbit; quippe in universa regione locum tenent, muneribusque Parochorum funguntur. Ex illis sæpe deligi solebat Episcopus totius regni Bosnensis. Eorum natura. Labores curæque assiduæ Patrum Ordinis Franciscani de observantia.

Sed Episcopatus Bosinensis obscura sunt, & plane incerta primordia. Hujus tenue aliquod indicium intueri licet in primo, itemque altero Concilio provinciali Salonitano, quod sub Honorio III. Metropolita habitum fuit anno tricesimo, & tricesimo secundo sæculi sexti: utrique interfuit, & subscripsit *Andreas Episcopus Bestoensis*. In tabula Peutingeriana duplex est *Bistue, vetus ac nova;* hæc ab illa in ortum distat millia passuum circiter quadraginta, utraque sita esse videtur in antiqua citra Savum Pannonia. Sunt qui existimant *Bistuam novam* ibidem loci sitam fuisse, ubi nunc est Seralium. Horum opinio si vera est, nullus dubito, quin sedes Episcopalis Andreæ constituta esset in hodierna Bosina, & *Bestoensis* Episcopatus idem fuerit ac *Bistuensis*: adeo hæc duo vocabula sunt Initia Episcopatus Bosnensis ignota.

inter se affinia, & similia. Sed neque ante, neque post Andream ullius Episcopi Bestoensis, sive Bistuensis mentio in antiquis monumentis reperitur. Siqui fuerunt, ut fuisse admodum credibile est, eorum nomen ac memoriam vetustas & oblivio delevit. Sæculo nono, cum Concilium Delmitanum celebratum fuit, anno videlicet 877. de quo in Georgio Archiepiscopo Spalatensi, inter ecclesias Episcopales Dalmatiæ superioris, quæ tum Serblorum imperio suberat, Bosnensis etiam annumeratur; itemque sæculo undecimo in epistola Alexandri II. ad Petrum Archiep. Antibarensem. Unusne, an plures antiquis temporibus Episcopi fuerint in hac regione ampliſſima constituti, compertum mihi non est. Unum fuisse arbitror, cui præcipua & maxima pars Bosinæ subesset; regni hujus quod reliquum erat, Bosnensis Antistitis jurisdictione exemptum, finitimis Episcopis vel Dalmaticis, vel Serblianis attributum fuisse arbitror. Præter Andream *Bestoensem* sive *Bistuensem*, de quo supra, ex antiquis Bosinæ Episcopis nullos invenio, quos nominatim proferre possim ante Uladislavum, qui sæculo duodecimo huic ecclesiæ præfuit; ab eoque continuatio ac series Antistitum ad nostra usque tempora fere non interrupta perducitur.

Sæculo duodecimo primus Episcopus, de cujus nomine constet.

Timotheus de Bagno Camaldulensis in vita S. Romualdi, Philippus Maria Eremita ex eodem ordine in monumentis historicis de S. Romualdo, ejusque discipulis, Arnoldus Vion de viris illustribus Ordinis Benedictini, tradunt S. Bonifacium discipulum B. Romualdi Apostolum Russorum, & martyrem, ineunte sæculo undecimo a Romano Pontifice *consecratum fuisse Archiepiscopum Bosnensem. S. Bonifacius Saxo*, inquit Arnoldus, *& Ottonis Imperatoris consanguineus, Monachus S. Alexii Romæ, & S. Romualdi Abbatis discipulus, a Pontifice Romano Bosnensis Archiepiscopus consecratus, & ad prædicandum Dei verbum in Russiam missus, cum regem & populum ad Dei fidem adduxisset, ab ipsius regis fratre occisus &c.* Franciscus Baertius Tomo 3. die 19. Junii, de Bosnensi Episcopatu S. Bonifacii, hanc notam ad ejus vitam apposuit ex animadversionibus Joannis Bollandi in vitam S. Romualdi: *Franciscus, & Silvester Maurolyci; & alii Bosnensem Archiepiscopum faciunt: verum annotavit Bollandus non videri certæ sedi addictum, sed ordinatum Antistitem, ut gentibus prædicaret.* Quemadmodum igitur missio apostolica, sic etiam Episcopatus S. Bonifacii, quamvis præcipue spectaret ad conversionem Russorum, nullis tamen certis finibus circumscriptus fuisse videtur; sed complectebatur regiones omnes, ad quas accederet, vel quas ex itinere obiret. Cum autem ad partes illas septemtrionales proficiscenti obvia esset Bosina, quæ tunc fortassis Episcopo carebat, verisimile est id quoque nominatim additum fuisse ad ejus Apostolatum & Episcopalem procurationem nullis terminis definitam, ut regionem illam Evangelica prædicatione lustraret, ac Bosnenses Christianis præceptis excoleret, divinisque mysteriis impertiret. Adde quod in ea regione Russorum, ad quam Evangelii inferendi caussa mittebatur, nulla adhuc gens erat Christianis sacris initiata, saltem ritus latini, cujus Episcopus vel Archiepiscopus dici posset. Ne autem Episcopus esset sine grege, ac sine ecclesia, titulum e Bosnensi ecclesia mutuari, eique accommodari placuit, quem interea gereret, dum sibi proprium gregem inter Russos acquireret; propriamque Ecclesiam constitueret. Atque hæc caussa esse potuit, quamobrem *Bosnensis Archiepiscopus consecratus* fuisse dicatur. Ceterum cum æque aliarum gentium, quas ad Christum converteret, atque Bosnensium Episcopus fuerit, non autem hujus gentis proprius & peculiaris; nihil sane est, cur catalogo Bosnensium Antistitum adscribi debeat.

S. Bonifacius Apostolus Russorum cur dictus fuerit Archiepiscopus Bosnensis?

Principio Ecclesia Bosnensis sub potestate fuit imperioque Archiepiscopi Spalatensis, qui fines juris metropolitici, ut est in diplomate Tirpimiri ducis Chrobatorum, usque ad Danubium sæculo nono proferebat. Sed eodem sæculo vergente, cum in Concilio Delmitano instituta est Metropolis Diocletana, in hujus ditionem ac potestatem migravit, ut presbyter anonymus Diocleas, itemque Marcus Marulus e suo Codice Slavonico tradunt. Sæculo autem undecimo Alexander II. in suis ad Petrum Antibarensem litteris, eamdem ecclesiam attribuit Metropoli Antibarensi, quæ in locum Diocletanæ substituta fuerat. In Annalibus Ragusinis scriptum est ab Innocentio II. vel Cælestino II. pallium concessum fuisse anno 1143. Andreæ Archiepiscopo Ragusino una cum diplomate pontificio, in quo nominatim recensentur Ecclesiæ huic metropoli subjectæ, in quarum numero est etiam Bosnensis. Extat epistola Clementis III. vel Cælestini III. ad Petrum VIII. Archiep. Spalatensem, data Laterani an. 1191. & Cardinalium S. R. E. chirographo subscripta. Pallium eidem concedit, & tum loca præcipua diœcesis, tum ecclesias omnes provinciæ Spalatensis enumerando persequitur. In his autem diserte nominata est Ecclesia Bosnensis. Hinc vero intelligitur hanc ecclesiam pro temporum ac rerum varietate alias aliis Dalmatiæ Metropolitis paruisse. Aliqua etiam de possessione ejusdem ecclesiæ contentio fuit inter antistites Spalatensem & Ragusinum, ut postea dicemus. Post initium sæculi decimi tertii Archiepiscopus Colocensis, cum plurimum studii operæque contulisset ad convertendos vel expellendos Patarenos, censuit ecclesiam Bosnensem suis sumtibus ac laboribus veluti partam, fecisse suam, adjungique oportere Metropoli Colocensi: id quod regum Hungariæ patrocinio fultus facile impetravit; & nunc quoque Episcopus Bosinæ, qui Diacovi in Slavonia sedem habet, Colocensem Metropolitam agnoscit, a cujus metropoli propius abest, quam a Spalatensi. Ceterum Archiepiscopi Spalatenses nunquam adduci potuere, ut jus suum in hanc ecclesiam ab initio acquisitum voluntaria ac legitima cessione dimitterent; & quamvis actus omnes metropoliticæ potestatis ab ea vel inviti abstineant, eamdem tamen retinent in catalogo ecclesiarum Episcopalium, quæ Metropoli Spalatensi subsunt: atque ob hanc caussam in historia hujusmodi ecclesiarum, Bosnensi quoque locum esse debere constituimus. Nunc subjicienda est series Episcoporum Bosnensium, quæ ab Uladislavo initium ducit, neque enim altius eam repetere licuit, cum superiorum antistitum nomina & acta vetustate interierint.

Ecclesia Bosnensis variis Metropolitis subjecta.

Eam nunc sibi vindicat Colocensis Archiepiscopus, Spalatensi tamen invito.

I. Ula-

I. Uladislavus anno circiter 1141.
II. Micovanus an. circ. 1150.
III. Rhadagastus an. circ. 1171. vel 1197.
IV. Daniel an. circ. 1200.
Interregnum Episcopale.
V. B. Joannes Teutonicus 1238.
VI. Aimus an. 1240.
VII. Joannes II. an. 1253.
Interregnum Episcopale.
VIII. Andreas an. 1280.
IX. Nicolaus an. 1304.
X. Benedictus an. 1310.
XI. Petrus an. 1317.
XII. Laurentius an. 1335.
XIII. Bonjoannes an. circ. 1343.
XIV. B. Peregrinus an. 1349.
XV. Petrus II. an. 1357.
XVI. Dominicus an. 1379.
XVII. Georgius an. 1384.
XVIII. Joannes III. an. circ. 1388.
XIX. Benedictus II. an. 1410.
XX. Dionysius an. 1427.
XXI. Joseph an. 1428.
XXII. Stephanus an. circ. 1450. & Antonius electus.
Bosina a Turcis capta an. 1463.
Sedes Episcopalis Diacovum translata.
Interregnum Episcopale.
XXIII. Benedictus III. an. 1469.
XXIV. Matthias an. 1486.
XXV. Lucas an. 1491.
XXVI. Gabriel an. 1494.
XXVII. Michael an. 1502.
XXVIII. Donatus an. 1516.
XXIX. Georgius II. an. cir. 1520.
XXX. Blasius an. cir. 1530.
XXXI. Thomas an. cir. 1540.
Interregnum Episcopale.
XXXII. Antonius an. 1573.
Interregnum Episcopale.
XXXIII. Franciscus an. 1588. quo superstite
XXXIV. Aloysius an. 1600.
XXXV. Franciscus II. an. 1607.
XXXVI. Joannes IV. an. 1610.
XXXVII. Thomas II. an. 1618.) Episcopi nominati, sed non approbati.
XXXVIII. Stephanus II. an. 1622.)
XXXIX. Joannes V. an. 1628.)
XL. Vincentius an. . .)
XLI. Joannes VI. an. 1631.
XLII. Thomas III. an. 1639.
XLIII. Joannes Hieronymus an. 1645.
XLIV. Marianus an. 1647.
Interregnum Episcopale.
XLV. Nicolaus II. an. 1669.
XLVI. Petrus III. an. 1702.
XLVII. Georgius III. an. 1703.
XLVIII. Petrus IV. an. 1716.
XLIX. Franciscus III. an. 1750.
L. Joseph Antonius an. 1751.

Vicarii Apostolici.

I. Matthæus Delivichius an. 1735.
II. Paullus Dragechivichius an. 1740.
III. Bonaventura Benichius an. 1766.

ULADISLAVUS EP. BOSNENSIS I.

Uladislavus Episc. subjectus Archiepiscopo Ragusino sedem Kresceví habuit.

HUnc primum propterea dicimus, quod ex omnibus, qui eum præcessere, primus fuerit, cujus nomen litteris ac memoriæ proditum nobis innotuit; nisi *Andream Bestoensem*, de quo supra dictum est, Episcoporum Bosnensium catalogo adscribi libeat. Ab hoc series Episcopalis ferme continuata, & singulorum antistitum nominibus, actis, temporibus distincta usque ad nostram ætatem perducitur. Ante Uladislavum Bosnenses cum ceteris ecclesiis Serblianis a Romano Pontifice jampridem sejuncta, & Photiano schismate implicita, in erroribus Græcorum versabatur. Bela II. anno circiter 1136. Bosinam Serblis ereptam cum regno Hungariæ conjunxit; nihil autem prius sibi faciendum censuit, quam ut Bosnenses ad pristinum erga Sedem Apostolicam obsequium revocaret, eique Catholicum Episcopum ac ritus latini præficiendum curavit. Hic autem fuit Uladislavus, primus post gentes illas Ecclesiæ Romanæ reconciliatas Episcopus Bosnensium; cujus nomen nisi esset unius pontificii diplomatis testimonio cognitum, hoc ipsum quoque vetustas, ut superiorum antistitum vocabula, oblivione obruisset. Hoc diploma videre mihi non licuit; ajunt servari in tabulario, quem thesaurum vocant, ecclesiæ Ragusiensis S. Mariæ; & cum conscriptum fuerit, ut docet Maurus Orbinus *De regno Slavorum* p. 247., an. 1141. vel ad Innocentium II. vel ad Cælestinum II. auctorem referri debet; in eum siquidem annum hujus pontificale initium, & mors illius incidit. In eo autem diplomate, ut ex Orbino colligi videtur, nominatur *Uladislavus Episcopus Bosnensis*, & Archiepiscopo Ragusino subjicitur: ibidem siquidem Orbinus Episcopos omnes provinciæ Ragusinæ nominatim percenset, atque inter eos *Uladislavum Bosnensem*.

Sedem Episcopalem, ut reperio in adversariis MSS. P. Riceputi, apud Kresceum constituit; in urbe Verbasio & Bosnæ amnibus fere intermedia, quæ tunc numero tectorum, & incolarum frequentia, copiaque divitiarum florebat. Ejus jurisdictio Episcopalis iisdem, quibus Bosina, terminis definiebatur. Qui reliqui erant schismatici, eos ut ad rectam in Deum fidem, & cum Ecclesia Catholica in gratiam reduceret, diu multumque laboravit. Ceterum de urbe & sede Episcopali antiqua Bosnensi nihil sibi exploratum esse affirmat P. Philippus. *Quo in loco consederit Episcopus Bosnæ ante Turcarum invasionem, neque ex monumentis, neque ex traditione notitiam ullam habemus.* Hujus oppidi positionem idem P. Philippus nobis descripsit. *Supra oppidum Kresceva occidentem versus in monticulo, utique pratis & nemoribus delicioso, conspiciuntur rudera fortalitii Karse vocati. Sub hocce monticulo coeunt duo fluvioli, & constituunt flumen mediocre; quod currens orientem versus interfluit oppidum, quod ultra quam 200. Catholicos, & 50. circiter Turcarum numerat. Situm est autem in valle, ubi ad meridiem & occidentem exurgunt montes alti, & ad orientem & septemtrionem colliculi delicioſi & culti: Jequente flumine habet campum fertilissimum extensum longitudine ferme semialteram, latitudine vero prope per unam horam itineris. Hæc planities colliculis, ut supra, circumdata, flumineque, &*

aliis

aliis rivulis abunde irrigata, admodum visu venit delectabilis. In Kresevo sunt minetalia ferri cum multis officinis ferrariis, itemque auripigmenti, & mersurii.

MICOVANUS EP. BOSNENSIS II.

Anno circiter 1150. accessit ad Ecclesiam illam regendam; hujus mentio est apud Scriptores Ragusinos, præsertim Maurum Orbinum. Jacobus Luccarius in Annalibus Ragusinis *Episcopum Kressovi in Bossina Milovanum* vocat. Nescio quam controversiam habuit cum Metropolita Ragusiensi; quid controversiæ fuerit Orbinus non explicat: ei causam præbuisse existimo Gaudium Archiepiscopum Spalatensem, qui Ecclesiæ Bosnensis recuperandæ cupidus Micovano suasor & auctor fuerat, ut se Ragusino subduceret, & sub imperium antiqui sui Metropolitæ rediret. Cum autem Gaudius, ut antea apud Belam, sic postea apud ejus filium Geysam auctoritate & gratia plurimum valeret, facile impetravit, ut Borichius Banus Bosinæ, idemque fiduciario nexu obstrictus regibus Hungariæ, tum suæ Metropolis; tum Micovani causam & patrocinium susciperet. Obstabant Ragusienses, & diplomate pontificio freti, de quo paullo ante dictum est, pro tuendis juribus sui Archiepiscopi, vel armis decernere, si opus esset, parati erant. Aliæ deinde ex aliis mutuæ offensiones exortæ cum essent, anno 1154. Borichius bellum intulit Ragusinis; qui Michaele Bobalo duce egregie pugnarunt, & copiis Bosnensibus atque Hungaricis cæsis fusisque, pacem petere hostem cogerunt. Ex Mauro Orbino pag. 347. & seq. de regno Slavorum. Itaque tum Archiepiscopus Spalatensis, tum Episcopus Bosnensis a susceptó consilio conatuque desisterent necesse fuit. Micovanus annos sane multos ecclesiam illam administravit.

De Bosnensi Episcopatu controversia inter Spalatensem & Ragusinum Metropolitam.

RHADAGASTUS EP. BOSNEN. III.

Hujus quoque nomen ac memoriam nobis servarunt tabulæ ac Scriptores Ragusini. Anno 1171. ut Maurus Orbinus auctor est pag. 350. a Bernardo Metropolita Ragusiensi consecrationem Episcopalem suscepit; sed alii Scriptores Ragusini Pontificatum Bernardi in annos posteriores rejiciunt. Joannes Marinus Gondola Dongastum, sive Rhadagastum consecratum fuisse an. 1197. a Bernardo tradit. Petrus VIII. Archiep. Spalatensis an. 1191. a Clemente III. vel Cælestino III. una cum pallio diploma pontificium impetravit; in quo nominatim Ecclesia Bosnensis attributa est Metropoli Spalatensi: *In quibus*, ait Pontifex, *hæc propriis duximus exprimenda vocabulis; villam S. Georgii... Segniensem, Corbaensem, Nonensem, Scardonensem, Traguriensem; Tiniensem, Macharienſem, Naronienſem, Stagnensem, Farensem, BOSNENSEM, & Delmitensem Episcopatus.* Utrum vero auctoritas pontificia Rhadagastum impulerit, ut se subjectum atque obedientem præberet Spalatensi Archiepiscopo, itemque an deterruerit Metropolitam Ragusiensem, nequid juris in Ecclesia Bosnensi deinde usurparet, dubitari potest. Nam Culinus, sive Gulienus, cui reges Hungariæ, post obitum Borichii Bani Bosnensis, regionem illam fiduciariam dederant, Ragusinis favebat; ex omnibus Dalmatiæ Episcopis Bernardum Archiepiscopum Regusiensem delegit, quem ad Cælestinum III. legaret, ut suo nomine, quam Sedi Apostolicæ debebat, fidem atque obedientiam profiteretur; Rhadagastum vero Ragusium misit, qui dona Pontifici deferenda Bernardo traderet. Ex urbe reversum anno 1194. Culinus perhonorifice excepit; rogavit ut duo templa in Bosina ære ipsius sumtuque extructa consecraret, & multis muneribus donatum ad suam ecclesiam remisit. Hæc Orbinus. Hinc colligi potest Metropolitam Ragusinum Bani favore ac præsidio nixum Ecclesiam Bosnensem in sua potestate retinuisse. Nec mihi dubium videtur esse, quin Bernardus dum ea legatione fungebatur, omni ope operaque enixus fuerit, ut Cælestinus decretum revocaret, quod vel ipse, vel ejus decessor secundum Ecclesiam Spalatensem fecerat, & Bosnensem Episcopatum Ragusinæ metropoli restitueret.

Ecclesiam Bosnensem Metropolita Ragusinus retinuit in sua potestate.

Culinus initio cultorem se præbuit eximium Sedis Apostolicæ, & fidei Catholicæ defensorem acerrimum. Extat epistola ad Culinum Banum Bosinæ Theobaldi subdiaconi Ecclesiæ Romanæ, qui missus ab Alexandro III. anno 1180. legatione apostolica fungebatur in Dalmatia & Slavonia.

Banus Culinus primum fidei Catholicæ, deinde Patarenæ sectæ defensor.

Nobili & potenti viro Culin Bano Bosinæ, Thebaldus D. G. S. Romanæ Ecclesiæ subdiaconus Apostolicæ Sedis Legatus cum benedictione & victoria salutem. Multum desideravimus personam vestram videre, & benedictionem, & litteras Domini Papæ vobis repræsentare. Nunc vero quia per nosmetipsos non possumus, per latorem præsentium & benedictionem & litteras Domini Papæ mittimus & repræsentamus, magnitudinem liberalitatis & gloriæ vestræ rogantes, ut pro reverentia B. Petri Apostoli & D. Papæ, & pro salute animæ vestræ duos famulos & pelles martulinas nobis mittatis, & si placet prudentiæ vestræ per nos aliquid D. Papæ significare, sciatis quod libenter & fideliter vos exaudiemus. A tergo autem: *Culin Magno Bano Bosinæ.*

Verum paucis post annis Culinus a se ipso degenerans, & Patarenorum fallaciis ac præstigiis illusus, insanæ ac spurcissimæ sectæ, cum uxore sua & sorore vidua Minoslavi Comitis Chelmensis, nomen dedit, ac patrocinium suscepit. Quos in Bosina & in Italia Patarenos, eoldem in Gallia Albigenses vulgo appellabant; & aliis præterea atque aliis nominibus afficiebantur, desumptis ex multiplici tum hæresiarcharum; tum errorum colluvione, quæ ad hanc sectam conflandam confluxerat. Hujus initia referunt ad Basilium quemdam genere Armenum, professione medicum, qui cum nefarias opiniones longe lateque disseminasset, Alexii Comneni Imperatoris sententia combustus est. Ejus sectatores in exilium ejecti, delatique in Bulgariam, fidem incolarum pravitate dogmatum infecerunt; hic se *Bongimilos*, seu *Bongomilos*, id est Deo dilectos, sive ut alii interpretantur, misericordia Dei implorantes appellarunt. E Bulgaria in Galliam per eos, qui sacra expeditione perfuncti ad patriam redibant, pestilentium errorum semina invecta fuisse ajunt; quæ quidem avide suscepit, fovit, propagavit primum Petrus Bruysius, postea Henricus, tum Petrus Valdus, a quo Valdenses, deinde alii atque alii, qui execrandæ doctrinæ multis præterea novisque erroribus auctæ duces se ac magistros præbuerunt; & cum eorum gregalibus, quorum referta fuit Gallia, præsertim Tolosana & Lugdunensis provincia, dicti sunt omnes communi

muni vocabulo Albigenſes ab Alba Auguſta Helviorum, ut ajunt, ubi præcipue vigebant ac fere dominabantur. E Gallia hæc peſtis pervaſit, ac fere totam Italiam opplevit; dictique ſunt in Italia *Patareni* a patiendo, quod profiterentur velle ſe quidlibet potius perpeti, quam a ſuſcepta impietate vel tranſverſum, ut ajunt, digitum diſcedere. Hæc autem erant capitalia flagitia, de quibus fere omnes conſentiebant. Duo ſtatuebant rerum omnium principia; alteri quidquid boni, alteri quidquid mali eſt, acceptum referebant; Vetus Teſtamentum rejiciebant, quod auctore Diabolo conditum eſſe per ſummam impietatem aſſererent; ajebant parvulos rationis expertes baptizandos non eſſe; quædam novæ legis ſacramenta reſpuebant; Chriſtum Dominum in Euchariſtia reipſa contineri negabant; hierarchiam eccleſiaſticam convellebant; Epiſcopis & presbyteris, qui mali eſſent, poteſtatem omnem adimebant; a nuptiis abſtinendum eſſe docebant; & alia plura vel impia in Deum, vel auditu fœda effutiebant: quæ omnia tum Alexander III. in tertio, tum Innocentius III. in quarto Concilio generali Lugdunenſi condemnarunt. Non deſunt tamen qui ſectam Albigenſium a pleriſque hujuſmodi erroribus vindicant, præſertim ab illis, quorum auctores Manichæi fuiſſe dicuntur.

Patarena contagio ſive ex Italia, ſive ex Bulgaria, quod vero propius eſt, in Boſinam irrepſit; & cum obſcuris tacitiſque incrementis ſerperet, Rhadagaſti curam & providentiam quamvis ſollertem ac vigilem fefellit. Paullatim ergo per omnem provinciam late manavit; nec ſolum plebejos & vulgaris conditionis homines infecit, ſed nobilitatem quoque, primoreſque corripuit. Banus ipſe Culinus per ſummam vecordiam ſe adduci paſſus eſt ad hæreſim tam inſanam atque impiam profitendam tuendamque. Emericus, ſive Henricus rex Hungariæ, ut hominem jure clientelæ ſibi ſubjectum ab ea inſania & impietate revocaret, Romam proficiſci juſſit, & coram Sede Apoſtolica male ſanos errores execrari. Non potuit non obſequi regio mandato. Romam ſe contulit, ſimulavit ſe ab illis nefariis dogmatibus alienum eſſe, & catholicam fidem profeſſus verbis conceptis pejeravit. Itaque in Boſnam reverſus, acrius, quam antea, ad hæreſim tuendam & propagandam incubuit: qua minis, qua pollicitationibus decem hominum millia ab recta in Deum fidem avertiſſe dicitur.

Romam adire juſſus ſe Catholicum eſſe ſimulavit.

In extrema Dalmatiæ ad orientem regione, quæ pars erat Serbliæ, & Diocletana, ab urbe antiqua Dioclea duobus ante ſæculis everſa, dicebatur, principatum obtinebat Vulcus, ſive Vulcanus frater Stephani regis Serbliæ, qui haud ita pridem a ſchiſmate Græcorum ad communionem Eccleſiæ Romanæ ſe tranſtulerat. Hic ut majorem gratiam ſibi conciliaret apud Sedem Apoſtolicam, a qua regis titulum & inſignia impetrare cupiebat, Innocentium III. de Patarena hæreſi, quæ Culino duce ac patrono latius in diem per univerſam Boſinam propagabatur, admonuit litteris ad eum datis anno 1199. quarum particulam hic ſubjicio: *Demum paternitatem veſtram nolumus latere, quia hæreſis non modica in terra regis Hungariæ, videlicet Boſina, pullulare videtur in tantum, quod peccatis noſtris exigentibus ipſe Bacilinus* (ideſt Banus Culinus Ducangio interprete) *cum uxore ſua, & cum pluribus conſanguineis ſeductus, pluſquam decem millia Chriſtianorum in eamdem hæreſim introduxit. Unde rex Hungariæ exacerbatus illos ad veſtram præſentiam venire compulit a vobis examinandos. Illi autem ſimulatis litteris redierunt, dicentes a vobis conceſſam ſibi veniam. Unde rogamus, ut regi Hungariæ ſuggeratis, ut eos a regno ſuo evellat, tamquam zizania a tritico &c.*

Intra finem ſæculi duodecimi mortuus eſt Rhadagaſtus Epiſcopus; qui ſerius, quam neceſſe fuerat, hæreſim graſſantem ſimul detexit & exhorruit; ſed jam ea peſtis uſque adeo invaluerat, ut neque facile depelli, neque a progreſſu arceri poſſet.

DANIEL EP. BOSNENSIS IV.

Daniel Ep. Boſn. fautor hæreticorum.

Hic nobis notus eſt ex Annalibus Eccleſiaſticis Mſs. Andreæ Zmajavichii Archiepiſcopi Antibarenſis, qui tradit eum per ſummum dedecus epiſcopalis dignitatis favorem ac præſidium Patarenis hæreticis præſtitiſſe. Colluvies hujuſmodi hæreticorum e Boſina redundavit in Dalmatiam. Bernardus Archiepiſcopus Spalatenſis, ut eos ab illa opinionum impietate abduceret, omnem operam adhibuit. Multos ad fidem catholicam revocavit; qui vero pertinaci atque obſtinato animo in ſuſceptis erroribus perſiſtere, quam perſpectæ veritati cedere, maluerunt, eos omnes fultus auxilio magiſtratuum ſæcularium a ſua, itemque Tragurienſi diœceſi exterminavit. His e Dalmatia ejectis ac profugis receptum ac patrocinium præbuit, non ſolum Culinus Banus, ſed etiam Daniel Epiſcopus. Quod cum reſciviſſet Innocentius III., litteris ad Emericum regem Hungariæ datis Laterani v. Id. Octobris anno 1200. eum graviſſimis verbis admonuit, ut pro poteſtate juberet Patarenos omnes expelli ex univerſa Boſina; & niſi regiis mandatis Culinus Banus obtemperaret, tum in hunc, tum in illos exilio & bonorum omnium multatione animadverteret. *Accepimus*, inquit, *quod cum nup. F. noſter Spalatenſis Archiepiſcopus non paucos hæreticos de Spalatenſi & Tragurienſi civitatibus effugaſſet, nob. vir Culinus Banus Boſſinus iniquitati eorum non ſolum tutum latibulum, ſed etiam præſidium contulit manifeſtum; & perverſitati eorumdem terram ſuam, & ſeipſum exponens, ipſos pro Catholicis, imo ultra Catholicos honoravit, vocans eos nomine Chriſtianos. Ne igitur hujuſmodi morbus, ſi ejus non obſtatur principiis, vicina corrumpat, & in regnum, quod abſit, Hungariæ diffluat labes ejus; ſerenitatem tuam regiam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, in remiſſionem tibi peccaminum injungentes, quatenus ad vindicandam tantam Chriſti & Chriſtianorum injuriam potenter & regaliter accingaris; & niſi Banus prædictus univerſos hæreticos de terra ſuæ poteſtati ſubjecta proſcripſerit, bonis eorum omnibus confiſcatis, ipſum & hæreticos ipſos, non ſolum de terra ejus, ſed de toto Hungariæ regno proſcribas; & bona talium ubicumque per terram tuam poterunt inveniri, confiſces; nec parcat oculus tuus Bano prædicto, quin contra eum juriſdictionem exerceas temporalem, ſi alias ad viam rectitudinis non poterit revocari.*

Innocentii III. Epiſtola ad Emericum Regem Hung. adverſus hæreticos.

Idem Innocentius eodem anno, ut eſt apud Zmajavichium ſupra laudatum, imperavit Bernardo Archiepiſcopo Spalatenſi, ut ſingulis feſtis diebus in æde metropolitana, præſente atque audiente populo, ſollemni ritu, publice ac nominatim Danieli Epiſcopo Boſnenſi ſacris in-

ter-

terdictum esse denunciaret, quod Patarenos Spalato & Tragurio expulsos recepisset; ac nisi intra mensem illos ejiciat, illum omni ecclesiastica hierarchiæ gradu dejectum in ordinem cogat. An Daniel resipuerit, & pontificiis mandatis morem gesserit, mihi non est compertum. Ceterum, nisi ob ejus contumaciam Sacerdotio Bosnensi privatus fuit, & auctoritate regia in exsilium pulsus, certe intra triennium e vita decessit. Anno siquidem 1203. Sedes Episcopalis vacabat, ut infra dicemus. Hæresis Patarena altius jam latiusque in Bosna radices egerat, quam ut facile convelli posset, nequidquam obnitentibus Pontificibus Romanis, ac regibus Hungariæ; hæreticorum vero audacia & potentia Bani præsidio freta eo creverat, ut armis potius opus esset, quam regiis interdictis ad eam comprimendam. Quare cum omnia plena essent tumultibus ac seditionibus, ipsamque ædem cathedralem hæretici, simul cum urbe episcopali, diruissent; regio illa per annos circiter quinque ac triginta Episcopo caruit.

Ædes Cathedralis Kresceviensis ab hæreticis everta.

De Interregno Episcopali Bosnensi.

Anno 1199. Innocentius Pontifex ad Vulcanum regem Dalmatiæ & Diocliæ, de quo supra, duos legatos miserat, Joannem de Casemario Præfectum sacelli pontificii, & Simonem subdiaconum, ut regem ad sinum Ecclesiæ Romanæ redeundi cupidum, ejusque populos a labe schismatica expiaret, & in gratiam Sedis Apostolicæ restitueret. Anno autem 1202. eidem Joanni, itemque Bernardo Archiepiscopo Spalatensi legationem Bosnensem injunxit, ut docet Raynaldus ad eumdem annum. At Bernardus plurimis distentus cum esset gravissimisque occupationibus, & Ecclesia Spalatensis ad arcendos hæreticos pastoris sui præsentia ac vigilantia indigeret; totius legationis onus in Joannem rejecit, qui quamplurimos ab hæresi ad fidem catholicam traduxit; & anno sequenti, cum rerum ab se gestarum rationem Pontifici redderet, operæ pretium fore ait, plures in ea regione constitui Episcopos ritus latini, qui rudes illos populos hæreticorum fraude ac malitia deceptos ab errore deducerent, & sanæ sinceræque doctrinæ præceptis instruerent. Unicum hactenus universæ huic provinciæ Episcopum præfuisse; qui non ita pridem mortuus est. Regimen Episcopale totius Bosinæ, tam late diffusum, tot tantisque difficultatibus implicitum, esse onus quoddam & munus multo gravius & operosius, quam ut ab uno sustineri gerique possit: *Noveritis præterea*, inquit, *quod in regno Bani Culini de Bosna non est nisi unus Episcopatus; & Episcopus modo mortuus est. Si fieri posset, quod aliquis latinus ibi poneretur, & alii etiam ibi tres, vel quatuor crearentur novi, non modicum exinde utilitatis acciperet ecclesia; quia regnum est ipsius ad minus dietarum decem & plus &c.* Duo singulari memoria præ ceteris digna Joannes præstitit: ab hæresi & schismate ad rectam in Deum fidem & Sedis Apostolicæ auctoritatem revocavit tum ipsum Banum Culinum, tum monachos quosdam ex ordine fortasse Basiliano, qui ad gentem illam pravis opinionibus imbuendam acciti fuerant. Horum sollemnis professio catholica edita ipsomet Culino præsente & approbante extat in hæc verba. *In nomine Dei æterni Creatoris omnium, & humani generis Redemptoris, anno ab ipsius Incarnatione 1203. Domini vero Innocentii Papæ 6. Nos priores illorum hominum, qui hactenus singulariter Christiani nominis prærogativa vocati sumus in territorio Bosnæ, omnium vice constituti pro omnibus, qui supra, de nostra societate fraternitatis, in præsentia Domini Joannis de Casamario capellani summi Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ in Bosna delegati, præsente patrono Bano Culino Domino Bosnæ, promittimus coram Deo & Sanctis ejus stare ordinationi & mandatis S. R. E. tam de vita & conversatione nostra, quam ipsius obsecundare obedientiæ, & vivere institutis, obligantes nos pro omnibus, qui sunt de nostra societate, & loca nostra cum possessionibus & rebus omnibus, si aliquo tempore deinceps sectati fuerimus hæreticam pravitatem. In primis abrenunciamus schismati, quo ducimur infamati, & Romanam Ecclesiam matrem nostram, & caput totius unitatis recognoscimus &c.*

Joannis Legati Apostolici in Bosna ad Innocentium epistola.

Hæreticorum conversio.

Hos vero præpositos sive priores monachorum, ecclesiæ jam reconciliatos, secum in Hungariam ad regem Emericum adduxit; regi vero auctor fuit, ut juberet recipi a Bosnensibus ac retineri summa quædam fidei catholicæ capitula, quæ ipse perscripserat, quæque antea plerique relpuerant. Erat tum apud regem filius Bani Culini, cui Emericus capitula illa regio sigillo obsignata ad patrem deferenda dedit; & Banum tum in hæc, tum in omnia, quæcumque ab Sede Apostolica emanarent, decreta jurare jussit; atque eidem imperavit, ut ab omnibus eadem recipienda & servanda curaret. Idem vero Culinus, vel ejus filius nomine parentis coram rege & Archiepiscopo Colocensi multam pecuniariam sane gravem sibi dixit, si quid favoris in posterum ac præsidii hæreticis præstitisset. Hæc ex epistola Henrici regis ad Innocentium anno 1204. quæ est hujusmodi.

Venerabili in Christo Patri Innocentio D. g. sacrosanctæ R. E. Summo Pontifici Henricus eadem D. g. Hung. Dalm. Bosnæ, Serviæque rex salutem & fidelem in omnibus reverentiam.

Emerici Reg. Hung. epistola ad Innocentium.

Cum humilis ac fidelis sanctitatis vestræ capellanus Joannes ad præsentiam nostram accedens, duos principaliores ex eis, qui in terra Culini Bani, prout ferebatur, damnatam hæreticorum sectam fovebant, secum adduxisset; nos inspectis orthodoxæ fidei articulis, quos ad ipsius Joannis exhortationem illi, ad quos missus fuerat, non susceperunt; eadem capitula sub sigillo nostro contenta Domino illius terræ, filio scilicet memorati Culini, qui tunc apud nos erat, dedimus, districte præcipientes, ut ea & alia, si qua Romana Sedes eis de cetero secundum Deum transmittere decreverit, ab omnibus in terra sua faciat inviolabiliter servari. Idem etiam cum hoc juxta voluntatem nostram admisisset, se in manu nostra & I. Archiepiscopi Colocensis subsequenter obligavit, quod si de cetero supradictos, vel alios homines in hæresi scienter manutenere vel defendere in terra sua præsumpserit, mille marchas argenti persolveret; quarum medietas vobis, altera vero fisco nostro medietas obveniet. Illi præterea duo priores, qui cum præfato capellano vestro Joanne venerunt, tam pro se, quam pro fratribus suis, a quibus missi fuerant, in præsentia nostra jurarunt, quod constitutiones jam a dicto fideli Legato vestro promulgatas, & sibi traditas, firmiter observabunt, & in perpetuum &c.

Haud multo post Emericus e vita migravit;

& La-

Andreas rex Hungariæ Ecclesiam Bosnensem metropolitæ Spalatensi adjudicat.

& Ladislavo filio, quem regni hæredem reliquerat, anno sequenti 1205. immatura morte prærepto, Andreas dux Dalmatiæ & Chrobatiæ, frater Emerici, rerum in Hungaria potitus est. Ab eo cum Bernardus Archiepiscopus Spalatensis petiisset, ut metropolis & ecclesiæ Spalatensis jurisdictionem, & quidquid privilegiorum ac bonorum eidem contulerant reges ac Pontifices, suo decreto confirmaret; illius postulatis morem gessit, & anno 1207. amplissimum diploma condidit, in quo nominatim Bosnensem ecclesiam, cujus sedes episcopalis tum vacabat, metropolitæ Spalatensi subjectam esse declaravit: *Eidem ecclesiæ* (Spalatensi) *pleno jure subjicimus ad instar privilegii Romanæ Ecclesiæ* (quod anno 1191. vel Clemens III. vel Cælestinus III. ei concesserant) *Signiensem, Nonensem, Scardonensem, Traguriensem, Corbaviensem, Tininiensem, Farensem, BOZONENSEM, Episcopatus &c.* Ita regio etiam, non pontificio solum, diplomate Ecclesia Bosnensis Ragusini metropolitæ jurisdictioni exempta, Spalatensi attributa fuit.

Interea Culinus e vivis excessit, quem annos sex & triginta Bosinæ præfuisse tradunt. Andreas rex Hungariæ regnum illud jure fiduciario possidendum dedit Zibislavo. Hic Catholicisne, an hæreticis inter principatus initia fautorem se præbuerit, mihi non constat; postea certe fidei catholicæ cultor eximius & propugnator acerrimus fuit, ut litteræ pontificiæ ad eum scriptæ declarant. Quinam fuerit per annos circiter sexdecim status Ecclesiæ Bosnensis, incompertum est; de rebus enim Bosnensibus illorum temporum nulli Scriptores, nulla monumenta loquuntur. Honorius III. anno 1216. in Sedem Romanam Innocentio suffectus, cum Legatum Apostolicum in Dalmatiam & Hungariam misisset Aconcium subdiaconum & sacello pontificio præpositum, huic anno 1222. Bosnensium hæreticorum conversionem impense commendavit. De hujus Dalmatica legatione dictum est in Guncello Archiepiscopo Spalatensi. Postquam igitur in Dalmatia, quæ a Pontifice habuerat, mandata confecit, in Bosinam progressus regionem omnem refertam hæreticorum invenit. Tres fere annos nihil studii operæque prætermisit, ut Patarenos ab hæretica insania revocaret; sed letalium dogmatum virus in eorum animis, tamquam in venis medullisque penitus inhæserat, omnemque curationem respuebat. Itaque parum profecit; & cum tenui admodum esset, atque infirma valetudine, laboribus curisque confectus diem supremum obiit. *Interim vero* (ut scripsit Archidiaconus cap. xxvii. Hist. Salonit.) *Legatus Aconcius in Bosnam contra hæreticos profectus, multo ibi tempore pro statu fidei catholicæ laboravit.* Et deinde cap. xxix. *Erat autem corpore imbecillus, sed zelo catholicæ fidei validus propugnator; cum ergo forti fuisset languore correptus, ad extrema perveniens totum se Domino commendavit, ibique vitæ cursum feliciter peregit A.D.MCCXXII.* Sed in Guncello Archiepiscopo diximus Aconcii obitum referendum esse ad annum hujus sæculi quartum, vel quintum supra vicesimum.

Aconcii pontificii legati labores apostolici.

Abrahamus Bzovius in Annal. Ecclesiast. tradit anno 1222. *Honorium Colonienſem Antistitem missum in Dalmatiam & Bosnam hæresibus infectas, ut vel suasionibus, vel armis cruce signatorum eas purgare conaretur. At cum non proficeret, rem jussu Pontificis prædicatoriæ familiæ commisit.* De hac Bosnensi legatione tradita Honorio Archiepiscopo Colonienſi nullam apud alios historicos Bzovio vetustiores, quos viderim, mentionem invenio: vereor ne legationem illam ab Aconcio translatam, Honorio per errorem affinxerit; vel potius quod Colocensis Archiepiscopus pro conversione hæreticorum in Bosina gessit, id transtulit ad Colonienſem.

Antipapa Bosnensis & Bartholomæus ejusdem in Gallia Vicarius.

Quanto impensius in salutem Bosnensium procurandam Aconcius incumbebat, tanto pertinacius conscelerati homines piis monitis atque adhortationibus viri apostolici obsistebant: eo audaciæ provecti sunt, ut Papam sibi crearent, qui universo Albigensium & Patarenorum gregi per Illyricum, Italiam, & Galliam dispersо præesset. Hic in partibus Galliarum quemdam Bartholomæum nomine Vicarium sibi constituit, ut narrat Matthæus Parisius in Historia Anglicana ad an. 1223. idque Conradus Episcopus Portuensis & Legatus Apostolicus in Gallia significavit Archiepiscopo Rothomagensi in suis ad eum litteris scriptis in hæc verba: *Dum pro sponsa veri crucifixi vestrum cogimur implorare auxilium, potius compellimur lacerari singultibus, & plorare. Ecce quod vidimus loquimur, & quod scimus testificamur. Ille homo perditus, qui extollitur super omne, quod colitur, aut quod dicitur Deus, jam habet perfidiæ suæ præambulum hæresiarcham, quem hæretici Albigenses Papam suum appellant habitantem in finibus Bulgarorum, Croatiæ, & Dalmatiæ, juxta Hungarorum nationem* (idest in Bosina fere media inter has regiones). *Ad eum confluunt hæretici Albigenses, ut ad eorum consulta respondeat. Etenim de Carcassona oriundus vices illius Antipapæ gerens Bartholomæus hæreticorum Episcopus, funestam ei exhibendo reverentiam, sedem & locum concessit in villa, quæ dicitur Porlos; & se ipsum transtulit in partes Tolosanas &c.* Sed hoc Pseudo-pontifice paullo post extincto, larva illa papalis evanuit; nec tamen ejus interitu extincta est nefaria illa secta e fœdissimis hæresum monstris conflata, quin immo majora incrementa ubique cepit.

Hugrinus Archiep. Colocen. doctrina & armis decertat cum hæreticis.

Andreas rex Hungariæ pro eximio, quo flagrabat, hæreseos profligandæ tuendæque fidei catholicæ studio, Hugrinum Colocensem Archiepiscopum, virum non solum ad redarguenda impia dogmata insigni doctrina, sed etiam ad instruendam contra hæreticos aciem cruce signatorum, armisque pugnandum, militari scientia & magno animo præditum rogavit, ut omnem contentionem operamque ad convertendos Bosnenses adhiberet; pollicitus eidem ab se in ejus potestatem traditum iri quæcumque loca in ea regione ab hæreticorum sordibus ac flagitiis purgasset. Hoc præclarum opus dignissimum suæ virtutis Hugrinus mira alacritate suscepit; præsertim cum stimulos eidem addidissent tum alii summæ auctoritatis viri, tum ipsemet Aconcius, qui antequam moreretur, Hugrinum in societatem suæ apostolicæ expeditionis gravissimis litteris ac verbis vocaverat. Rem strenue gessit, & quamplurimos a profundo illo ac tenaci errorum ac scelerum cœno extractos ad rectum salutis iter reduxit. Ei gratulatus est Honorius Summus Pontifex, & egregia illius studia ad conversionem hæreticorum collata laudavit; hortatusque est ut præclare cœpta persequeretur, & qui a susceptis erroribus deduci nollent, contra eos cruce & ferro Catholicos

arma-

armaret. Epiſtola Honorii ad Hugrinum eſt hujuſmodi. *Gratum gerimus, & acceptum, quod catholicæ fidei ductus amore ad profligandos hæreticos de Bozna, Soy, & Voſſora* (ſunt partes regni Bolnenſis, in quibus potiſſimum pravitas hæretica dominabatur), *ubi tamquam lamiæ nudatis mammis publice catulos ſuos lactant, ad exhortationem bonæ memoriæ Aconcii ſubdiaconi & capellani noſtri, Apoſtolicæ Sedis Legati, & aliorum bonorum virorum te viriliter accinxiſti; ſuper quo ſinceritatis tuæ zelum dignis in Domino laudibus commendantes, & favore debito proſequentes, fraternitatem tuam rogamus, & monemus attentius, & per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de gratia noſtra confiſus & auctoritate ſuffultus perſequaris ex animo cauſam Chriſti, catholicæ puritatis potenter perſequens ſubverſores; ita quod Deo ad gloriam, nobis ad gaudium, & tibi ad profectum proveniat ſalutarem. Ut autem injunctum tibi negotium perfectius exequi valeas, in partibus illis prædices verbum crucis, fideles contra infideles efficaciter exhortando &c. Datum Tibure Id. Maji An. 9. Pontificatus noſtri;* ideſt 1225.

Honorii III. Epiſtola ad Hugrinum.

Per eos annos Honorius III. vel poſtea Gregorius IX. qui an. 1227. in locum Honorii ſubſtitutus fuit, Hugrino ſubmiſit quaſdam veluti auxiliares copias e ſanctiſſimo Prædicatorum ordine, quem B. Dominicus genere Hiſpanus, nobiliſſima ſtirpe ortus, ſanctitatis & miraculorum gloria clariſſimus inſtituerat, Honorius vero III. rite approbaverat. Evangelicos operarios, apoſtolici ſpiritus plenos peramanter excepit Hugrinus, cui ad hæreticos convertendos diſputationibus argumentiſque, & quod caput eſt, plurimis & egregiis innocentiſſimæ vitæ exemplis perutilem operam navarunt. His converſionem cujuſdam Dynaſtæ Boſnenſis attribuit Abrahamus Bzovius ad an. 1233. *Dux Boſſinæ Nicolaus per Fratres Prædicatores hoc tempore hæreſim ejuraverat, & in fide orthodoxa ſe perſeveraturum ſpoponderat, dato filio obſide in manus eorumdem Prædicatorum, cui vehementius metuebat, ne a rege Hungariæ feudi jure exneretur. Conſuetudo enim obtinuerat regni, ut rex Hungariæ hujuſmodi jura hæreticis abrogaret, & recens ad fidem converſis pro voluntate concederet. Cum autem Nicolaus multis argumentis fidem ſuam probaſſet, ſcripſit Gregorius IX. regi quidem, ut ex ea laudata conſuetudine benigne ſe erga eum & filium in feudo concedendo haberet; FF. autem Prædicatoribus, ut filium obſidem patri reſtituerent, cum de ejus fide nulla eſſet dubitatio.*

Patres Dominicani egregiam hæreticis convertendis operam navant.

His temporibus, ut eſt apud Raynaldum ad an. 1233. in Eccleſiam Boſnenſem Epiſcopus neſcio quis invalerat, non modo Patarena labe infectus ipſe, verum etiam mire cupidus ejuſdem longe lateque vulgandæ. Scripſit Gregorius ad Jacobum Cardinalem, Apoſtolicum in Hungaria Legatum, eique mandavit, ut Epiſcopum illum omnino expellendum, ejuſque in locum Antiſtitem æque doctum ac pium ſubrogandum curaret. Siquem legatus pontificius hæretico expulſo Catholicum Epiſcopum ſubſtituerit, hujus nomen ignotum eſt; eumque ex illorum numero fuiſſe arbitror, quos Regionarios, ſive Apoſtolicos vocabant; quippe nulli urbi oppidove regni Boſnenſis affixam habebat Sedem Epiſcopalem, cum ſchiſmatici & hæretici, ut ſupra diximus, urbem Kreſcevum una cum æde cathedrali jampridem diruiſſent; ſed ex uno in alium locum perpetua circuitione commigrans, quaſique regionatim diſcurrens, modo his, modo illis urbibus, oppidis, ac pagis ſuam præſentiam atque operam pro re ac tempore commodabat. Anno 1237. aliquem hujuſmodi Epiſcopum in Boſina fuiſſe neceſſe eſt; nam hoc anno Gregorius, in ſuis litteris ad Belam IV. Hungariæ regem, ante biennium Andreæ parenti ſubſtitutum, juſſit Epiſcopum Boſnenſem adjungi ſocium Epiſcopo Perufino legato apoſtolico ad Joannem Aſanem regem Bulgariæ, ut quibuſcumque poſſent argumentis & rationibus, regem illum a ſchiſmate & amicitia Græcorum ad Eccleſiæ Romanæ communionem, Latinorumque ſocietatem revocarent. Id tradunt Odoricus Raynaldus & Abrahamus Bzovius ad an. 1237. *Scripſit etiam*, ait Ezovius, *ad Belam Hung. regem per Legatum* (Epiſcopum Perufinum) *ea tranſeuntem, ut Boſnæ Epiſcopo injungeret, ſi qua ratione poſſet, Joannem a ſchiſmate Græcanico ad obedientiam Romanæ Eccleſiæ, & a bello contra Latinos ſuſcepto ad pacem adducere & concordiam: quod ſi e re non ſuccederet, bellum ipſi inferret.* Tunc ſiquidem Joannes Vatacius ſeu Ducas Imperator Græcorum bellum gerebat cum Latinis, ut eos Conſtantinopoli imperioque orientis expelleret. Sed re infecta uterque legatus rediit. Raynaldus paullo aliter rem narrat ex fragmento epiſtolæ Gregorii ad Belam, ex quo hæc duo colligi poſſunt; primo nomen illius Epiſcopi Boſnenſis, qui ſocius legationis Bulgaricæ additus fuit Epiſcopo Perufino, initium ducebat ab littera I; deinde is, antequam id muneris ſuſciperet, Eccleſiæ Boſnenſi nuncium remiſerat: *Venerabilem fratrem noſtrum Peruſinum, & I. . . . . quondam Boſnenſem, Epiſcopos, viros utique ſcientia & honeſtate conſpicuos, quos Deo dilectos, & acceptos nobis & fratribus noſtris, piæ vitæ ſtudiis & titulo multimodæ probitatis, ad partes ipſas ſuper hujuſmodi negotio deſtinamus &c.* Idem Gregorius cum contagio Patarena e Boſina late manaſſet in Slavoniam, Dalmatiam, Iſtriam, & Carnioliam; tum in Boſinam, tum in regiones conterminas legavit virum eximium ex ordine Carthuſienſi, inſigni doctrina & ſanctitate præditum, qui gentes illas ab hæretica pravitate ad fidem catholicam traduceret, ut docet Raynaldus ad an. 1234.

Epiſcopus hæreticus e Boſina pulſus, eique Ep. Catholicus ſubſtitutus.

Ad Zibislavum Banum Gregorii IX. epiſtola.

In medio nationis pravæ ſincera fides eminebat, & incorrupta religio Zibislavi Bani Boſnenſis, qui omni ope operaque enitebatur, ut populos ſibi ſubjectos Deo eccleſiæque ſubjiceret. Itaque dignum ſe præbuit, quem Gregorius ſummis laudibus ornaret, ipſumque & omnem ejus ditionem in fidem ac clientelam Sedis Apoſtolicæ reciperet, litteris anno 1236. datis in hæc verba. *Te, qui ſicut lætantes accepimus, inter principes Boſnenſis diœceſis infectos macula hæreticæ pravitatis exiſtis quaſi lilium inter ſpinas, proſequendo ſollicite bene cœpta, per quem valeat augmentum Chriſtiani nominis auctore Domino provenire, ſinceræ caritatis brachiis amplexantes, perſonam tuam, & terram tuam cum bonis omnibus, quæ in præſentia rationabiliter poſſides, ſub B. Petri protectionem recipimus &c. Dat. Reate* VI. *Id. Aug.* In eamdem ſententiam ſcripſit ad matrem Zibislavi, feminam inſigni fide ac virtute ornatam.

Sed rei catholicæ vel plurimum adjumenti attulit Colomanus frater Belæ, & filius Andreæ regis. Utrumque Andreas aliquot annis ante-

quam

& ad Colomanum Regem Halliciæ & Slavoniæ.

quam e vivis excederet, regio titul donaverat; & Colomanum regem Haliciæ, quæ pars erat Hungarici regni in Kuſſia nigra, itemque Slavoniæ nominaverat; anno autem 1235. moriens Belam natu maximum regni hæredem reliquit. Colomanus autem ſingulari religionis tuendæ ſtudio ſuccenſus, hæreticos Boſnenſes armis perſequi non antea, quam vivere, deſiit; & pleroſque eorum vel hæreſim ejurare, vel fuga voluntaria exilium ſibi conſciſcere coegit. Ejus fidem ac virtutem eximiam, quibus digna erat, laudibus extulit Gregorius in ſuis ad eum litteris. *De ſuperni regis provenire gratia gratulamur, quod agnoſcens humiliter te ad ipſius imaginem & ſimilitudinem eſſe conditum, & ejuſdem ſanguine pretioſo redemptum, ſibi retribuere vigilas, ut de Boſnæ partibus deletis pravitatis hæreticæ maculis, ibidem fulgeat lumen catholicæ puritatis. Super hoc quidem, benedicte fili, tibi affectionis gratiam referentes, ſerenitatem tuam, ſicut attentius poſſumus, cohortamur, & in remiſſionem injungimus peccaminum, quatenus in hoc potiſſime te arbitrantes magnificum, quod Dei ſapientia providiſſe dignoſcitur, ut ipſius nomen tuo miniſterio in prædictis partibus reddatur glorioſum; ad hoc, ſicut olim, ſic & in poſterum fervens habearis & ſedulus, ut qui Chriſtum toto corde diligis, de terra tua opprobrium abſtuliſſe perfidiæ comproberis. Dat. Laterani XI. Kal. Januarii an. Pontif. XI.* ideſt 1227.

Zibislavus ædes epiſcopales in urbe Boſna exſtruxit.

Nihilo ſegnius ad extirpandos hæreticos incumbebat Zibislavus Banus Boſnenſis, a quo ferunt novum Epiſcopatum in Boſina fundatum, ſeu potius veterem reſtitutum; ajunt quippe pontificias ædes conſtruxiſſe in urbe Boſna, ibidem ferme loci, ubi nunc eſt Seralium, civitas opulenta, longe a Kreſcevo, antiqua urbe & ſede epiſcopali ab hæreticis everſa, in ortum ac meridiem diſtans. Tantum igitur Colomanus & Zibislavus armis metuque, tantum præcones evangelici Dominicani ſtudio & aſſiduitate concionandi hortandique profecerant, ut religio catholica in Boſina jam caput attollere ac refloreſcere videretur. Quocirca Gregorius ea de re litteris Colomani admonitus, cenſuit ſuum illis gentibus ac proprium Epiſcopum reſtituendum eſſe, ut catholici gregis curam ſuſciperet, & qui adhuc a fide aberrabant, eos ad Chriſti ovile reduceret. Itaque per litteras imperavit Antiſtiti Cumanorum, ut F. Ponſam virum e Dominicana familia tum exquiſitæ doctrinæ, tum eximiæ ſanctitatis, omniumque virtutum laude cumulatum, Boſinæ Epiſcopum conſtitueret; quod ſi ille id honoris ac muneris ſtudio religiolæ humilitatis recipere abnueret, vel invitum pro poteſtate cogeret. Cumani erant populi Aſiatici, qui avitis ſedibus per Tartaros expulſi ad Belam Regem confugerant, & Chriſtiana religione ſuſcepta Epiſcopum, agros, & domicilia in extrema Hungaria ab rege impetraverant. F. Ponſa Dominicanus idem eſt, opinor, ac B. Joannes Teutonicus, cui *Ponſæ* alterum cognomen fuiſſe oportet, gentile videlicet, atque a majoribus acceptum; nam e natione, unde oriundus erat, cognominatus fuit *Teutonicus*. Hic autem interregno epiſcopali Boſnenſi finem attulit.

F. Ponſa Dominicanus Epiſc. Boſnenſis, idem ac B. Joannes Teutonicus.

B. JOAN. TEUTONICUS EP. BOSN. V.

Acta B. Joannis ante Epiſcopatum.

Natione Germanus, patria Vildhuſienſis, in oppido Veſtphaliæ & diœceſi Olnabrucenſi natus eſt, genere in primis claro ac nobili. Primam ætatem latinis litteris excoluit, ac mira innocentia tranſegit. Cum annum decimum ageret, illi divinitus præmonſtratum ferunt ordinem Prædicatorum, virtutum omnium & doctrinarum ſplendore fulgentem, quem poſtea S. Dominicus inſtituit; ſimulque eidem ſignificatum fore, ut ipſe huic ordini ſanctiſſimo non ſolum daret nomen, ſed etiam ſummo cum imperio præeſſet; id quod deinde eventus declaravit. Adoleſcens in Italiam ſtudiorum cauſſa profectus, in Gymnaſio Bononienſi Philoſophiæ, Theologiæ, juri civili ac pontificio diligentem operam dedit; atque, ut erat ingenio acerrimo & perſpicaci, tantos proceſſus fecit, ut in omnibus illis diſciplinis vel plurimum excelleret. Cum hac multiplici & excellenti doctrina ſummam vitæ integritatem, & ſingularem prudentiam conjunxit. Friderico Imperatori carus in paucis, atque etiam familiaris fuit; qui cum ceteras ejus virtutes amabat, & ſuſpiciebat, tum vero inſignem modeſtiam, ſummamque caſtimoniam admirabatur, cujus periculum facere voluit, procaci muliere ad eam labefactandam immiſſa; quam ille graviſſimis verbis increpitam, invictæque conſtantiæ miraculo attonitam ac perterritam rejecit. Aula Imperatoria relicta Romam ſe contulit, & per omnes inferiorum ordinum gradus ad Sacerdotium pervenit. In illa urbe omnium principe cum illuſtriora quotidie intelligentiæ, doctrinæ, omniumque virtutum documenta daret, magnam ſibi exiſtimationem & gratiam conciliavit tum apud Cardinales, tum vero apud ipſum Pontificem, qui eidem capellani & pœnitentiarii ſui munus, grave ſane & honorificum mandavit. Sed ille alio ſpectabat; & divini ſpiritus impulſu, ſæculi honoribus ac voluptatibus nuncium remittens, in præclariſſimam Patrum Prædicatorum ſodalitatem haud ita pridem inſtitutam aggregari voluit; ab ipſoque ejus auctore ac parente D. Dominico habitum monachalem ſuſcepiſſe traditur. Tirocinio peracto, cum non ætate ſolum, ſed etiam ſcientia & virtute maturus eſſet evangelico munere; ſtatim urbes & regiones ritu apoſtolico peragrare cœpit, concionando, monendo, hortandoque populos, ut e peccatorum cœno emergerent, vitamque chriſtiano homine dignam inſtituerent. Cum dicturus erat, tanti concurſus ex agris, vicis, & ex domibus omnibus fiebant, ut e loco ſuperiori de rebus divinis, de vitiis, de virtutibus differentem, ſæpe quina, aut ſena hominum millia attentiſſime audirent; ejuſque perorationem non ineptus vulgi plauſus, aut ſtulta facundiæ commendatio ſequebatur, ſed alta ſuſpiria gemituſque, & anteactæ vitæ deteſtatio ſalutaris. Vim ac pondus ejus verbis addebant miracula, quæ ſane multa per eum divinitus patrata eſſe dicuntur; ut nunc cetera præteream, Baſileæ cum eſſet, hominem lepra toto corpore coopertum, unico tactu ab eo mundatum, ac priſtinæ ſanitati reſtitutum eſſe ajunt. Plures jam annos in hiſce apoſtolicis expeditionibus ingenti vel ſuo labore, vel chriſtianæ plebis utilitate, divinique cultus incremento conſumpſerat; cum juſſus eſt ſuſcipere adminiſtrationem provinciæ Hungaricæ Dominicanæ; cui ſic præfuit, ut diligi ſe, quam metui mallet; & quibus poteſtate præſtabat, virtutum omnium exemplis anteibat.

Ad Boſnensem Epiſcopatum deligitur.

Ab regimine Fratrum ſuorum evocatus eſt ad gubernacula Eccleſiæ Boſnenſis, quæ requirebat

Epiſcopum ea vigilantia, & prudentia, & doctrina, & ſanctitate præditum, ut poſſet populos illos recenter ad fidem converſos ab omni hæreſeon labe intactos ſervare, & qui nondum reſipuerant, eos ab hæreſi deducere; vineamque illam jamdiu cultore deſtitutam, erroribus ac vitiis ſilveſcentem diligenter excoleret. Multi & graves auctores fuerunt Gregorio IX. ut Joannem Teutonicum Epiſcopum Boſnenſibus præficeret; ad hanc provinciam tam difficilem ac laborioſam neminem illo aptiorem eſſe, de cujus ſapientia ac virtute multa & præclara tum ipſe cognoverat, tum fama & auditione acceperat. Sed cum noſſet indolem hominis in ſtudio religioſæ humilitatis ita defixam, & ab honorum inſignibus admittendis uſque adeo alienam, ut niſi cogeretur, nulla ſpes eſſet laborantis illius eccleſiæ ſaluti tam opportuno præſidio ſubveniendi; ſcripſit ad Epiſcopum Cumanorum, ut Joannem Pontificis nomine & auctoritate in regno Boſnenſi Epiſcopum conſtitueret; ſi abnueret, pro imperio juberet delata ſibi gubernacula munuſque ſine tergiverſatione recipere. *Cum*, inquit, *ſumme ſit neceſſarium, ut plantata ibi de novo* (1) *religio ſub idonei paſtoris regimine in divini timore & amore nominis ſuſcipiat incrementum, & dilectus filius M. Ponſa* (2) *de ordine Prædicatorum, qui virtutes diligere, & in ſpiritualibus, & in temporalibus circumſpectionis gratiam dicitur obtinere, ad hoc potiſſimum competere proponatur; mandamus, quatenus ipſum dictæ terræ, ſi aliquod canonicum non obſtat, provideas auctoritate noſtra in Epiſcopum & paſtorem ... Si vero idem Frater in hac tibi parte parere neglexerit, eum ad id admonitione præmiſſa, ſpirituali diſtrictione compellas. Præterea ſibi, quem ſoli* (3) *Sedi Apoſtolicæ uſque ad beneplacitum noſtrum volumus haberi ſubjectum, injungas, ut de terra* (4) *Cholim, per ejus regis miniſterium a pravitate conſimili nutu divinæ potentiæ depurata, diligentem curam habeat, quouſque de illa per Romanam Eccleſiam, quod opportunum fuerit diſponatur &c. Dat. Later. VI. Kal. Maji. Pontific. noſtri anno XII.* ideſt anno Chriſti 1238.

Epiſtola Gregorii IX. ad Epiſcopum Cumanorum, ut Joannem vel invitum Eccleſiæ Boſnenſi præficiat.

1

2

3

4

Notæ.

(1) Cum hæreſis in Boſina ubique dominaretur, catholica religio aut vexationibus metuque hoſtium oppreſſa latebat, aut e locis pleriſque expulſa jamdudum exſulabat. Poſtquam ergo Colomani opera e latebris emerſerat, ac veluti poſtliminio reſtituta erat, quaſi *de novo plantata* videbatur.

(2) Joanni Teutonico *Ponſa* cognomen fuerit oportet, ut ſupra dictum eſt: neque enim ſuſpicari licet *F. Ponſam* alium fuiſſe & diſtinctum a F. Joanne Teutonico; nam quæ ſingulari laude digna Pontifex de F. Ponſa commemorat, eadem in Joannem conveniunt: idem Dominicanum inſtitutum, eadem virtutum indoles, ac præſertim eadem modeſtia, demiſſioque animi de ſe humiliter ſentientis, ab omni honore ac dignitate abhorrentis, ſatis declarat Joannem fuiſſe illum ipſum, quem Gregorius *F. Ponſam* vocat, cuique Boſnenſem Epiſcopatum decrevit. Præterea quo anno Joannem Eccleſiæ Boſnenſis regimen ſuſcepiſſe tradunt Scriptores Dominicani, eodem prorſus, videlicet 1238. Gregorius eidem eccleſiæ F. Ponſam præfici rectorem juſſit. Sigiſmundus Ferrarius in ſuis *Commentariis de rebus Hungaricæ provinciæ ord. Prædicatorum*, refellit quorumdam errorem, qui B. Joannem anno 1228. & primum ex ordine Dominicano ad Epiſcopalem dignitatem aſſumptum fuiſſe tradiderunt. *Ceterum nec anno Chriſti 1228. Joannes Boſnenſis, cum ab eo tempore non niſi poſt decennium circiter Boſnenſis Epiſcopatus erectus* (ideſt inſtitutus) *fuerit; nec primus ex ordine Epiſcopus eſſe potuit, cum Thomas Malvenda in perſcrutanda antiquitate ſollertia & ingenio plurimum valens, tradat primum ex ordine noſtro aſſumptum fuiſſe Raymundum de Fulgaſio... Crediderim tamen indubie Joannem primum fuiſſe Boſnenſem Epiſcopum, quod nedum Joannis Tomco Boſnenſis Epiſcopi, qui id mihi expreſſe affirmavit, teſtimonio; ſed etiam ratione comprobatur, quod Boſnenſis Epiſcopatus ſub an. 1238. primum fuerit inſtitutus* (reſtitutus), *ut ex Gregorii IX. litteris datis priori & fratribus ordinis Prædicatorum diœceſis Quinqueccleſienſis, quibus mandabat, ut in ædificatione cathedralis Eccleſiæ Boſnenſis, & in propagatione ac defenſione fidei catholicæ, Eccleſiæ Epiſcopali Boſnenſi aſſiſterent, liquido conſtat. Cum enim Joannes biennio ab erecto Epiſcopatu illo, anno nimirum 1241. electus fuerit* (factus poſt ceſſionem Epiſcopatus Provincialis Lombardiæ) *Magiſter generalis ordinis Prædicatorum, non videtur alius prius illi ſedi præfuiſſe. Facile in Scriptoribus nonnullis pro 1238. numerus 1228. irrepſit. Biennium plus minus Epiſcopatum adminiſtravit.* Illud etiam caveas oportet ne Joannem Teutonicum confundas cum Joanne Friburgenſi viro ſanctiſſimo & doctiſſimo, qui ætate poſterior fuit: id quod Tritemium feciſſe arguit Sigiſmundus Ferrarius. *Non fuiſſe Joannem noſtrum Friburgenſem, ſed Waldenſſenſem ſuperius ex univerſis vitæ illius ſcriptoribus enarravimus. Nec celebrem illam confeſſorum Summam edere ipſe potuit, cum auctor illius ſæpius quæſtiones ſuas reſolvat ex doctrina non ſolum Innocentii, Hoſtienſis, Raymundi, e quibus duo illi indubie prius ſcripſerunt; ſed etiam S. Thomæ, & F. Petri Tarantaſii diſcipuli ejuſdem Angelici Doctoris, ac deinde Summi Pontificis, Joanne noſtro ætate & ſcriptione poſterioris; cum & ipſe Thomas adhuc adoleſcens a Joanne noſtro clavum totius ordinis moderante Coloniam ad ſtudendum ſub M. Alberto miſſus fuerit. Fuit vero Summa edita a Fr. Joanne Friburgenſi, qui quod etiam Joannes Teutonicus dictatur a S. Antonino & aliis, quadam nominum communione factum eſt, ut opus unius alteri a Tritemio auctore alioqui ſollertiſſimo tribueretur ... Nihilominus Joannem litteratiſſimum fuiſſe, (qui plurium linguarum notitia præditus, nec Sacræ Theologiæ dumtaxat, ſed juris etiam tum Cæſarei, tum Pontificii peritia inſigniter excultus, priuſquam ſacri ordinis habitum indueret, doctoratus lauream adeptus fuerit, adeoque quorumdam Cardinalium capellanus, & Summi Pontificis pœnitentiarius extiterit) Magiſt. Fr. Raphael de Parnaſo, & gloſſemata ſeu Commentaria ſuper decretum, illa nimirum quæ Joannis Teutonici titulo vulgo præſcribuntur, & Michael Plodius plures epiſtolas ſanctitatem & zelum undique ſpirantes ad totum ordinem ſcripſiſſe tradiderunt.*

(3) Vetus erat controverſia inter Spalatenſem & Raguſinum Metropolitas de Boſnenſi Eccleſia, quam uterque ſibi, ſuæque metropoli vindicabant. Nequid moleſtiæ Joanni exhiberet, aut negotium faceſſeret hujuſmodi contentio; neve

neve illi ad munus episcopale sine alterutrius offensione, quieteque obeundum impedimento esset; Pontifex decrevit Episcopum & Ecclesiam Bosnensem utriusque Metropolitæ ditioni exemptam, & Sedi Apostolicæ proxime subjectam tamdiu fore, quoad sibi aliter statuendum videretur.

(4) *Terra Cholim* nusquam reperitur in tota Geographia sive Dalmatica, sive Illyrica. Vocabulum vitiatum esse arbitror. Si quid antiquæ formæ ac veterum litterarum retinuit, ex quo conjectura fieri possit, hanc terram fuisse dixerim vel Culini olim Bani Bosnensis, vel Chulmiæ, quæ pars est Serbliæ Dalmaticæ. Culinus erat unus e Dynastis generis Slavonici, & præter Banatum Bosnensem sub clientela & imperio Regis Hungariæ, avitum quoque principatum a majoribus acceptum jure hæreditario possidebat in illis partibus vel extremis, vel finitimis regni Bosnensis; hunc autem Patarena hæresis infecerat sub Culino hæreticorum fautore, & patrono. Chulmia regio erat ultra Naronem fluvium Bosnæ contermina; hanc Petrus Dynasta, seu Comes Chulmensis eadem, qua ipse inquinatus erat, contagione hæreticarum opinionum contaminaverat, omnemque ad eam curandam catholico antistiti aditum præcluserat. Cum regionem utramque Colomanus Rex Haliciæ & Slavoniæ, hæreticis vel expulsis, vel ad fidem conversis perpurgasset; alterutra fortassis est illa *Terra Cholim*, quam Gregorius novo Episcopo Bosnensi commendavit, ut ejus curam susciperet, ac tamdiu gereret, quoad Sedes Apostolica vel proprium eidem Episcopum scilicet Naronensem, aut Maccarensem præficeret, vel hanc procurationem alteri Episcopo delegaret.

Joannes Legatus Apostolicus.

Cum Episcopatu Bosnensi contulit eidem Gregorius titulum munusque legati apostolici, ut docet Raynaldus ad an. 1238. *Obeundæ præterea in illis regionibus apostolicæ legationis novo Episcopo munus imposuit, præcepitque Pannoniæ Christi fideles ad sacræ militiæ nomen adscribendum suis cohortationibus permoveret, ut hæreticos, qui Bosnæ insederant, atque in scelere obfirmati perstabant, exscinderent: ceterum eos, qui arma in ipsos gererent, in Sedis Apostolicæ clientelam susciperendos, atque ampliſſimas indulgentias sibi comparaturos.*

Cum ergo Antistes Cumanorum Joanni significasset quod sibi a Pontifice mandatum fuerat, enimvero ille re inopinata perculsus statim cohorruit; quippe qui tanto muneri, tam difficili, tamque honorifico nec parem se, & indignum esse censebat; sed Vicario Christi pro potestate imperanti resistere non potuit; & quamquam invitus, tamen sua voluntate, suoque judicio obedientiæ posthabito, episcopale onus susscepit. In eo ecclesiasticæ hierarchiæ fastigio collocatus, nihil de religiosæ vitæ institutis immutavit; eamdem in victu cultuque parsimoniam retinuit; eadem erant jejunia, eædem preces ac vigiliæ, eadem vestitus interioris asperitas. Sed in eo præcipue enitebat tum eximia erga omnes caritas & benignitas, tum profusa in egenos liberalitas; nam paucis ipse contentus, ecclesiasticos reditus pauperibus large effuseque dispertiebat: cujus rei testem habeo locupletissimum Thomam Cantipratensem, qui non solum æqualis fuit, sed etiam perfamiliaris Joanni. *Cum multo tempore*, inquit lib. 2. cap. 7. *Pœnitentiarius Papæ in Roma fuisset, eum Bosnensi Ecclesiæ præfecit Episcopum; & cum haberet in Episcopatu plusquam octo millia marcharum in reditibus, in usus tamen proprios quasi nihil inde expendebat, sed omnia pauperibus erogabat. Nec solum quidem equum habuit, sed asellum, qui libros & episcopales insulas deportabat; ipse vero pedes cum Fratribus incedebat.* Si vera sunt, quæ de opulentia hujus Episcopatus tradit Cantipratensis, Ecclesiam Bosnensem ampliſſimis vectigalibus instructam fuisse oportet, quæ ab hæreticis interversa cum essent, Zibislavus Banus recuperavit, & pia liberalitate aliarum possessionum donatione auxit. Sed hæc non satis congruere videntur cum epistola Gregorii ad Archiepiscopum Strigoniensem, ejusque suffraganeos, quos monet atque hortatur, ut de proventibus suarum ecclesiarum sane copiosis, quod superfluebat, ad sublevandam Episcopi Bosnensis inopiam contribuerent; ut est apud Raynaldum sub an. Christi 1238.

Epistolæ Gregorii IX.

Idem Gregorius scripsit ad Joannem eodem anno, ut Raynaldus docet, eumque magnopere hortatur, ut pro suo singulari perpetuoque studio religionis tuendæ & amplificandæ, sedulo acriterque ad hæreses extirpandas incumbat, simulque illi potestatem tribuit indulgentias ampliſſimas illis omnibus impertiendi, qui contra hæreticos crucis insigne atque arma susciperent. Scripsit itidem ad Præfectum & Fratres Dominicanos cœnobii Quinqueccleſienſis in Hungaria, ut Joanni opem & auxilium ferrent tum ad constituendam ædem cathedralem in ea civitate, quæ ut creditur postea dicta est Seralium, ubi Zibislavus Banus Episcopo domicilium paraverat; tum vero ad hæreticos exterminandos, fidemque catholicam propagandam. Anno sequenti, ut est apud Bzovium, idem Pontifex litteras dedit ad Præpositum provinciæ Hungaricæ Dominicanæ, ut quamplurimos posset, evangelicos operarios Joanni submitteret, qui assiduam eidem operam ad convertendos hæreticos navarent. Hoc ille quamvis exiguo, doctrina tamen & sanctitate excellentium virorum manipulo adjutus, diœcesim pedibus peragrabat; & singulis in locis catechismo tradendo, divinis mysteriis impertiendis, omnes ad piam & Christiano homine dignam vivendi rationem adhortando, omnia Episcopi munera & officia impigre laborioseque exsequebatur. Magno illi adjumento erant Fratres Dominicani, quos ex Hungaria missos in societatem evangelici operis, partemque pastoralis sollicitudinis acceperat. Ex his non pauci, ut tradunt Scriptores Dominicani, post plurimos & maximos labores in purganda & excolenda vinea Dominica exantlatos, ab hæreticis interfecti glorioſam pro Christo mortem oppetierunt. Enituit in eo potissimum fidei catholicæ restituendæ studium, assidua vigilantia in grege sibi commisso ab omni labe tuendo, acre ac perpetuum cum hæresibus & hæreticis bellum; nullisque incommodis ac laboribus pepercit, ut ecclesiam suam tetra illa impurorum hominum colluvione purgaret.

Joan. Ecclesiæ Bosnensi nuncium remisit.

Verum religiosæ tranquillæque vitæ, a qua cum summo dolore divulsus fuerat, oblivisci non poterat; & quo majori in dies curarum mole premebatur, eo vehementius repetendæ prioris vitæ desiderio exardescebat; quod cum ferre diutius non posset, a Pontifice Max. per litteras demisse ac suppliciter petiit, ut liceret sibi ad solitudinem quietemque monasti-

cam regredi, & abjectis multiplicibus episcopalis officii curis, uni Deo vacare, seque procul a negotiis ac tumultibus, ad extremum diem pie obeundum omni diligentia comparare. Quod cum iterum ac sæpius postulasset, vix tandem ægreque impetravit. Altero igitur post susceptum Episcopatum anno, Christi 1240. permissu Pontificis Ecclesiam Bosnensem rite dimisit, ingentique alacritate se ad cœnobium & vitam pristinam retulit. Incredibile dictu est, quibus & quantis gratulationibus exceptus fuerit ab universis Fratribus, qui ordinem suum talis ac tanti viri prudentia, doctrina, sanctitate orbatum esse dolebant. Decreverat ille quidem, quæ ejus erat humilitas, reliquum omne suum tempus in abjectis & servilibus ministeriis impendere, & sub imperio Præsidum in privatæ vitæ quasi tenebris delitescere; sed Patribus primariis aliter visum est, qui communem utilitatem piæ ejus voluntati anteferendam esse censebant. Itaque nolentem ac repugnantem, interposita auctoritate pontificia, regimen provinciæ Dominicanæ Langobardiæ suscipere coegerunt. Anno autem sequenti 1241. cunctis suffragiis creatus est magister generalis totius ordinis, qui proximus a S. Raymundo de Pennafort, & quartus a S. parente Dominico fuit. Annos fere duodecim summa cum laude præfuit, atque ordinem Dominicanum haud magis cœnobiis, quam viris doctissimis & sanctissimis auctum, longe lateque propagavit. Argentorati in Germania superiori, atque in urbe totius Alsatiæ principe migravit ad superos anno 1253. ut tradit Ferdinandus de Castilio in historia generali ordinis Prædicatorum, & ibidem in templo eorumdem Patrum post sollemnes exsequias conditus est. De illius heroicis virtutibus, deque miraculis, quæ dum viveret, virtute divinitus accepta patravit, extat epistola Belæ IV. Regis Hungariæ ad Præpositos & Patres primores ordinis Dominicani, qui anno 1260. ad comitia generalia Argentoratum convenerant. Hujus exemplum huic loco visum est inexere.

Fit præses provinciæ Langobardiæ, deinde magister generalis.

Argentorati sanctissime moritur.

Epistola Belæ regis ad Patres Dominicanos, de sanctitate & miraculis Joannis Teutonici,

Bela Dei gratia Rex Hungariæ &c. viris Deo amabilibus PP. RR. Magistro ordinis FF. Prædicatorum, & definitoribus capituli generalis apud Argentinam, salutem, & sinceræ dilectionis affectum. Quam præclara fuit virtus, ac virtuosa fuerit vita sanctæ recordationis Joannis Bosinorum Episcopi tunc apud nos degentis, deinde magistri ordinis vestri, adhuc in memoriam a nobis & ab omnibus regni habitatoribus revocatur; dulcior est in aure & in corde devotionis ardor & contritionis, quoties animadvertitur, quod Pater pius super afflictos pia viscera gerens, hoc suum solum æstimabat, quod de suo Episcopatus peculio Christi pauperibus potuit erogare; & ne verbosa fiat circa vos longa oratio, breviter studium ipsius erat miserabilibus misereri, & pro infirmantibus infirmari. Prædicationis quoque verbum, quod mellifluo dabat in auditores eloquio, Spiritus Sancti illustrabatur dono; & tam gratiosum eum reddiderat Deus apud omnes, ut vere sibi competeret laus martyris; & quem perfuderat Deus gratia, ab omnibus amabatur; & ne lumen lateret in tenebris, sed merita ipsius per miraculorum ostensionem populo patefacta, suffragium offerrent petentibus & corde credentibus mansueto; vobis aliisque notum sit, quod mortuum suscitavit, claudis gressum, & visum restituit non videntibus. Nobis quoque, qui in ipsius sancta conversatione & orationibus pro nobis pollicitis spem habentes, medelam sperabamus languoribus hominis utriusque in quodam gravi morbo, quo frequenter affici multi soliti sunt, quandoque morbo ipso attentati; signo crucis doloribus objecto, suffragia ejusdem imploravimus, ad quæ vehementia doloris & miseria corporeæ conditionis compulit imploranda; illicoque similiter gratiam sentientes invocati, dolor cessit quieti, & morbus sanitati. Invigilate ergo, Patres carissimi, quod vita & miracula ejusdem prodere possint in publicum, & S. Mater Ecclesia tanti filii gloria incrementum recipiat spirituale, & populus Christianus patrocinium per ejusdem devotionem augeat & salutem. Datum apud nostram curiam in Dominica, qua cantatur Lætare.

In eamdem sententiam postea scripsit ad magistrum generalem & præsides ordinis Prædicatorum Maria Regina Hungariæ, ipla quoque singularis beneficii ab Joanne divinitus accepti expertique locuples testis. Bela parens, & Stephanus filius non animo solum & studiis, sed armis etiam & castris diffidebant. Ut eos in pristinam concordiam reduceret Maria Regina alterius conjux, alterius mater, manus oculosque tendens in cælum pari pietate ac fiducia Joannem imploravit; nec vana spes aut imploratio fuit. Per quietem visa sibi est videre Joannem cælesti luce fulgentem, qui bono animo esse jussit, ac prædixit fore, ut eo ipso die ante prandium lætissimos nuncios pacis inter patrem & filium reconciliatæ acciperet: *Quoniam*, inquit, *in nostris orationibus, mediante clementia Dei fiduciam habuisti* (ut est apud Cantipratensem), *ecce prædico tibi, quoniam antequam comedas, nuncius dicet tibi, quod pacificati sunt pater & filius.* Prædictionem comprobavit eventus; nam cum exercitus utriusque in conspectum venissent, ac prope jam esset, ut collatis signis pugnam conferrent; filius vi quadam occulta cælestique instinctus, armis depositis se ad parentis pedes abjecit, supplex veniam orayit, in paternum amplexum & pristinam gratiam receptus est. & Mariæ reginæ.

Cum igitur in conventu Argentoratensi diligens quæstio instituta esset tum de vita Joannis, ac virtutibus, deque rebus omnibus ab eo ad hominum salutem & exemplum laudabiliter gestis; tum vero de miraculis, quæ divinitus ille & vivus patravit, & mortuus; e gravissimis testibus jurejurando adactis comperta sunt omnia vera esse, atque ita probata, ut in dubium revocari non possent. Itaque Episcopo Metensi præsente atque approbante, corpus sanctissimi viri eductum ex humili tumulo, in locum sublimem atque honorificum translatum est. Exinde Joannes in universo Prædicatorum ordine, præsertim accedente approbatione pontificia, apud suos titulo Beati appellari, ac venerationi esse cœpit. Quæ de B. Joanne Teutonico Episcopo Bosnensi hactenus scripta sunt, pleraque ex historia generali ordinis Prædicatorum, auctore F. Ferdinando de Castilio, ex Thoma Cantipratensi, & scriptoribus Dominicanis desumpsimus. Omnia fere, quæ diximus, paucis complectens F. Sigismundus Ferrarius in brevem epitomen redegit. *Fr. Joannes Teutonicus Wildueſensis, seu Wildesbemensis, latine, græce, germanice, hungarice doctus; juris Cæsarei Pontificiique doctor, Papæ capellanus & pœnitentiarius, adulta jam ætate habitum ordinis suscepit, ac deinde ex Provinciali Hungariæ Episcopus Bosnensis, quamquam repugnans a Gregorio IX.*

Decernitur illi titulus & cultus Beati,

factus

factus, ecclesiam illam cunctarum virtutum exemplo per tempus aliquod administravit. Magnis deinde precibus, ut Episcopatui renuncians ordini restitueretur, ab eodem Pontifice obtinuit; cumque quiete sibique tantum sollicitus vivere cuperet, invitus multumque reluctans totius ordinis præfecturam inire compulsus, in ea sancte in Domino obdormivit. Ex catalogo Episcoporum Bosnensium, quem reliquit P. Philippus Riceputus, Joanni in sedem illam successit

AIMUS EP. BOSNENSIS VI.

Hujus initia funestavit irruptio & clades Tartarica. Anno siquidem 1241. innumerabilis Tartarorum multitudo in Hungariam effusa, florentissimum Belæ regis exercitum ad internecionem concidit: quo in prælio Archiepiscopi Strigoniensis, & Colocensis, Episcopi & optimates quamplurimi perierunt; & Colomanus regis frater, idemque hæreticorum hostis, & catholicæ fidei vindex acerrimus, letali vulnere accepto, paullo post e vita migravit. Barbari Belam fugientem in Dalmatiam usque persecuti, omnia igni ac ferro vastarunt. Idem turbo & furor barbaricus in Bosinam incubuit; quippe Tartari anno sequenti e Chrobatia & Dalmatia abeuntes, Bosinam, ac reliquam Serbliam fere totam populationibus, cædibus, incendiis peragrarunt: *Relinquentes Croatiæ regionem*, inquit Archidiaconus cap. XL. *transierunt per Ducatum provinciæ Bosenensis, inde descendentes abierunt per regnum Serviæ &c.* Tartarorum discessu, turbulenta illa & sæva tempestas discussa est; Bela in Hungariam rediit; Aimus vero, tamquam bonus pastor gregem suum magna ex parte dispersum colligens, verbis amantissimis consolari, & omni opere subsidioque recreare instituit: tum vero quæ turbo ille disjecerat, restitui ac refici, urbes atque oppida iterum frequentari cœperunt. Ecce autem nova, & longe deterior calamitas. Lues Patarena, quæ cura ac diligentia B. Joannis & Fratrum Prædicatorum quasi extincta videbatur, armis certe meruque Colomani compressa latuerat, acrius recruduit, visaque est multis in locis impune grassari; nam plerique tum e plebe, tum e nobilitate, religionis ac pietatis larvam temporis caussa susceptam libere ac palam deposuerant. Tam pestiferi & exitialis mali atrocitate comperta cohorruit Aimus; cumque latius propagatum videret, quam ut ab se uno depelli, opprimique posse confideret, Sedis Apostolicæ opem auctoritatemque implorandam esse censuit; & quanto in periculo versaretur Ecclesia Bosnensis, & quibus quantisque indigeret auxiliis, ne fides catholica hæreticorum insidiis & conatibus oppressa interiret, quam accuratissime scripsit ad Innocentium IV. qui post unius anni & mensium circiter septem interregnum, ad solium pontificale anno 1243. evectus fuerat. Hic per litteras imperavit Benedicto Colocensi Archiepiscopo, ut Hugrini sui decessoris exemplis & vestigiis insistens, studium omne atque industriam ad exterminandos hæreticos Bosnenses conferret. Patuit ille mandatis pontificiis acriter impigreque; & Innocentio postea rescripsit æquum videri se ab eo impetrare, ut Ecclesia Bosnensis, quando in ejus salutem atque utilitatem tot labores ac sumptus ipse pariter ac sui decessores insumpserant, metropoli Colocensi subjiceretur.

Bosinæ vastatio per Tartaros.

Hæresis Patarena reviviscit.

Per idem tempus Bela rex Hungariæ tum studio tuendæ religionis incensus, tum vero litteris atque hortationibus Innocentii Papæ impulsus hæreticos Bosnenses edictis atque interdictis persequebatur; alios carcere & vinculis, alios exsilio multabat, ut scriptum reliquit Raynaldus sub an. 1245. *Egregiam rex* (Bela IV.) *ad exscindendos e Bosna hæreticos operam navare cœperat; ad quod perficiendum susceptum opus Innocentius IV. incendit, fecitque certiorem, se nihil de Bosna, nisi ex ipsius consilio atque assensu decreturum.* Nimirum Archiepiscopus Colocensis, ut dixi, ab Innocentio petierat, ut Ecclesiam Bosnensem, ditioni Metropolitæ Spalatensis sive Ragusini exemptam, Metropoli Colocensi attribueret; quod se facturum negavit Innocentius, nisi rex approbaret.

Sacram expeditionē advertus hæreticos Bosnenses Colocensis Archiep. adornat.

Porro idem Archiepiscopus, cum titulum gereret, ac munere fungeretur legati apostolici, ad pertinaciam hæreticorum confringendam non auctoritate solum, sed etiam armis opus esse intelligebat; ut qui neque blandis hortationibus allecti, neque pœnis ecclesiasticis perculsi resipiscere vellent, eos terror injectus, visque armorum adhibita ab insania & impietate hæreticarum opinionum revocaret. Itaque quid sui consilii esset, ad Innocentium scripsit, ab eoque postulavit, ut sibi liceret milites conscribere, & sacram adversus hæreticos expeditionem edicere, amplissimis indulgentiarum præmiis propositis, quæ impertiri solent susceipientibus crucem & arma pro fide christiana & catholica defendenda. Consilium Archiepiscopi collaudavit etiam, non solum approbavit Pontifex, eumque ad rem strenue gerendam hortatus est his verbis. *Fraternitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attente, ac in remissionem tuorum tibi peccatorum injungimus, quatenus ob illius reverentiam, qui in eodem signo mortis amarum subiit tormentum, ut humanum genus de mortis faucibus liberaret, dictum signum humeris tuis affigens, illud semper in corde geras, votum hujusmodi exequendo viriliter & potenter; ita quod tuus labor fructum, & obsequium optatam reportet mercedem. Dat. Lugduni* III. *Id. Augusti, anno* IV. *Pontificatus*, ideſt 1246. Tunc Innocentius adhuc versabatur Lugduni, post Concilium I. Lugdunense anno superiore dimissum.

Petit ab Innocentio, ut Ecclesiā Bosnensem Metropoli Colocensi subjiceret.

Res e sententia satisque feliciter gesta est. Ex hæreticis sane multi, sive divino impulsu, sive malorum impendentium metu, pravas & impias opiniones execrati ad sinum ecclesiæ redierunt; alii in acie cæsi, alii vi atque armis e Bosina excedere coacti, alii denique voluntaria fuga sibi exsilium consciverunt. Pro tantis impensis, laboribus, incommodis, periculisque susceptis, præmii loco Archiepiscopus Colocensis ab Innocentio iterum postulavit, ut Ecclesiam Bosnensem ab hæreticorum oppressione redemptam, ac veluti jure belli acquisitam, vellet juberetque ad Metropolim Colocensem adjungi, eique in perpetuum subesse. Pontifex quamvis ei gratificari mirum in modum cuperet, nihil tamen temere & inconsulte statuendum esse censuit. Quare, ut docet Bzovius ad an. 1247. negotium dedit Episcopo Jaurinensi, & cuidam religioso viro, ac Præposito cœnobii Dominicani Albensis in Hungaria, ut rebus omnibus diligenter circumspectis viderent atque inter se consultarent, conduceret id, nec ne, quod Archiepiscopus Colocensis petebat, ad Ecclesiæ Bosnensis utilitatem, ad faciliorem hæreticon

reſeon extirpationem, ad gloriæ divinæ incrementum. Hi vero quid Innocentio reſcripſerint, utrum poſtulato Archiepiſcopi indulgendum eſſe cenſuerint, an ſecus judicaverint, mihi non eſt compertum. Illud ſatis conſtat, ex eo tempore Metropolitas Colocenſes, Pontificibus Romanis vel permittentibus, vel non repugnantibus, in Eccleſiam Boſnenſem jus metropoliticum, quod etiamnum retinent, uſurpare cœpiſſe; quamvis nunquam adduci potuerint Spalatenſes Metropolitæ, ut illis rite ac legitime vellent cedere antiqua poſſeſſione ejuſdem eccleſiæ, quod in catalogo ſuarum eccleſiarum epiſcopalium nominatim exprimere nunquam deſierunt, ne quid præjudicii longinquitas temporum & oblivio Metropoli Spalatenſi afferret, ſi qua illius eccleſiæ recuperandæ opportunitas & occaſio daretur.

Dum Aimus Eccleſiæ Boſnenſi præſidebat, vel ſub ejus deceſſore, Zibislavus Banus de catholica religione eximie meritus, e vita decedens eccleſiam illam firmiſſimo præſidio ac ſtrenuo defenſore deſtitutam reliquit. Huic ſuffectus eſt in principatum Boſinæ Ninoslavus, qui cum adjutorem ſe ac ducem Spalatenſibus præbuiſſet ad bellum gerendum contra Tragurienſes & Hungaros auxilio eiſdem miſſos, in offenſionem iramque Belæ regis incurrit. Quapropter cum pax ſub certis conditionibus inter utroſque conveniſſet, in tabulis ejuſdem pacis anno 1244. confectis, nominatim exceptus eſt Ninoslavus Banus, & alii quidam, qui hoſtes regni ſunt declarati. Maurus Orbinus auctor eſt ducem quemdam egregium nomine Cotromanum, natione Teutonicum a Bela cum exercitu in Boſinam miſſum, qui Ninoslavo victo & expulſo provinciam illam eripuit, eumque ob rem bene geſtam Boſnenſi principatu ab rege donatum fuiſſe. Nihil præterea dum Aimus huic eccleſiæ præfuit, litteris ac memoria dignum invenio.

Ninoslavus Banus Boſnen.

JOANNES II. EP. BOSNENSIS VII.

De quo Lucas Vadingus in Annalibus Franciſcanis Tomo II. *Alterum commemorat ſub hoc titulo Epiſcopum Minoritam Gulielmus Eyſengrenſis in catalogo teſtium veritatis ad an. 1253. Joannem Boſinenſem in Hungaria, ſeu Sclavonia Epiſcopum, Germanum, patria Friburgenſem, ex Burgovia, in lege Dei exercitatiſſimum, & in ſacris litteris doctiſſimum. Mortuum ait in Germania, & ſepultum in conventu ſui ordinis Argentorati*. Vereor ne Joanni Friburgenſi quædam affinxerit, quæ ad Joannem Teutonicum pertinent. Hunc Joannem Auctor Viridarii Seraphici, aliique, ex Franciſcano ſodalitio ad regimen Eccleſiæ Boſnenſis aſſumptum fuiſſe affirmant. Sunt tamen, qui Joannem de Friburgo Epiſcopum Dominicanæ familiæ adſcribunt, Suſcepti Epiſcopatus vix annum integrum complevit. Nam in ea ſynodo, quam Benedictus I. Archiepiſcopus Strigonienſis ex utraque provincia Strigonienſi & Colocenſi convocavit anno 1256. poſt plures nominatos Epiſcopos, dicitur *Boſnenſis ſedes vacaſſe*; ut ex actis ejuſdem ſynodi docet P. Nicolaus Schmitth Soc. Jeſu in ſuis *Archiepiſcopis Strigonienſibus compendio datis*. Epiſcopale interregnum annos amplius viginti tenuit, aut certe, ſi qui per eos fuerunt Epiſcopi, horum nomen ac memoria interiit.

Interregni Epiſcopale.

Sunt qui exiſtimant Diacovum urbem Slavoniæ inter Dravum & Savum a Bela IV. rege Hungariæ donatam fuiſſe Epiſcopis Boſinæ, ut ibidem pontificiam ſedem conſtituerent, cum hæretici Patareni ſtationem Boſnenſem præſuli catholico infidam atque infeſtam facerent: id ſibi non eſſe dubium affirmat Auctor *Topographiæ magni regni Hungariæ*. *Sedes hic* (Diacovi) *Epiſcopi Boſinenſis, ſive Boznenſis. Crediderim juris hujus originem rejiciendam ad Belæ IV. regis tempora, quem indubitatum mihi eſt Epiſcopo Boſinenſi eccleſiam cathedralem cis Savum erigi mandaſſe*. Sed plerique urbem Diacovum Epiſcopo Boſnenſi poſt Boſinam a Turcis captam ſæculo decimo quinto traditam fuiſſe affirmant. Diacovum civitas Slavoniæ tradita Epiſcopo Boſnenſi.

Idem Bela IV. poſt Cotromanum extinctum, Boſnenſem Banatum ſuſtulit, & Belam alterum filium, fratrem Stephani natu maximi, ducem huic provinciæ præfecit, qui non ſolum Boſinæ, ſed etiam *Machoviæ & Sclavoniæ Dux* in antiquis monumentis appellatur. Bela junior cum poſt mortem parentis anno 1270. extincti, ut oſtendimus in Joanne V. Metropolita Spalatenſi, ipſe quoque diem ſuum obiiſſet; Stephanus IV. Rex Hungariæ Boſnenſem principatum Ladislavo filio ſuo tradidit. Ex abſentia ducis utriuſque plurimum detrimenti cœpit in illis locis res catholica; cum non eſſet qui audaciam hæreticorum, & Patarenæ peſtis progreſſus pro imperio & auctoritate præſens cohiberet, ac præterea Antiſtite orthodoxo Boſnenſis Eccleſia caruerit. Bela junior Dux Boſinæ, deinde Ladislavus.

ANDREAS EP. BOSNENSIS VIII.

Natione Hungarum, & ex ordine Prædicatorum ad ſedem epiſcopalem evectum fuiſſe anno circiter 1280. affirmant Sigiſmundus Ferrarius in Commentariis *de rebus Hungaricæ prov. ord. prædic.* Fernandius in appendice ad Conc. Prædicat. aliique Scriptores Dominicani, Ad coercendos & eliminandos hæreticos ſtrenuam illi ac virilem operam navavit Eliſabetha mater Ladislavi regis Hungariæ, qui Stephano parenti anno 1272. ſucceſſerat. Hic provinciam Boſinenſem, quam multarum hæreſeon contagione infectam eſſe queritur in quodam ſuo diplomate apud Raynaldum, Eliſabethæ matri commendavit, ut eam regeret atque expurgaret. Populos illos ſibi ſubjectos, ut in Chriſti & eccleſiæ ditionem redigeret, prudentiſſima & religioſiſſima femina curam omnem & contentionem adhibuit. Cum Nicolaus III. anno 1280. graves & multiplices leges pœnaſque in hæreticos illorum temporum ſanxiſſet, eaſdem fere, & alias ejuſdem generis promulgari juſſit, edicto graviſſimo propoſito, ut omnes aut catholicam religionem colerent, aut patria totoque regno excederent. Huic edicto inſcripta eſt *Eliſabetha major Regina Hungariæ, Duciſſa de Machou, & de Boſna*. Sed bellum Serblianum pulcherrimis cœptis intervenit, & præclara conſilia intervertit. Duo fratres, Stephanus cui Dragutino, & Uroſcius cui Milutino cognomen fuit, provinciis inter ſe diviſis, regnabant in Serblia. Stephanus Boſinam, olim regni Serbliani partem magnam ſane & illuſtrem, armis repetere decrevit. Uterque frater, quamvis erroribus impliciti eſſent & ſchiſmate Græcorum, tamen Helenæ matris, quam e Francia ac ſtirpe regali oriundam fuiſſe ajunt, præſtantiſſimæ & ſanctiſſimæ feminæ hortationibus & exemplis impulſi Stephanus Rex Serbliæ ad catholicam religionem propenſus Boſina patitur.

pulſi ad ſuſcipiendam religionem catholicam propendebant. Extant apud Vadingum tom. II. tres epiſtolæ Nicolai IV. Pontificis maximi, una inſcripta *Viro magnifico Uroſio illuſtri Regi Sclavorum*, altera *Stephano illuſtri Regi Sclavorum*, tertia *Chariſſimæ in Chriſto filiæ Helenæ Reginæ Sclavorum*: hortatur ut depulſa errorum caligine, lucem ſibi divinitus oblatam ac veritatem fidei catholicæ recipiant; mittitque duos Fratres ex ordine Franciſcano Marinum & Cyprianum, qui eos erudiant, & Eccleſiæ Romanæ reconciliatos in viam ſalutis deducant. Stephanus itaque Boſinam adeptus, & cupidus ſuæ erga Sedem Apoſtolicam propenſionis & obſervantiæ declarandæ, Romam legavit Marinum Archidiaconum Antibarenſem, qui ad convertendos hæreticos Boſinenſes a Nicolao IV. auxilia peteret. Reſcripſit rurſus Pontifex an. 1291. x. Kal. Aprilis litteras officii ac benevolentiæ plenas, quæ itidem apud Vadingum extant, ad Stephanum Regem & Helenam ejuſdem matrem; utrumque cum omnibus illorum civitatibus, oppidis, ac populis in fidem ac clientelam Sedis Apoſtolicæ recepit. *Erat Stephanus*, (ut ſcripſit Vadingus Tom. II. Annal. Ord. Min.) *tum Dominus Boſnæ: miſit Marinum Archidiaconum Antibarenſem ad Sedem Apoſtolicam obtentum, ut cum in dictæ Boſnæ partibus eſſent quamplurimi hæretici, remedium porrigeretur a Pontifice. Hæc Nicolaus recenſet, reſpondetque &c. . . . Eumdem Regem Stephanum, Reginam Helenam, regnum cum civitatibus, caſtris, terris, & bonis omnibus, quæ legitime poſſidebant, ad eorum inſtantiam ſub D. Petri & ſua protectione recepit.* Præterea, ut eſt apud eumdem hiſtoricum, *ad preces Stephani Regis Serviæ inſtituit in principatu Boſnæ fidei læſæ Inquiſitores, datis ad provincialem Minorum litteris, ut duos e ſuis ſubditis viros prudentes, huic operi idoneos, & idiomatis illius gentis gnaros auctoritate apoſtolica deputaret fidei judices, ad quos etiam dedit diploma, quo ampliſſimam tribuit eiſdem facultatem.*

Inquiſitores fidei e Franciſcana familia in Boſina conſtituti.

Ante aliquot annos ex ordine Fratrum Minorum evangelici operarii virtute & doctrina præſtantes in Boſinam ſubmitti cœperunt, qui Patribus Dominicanis acriter in illa vinea laborantibus ſuppetias ferrent; & jam plura obtinebant in ea regione domicilia, e quibus conſtabat Vicaria Boſnenſis hoc ipſo ſæculo inſtituta. Huic, ut eſt apud Vadingum, octo ipſæ cuſtodiæ ſuberant, partim intra, partim extra Boſinam, videlicet *Dulmna*, *Greben*, *Boſna civitas* (hodie fortaſſe *Seralium*), *Uſſora*, *Machovia*, *Bulgaria*, *Corvinum*, *Raſſia*.

Bonifacius VIII. nihilo ſegnius laboravit, ut a Boſnenſi & finitimis eccleſiis hæreſim expelleret, aut arceret; munuſque in hæreticos inquirendi, & iis, quæ legibus conſtitutæ ſunt, pœnis animadvertendi, Patribus Franciſcanis mandavit. *Non neglexit pariter Bonifacius VIII.* ut ſcripſit Vadingus Tomo II. *fidei augmentum, & religionis læſæ vindictam; inſtituit enim inquiſitores ex Minoritis, in partibus Serviæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Boſnæ, atque Iſtriæ; datis ad miniſtrum provinciæ Sclavoniæ litteris . . . velle ſe dicit Pontifex in partibus & Archiepiſcopatibus Dyrrhachienſi, Antibarenſi, Raguſitano, Spalatenſi, & Jadrenſi, & diœceſibus ſuis, per Fratres hujus ordinis fidei detrimentis ob graſſantem ibidem hæreticam luem providere; jubetque ut duos ipſe inquiſitores inſtituat cum facultate amovendi eos, ubi oportuerit, & alios ſubſtituendi. Dat. ap. S. Petr. III. Kal. Maji, anno IV. Pontific.* ideſt 1298.

His Andreas Epiſcopus adjutus ſubſidiis, tum e ſuo, tum ex ordine Fratrum Minorum acceptis, multos ſane ab hæreſi ad rectam in Deum fidem traduxit, gregem catholicum non modo ab ea labe intactum ſervavit, ſed etiam præclaris exemplis & inſtitutis excoluit, Eccleſiam Boſnenſem per annos amplius viginti ſumma cum laude adminiſtravit; & Stephanus, itemque Uroſcius Reges Serblorum, non alieni a fide catholica, ſuum ei favorem ad rem bene gerendam, ac patrocinium regale præbuerunt. Sed his haud diu licuit Boſinam in ſua poteſtate retinere. Siquidem poſt Ladislavum, & qui ab illo proximus fuit, Andream cognomento Venetum, Reges Hungariæ ſine liberis extinctos; cum Carolus Robertus filius Caroli Martelli, nepos Mariæ ſororis Ladislavi, nuptæ Carolo II. Regi Siciliæ, jure conſanguinitatis regnum Hungariæ obtinuiſſet anno 1300. Paullus Comes Breberienſis, Banus Dalmatiæ & Chrobatiæ, Boſinam Regibus Serblianis ereptam, rurſus cum regnis Hungaricis conjunxit; & remunerationis ergo ipſum Boſnenſem principatum jure fiduciario poſſidendum a Carolo accepit. Itaque in quodam privilegio, quod Arbenſibus conceſſit an. 1303. ſe *Banum Croatorum*, & *Dominum Boſnæ* appellat. Porro Paullus, quamvis ſtudioſus eſſet cultor & propugnator fidei catholicæ, tamen multarum provinciarum regimine vario ac late diffuſo ita diſtinebatur, ut eam, quam oportuerat, vigilantiam & curam ad compeſcendos hæreticos Boſnenſes impendere non potuerit.

Paullus de Breberio Boſinæ principatum obtinuit.

F. Aloyſius Taurellus in hiſtoria generali ordinis Auguſtiniani, quæ inſcribitur *Sæcula Auguſtiniana*, duos Epiſcopos *Boſonenſes*, ut vocat, e ſodalitate S. Auguſtini, qui a noſtris catalogis abſunt, ſæculo decimo tertio interjecit; utrumque vocat ſuffraganeum, ideſt adjutorem, Epiſcopi Tridentini. Unus eſt F. Michael, qui anno 1274. tum Tridenti in eccleſia cœnobii Auguſtiniani, tum in aliis ejuſdem diœceſeos templis aliquot altaria & cœmeteria conſecravit, poteſtate ſibi facta per capitulum ædis cathedralis, cum mortuo per eos dies Epiſcopo, ipſe amiſſo adjutoris titulo, juriſdictione omni careret. Extat diploma hujuſmodi conſecrationum *datum an.* 1274. *die Dominico intrante Auguſto*. Alter eſt Bonifacius, qui anno 1285. ex facultate ſibi tradita ab Henrico Epiſcopo Tridentino, cui itidem vicariam adjutoris operam navabat, in æde S. Marci, quæ ad Patres Auguſtinianos pertinebat, duo conſecravit altaria, eaque certis ac ſtatis diebus pie & caſte viſentibus duorum annorum ac triginta dierum indulgentiam impertiit. Auctor deſcripſit diploma in hanc rem confectum *XV. Kal. Decembris anno Domini* 1285. itemque alterum ejuſdem Bonifacii diploma datum eodem anno ac die: quo quidem diplomate omnibus & ſingulis, qui ad ſublevandam eorum Fratrum inopiam aliquod ſubſidium contulerit, certam delictorum indulgentiam largitur. Hunc Bonifacium Aloyſius Taurellus minime diſtinguendum putat ab altero Bonifacio Epiſcopo itidem *Boſonienſi*, qui ſuffraganeus, ideſt adjutor Epiſcopi Baſileenſis fuiſſe dicitur, & anno 1290. aliquot indulgentias templo Auguſtiniano urbis Coloniæ Agrippinæ conceſſit, ut conſtat ex ejus diplomate apud Ratiſponam dato eodem anno, ipſo die Pentecoſtes.

Duo Epiſcopi Boſnenſes ab Aloyſio Taurello commemorati neque admittuntur, neque rejiciuntur.

coſtes. Unus autem idemque Bonifacius, ut bene monet Taurellus, & anno 1285. apud Tridentinum, & anno 1290. apud Baſileenſem Antiſtitem, adjutoris munere fungi potuit. Neque ab hoc alium eſſe dixerim F. Bonifacium Epiſcopum Boxinienſem, qui anno 1281. Patavii cum aliis Epiſcopis interfuiſſe dicitur dedicationi altaris S. Joannis Baptiſtæ in æde cathedrali, & Guidoni Patriarchæ Gradenſi, qui permiſſu Joannis Epiſcopi Patavini illud conſecravit, ad eam ſolemnem functionem miniſterium præbuiſſe, ut eſt in ipſo conſecrationis diplomate. *Nos Fr. Guido miſeratione divina ſacroſanctæ Gradenſis Eccleſiæ Patriarcha, de licentia, & conſenſu, & voluntate venerabilis Patris Domini Joannis Dei gratia Epiſcopi Paduani ibi præſentis; & etiam præſentibus ac cooperantibus venerabilibus patribus & dominis Fr. Tholomeo Dei gratia Epiſcopo Sardanenſi, Fr. Auguſtino Dei gratia Epiſcopo Civitatis Novæ, Fr. Bonifacio Dei gratia Epiſcopo Boxiuienſi; dedicavimus & conſecravimus altare S. Joannis Baptiſtæ majoris eccleſiæ Paduanæ . . . anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo primo, indictione nona, die dominico quartodecimo exeunte Auguſto.*

Sed duobus illis Epiſcopis Boſnenſibus Michaeli & Bonifacio, quid rei negotiive eſſe potuerit cum Tridentino Epiſcopo vel Baſileenſi, non intelligo; nec mihi veriſimile ſit eos tamdiu, ac tam longe ab eccleſia ſua commoratos fuiſſe, ut alieno & extraneo Antiſtiti vicariam operam præberent: niſi forte ab hæreticis expulſi cum eſſent, exſulare cogebantur. Fortaſſis vocabulum *Boſonenſis* & *Boxinienſis* mendo non vacat; & eorum Epiſcopatus aut Brixinonenſis fuit, aut alibi quærendus eſt. Ceterum cum uterque in catalogis Epiſcoporum Boſnenſium deſideretur, neutrum illis vel adſcribere, vel expungere auſim.

NICOLAUS EP. BOSNENSIS IX.

Concilio Hungarico Poſonienſi, quod Cardinalis Gentilis legatus Sedis Apoſtolicæ indixit ac celebravit, cum Strigonienſi & Colocenſi metropolitis, atque aliis Epiſcopis interfuit & ſubſcripſit *Nicolaus Boſnen.* ut tradit P. Alexander Szorenius Soc. Jeſu in ſua *Nova ſerie Archiep. Strigonienſium* apud P. Nicolaum Schmitth ſupra laudatum. Idem P. Nicolaus anno 1304. inter Epiſcopos regni Hungariæ annumerat Nicolaum Boſnenſem.

BENEDICTUS EP. BOSNENSIS X.

Natus eſt in Hungaria, & in familiam S. Dominici receptus eximia doctrina & ſanctitate floruit: Guichardo cognomen ei fuiſſe colligitur e tabulis Avenionenſibus infra deſcribendis. Hujus multiplicem ſcientiam, ſingularem virtutem, & inſignem prudentiam cum plurimis maximiſque in rebus perſpectam haberet F. Gentilis presbyter Cardinalis, dum in Hungaria legatione apoſtolica fungebatur; ſcripſit ad Clementem V. eique auctor fuit, ut Benedictum Eccleſiæ Boſnenſi præficeret, neminem fore affirmans aptiorem ad regimen illud æque laborioſum ac difficile ſuſtinendum. Pontifex igitur an. circiter 1310. vel ſequenti eccleſiam illam Benedicto decrevit, quam ille per annos circiter quinque præclaris legibus & præceptis inſtruxit. Hujus perhonorificam mentionem fecere Scriptores Dominicani Sigiſmundus Ferrarius, & Leander Albertus, qui eum vocat etiam Epiſcopum Tranſilvaniæ, quod fortaſſis a Boſnenſi ad eccleſiam illam translatus fuerit. Anno ſiquidem circiter 1314. Boſnenſem dimiſit. Tum hæc eccleſia commendata fuit Benedicto Epiſcopo Svacienſi; quo tranſeunte ad regendam Eccleſiam Raguſinam, anno 1317. ab Joanne XXII. electus eſt

Eccleſia Boſnenſis commendatur Epiſcopo Svacienſi.

PETRUS EP. BOSNENSIS XI.

Quem Joannes Albertus inter viros illuſtres ordinis Prædicatorum annumerat, & Sigiſmundus Ferrarius in libris, quos ſcripſit *de rebus Hungariæ provinciæ ord. prædic.* hoc elogio exornavit: *F. Petrus Hungarus homo prudens & gravis, propter ſummam eruditionem in litteris, & in concentu; ſuo tempore celebris, magnoque Cardinali F. Nicolao Pratenſi ex noſtro ordine, apud quem diu vixit, gratiſſimus, Boſnenſem Eccleſiam regebat anno* 1315. verius 1317. ad quem ejus initia referenda eſſe docent tabulæ Avenionenſes. Eum ſiquidem huic eccleſiæ Epiſcopum dedit Joannes XXII. qui anno 1316. & menſe Auguſto ſubrogatus cum eſſet Clementi V. qui Sedem Pontificiam Avenionem tranſtulerat, eumdem Petrum clero populoque Boſnenſi, & Carolo Hungariæ regi per litteras commendavit. Ita enim ſcriptum eſt in tabulis ſupra laudatis: *Proviſio Eccleſiæ Boſnenſis pro Petro: ſequuntur litteræ commendatitiæ univerſitati & capitulo Boſnenſi, & Carolo regi Hungariæ. Anno Joannis XXII.* 1. in exitum vergente, ideſt an. 1317. Epiſcopali conſecratione initiatus fuit ex mandato Pontificis ab Epiſcopo Oſtienſi, ut eſt in iiſdem tabulis: *Proviſio Epiſcopatus Boſnenſis Eccleſiæ alias vacantis per reſignationem Guichardi tunc temporis Epiſcopi, & cujus eccleſiæ data fuerat adminiſtratio ad tempus Benedicto Epiſcopo olim Svacienſi, nunc vero in Archiepiſcopum Raguſinum electo, pro Petro, cum mandato Epiſcopo Oſtienſi ad effectum illius conſecrandi. Anno Joannis XXII.* 2. ideſt 1317. ſed menſe Septembri vel Octobri. Hunc nominatum invenio in uno, itemque altero diplomate Caroli regis Hungariæ apud Nicolaum Schmitth an. 24. & 29. hujus ſæculi.

Petrus ergo ſtatim ut eccleſiæ ſibi traditæ poſſeſſionem adiit, ad corrigendos depravatos populi mores omni ſtudio ac diligentia incubuit; utque omnes ad virtutem & pietatem chriſtianam alliceret, non verbis ſolum uſus eſt, atque adhortationibus, ſed rebus & factis egregiis ſe ipſum exemplar omnium virtutum præbuit ac præſertim incolarum animos eximia caritate ac beneficentia ſibi devinxit. Sane plurimos ab hæreſi & ſchiſmate ad eccleſiæ gremium reduxit; atque ut hæreticorum inſidias & impetus ab ovili Dominico arceret, nullum incommodum, nullum periculum vitavit. Sed optimi Epiſcopi conatus propter abſentiam, vel incuriam Banorum Boſinæ Paulli ac deinde Mladini Comitum Breberienſium, minus, quam opus fuiſſet, proficiebant: nam quo acrius ille convertendis vel arcendis hæreticis laborabat, ut peſtiferam illam ſentinam exhauriret, eo magis hæc redundabat, aliis atque aliis ex eodem impuriſſimo Patarenorum grege illuc undique confluentibus, quibus in ſua patria tutis eſſe non licebat: neque his aditum præcludere valebat Epiſcopi auctoritas inermis, ac Principis præſen-

sentia auxilioque destituta. Paullus Comes de Breberio Banus Dalmatiæ atque Chrobatiæ, idemque Dominus Bosinæ obierat anno undecimo hujus sæculi: huic in principatum Bosnensem successerat Mladinus filius, qui etiam ante obitum patris titulum Bani Bosnensis usurpare cœperat, ut intelligi potest ex privilegio concesso Spalatensibus an. 1302. Deinde aucta potentia, auctoque imperio titulos sibi auxit, appellarique solebat, ut est apud Lucium, *Mladinus Croatorum Banus, Comes Jadræ, Princeps Dalmatiæ, & secundus Bosnensis Banus*. Hunc Joannes Pontifex graviter severeque admonuit, ut e Bosina, ejusque patrio solo hæreticos expelleret: *Commonitio facta nobili viro Mladino Croatorum & Bosinæ Comite pro extirpatione hæreticorum in terra Bosnensi, ejusque patriæ. Dat. Avenione IV. Kal. Augusti an. Pontif. 3.* idest 1319. Ex tab. Avenion. Verum admonitio pontificia nihil profuit; jamdudum enim Mladinus ab omni honestate & officio desciverat, ejusque temeritas & arrogantia eo creverat, ut jus conferendi Episcopatus & Sacerdotia usurparet, omniaque contra jus fasque licere sibi putaret; & quos ille urbibus rectores præfecerat, suæ impietatis ac libidinis ministros, atque imitatores habebat; siquidem *reditus ecclesiarum auferebant, matrimonia secundum Deum, quæ erant facta, minime observabant, mulieres & puellas virgines violabant, mercatores depredabant &c.* Hæc & alia hujusmodi teterrima flagitia commemorat Micha Madius cap. XVIII. qui deinde orationem convertit in increpandam Mladini superbiam atque impietatem. *Ubi ergo est, Bane Mladene, potentia tua, qua pro nihilo reputabas omnes reges terræ? ubi est sublimitas tua, qua Deum coli contemnebas & ecclesiam catholicam; quoniam ordinabas Episcopos, abbates, & abbatissas? ubi est superbia tua? &c.* Nam brevi scelerum suorum pœnas dedit. Cum enim superbe, avare, crudeliterque imperaret, in eum proceres Chrobatiæ & finitimarum regionum conspirarunt, a quibus victus & fugatus ad Caroli Regis Hungariæ opem confugit. Mladinum ad se cum muneribus venientem primo quidem perhumaniter accepit; sed comperta deinde ejus nequitia, & tyrannica violentia, illum in vincula conjici jussit, vinctumque in Hungariam abduxit anno circiter 1322. Amoto Mladino, Stephanus cognomento Linus, ut aliqui ajunt, unus de Dynastis Chrobatis, sive Bosinensibus, qui in eumdem Mladinum conjuraverant, ut Carolus Dufresne existimat, Principatum Bosinæ ab rege Hungariæ fiduciarium accepit: ei cum ipso Carolo rege affinitas erat; uterque enim ex illustri regum Poloniæ familia uxorem duxerat. Hic ad suam ditionem adjunxit Chelmensem Principatum in Dalmatia, hisque titulis utebatur, quos legere licet in epistola Tragurienſium, inscripta *Magno & potenti Domino Domino, libero principi & Domino Bosnæ, Ussoræ, Salæ, & plurium aliorum locorum, atque Chelmi Comiti*. Ussora, itemque Sala inferius ac superius erant partes præcipuæ regni Bosnensis. Ritus quidem, erroresque Græcorum sequebatur, sed a latinis sacris, ac religione catholica non erat alienus. Sub imperio Paulli & Mladini, ut supra diximus, hæreticorum alliunde expulsorum colluvies Bosinam oppleverat. Ad eos vel puniendos, vel convertendos necesse erat auctoritatem ecclesiasticam vi metuque brachii secularis armari. Cum jampridem munus ac potestatem in hæreticos inquirendi tum in Bosina, tum in finitimis regionibus Sedes Apostolica commendasset Patribus Franciscanis; Joannes XXII. scripsit ad Stephanum, & ejus conjugem Elisabetham, ut F. Fabiano ord. Minorum, supremo sacræ fidei Quæsitori in partibus illis constituto, ejusque sociis ad munus illud recte obeundum favorem ac præsidium præberent. Epistolæ, quæ inscripta est *Dilecto filio nobili viro, principi Bosnensi*, argumentum desumptum e tabulis Avenionensibus hoc est, *Hortatoria nobili viro Stephano Bosnensi, quatenus ad requisitionem Fabiani ordinis FF. Min. Inquisitoris hæreticæ pravitatis in partibus illius auctoritate apostolica deputati, & aliorum Inquisitorum in iisdem partibus deputatorum, & deputandorum in posterum, ad extirpandam exinde magnam hæreticorum catervam de multis & variis partibus in principatu Bosnensi congregatam, opem præparet, & impendat; ne possit contra ipsum rationabiliter invehi, quod eosdem hæreticos, dum ipsos non persequitur, ut tenetur, quodammodo foveat & sustineat tolerando. Dat. Avenione, nonis Junii, Joannis an. 9.* idest 1325. In eamdem sententiam scripsit *Dilectæ in Christo filiæ, nobili mulieri Elisabethæ Principissæ Bosnensi;* itemque *Charissimo in Christo filio Carolo Regi Hungariæ illustri*, ut notatum est in tabulis Avenionensibus. *Hortatoria Carolo Regi Hungarorum, quatenus ad extirpationem dictorum hæreticorum ad Principatum Bosnensem, in confinio Dalmatiæ constitutum, confluentium opem præparet & impendat congruentem regio culmini, & ejusdem provinciæ statui opportunam, zelum contra eosdem ad requisitionem præfatorum Inquisitorum viriliter assumendo; præcipiendo etiam Principi ejusdem principatus ei subjecto, ut ipsos inimicos fidei de terra prædicta radicitus extirpet. Datum ut supra &c.* idest nonis Junii 1325.

Mladinus Banus principatu Bosnensi exuitur.

Joannes Pont. Stephano Bano, & ejus conjugi commendat Franciscanos Inquisitores, itemque Carolo Regi Hungariæ.

Credibile est Stephanum monitis ac mandatis pontificiis paruisse: certe quod Pontifex jusserat, egregie præstitit Carolus rex Hungariæ; quam ob causam eidem gratias egit Joannes litteris ad eum datis, quarum sententia hæc est, ut docent tabulæ Avenionenses. *Carolo Regi Hung. illustri. Regratiatur sibi, quia Fratrem Fabianum Ord. Min. & alios FF. Inquisitores hæreticæ pravitatis in principatu Bosnensi gratiose recepit, & benigne super inquisitione hujusmodi pertractavit; & scribitur sibi iterato, quod eisdem præstet auxilium & consilium ad prosequendum dictum officium Inquisitionis. Dat. Avenione an. Joannis undecimo:* idest 1327. ante mensem Augustum sive Septembrem.

Per idem tempus aliquid controversiæ fuit Patribus Franciscanis cum Patribus Dominicanis; hi quippe Bosnensem inquisitionem sibi commissam esse asserebant, & hujus muneris sibi delegati testes proferebant litteras Sedis Apostolicæ. Res Avenionem delata cum fuisset ad curiam pontificiam, Joannes per litteras imperavit Archiepiscopis Spalatensi & Jadertino, ut vel uterque, vel eorum alteruter, Præpositis & Patribus primoribus utriusque ordinis accersiri jussis, de causa illa cognoscerent; & quas pro se quisque afferebant rationes atque auctoritates, ad se perscriberent, Epistola pontificia hæc est, sed aliquot lacunis interçisa.

Controversia inter Patres Franciscanos & Dominicanos.

Joannes Ep. serv. servorum Dei ven. Fr. Jadren. & Spalaten. Archiep. sal. & ap. bened. Ad audientiam Apostolatus nostri pervenit, quod in

Litteræ Joann. XXII. Pontificiæ

in provinciis Dalmatiæ, Sclavoniæ, & Bossinæ dilecti filii Fratres ordinis Minorum Inquisitionis officium contra hæreticam pravitatem ad se duntaxat asserunt ex concessione Sedis Apostolicæ pertinere; quodque dilectis filiis Fratribus ord. Prædicatorum ex adverso dicentibus non ad dictos Fratres Minores, sed ad Fratres dicti ord. Prædic. in dictis provinciis spectare officium per ... Fratres Prædicatorum & Min. ordinum occasionem prædicta semper, hoc est ..... Inquisitionis .... ista in dictis provinciis valet .... Quapropter Fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel alter vestrum per vos, vel per alium, seu alios, præfatos Prædicatorum & Minorum ordinis .... Fratres in locis dictarum provinciarum .... ex parte vestra peremptorie citare curetis, ut infra festum B. Michaelis de mense Septembri proxime futurum, ostensuri omnia privilegia, quæ super hoc habent per se, vel procuratores eorum ad hoc sufficienter instructos & legitime ordinatos, comparere studeant coram vobis, ut per ea plena informatione habita de præmissis, ad quos in eisdem provinciis præfatum Inquisitionis officium pertineat, justo Sedis Apostolicæ judicio terminetur. Diem vero citationis, & finem, & quidquid super his feceritis, nobis per vestras litteras, vel instrumentum publicum harum seriem continentia intimare curetis. Datum Avenione 17. Kal. April. ..

qui secundum Franciscanos judicavit.

Joannes responsis acceptis litem diremit secundum Franciscanos, epistola *Priori provinciali, ac universis FF. ord. Prædicatorum in regno Hungariæ & provincia Sclavoniæ constitutis*, scripta in hanc sententiam, ut est apud Vadingum. *Interdicitur eis officium Inquisitionis hæreticæ pravitatis, eis commissum per litteras apostolicas exercendum in provincia Slavoniæ & principatu Bosnensi, ac aliis partibus, pro eo quod prius fuerat commissum Fratribus Minoribus per fel. rec. Nicolaum IV. & Bonifacium VIII. summos Pontifices; & cassantur litteræ eis super hoc concessæ. Datum Avenione an. Joan. IX.* ideſt 1327. Idem scripsit ad Carolum Regem Hungariæ, scilicet *quod faveat Fratri Fabiano & aliis FF. Minoribus Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, non obstantibus litteris concessis Priori provinciali, & FF. ord. Prædic. in Hungaria supra dicta Inquisitione; quæ litteræ sunt cassatæ & revocatæ.* Peculiare enim decretum condiderat, quo litteras illas rescidit, & irritas fecit, ut docent tabulæ Avenionenses. *Revocatio litterarum Priori provinciali ordinis Prædicatorum in regno Hungariæ concessarum pro electione quorumdam FF. dicti ordinis, qui in regno Inquisitionis officium exercere valeant, crucemque contra omnes hæreticos Transilvanos, Bosnenses, & Sclavoniæ, quarum prætextu exercitium dictæ Inquisitionis impediebat Fabiano ord. FF. Min. Inquisitori hæreticæ pravitatis in principatu Bosnensi, aliisque Fratribus in partibus Serviæ, Rossiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Bosnæ, atque Istriæ, & diœcesis Antibaren. Ragusin. Spalaten. & Jadren. provinciæ Sclavoniæ constitutis ejusdem ordinis FF. Min. præfatum exercitium auctoritate apostolica exercentibus. Dat. Aven. Calendis Julii an. Joan. XI.* ideſt 1327. His adde *Mandatum pro Fabiano ord. FF. Min. Inquisitore hæreticæ pravitatis in provincia Sclavoniæ, & principatu Bosnensi auctoritate apostolica specialiter deputato, contra Matthiam de Zagrabia ord. FF. Prædicatorum, qui sub prætextu litterarum a Sede Apostolica impetratarum super electione FF. sui ordinis, qui officium Inquisitionis in regno Hungariæ exerceant, eumaem F. Fabianum molestabat. Dat. ut supra.*

Fabianus itaque cum sociis plenam & expeditam sui muneris exsequendi facultatem nactus assiduam rei catholicæ operam in Bosina ac perutilem navavit, ut docet Vadingus Tom. III. an. 1330. *Plures hoc tempore Inquisitores Minoritæ pro S. Fide desudabant: inter hos in Hungaria & Bosna F. Fabianus, ut ex regest. I. Vatic. fol. 142. cujus sæpius meminimus; & qui hoc anno adjutus viribus Caroli regis Hungariæ, & Stephani principis Bosnæ, plurimos ex eo principatu hæreticos profligavit.* Hic maximo adjumento fuit Petro Episcopo ad gregem catholicum ab ea labe intactum servandum. Anno 1334. Petrus cum Laurentio Canonico ædis cathedralis Bosnensis Avenionem profectus, ut quædam ecclesiæ suæ negotia apud Sedem Apostolicam expediret & conficeret, ibidem eodem anno diem supremum obiit, ut tradunt tabulæ Avenionenses infra laudandæ; de quo Vincentius Maria Fontana in monumentis Dominicanis: *Petrus Hungarus Cardinali nostro Pratensi in primis charus, a Clemente Papa V.* (rectius ab Joanne XXII.) *Bosnensis Episcopus creatus, cum ad suam perveniisset ecclesiam, commissi sibi gregis mores instauraturus, se probitatis exemplum in eleemosynis atque charitatis operibus exhibendo, sibi commissarum ovium corda ita allexit, ut etiam schismaticos multos ad ecclesiæ unitatem suis ignitis eloquiis attraxerit; quos usque ad mortem, ut in assumpta catholica fide perseverarent, frequentibus exhortationibus confovere non omisit.* In quodam Caroli I. Hungariæ regis privilegio an. 1334. dicitur *Sedes Bosnensis vacasse.*

LAURENTIUS EP. BOSNENSIS XII.

Cum de morte Petri nunciatum esset, e Capitulo Ecclesiæ Bosnensis cunctis Canonicorum suffragiis electus est; sed hujusmodi electionem irritam esse declaravit Benedictus XII. Joanni XXII. subrogatus anno 1334. XIII. Kalen. Januarii; propterea quod Petro in curia Romana Avenionensi vita functo, jus nominandi successoris ad Sedem Apostolicam devolutum fuerat. Pontifex igitur rescissa priore electione, ut Bosnensium voluntati obsequeretur, ipsum Laurentium nominavit, eumdemque episcopali consecratione impertivit. Ita enim scriptum est in tabulis Avenionensibus. *Promotio Laurentii Canonici Ecclesiæ Bosnensis ad Episcopatum ejusdem ecclesiæ per obitum Petri apud Sedem Apostolicam prævia reservatione vacantis, cassata prius electione concorditer celebrata favore ejusdem Laurentii, cum testimonialibus consecrationis ipsius. Dat. Aven. V. Id. Decemb. An. Benedicti* I. *exeunte*, ideſt 1335. Idem Pontifex in locum Laurentii e capitulo ædis cathedralis Bosnensis ad sedem episcopalem evecti, Barnabam Muxem substituit, ut est in iisdem tabulis Avenionen. *Collatio Canonicatus & præbendæ Ecclesiæ Bosnen. per consecrationem Laurentii apud Sedem Apostolicam vacantium, pro Barnaba Muxe. Dat. Avenion. XIX. Kal. Januarii An. Benedicti* I. exeunte, ideſt 1335.

Laurentius in Bosinam reversus, vix ecclesiæ sibi traditæ possessionem adierat, cum jura quædam ejusdem ecclesiæ inversa & violata necessitatem eidem attulerunt Avenionem redeundi,

di, ut apud Sedem Apoſtolicam ea tueretur ac redimeret. Sed Avenionenſi profectioni moram atque impedimentum injecit Carolus rex Hungariæ, qui hominem laicum neſcio quem in adminiſtrationem bonorum eccleſiaſticorum intruſerat. Pontifex igitur Carolum per litteras admonuit, ut removeret quidquid impedire iter Avenionenſe Laurentii, aut retardare poſſet. *Hortatoria Carolo regi Hungariæ, quatenus ſine difficultate ac dilationis obſtaculo amoveat impedimenta per eum appoſita Laurentio Lorandi Canonico Boznenſi in Epiſcopum Eccleſiæ Boznenſis per obitum Petri vacantis concorditer electo, quominus ad Sedem Apoſtolicam accedere poſſit ad tuendum jura eccleſiæ ſuæ, in qua dictus rex quemdam laicum pro ſuo libito intruſit. Datum Avenione VI. Id. Jun. Benedicti an. 2.* ideſt 1336. Ex Tab. Avenion.

Quid rerum geſſerit Laurentius in Epiſcopatu, & quamdiu hanc ſedem tenuerit, mihi non liquet. Dum autem ille Eccleſiam Boſnenſem gubernabat, tum ſollicitudo & providentia Benedicti XII. tum induſtria & ſollertia Patrum ordinis Franciſcani, de re catholica Boſnenſi præclare merita eſt. Nam cum Stephanus Banus Boſinæ, qui ad eam diem æque infenſum hæreticis ac propitium catholicis ſe præbuerat, in horum defenſione tepeſcere videretur; Benedictus per litteras encyclicas anno 1337. ut docet Vadingus, ſcriptas ad Neliptium Comitem Tininii, ad Budislavum, Gregorium, & Paulum Comites Corbaviæ, ad Duymum & Bartholomæum Comites Seniæ, ad Mladinum juniorem & Georgium Comites Cliſſiæ, illis impenſe commendavit F. Fabianum ſacrum Quæſitorem Bani præſidio deſtitutum, mandavitque ut egregio ac religioſo viro, ſtrenue laboranti in expurganda excolendaque vinea Boſnenſis Eccleſiæ, opem & auxilium ferrent. Sed Stephanus brevi reſipuit, & vehementiori ſtudio rei catholicæ defenſionem ſuſcepit. Deinde idem Pontifex anno ſequenti, ut eſt apud Abrahamum Bzovium, dirarum & execrationum terrore incuſſo, ut Boſnenſes ab hæreſi vel revocaret, vel arceret, omnia anathemata innovavit, inflixitque Patarenis, quæ illius deceſſores in eos ſæpius intorſerant.

Benedictus XII. F. Fabianum Dynaſtis Dalmatiæ commendavit.

Sed per eos annos nulli laborioſius neque utilius operam poſuere in convertendis hæreticis Boſnenſibus, quam Patres e familia S. Franciſci; inter quos potiſſimum excelluit F. Gerardus Otho miniſter generalis totius ordinis, qui dum provinciam Hungaricam Franciſcanam luſtrabat anno 1340. rogatu Caroli regis Hungariæ in Boſinam digreſſus, cum alios quamplurimos, tum ipſum Stephanum Banum ab errore & ſchiſmate græcanico ad fidem catholicam traduxit; ac præterea Vicariam Boſnenſem domiciliis auxit in proxima Raſcia, atque finitimis regionibus. Hanc Vicariam ab ipſomet Gerardo fundatam aſſerit F. Marcus de Olyſſippone lib. VIII. Chronici Franciſcani; ſed auctam ab illo & propagatam Vadingus affirmat, qui Boſnenſis Vicariæ initia ad ſæculum ſuperius revocavit. De rebus, quas in Boſina F. Gerardus, ejuſque ſocii pro fide tuenda & amplificanda præclare geſſerunt, libet hic referre, quæ Vadingus ſcripſit Tom. III. Annal. *Sæpius meminimus Pontifices plurimam poſuiſſe operam in exterminandis e principatu Boſnenſi hæreticis Manichæis, qui eo confluentes graſſabantur. Tandem hoc anno* (1340.) *Gerardus gen. miniſter in Hungariam profectus, atque a Carolo rege perſuaſus, ut in Boſnam ſe transferret, ſerpenti hæreticorum veneno antidotum adhibiturus, obviam habuit ipſum Principem Boſnæ, ſeu Banum Stephanum, qui eumdem excepturus honorifice, magno itinere ultro proceſſerat. Permanſit illic dies aliquot Gerardus magno rei catholicæ incremento. Nam Stephanus libenter audivit verba catholicæ veritatis, veram fidem ipſe admiſit, & reliquos ſuæ gentis ad eam amplectendam hortatus, hæreticos omnes ſuo juſſit excedere principatu.* Eadem fere ſcripſit Raynaldus, & Benedicti XII. ad Gerardum litteras adjecit. *Alluxit Boſnæ*, inquit, *hoc anno Stephani Boſnenſis religione catholicæ fidei ſplendor, quem hæreſis obſcurarat. Cum enim Geraldus ſupremus Minoritarum Præpoſitus precibus Caroli regis Hungariæ in eam provinciam ſe contuliſſet, Banus obviam illi progreſſus conceptum animo delendæ hæreſeos aperuit ſui votum: qua de re Pontifex Geraldo hiſce verbis gratulatus eſt: Idem Banus tibi occurrens in via, te honoranter accepit; & a te verba catholicæ veritatis & ſalutis libenter audivit, tibique aperuit propoſiti ſui votum, per quod evidentius cognoviſti, quod bonam voluntatem geris ad extirpandum de principatu Boſnenſi cunctos hæreticos degentes ibidem, dummodo nos, & Sedes Apoſtolica, & idem rex Hungariæ ſibi ſuper his favorabiliter aſſiſtamus; quorum favorem ſibi opportunum eſtimat propter ſchiſmaticorum auxilium, quos habet ſuæ terræ vicinos, quorum ſchiſmaticorum auxilium dicti hæretici invocarent, ſi ſe de terra prædicta cognoſcerent extirpandos. Addit ſe Bano ſtudio & opera non defuturum &c. & eam ob cauſſam ſcripſit ad Carolum regem Hungariæ. Dat. Avenione II. Kal. Mart. An. Pontific. VI.* ideſt 1340.

Res a Fr. Gerardo apud Boſnenſes præclare geſtæ.

Sed ad Vadingum redeamus, qui res a Gerardo & Franciſcanis in Boſina præclare geſtas accurate perſequitur. *Acceſſit etiam & rei Minoriticæ magnum incrementum; evocatis enim multis religioſis viris ex Italia nonnulla exſtruxit ſui ordinis habitacula, quæ ſub regimine Ven. P. F. Peregrini de Saxonia, Boſnæ mox Epiſcopi, Boſnenſem Vicariam auxerunt, & accedentibus aliis in integram coaluere provinciam. Prædicatio hæc & profectus Gerardi ex litteris pontificiis ad ipſum, ad Carolum regem, & Stephanum Banum clarius conſtabit. Scripſit in his Benedictus XII. & commendavit, ut eccleſiæ exinde deſtructæ in priſtinum ſtatum reſtituerentur. Egregiam poſuerunt Fratres operam in hoc principatu in hæreticis eliminandis, floruerunt que ſemper in hac Vicaria plurimi viri religioſi pietate & doctrina conſpicui. Inter primos a Patre Gerardo miſſos enituit F. Joannes de Aragonia ille, quem ſupra diximus, anno 1338. a Regina Luſitaniæ miſſum legatum ad Petrum regem Aragonium; fervens enim profecto fidei zelo huic ſe devovit miſſioni, & aſſiduis congreſſibus hæreticos partim profligavit, partim ad catholicam veritatem reduxit. In numeroſo eorumdem conventu, & acri diſputatione de rebus fidei ad chriſtianam religionem comprobandam, magnum rogum ingreſſus, in eo per aliquantum temporis intervallum illæſus permanſit: quo miraculo factum eſt, ut plurimi ad fidem converterentur. Quod & alius Joannis diſcipulus poſt ejus mortem ſimiliter fecit, magna hilaritate in medio flammarum ſtans eo temporis ſpatio, quo recitari poterat pſalm. 50. Miſerere. Joannis vero aſſidua prædicatione & continuis miraculis augebatur quotidie*

die multitudo credentium, floruitque brevi multa pietate principatus Bosnensis universus.

Laurentius anno 1342. adhuc huic ecclesiæ præsidebat, siquidem cum Ludovicus Caroli regis filius insignia regalia hoc anno susceperit, cum ceteris Episcopis interfuit quoque *Laurentius Bosnensis*, ut docet P. Nicolaus Schmitth in *Archiepiscopis Strigoviensibus compendio datis Parte prima*. Laurentio successit

BONJOANNES EP. BOSNENSIS XIII.

De quo illud tantummodo memoriæ proditum est natione Italum, patria Placentinum fuisse, & anno 1349. translatum esse ad Ecclesiam Firmanam, ut in electione B. Peregrini de Saxonia nunc videbimus.

E. PEREGRINUS EP. BOSNENSIS XIV.

E regione, unde oriundus erat, cognomen ei fuit *De Saxonia*. Franciscanæ familiæ nomen dederat, in qua virtutum omnium laude præcelluit. Diu multumque desudavit atque elaboravit in vinea Dominica Bosnensi; & quamplurimos ab hæresi ad fidem catholicam, a flagitiis ad sobriam, piamque vivendi rationem revocavit. *Hunc*, ut est apud Vadingum, *virum profecto sanctissimum vocant Annales Pannonici Ecclesiastici, ejusque opera ajunt Patarenos in Bosna, qui variis erroribus impliciti in deperditam impietatem inciderant, fuisse conversos.* F. Gerardus minister generalis Peregrinum Vicariæ Franciscanæ Bosnensi rectorem, Clemens vero VI. huic ecclesiæ Episcopum præfecit in locum Bonjoannis, quem ad Ecclesiam Firmanam transtulit. Diploma pontificium extat apud Vadingum in hæc verba: *Dum ad universas ecclesias... Nuper siquidem Ecclesia Bosnensis ex eo pastoris solatio destituta, quod nos Ven. Fratrem nostrum Bonjoannem Firmanum, tum Bosnensem Episcopum apud Sedem Apostolicam constitutum a vinculo, quo Bosnensi Ecclesiæ, cui tunc præerat... absolventes, ipsum ad Ecclesiam Firmanam tunc vacantem duximus transferendum. Hinc*, ut ait Vadingus, *eligitur novus Bosnensis iste Peregrinus. Dat. Aven. V. Kal. Febr. an. Pontific. VII.* idest 1349. Nam Clemens VI. Benedicto XII. successus est nonis Maji an. 1342. In eamdem sententiam scripsit ad Archiepiscopum Colocensem, ad Capitulum & clerum Bosnensem, ad Ludovicum regem Hungariæ, qui Carolo parenti fuerat subrogatus eodem anno 1342.

Stephani Bani erga Peregrinum, & Fratres Franciscanos benevolentia.

Peregrinus ob singularem vitæ innocentiam & eximiam sanctitatem carus in primis fuit acceptusque Stephano Bano, qui auctore & suasore Gerardo, ut diximus, Photianum errorem & schisma exceratus in fidem & verba Ecclesiæ Romanæ juravit. Hic Peregrino nulla re defuit, neque auctoritate, neque favore, neque auxilio, ubi de religione catholica tuenda augendaque ageretur. Ejus gratia potissimum Fratres universos ordinis Franciscani singulari amore & beneficentia prosequebatur; illis siquidem cum alia aliis in locis, tum præsertim Millecevi, quod est oppidum ad Bosnam fluvium tam frequens ac nobile, cœnobium suo ære sumtuque exstruxit cum ecclesia S. Nicolai, in qua sibi & conjugi Elisabethæ sepulcrum constituit.

Peregrinus & sua & Franciscani

Ergo Peregrinus Bano usus propitio, eodemque fidei catholicæ propagandæ studiosissimo, hæreticos & schismaticos quamplurimos ecclesiæ reconciliavit; præsertim cum glorioso operis & laboris socios adjutoresque haberet Fratres sui ordinis, e quibus octo evangelicos operarios spectatæ virtutis deligendos curavit, mittendosque in Bulgariam, regionem vitiorum ac superstitionum refertam, quam Ludovicus rex Hungariæ victo captoque Straſcimero rege in potestatem redegerat, ut docet Vadingus. *Dimissis*, inquit, *divini verbi declamatoribus, præsertim ex Minoritis, gentem barbaris moribus & præstigiis infectam magna ex parte ad christianam fidem convertit. Primum immissi per Vicarium Bosnæ, jubente rege & exhortante Fr. Peregrino Episcopo Bosnensi, octo Minoritæ, qui intra dies quadraginta ultra ducenta millia hominum converterunt.* Idem Vadingus testatur religionem catholicam in Bosina vel maxime floruisse sub Peregrino Episcopo, & latissime propagatam. *Propagatur adhuc fusius fides catholica in Bosnæ principatu, ut patet e litteris pontificiis ad Ludovicum regem Hungariæ, & Peregrinum Bosnæ Episcopum; in quibus fidei catholicæ felicem progressum commendat Papa, & desiderium indicat religiosorum obtinendi Sacerdotes sæculares, quibus a se conversos committant, ut ad ampliorem colligendam messem ipsi ulterius profici scantur. Ita nostri semper egerunt. In prima belli acie constituti, devicto hoste, contempta morte, superatis difficultatibus, opima spolia animarum & fructus pingues bonorum temporalium Episcopis subsequentibus & succedentibus parochis reliquerunt: tantum abest ut his incubare velint, quod miro livore de omnibus Regularibus quidam hoc tempore obstrepunt, & summis ecclesiæ judicibus suggerunt.* Hæc Vadingus, quæ partim 1366. partim 1368. anno adscripsit, cum jam abhinc decem, vel undecim annis sedem Bosnensem teneret successor Peregrini: itaque vel ad superiores annos revocanda sunt, vel ad Petrum rejicienda, qui anno 1357. Ecclesiæ Bosnensi præerat. Nihil præterea de Peregrino litteris consignatum invenio; annus itidem, quo e vita migravit, mihi est ignotus. Anno 1357. ineunte Majo jam vita functum fuisse, declarat Petrus II. qui ab eo proximus eo anno ac mense ecclesiam Bosnensem regebat. Cum ad insignem Peregrini sanctimoniam, cælestemque felicitatem testificandam, miracula per eum, ut in vita, sic post mortem edita, minime dubia, satisque explorata accesserint; Patres Franciscani cum dignum esse consuerunt, quem titulo *Beati* afficerent, & in fastis martyrum ac divorum sui ordinis ad diem duodetricesimam Februarii nomen illius ascriberent his verbis: *Bosnæ in Hungaria B. Peregrini de Saxonia, ejusdem urbis Episcopi sanctissimi.* De B. Peregrino hæc breviter P. Philippus. *P. Peregrinus de Saxonia (quem aliqui de Acculo scribunt) postquam per aliquot annos Vicariam Bosnensem gubernavit, fuit factus Episcopus Bosnæ an. D. 1349. Hoc variis in locis annales ord. nostri testantur: & de ipso plura possunt hauriri apud Haroldum in epitoma annalium ordinis Minorum par. 1. quæ hic apud nos desideratur. De hoc Martyrologium ordinis ad diem 28. Januarii hæc proloquitur: Bosnæ in Hungaria B. Peregrini de Saxonia, ejusdem urbis Episcopi sanctissimi. Nota bene: Bosnam quomodo dicit in Hungaria nescitur: nisi forte quod tunc Hungariæ regi parebat Bosna.*

suorum opera plurimos convertit.

Titulus cultusque Beati eidem decretus.

PE-

PETRUS II. EP. BOSNENSIS XV.

Rem christianam Bosnensem administrabat anno 1357. ut constat ex duplici diplomate, quo Ludovicus rex Hungariæ privilegia superiorum regum concessa Spalatensibus confirmavit anno eodem III. Kalend. Septembris. Utrique enim cum Hugolino Archiepiscopo Spalatensi, & pluribus aliis Hungariæ Episcopis, testis adfuit approbatorque *Petrus Boznen. Episcopus*. Hinc satis constat proximum Peregrini successorem, nomine Petrum, fuisse ab altero ejusdem nominis Episcopo Bosnensi multorum annorum intervallo disjunctum; & ex aliqua religiosa familia vel Dominicana, vel Franciscana desumptum esse prænomen *Fratris* eidem appositum declarat, ut in alio diplomate Ludovici regis Hungariæ, cujus particulam ab clarissimo viro Joanne Brunatio mihi traditam hic subjicio, eidem tribuitur, qui Budæ cum esset anno 1358. huic diplomati testem sese & approbatorem adscripsit. *Nos Ludovicus Dei gratia Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Laodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque rex. Quia magnificus Dominus Franciscus de Carraria pro sacro Romano Imperio civitatis Paduæ & districtus Vicarius generalis, amicus noster carissimus in guerris & discordiis &c. Nostræ dispositioni & promissioni interfuerunt venerabiles Patres Domini Nicolaus... goniensis locique ejusdem Comes perpetuus, Nicola Colocensis cancellarius aulæ nostræ, Archiepiscopi ecclesiarum; F. Petrus Bosnensis ecclesiæ Episcopus &c. Datum Budæ mensis Madii die quinta, anno Incarnation. MCCCLVIII. regni autem nostri anno decimo septimo. Amen.* Ex archiv. Papafab. Idem Brunatius hanc notam apposuit: *Not. hæc lectio Petrus Bosnensis habetur ex chronica Reverendi Scardeoni ad chart. 73. ut notatur in codice Papasavio. Exemplum hujus privilegii quod ediderunt Cortusii fine Patavinæ historiæ lib. XI. cap. XII. continet eo modo, Petrus Posnonensis, aut Bosnous; editione Murator. Tom. XII. Rer. Italicar.* Ceterum Joannes Brunatius abbas & presbyter Patavinus, studiosissimus investigator antiquitatis, & rei diplomaticæ ac nummariæ scientissimus, qui chartas pervetustas cœnobii Patavini monachorum Cassinensium S. Justinæ commentariis doctis oppido atque eruditis vindicavit, explicavit, illustravit, & Patavii anno 1763. e typographia Conzatti in lucem emisit, e suo domestico Musæo veterum & selectorum codicum refertissimo, quos e tabulariis Venetis ac Patavinis summa diligentia collegit & descripsit, aliquot diplomata & monumenta ad augendam ornandamque historiam Antistitum Dalmatiæ nobis pro sua eximia humanitate suppeditavit. Hæc non sine debita memoris gratique erga virum clarissimum animi nostri significatione, in historia Illyrici sacri, suis quæque locis ac temporibus innectemus.

Anno 1357. Stephanum Banum, egregium illum catholicæ fidei tutorem, præsidium & columen Ecclesiæ Bosnensis mors importuna præripuit. Anno siquidem eodem, cum invitatu Ludovici regis, cui filiam suam Elisabetham desponderat, in Hungariam iret, ut sollemnia nuptiarum sua præsentia cohonestaret; in ipso itinere non tam suo, quam alieno christianæ reipublicæ tempore mortuus est; ejusque corpus in Bosinam relatum, Millescevi in æde Franciscana S. Nicolai, post exsequias insigni pompa & magnificentia celebratas, conditum est in sepulcro, quod ipse vivens sibi paraverat. Ludovicus ut mortuo socero, qui nullam virilem legitimam prolem ex se reliquerat, quidquid posset gratiæ referret, Principatum Bosnensem contulit Tuartko filio Uladislavi fratris Stephani; qui deinde regali titulo assumpto ipse quoque nomen Stephani sibi adoptavit, ac veluti proprium & hæreditarium successoribus tradidit. Hic implicitus cum esset erroribus & schismate Græcorum, a patrui virtute ac religione longe multumque degeneravit, hæreticis perfugium ac patrocinium præbuit, catholicos quibuscumque potuit modis vexavit. Tuartku Banus Bosinæ Catholicis infensus.

At Petrus, quamvis Banum infensum atque inimicum haberet, nihil studii operæque prætermisit, ut populos sibi commissos ab omni hæretica labe purgaret; ac Deus ipse, ut ejus piis conatibus faveret, cælestibus minis atque ostentis objectis, visus est voluisse gentes illas a Manichæa insania atque impietate deterrere. Dum ergo Petrus huic ecclesiæ præsidebat, montes Bosinæ, quos plerique Patareni ex urbibus atque oppidis per Stephanum Banum expulsi incolebant, Deo vindice atque ultore hæreticæ perfidiæ, ut opinari fas est, igne divinitus immisso conflagrarunt; sed hujusmodi portentum atque incendium scelerati homines ac spurcissimi, secus quam oportuerat, interpretati, in sua pertinacia obduruerunt. Rem breviter narravit Anonymus Acutheanus cap. III his verbis. *Item de anno 1367. in vigilia S. Catharinæ virginis in partibus orientalibus cælestis ignis maximus de hora tertia, cum intensa luce terribiliter apparens universo orbi: tunc temporis dicunt quod in Bosna maximos montes cum omnibus lapidibus, animalibus, brutis, feris, ac avibus mirabiliter cremavit, ita ut illi in planities conversi sunt; & sunt ibi positæ & situatæ multæ villæ; & ibi manent Patareni Bosnensium, qui dicuntur Manazei; & ipsi dicunt, quod Deus cremavit & combussit illos montes ad utilitatem ipsorum* (quod scilicet montes illos redegerit in planitiem vitibus ac segetibus aptam); *quia Deus diligit fidem ipsorum.*

Nec vero Tuartkus hoc prodigio territus de sua in catholicos acerbitate quidquam remisit. Erat ei frater junior Stephanus nomine, quem omnibus contumeliis vexabat, propterea quod ad catholicam religionem & sacra Latinorum transierat. Hunc Urbanus V. Pontifex, cujus opem imploraverat, Ludovici regis fidei ac tutelæ commendavit. *In Bosina, cum religio catholica in dies efflorescceret,* (ut scripsit Raynaldus) *Banus senior fratrem Stephanum juniorem catholicum infectatus est; cujus clientelam susceperus Pontifex Urbanus V. Ludovico Hungariæ regi has querelas proposuit: Banus Bosnæ senior frater ejus sequens suorum progenitorum vestigia detestanda, ac fovens, & defendens hæreticos ad illas partes, quasi ad sentinam fœtidam de diversis mundi partibus confluentes, ipsum Stephanum abjecto amore fraterno persequitur, & hactenus gravissimis damnis attrivit, ac partem hæreditatis sibi denegavit exhibere &c. Adjecit preces, ut a fratris injuriis Stephanum vendicaret. Aliis vero litteris Stephanum ad constantiam adhortatus, Confortare, inquit, fili, habeque patientiam in adversis, quæ sustines amore divino: nam præter Apostolicæ Sedis favores*

& præfati regis auxilium tibi, Deo propitio, congruo tempore tribuenda, ſecundum ſententiam Domini dicentis: Beati ſunt, qui perſecutionem propter juſtitiam patiuntur; cum nulla ſit major juſtitia, quam fidem ſemper tenere catholicam, ex qua juſtus vivit, & pro ejus amore mala quælibet æquanimiter tolerare, æterna præmia conſequeris. Ceterum ſi, ut ſcripſiſti, ad ſacram urbem acceſſeris, videbimus te libenter. Dat. Romæ apud S. Petrum XIX. Kal. Januarii anno Pontif. noſtri VIII. ideſt 1369.

Epiſtola Urbani V. ad Petrum Ep. Boſnen.

Idem Pontifex Urbanus, qui anno 1362. prid. die Kalendas Novembris Innocentio VI. ſuffectus cum fuiſſet, quinquennio poſt Romam venerat, ut res urbanas & Italiæ turbas componeret; Fratres Franciſcanos in vinea Boſnenſi gnaviter laborantes Petro Epiſcopo commendavit, ut eos omni caritate ac benevolentia complecteretur. Extat ejus epiſtola in hæc verba. *Ven. Fr. Epiſcopo Boſnenſi. Cum, ſicut lætanter accepimus, dilecti filii Fratres Minores in tua diœceſi conſtituti, circa converſionem & extirpationem hæreticorum, quorum multitudo in ea manere aſſeritur, continuis ſtudiis elaborent; decet fraternitatem tuam, cui principaliter onus hujuſmodi converſionis incumbit, eoſdem Fratres, qui in tanto miniſterio cooperatores exiſtunt, in charitatis viſceribus, ac opportunis auxiliis confoveri. Quapropter fraternitatem tuam eamdem hortamur, attente mandantes, quatenus eiſdem Fratribus, quos fama religioſæ vitæ & prædicationis inſtantia multipliciter recommendant, ſincera charitate pertractans, eis præſertim circa converſionem & extirpationem hæreticorum efficaciter aſſiſtere non omittas in hac parte & aliàs, in executione tui paſtoralis officii, ac taliter habiturus, quod exinde a Deo præmium & favorem apoſtolicum mereari. Dat. apud Montem Flaſconum XII. Kal. Auguſti, anno VI.* ideſt 1367.

Eodem anno idem Pontifex gratulatur Ludovico regi de felici progreſſu apud Boſnenſes, Bulgaros, Raſcianos, & incremento rei chriſtianæ; ejus ad hanc augendam præclara ſtudia collaudat, hortaturque ut ad illarum & finitimarum gentium converſionem auxilium & favorem præſtet Epiſcopis Colocenſi & Chanadienſi, quibus imperavit, ut quamplurimos poſſent Sacerdotes in eas regiones mitterent, Patribus Franciſcanis ſuppetias laturos.

Alia ad Ludovicum regem Hungariæ.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei chariſſimo in Chriſto filio Ludovico regi Hungariæ illuſtri. Replevit ingenti gaudio mentem noſtram acceptiſſima Deo & nobis relatio, nuper per dilectos filios Joannem de Rheno & Andream de Peruſio ordinis Fratrum Minorum, de Bulgariæ, Raſciæ, & Boſnæ venientes partibus nobis facta, inter cetera continens, quod inſpirante illo, qui ubi vult ſpirat, ad tuam inductionem & cooperationem piiſſimam, ac Fratrum dicti ordinis in dictis partibus commorantium prædicationem, multa millia perſonarum utriuſque ſexus, relictis damnabili ſchiſmate, aliiſque erroribus, quibus erant & fuerant omni tempore involuti, ad lumen veræ fidei, ac unitatem & obedientiam ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ matris & magiſtræ cunctorum fidelium redierunt. De quo non ſolum nobis, ſed univerſæ congregationi fidelium talia ſentientium, quam tanta multitudine augeri procuraſti devotiſſimis ſtudiis, & cæleſti etiam curiæ ingentem lætitiam attuliſti: nam ſi teſtante veritate, quæ Chriſtus eſt, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente Angelis Dei ſit gaudium, quanto majus illud exiſtimandum exiſtit, quod de tantæ multitudinis converſione noſcitur exoriri? Proinde itaque Deo, a quo omne datum optimum progreditur, gratias referentes, & tuam chriſtianiſſimam ſerenitatem dignis laudum præconiis extollentes, plenis affectibus rogamus & hortamur eamdem, quatenus hujuſmodi tua ſtudia laudanda continuans, venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopo Colocenſi & Epiſcopo Cenadienſi (quibus per apoſtolicas litteras committimus & mandamus, ut de Sacerdotibus, qui curam gerant converſorum hujuſmodi, ſolerter provideant, & eiſdem Fratribus ad alios cooperante Domino convertendos aſſiſtant) velis pro reverentia Dei, & tuo & noſtro ineffabili præmio, ac reverentia Apoſtolicæ Sedis, dare conſilium, auxilium, & favorem, ad converſionem aliorum ſchiſmaticorum & hæreticorum ac infidelium, quibus regnum tuum vicinum exiſtit, omnem (quam poteris) prout de te ſperat ſancta mater eccleſia, operam præbiturus. Dat. apud Montemflaſconem II. Id. Julii anno VI.

Huic ſæculo duos Epiſcopos Boſnenſes, qui abſunt a noſtro catalogo, innectit Laurentius Maniatus in Diſſertatione genealogica de familia Omuchevich, eoſque affixit oppido Glaſinacz; *qui locus*, ut ſcripſit P. Philippus, *eſt in corde regni Boſnæ inter fluvium Drinam, & Saralium.* Alter eſt Radingoſtus Omuchevichius, qui anno 1320. alter ex eadem gente Omuchevichia Dobroslavus Omuchevichius filius fratris Radingoſti, qui anno 1366. Epiſcopatum geſſere. Hi erant fortaſſe ritus Græci.

Duo Epiſcopi Boſnenſes fortaſſe ritus Græci.

Per ea tempora Patres Franciſcani in erudiendis catholicis, & convertendis hæreticis una cum Epiſcopo, fere ſoli portabant *pondus diei & æſtus*; ſed pauciores erant, quam regionis magnitudo, incolarum neceſſitas, & meſſis evangelicæ copia requirebat. Itaque anno 1372. F. Berengarius de Aragonia ex illuſtri ſtirpe regum Aragoniæ oriundus, ſtrenuus ac diligens cultor vineæ Dominicæ, *miſſus*, ait Vadingus, *a Ludovico rege Hungariæ & Vicario Boſnenſi Fratrum Minorum, venit Avenionem, ſignificaturus Pontifici meſſem multam eſſe, operarios vero paucos, & neceſſaria eſſe Fratribus ibidem laborantibus plura, quam habeant, domicilia; atque ex defectu parochorum, rectorumque eccleſiarum, multa ſuboriri dubia ſalutem animarum concernentia. Datis litteris Pontifex præcepit, ne Boſnam ire volentes animabus Chriſto lucrifaciendis impedirentur; indulſit ut nova ædificarentur habitacula, & dubia commiſit examinanda viris in curia doctiſſimis.*

F. Berengarius Avenione miſſus ad poſtulandos operarios pro vinea Boſnenſi.

Optabant ſane Patres illi religioſiſſimi, teſte Vadingo, adminiſtrationem omnium parochiarum, & quidquid ſive honoris indidem, ſive emolumenti proveniret, ab ſe ad Presbyteros cleri ſæcularis tranſferri; ut ipſi commodis omnibus, tituliſque honorificis poſthabitis, nulli cuipiam loco affixi, ſed ab omni hujuſmodi curatione ſoluti ac liberi, provinciam omnem apoſtolico ritu peragrarent, ad eamque potiſſimum partem accurrerent, quam maxime laborare, & evangelicis operariis indigere cognoſcerent. Sed cum inveniri non poſſent, qui chriſtianam procurationem quorumdam locorum ſuſciperent, ubi catholici cum hæreticis permiſti habitabant, æque periculoſam ac difficilem; illam Gregorius XI. Patribus Franciſcanis demandavit datis ad eos litteris, quas hic ſubjicio.

Dile-

Epiſtolæ Gregorii XI. Patribus Franciſcanis datæ.

Dilectis filiis Vicario & FF. Ord. Min. in partibus Boſnæ conſtitutis. Animarum ſalutem paternæ charitatis optantes affectibus, libenter illa concedimus, ex quibus ſalus ipſa debet provenire. Sane ad noſtrum pervenit auditum, quod licet in partibus Boſnæ, in quibus habitantes fere omnes, præter illos, quos per gratiam Dei convertiſtis, ſint ſchiſmatici, hæretici, & in quibus non ſunt eccleſiæ parochiales, nec doctores animarum curam habentes; baptizandi, & miniſtrandi baptizatis & converſis alia eccleſiaſtica Sacramenta poteſtatem a Sede Apoſtolica habeatis; tamen in metis Boſnæ verſus Hungariam, ſicut in loco vocato Blaes, & in aliis locis quampluribus, in quibus eſt Chriſtianorum dominium, ſunt gentes permiſtæ, videlicet tam chriſtianæ, quam hæreticæ & ſchiſmaticæ, nec ibidem ſunt diſtinctæ parochiæ, nec Sacerdotes parochiales uſque ad duas vel tres dietas exiſtunt; propter quæ habitatores ipſorum locorum ſine doctrina & ritu chriſtiano viventes, veſtra prædicatione, & uſu hujuſmodi poteſtatis vobis in terris ſchiſmaticorum, hæreticorum, aliorumque infidelium ab Sede Apoſtolica ut præfertur conceſſæ, indigere admodum dignoſcuntur. Nos talium animarum ſaluti providere cupientes remediis opportunis, vobis & ſingulis veſtrum in prædicto Blaes, & aliis locis hujuſmodi, uſque ad partes fidelium, in quibus diſtinctæ parochiæ & catholici rectores eccleſiarum curam animarum habentes conſiſtunt, donec in eiſdem locis fuerint canonice diſtinctæ parochiæ, & rectores eccleſiarum parochialium inſtituti, utendi omnibus facultatibus & privilegiis, vobis in terris ſchiſmaticorum, hæreticorum, & aliorum infidelium a memorata ſede conceſſis, plenam concedimus tenore præſentium facultatem. Dat. Aven. 3. non. Febr. an. 3. Pontific. ideſt Chriſti 1373. anno ſiquidem 1370. tertio Kal. Januarii Gregorius XI. Urbano V. ſubrogatus fuit.

Idem Gregorius eodem anno iiſdem Fratribus ordinis Minorum poteſtatem fecit aliquot ſibi domicilia cum ſacris ædiculis exſtruendi in regionibus montoſis & aſperis, parochorum cura deſtitutis, ubi Vlachi, paſtores ſchiſmatici, fuſi per agros ac diſperſi degebant; ut ſcilicet genus illud hominum rude & agreſte in montibus ac ſilvis diſſipatum chriſtianæ & incorruptæ religionis præceptis ac myſteriis imbuerent.

Inter ceteros ordines &c. Sane petitio pro parte veſtra nobis nuper exhibita continebat, quod licet in partibus Boſnæ, & Vlachæ, & circa metas Hungariæ, in quibus moramini prædicantes infidelibus verbum Dei, ſchiſmaticos ad viam reducendo catholicæ veritatis, in civitatibus atque villis, in quibus fideles morantur, ſinguli ſint plebani & rectores eccleſiarum per ordinarios deputati, qui eiſdem fidelibus præſunt, eoſque doctrina imbuunt ſalutari; tamen Vlachis ſchiſmaticis, quorum nonnulli in paſcuis & montibus habitant, animalia, quibus abundant, paſcendo, curam prædicationis & converſionis non adhibent, quam vos, ut aſſeritis, adhibetis iiſdem, & magis adhibere cum Dei gratia intenditis in futurum, fructum animarum non modicum faciendo: quodque, ſicut eadem petitio ſubjungebat, propter præmiſſa, novorum locorum pro vobis receptio & conſtructio in illis partibus, etiam in terris & locis, in quibus fideles habitant, quam plurimum expediret; quare nobis humiliter ſupplicaſtis, ut conſiderata ſalute animarum, quæ ex hoc provenire ſperatur, vobis in terris, ceſtris, ſeu villis, & metis Hungariæ circa Sabete & majorem Vlachiam, circa metas Boſnæ in Abſan & Corbania, quarumcumque diœceſum catholicorum vel ſchiſmaticorum exiſtant, loca recipiendi, & in iis oratoria cum cœmeteriis & aliis pro veſtro ordine neceſſariis officinis conſtruendi licentiam tribuere dignaremur. Nos igitur, qui ſalutem deſideramus animarum, ut labor veſtræ prædicationis melius fructificet, veſtris ſupplicationibus inclinati, vobis in partibus, ſeu metis prædictis ſex loca recipiendi, ac in eis conſtruendi, ſeu conſtrui faciendi in locis tamen congruis & honeſtis, in ſingulis videlicet eorum ſingula oratoria cum campanili, campana, cœmeterio, & aliis neceſſariis officinis, facultatem concedimus. Non obſtantibus &c. Ac inſuper Fratribus veſtris, qui in hujuſmodi locis, ut præmittitur, conſtruendis pro tempore morabuntur, concedimus quod gaudere valeant omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, exemptionibus, libertatibus, & immunitatibus, quibus in aliis locis ejuſdem ordinis Fratres ſoliti ſunt gaudere &c. Dat. Aven. Cal. Junii an. 3. ideſt 1373.

Præterea anno ſequenti Gregorius facultatem conceſſit iiſdem Fratribus Boſnenſibus recipiendi ædificandique ſeptem cœnobia cum totidem eccleſiis, quibus aucta Vicaria Boſnenſis majorem copiam operarum ad vineam Dominicam excolendam alere ac ſuppeditare poſſet.

Dilectis filiis Vicario & ceteris Fratribus ordinis Min. Vicariæ Boſnenſis. Inter ceteros ordines &c. Sane petitio veſtra nuper exhibita continebat, quod pro converſione nonnullorum hæreticorum & ſchiſmaticorum, & pro converſorum ab erroribus ſchiſmaticis conſervatione in fide catholica, in contratis, ſeu partibus Tucimii, Wilkikæ, ac Verbes aliquas eccleſias fundare & conſtruere affectatis. Quare nobis humiliter ſupplicaſtis, ut ſuper hoc vobis licentiam concedere dignaremur. Nos igitur, qui ſalutem deſideramus animarum, ut labor veſtræ prædicationis melius fructificet, veſtris ſupplicationibus inclinati, vobis in partibus, ſive contratis prædictis, quarumcumque diœceſum catholicorum ſeu ſchiſmaticorum antiſtitum exiſtant, ſeptem loca ſuſcipiendi ac conſtruendi facultatem concedimus &c. ut ſupra. *Dat. Novis Avenionen. diœceſis 8. Calend. Auguſti an. 4.* ideſt 1374.

Stephanus Tuartkus titulum regis Raſciæ & Boſnæ aſſumpſit.

Tuartkus poſt hoſtes domeſticos & extraneos devictos, an. 1376. conceſſu Ludovici regis affinis fuit, titulum regis Boſnæ aſſumpſit, regalia inſignia ſollemni pompa & apparatu tradente Metropolita, ſive cœnobiarcha monaſterii Baſiliani Milleſcevenſis, & *Stephanus Mirce* appellari voluit. Cum autem in iis bellis, quæ Ludovicus geſſit cum regibus Serbliæ, collatis cum eo copiis ſuis auxiliaribus partem Raſciæ occupaſſet, titulum regis *Raſciæ* ſibi adjunxit; præſertim cum poſt interitum Vucaſcini poſtremi Serblorum regis, regnum illud partim a Turcis, partim a Dynaſtis finitimis occupatum rege proprio careret. Itaque in ſuis diplomatibus inſcribitur: *Stephanus Tuartkus Dei g. Raſciæ, Boſnæ, Maritimæque* (ideſt Chulmiæ regionis uſque ad mare porrectæ, quam poſtea fiduciariam dedit Comitibus de gente Hranichia) *&c. Rex.* Deinde ſive juſſu, ſive admonitu Ludovici, a quo titulum regalem acceperat, ab infectandis catholicis abſtinuit; & poſt mortem Ludovici cum bellis civilibus diſtentus fuerit, rei catholicæ Boſnenſi neque obfuit, neque profuit; nul-

lamque ab eo, quoad vixit, cultoribus ritus Latini & Eccleſiæ Romanæ vexationem moleſtiamve illatam reperio.

Ad ſuperiores annos ut revertar, F. Petrum Epiſcopum Boſnenſem nominatum invenio in aliis tribus privilegiis Ludovici regis Hungariæ anno 1360. 1367. 1373. Demum hoc eodem anno 1373. XIII. Kal. April. ſubſcripſit privilegio regali, quod idem Ludovicus ſacris Virginibus de Valle Veſprimienſi conceſſit.

DOMINICUS EP. BOSNENSIS XVI.

Notus ex diplomate Ludovici regis Hungariæ, qui anno 1379. confirmavit privilegia Abbatis & monachorum cœnobii de Pechs-Varad. *Datum per manus reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini Demetrii miſeratione divina tit. SS. quatuor Coronatorum S. R. Eccl. presbyteri Cardinalis, ſanctæ Strigonienſis Eccleſiæ gubernatoris perpetui, locique ejuſdem Comitis ſimiliter perpetui, & aulæ noſtræ cancellarii dilecti nobis & fidelis. Anno Domini milleſimo tercent. ſeptuageſimo nono, ſexto nonas Septembr. regni autem noſtri anno XXXVIII. reverendiſſimis & venerabilibus in Chriſto Patribus, eodem Domino Demetrio dictæ Eccleſiæ Strigonien. gubernatore perpetuo, Fratre Stephano Colocenſi, Petro Jadrenſi, Ugolino Spalatenſi, Ugone Raguſin. Paullo Zagrab. Sabino Tranſilv. Valentino Quinque-eccleſ. Decret. Doctore, Ladislao Varad. Guilielmo Jaurin. Thoma Cſanadi, Fratre Dominico Boſn. Petro Vacien. Fratre Dominico Nitrien. Joanne Sirmien. Pullo Tinninien. Demetrio Nonenſi, Chriſogono Tragurien. Matthæo Sibinic. Stephano Pharenſi, Jacobo Makarien. Thoma Corbavien. Michaele Scardonen. Portina Segnien. eccleſiarum Epiſcopis eccleſias Dei feliciter gubernantibus, Veſprimienſi ſede vacante. Magnificis viris Nicolao de Gara, regni noſtri Palatino, & judice Cumanorum &c.*

De Dominico nihil præterea vetera illorum temporum monumenta, quæ quidem mihi ſint cognita, commemorant.

GEORGIUS EP. BOSNENSIS XVII.

Huic eccleſiæ præerat anno 1384. nam ejus nomen hoc anno reperitur inſcriptum in quodam privilegio, quod conceſſit Spalatenſibus Maria Regina Hungariæ filia Ludovici regis; hic enim an. 1282. pridie idus Septembris moriens, Mariam ſub tutela matris Eliſabethæ regnorum ſuorum hæredem reliquit. Datum eſt hoc diploma *Anno Domini milleſimo tercenteſimo octuageſimo quarto, quintodecimo Kalend. Maji, regni autem anno ſecundo, reverendiſſimis & venerabilibus in Chriſto Patribus, eodem Domino Demetrio dictæ ſanctæ Strigonienſis Eccleſiæ gubernatore perpetuo, Ludovico Colocen. Petro Jadren. Ugolino Spalaten. & Ugone Raguſien. Archiepiſcopis, Emerico Agrien . . . . Georgio Boſnen. . . . . eccleſiarum Epiſcopis eccleſias Dei feliciter gubernantibus &c.*

Hæc tempora turbulentiſſima fuerunt, plena bellorum ac ſeditionum civilium. Proceres Hungariæ & Dalmatiæ ab utraque regina defecerunt, cum iiſque Tuartkus rex Boſinæ ſocietatem inierat. Carolus rex Neapolis, quem ad regnum occupandum perduelles vocaverant, per inſidias interfectus, Eliſabetha & Maria ab eiſdem perduellibus captæ, & Novigradi in arctam cuſtodiam incluſæ. Eliſabetha ibidem mortua eſt; Mariam vero Petrus Barbadicus, cum Venetis triremibus auxilio profectus, Novigradenſi cuſtodia exemptam in regnum reſtituit, quæ cum Sigiſmundo Marchione Brandeburgenſi, cui deſponſata fuerat, nuptias celebravit. Nec tamen ſeditio extincta eſt. Tuartkus Dalmatas fere omnes Sigiſmundi auxiliis deſtitutos in deditionem accepit. Huic e vivis ſublato Stephanus Dabiſcia, quem Miroslavus Tuartki patruus ex toro non legitimo genuerat, in regnum Boſinæ ſucceſſit anno 1392. Hic biennio poſt Dalmatiam & Chrobatiam voluntaria ceſſione reſtituit Sigiſmundo, cum Maria hujus conjux anno ſuperiori diem obiiſſet. Stephanus Dabiſcia rex Boſinæ.

In eo perturbatiſſimo temporum motu, tantaque rerum omnium confuſione, quæ ſcelerum omnium afferre ſolet impunitatem ac licentiam, hæreſis Patarena, nulla ſive regiæ poteſtatis, ſive ſæcularium magiſtratuum metu coercita, magnos in Boſina progreſſus fecit. Huic ut obſiſterent, remque catholicam ſuſtinerent, Patres Franciſcani omni ope operaque enitebantur. His aliunde accerſitus ſuppetias tulit Fr. Deodatus de Ruſticio, qui cum egregia tredecim ſociorum manu anno 1391. ut eſt apud Octavium Spaderrum, in Boſinam advenit, & cum regionem illam peragrando multam ac perutilem operam Evangelio navaſſet, in Syriam progreſſus eſt, & Hieroſolymæ ab hoſtibus chriſtiani nominis, religionis cauſa cæſus, titulum Beati, cultumque Martyris apud ſuos promeruit. Per id temporis tota fere procuratio rei chriſtianæ Boſnenſis in Epiſcopum & Patres Franciſcanos incumbebat, horumque ſive domiciliis, ſive cœnobiis referta erat Boſina: nam Vicaria Boſnenſis conceſſu Romanorum Pontificum plurimis locis ac monaſteriis aucta, tum diviſa erat in ſeptem, ut ipſi vocant, cuſtodias, alias in ipſa Boſina, alias in locis finitimis conſtitutas; & ſingulæ ex multis hoſpitiis, diverſoriis, cœnobiis conſtabant. Illas, & quæ cuique ſuberant loca, Vadingus, & alii Scriptores hiſtoriæ Franciſcanæ nominatim percenſent. Ex his Epiſcopo & Eccleſiæ Boſnenſi ſuppetebant quamplurimi præcones Verbi divini, & rei chriſtianæ adjutores; qui totam regionem, deſcriptis inter ſe partibus, diſſeminando Evangelio circuibant, vel uni loco affixi ſtationem ac plebem ſibi traditam chriſtiana catecheſi erudiebant, ac divinis myſteriis impertiebant. Sed cum exorti paullo poſt alii bellorum civilium tumultus impedimento eſſent, ne quos optabant e ſuis apoſtolicis laboribus fructus perciperent, egregia illorum induſtria & fervens fidei catholicæ amplificandæ cupiditas viſa eſt langueſcere, ac tepeſcere. Vicaria Boſnenſis Franciſcana rei catholicæ magno adjumento fuit.

Poſt mortem Stephani Dabiſciæ anno 1396. extincti, Tuartkus cognomento *Scurus*, Tuartki ſenioris e pellice filius, regnum paternum a Dabiſcia ſibi præreptum occupavit. Sed huic diuturna & acerrima contentio de regno fuit cum Oſtoja Chriſtichio. Uterque titulum regis aſſumpſit; crebra inter eos prælia commiſſa, multæ clades ultro citroque illatæ & acceptæ. Cum itaque inter eas turbas & bellicos tumultus regionem illam ad ſemen evangelicum excipiendum minus aptam eſſe viderent, & parum ſe proficere ad rem catholicam propagandam Patres Franciſcani intelligerent; haud pauci illorum tædio & inutili labore fracti, e provincia dilabi cœperunt, alii in alias regiones, ubi

quie-

quietius & utilius Deo ac religioni operam navarent. Id cum animadverteret Bartholomæus Vicarius Patrum Bosnenſium, veritus ne operariis evangelicis abeuntibus, brevi eccleſiam illam vitiorum atque hæreſeon ſentes replerent; Bonifacium IX. Pontificem admonuit, qui litteris ad eum reſcriptis anno 1402. vetuit quemquam injuſſu Vicarii e regno illo decedere. *Frater Bartholomæus Vicarius Bosnæ* (ut ſcripſit Vadingus Tomo V. ad an. 1402.) *ſignificavit Pontifici nimis excreviſſe meſſem, diminutis operariis in illa provincia; atque ultra quinquaginta millia illorum ad fidem orthodoxam a Fratribus reducta; aliquos vero hujus converſionis miniſtros, vel tædio, vel labore fractos aliquando ab opere ceſſare, & ad ſuas patrias ipſo inconſulto redire. Juſſit ergo Pontifex, ut nullus ipſo inconſulto illinc abiret; aliaque ſtatuit, quæ ad illius gentis converſionem videbantur pertinere.*

JOANNES III. EP. BOSNENSIS XVIII.

Cognominatus eſt Thomeus, ſive Tomcus Maravitius, a quo ſæculorum amplius duorum intervallo disjunctus eſt alter Joannes Tomcus Marnavitius, itidem Epiſcopus Boſnenſis. Sunt enim qui utrumque confundunt, & priori affingunt, quæ ad poſteriorem pertinent. Fuit alumnus familiæ Dominicanæ, de quo Ambroſius in Bibliotheca Dominicana. *Joannes Tomcus Maravitius, aliis Marnavitius, Boſnenſis Epiſcopus in Hungaria ſub metropoli Colocenſi, Eccleſiæque Lucerinæ in Apulia ſuffraganeus fuit, Vitam noſtri B. Auguſtini Epiſcopi Lucerini conſcripſit. Ita referunt Ughellius inter Lucerinos Epiſcopos in vita B. Auguſtini, Ferrarius noſter in titulo vitæ ejuſdem, & plures alii, Fontana in Theatro; quo tempore vixerit præfati auctores non ſcribunt.* Ejus Pontificatum referendum eſſe ad exordium ſæculi decimi quinti docet catalogus Epiſcoporum Boſnenſium. Verum ejus initia epiſcopalia repetenda eſſe ab anno 88. ſæculi ſuperioris docet privilegium Sigiſmundi collatum Eccleſiæ Strigonienſi, in quo, itemque in altero an. 1397. VIII. Id. Decembris *Joannes Boſnenſis* nominatur. An ſuffraganeus fuerit, ſive adjutor Epiſcopi Lucerini, mihi non eſt compertum. Certe adjutor eſſe non potuit B. Auguſtini e Zagrabienſi ad Lucerinam Eccleſiam translati anno duodevigeſimo ſæculi ſuperioris; neque ejus vitam deſcripſit, cujus auctor fuit alter Joannes Tomcus Marnavitius, qui ſæculo decimo ſeptimo e clero & capitulo Zagrabienſi, cui Archidiaconi titulo præfuerat, ad ſedem epiſcopalem Boſnenſem evectus eſt.

BENEDICTUS II. EP. BOSNEN. XIX.

Hunc Eccleſiæ Boſnenſi Epiſcopum dedit Joannes XXIII. anno 1410. VIII. Kalendas Junii Alexandro V. ſuffectus, ut docent tabulæ Romanæ Conſiſtoriales: 1410. *XIII. Auguſti providit Eccleſiæ Boſnenſi vacanti per mortem N. de perſona Domini Benedicti de Benedictis.* Cum regio tota inteſtinis & externis bellis arderet, Pontificatum geſſit oppido laborioſum, aſſiduis curis, graviſſimiſque moleſtiis exercitum. Boſinenſes in duas factiones diſtraxerat bellum civile, quod Tuartkus & Oſtoja, animis quam armis infeſtioribus, inter ſe gerebant. Oſtojæ præterea bellum fuit cum Raguſinis, ac deinde cum Hervoja duce Spalatenſium. Sed cum hic in omnem intemperantiam ac libidinem effuſus ne matronarum quidem pudicitiæ parceret, in odium offenſionemque omnium incurrit. Itaque pars illa Boſnenſium, qui Oſtojæ parebat, ab ejus imperio deſcivit, eoque expulſo, Stephanum e nobiliſſima familia Jablanovichiorum, primaria inter Boſnenſes, in regem ſibi elegit anno 1415. Cum hoc Tuartkus ſocietatem junxit; contra utrumque auxiliares ab Turcis copias impetravit Oſtoja, annuum tributum illis pollicitus, & Radivojo filio obſide eiſdem tradito. Sæpe pugnatum eſt fortuna variante, modo his, modo illis propitia; & per annos fere ſeptem crebris præliis mutuiſque cladibus alteri alteros attriverunt; totum vero regnum ferro & incendiis vaſtarunt. Tandem anno 1422. pax ita convenit, ut provinciis inter ſe partitis, regium ſinguli titulum retinerent. Ita tres eodem tempore fuerunt reges Boſinenſium. Sed Stephanus brevi extinctus ſine liberis, civitatum ac regionum quod ſibi obtigerat, partim Tuartko, partim Oſtojæ reliquit. Tres eodem tempore reges Boſinæ.

Dum ergo Benedictus Eccleſiæ Boſnenſi præfuit, nihil in ea regione pacatum, nihil ab armorum ſtrepitu metuque, nihil a periculis & moleſtiis vacuum fuit: id quod illi magnum impedimentum attulit ſive ad catholicam plebem chriſtiana diſciplina excolendam, ſive ad hæreticos convertendos, ſive ad hæreſim, ne latius propagaretur, coercendam; præſertim cum eorum, qui rerum potiebantur, auctoritas, & præſidium illi defuerit; quod ſcilicet non ſolum civilibus bellis impliciti eſſent, ſed fortaſſis Patarena labe infecti, aut ab Eccleſiæ Romanæ communione & Latinorum ſacris alieni: quam cauſſam fuiſſe arbitror, cur nullus ab illis tribus regibus legatus Concilio Conſtantienſi interfuerit, quod anno decimo quarto hujus ſæculi celebrare cœptum, uſque ad annum decimum ſeptimum prorogatum fuit. Per eos annos Turcæ arma & vexilla in Boſinam inferre cœperunt; primum evocati a Tuartko II. ut contra Oſtojam ſibi auxilio eſſent; iterum ab Hervoja, cum ab Sigiſmundo rege Hungariæ hoſtis declaratus anno 1413. & Spalatenſi principatu omnique ditione ſpoliatus, Hungaris bellum intulit, ut Orbinus docet; tertio eoſdem in Boſinam induxit Oſtoja, ut in bello, quod gerebat cum Tuartko & Stephano, eorum copiis uteretur. Auctor eſt idem Maurus Orbinus his temporibus a Mahomete rege Turcarum in Boſina ſuperiore Præfectum, quem illi Sangiacum vocant, conſtitutum fuiſſe; ſed paullo poſt a Sigiſmundo & Boſnenſibus expulſum. Porro Benedictus hanc eccleſiam cum in tanta difficultate temporum, tantaque perturbatione rerum, annos fere ſexdecim gubernaſſet, e vita decedens vacuam ſucceſſori reliquit. Duobus privilegiis Sigiſmundi *Benedictus Boſnen.* ſubſcripſit, quorum alterum cœnobio S. Paulli primi Eremitæ an. 1420. IV. Id. Julii, alterum an. 1424. Virginibus Veſprimienſibus conceſſit. Turcæ ter in Boſinam evocati.

DIONYSIUS EP. BOSNENSIS XX.

Cum electus fuiſſet Canonicus Eccleſiæ Varaſdienſis in Hungaria, eum Martinus V. anno 1427. ad ſedem epiſcopalem Boſnenſem evexit. Ita enim ſcriptum eſt in tabulis Conſiſtorialibus Vaticanis. *3. Id. April. 1427. proviſum eſt Eccl. Boſnenſi vacanti per mortem, de perſona Dionyſii de Yakch Canonici Varaſdienſis electi.* Sed ne

annum quidem integrum præfuerat, cum ad aliam ecclesiam translatus est.

JOSEPH EP. BOSNENSIS XXI.

Erat Præpositus plebis Betzkiensis in diœcesi Strigoniensi, de quo tabulæ Vaticanæ: *Idibus Martii anno* 1428. *provisum est Ecclesiæ Bosnensi vacanti per translationem, de persona D. Josephi plebani de Bezza Strigoniensis diœcesis*. Reperit ecclesiam illam non solum hæresibus & vitiis refertam, quæ scilicet ex intestinis ac diuturnis discordiis oriri & augeri solent; sed etiam evangelicis operariis propemodum destitutam. Si vera sunt quæ Jacobus Luccarius in Annalibus Ragusinis tradidit, ad hæresim propagandam, & fidem Catholicorum corrumpendam Episcopi quatuor irrepserant pestiferis opinionibus imbuti, quorum nomina hæc erant, *Diel*, *Gost*, *Staraz*, *Strinich*. Hos Bosnenses Episcopos ad Concilium Basileense anno 1433. venisse ait; sed quod Patarenæ impietatis comperti essent, neque adduci possent, ut nefaria dogmata ejurarent, admissos non fuisse.

Quatuor Episcopi hæretici corruptores Ecclesiæ Bosnensis ad Concilium Basileense non admissi.

Eugenius IV. anno altero & tricesimo hujus sæculi Martino subrectus, principio statim sui Pontificatus in Bosinam sollicitudinis suæ curæque apostolicæ partem non exiguam convertit. Plerique e Patribus Franciscanis, cum inter arma & bellicos tumultus rei christianæ utiliter gerendæ facultatem sibi ademptam esse viderent, e provincia discesserant, eorumque domicilia vacua vel furor militaris diruerat, vel alii occupaverant. Eugenius itaque ad FF. *Joannem de Corethye Spalatensem*, & *Blasium Sclavenum*, qui egregiam in Hungaria operam Evangelio navabant, an. 1. Pont. v. non. Novemb. litteras dedit in hanc sententiam, quam Vadingus explicat, *ut in quibusdam locis provinciarum Dalmatiæ, Bosnæ, & Sclavoniæ, in quibus Christi fideles inhabitant operariis evangelicis valde destituti, præsertim irruentibus in eos quotidie Crucis inimicis Turcis, qui captivos filios abducebant, bona diripiebant, & Sacerdotes abigebant, Conventus instruerent vel admitterent.* Optimi Pontificis pia consilia sibi pro sua parte adjuvanda esse censuit P. Guilielmus minister generalis ord. Minorum; & F. Jacobum Piceum vulgo de Marchia, virum omnibus sanctimoniæ notis insignem, qui post mortem titulum & cultum Beati promeruit, & a Benedicto XIII. Divorum catalogo adscriptus est, ex Hungaria in Bosinam proficisci jussit, ut Fratrum Bosnensium religiosam disciplinam, sicubi collapsa esset, restitueret; & quo ipse flagrabat, eodem illos religionis christianæ tuendæ augendæque studio incenderet: id quod ex Vadingo planius cognosci potest. *Jacobus Picenus, dum in Hungaria prædicat, fit commissarius in Principatu Bosnæ. Fr. Guilielmus de Casali minister generalis dedit ad eum litteras Romæ primo Aprilis An. D.* 1432. *cum plena facultate visitandi private & publice, vocandi, citandi, examinandi, arctandi, detinendi, carcerandi &c. Per tres annos commoratus in Bosna vir sanctus, iterumque reversus, disciplinam restituit, dissolutos mores correxit, controversias sopivit, reditus distraxit, & corruptelas omnes contra regulæ puritatem latenter introductas procul ejecit. Quosdam per singulares domos & prædia castri Jaiza dispersos, & proventibus gaudentes, qui aliter inter gentem varia hæresi infectam dicebant se vivere non posse, illinc coegit recedere, donec Stephanus rex Rasciæ & Bosnæ* (hic erat Tuartkus cognomento Scurus, qui simul cum Ostoja regnabat in Bosina) *id agre ferens, & de B. Jacobo conquestus apud Pontificem & Imperatorem, tandem inductus est, ut eis provideret de opportunis ædibus & rebus necessariis. Suppetias misit Generalis aliorum Fratrum juxta ipsius Jacobi beneplacitum; & ne quis obtenderet contra reformationem privatis vel peculiaribus facultatibus a Generali concessis, omnia patentibus litteris declaravit irrita, & revocavit.*

B. Jacobus Picenus in Bosina fidei catholicæ prodest.

Jacobus commissa sibi procuratione perfunctus e provincia discessit anno 1434. sed anno sequenti, ut est apud Vadingum, *a Pontifice iterum in Bosnam amandatus est, ut reformationem plene stabiliret, & fidem Christi in illo regno languentem doctrinæ cælestis spiritu renovaret. Patres etiam Concilii Basileensis plurima ei commiserant agenda, & exterminanda in illo regno, aliisque Hungariæ provinciis. Regredientem fictis honoribus excepit Stephanus Tuartkus Rasciæ & Bosnæ rex.* Nimirum ille animo erat plane aversо a catholica religione; sed tempori serviendum ratus, aliud occulte moliebatur, aliud verbis & specie simulationis ostentabat. *Non bene*, inquit Vadingus, *convenerat B. Jacobo cum rege hoc Turcico ingenio, summa impietate, & profana religione, ut scribit Bonfinius, prædito .... Reformandis Fratrum moribus, & fidei disseminandæ, clam objectis impedimentis, restitit; etsi palam videretur assentiri, tum Sigismundi pii Principis veritus indignationem, tum Pontificis conciliaturus sibi amicitiam contra potentiam Turcarum e propinquo minitantem.*

Stephani Tuartki calliditas, & malitia.

Cum Ostoja diem suum obiisset anno 1435. totius regni summa ad Tuartkum pervenit, cui calliditas & malitia cum amplificatione dominatus ac potestatis simul accrevit; nec veritus est Jacobo viro sanctissimo insidias ac necem moliri. *Fraudolenti hominis malas artes assecutus Jacobus* (ut scripsit Vadingus) *fictamque cognoscens fidem, objurgare cæpit & increpare; deinde insidias paratas declinaturus Bosna excessit, quem demum multis precibus, scriptisque litteris* (datis anno 1436.) *revocavit. Inter alia ita barbare scripsit: Audivimus quod vos, Reverendiss. Pater, forsan per nostros inimicos exhortati, in ira de nostro regno secessistis. Nunc autem, S. Pater, hoc plurimum displicenter sentimus & vos adeo pessime de nobis judicare, non hominem christianum reputando, sed tamquam Paganum per Christianitatem diffamando. Quamobrem supplicamus humiliter P. V. intuitu Dei omnipotentis revenire ad nos dignemini, nosque coram auscultare &c. Vigebat hic præsertim in montibus & locis munitis secta Manichæorum, contra quos tractatum edidit Dei famulus, & continuum per se suosque socios bellum instituit. Patrocinabatur hæreticis impius rex, easque subministrabat vires, & audaciam, ut qui primis congressibus suas velare impietates, mala dogmata mitius interpretari conati; mox apertas blasphemias, nefandissimasque hæreses ausi sint palam profiteri, in virum apostolicum insurgere, maledictis lacessere, multis calumniis diffamare, & adversus eumdem concitare non modo plebeculam, vilesque homunciones, verum etiam aliquos dominantes in clero, a quorum persecutionibus latisque censuris oportuit per Eugenium Pontificem defendi. Concessit illi ut ubique per singulas diœceses liceret prædicare, omnesque Episcoporum censuras, quibus*

bus ab hoc ſacro miniſterio impediebatur, irritas voluit eſſe & inanes.

Joſeph Ep. Diacovi moratur.

Cum igitur Jacobus a quibuſdam Epiſcopis ſeu proprio inſtinctu, ſive alieno impulſu infenſis, divino permiſſu, variis moleſtiis exerceretur; tantum aberat ut ei quidquam negotii faceſſeret Joſeph Epiſcopus Boſnenſis, ut virum ſanctiſſimum & plurimi faceret, & omni officio ac benevolentia proſequeretur. Quin etiam cum eo ad hæreticos profligandos conſilia & operam conjunxit, ut colligitur e litteris Sigiſmundi Imperatoris anno 1435. ſcriptis ad F. Jacobum, in quibus epiſtolam ab ſe miſſam fuiſſe ait Diacovum ad Joſephum Epiſcopum Boſnenſem, & huic, qua dignus erat, laudem tribuiſſe, gratiaſque egiſſe, quod præclaros Jacobi conatus pro virili adjuvaret. Tunc Joſeph, ut eſt apud Vadingum, Diacovi; ſive Diaci commorabatur. Diacovum eſt oppidum in media fere Slavonia inter diœceſes Quinqueccleſienſem ac Sirmienſem interjectum, & egregie munitum, quod reges Hungariæ donarunt Epiſcopis Boſnenſibus, quo illi ſe receperunt poſt Boſinam redactam in poteſtatem Turcarum, & illuc ſedem epiſcopalem ex urbe Boſna, ſive Seralio tranſtulerunt. Cum Jacobus e Boſina digreſſus tum alias provincias, tum Sirmienſem peragraret, & ubique non ſolum præconis evangelici, ſed etiam adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitoris officio fungeretur; Joſephus Epiſcopus litteris amantiſſime ſcriptis illum in Boſinam anno 1437. revocavit: quas quidem litteras extare apud ſe Vadingus teſtatur. *Joſephi*, inquit, *Epiſcopi Boſnenſis, & aliorum ad ipſum litteras habeo, quibus ſummis precibus flagitant &c.* & paullo poſt hæc ſubjecit: *Invenit hæreticos Raſcianos & Boſnenſes, plurimoſque Huſſitas gentem ſimplicem dementaſſe, & in plurimos errores abduxiſſe, quos dignis affecit ſuppliciis. Quæ omnia conſtat ex teſtimoniis prædicti Joſephi &c.*

Eugenius IV. e Franciſcana familia eximios Verbi divini præcones in Boſinam miſit.

Eccleſia Boſnenſis non in poſtremis curæ Eugenio erat, qui nunquam deſtitit auxilia atque adjumenta e Franciſcana potiſſimum familia ad converſionem ac ſalutem illarum gentium ſubminiſtrare. Cum in ea regione Huſſitarum quoque errores ſerpere cœpiſſent, *miſit illuc*, ait Vadingus, *F. Nicolaum Tragurienſem virum doctum ac religioſum regularis obſervantiæ, qui Jacobo adlaboraret.* Jacobo autem Præfectuna Franciſcana Boſnenſi abeunte, qui in ejus locum Vicarii ſuccederent, eoſdem & Inquiſitores hæreticæ pravitatis eſſe conſtituit, eorumque in hæreticos inquirendi poteſtatem extra Boſinam latiſſime patere voluit, ut docet Vadingus. Amabat Eugenius in primis Patres Vicariæ Boſnenſis, quod nulla incommoda, nulla pericula defugiebant, ut earum gentium ſaluti conſulerent; & quibus digni erant, laudibus affecit, & ampliſſimis privilegiis cumulavit. In quadam ejus epiſtola vocantur Patres Boſnenſes *murus, qui hæreticorum incurſionibus, pro domo Domini, & orthodoxæ fidei defenſione ſe oppoſuerunt.* Anno 1437. Eugenius, ut eſt in Annalibus Vadingi, *compaſſus innumeris laboribus & tribulationibus, quas Fratres Vicariæ Boſnæ pro fide propaganda, & contra hæreticorum dolos, Turcarumque ferocitatem tuenda patiebantur, multa indulſit privilegia. Combuſtis a Turcis infra biennium eorumdem cœnobiis ſexdecim, rogante B. Jacobo Piceno, facultatem conceſſit ſeptem condendi. Quibuſdam volentibus ſeparare domos quaſdam a prædicta Vicaria, & provinciæ Dalmatiæ adnectere, noluit aſſentiri. Fratribus ejuſdem Vicariæ a ſuis ſuperioribus deputatis auctoritatem tribuit infirmitate aut ſenio impeditos, quin poſſint ad ſuos Ordinarios accedere pro abſolutione quorumdam delictorum eiſdem reſervatorum, ab omnibus peccatis abſolvendi; inſuper & calices, corporalia, & veſtimenta ſacerdotalia conſecrandi, ſeu benedicendi, ubi non licuerit Epiſcopos adire.* Anno deinde 1444. *Ubi non ſit Epiſcopus, illis juriſdictionem quaſi epiſcopalem concedit, cum licentia etiam Confirmationis Sacramentum miniſtrandi; tum diſpenſationes plurimas haud facilis conceſſionis largiendi dat facultatem, & abſolvendi a caſibus Rom. Pontif. reſervatis.* Quæ quidem privilegia confirmavit, noviſque auxit an. 1447. IV. Id. Febr. *Ubi copia Epiſcoporum non extiterit, Sacramentum extremæ Unctionis conferre poſſint utendo antiquo oleo, ſi novum abſque magna difficultate haberi nequeat; item aggregatos fidei catholicæ inſignire valeant charactere clericali, & ad Acolythatum ordinem promovere.*

Quamdiu Joſeph Epiſcopatum Boſnenſem tenuerit, quove anno e vita migraverit, nulla quæ doceant, monumenta invenire potui. In ejus locum anno, ut mihi videtur, circiter 1444. ſuffecti ſunt

STEPHANUS EP. BOSNENSIS XXII. & ANTONIUS electus.

Utrumque ex ordine S. Franciſci deſumptum, eodemque tempore Epiſcopum Boſnenſibus datum fuiſſe tradit Auctor Viridarii Seraphici; & regione illa bifariam diviſa, ſuam cuique diœceſim aſſignatam: alterum Boſnæ Chrobaticæ, alterum Boſnæ Viſoranæ præpoſitum eſſe. In eo tamen erravit, quod Epiſcopatum utriuſque eum anno 1434. conjunxit; nam triennio poſt adhuc Joſeph Boſnenſem Eccleſiam regebat, teſte Vadingo, qui ait B. Jacobum Picenum litteris Joſephi Epiſcopi in Boſinam revocatum fuiſſe, anno ſcilicet 1437. Duos in hoc regno Epiſcopos conſtituendi auctorem fuiſſe arbitror Eugenium Papam, quod in regione tam longe lateque diffuſa, ad rem chriſtianam recte ubique gerendam, & provinciam tam laborioſam ac difficilem gubernandam, unus ſufficere non poſſet. Hujus autem conſilii capiendi occaſio unde oblata fuerit Eugenio, breviter explicabo.

Stephanus Thomaicus rex Boſinæ.

Poſt Tuartkum II. ſine ulla legitima prole extinctum anno 1443. Boſnenſes regem ſibi crearunt Stephanum Thomam, vulgo Thomaſcum, Paulli filium, ex antiquiſſima & nobiliſſima gente Chriſtichia, ſive Jablanovichia. Hic jam grandis natu, cum ad regnum pervenit, nondum baptiſmo initiatus fuerat; & quamvis ab illis oriundus eſſet, qui ritus & fortaſſe etiam errores Græcorum ſequebantur, tamen nutare & incertus eſſe videbatur, cui ſectæ ac diſciplinæ nomen daret. Suſpicio erat eum Patarenis ſtudere, a quibus poſtea ſe alieniſſimum eſſe & verbis & factis probavit. Anno 1439. Eugenius Thomam Epiſcopum Pharienſem in Boſinam de graviſſimis orthodoxæ fidei & Romanæ Eccleſiæ negotiis legatum miſerat, dum adhuc Tuartkus rerum in ea regione potiebatur. Quo ſublato, ſub novo rege fieri quædam rei catholicæ ad meliorem ſpem inclinatio viſa eſt: quippe Stephanus & pontificium legatum quibus debuit officiis atque honoribus affecit, & multa atque illuſtria ſuæ adverſus Sedem Apoſtolicam obſervantiæ documenta præbuit. Hac regis propenſa

Thomas Pharienſ. Epiſcopus Legatus Apoſtolicus.

penſa & benigna voluntate utendum ratus Eugenius, duo mandata, quæ regi exponeret, Thomæ ſuo legato dedit, ut docet Carolus Dufreſnius; unum, ut titulum atque inſignia regis a Pontifice Romano ſuſcipere vellet; alterum vero ut in ſuo regno plures, aut minimum duos Epiſcopos ritus Latini conſtitui pateretur; videlicet Stephanum, & Antonium, quos ipſe nominaverat; ut regni partibus inter ſe diviſis, eam, quæ cuique obtigiſſet, diœceſim adminiſtraret. Neutrum poſtulatum rex admiſit; primum quidem abnuit, quod verebatur ne Turcarum, quibus erat vectigalis, iram in ſe, atque arma concitaret; ſiquidem Amurathes II. vel ante, vel poſt cladem Varnenſem in Hungaria Chriſtianis illatam, cum in Boſinam irruptionem feciſſet, ut infeſtum exercitum inde abduceret, rex annuo tributo viginti quinque mille aureorum paciſci cum illo debuerat. Alteri poſtulato aſſentiendum non cenſuit, ne ſchiſmaticos atque hæreticos, quorum referta erat provincia, ab ſe alienaret. Itaque Antonius ad aliam Eccleſiam translatus fuit, ut ſcripſit Auctor Viridarii Seraphici; Stephanus autem totius Eccleſiæ Boſnenſis regimen ſuſcepit. Interea eodem legato hortatore atque impulſore Stephanus rex ritu Latino baptiſmum ſuſcepit ab Joanne Carvajalo præſtantiſſimo Præſule & Auditore Rotæ Romanæ, ut docet Raphael Volaterranus.

Antonius Ep. Boſnenſis ad aliam eccleſiam transfertur.

Anno 1446. dum Thomas legatione apoſtolica in Boſina fungebatur, Stephanus rex Boſinæ & Raſciæ, tum Epiſcopis, tum proceribus regni utriuſque conventum in Boſinam edixit; in quo quædam decreta ſunt, quæ ad fidem chriſtianam, reſque publicam pertinebant. Habitus eſt Cognitii, in oppido regni Boſnenſis. Interfuerunt Metropolitæ ritus Græcanici omnino quatuor, nullus e Latinis Epiſcopis, ac ne Boſnenſis quidem. Præfuit ac principem locum tenuit Thomas legatus Sedis Apoſtolicæ. Acta & decreta nobis communicavit P. Lucas Vladmirovichius e Franciſcana Fratrum Minorum familia, vir tum antiqui generis nobilitate, tum vero doctrina ac virtute præſtantiſſimus.

Conventus Boſinenſis, cui præfuit Thomas Legatus.

1 *Nos Stephanus Thomas Dei gratia* (1) *Raſciæ*, (2) *Serviæ*, *Boſnenſium ſive* (3) *Illyricorum*, (4) *Primordiæ*, *partium* (5) *Dalmatiæ* 2 3 4 5 6 *& Croatiæ* (6) *rex*, *memoriæ mandamus*, *vigore præſentium ſignificantes omnibus*, *quibus expedit. Convenientibus nobis in pago noſtro Cogniz* 7 (7) *in generali noſtra congregatione*, *fidelibus noſtris univerſis Prælatis*, *Baronibus*, *Vaivodis*, 8 (8) *ac proceribus*, *electiſque omnium Comitatuum regni noſtri nobilibus*, *quibuſcumque tractantibus de his*, *quæ ad utilitatem & tranquillitatem regni ſunt reſpicientia*; *iidem antedicti proceres inter alias eorum laudabiles ordinationes exhibuerunt*, *& præſentaverunt certos articulos*, *nempe infraſcriptas*, *humiliter ſupplicantes*, *ut eoſdem articulos confirmare dignaremur*: *quorum quidem articulus talis eſt*

Acta & conſtituta conventus Boſnenſis.

9 *Primus*, (9) *ne Manichæi nova templa conſtruerent*, *nec vetera collabentia reſtaurarent*.

Secundus. Bona data eccleſiis non auferantur.

Tertius. Si quis extracto gladio occiderit hominem, *regali judicio tradatur in carcerem*, *ac omnia ſua bona dividantur in duas partes*; *una regali fiſco vindicetur*, *& alia filiis*, *ſeu cognatis*, *vel parentibus jugulati.*

Quartus. Quod conſiliarii, *ſecretarii*, *Vaivodæ*, *& Comites ſedis regiæ poſt* (10) *adhibitionem ſollemniter regi præſtent juramentum.*

10 *Quintus. Quod* (11) *Herzegh Sancti Sabbæ ſit illegitimus*, *niſi per regem Raſciæ*, *Boſnæ*, *ſeu Illyriæ eligatur*; *& poſt electionem præſtet juramentum regiæ majeſtati. Si autem non præſtito juramento officium exercere præſumat*, *cum majeſtas regia puniat.* 11

Sextus. Quod inceſtuoſi, *& corruptores conſanguineorum ſuorum pœna capitali puniantur.*

Septimus. Proditores caſtrorum, *vel ſuorum dominorum*, *pœna infidelitatis*; *pari modo cuſores falſarii monetarum. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam conſtitutiones ipſas in præſentem libellum conſcriptas & poſitas de Dominorum Prælatorum*, *Vaivodarum*, *& nobilium*, *ac totius regni voluntate & conſilio*, *communis noſtri ſigilli appenſione communiri fecimus.*

Datum Cognitii per manus Reverendi Patris in Chriſto Domini Villemiri Vladmirovich Epiſcopi (12) *Creſovienſis*, *& Narentinarum* (13) *Eccleſiarum Græcanici ritus*, *aulæ noſtræ ſecretarii*, *& Græcanicarum litterarum ac legum Doctoris dilecti & fidelis noſtri*, *anno Salvatoris* 1446. *in feſto S. Joannis Baptiſtæ*, *regni noſtri tertio.* 12 13

Præſentibus Venerabilibus in Chriſto Patribus Dominis, *Thoma Epiſcopo Farenſi*, *Apoſtolicæ Sedis* (14) *Legato —— Theophano Diocleæ*, *ſeu Pecchinæ* (15) *Patriarcha noſtri regni Raſciæ* 14 15 *Græcani ritus —— Maximo Serviæ* (16) *Metropolitano Græcani ritus —— Joanne Mozuæ* (17) 16 17 *Metropolitano Græcani ritus —— Theodoro Paugna Metropolitano* (18) *—— ceteriſque Dominis & Vladicis noſtri regni de ritu Græcorum.* 18

Item Reverendis in Chriſto ac clariſſimis Patribus ordinis S. Franciſci; *Eugenio* (19) *Summa partium noſtri regni Raſciæ Nuncio*, *& Commiſſario Apoſtolico*, *ac generali Inquiſitore.* 19

Michaele (20) *Jadrenſi Vicario Boſnæ Fratrum prædicti ordinis.* 20

Item ſpectabilibus ac magnificis Stephano (21) *Herzegh S. Sabbæ cum filiis ſuis*; *Radivojo cariſſimo noſtro fratre*, *& Bano Jaize* (22); *Radivojo Vladmirovich Comite & Judice curiæ noſtræ*; *Stephano Vladcovich conſiliario noſtro*, *ac Uſoræ* (23) *Bano*; *Joanne Covacich Vaivoda partium noſtrarum Dalmatiæ*; *Petro Paulovich Vaivoda Glaſinci*, *& dapiferarum* (24) *noſtrorum magiſtro*; *Paullo Cubretich Vaivoda Zuorniki magiſtro pincernarum*; *Nicolao Altomanovich Vaivoda Vaglivi*, *& Præfecto partium regni Serviæ*; *Vellemiro Jamometovich Vaivoda & Præfecto regni noſtri Raſciæ*, *& aliis quampluribus regni noſtri Vaivodis*, *Vaivodatus tenentibus & honores*, 21 22 23 24

Notæ.

(1) Raſcia eſt pars Serbliæ ad meridiem ab amne Raſco regionem interfluente denominata, antiquitus dicta Dardania, quam Stephanus Tuartkus primus rex Boſnenſium ad regnum Boſnenſe adjunxit.

(2) Serbia, olim Mœſia ſuperior, poſt Vucalcinum poſtremum regem Serblorum extinctum in plures Principatus diviſa eſt. Hanc deinde partim rege Boſinæ, partim alii Dynaſtæ, partim etiam Turcæ occuparunt. Quamvis autem Stephanus neque totam Raſciam, neque totam Serbliam obtineret, ſuis tamen titulis regalibus utramque intexuit: Dalmatiam itidem, & Chrobatiam iiſdem adjecit, quod pauca quidem in Chrobatia, plura vero in Dalmatia loca

poſſi-

poſſideret. Solent enim qui populis præſunt, oſtentationis & gloriæ cauſſa regios titulos agglomerare, eoſque quolibet ex loco, ubi aliquam dominationem habent, ſibi adſciſcere.

(3) Æque Dalmatæ, Chrobati, Raſciani, Serbli, ut Boſnenſes, vocari poſſunt Illyrii, quod eas regiones incolant, quæ olim ampliſſimo Illyrici vocabulo continebantur.

(4) Primordia, ſeu Primoria ſuperior inter Cetinam & Naronem, regio mari adjacens, Hertzegovinæ finibus includebatur, quam Stephanus Banus adeptus, ad Principatum Boſnenſem adjunxerat.

(5) Tum Primordia, tum Rama, tum Hertzegovina, alias Principatus S. Sabbæ, ſive provincia Chulmitana ad regnum Boſnenſe pertinebant.

(6) Cum amnis Verbaſius Chrobatiam a Boſina disjungeret, Bani ſeu reges Boſinæ ultra Verbaſium prolatis imperii finibus, extremam Chrobatiæ partem poſſidebant, in qua ſita eſt Jaycza regni civitas primaria.

(7) Cognitium eſt oppidum Boſinæ extremum ad meridiem, in confinibus Ramæ ſuperioris, ripæ dexteræ Naronis impoſitum.

(8) Vayvodæ nominantur Præfecti provinciarum dignitate ac poteſtate inferiores quam Bani.

(9) Cum antea Stephanus impietatis Manichææ ſuſpectus eſſet, hoc decreto ſuſpicionem omnem expurgavit.

(10) Ideſt poſtquam ad publica illa munera obeunda delecti fuerint, antequam traditos ſibi magiſtratus ineant.

(11) Herzegh, interprete *Topographo magni regni Hungariæ*, eſt vox Teutonica, idemque ſignificat, quod dux apud Latinos. Hinc regio illa, cui dux præerat, Hertzegovina nominata: *qui etiam Ducatus S. Sabbæ appellatur a Raſco*, ut idem Topographus ſcripſit, *tertio genito Stephani regis Serviæ, quem alii Simeonem appellant; cum enim aſſumpto Sabbæ titulo monachum induiſſet, tanta ſanctitatis opinione vitam exegit, ut Servii mox a morte ſanctum pronunciarent, & in perennem ejus memoriam Chulmiam, tunc Serviæ provinciam, quod in eadem Divus hic Monachus tumulo ſit illatus, S. Sabbæ titulo continuo inſignirent*. Hanc regionem antea dictam Zachlumiam, Chulmiam, & Chelmiam, quæ antiquitus exiguis finibus circumſcripta erat, deinde longe lateque prolatam, Stephanus Banus Boſinæ in ſuam poteſtatem redegit; & reges Boſnenſes alicui Dynaſtæ illorum locorum jure fiduciario, ſeu feudi nomine tradere ſolebant. Tunc Principatum S. Sabbæ obtinebat Stephanus Coſſacia, de quo infra.

(12) Poſtquam Epiſcopi Latini ex urbe Kreſcevo ad urbem Boſnam, nunc Seralium, ſedem epiſcopalem tranſtulerant, ut dictum eſt ubi de Interregno Epiſcopali Boſnenſi, Epiſcopus Græcus in illa urbe ſedem ſuam conſtituit. Sed præter Villemirum, de quo hic mentio facta eſt, nullos habeo, quos proferre poſſim, Antiſtites Boſnenſes ritus Græcanici.

(13) Erant in agro urbis Naronæ, ſive Narentæ, quæ ad Principatum S. Sabbæ pertinebat, parœciæ ritus Græci, quæ ſuberat Boſnenſi Græcorum Epiſcopo.

(14) Cum huic nationali Concilio præſideret Legatus Sedis Apoſtolicæ, id argumento eſt Antiſtites illos Raſcianos infra nominatos, catholicæ communionis participes fuiſſe, & ſupremam agnoviſſe auctoritatem Pontificis Romani; quorum converſio, & cum Eccleſia Romana conjunctio adſcribenda eſt Patribus Franciſcanis, qui per ea tempora in Serblia & Raſcia pro reductione ac ſalute ſchiſmaticorum gnaviter aſſidueque laborabant.

(15) Pechia civitas eſt Raſciæ haud longe a fontibus Drilonis, in ipſis Boſinæ confinibus locata; cujus Epiſcopus ſæculo decimo quarto, cum Stephanus cognomento Duſcianus rex Serbliæ & Raſciæ titulum Imperatoris ſumpſit, ipſe quoque nomen Patriarchæ ſibi adſcivit; nec ſolum Raſcianos, ſed etiam Serblianos, ceteraſque gentes illarum regionum ritus Græci ſuæ poteſtati ſubjecit: & cum extremas Dalmatiæ partes ad orientem, ubi eſt Dioclea, populi ejuſdem ritus incolerent, illuc etiam juriſdictionis ſuæ fines protulerat. Nec ſolum *Pechiæ*, ubi ſedem habebat, ſed etiam *Dioclea* Patriarcha Græco faſtu nominari volebat, quod hæc civitas olim nobiliſſima fuerit, & ampliſſima juriſdictione ac dignitate archiepiſcopali prædita; quamvis illius ſedem metropoliticam, poſt urbem a Bulgaris everſam, Antibarim translatam Archiepiſcopus Antibarenſis obtineret.

(16) Epiſcopus Latinus Sorbienſis, ideſt Serblienſis ex epiſtola Alexandri II. *inſcripta Ven. Petro Archiepiſcopo Dioclienſis, atque Antibarenſis Eccleſiæ*, ſuberat Metropolitæ Antibarenſi; qui deinde jus etiam imperiumque Primatis in Serbliam univerſam adeptus eſt. At poſtea Epiſcopus Græcus Serbliæ nomen Metropolitani aſſumpſit, præeratque nationi Serblianæ, quæ fere tota ad ritus Græcorum acceſſerat. Sed qua in urbe illius regni ſtationem epiſcopalem habuerit, hic expreſſum non eſt.

(17) Mozua civitas Serbliæ vel Raſciæ.

(18) Hi tres Antiſtites, ut opinor, nomen Metropolitani inane, & ab omni metropolitica juriſdictione vacuum gerebant, morem & exemplum ſecuti quorumdam Epiſcoporum Eccleſiæ Græcanicæ, de quibus Thomaſſinus Tom. II. in indice. *Leguntur apud Græcos Metropolitani quidam honorarii, qui ſcilicet Metropolitarum nomine & honore gauderent, non juriſdictione, nullos ſub ſe habentes Epiſcopos. Primum iſti gradum & locum poſt provinciæ ſuæ Metropolitanum ſemper obtinebant; eadem item, ac Metropolitani, pompa ordinabantur.*

(19) *Eugenius Summa*, Vadingo *Eugenius Somma*. Semel atque iterum legationem apoſtolicam in Raſcia obierit neceſſe eſt; primum impoſita illi fuit ab Eugenio IV. ut ex Actis hujus Conventus intelligitur; deinde a Nicolao V. ut Vadingus auctor eſt Tomo V. Annalium, *Amandatus eſt hoc anno 1451. Eugenius Somma ad partes Albaniæ, Bulgariæ, & Raſciæ cum apoſtolica facultate Nuncii & commiſſarii apoſtolici, & Inquiſitoris generalis. Ejus laudes & privilegia continentur ſequenti diplomate: Dilecto filio Eugenio Somma ord. FF. Min. &c. Dat. Romæ apud S. Petrum 1451. II. Kal. Octob. an. 5. Pontif.* Prior legatio Raſciæ finibus circumſcripta erat, altera vero latius patebat.

(20) De Michaele Jadrenſi Vadingus Tom. V. *In provincia Boſnæ Argentinæ vir pius Michael Oſtoides, qui & pauper ob ſummam, qua in Chriſti pauperes ferebatur, devotionem, paſſim vocabatur; prope urbem Viſochii cœnobium Sancto Nicolao ſacrum conſtruxit.*

(21) Hic cum ortus eſſet e nobiliſſima ſtirpe Hranichia, majoribus ſuis in Principatum S.

Sabbæ

Sabbæ jure fiduciario successit; e loco, in quo natus est, Cossac appellato Cossacia cognominari voluit. Hujus filiam Catharinam, ex Anna Cantacuzena priore uxore genitam, Stephanus Thomas rex Bosinæ in matrimonium duxit.

(22) Jaycza, ut sæpe diximus, Bosnæ civitas erat facile princeps ad confinia Chrobatiæ.

(23) Usora est provincia Bosinæ ampliſſima ad occasum vergens, ex qua reges Bosinenſium titulos regales sibi augere solebant.

(24) Quemadmodum Serbliani, sic etiam Bosnenses reges officia quædam palatina, cum honorificis eorum titulis, ex aula Imperatoria Constantinopolitana mutuati, in suam regiam invexerant.

Thomas Episcopus Pharienſis & legatus pontificius e Bosna decedens, Stephanum regem ab omni Manichæa fœditate alieniſſimum, & erga Romanam Ecclesiam bene animatum reliquit, atque adeo cupidum fidei catholicæ amplectendæ, & baptiſmi ritu latino ſuſcipiendi; nondum enim baptizatus fuerat, Eugenius optatiſſimo nuncio sibi per Thomam allato mirifice lætus, de converſione regis Bosinenſis Episcopos & Proceres Hungariæ, ſuis ad eos litteris certiores fecit, eisdemque regem eumdem impense commendavit.

Eugenii IV. litteræ de converſione regis Bosinæ.

Univerſis & ſingulis regni Hungariæ Prælatis, Principibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, & populis, ac univerſitatibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Glorioſa Dei noſtri opera, quæ diebus noſtris in ſuæ fidei augmentum ſua miſericordia facere dignatur, talia ſunt & tanta, ut nedum latere poſſint eos apud quos fiunt, ſed per remotiſſimas orbis partes velociſſime divulgentur. Quod itaque apud nos jam certum eſt ac diffuſum, vobis omnibus, qui eſtis propinquiores, notum eſſe non dubitamus, chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Stephanum Thomam regem Boſnæ illuſtrem, poſt multos diverſoſque tractatus diu habitos cum venerabili Fratre noſtro Epiſcopo Farenſi, quem apud illum in ſuo regno Apoſtolicæ Sedis Legatum annis ſeptem tenuimus, tandem factum eſſe Catholicum Chriſtianum, cujus novi lætitia nos, & venerabiles Fratres noſtri S. R. E. Cardinales, aliique Prælati & præſtantes viri diverſarum orbis partium Romanam curiam frequentantes, exultavimus, ſicut vos lætari credimus. Unde cum Deo noſtro, a quo talia accipimus munera gratiarum, grati eſſe debeamus, laudes ſibi primo dicentes, omnia agamus, per quæ data dona recognoſcere videamus, & eos, qui de noſtro ovili ſunt facti, taliter adjuvemus, foveamuſque, ut ſentiatur charitas quantum poſſit, quæ eſt Chriſtianis maximum, ſupremumque mandatum. Vos itaque omnes, & ſingulos, ad quos præſentes noſtræ litteræ pervenerint, in Domino exhortamur, atque etiam vobis mandamus, ut ſupradictum Boſnæ regem, omneſque regni ſui ſubditos, eidem in fide catholica conſentientes, in cunctis, quæ quomodolibet occurrant, commendatos ſuſcipientes, neceſſarios eis favores, & ſponte veſtra, ac quoties fueritis requiſiti, præſtare velitis, taliter efficientes, ut ſe gaudeant chriſtiano nomini, quod vos geritis, & pro quo adverſus barbaros infideles continuo pugnatis, adhæſiſſe, ac illi ſe peritus commiſiſſe. Dat. Romæ apud S. Petrum anno 1446. III. Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri anno XVI.

Idem Pontifex eodem anno, & sub initium mensis Julii F. Fabianum virum eximiæ doctrinæ & sanctitatis, Vicarium provinciæ seu custodiæ Bosinensis Franciscanæ, Inquisitorem adversus hæreticam pravitatem constituit; & simul in Presbyteros rectoresque ecclesiarum sacrilego concubinatu pollutos inquirendi, & quibus digni erant, pœnis animadvertendi potestatem fecit.

Ejusdem diploma F. Fabianum instituentis inquisitorem in Bosina.

Ad futuram rei memoriam. Dudum ad noſtrum, non ſine diſplicentia grandi, auditum perductio, quod tunc in regno Moldaviæ hæreticæ pravitatis & præſertim cujuſdam ſectæ abominabilis Huſſitarum nuncupatæ ſatore malorum operum id procurante, numeroſa perſonarum multitudo exiſtebat, quæ non modo incolarum, verum etiam ab ipſo regno diſtantium, & præcipue non paucorum regni Hungariæ incolarum animas perverſi dogmatis veneno peſtifero infecerant, ac in dies ſperantes inficere, omni ſtudio ſatagebant & conabantur, timebaturque ne ſi quantocius eorum perniciosis auſibus opportune non provideretur, etiam ad ceteras fidelium partes tranſeuntes, & mortiferum venenum ſuæ erroneæ doctrinæ fundentes, quamplurimos inficerent, in ſuarum & plurium aliorum evidens animarum periculum, diſpendium quoque perniciosiſſimum pariter & exemplum; nos ſuper iis, quantum nobis ex alto permittebatur, totis providere viribus intenti & firmam ſuper eo, quod eatenus dilecti filii ordinis Fratrum Minorum profeſſores de obſervantia nuncupati, & præcipue Vicariæ Boznæ, qui, ut celebris famaque publica inſinuabat, ſe murum facientes pro domo Domini, & orthodoxæ propagationis fidei, ad confundendas eliminandaſque hujuſmodi hæreſis ſuperſtitiones opem & operam efficaces ſolertius adhibere, quantum in eis foret, ſtuduiſſent & ſtuderent, prout tantæ rei neceſſitas exigeret, in convincendis eliminandiſque dictis erroribus ſuas impertiri partes deberent; fiduciam in Domino (ut congruebat) acceptantes motu proprio dilectum filium Fabianum de Bachia Vicarium dictæ Vicariæ, & illius ſucceſſores, qui pro tempore eſſent ipſius Vicariæ Vicarii, in Hungariæ & Boznæ prædictis, nec non Moldaviæ, Valachiæ, Bollachiæ, Bulgariæ, Ruſſiæ, nec non Sclavoniæ, ac omnibus & ſingulis aliis regnis, ſeu partibus, ad quæ ſeu quas Vicaria ejuſmodi ſe extendere noſcebatur, Inquiſitorem & Inquiſitores hæreticæ pravitatis per alias noſtras litteras perpetuo fecimus, conſtituimus, & etiam deputavimus ſub certis modo & forma, prout in eiſdem litteris plenius continetur.

Cum autem, ſicut ad audientiam noſtram plurimorum fide dignorum relatione pervenit, in aliquibus ex regnis, ſeu partibus antedictis, nonnulli Presbyteri, aut etiam parochialium eccleſiarum rectores, vel alia beneficia eccleſiaſtica, etiam dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, ſeu officia obtinentes, aliæque perſonæ eccleſiaſticæ, pudicitiæ laxatis habenis, ac vitam ducentes plurimum diſſolutam, concubinas publice tenent, illaſque plurimum bonorare, & (quod deterius fore dignoſcitur) ad allegandam eorum in peccato hujuſmodi excuſationem, actum carnalem etiam inter non legitime conjugatos peccatum non eſſe publice aſſerere & prædicare non verentur, in maximam Dei offenſam & animarum periculum, perniciosum quoque exemplum, ac ſcandalum plurimorum; & a nonnullis revocetur in dubium, an Fabianus, & ſucceſſores prædicti, contra Presbyteros & perſonas eccleſiaſticas hujuſmodi, tamquam

quam contra hæreticos, dictarum litterarum vigore procedere possint, nos qui ex debito commissi nobis officii hujusmodi errorem detestabilem, ne propagetur ulterius, & per eum corda fidelium damnabiliter corrumpantur, ab ecclesia catholica necessario extirpare debemus; motu proprio, non ad ipsius Fabiani vel alterius pro eo nobis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed ex nostra certa scientia, auctoritate apostolica tenore præsentium decernimus & declaramus, Fabianum & successores præfatos contra Presbyteros & personas prædictas, ac quoscumque alios cujuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, actum carnalem inter alios, quam inter legitime conjugatos non esse peccatum asserere & pertinaciter tenere præsumentes, tanquam contra hæreticos, juxta ipsarum litterarum contineutiam, atque formam procedere posse & debere in omnibus, & per omnia, perinde ac si in ipsis litteris, quod contra Presbyteros, personas, & alios asserentes prædictos, procedere possent & deberent, expressum fuisset. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Christi 1446. V. non. Julii, Pontificatus nostri anno XVI.

Altera legatio Bosnensis Thomæ per Nicolaum V. imposita.

Triennio post alteram legationem Bosnensem Tomæ Pharensi Episcopo mandavit Nicolaus V. ut ipse in suis ad B. Joannem Capistranum litteris testatur. Religionis ac pietatis semina, quæ superiori legatione regis animo injecerat, diligentius excoluit atque ad bonam frugem ac maturitatem perduxit. Ejus siquidem sanctis monitis & cohortationibus pius rex incensus Turcis pariter ac Manichæis bellum inferre decrevit, ut intelligi potest ex epistola ad eum scripta Nicolai V. Pontificis, qui Stephanum & omnes, qui in ejus exercitu contra utrosque Christi hostes arma ferrent, amplissimis indulgentiis cumulavit.

Nicolai V. ad Stephanum regem epistola.

Stephano Thomæ regi Bosnæ illustri Nicolaus V. Debita ex charitate revensentes, quod tu in bello, quod contra Teucros & hæreticos Manichæos pro tua defensione geris ad reprimendum illorum sævitiam, & aliorum Christi nominis hostium, in partibus illis, & plurimos labores & sumptus subire dignosceris; ac propterea personam tuam de thesauro sacrosanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ, & pretiosi sanguinis Domini nostri Jesu Christi & Apostolorum & Martyrum ditare, & spiritualium gratiarum muneribus confovere cupientes, ut omnibus proficiat ad salutem, & defensionem hujusmodi ferventius persequaris, quæ exinde majoris retributionis merita te & ipsas personas speraveris adepturos; de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Paulli Apostolorum ejus auctoritate confisi, tibi ac eisdem personis tam clericis, quam laicis vere pœnitentibus, & confessis, qui in tuo exercitu fuerint pro hujusmodi defensione, & hostium illius debellatione, plenam omnium peccatorum remissionem concedimus per præsentes, pariter & indulgemus. Dat. Romæ apud S. Petr. Anno Incarn. Dom. 1450. Id. Junii, Pontif. nostri anno IV.

Plures epistolas pontificias Eugenii IV. Nicolai V. Callisti III. Pii II. ad Thomam Thomasinum Episcopum Phariensem & Sedis Apostolicæ in Bosna legatum datas habes in historia Ecclesiæ Phariensis, actis ipsius Thomæ insertas.

Stephani regis erga Patres Franciscanos benevolentia.

Præterea rex Patribus Franciscanis, quibus potissimum Evangelii lucem acceptam ferebat, quibuscumque potuit officiis ac beneficiis gratificari studuit: id quod Thomas Episc. Phariensis in epistola supra laudata ad B. Joannem Capistranum diserte confirmat; *Narrat siquidem*, ut est apud Vadingum, *regem recenter ad fidem conversum Fratribus valde addictum, eis diversa præparare habitacula; hæreticos ad Fratrum conspectum evanescere, & ad illorum adventum alio transire &c. in hac eadem epistola narrat legationem Bosnensem se exercuisse de mandato Eugenii prius, & postea Nicolai; & in Bosna plurimos labores pertulisse. Data est Pharæ 19. Februarii 1451. Aliis autem litteris*, ut scriptum reliquit idem Vadingus, *Michael Jadrensis Vicarius Bosnæ Capistranum invitat & vehementer rogat, ut ad visendos Religiosos, & confirmandum regem, ac catholicos illius regni, eo se velit transferre*. Utraque epistola Thomæ & Michaelis data est an. 1451. Plura etiam pius rex Franciscanis dare voluerat, quam eisdem per evangelicam & seraphicam paupertatem accipere licebat: *Rex Bosnæ*, inquit Vadingus, *paullo ante conversus ad fidem, ut diximus anno 1451. n. 52. accepti beneficii lucis evangelicæ suis magistris præmium redditurus, decrevit in suo regno, ut Fratribus alimenta darentur, & qui nollent, ad præstandum cogerentur. Displicuit Religiosis, maxime Marco Bononiensi Vicario generali, hoc edictum, & Dei providentiæ populique benevolentiæ potius, quam violentæ regiæ provisioni, volebant inniti. Scripsit itaque ex urbe Jadrensi ad regem &c.* Accepta siquidem & collaudata optimi regis voluntate, actisque ut debuit gratiis, beneficio uti noluit.

Spes erat fore, ut auctoritas & exemplum regiæ conversionis plurimos ad imitationem alliceret; sed vel nullis, vel paucis incitamento fuit ad fidem catholicam amplectendam. Hæreticorum pertinacia & salus pene desperata adeo pon restinxit, ut potius magis accenderet studium & industriam virorum apostolicorum, præsertim B. Jacobi Piceni, de quo Vadingus: *Dolebat Bosnam toties a se perlustratam adhuc Manichæorum inquinari perfidia, & propinquam Dalmatiæ regionem eadem tabe fœdari. Petiit itaque a Vicario Generali, qui tum Dalmatiæ conventus invisebat, facultatem ad has regiones proficiscendi. Respondit illi 30. Decemb. 1451. & concedit optatam missionem; eumque per ipsas Bosnæ & Dalmatiæ provincias commissarium suum plenissima auctoritate constituit.*

B. Jacobi Piceni labores apostolici in Bosna.

Hoc eodem anno 1451. Nicolaus Pontifex F. Franciscum de Lara ex ordine Eremitarum S. Augustini in Bosinam remisit cum monitis & mandatis, quæ continentur in litteris pontificiis ad Episcopum Bosnensem.

Epistola Nicolai V. ad Episc. Bosnensem.

Nicolaus Pp. V. Venerabilis Frater, salutem & apostolicam benedictionem. Venit ad præsentiam nostram dilectus filius F. Franciscus de Lara ord. Eremit. S. Augustini, qui nonnulla nobis exposuit concernentia augmentum religionis christianæ, ac bonum statum, & pacem, & quietem totius patriæ Bosnensis. His itaque diligenter auditis, volumus, ac dicto Fratri in virtute sanctæ obedientiæ mandavimus, ut super hujusmodi causa nihil te inconsulto efficeret; sed omnia tecum communicaret, quæ circa hanc materiam opportuna essent, & tua prudentia illum dirigeres super quibus tecum se esse locutum affirmavit. Insuper ut res ipsa, quam nobis enarravit, felices progressus assequatur; scripsimus dilecto filio nobili viro Francisco Foscari Duci Venetiarum, ac Rectori & Consilio communis civitatis Ragusii, exhortantes eos, ut quoties a te requisiti essent, auxilium

xilium & ſuffragium exhiberent, ut hoc negotium Deo duce & eorum favoribus ad optatum finem deduceretur. Conceſſimus etiam præfato Franciſco facultatem abſolvendi quindecim perſonas pro ſemel tantum, etiam de caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, prout ex Brevi, quod ex noſtra commiſſione tibi oſtendet, inſpicere poteris. Habita igitur diligenti informatione qualitatum circa hanc rem ingruentium, dijudicabis an neceſſarium ſit, ut hujuſmodi abſolutio proficere poſſit. Et deinde tam in his, quam in aliis omnibus facies, prout tuæ prudentiæ & conſcientiæ viſum fuerit. Et ſi expedire videbitur præfatum numerum perſonarum extendere, tuæ Fraternitati per præſentes facultatem .... dictum numerum prorogare ad perſonas quinquaginta valeas, dummodo ad perficiendam rem pertinere perſpexeris. Aſſumes itaque hoc onus per nos tuæ curæ impoſitum, & in eo tantum ſtudii ac diligentiæ apponas, quantum hæc Dei & fidei cauſſa expoſcit; ac ſupradicta omnia ita caute, prudenter, ſollicite facere enitaris, ne ſcandalum ex ſuſceptione hujus negotii oriri poſſit, neque interitus alicujus hominis ſubſequatur. Ceterum ipſimet rei conduceret, ut Sladore Capitaneus a ſententia excommunicationis, qua irretitus eſt, abſolvatur. Quare tibi harum ſerie poteſtatem concedimus, ut ſi ipſe id humiliter petierit, eum abſolvas in forma eccleſiæ conſueta; injuncta ſibi pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris, die XXVI. Januarii MCCCCLI. Pontificatus noſtri anno IV.

Epiſcopus Conſtantienſis legatus in Boſnia.

Thomæ Epiſcopi Phariæ in legationem Boſnenſem ex mandato Nicolai V. ſucceſſerat Epiſcopus Conſtantienſis, qui, ut ſcribit Raynaldus, plurimum operæ & laboris adhibuit, ut Patarenos ad rectam in Deum fidem converteret. Per eadem tempora in eorumdem converſionem ſedulo ac laborioſe incumbebant Patres Dominicani Raguſini, hortatore ac duce Fr. Joanne Olearico, viro eximiæ doctrinæ ac pietatis, qui, ut notatum eſt in monumentis mſs. *Congregationis S. Dominici de Raguſio, in regno Boſinatum Manichæorum hæreſi plurimos, & maxime Regulos jamdiu infectos dignoſcens, a Nicolao V. R. P. anno 1450. poteſtate habita, una cum pluribus inſtituti ſui Fratribus Boſnæ & Serviæ peragratis provinciis, complures Principes regni & nobiles ad fidem vocavit.*

Stephani regis legationes.

Anno 1455. cum Nicolao ſublectus eſt Calixtus III., Stephanus rex Boſinæ, ut Raynaldus tradit, Romam miſit Nicolaum Teſtam, qui nomine ſuo eidem & ſupremum Pontificatum gratularetur, & debitam obedientiam præſtaret. Pontifex officium regis gratiſſimum habuit, & regem ipſum, cum Stephano filio, regnoque univerſo in fidem ac clientelam Sedis Apoſtolicæ recepit, datis ad eum litteris, e quibus hanc particulam decerpſi. *Cum igitur zelum tuæ devotionis recenſentes etiam ante aſſumptionem noſtram ad Apoſtolatus apicem cognoſceremus, & nunc etiam ex relatione dilecti filii nobilis viri Nicolai Jacobi Teſtæ oratoris tui, Serenitatem tuam ardentiorem fieri ad ea, quæ in augmentum chriſtianæ fidei redundant &c.* Biennio poſt eumdem Nicolaum Teſtam ad Pontificem ac Reges & Principes chriſtianos legavit, rogatum auxilia contra Turcas, qui poſt captam Conſtantinopolim an. 1453. in omnem occaſionem regni Boſnenſis occupandi imminebant; eumque ut quacumque iter habiturus eſſet, ab omni injuria tutum præſtaret, fide publica regia communivit in hæc verba. *Nos Stephanus Thomas D. g. rex Boſnæ &c. univ. & ſingulis has litteras inſpecturis notum facimus & manifeſtum, quomodo egregium ac ſtrenuum militem Nicolaum Jacobi Teſta fidelem ac dilectum oratorem pro noſtris certis factis & negotiis arduiſſimis ad Reverendiſſimum in Chriſto Patrem ac Dominum D. Caliſtum 3. D. Provid. ſacroſ. & univerſæ Rom. Eccleſiæ ſummum Pontificem D. N. clementiſſimum, & ad Sereniſſimum & Illuſtriſſimum Principem D. Alfonſum D. g. inclitum regem Aragonum &c. & ad Sereniſſimum & Excellentiſſimum Principem D. Franciſcum Foſcari Ducem Ven. &c. nec non ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Principem ſimili D. g. Ducem Mediolani, atque ad Illuſtriſſimum & glorioſiſſimum Principem D. .... eadem Dei gratia Ducem Burgundiæ; & fratres & amicos noſtros bonorandiſſimos; ad ceteroſque nonnullos Principes, & Communitates Chriſti fideles mittimus. Quapropter vos omnes præd. requirentes rogamus inſtantiſſime, quatenus tum intuitu ſummi Dei, a quo cuncta dona procedunt, cujus rem nunc acturi ſumus, tum ob eam legem divinam, quæ proximos diligere jubet, eumdem Nicolaum fidel. dil. noſtrum recommiſſum habeatis, omnem ſibi favorem poſſibilem, ubi, quando, & quoties opus fuerit, animo benigno afficere velitis; nec aliquem ex veſtris ſubjectis ſibi aliquam moleſtiam inferre permittatis, offerentes ad paria & bis majora veſtra beneplacita. Datum ſub caſtro noſtro regali Bobovaz, in oppido Sutiſchæ die 24. Julii. A. D. 1457.*

Bellum Turcis illaturus a Calliſto petiit & impetravit vexillum, & crucis inſigne.

Cum Joannes Hunniades & Alexander Scanderbegus plurimis cæſis Turcarum exercitibus multas & inſignes victorias reportaſſent; Stephanus præclara quadam æmulatione incitatus, bellum ipſe quoque Turcis inferre decreverat, & Romam ad Calliſtum eodem anno 1457. miſit F. Nicolaum Sibenicenſem ex ordine Franciſcano, qui vexillum pontificia prece conſecratum & crucem ab eo peteret, quæ ſibi eſſent veluti auſpicia futuræ victoriæ. Pontifex collaudato pii regis conſilio, vexillum & crucem ei tradi juſſit ab Joanne Carvajalo Cardinali Legato Apoſtolico in Hungaria; ac præterea decimas annuas impoſuit omnibus Sacerdotiis Hungaricis, Boſnenſibus, & Dalmaticis; quæ tripartito diviſæ, in ſubſidium belli ſacri Ladislavo Hungariæ, Stephano Boſinæ, & Scanderbego Epirotarum regibus contribuerentur. Itaque Dynaſtas ac Duces cum univerſo exercitu apud Coſſovum in ampliſſima planitie inter Boſinam & Raſciam congregari juſſit; ut declarat ejus epiſtola ad Præſules, Optimates, &c. data Priſtinæ in urbe Raſciana, quam hic ſubjicio.

Ejus epiſtola ad Boſnenſes.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Stephanus Thomaſſevich Dei gratia Raſſiæ, Serviæ, Boſnenſium, ſeu Illyricorum, Primordiæ, ſeu Maritimæ, partiumque Dalmatiæ & Corbatiæ rex &c. Univerſis noſtris fidelibus dominis, prælatis, baronibus, magnatibus, comitibus, vaivodis, vice comitibus, generalibus, tribunis, centurionibus, nobilibus, juratis, civibus, & alterius cujuſcumque ſtatus & conditionis ſub noſtra ditione conſtitutis, & exiſtentibus, ſalutem, & gratiam noſtram. Notum judicamus unicuique pio Chriſtiano, quo vulnere ſauciata ſit Chriſtianitas hac noſtra tempeſtate a perfidis illis Mahumetanis, quapropter meditatio cordis noſtri aſſidua ad id ſummopere invigilat & intenten-

tendit, ut hoſtes Chriſti nominis, quibus tot inſidiis atque damnis laceſſita eſt fides noſtra, & jam vicinum Mahumetum eorum Imperatorem, qui infidelium & paganorum coadunatione multiplicata ruinam & exterminium firma intentione minatur, procul a noſtræ regionis finibus ut arceamus, ne pedes pagani ad noſtra limina ponantur, neve hoc regnum ex improviſa paganorum invaſione & regnicolarum inadvertentia in lacrymabilem caſum involvatur, penituſque dirimatur, quemadmodum ſuperioribus temporibus & in proximis diebus evolutis exemplari intuitu aliis nationibus per eumdem Imperatorem Turcarum illatum fore jam experti ſumus; & quis Chriſti fidelis, & fervidus orthodoxæ fidei amator lacrymas continere poterit conſiderando urbis Conſtantinopolitanæ direptionem? Eja propter prænominati fideles noſtri barones, prælati, nobiles, voivoda, & proceres regni, in primis, & nominati Stephanus Coſſarich noſter, fidelis Herceg S. Sabba cum filiis & vexillis. Radivoi Jablanovich chariſſimus patruus noſter Banus Jaiczæ &c. Stephanus Stanich voivoda Primordiæ, ſeu Maritimæ cum vexillo. Momcillus Thomanovich Ujoræ Banus cum vexillis. Petrus Kovacich voivoda Pounga. Vuk Grebglianovich Comes Liuna, & voivoda Pruſtii cum vexillis. Radivoi Vladmirovich comes & judex curiæ noſtræ cum vexillo. Voivoda Micinovich cum vexillo. Paullus Cubretich voivoda Zuornich & Mazuæ cum filiis & vexillo. Voivoda Joannes Scatich cum vexillo. Vladislaus Vuchich voivoda, præfectus Raſciæ cum filiis, & vexillis. Deijam Altomanovich præfectus Serviæ, & ſuper mineralia referendariorum noſtrorum magiſter cum vexillis. Vuksa Veſelicich voivoda novi Caſtri prope Raguſium & præfectus partium maritimarum cum vexillo. Marcomir Brancovich voivoda Podrimija, ac tribunorum noſtrorum ſupremus magiſter cum tribunis ac centurionibus electis nobis hominibus ſingulorum comitatuum ejuſdem regni noſtri in campo Coſſovino hoc menſe Junio congregati ſuper eo generaliter huic draconi occurrere debemus, ne venenum ſuum ſuper nos evomat &c. Datis Priſtinæ die 3. Junii 1459.

Hujus epiſtolæ apographon in conventu S. Spiritus Foinicæ Fratrum Min. provinciæ Boſnæ Argentinæ in ipſo regno adhuc incorruptum conſervatur. Teſtor ego Fr. Marianus Lecuſich provinciæ ſupralatæ ſecretarius.

Quam ſincero ardentique ſtudio hæreſeos extirpandæ Stephanus flagraret, inſigne documentum dedit anno 1459. cum edictis pœniſque graviſſimis propoſitis juſſit Patarenos omnes, aut regno univerſo excedere, aut catholicam religionem amplecti. Tradunt ad duo millia hæreticorum ad eccleſiæ ſinum confugiſſe; quadraginta vero millia carere patria maluiſſe, quam hæreſi nuncium remittere; horum pleriſque receptum & perfugium præbuit Stephanus Coſſacia dux Hertzegovinæ, quem ferunt eadem Manichæorum inſania laboraſſe. Tres e primariis Boſinæ Dynaſtis, ac Patarenæ impietatis ſigniferos, cum nullis neque adhortationibus, neque minis ab inſanis erroribus revocari poſſent, vinctos Romam rex abduci juſſit; eos ut Pio II. in locum Calliſti ſuffecto ſiſteret vel convertendos, vel puniendos, Natali Epiſcopo Nonenſi commendavit. Pontifex hæreticos homines perbenigne accepit, & viris æque prudentiſſimis ac doctiſſimis in fide catholica erudiendos tradidit, quorum argumentis ac leni blandaque oratione paullatim ſic affici atque immutari Dei beneficio cœpere, ut demum evulſis letalium dogmatum fibris, priorem pertinaciam gemebundi agnoſcerent; ac tandem voluntaria deteſtatione errores omnes exſecrati, ingenti bonorum tum admiratione, tum gaudio, cum eccleſia ſancta in gratiam redierunt. Ex illis duo quidem in patriam reverſi conſtanter in fide ſuſcepta perſeverarunt; tertius vero in ipſo itinere defecit, atque ad ducem S. Sabbæ receptatorem hæreticorum ſe contulit.

Tres Dynaſtæ Boſnenſes ad fidem converſi.

Sed ne ipſe quidem Stephanus rex in bene cœptis conſtantiam & perſeverantiam retinuit. Dum Patarenos hoſtes domeſticos perſequebatur, cum Mahumete II. rege Turcarum fœdus clandeſtinum & amicitiam junxit, eique Zendrem urbem in Raſcia munitiſſimam tradi juſſit; ut vero ſacrilegum facinus ſimulatione tegeret, quemadmodum ceteri reges ac principes chriſtiani, ſic etiam ipſe legatos ſuos ad Conventum Mantuanum miſit anno 1459. quem Pius indixerat, ut Chriſtianorum arma & exercitus contra Turcas ſociali fœdere conjungeret. Duo poſtularunt a Pontifice legati Boſinenſes, primum ut Stephano regium nomen ac diadema conferret, alterum ut duos treſve Epiſcopos ritus latini in ea regione conſtitueret, qui fidem catholicam tuerentur ac propagarent, & a quibus qui deinceps in regnum ſuccederent, regalia inſignia acciperent. Utrique poſtulato vehementer reclamatum eſt ab oratoribus Matthiæ regis Hungariæ; utrumque enim ſupremo regum Hungariæ imperio officere videbatur; Stephanum vero apud Pontificem criminati ſunt, illum fœdus pepigiſſe cum Turcis, arcemque Zendrenſem iiſdem tradidiſſe: quam criminationem diluere Boſnenſes conati ſunt, quod ea, quæ regi crimini dabantur, neceſſitate compulſus feciſſet, ut infeſtas Turcarum copias ab regno averteret. At Matthias, cui non erat clandeſtina Stephani cum Mahumete conſiliorum communicatio, ex qua vires & audacia hoſti communi creſcerent neceſſe erat; tum ſua, tum rei chriſtianæ intereſſe cenſuit, illum de medio tolli ac regno privari. Ajunt igitur Matthiam auctorem fuiſſe Stephano filio ac Radivojo fratri, ut parenti ac fratri necem inferrent: quo ſublato, Catharina ejus conjux, ex qua nihil prolis ſuſceperat, primum in Dalmatiam aufugit, deinde Romam ſe contulit; in eaque urbe reliquam vitam regali cultu & magnificentia tranſegit, ſumptus omnes ærario pontificio ſuppeditante. Hæc moriens anno hujus ſæculi ſeptuageſimo quarto regni Boſnenſis hæredem Eccleſiam Romanam ſupremis tabulis inſtituit. Marmoreo ſepulcro condita eſt in æde Mariana de Ara cæli. Titulus ſepulcralis Slavonicis & Latinis litteris eidem inſcriptus hic eſt.

Stephanus cum Turcis amicitiam jungit.

A filio & fratre interficitur.

Catharinæ ejus conjugis exitus.

ÇATHARINÆ REGINÆ BOSNENSI
STEPHANI DUCIS SANCTI SABÆ,
EX GENERE HELENÆ ET DOMO CÆSARIS STEPHANI
NATÆ, THOMÆ REGIS BOSNIÆ UXORI
QUÆ VIXIT ANNOS LIV.
ET OBIIT ROMÆ ANNO MCCCCLXXIV.
XXV. DIE OCTOBRIS MONUMENTUM
IPSIUS SUMPTIBUS POSITUM.

Stephanus Thomæ ex Vojaccia concubina filius parenti in regnum ſucceſſit anno 1460. Plerique Stephanum Thomam poſtremum Boſinenſium regem fuiſſe exiſtimant, & ſub eo Boſinam a Turcis captam tradunt. Sed mihi pluris eſt auctoritas noſtratium Scriptorum, qui

Stephanus filius Thomaſci in regnum ſucceſſit.

regni Bosnensis interitum ad Stephanum Thomæ filium referunt.

Hic a puero baptizatus, & educatione doctrinaque catholica institutus, tum a Manichæa impietate abhorrebat, tum vero ingenti odio in hostes christiani nominis flagrabat. Nihil prius sibi faciendum censuit, quam ut belli societatem contra Turcas cum Matthia rege Hungarorum coiret. Legati apostolici munere apud eum fungebatur Nicolaus Episcopus Modrussensis, de cujus consilio annuum tributum Quæstori Turcico exigenti animosius quam prudentius negavit. Quod cum Mahumeti nunciatum esset, iracundia & furore exarsit, & injuriam sibi, ut putabat, illatam, igni ferroque ulcisci decrevit. Cum Stephanus belli Turcici molem, cui sustinendæ non erat, regno jam impendentem prospiceret, Romam misit, qui Pium Pontificem edocerent quanto in periculo res publica & christiana Bosnensis versaretur, & auxilium opemque implorarent. Sed nondum oratores redierant, cum ingens Turcarum exercitus Bosinam invasit, duce Mechmeto, qui Bobacium urbem natura & loco munitissimam, & validissimo præsidio firmatam ab Radace homine Manichæo, qui se catholicum esse simulabat, per proditionem recepit; tum regem ipsum Clutii obsessum, vehementerque oppugnatum ad deditionem compulit: quem paucis post diebus contra fidem datam Mahumetes interfici jussit. Ita ceteris urbibus atque oppidis captis, regnum universum intra octo dies in Turcarum potestatem pervenit anno 1463.

Victus a Turcis regnum ac vitam amisit.

Quæ de statu rei christianæ Ecclesiæque Bosnensis sub postremis duobus regibus breviter exposui, omnia referenda censui ad Episcopatum Stephani Radosnichii, de quo nihil, præter nomen, memoriæ proditum est; dubitari tamen non potest, quin rebus omnibus pro hæresi extirpanda & religione catholica tuenda augendaque susceptis ac gestis ipse interfuerit, seu potius præfuerit. Nec vero satis constat utrum ad hæc usque tempora, & regni Bosnensis interitum vitam perduxerit. A Bosina capta usque ad annum 1469. qui huic ecclesiæ præfederit, nullum invenio, & verisimile est sedem episcopalem quinque aut sex annos vacasse. De rebus ecclesiasticis, quæ ad hoc pontificale interregnum pertinent, nonnulla subnectam.

Stephani Episcopi exitus ignotus.

Interregnum Episcopale Bosnense.

Post arces præcipuas vi aut deditione captas, Turcarum exercitus cædibus & incendiis totam regionem peragravit; multa hominum millia cæsa, virgines ingenuæ violatæ, illustres matronæ ad explendam regis libidinem abductæ, ædes sacræ & profanæ direptæ, templa & altaria sacrilegiis polluta, nihil relictum a crudelitate iraque barbarica intactum. Cum plerique nobilium ac principum virorum fuga dilapsi in Dalmatiam se recepissent, Christianis, qui remanserunt, una cum jugo Turcicæ servitutis grave tributum impositum; huic ut se eximerent, non pauci a Christo ad Mahumetem per summam impietatem defecerunt; sed probrosa illa defectio adeo illis non profuit, ut vel ipsis Turcis non solum contemptui, sed etiam odio essent, & acerbioribus, quam ceteri, exactionibus subjicerentur; atque etiamnum illorum posteri despicatissimi omnium & contemptissimi habentur, quos Turcica lingua *Balic*, idest ignavos vocant. Ac Matthias quidem rex Hungariæ cum aliquot oppidis Jayczam nobilissimam urbem recepit, ab ejusque obsidione Mahumetem ipsum cum ejus validissimo exercitu repulit, & fugavit. Quam civitatem cum aliqua regni Bosnensis parte Hungari in sua potestate retinuerunt usque ad annum 1527. Reliqua omnis regio sub imperio Turcarum permansit.

Post Bosinam amissam christiana incolarum institutio & rerum sacrarum procuratio devoluta est ad Patres Franciscanos, qui etiamnum apud eas gentes parochorum officio funguntur: ceteris enim rei christianæ curatoribus abeuntibus, illi soli nullis incommodis, aut periculis deterriti, in ea, quam susceperant, cura & custodia gregis Dominici constantissime perseverarunt. *Fratres Vicariæ Bosnensis*, ait Vadingus, *post devictum a Turcarum rege Bosnæ regnum, regemque Thomam* (Stephanum) *occisum, etsi triginta & plura loca perdiderint, multique ex ipsis trucidati sint; nihilominus quod bonorum erat virorum, præstare non destiterunt; & christianos in fide continuerunt &c.* Quocirca quidquid reliquum est in Bosina christiani nominis ac religionis, id omne attribuendum est indefessæ vigilantiæ & sollertiæ, assiduis curis, & apostolicis laboribus Patrum Minorum S. Francisci, quibus ab observantia cognomen est. Illud quoque eorumdem pulcherrimum factum fuit, & singulari memoria dignum, quod corpus S. Lucæ Constantinopoli, ut ajunt, paucis ante annis primum ad insulam S. Mauræ, deinde Jayczam translatum & summa ibidem veneratione cultum, inter direptionem & tumultum captæ urbis, sacrilegis manibus iniquæ gentis eripuerint: id quod Vadingus his verbis narravit. *Profligati inter alios Franciscani ex munitissima arce Jayczæ, de qua dictum est anno* 1458. *felici ausu, dum urbs diriperetur, corpus S. Lucæ Evangelistæ illuc Constantinopoli translatum subtraxerunt, & Venetias delatum Christophoro Mauro piissimo Principi ea conditione donarunt, ut liceret eis domos & habitacula, quæ in dominio Veneto sub nomine & regimine provinciæ Bosnensis hactenus possederant, libere & sub patrocinio Reip. deinceps incolere; aliosque adderet Serenissimus Princeps conventus provinciæ Dalmatiæ, colligendis Fratribus Bosnensibus e suis sedibus expulsis. Sacri pignoris religiosos delatores pius Princeps honorificentissime prosecutus, reliquias in templum S. Nicolai ad littus exstructum ex navi deferri curavit, quas sollemni apparatu ad ecclesiam S. Bernardini, alias a S. Jobo nuncupatam, a se mirifice in hunc finem exornatam, transferre, & pretiosa theca reponere cogitabat.* Sed corpus illud Venetias delatum Lucæne Evangelistæ fuerit, an alterius sancti viri, cui Lucæ quidem nomen esset, sed qui tum dignitate, tum ætate esset inferior, merito dubitari potest; nam cum Monachi Patavini S. Justinæ apud se beatissimi illius Evangelistæ exuvias asservari multis & gravibus argumentis contenderent, de corpore illo e Bosina translato magna exorta est controversia; & quamvis Bessarion Cardinalis Nicænus, rationibus & monumentis, quæ utrinque afferebantur, diligenter auditis, inspectis, perpensis, secundum Bosnenses judicaverit; ab ejus tamen sententia Patres Benedictini appellarunt, & adhuc sub judice lis est. In hac controversia, ut quid veri esset dignosceret Christophorus Maurus, Andreæ Venerio Comiti seu Prætori Spalatensi negotium per litteras dedit, ut diligenti perquisitione adhibita rem omnem investigaret, & quæ ex idoneis testibus & monumentis comperisset, ad se

Patres Franciscani sub dominatu Turcarum reliquias Christianæ religionis tuentur.

Corpus S. Lucæ ex urbe Jayczæ Venetias deferunt.

per-

perſcriberet. Reſponſum Comitis Spalatenſis huc tranſcribere placuit.

Reſponſum Andreæ Venerii Comitis Spalati de veritate corporis S. Lucæ Evangeliſtæ Jayczæ Veneras translati.

Illuſtriſſimo Principi & Domino Excellentiſſimo D. Chriſtophoro Mauro Dei gratia Veneto Duci inclyto. Illuſtriſſime Princeps & Domine Excellentiſſime, Domine mi ſingulariſſime. Per adempir i mandati de la V. I. S. per execution de due ſoi lettere date adi XVIII. del paſſato, a me directe: contignendoſe, che ogni auxilio, e favore doveſſe dar ali portatori Fratti obſervanti, che preſento diete lettere: sì per via de Boxina, commo per cadauno altro luogo a trovar ogni ſcrittura, e dichiaration per verification del corpo de miſo San Luca va alà V. I. S. preſentando; e ulterius doveſſe etiam mi inquirir ſimiliter cum ogni verità ferma. Per la qual coſa che dato ogni opera a mi poſſibile cerca queſto, & ogni conſeio e favor me hano requeſto ditti Fratti. Unde inter cetera parlato cum la Sereniſſima Regina olim de Boxina, cum Nicola Chivatovich, Jovan Babith, e Jovan Cucich Zentilomeni de Sineder, ſuoi ſervidori, me hano narado e affermado in queſto modo de queſto ſanto corpo, che quelo ala V. I. S. preſentado è vero corpo de miſo San Luca, el qual era in Conſtantinopoli, e translato ne le terre di Signori di Sancta Maura: ma non ſano perche modo in uno caſtello, che ſe chiama Rogos, e quel caſtello da poi fu preſo per li Turchi, el ditto corpo rimaxe in man de Turchi, el mandò a comprar e ſil comprò ſecondo li crede, ma non ſa di certo per Ducati 30000. e feze portar el ditto corpo in Smedeuno; e poi volendo dar quello el Re Tomaxo olim de Boxina a Turchi, cavò fuora el ditto corpo, e fezelo portar in uno caſtello, che ſe chiama Telzach: e poi ſucceſſivamente el Turco volſe el ditto Telzach haverlo dal Re Tomaxo, el ditto Rè cavò fuora el ditto corpo glorioſo, e fezelo portare in Iaiza, e dotege al caſtello, e li ſtette in Iaiza fina al preſente, e mo tolto de li per li Fratti, e per lo Vayvoda Ivanis, ancora dice, che, ſe de queſto ſe vuol aver piena information, mandaſſe a domandar li Signori di Sancta Maura; altro dicono non ſaper, ma chel ditto corpo glorioſo è de la dota ſua; e queſto è quanto informatione ho havuta cerca quello. Inſuper quelli Fratti hanno trovato certi privilegii, e ſcritture in greco, li quali vederà la V. I. S. a la qual tutto ſignifico, cujus gratiæ me ſemper humiliter commendo. Spalati die 15. Septembris 1463. Excellentiæ veſtræ mandato Andreas Venerio Comes Spalati.

Sedes Epiſcopalis Boſnenſis Diacovi conſtituta.

Anno fere ſexto poſt Boſinam Chriſtianis ademptam, ſui Boſnenſibus Epiſcopi iterum creari cœperunt: ſed cum in ea regione ſub Turcarum imperio tutis eſſe non liceret, ſedem epiſcopalem Diacovi in urbe Slavoniæ inter Savum & Dravum collocarunt. Sita eſt in confiniis diœceſeon Quinqueccleſienſis & Sirmienſis, validis operibus munitionibuſque ſepta; quam poteſtati utriuſque Antiſtitis exemptam reges Hungariæ Epiſcopis Boſnenſibus cum toto territorio Diacovenſi, longe lateque porrecto, donarunt. Exinde civitas Diacovi epiſcopalis eſſe cœpit, ejuſque Epiſcopus *Boſnenſis alias Diacovenſis* cognominari. Verum Joſeph Chiolnich hodiernus Epiſcopus Boſnenſis, ſeu Diacovenſis docet, antequam Epiſcopi Boſnæ ſedem epiſcopalem Diacovum transferrent, huic civitati jam inde ab antiquis temporibus ſuos fuiſſe Epiſcopos, ſuam ædem cathedralem S. Petri, ſuum itidem collegium Canonicorum; idque auctoritate Bonfinii Hiſtorici Hungarici celeberrimi, itemque duorum regalium Diplomatum Vladislavi, & Ferdinandi III. Imperatoris, regum Hungariæ confirmat. Vide Appendicem hiſtoriæ eccleſiaſticæ Boſnenſi adnexam. Auctor Topographiæ Hungaricæ tradit Epiſcopis Boſnenſibus ſedem Diacovi datam fuiſſe a Bela IV. qui ſæculo decimo tertio rerum in Hungaria potiebatur. *Sedes hic quoque* (Diacovi) *Boſinenſis, ſive Boznenſis,* (*ut majores ſcripſere*) Epiſcopi . . . *Crediderim juris hujus originem rejiciendam ad Belæ IV. regis tempora, quem indubitatum mihi eſt Epiſcopo Boſinenſi eccleſiam cathedralem cis Savum erigi mandaſſe.*

Turcarum erga Patres Franciſcanos veneratio.

Præter hanc partem Slavoniæ, in qua Diacovum, ſubeſt Epiſcopis Boſnenſibus ampliſſima regio & eccleſia regni Boſnæ, quam plerumque abſentes gubernare ſolebant opera & miniſterio adhibito Patrum ordinis Franciſcani diſciplinæ ſeverioris; ex quo poſtea plerique Epiſcopi electi ſunt ad hanc eccleſiam regendam. Hi ſtatis quidem temporibus diœceſim ritu epiſcopali luſtrabant; ſed communi Fratrum ſuorum induti veſtitu, ne pontificiam ſanctitatem gentis non ſanctæ injuriis atque irriſionibus objicerent. Habitus enim cultuſque Franciſcanus eſt Turcis in veneratione: & cum ſpectata virtus vel ipſos improbos, qui ab ea maxime abhorrent, in ſui admirationem amoremque impellat; optimi illi Patres ſingulari innocentia vitæ, ac morum integritate, auctoritatem pariter & gratiam ſibi apud Turcas conciliarunt. Ob hanc cauſſam reges Turcarum plura illis privilegia regiis diplomatibus firmata conceſſere; atque in primis libera illis poteſtas facta eſt chriſtianas parœcias adminiſtrandi, & omnia, quæ parochorum ſunt, munia peragendi; ne quis negotium illis faceſſat, aut moleſtiam exhibeat, ſevere interdictum eſt: ac præterea omnia, aut pleraque, quæ vel ad ipſorum victum & veſtitum, vel ad cultum divinum pertinent, immunia nullique portorio obnoxia eſſe jubentur. Verum ſæpe accidit prætorum iniquitate atque avaritia, ut illorum domicilia, reſque familiaris, libertas, ac vita ipſa in diſcrimen vocetur; nec pauci falſis calumniis circumventi, aut verberibus cæſi, aut capite damnati, pœnas, quas non debent, luere coguntur; niſi præſens & copioſa pecunia ſuppetat, qua & cupiditatem alienam expleant, & injuſtas acerbiſſimaſque vexationes redimant. Tria nunc ſunt in Boſina illorum cœnobia primaria, præter alia plura domicilia tum intra, tum extra fines Boſinæ, ex quibus nunc conflatur provincia Franciſcana Boſnenſis.

Qui deinceps Eccleſiæ Boſnenſi præfuerunt ex Franciſcana familia, quamvis multa & præclara geſſerint, memoria ac litteris digna, nulliſque incommodis, aut laboribus, aut periculis pepercerint, ſi quando neceſſitas poſtulabat, ut gregis ſibi concrediti commodis & ſaluti proſpicerent, ac partes omnes epiſcopalis officii peragerent; illorum tamen acta vel nemo ſcriptis mandavit, vel ſi quæ litteris conſignata ſunt, ea præter pauca quædam nanciſci ac videre non licuit. Itaque præter nomina Epiſcoporum aut nihil, aut pauca ſunt, quæ eorumdem nominibus ſubjiciam. De Boſnenſibus Epiſcopis poſt Boſinam a Turcis ſubactam hæc nobis reſcripſit P. Philippus. *Poſt invaſionem Turcarum in Boſnam, qui fuerunt de noſtro ordine, ſive Epiſcopi, ſive adminiſtratores Epiſcopatus Boſnæ, hi ſoli reipſa tales fuerunt. Ceterum quot-*

quot fuerunt extra ordinem, nullus umquam fuit re, ſed nomine ſolum Epiſcopus Boſnæ, quia nullus eam luſtravit, nec ingreſſus eſt. Sicuti & in præſentiarum Epiſcopus Boſnenſis, alias Diacovenſis, quid niſi nomine & cenſu, quod ex Dominio Diacovenſi, tributo a regia cæſarea majeſtate propter jus patronatus illum nominandi, trahit, talis dicitur? reipſa autem nobis, & toti Chriſtianitati Boſnenſi numero ultra quam 50000. *omne ſervitium, omniſque conſolatio ſpiritualis deeſt; ni ex noſtro ordine & provincia haberemus nobiſcum Vicarium Apoſtolicum haud multis ante annis conceſſum*. Nunc vero perſequamur ſeriem Epiſcoporum Boſnenſium, ſive Diacovenſium,

BENEDICTUS III. EP. BOSNEN. XXIII.

Nominatus eſt in privilegio Matthiæ regis Hungariæ, Tomco Marnavichio de Zuonich conceſſo an. 1469. Kalendis Martii, vocaturque *Benedictus electus & confirmatus Boſnen.*

MATTHIAS EP. BOSNENSIS XXIV.

Martinus Szentivanius *in Diſſertatione Paralipomenica rerum memorabilium Hungariæ* Epiſcopatum Boſnenſem Matthiæ refert ad ann. 1486. Quinquennio poſt e vita deceſſit. Extat diploma Matthiæ regis Hungariæ, quo immunitates Præpoſiti eccleſiæ B. Mariæ Magdalenæ ratas eſſe juſſit an. 1489. IX. Kal. Julii. In eo nominatur *Stephanus electus Boſn.* Sed hujus electio fruſtra fuit; nam Matthiæ proxime ſucceſſit

Stephanus Epiſc. Boſnenſis electus.

LUCAS EP. BOSNENSIS XXV.

Lucas Ep. Boſnen. translatus ad Eccleſ. Chanadien.

De quo in tabulis Romanis actorum conſiſtorialium: *Anno* 1491. *decima Januarii providit* (Innocentius VIII.) *de perſona R. P. D. Lucæ Boſnenſi Eccleſiæ in Hung. per obitum Domini Matthiæ ultimi illius poſſeſſoris vacanti*. Eumdem poſt biennium Alexander VI. tranſtulit ad Eccleſiam Chanadienſem in extremis Hungariæ finibus ſitam: 1493. 4. *Novemb. abſolvit R. P. D. Lucam Epiſcopum Boſnenſem a vinculo &c. eumque ad Canadienſem Eccleſiam tranſtulit*.

GABRIEL EP. BOSNENSIS XXVI.

Gabriel Ep. translatus ad Sirmien.

Huic eccleſiæ, cum menſes amplius quinque Epiſcopo caruiſſet, idem Alexander Papa VI. præfecit Gabrielem Polver, ut eſt in tabulis modo laudatis. 1494. 7. *Aprilis providit de perſona D. Gabriclis Polver Boſnenſi Eccleſiæ in Hungaria vacanti per translationem D. Lucæ de ipſa Boſnen. ad Canadien. factam, ut ſupra*. Cum præfuiſſet annos circiter ſeptem, Boſnenſem cum Sirmienſi Eccleſia commutavit. Dum Gabriel eidem eccleſiæ præſidebat, F. Angelus a Verboſa Franciſcanus, vir eximiæ ſanctitatis, plenus apoſtolici ſpiritus, & de re chriſtiana Boſnenſi in primis optime meritus, migravit ad ſuperos anno 1498. Foinizæ in cœnobio S. Spiritus, ibique ſepultus eſt, ac titulum Beati apud ſuos obtinuit.

MICHAEL EP. BOSNENSIS XXVII.

Anno 1502. 30. *Maji providit* (idem Alexander) *de perſona Michaelis Cheſulii Eccleſiæ Boſnenſi vacanti per translationem D. Gabrielis ad Eccleſiam Sirmienſem dudum factam*. Ex iiſdem tabulis. Hunc Martinus Szentivanius vocat *Michaelem Keſſeru de Cybat*. Anno 1515. interfuit cum aliis Epiſcopis Hungariæ ſollemnibus nuptiarum, quas Viennæ Ludovicus junior Hungariæ rex deſignatus cum Maria nepte Maximiliani Cæſaris celebravit, ut docet P. Nicolaus Schmitth. Jayczam, & aliquot alias urbes Boſinæ, quas Matthias recuperaverat, adhuc in poteſtate retinebant reges Hungariæ. In his cum religionis chriſtianæ cultus liber eſſet ab omni metu & periculo, non ſolum Epiſcopis Boſnenſibus tuto licebat conſiſtere, & rebus divinis operam dare; ſed etiam pontificalia ſacra ibidem peragendi poteſtas per Sedem Apoſtolicam fieri ſolebat Epiſcopis finitimis, permiſſu tamen Antiſtitis Boſnenſis, quod illis ad ſuas eccleſias Turcarum imperio ſubjectas acceſſus intercluſus eſſet: cujuſmodi poteſtatem per ea tempora Chrobatienſi, ſive Tinninienſi, itemque Scopienſi Epiſcopis factam fuiſſe invenio in tabulis actorum conſiſtorialium. *Anno* 1517. 20. *April. Providit in titulum D. Matthiæ de Vado . . . de Eccleſia Croacienſi ſub Metropolita Spalatenſi in partibus infidelium, conceſſitque licentiam exercendi pontificalia in civitate & diœceſi . . . Boſnenſi, tamen de conſenſu Epiſcopi, & quod non teneatur &c.* Anno 1518. 10. *Decemb. Providit D. Benedicto lectori & canonico Bacchienſi de Eccleſia Scopienſi in partibus infidelium certo modo vacanti, cum retentione beneficiorum ſuorum; & licentiam conceſſit exercendi pontificalia in civitate & diœceſi Boſnenſi, tamen cum licentia Epiſcopi, & quod non teneatur ad Epiſcopatum Scopienſem accedere*: Michaeli Cheſulio in Epiſcopatum Boſnenſem anno 1516. ſucceſſit

DONATUS EP. BOSNENSIS XXVIII.

Hic nobis cognitus eſt, itemque ejus nobiliſſima familia ex epiſtola Franciſci Piſauri Archiepiſcopi Jadrenſis, inſcripta *Reverendo in Chriſto Patri D. Donato a Turre Epiſcopo Boſinenſi & locum tenenti Veglienſis Jal. &c.* Data eſt anno 1516. & ſervatur in Archivo Archiep. Jadren. Natalis a Turre Epiſcopus Veglienſis, cum Concilii Lateranenſis cauſſa Romam profecturus eſſet, ne quid detrimenti e paſtoris abſentia caperet res chriſtiana & eccleſiaſtica, ejus procurationem commiſerat Donato fratri ſuo vel conſanguineo. Huic autem Archiepiſcopus Jadertinus in illa epiſtola virgines cœnobii SS. Angelorum commendabat; illumque admonebat, ut plenam integramque libertatem eligendæ Antiſtitæ eiſdem relinqueret, neve illarum jura & privilegia diminutum iret.

GEORGIUS II. EP. BOSNENSIS XXIX.

Cognomen ei fuit Paliſnæo, ſive Palinoro, ut placet Szentivanio; quo teſte, *Vir fuit omni ſcientia, & vitæ integritate clarus*. Occubuit cum aliis Hungaricis Epiſcopis anno 1526. in eo prælio apud Mohaczium, quo Ludovicus Hungariæ & Bohemiæ rex a Solimano Turcarum Imperatore victus cæſuſque interiit. *Regem inter alios* (ut ſcripſit Nicolaus Iſthuanſius lib. v. de rebus Hungaricis) *complures etiam Epiſcopi ſunt ſecuti, quos inter Georgius Paliſnæus Epiſcopus Boſnenſis, qui in ea expeditione plura geſſit commendatione digna . . . Periit rex ipſe, & cum Tomoreo Colocienſi Archiepiſcopo omnes*

nes fere Epiſcopi, videlicet Ladislavus Archiep. Strigonien. . . . & Georgius Paliſnæus Boſnenſis juris ſcientia clarus. Poſt cladem Mohaczianam ſecuta eſt anno proximo deditio arcis & urbis Jayczienſis, quam Solimanus poſt aliquot Boſinæ oppida capta, paucis ante annis fruſtra obſederat, ingentique clade repulſus fuerat. Ita univerſa Boſina ſub Turcarum imperium recidit, cui etiamnum ſubeſt. In eo bello cœnobium Franciſcanum, quod erat Suteſchæ in oppido Boſnenſi, a Turcis everſum fuit, ac deinde induciis cum Solimano redintegratis, reſtitutum, de quo Vadingus Tomo VIII. Annal. *Cœnobium alterum ædificavit pius populus, & ampliavit rex Thomas prope pagum Suteſchen & Curiam Bani, olim regum ſedem, ſub nomine S. Joannis Baptiſtæ, quod immaniſſimi Turcæ anno 1524. ſimul cum aliis tribus funditus everterunt, occiſis partim Fratribus, partim mutilatis, aliis in fugam converſis. Ceſſante hoc turbine, datis magnis muneribus Turcarum præfectis, impetraverunt Patres facultatem locum aliqualiter reſtaurandi ex dirutis ruderibus; ibique magno Chriſtianorum ſolatio &c. Prægrandis illic conſpicitur crux a S. Bernardino, uti fertur, conſecta, quæ aereas tempeſtates, Dæmonibus formidabilis, depellit.*

Jaycza, & omnis reliqua Boſina ſub Imperio Turcarum recidit.

BLASIUS EP. BOSNENSIS XXX.

Hujus itemque proximi Epiſcopi notitiam acceptam referre debeo P. Lucæ Vladmirovichio viro clariſſimo ex ordine Franciſcano rigidioris obſervantiæ, quam mihi communicavit ex codice Illyrico Mſ. cœnobii S. Mariæ de Zaoſtrogh; ſed neutrius Epiſcopatum notis chronologicis conſignavit. Uterque familiæ PP. Minorum S. Franciſci alumnus fuerat. Blaſium hunc e gente Cavacichia, cum Roma rediret, Turcæ per calumniam malitiamque criminati ſunt illum attuliſſe vexilla Pontificis Romani, ſub quibus milites cogeret, ac gentes illas ſollicitaret ad Turcas expellendos, & regionem Pontifici tradendam. Ad necem quæſitus cum fugeret, in trajectu Drini fluminis ſubmerſus eſt. Rabies Turcarum verſa cum eſſet in Patres Franciſcanos, quos ejuſdem proditionis participes eſſe calumniabantur, parum abfuit quin omnes interficerent. Grandi pecunia opus fuit ad vitam illorum tuendam, & Turcarum cupiditatem explendam. *De hoc habemus*, inquit P. Philippus, *quod inſimulatus a Turcis proditionis patriæ, dum eos fugit, Drini fluminis ſuffocatur undis.*

THOMAS EP. BOSNENSIS XXXI.

Cujus cauſſa (inquit P. Lucas) plurimas & graviſſimas Turcarum vexationes perpeſſi ſunt Patres Franciſcani; quibus ſe ut eximerent, non exiguam pecuniæ ſummam ab his perſolvi oportuit. Huic enim idem, ac deceſſori, crimen proditionis falſo ac malitioſe affingebant. *Pater Thomas Skoroevich, de quo habemus, quod cum eamdem, ut mox diximus, inſimulationem pateretur; provincia emendicatis eleemoſynis non parvæ quantitatis eum juſtificavit pecunia enumerata.* Ex reſponſis P. Philippi. Epiſcopatum Blaſii ac Thomæ brevem fuiſſe neceſſe eſt. Nam e Tabulis Romanis colligitur poſt Thomam plures annos eccleſiam Boſnenſem ſuo & proprio Epiſcopo caruiſſe. Cum autem vacaret, ejus adminiſtratio committi ſolebat alicui e finitimis Epiſcopis, vel omnis rei chriſtianæ procuratio in Patres Franciſcanos incumbebat.

Interregnum Epiſcopale Boſnenſe.

ANTONIUS EP. BOSNENSIS XXXII.

Erat hic quoque ex ordine S. Franciſci, quem Vicariæ Franciſcanæ Boſnenſi præpoſitum fuiſſe ſcripſit Martinus Szentivanius. Hunc anno 1573. Gregorius XIII. Epiſcopum Eccleſiæ Boſnenſi longo intervallo reſtituit; ut ſcriptum eſt in tabulis actorum conſiſtorialium ſub anno 1573. 26. *Auguſti providit Eccleſiæ Boſnæ Argentinæ, quæ provincia Turcarum tyrannide jam annis centum & amplius* (ideſt ab interitu Stephani regis poſtremi) *opprimitur, & ab eo tempore proprio caruit Epiſcopo, de perſona religioſi viri F. Antonii Poli de Matthæis ord. S. Franciſci de obſervantia dictæ provinciæ Minorum; ipſumque dictæ eccleſiæ in Epiſcopum & Paſtorem præfecit, cum poteſtate exercendi pontificalia non ſolum in ſua eccleſia & diœceſi, ſed etiam in locis finitimis ſub dominio Turcarum, in quibus ſunt Chriſti fideles, & proprium Epiſcopum non habent.* Cum dicitur Eccleſia Boſnenſis Epiſcopo caruiſſe per annos centum & decem poſt Boſinam a Turcis captam, intermediorum Antiſtitum memoria exciderit oportet. Ceterum in his ipſis tabulis quatuor Epiſcopi nominantur, Matthias, Lucas, Gabriel, & Michael, quorum tres priores ad ſuperius, quartus ad hoc ſæculum pertinent. His adde alios quatuor Donatum, Georgium, Blaſium, Thomam, qui licet tabulis conſiſtorialibus adſcripti non inveniantur, aliunde tamen conſtat eos in catalogum Epiſcoporum Boſnenſium referendos eſſe. Quocirca interregnum epiſcopale, quod poſt Thomam ſecutum eſt, annis circiter quadraginta diuturnius eſſe non potuit. Quem Tabulæ Romanæ *de Matthæis*, eum P. Lucas Vladmirovichius lingua Slavonica *Matthæovichium* cognominavit. Hic cum Roma rediiſſet, eum Turcæ calumniari cœperunt, quod ingentem pecuniæ vim retuliſſet, ut Chriſtianos largitionibus corrumperet, eoſque ad defectionem ab imperio Turcico impelleret. Haud multo poſt cum apud Poſegam urbem Slavoniæ diem obiiſſet, Turcæ agmine facto cœnobium Franciſcanum invadunt, cuncta miſcent, evertunt, ſcrutantur, ipſumque, in quo conditus fuerat, ſepulcrum reſerant, ut quam ſibi opinionis errore, vel potius malitia confinxerant, pecuniam invenirent. Ea non inventa Fratres adoriuntur, verberibus cædunt, necem minantur, niſi argentum exprompant, quod ab illis reconditum eſſe ajebant. Nummos argenteos, quos regales vocant, amplius mille numerari oportuit, ut a direptione ac cæde abſtinerent. Antonii morte res chriſtiana Boſnenſis ad interregnum rediit: nam ejus adminiſtrationem commiſſam fuiſſe invenio F. Nicolao Ugrinovichio Epiſcopo Samandrienſi, cujus nomine juſſuque F. Franciſcus Craſſus anno 1587. interfuit Concilio provinciali Spalatenſi; in hujus enim actis ita legitur. *Reverendus F. Franciſcus Craſſus de Arbe Sacræ Theologiæ magiſter ord. Min. Convent., ſancti officii Vicarius pro Reverendiſſimo Patre D. Nicolao . . . Epiſcopo Samandrienſi, & adminiſtratore Eccleſiæ Boſnen. Argentinæ.*

F. Nicolaus Ugrinovichius adminiſtrator Eccleſ. Boſnen.

FRANCISCUS EP. BOSNENSIS XXXIII.

F. Franciſcus de S. Stephano miniſter provincialis ordinis FF. Minorum de obſervantia Boſnenſis Epiſcopus confirmatus 14. *Novemb.* 1588. Martinus Szentivanius. Idem confirmant tabulæ Romanæ ſub anno 1588. 14. *Novemb. Providit* (Sixtus V.) *Eccleſiæ Boſnenſi, in regno eodem a Turcis jampridem occupato & vaſtato, per obitum Antonii Epiſcopi paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona religioſi viri F. Franciſci ejuſdem provinciæ Boſnæ Argentinæ, ex ordin. Min. de obſervantia, Sacræ Theologiæ profeſſoris a ſuo ſuperiore probati; ipſumque dictæ eccleſiæ in Epiſcopum præfecit, cum facultate viſitandi eccleſiam & diœceſim Belgradi, locaque finitima Turcarum tyrannide oppreſſa, in quibus nullus eſt Epiſcopus catholicus, & in eis pontificalia munia exercendi, prout dicto Antonio prædeceſſori conceſſum fuerat, cum decreto, quod antequam poſſeſſionem adipiſcatur, fidem profiteatur.* Inter Antonium & Franciſcum unus ſaltem, alterve annus ſedis vacantis interfuerit oportet : quippe anno ſuperiori 1587. ab Epiſcopo Samandrienſi rem chriſtianam Boſnenſem adminiſtratam fuiſſe conſtat. Ex codice Mſ. P. Lucæ huic *Ballichevichii* cognomen fuit. Cum Romam ire decreviſſet, hinc ſibi oblatam putarunt Turcæ occaſionem dolos & fraudes in eum commoliendi. Vide jam quid excogitaverint. Idcirco eum Romam proficiſci ajebant, ut ſummo Pontifici tributa deferret, quæ a Chriſtianis Boſnenſibus exegerat. Cum ergo cognitum eſſet illum Romani itineris cauſſa veniſſe in oppidum Zaoſtrogh, illuc aviditate & furore inflammati advolant. Sed ille de ſcelerata coitione certior cum factus eſſet, jam diſceſſerat; & cum ad littus petere feſtinaſſet, celeri navicula delatus in ſcopulum S. Georgii ſe abdiderat. Incredibile dictu eſt quam irato animo tulerint prædam illam, quam & opulentam & certiſſimam fore ſperabant, ſibi propemodum e manibus ereptam eſſe. Efferati rabie iram furoremque omnem effundunt in cœnobium Franciſcanum. Præſidem Paullum Jachichium ſuppliciis torquent acerbiſſimis, ut ab eo vocem exprimant indicem loci, ubi Epiſcopus & tributum latebant; nihil proficiunt; monaſterium expilant, & quidquid invenire potuerunt, ſimul cum equis Epiſcopi abſtulerunt. Ut vero a cædendis cruciandiſque Fratribus abſiſterent, libertas, ſalus, ac vita nummis regalibus quamplurimis redimenda fuit. Franciſco Epiſcopo interregnum pontificale plurium annorum ſubjiciunt Tabulæ Romanæ.

Direptio cœnobii Franciſcani.

Verum P. Philippus de Ochievia, ſecluſo omni interregno ex tabulis ſuæ provinciæ vitam & Epiſcopatum P. Franciſci Ballichevichii uſque ad annum decimum quintum proximi ſæculi perduxit. *De hoc habemus*, inquit, *in noſtris protocollis, quod anno D.* 1587. *electus fuerit in miniſtrum provincialem. Subinde anno* 1589. *conſecratus fuit pro Epiſcopo Boſnenſi. Hic anno* 1607. *in feſto S. Matthiæ conſecravit eccleſiam S. Spiritus Foinicæ. Obiit vero* 1615. *die* 2. *Februarii in eodem conventu noſtro S. Spiritus Foinicæ; & in eadem eccleſia mox laudata ſepultus eſt inter altare Annunciationis, & S. Franciſci.* Cum his optime cohærent quæ in ſuis ad Sacram Congregationem litteris ſcripſit Marinus Archiepiſcopus Antibarenſis, idemque Primas regni Serbliani. Hic anno 1610. cum ex mandato Sedis Apoſtolicæ Serbliam & finitimas regiones luſtraret, Boſinam refertam reperit Chriſtianis ritus latini, ſingulari probitate ac religione præditis, ut ipſe ait, quos aſſidua cura & diligentia ad omnem recte credendi pieque vivendi rationem erudiebant, ac divinis myſteriis impertiebant Patres Franciſcani de obſervantia cognominati *ſub regimine*, inquit, *unius Epiſcopi, qui vocatur P. Franciſcus Ballichius* (ideſt Ballichevichius) *ex eadem D. Franciſci diſciplina ac familia.* Hæc ſi vera ſunt, ſi Franciſcus Ballichevichius Epiſcopus Boſnenſis anno 1610. adhuc ſuperſtes erat, quin immo ex monumentis provinciæ Franciſcanæ Boſnenſis vixit uſque ad annum 1615.; tabulis conſiſtorialibus quid facies, quæ Franciſco demortuo interregnum aliquot annorum ſubjiciunt, deinde inter annos 1600. & 1610. tres ipſos Epiſcopos interjiciunt Aloyſium de Vilasko, Franciſcum Erghelium, & Joannem Thelegdinum? Hæc inter ſe pugnantia optime vidit P. Philippus. *Conſtat*, inquit, *quod P. Franciſcus Ballichevich vixerit in Epiſcopatu Boſnenſi annis* 26. *ſi non plus. Mirum igitur qui potuerunt eſſe Epiſcopi Boſnenſes eadem tempeſtate alii uſque ad annum* 1610. *quibus annis P. Franciſcus Ballichevich vivebat, cum ſit mortuus an.* 1615. *Putaverimus id ita conciliari debere, quod P. Franciſcus Ballichevich forte a S. Congregatione fuit factus prius Epiſcopus Boſnenſis, quam a Corona Hungarica, quæ jus patronatus ſibi vendicat, propoſitus: quocirca illi alii durante vita hujus ſolum nominati fuerant, non vero conſecrati; nam etiamnum plures ſunt in Hungaria Epiſcopi inconſecrabiles nominati pro Dalmatiæ Epiſcopatibus, propter neſcio qualem prætenſionem; in quibus tamen extant Epiſcopi conſecrati pro eodem titulo.* Hæc ille ſcienter ac præclare, quibus pauca explicationis gratia ſubjungere libet. Hiſce temporibus Imperatores uſurpare cœperunt, vel potius jampridem uſurpabant jus nominandi Antiſtites Boſnenſes, ſive quod obtinerent regnum Hungariæ, ad cujus ditionem olim Boſina pertinebat, ſive quod eorumdem conceſſu Epiſcopi Boſinæ ſedem Diacovi conſtituiſſent in urbe Slavoniæ Archiducibus Auſtriæ ſubjecta. Itaque cum Franciſcus Ballichevichius regia & cæſarea nominatione caruiſſet, quamvis legitimus eſſet Boſinæ Epiſcopus a Sede Apoſtolica conſtitutus; tamen perinde ac ſi Epiſcopatus ille ac titulus epiſcopalis vacaret, Rodulphus II. Imperator anno 1600. Aloyſium de Vilasko, ac deinde alii Imperatores alios atque alios Epiſcopos Boſnenſes nominarunt. Clemens VIII. ut lites vitaret, & paci conſuleret, Rodulpho morem geſſit, & adminiſtratione epiſcopali Franciſco relicta, quem Cæſar nominaverat, Boſnenſem Epiſcopum recepit atque approbavit; itemque Paullus V. eodem Rodulpho poſtulante Franciſcum Erghelium anno 1607. & Joannem Thelegdinum anno 1610. quem Matthias rex Hungariæ futurus Imperator deſignaverat, Epiſcopos Boſnenſes creavit. Sed poſt Thelegdinum quatuor Epiſcopos ab Imperatoribus Hungariæ regibus nominatos invenio, qui pontificia approbatione caruerunt, ut infra dicemus. Reliquos deinceps, quos Cæſares reges Hungariæ nominarunt, Pontifices itidem approbarunt. Sed præter eos, qui ex ordine Minorum S. Franciſci delecti ſunt, ceteri omnes propemodum umbratiles, ac titulo tenus Epiſcopi fuerunt, qui nunquam eccleſiam ſibi decretam adierunt, ejuſdem

Franciſcus Ballichevichius Ep. Boſnenſis vixit uſque ad an. 1615. quo ſuperſtite tres Ep. Boſnenſes nominati, & confirmati a Sede Apoſtolica.

dem administratione vel alterius ecclesiæ Episcopis, vel Fratribus Franciscanis relicta; ut nobis significavit P. Philippus in suis ad nostra interrogata responsis. *Notandum est*, inquit, *quod post invasionem Turcarum, qui fuerunt de nostro ordine sive Episcopi, sive administratores Episcopatus Bosnæ, hi soli reipsa tales fuerunt. Ceterum quotquot fuerunt extra ordinem, nullus umquam fuit re, sed nomine solum Episcopus Bosnæ, quia nullus eam lustravit, nec ingressus est &c.* Hi ergo sedem habent Diacovi, & hanc urbem, cum villis circumjectis agri Diacovensis, ex donatione Archiducum Austriæ non solum ecclesiastico, sed etiam civili jure atque imperio administrant.

Itaque post obitum P. Francisci anno 1615. extincti, procuratio Ecclesiæ Bosnensis commendata fuit P. Antonio ex eodem ordine Minorum Episcopo Scardonensi, ut idem P. Philippus ex tabulis suæ provinciæ testatur, qui Bosnensium Episcoporum absentium partes & officia peregit usque ad annum 1625. quo quidem anno, vel sequenti mortuus est *Foiniczæ, & sepultus est ibidem in ecclesia S. Spiritus coram Conceptionis altari*. Huic in administrationem Ecclesiæ Bosnensis a Sede Apostolica suffectus est F. Thomas Ivchovichius itidem Episcopus Scardonensis, de quo paullo post. Nunc vero seriem episcopalem persequemur, quæ constat ex illis Episcopis, quos reges Hungariæ nominarunt, & Pontifices Romani vel approbarunt, vel non admittendos esse censuerunt, hisque adjungemus Episcopos extraneos administratores, qui absentium vice functi sunt.

ALOYSIUS EP. BOSNENSIS XXXIV.

Aloysius Ep Bosnen. vivente adhuc Francisco.

Nominatus a Rodulpho II. Imperatore ac rege Hungariæ. Cæsaris voluntati ut obsequeretur, nominationem ratam habuit Clemens VIII. anno 1600. cum Franciscus Ballichevichius Episcopus Bosnensis adhuc viveret; sed neque ipsum, neque ejus decessores Rodulphus pro legitimis Episcopis habebat, quod cæsarea ac regia nominatione caruissent; propterea que sedes illa inde usque a multis annis quodammodo vacasse dicitur in actis consistorialibus sub anno 1600. 20. *Decembris ad nominationem Cæsaris providit Ecclesiæ Bosnensi a longo tempore certo modo vacanti de persona presbyteri Aloysii de Vilasko Vesprimiensis cum dispensatione super defectu gradus*. Hunc Szentivanius vocat *Georgium Vilaki*, *sed juxta Archivum Romanum*, inquit, *Ludovicus appellatus est*. Franciscus tamen jussus est retinere administrationem Ecclesiæ Bosnensis, & Aloysii absentis vicem præstare, ut supra dictum est.

FRANCISCUS II. EP. BOSNEN. XXXV.

Franciscus II. translatus ad Ecclesiam Vesprimien.

Erat præpositus Ecclesiæ Zagrabiensis, eique Paullus V. postulante Rodulpho Imp. & rege Hungariæ, Episcopatum Bosnensem contulit anno septimo hujus sæculi decimi septimi, cum potestate retinendi Sacerdotii Zagrabiensis. Ex Tabulis Romanis sæpe laudatis sub anno 1607. 4. *Novemb. Ad nominationem Cæsareæ Majestatis præfecit Ecclesiæ Bosnensi in partibus infidelium D. Franciscum Erghelium Zagrabien. Eccles. præpositum, cum retentione præposituræ*. Eumdem triennio post, exsoluto vinculo, quo huic Ecclesiæ obstrictus erat, ad Vesprimiensem Ecclesiam transtulit.

JOANNES IV. EP. BOSNENSIS XXXVI.

De quo in tabulis act. consist. sub an. 1610. *Eadem die* (idest 22. Januarii) *ad nominationem ejusdem* (idest Matthiæ regis Hungariæ & Archiducis Austriæ) *providit* (Paullus V.) *Eccl. Bosnensi a Turcis occupatæ, per translationem Francisci Erghelii vacanti, de persona Joannis Thelegdini, ætatis annorum 36. presbyteri, S. Theologiæ periti, cum retentione præposituræ majoris in Ecclesia Strigoniensi, ex cujus fructibus, qui in annos singulos æstimantur ad duo millia florenorum illarum partium, possit dignitatem sustentare*. In his tabulis usque ad annum 1631. nullum Episcopum Bosnensem creatum invenio. Huic tamen intervallo quatuor Episcopi, quos Martinus Szentivanius commemoravit, innecti possunt, qui licet nominati fuerint ab rege Hungariæ, approbatione tamen Sedis Apostolicæ caruerunt.

THOMAS II. EP. BOSNENSIS XXXVII.

STEPHANUS II. EP. BOSNEN. XXXVIII.

JOANNES V. EP. BOSNENSIS XXXIX.

VINCENTIUS EP. BOSNENSIS XL.

Quatuor Episcopi a Rege Hungariæ nominati, sed a Sede Apostolica non admissi.

Hi quatuor, Thomas cognomento *Balasfius* anno 1618. Stephanus *Senney* anno 1622. Joannes *Posgai* anno 1628. & Comes Vincentius *Zuggoni*, incertum quo anno, nominati quidem fuerunt ab rege Hungariæ, sed a Sede Apostolica approbationem aut non postularunt, aut non obtinuerunt. Extat decretum Sacræ Congregationis editum anno 1625. descriptum in codice Collegii de Propaganda n. 48. cujus tergo inscriptum est: *Illyricum, Hungaria, Bosina*. Declaratur jus nullum esse regibus Hungariæ nominandi Episcopos ecclesiarum, quæ intra fines Hungariæ non continentur; ac sæpius rejectæ esse dicuntur nominationes Episcoporum, quos iidem reges elegerant ad regendas ecclesias *Bosinæ, Transilvaniæ, Samandriæ, Nonæ, Auxeri, Scardonæ, Sardicæ, Macarschæ, Corbaviæ &c.* In aliis codicibus ejusdem archivi notatum invenio facilius ac libentius Episcopos a Pontifice Romano electos, quam a rege Hungariæ nominatos in ecclesias & regiones ditionis Turcicæ admitti. Sed huic decreto, qua pertinet ad Bosnensem Ecclesiam, abrogatum vel derogatum fuerit oportet anno 1631. ac deinceps semper; ut apparet ex illis, qui deinceps creati sunt Episcopi Ecclesiæ Bosinensis.

Administratores Eccl. Bosnensis P. Antonius de Posega, & P. Thomas Ivkovich Episc. Scardonenses.

Dum quatuor illi, quos supra nominavi, Episcopatus Bosnensis titulum gerebant; ecclesiam illam administravit ex mandato Sedis Apostolicæ P. Antonius de Posega Episcopus Scardonensis post obitum Francisci Ballichevichii usque ad annum 1625. deinde F. Thomas Tvkovich itidem Scardonensis Antistes, cui ejusdem ecclesiæ procuratio commendata fuit, ut est in tabulis consistorialibus. *Anno 1625. 28. Octobris providit* (Urbanus VIII.) *Eccles. Scardonen. in partibus infidelium existenti de persona F. Thomæ Hivcovic Bosnensis ministri provincialis Bosnæ Argentinæ, ordinis Min. de observantia, cui commissa fuit administratio Ecclesiæ Bosnensis, & aliarum vicinarum ecclesiarum, quæ pastoris cura destitutæ sunt. De hoc*, inquit P. Philippus, *in monumentis nostris habemus, quod dum laudabilissime fungeretur pro secunda vice officio*

mini-

miniſtri provincialis, anno 1627. Spalati in Dalmatia conſecratus fuit pro Epiſcopo Scardonenſi, & adminiſtratore Boſnenſi in Martio. Hic poſtquam in omnibus gradibus dignitatum in provincia ac tandem dignitate pontificia laudabiliter fuiſſet verſatus, qui multis encomiis honoretur, dignus; multis ſibi religioſis Fratribus aſſiſtentibus, Arauzonæ, vulgo in Jaicze, an. D. 1633. in Martio piiſſime obiit, ibidemque in eccleſia S. Joannis Baptiſtæ, quæ in campo quodam ſolitario adhuc ad præſens extat, ſepultus eſt.

JOANNES VI. EP. BOSNENSIS XLI.

Natione Boſnenſis erat, oriundus ex antiquiſſima & nobiliſſima gente Marcia, ſeu Marnavitia, cujus originem ipſe in eo libro, quem ſubjecit huic titulo: *Indicia vetuſtatis & nobilitatis familiæ Marciæ, vulgo Marnavitiæ Niſſenſis*; a Principibus ſive Dynaſtis Niſſæ, celeberrimæ olim in Dardania civitatis, repetit; ejuſque ſeriem genealogicam tum viris bello & pace clariſſimis fecundam, tum rerum præclare geſtarum, & militarium ac civilium honorum ſplendore clariſſimam, tum denique Imperatorum & regum cognatione vel affinitate illuſtrem, ad ſua uſque tempora perduxit. Cum ſe ipſe in ſuis libris ante Epiſcopatum editis *Boſnenſem* appellet, ſatis declarat originem ſuam, ſi non ultimam, certe proximam ad Boſnenſes referendam eſſe; & ſane gens Marnavitia in regno Boſnenſi & prædia & caſtella non pauca poſſidebat. Ab Joanne tritavo, cui nomen erat Tomko, viro bellicis laudibus cumulatiſſimo, qui eximiam & perutilem operam Stephano Tuartko II. regi Boſnenſium, ac poſtea Matthiæ Hungariæ regi navavit, alterum cognomen gens Marnavitia ſibi adoptavit, quod tum Joannes, tum ejus majores antiquo cognomini præponere ſolebant, ſeque Tomkos Marnavitios cognominabant.

Joannis genus in primis nobile, & ingenium.

Joannes noſter primam ætatem humanis pariter diviniſque diſciplinis excoluit, & multa ingenii ſui & doctrinæ monumenta typis edita reliquit. Adoleſcentiam ac juventutem magna ex parte Romæ tranſegit. Rerum antiquarum ſcientiam, ut in adoleſcente non vulgarem, admirabatur Cardinalis Baronius; ejuſque variam ac multiplicem eruditionem plurimi faciebant tum doctiſſimi urbis & curiæ Romanæ præſules, tum ipſi Cardinales, præſertim Petrus Cardin. Patzmanus Archiepiſcopus Strigonienſis, Franciſcus Cardinalis Barberinus, Julius Card. Sacchetus, & alii, quorum conſuetudine familiari atque adeo domeſtica utebatur. Eccleſiaſticæ militiæ cum a puero nomen dediſſet, creatus eſt Canonicus Sibenicenſis, ac deinde Archidiaconus Eccleſiæ Zagrabienſis: utroque enim titulo utitur in ſuis libris, quos antequam Epiſcopus crearetur, in lucem emiſit. Ob inſignem generis nobilitatem, ingenii & doctrinæ præſtantiam Romana civitate donatus eſt: id quod teſtatum eſſe voluerunt tres conſervatores urbis Franciſcus Ravenna, Hieronymus Mutus, Chriſtophorus Cincius ampliſſimo diplomate, ex quo pauca decerpere libuit. *Quamobrem cum D. Joannes Tomcus Marnavitius, Marci filius, Archidiaconus cathedralis, & Canonicus Zagrabienſis Eccleſiæ, Sacræ Theologiæ Doctor, nec non Protonotarius apoſtolicus, & ſacrorum librorum Illyricæ linguæ auctoritate apoſtolica reformator, ortus ſit ex nobiliſſima familia ſummis regibus Chriſtiani orbis conſanguinitate juncta*, (hic ejus majores rerum geſtarum gloria & honorum titulis clariſſimi nominatim percenſentur) *ac etiam ob egregias dicti Joannis dotes, quibus magnis principibus per diverſas orbis partes, in primis vero Apoſtolicæ Sedi egregiam operam navavit & navat magno Reipublicæ chriſtianæ Romanæque commodo; nec non ob eximia ejuſdem ingenii monumenta variis linguis publicæ utilitati hactenus evulgata, denique ob diuturnum ejus in alma urbe, magna apud principes viros & omnes ordines gratia laudeque incolatum, digniſſimus ſit, qui ſummo S. P. Q. R. judicio, intentiſſimo ſtudio in Romanam civitatem adſciſcatur; placere D. Joannem Tomcum, virum nobilem, ac rebus omnibus ornatiſſimum, virtutis integritatiſque nomine præſtantiſſimum, omnibus cariſſimum, deque nomine Romano optime meritum, cujus ſtudiis Reſpublica noſtra adjuta in dies augeatur, ipſum, nec non ab ipſo, ſi qui venerunt, liberos poſteroſque, Romana civitate donari, ornarique omnibus præmiis ac privilegiis &c. Anno ab orbe redempto MDCXXXI. IX. Kal. Martii.*

Fit Canonicus Sibenicenſis, deinde Archidiaconus Zagrabienſis.

Anno eodem 1631. Urbanus VIII. eum Boſnenſibus Epiſcopum dedit, ut docent Tabulæ Romanæ ſub an. 1631. 10. *Novembris providit Eccleſiæ Boſnenſi juris Ungarici, a cujus vacationis die plures fuerunt ad eamdem per reges Ungariæ nominati, non tamen a Sede Apoſtolica confirmati, in perſona R. D. Joannis Tompki Marnavitii Presbyteri Sibenicenſis, Romæ præſentis, a rege Ungar. nominati.* Anno proximo poſt ejus creationem epiſcopalem adhuc Romæ verſabatur, ut declarat opuſculum eodem anno in lucem editum, quod ſcripſit *De vetuſtate & nobilitate familiæ Martiæ, vulgo Marnavitiæ Niſſenſis*, inſcripſitque *Joanni Tomko Marnavitio ſacræ militiæ hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani in Melitenſi conventu religioſo equiti*: Epiſtola ad eum data eſt *Romæ Kalendis Maji anno 1632. ex palatio Eminentiſſimi Principis Petri Cardinalis Patzmani Archiepiſcopi Strigonienſis*. In fronte libri proſtat ejus effigies, capite tonſo, barba prolixa, æneis typis impreſſa, cum hac epigraphe circum incila: *Joannes Tomcus Marnavitius ex Principibus Niſſæ, Comitibus de Zuonik, DD. in Voynizza & Kamengrad, Epiſcopus regni Boſnæ.*

Ab Urbano VIII. Ep. Boſnenſis creatur.

Anno 1632. demandata illi fuit viſitatio apoſtolica cœnobiorum totius ordinis S. Paulli primi Eremitæ: de qua viſitatione in annalibus ejuſdem ordinis Viennæ an. 1663. in lucem editis lib. 2. cap. 46. hæc litteris prodita invenio. *Incidit anno 1632. ſupra totum ordinem viſitatio apoſtolica ad inſtantiam quorumdam noſtratum, & Em. Petri Pazmani Card. S. Hieronymi, Archiep. Strigonien. qui jampridem, nempe an. 1624. ſcriptis ad capit. generale hortatoriis litteris Patres congregatos animavit, ut ordo S. Paulli Anachoritæ, olim in Hungaria celeberrimus, quoad fieri poſſet, in veterem diſciplinam eorumdem conſilio refloreſceret, & ita in præſentiarum occurrentibus malis obviam progrederetur; ne apoſtolica viſitatione, cujus executionem ſibi ab eadem ſacra Sede commiſſam aſſerebat, opus habere videretur. Illis tamen monita negligentibus, Cardinalis Petrus cum noſtris, evoluto octennio, neceſſitatem reformationis Romano Pontifici inſinuat: qui cum Sac. Congregationi de propag. fide rei negotium committeret, illa Joannem Tomko Epiſcopum Boſnenſem, lectorem*

Ex mandato S. Cong. de Propag. provinciã Hungaricam ordinis S. Paulli luſtravit, & reformavit.

rem & Canonicum Zagrabienſem huic muneri obeundo deſtinavit. Erat vir ipſe amantiſſimus religionis noſtræ, qui conſiderato Patris Generalis zelo, cum pietate & prudentia mixto, amplum memoratæ Congregationi in ejuſdem laudes teſtimonium perſcripſit; aſſumptoque eo in ſocium itineris, munus ſacræ viſitationis in Hungaria feliciter executus eſt. Ne tamen memoratus Tomko eodem jure reformandi ordinis in provincia Polona uteretur &c.

Itaque luſtratione provinciæ Paullinæ Hungaricæ perfunctus, Romam rediit; eratque in urbe anno 1634. quippe ex mandato Pontificis Ædem Hieronymianam collegii & hoſpitalis Illyrici, vetuſtate collabentem, & ære ſumptuque Cardinalis Patzmani reſtitutam conſecravit, ut docet inſcriptio ibidem appoſita: *Urbani VIII. Pont. O. M. juſſu eccleſiam hanc titularem Petri Patzmani S. R. E. Cardinalis, & altare die* VIII. *Menſis Octobris A. D. MDCXXXIV. Joannes Tomco Marnavitius Epiſcopus Boſnenſis, Congregatione Illyrica procurante, conſecravit.*

Ædem Hieronymianam Romæ conſecravit.

De rebus in Epiſcopatu geſtis nihil litteris proditum invenio. Paſtoralis muneris adjutores habuit Patres e Franciſcana familia, quibus chriſtiani gregis paſcendi regendique curam præcipuam commiſit, cum ipſe plerumque abeſſet, aut ſemper abfuerit. Per eos annos Eccleſiam Boſnenſem poſt P. Thomam Ivcovichium adminiſtravit P. Hieronymus a Vares Epiſcopus Drivaſtenſis uſque ad annum 1640. *De hoc*, inquit P. Philippus, *nobis ſunt monumenta, quod anno 1635. conſecratus fuerit Raguſii pro Epiſcopo Drivaſtenſi, & adminiſtratore Boſnenſi. Hic mortuus jacet in eccleſia S. Joannis Baptiſtæ Suttiſcæ in Boſina, apud altare majus in cornu Evangelii, in ſepultura lapidea, ſuper quam diſtinctiſſime legitur latine ita: Hic jacet Reverendiſſimus D. Hieronymus Bogol a Vares ord. Min. Epiſcopus Drivaſtenſis. Obiit die 2. Jan. 1648. Porro notandum eſt, quod hic non adminiſtraverit Boſnenſem Epiſcopatum uſque ad mortem, ſed ſolum uſque ad an. 1640.*

F. Hieron. Epiſcopus Drivaſten. Adminiſtrator Eccleſiæ Boſnen.

Anno poſt ſuſceptum pontificatum octavo exeunte Joannes Tomcus e vita migravit. Sed neque ubi ſupremum diem obierit, neque ubi ſepultus fuerit, mihi compertum eſt. Opinio eſt eum Romæ obiiſſe, ut ex litteris Zagrabia mihi redditis intellexi. Præclaram nominis ſui memoriam poſteris reliquit libris ſane multis, tum ſacra, tum profana eruditione refertis, partim editis, partim manuſcriptis; qui nobis ad hiſtoriam Illyricam & Dalmaticam illuſtrandam adjumento fuerunt. Quos illis titulos præfixit, hi ſunt: *Unica gentis Aureliæ, Valeriæ, Salonitanæ Dalmaticæ Nobilitas*, ex qua cum alii Imperatores Romani, tum vero Diocletianus, & plures Divi Diváque, quos colit chriſtiana religio. *Regia ſanctitatis Illyricanæ Fecunditas*, duorum ac viginti virorum & mulierum eximia ſanctitate illuſtrium vitas complectens. *Sacra Columba Venerabilis Capituli AA. RR. DD. Canonicarum S. Petri Romaricenſis ab impoſtura vindicata ſuaque origini reſtituta. Indicia vetuſtatis & nobilitatis familiæ Marciæ, vulgo Marnavitiæ Niſſenſis. S. Felix Epiſcopus & Martyr Spalatenſi urbi Dalmaticæ, Croaticæ Metropoli, Primatialique, & veritati vindicatus. Vita B. Auguſtini Caſotti Patricii Tragurienſis ex ordine Dominicano, Epiſcopi Zagrabienſis, ac deinde Lucerinæ. Vita Magdalenæ Modruſſienſis ſanctæ mulieris, quæ cœnobium Arbenſe ſacrum Virginum S. Antonii fundavit. Oratio in laudem Fauſti Verantii Sibenicenſis, Epiſcopi Chanadienſis in Ungaria. Vinea Domini. Acta Marcelli Pontificis, qui Cajo ſucceſſit poſt Marcellinum. Dialogi de Illyrio. De Rebus Dalmaticis &c.*

Tituli librorum ab Joanne Epiſc. editorum.

THOMAS III. EP. BOSNENSIS XLII.

Joannis deceſſoris conſanguineum fuiſſe cognomen Marnavitii declarat. Inter Patres Franciſcanos rigidioris obſervantiæ cultores vitam degebat ex eorum ſanctiſſima diſciplina. Joannis defuncti egregia merita, ut aliqua ſuæ erga illum benevolentiæ ſignificatione, grataque memoria proſequerentur, Ferdinandus II. Imperator idemque rex Hungariæ, & Urbanus VIII. Pontifex Max. Thomam ei propinqua cognatione conjunctum, & fortaſſe fratris filium, alter quidem nominavit, alter creavit Epiſcopum Boſnenſem. *An. 1639. 3. Octobris providit Eccleſiæ Boſnenſi vacanti per obitum Joannis Tomki, de perſona F. Thomæ Marnavitii ordin. Min. de obſervantia a Sereniſſimo Cæſare, uti rege Ungariæ, nominati.* Huic opus non fuit adminiſtratore, ſeu Vicario, qui Boſnenſibus epiſcopalia officia præſtaret; nam ipſemet ad gubernaculum eccleſiæ ſuæ acceſſit, ſeditque; de quo P. Philippus. *F. Thomas Pilash ſeu Margniavich Epiſcopus Boſnenſis. De hoc in Regeſto habemus, quod anno D. 1639. Sibenici in Dalmatia fuerit conſecratus pro Epiſcopo Boſnenſi. Et obiit Vellicæ in Slavonia in conventu noſtro 1645. ibidemque ſepultus in Eccleſia noſtra S. Auguſtini.* Hoc rebus humanis exempto, electus fuit, ſed non conſecratus

JOANNES HIERONYM. EP. BOSN. XLIII.

Non aliunde nobis cognitus eſt, niſi e diplomate Cæſareo, quod Ferdinandus III. Imperator anno 1645. Joannem Andream Jadertinum titulis atque inſignibus virorum nobilium donavit. In eo, ex antiquo more regum Hungariæ, hic etiam cum Epiſcopis illarum partium ditionis Auſtriacæ nominatur. *Martinus Bogdanus electus Zagrabienſis, Benedictus Kyſdiel electus Sirmienſis, F. Georgius Belavichius electus Tininienſis, F. Joannes Hieronymus de S. Petronilla electus Boſonienſis, Petrus Marianus electus Senienſis & Modruſſienſis &c. Fratris* prænomen Joni appoſitum, itemque cognomen de S. Petronilla ſatis declarat eum ex familia religioſa, & Franciſcana quidem, ut ego arbitror, ad ſedem Boſnenſem deſignatum fuiſſe. Sed ex Appendice, quam Epiſcopis Boſnenſibus ſubnectemus, Fr. Thomæ Marnavitio videtur proxime ſucceſſiſſe

MARIANUS EP. BOSNENSIS XLIV.

Erat genere Boſnenſis, cognomento Maravichius, natus in oppido Plumbi, quod ſitum eſt in partibus extremis Boſnæ ad orientem; atque in ſodalitatem Minorum S. Franciſci ab ineunte adoleſcentia nomen dederat. Fratrem habebat Franciſcum nomine, copioſum plane & locupletem, qui haud exigua pecuniæ ſumma creditoribus ſoluta, cœnobium Plumbenſe magno ære alieno liberavit. Ejus fratrem Marianum Patres Boſnenſes grati animi cauſſa primum cœnobii Plumbenſis rectorem, deinde provincialem miniſtrum elegerunt. Utraque ejus electio viſa eſt aliquibus ſimoniaca labe infecta eſſe; eam ob

cauſ-

cauſſam juſſu P. Miniſtri Generalis Romam accerſitus cum eſſet, egregiè ſe purgavit; omnemque tum a ſe, tum a ſuffragiis ſibi collatis ejuſmodi maculæ ſuſpicionem dimovit. Cum in utroque Fratrum ſuorum regimine illuſtre virtutis ac vigilantiæ ſpecimen dediſſet, factus eſt Epiſcopus Dumnenſis anno 1645. Eum biennio poſt Innocentius X. ad Eccleſiam Boſnenſem tranſtulit; ut docet epiſtola pontificia, data IX. Kal. Auguſti an. 1647. & inſcripta *F. Mariano Epiſcopo Boſnenſi*, qua *abſolvitur ab Eccleſia Dumnenſi, & transfertur ad Eccleſiam Boſnenſem*. In Appendice quædam alia de ejus electione videri poſſunt. De Rama, quæ appendix eſt non exigua regni Boſnenſis, aliquid controverſiæ fuit Mariano cum Petro Cacichio Epiſcopo Macarenſi; uterque enim regionem illam ſibi vindicabat. Sacra Congregatio anno 1650. judicavit ſecundum Epiſcopum Boſnenſem, decrevitque Ramam *membrum* eſſe hujus diœceſis, ut teſtatur F. Matthæus Benlichius Epiſcopus Belgradenſis in ſuis ad Sacram Congregationem litteris datis III. *Kal. Junii an. 1666.* Si enim, inquit, Rama detrahenda eſſet Epiſcopo Boſnenſi, potius Dumnenſi diœceſi, unde propius abeſt, quam Macarenſi adjudicanda eſſe videretur. Cum in Boſina mira paucitas eſſet Presbyterorum ſæcularium, eadem Sacra Congregatio poteſtatem fecit Mariano eligendi ex ordine regularium Sacerdotes ſpectatæ virtutis & doctrinæ, qui parœciarum curam ſuſciperent; ac præterea indidem ſumendi Vicarium generalem, cujus opera ac miniſterio ad regendam eccleſiam uteretur. Huic Eccleſiæ Marianus annos fere tredecim ſumma cum laude præfuit; & non magis ætate, quam laboribus curiſque apoſtolicis confectus ad ſuperos migravit anno 1660. in cœnobio Plumbenſi, & ibidem honorifice ſepultus eſt. Quod pro ſalute animarum, ac divini cultus incremento plurimas & graviſſimas ærumnas tùm ipſe ſuſceperit, tum a Turcis illatas fortiter conſtanterque ſuſtinuerit; eum martyrem vocat F. Georgius Dobrievichius in quadam ſua epiſtola; eumque vel in ipſa morte invictæ patientiæ & ſingularis ſanctitatis exempla omnibus, qui aderant, præbuiſſe affirmat. Huc addere libet, quæ breviter P. Philippus de P. Mariano Epiſcopo Boſnenſi. *De quo*, inquit, *notatum legimus in regeſtis noſtris: Anno 1647. translatus fuit Fr. Marianus Maravich a Dumnenſi Epiſcopatu ad Boſnen. retenta adminiſtratione Epiſcopatus Dumnenſis, quem conſecratum fuiſſe Raguſii ſupra diximus. Mortuus eſt Plumbi 1660. die 14. Septembris, ibidemque ſepultus eſt in Eccleſia B. M. V. in conventu noſtro*. Chiolnichius mortuum eſſe & ſepultum ait Diacovi, ut videre eſt in Appendice. Huic in ſedem epiſcopalem ſubrogatum tradit Martinus Szentivanius Fr. Matthæum Bealichium, an. 1662. Sed cùm hic tacitus prætermiſſuſque ſit ab hiſtoricis & Scriptoribus Franciſcanis, ego ſane illum in catalogum Epiſcoporum Boſnenſium inferre non auſim. Veriſimilius eſt eccleſiam illam poſt obitum Mariani plures annos proprio Epiſcopo caruiſſe; ejuſque adminiſtrationem demandatam eſſe Dumnenſi, vel Macarenſi Epiſcopo. Anno 1662. F. Franciſcus Svimirovichius ex Epiſcopo Priſtenſi Archiepiſcopus Achridenſis juſſu Pontificis cum titulo ac poteſtate Viſitatoris apoſtolici Boſinam perluſtravit, obſtititque conatibus Patriarchæ Pechienſis ſchiſmatici, qui juriſdictionis proferendæ cupidus vetuerat Patres Franciſcanos Boſnenſes rem divinam facere, & chriſtianam plebem ſacris myſteriis impertire, niſi antea facultatem ab ſe impetraſſent. Hæc e codicibus Mſs. Archivi de Propaganda fide.

Marianus a Dumnenſi ad Boſnen. Eccleſiam translatus ab Innocentio X.

Rama membrum diœceſis Boſnenſis.

Interregnum Epiſcopale.

Archiep. Achriden. viſit. apoſtolicus Boſinæ.

NICOLAUS II. EP. BOSNENSIS XLV.

Patria illi fuit Plumbum Boſnæ oppidulum, de quo ſupra dictum eſt, unde cognomen traxit. Ordini Franciſcano ſeverioris obſervantiæ adſcriptus, in monaſterio Plumbenſi vitæ religioſæ tirocinium poſuit, & virtutum omnium, quæ in hunc ſtatum cadere poſſunt, illuſtria documenta dedit. Acri & excellenti ingenio præditus fuit. Cum in ſtudiis rerum humanarum ac divinarum magnos progreſſus feciſſet, Labaci in urbe Carnioliæ, Theologiam Fratribus junioribus tradere juſſus, plures annos huic ſcholæ præfuit, ac diſcipulis ſuis non magis doctrina, quam exemplo profuit. Juris civilis ac pontificii admodum peritus fuit; & quantum in utroque præſtaret, tum ſatis oſtendit, cum de quibuſdam locis ac monaſteriis orta eſſet controverſia inter Patres Franciſcanos Boſnenſes & Hungaricos: hi ſiquidem cum Turcæ regiones illas occupaſſent, ea loca deſeruerant; illi vero tum rogatu earum gentium, tum conceſſu Imperatorum ac Pontificum in eadem ſucceſſerant, & per annos fere centum retinuerant ſub imperio Turcarum, conſtantem aſſiduamque operam rei chriſtianæ navantes. Loca autem illa & monaſteria, poſtquam Turcis erepta ſub poteſtatem regum Hungariæ rediiſſent, repetebant Patres Hungarici, reddere nolebant Patres Boſnenſes jure poſſeſſionis diuturnæ, & auctoritate Auguſtalium ac Pontificiorum diplomatum innixi. Boſnenſium ſuorum cauſſam F. Nicolaus argumentis & auctoritatibus ex utroque jure depromtis, apte diſpoſitis, collectiſque in unum ſcriptum, docte ac diligenter elaboratum, defendit atque obtinuit.

Nicolai geſta præclara in Epiſcopatu.

Anno 1669. Leopoldus Imperator, idemque rex Hungariæ, cum Eccleſia Boſnenſis jamdudum paſtore orbata eſſet, ad eam regendam nullum aptiorem ab ſe nominari poſſe cenſuit, quam F. Nicolaum Plumbenſem, cujus virtutem, prudentiam, doctrinamque exquiſitam ſatis perſpectam habebat. Cæſaream nominationem ratam habuit Clemens X. Pont. Max. & 17. *Septembris providit Eccleſ. Boſnen. certo modo vacanti de perſona F. Nicolai Plumbenſis ordin. S. Franciſci ſtrict. obſer. a Cæſare nominati*. Ex Tabulis Romanis ſub an. 1669. Suſcepto Epiſcopatu, nihil de priſtina vitæ ac diſciplinæ religioſæ ratione immutavit, & factus forma gregis ex animo, populos ſibi creditos non minus exemplis, quam verbis docebat. Eluxit in eo ſingularis integritas, rerum humanarum deſpicientia, ſollicita chriſtianæ inſtitutionis cura, flagrans divini cultus augendi ſtudium, effuſa in egentes liberalitas, ſumma erga omnes caritas & beneficentia. Menſa utebatur parciſſima, ut e proventu eccleſiaſtico quidquid tenui victui ſupereſſet, ad inopiam alienam ſublevandam, atque ad ædificationem templi Diacovenſis conferret. Ædem quippe cathedralem in illa urbe conſtruere, & Capitulum clerumque inferioris ordinis inſtituere ad ſacram liturgiam, & quotidiana religionis officia pro dignitate cultus divini peragenda, decreverat. Apud Creſcevum urbem Boſinæ olim opulentam ac

nobi-

nobilem, in qua olim ſedes epiſcopalis fuiſſe dicitur, domicilium ſatis commodum ædificavit, quo uterentur Epiſcopi, cum permiſſu magiſtratus Turcici Savum tranſgreſſi, Boſnenſem diœceſim luſtrarent: cujus quidem ſingulis fere annis luſtrandæ morem nunquam ipſe intermiſit. Quidquid temporis a rebus divinis curaque paſtorali vacuum nanciſci poterat, id omne vel ad legendum, vel ad ſcribendum conferebat. De vita, virtutibus, & miraculis B. Sebaſtiani ab Apparitio narrationem hiſtoricam contexuit, ſive, ut alii tradunt, ex Hiſpano in ſermonem Latinum convertit; & cum Romam ſacra limina viſendi colendique cauſſa veniſſet anno 1696. Innocentio XII. Summo Pontifici dedicavit, hoc eidem titulo præfixo: *Opuſculum vitæ, virtutum, & miraculorum Ven. Servi Dei F. Sebaſtiani ab Apparitio ord. Min. de obſervan. Laici profeſſi provinciæ Mexicanæ, Auctore F. Nicolao Plumbenſi, Diacovenſi, ſeu Boſnenſi Epiſcopo: Sanctiſſimo Domino noſtro PP. Innocentio XII. litatum. Romæ 1696.*

Ut hæreticos & ſchiſmaticos ad rectam in Deum fidem & communionem catholicam converteret, nullis laboribus, vel incommodis, vel periculis parcebat; & ſane quamplurimos, divina gratia opitulante, ab errore ad veritatem, a ſchiſmate ad Chriſti ovile traduxit: id quod illi glorioſam pro Chriſto mortem conſcivit.

A Raſcianis ſchiſmaticis religionis cauſſa interfectus.

Raſciani ſiquidem ſchiſmatici, cum acerbiſſime ferrent tam multos quotidie ſanctiſſimi viri hortationibus ad Romanam Eccleſiam aggregari; conſpiratione in eum facta, concubia nocte, rabie efferati ad ejus domum coeunt, & effractis foribus optimum Præſulem de improviſo adorti per execrandum & crudele ſacrilegium interficiunt ſæculo decimo octavo ineunte; tum verſi ad ædes expilandas, quidquid pecuniæ, in eos, quos dixi, uſus ſepoſuerat, diripiunt. Eximiam viri ſanctitatem, & mortem religionis cauſſa illatam confirmarunt cum alia miracula per eum divinitus edita ac rite probata, tum integritas corporis poſt multos ab obitu menſes incorrupti. Itaque ſtatim populis illis venerationi eſſe cœpit, & multis ejus opem implorantibus auxilio fuit ac ſaluti. Diacovo translatus eſt Naſſizas in oppidum Slavoniæ, ibidemque in templo cœnobii Franciſcani, ab Sancto Antonio cognominati, perhonorifice ſepultus. Tumulo impoſitum eſt ejus ſimulacrum ex marmore, habitu ornatuque pontificali, & gladius cervici impactus, itemque inſcriptio ibidem inciſa cauſſam ac genus mortis declarat.

Hæc adjungi placet ex P. Philippo de Ochievia. *Fr. Nicolaus a Plumbo circa an. 1670. fuit conſecratus Epiſcopus Boſnenſis. Hic ſolus ultimus Epiſcopus Boſnenſis noſtræ provinciæ religioſus, ultimis ſuis annis Diacovæ fuit commoratus: nam antea morabatur Kreſcevi in noſtro conventu; deinde pro ſua commoditate ædiculam ſibi, non tamen eccleſiam curavit fieri in quodam monticulo nemoroſo longe a conventu & oppido duo milliaria Italica. Tandem cum tempore belli Viennenſis Slavonia fuiſſet emancipata, ad declinandam perſecutionem Turcicam illuc ivit, & reperit necem apud ſchiſmaticos. De morte autem ejus, & translatione corporis Naſſizas, extat autenticum teſtimonium, quod tale eſt.*

„ Ego infraſcriptus cum additis militibus, „ harum vigore fateor & teſtor, quod 14. Au„ guſti 1701. a prædonibus jugulati, decima „ ſexta ſepulti Reverendiſſimi Epiſcopi Boſnen„ ſis Diacovæ Fratris Nicolai Plumbenſis piæ „ memoriæ corpus, ſepulcro 12. Decembris ejuſ„ dem anni reaperto, adhuc incorruptum, & „ ſine fœtore quaſi dormiens eſt inventum; po„ ſtea ab hinc Naſſizam ad monaſterium Fra„ trum Franciſcanorum ductum, & ab infraſcri„ ptis Germanis militibus eo comitatum, ibi„ demque ab omnibus adſtantibus rurſus in tali „ forma viſum; ac peractis ſolitis funeralibus „ ceremoniis, a Germanis in ſepulcrum poſitum „ ſit: quod ſimul cum ſubſcriptis militibus cum „ juramento, & in conſcientia affirmo, & ſigil„ lo meo roboro.

„ Libertinus Caporalis Fridericus Kleinſtei„ ler. L. ✠ S.

„ Caporalis Thomas Stegel Kollgrueler. L. ✠ S.

„ Gregorius Lucas Negliaſchi, Martinus Schi„ vabada, Paullus Fiſchelan, Antonius Sechius, „ Joannes Selaf, Adamus Pagi, Joannes Craft „ Sac. Cæſ. Maj. Generalis Campi, vigiliarum „ Præfectus, Reingraff Salmans Legionis pe„ deſtris conſtitutus Locumtenens, & ibidem „ pro tempore Commendans Gabriel Sant Leute: „ L. ✠ S.

Nota bene: hic Prælatus piæ mem. occiſus fuit profecto in Diacovo, in propria ædicula; & Naſſizis in lapidea muro applicata extat epitaphium certe; ego ipſe, qui hæc ſcribo, pluries ſum intuitus, ſed non recordor quibus ſit verbis expreſſum.

Epitaphium vide & alia quædam in Appendice.

PETRUS III. EP. BOSNENSIS XLVI.

De quo in Appendice huic hiſtoriæ appoſita. Ante ſuſceptam conſecrationem ad ſuperos migravit.

GEORGIUS III. EP. BOSNENSIS XLVII.

Georgii vita ante Epiſcopatū.

Familia Patacichia, ex qua ortus eſt Georgius, in primis inter Chrobatos antiquitate & nobilitate generis, opibus & honoribus, rerumque geſtarum gloria floruit. Anno ætatis circiter decimo quinto, divini ſpiritus impulſu, paternæ domus divitiis & commodis poſthabitis, in Societatem Jeſu nomen dedit. In ea tredecim fere annos ita vixit, tam illuſtria & certa ingenii & doctrinæ, virtutis atque induſtriæ experimenta fecit, ut magnam expectationem ſui concitaverit. Sed cum incommoda valetudine affligi cœpiſſet, eaque in dies magis ingraveſceret, ad miniſteria Societatis obeunda & labores ferendos non fore ſe idoneum ſenſit. Itaque vix medio Theologiæ curſu peracto, de ſententia & conſilio graviorum Patrum, ne ſociis oneri eſſet, miſſionem petiit & impetravit. Ab Societate dimiſſus, adeo nihil de ſua erga illam obſervantia ac benevolentia diminuit, ut deinde, quibuſcumque poſſet, rebus eamdem ornaret atque defenderet. Bononiam ſe contulit, atque in Seminario Hungarico & Chrobatico Theologiæ curriculum abſolvit. In collegium Canonicorum Zagrabienſium aggregatus cum eſſet, ex decreto Capituli, reverſus in Italiam eidem Seminario Bononienſi Rectoris titulo & imperio ita præfuit, ut alumnorum ſtudiis, diſciplinæ, ac pietati non exiguum incrementum attulerit.

Creatur Ep. Boſnen.

Anno 1703. Leopoldus Imperator eum nominavit, Clemens XI. Epiſcopum Eccleſiæ Boſnenſi præfecit, ut ſcriptum eſt in Tabulis Conſiſtorialibus.

libus, 12. *Novembris* 1703. *providit ecclesiæ Bosnen. ad nominat. Imperatoris, vacanti per obitum Nicolai Plumbensis, de persona Georgii Patacic de Zaerda Presbyteri Zagrabiensis*, Bosnensem Episcopatum adeptus, ut divinum cultum augeret, illarum gentium saluti consuleret, ecclesiæ sibi creditæ commodis utilitatique serviret, nullum optimi pastoris officium prætermisit, Ædes episcopales magna ex parte collapsas, itemque templum Diacovense restituit atque ornavit. Prope Diacovum ædificavit cœnobium Patribus Franciscanis, qui sub initium belli Turcici Viennensis Modricia expulsi, quod oppidum est in Bosina, millia passuum fere septem a Savo in meridiem distans, in viculum quemdam se receperant ad ripam Savi, ubi domicilio admodum angusto utebantur. Agrum Diacovensem latrociniis infestum purgavit, Lucam Natalem ad Belgradensem in Serblia Ecclesiam regendam electum episcopali consecratione initiavit. Cetera, quæ ad hunc pertinent, vide in Appendice. Huic tres postremos Episcopos adjungo, quorum acta præclara in Appendice modo laudata descripsit celsissimus & illustrissimus vir Joseph Chiolnich hodiernus Episcopus Bosnensis, seu Diacovensis.

Hjus opera illustriora.

PETRUS IV. EP. BOSNENSIS XLVIII.

Natus est Spalati e gente Bachichia, Viennæ apud Patres Societatis Jesu litteris operam dedit. Ad clerum Spalatensem aggregatus per omnes ordinum gradus ad Sacerdotium ascendit. Interpretis Illyrici munere fungebatur in aula Cæsarea, cum illi Bosnensem Episcopatum Carolus VI. Imperator detulit, delatum Clemens XI. confirmavit. 1716. 7. *Decembris providit ad nominationem Imperatoris Ecclesiæ Bosnensi vacanti per obitum Georgii Badack de persona Petri Baccich de Lach Presbyteri Spalatensis*. Episcopatum tenuit usque ad annum 1749. quo anno datus est illi successor

FRANCISCUS III. EP. BOSNENSIS XLIX.

Franciscus cognomento *Thausius* translatus est anno 1751. ad Episcopatum Zagrabiensem.

JOSEPH ANTONIUS EP. BOSNENSIS L.

Joseph Antonius e familia Chiolnichia inter Illyricos nobilissima, & bellicis contra Turcas gestis celeberrima, absoluta in Romano S. Apollinaris collegio Theologia, susceptoque ibidem Doctoratu, Canonicis Zagrabiensibus adscriptus, tum an. 1751. ad insulas Bosnenses evocatus, sedem stabilem Diacovi ac domicilium habet, omnibus magnorum Præsulum dotibus ac virtutibus ornatus, sed præsertim tam profusa in pauperes munificentia, ut ex permagnis, quibus potitur, reditibus, sibi vix funeris impensas relicturus putetur. Hæc ex litteris Viennæ mihi redditis. *Notitiam* Ecclesiæ Bosnensis, quam nobis misit, Appendicis loco in calcem hujus historiæ rejecimus.

VICARII APOSTOLICI IN BOSINA.

POst obitum P. Nicolai Plumbensis nunquam Bosnensibus Episcopi sui faciem videre ac vocem audire licuit. Hujus desiderium plures jam annos ægre tulerant, cumque diutius ferre non possent, iterum ac sæpius postularunt a Sede Apostolica, ut gregis Bosnensis saluti consuleret ac provideret, qui pastoris præsentia, solatio, operaque jamdudum destitutus, & Turcica servitute oppressus, magno in discrimine versabatur. Justis ac piis illarum gentium postulatis satisfecit Clemens XII. & F. Matthæum Delivichium, ex ordine Franciscano rigidioris observantiæ, titulo episcopali Ecclesiæ Bolinensis insignitum, anno 1735. Vicarium Apostolicum constituit, qui Christianæ plebis Bosnensis curam susciperet, eique omnia, quæ sunt Episcopi, officia præstaret. Huic post quinquennium vita functo, Benedictus XIV. anno 1740. in eamdem episcopalem administrationem substituit P. Paullum Dragechivichium ex eodem ordine S. Francisci, dignitate itidem & auctoritate Vicarii Apostolici prædium, cui titulum Diumensis Episcopatus in Macedonia contulit. Utrique autem non solum Bosnensis, sed etiam Dumnensis Ecclesiæ, quæ itidem proprio caret Episcopo, procuratio commissa fuit. Utrumque Vincentius Zmajevichius Archiepiscopus Jadertinus in æde metropolitana S. Anastasiæ sollemni ritu ac cærimonia consecravit.

F. Matthæus Delivichius & F. Paullus Dragechivichius Vicarii Apostolici, administratores Eccles. Bosnensis & Dumnensis.

De his duobus Vicariis Apostolicis, administratoribus rei christianæ in Bosnensi & Dumnensi diœcesi constitutis, hæc ad nos P. Philippus de Ochievia. *Mortuo & occiso F. Nicolao Plumbensi nos in Bosna non vidimus Episcopum, nec Sacramentum Confirmationis fuit administratum, nec aliis muniis, quæ ab Episcopis desiderantur, commode eramus provisi. Quocirca instantiis nostris, populique, tandem obtinuimus anno* 1735. *dari nobis Vicarium Apostolicum. Hic fuit P. Matthæus Delivich, Episcopus Bolinensis, Administrator autem & Vicarius Apostolicus in Bosna, qui obiit Krescevi* 1740. *& ibidem in ecclesia nostra S. Catharinæ V. & M. sepultus est. F. Paullus Draghichevich an.* 1740. *factus est Episcopus Diumensis, & Administrator ac Vicarius Apostolicus in Bosna. Quem Deus diu servet. Uterque horum Jadræ in Dalmatia fuit consecratus, uti constat ex his, quæ seorsim mittimus, Brevibus eorumdem &c.* Epistolam Clementis XII. ad Matthæum Delivichium hic subjicio.

Clemens PP. XII.

Clementis XII. ad Matthæum Dellvichiu epistola.

Dilecte fili, salutem & apostolicam benedictionem. Commissi nobis divinitus pastoralis officii ratio postulat, ut spiritualibus Christi fidelium, præsertim eorum, qui propriorum Pastorum cura destituti sunt, necessitatibus, quantum nobis ex alto conceditur, consulere debeamus jugiter satagentes. Itaque de tua fide, probitate, idoneitate, prudentia, charitate, & catholicæ religionis zelo, plurimum in Domino confisi; teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, ac pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innoda-

nodatus exiſtis; ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes; de venerabil. Fr. noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ fidei præpoſitorum conſilio, te in ea parte regni Boſnæ, quæ Othomanico dominio ſubeſt, cum extenſione ad totam Boſnam eidem dominio ſubjectam, & præcipue ſuper olim Epiſcopatu Dumnenſi, Vicarium Apoſtolicum ad noſtrum & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum conſtituimus, & deputamus; ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Mandantes propterea omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus in illis partibus commorantibus, ceteriſque ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, ut te ad demandatum tibi per præſentes Vicariatus officium, illiuſque liberum exercitium, juxta earundem tenorem præſentium recipiant & admittant, teque recognoſcant, & tibi in omnibus, quæ ad idem officium pertinent, reſpective pareant, foveant, & aſſiſtant; tuaque ſalubria monita & mandata humiliter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent; alioquin ſententiam, ſive pœnam, quam rite tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Non obſtantibus apoſtolicis, ac univerſalibus, provincialibus, ſynodalibuſque Conciliis, editis generalibus & ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus; nec non quibuſvis, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris apoſtolicis in contrarium præmiſſarum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, alias illis in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſarum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Dat. Romæ apud S. Mariam Maj. ſub annulo piſcatoris die XII. Decembris MDCCXXXV. Pont. noſtri anno ſexto.

F. Card. Olverius.

Diploma conſecrationis Matthæi in Epiſc. Bolinenſem.

Diploma conſecrationis Matthæi Delivichii in Epiſcopum Bolinenſem.

In Chriſti Nomine Amen. Anno ab orbe redempto MDCCXXXVI. Indictione XIV. die Dominico feſt. Sanctiſſimæ Trinitatis, XXVII. Maii: Pont. autem Sanctiſſimi in Chriſto P. & Domini noſtri Clementis divina providentia Papæ XII. Anno ejus 6.

Porrectis a Reverendiſſimo P. Matthæo Delivich ordin. Min. regularis obſervantiæ S. Franc. Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo D. Vincentio Zmajevich Archi-Epiſcopo Jadren. apoſtolicis quibuſdam litteris, Piſcatoris annulo obſignatis, per quas a D. Domino noſtro in Epiſcopum Bolinenſem eligebatur, ac cuicumque catholico antiſtiti eum in poſſeſſionem inducendi ac conſecrandi facultas impertiebatur; aſſumptis loco Epiſcoporum duobus presbyteris in eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, prout in illis, in actibus curiæ relatis videre licet: ideoque Dominatio Illuſtriſſima ac Reverendiſſima ea, qua par eſt veneratione, litteras accepit, & uti executor Apoſtolicus, volens tamquam filius obed. Apoſtolicis fideliter parere mandatis, eas executioni demandandas elaboravit.

Per hoc itaque præſens publicum & ſollemne documentum cunctis evidenter pateat, & notum ſit, quatenus Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus D. Dominus Vincentius Zmajevich, Archiepiſcopus Jadren. Commiſſ. apoſtolicus Albaniæ, Serviæ, Macedoniæ, & Bulgariæ, die ſupradicta, hora quaſi 3. univerſo Vener. comitante Capitulo, & clero, ſacra ſollemni pompa deſcendit una cum Illuſtriſſimo Delivich præfato in Metropolitanam Eccleſiam ſub titulo S. Anaſtaſiæ, magnifice excultam, ibique a magiſtri cæremoniarum cura comparatis omnibus, quæ ad ſollemne hoc peragendum munus a Pontificali Romano præſcribuntur, aſſumptis loco Epiſcoporum Illuſtriſſimo D. Joanne Baptiſta Coradini Archidiacono Metropol. Jadren. & Reverendiſſimo Thoma Nechich Archidiacono Cathed. Nonenſis, pontificalibus paramentis ſacræ conſecrationis initium ſuſcepit. Præmiſſis igitur præmittendis per me infraſcriptum Cancellarium, alta & intelligibili voce perlectis apoſtolicis litteris, ingenti fidelium, qui piæ devotionis affectu permoti convenerant, multitudine ſpectante, ceteriſque in talibus præſcriptis rite ac exactiſſime perſolutis, dictum Reverendiſſimum Delivich, emiſſa ab eo fidei profeſſione in forma, ac præſtito ſollemni juramento, ſe pro viribus, uti fidelis paſtor gregis Chriſti oves ſibi commiſſas, eas diſperſas congregare in ſpiritu lenitatis, in omni patientia & doctrina, Evangelicæ veritatis pabulo enutrire, ac ſi opus fuerit animam ſuam inter tyrannidis ac Othomanici imperii anguſtias conſtanti animo ponere, divina auſpicante gratia paratum eſſe, in Epiſcopum conſecravit cum impoſitione annuli in digito, infulæ in capite, & per oſculum pacis. Præſentibus adm. RR. DD. Canonicis: Joſeph Roſini primicerio, Antonio Matacen, & Joanne Campſi; & Antonio Vani plebano S. Simeonis eccleſiæ, ac univerſo clero, & populo civitatis Jadrenſis.

Acta ſunt hæc Jadræ anno, menſe, die, quibus ſupra, per Thomam de Franciſcis Curiæ Epiſcopalis Jadræ Cancellarium. L. ✠ S.

Vincentius Zmajevich, miſeratione divina, & Apoſtol. Sedis gratia Archiepiſcopus Jadrenſis.

Univerſis & ſingulis noſtras præſentes litteras inſpecturis, atque lecturis fidem indubiam facimus, & atteſtamur, infraſcriptum D. Thomam de Franciſcis curiæ noſtræ Cancellarium eſſe talem, qualem ſe fecit; cujus ſubſcriptionibus hic plena fides adhibeatur, & ubique adhiberi poteſt. In quorum fidem &c. Dat. Jadræ ex noſtro Archiepiſcopali Palatio, die 27. Menſ. Maji 1736. L. ✠ S. Vincentius Archiepiſcopus.

Joannes Frangipani Coadjutor Archiepiſcopalis.

Epiſtolam addo Benedicti P. XIV. ad Paullum Dragechivichium, qua illum Vicarium Apoſtolicum in Boſina inſtituit.

Benedictus Papa XIV.

Benedicti XIV. epiſtola ad Paullum Dragechivichium.

Dilecte fili, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Pro noſtri paſtoralis officii munere iis potiſſimum invigilare debemus, quæ curam Chriſti fidelium, ut in viam mandatorum Dei ad ſalutem animarum dirigantur, omnino reſpiciunt. Itaque de tuis fide, prudentia, integritate, doctrina, & catholicæ religionis zelo plurimum in D. confiſi, ſperantes, quod ea, quæ tibi duxerimus committenda, cumulate ſis expleturus; de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ fidei præpoſitorum conſilio, te in ea parte regni Boſnæ, quæ Othomanico dominio ſubeſt, & in olim Epiſcopatu Dumnenſi Vi-

carium Apoſtolicum cum juriſdictione, juribus, & facultatibus neceſſariis & opportunis ad noſtrum & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum, auctoritate apoſtolica tenore præſentium facimus, conſtituimus, & deputamus; ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Mandantes propterea omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat & ſpectabit quovis modo in futurum, ut tibi in præmiſſis prompte pareant, & obediant, tuaque ſalubria monita & mandata humiliter ſuſcipiant & efficaciter adimplere procurent; alioquin ſententiam, ſive pœnam, quam rite tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Non obſtantibus apoſtolicis, ac univerſalibus, provincialibuſque & ſynodalibus Conciliis, editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, nec non quibuſvis etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus; privilegiis quoque indultis & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſarum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſarum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo piſcatoris die XV. Decembris MDCCXL. Pontificatus noſtri anno primo.

D. Cardinalis Paſſioneus.

Diploma conſecrationis Pauli Jm Epiſc. Diumenſe.

Diploma conſecrationis Paulli Dragechivichii in Epiſcopum Diumenſem.

In Chriſti Nomine Amen. Anno ab orbe redempto milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo primo, Indictione quarta, die vero 29. men. Junii: Pont. autem Sanctiſſimi in Chriſto P. & D. Domini Benedicti Papæ XIV. Anno ejus primo.

Per hoc præſens publicum & ſollemne documentum cunctis pateat evidenter, & notum ſit, quod hac die, in feſto nempe Sanctorum Petri & Paulli Apoſtolorum, hora quaſi 3. Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus Dom. Vincentius Zmajevich, miſeratione divina & Apoſtol. Sedis gratia Archiepiſcopus Jadrenſis, Commiſſar. Apoſtolicus Albaniæ, Serviæ, Macedoniæ, Bulgariæ, & Boſnæ, toto comitante Ven. Capitulo & clero, ſacra ſollemni pompa deſcendit una cum Reverendiſſimo P. F. Paulo Draghichevich ord. Min. S. Franciſci de obſervantia nuncupatorum in Metropolitanam hujus civitatis Eccleſiam ſub titulo S. Anaſtaſiæ magnifice exultam, ubi a vigili cærimoniarum Magiſtro paratis omnibus, quæ ad hoc ſollemne munus peragendum requiruntur; aſſumptis loco Epiſcoporum Reverendiſſimis DD. Joanne Baptiſta Corradini J. U. D. Archidiacono, & Joanne de Chryſogonis J. U. D. Archipresbytero, in dignitatibus hujus Metropolitanæ Eccleſiæ conſtitutis; pontificalibus paramentis indutus ſacræ conſecrationis initium ſuſcepit; cui Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. Archiepiſcopo, in Faldiſtorio ante altare ad hoc ſpecialiter erectum ſito, ſedenti, per antedictum Reverendiſſimum D. Joannem Corradini Archidiaconum, antiquiorem ex aſſiſtentibus, præfato Reverendiſſimo electo petitione facta, illum ad onus epiſcopale ſublevandi, ac ab ipſomet Reverendiſſimo Domino Archidiacono, Apoſtolico mandato mihi infraſcripto Procancellario Archiepiſcopali tradito, illud alta & intelligibili voce perlegi; ac ſubinde in manibus præfati Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi D. D. Archiepiſcopi fidei profeſſione in forma emiſſa, ac ſollemni juramento fidelitatis debitæ Sanctiſſimo D. noſtro & Romanæ Eccleſiæ ab eodem Reverendiſſimo D. conſecrando præſtito, examine peracto, in Epiſcopum Diumenſem Eccleſiæ in Macedonia ſub Archiepiſcopo Theſſalonicenſi eumdem Reverendiſſimum P. Paullum Draghichevich conſecravit, per traditionem baculi, impoſitionem annuli in digito & infulæ in capite, ac per oſculum pacis, cum obſervatione exactiſſima cærimoniarum omnium a Romano Pontificali præſcriptarum.

Acta ſunt hæc Jadræ die, menſe, anno, loco, quibus ſupra; præſentibus admodum RR. DD. Joanne Campſi, & Bonifacio Vidali Canonicis hujus Metropolitanæ, ac univerſo clero & populo civitatis Jadrenſis.

Benedictus Spinelli Curiæ Archiepiſcopalis Jadrenſis Procancellarius præſens inſtrumentum confecit, præmiſſis interfuit, in hanc publicam formam redegit, ſubſcripſitque ſe, & curiæ ſigillo roboravit.

Vincentius Zmajevich, miſeratione divina, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcop. Jadren. Commiſſarius Apoſtolicus Albaniæ, Serviæ, Macedoniæ, Bulgariæ, & Boſnæ.

Univerſis & ſingulis præſentes inſpecturis, ſeu lecturis fidem facimus, atque atteſtamur, ſupraſcriptum Presbyterum Benedictum Spinelli eſſe talem, qualem ſe fecit; cujus ſubſcriptioni hic plena fides habeatur & ubique adhiberi poteſt. In quorum fidem &c. Jadræ ex noſtra Archiepiſcopali Curia, die prima Julii 1741. L. ✠ S.

V. Archiepiſcopus.

Coadjutor Archiepiſcopalis de mandato.

Status hodiernus Eccleſiæ Boſnenſis.

Anno 1766. menſe Auguſto P. Paullus Dragechivichius onus Vicarii apoſtolici depoſuit, & in ejus locum electus eſt P. Bonaventura Benichius ex eodem ordine S. Franciſci: ſed P. Bonaventura hoc munus detrectante, in Dragechivichium recidit iterum adminiſtratio Eccleſiæ Boſnenſis. Quo vero nunc in ſtatu ſit res Chriſtiana & Catholica Boſnenſis, intelligi poteſt ex deſcriptione Provinciæ Franciſcanæ Boſnæ Argentinæ, quam mihi communicavit Reverendiſſimus P. Philippus de Ochievia Miniſter exprovincialis, cum Mantuam ad comitia generalia ſui ordinis pergeret. In hac quippe vinea Dominica Boſnenſi excolenda ſoli PP. Franciſcani de obſervantia portant pondus diei & æſtus.

Provincia Boſnæ Argentinæ.

Quæ cum tota ſub ditione ſit Turcica, plurimos ſuos Conventus vel tyrannide ſolo æquatos, vel ob intolerabilia tributa calumniaſque relictos a Fratribus ſubſiſtere non valentibus ingemiſcit, ſolos Conventus formales cum eccleſiis publicis, in quibus chorus culturaque divinorum officiorum ac functionum viget, numerat 3.

In his ſcholæ & ſtudia humaniorum pro educandis juvenibus ad habitum recipiendis, per deſignatos magiſtros religioſos excoluntur; nam extra nec ſcholæ, nec litterati dantur. In his novitii induuntur. In his ſenes, quos poſt exantlatos labores quies decet, foventur. Ceterum in aliis locis eccleſiæ non extant, ſed miſſionarii, & parochi per totum regnum Boſnæ & ducatum S. Sabæ, ferendo ſecum capellas portatiles, ſacra faciunt in domibus Chriſtianorum, in ruderibus Conventuum dirutorum, in cœmeteriis, in

palea-

palearibus ſæpe ; ac etiam in ſylvulis ſub arboribus, declinando inſolentium Turcarum inſolentias. Licet pro his exercitiis ſacræ religionis catholicæ quotannis expendatur ſumma ingens, tam præſidi diplomata imperialia inviſenti, & ſubſcribenti, tam aliis dominis terreſtribus, ac magnatibus.

Item reſidentias, quæ ſicut & plures Conventus *diruti & deſolati poſſent in monaſteria reparari & elevari, ni obſtaret tyrannis, & intolerabilium tributorum penſio, numerat* 6.

nimirum S. Michaelis Archangeli de Vareſc; B. V. Mariæ ad cœlum aſſumptæ de Travnik; B. V. Mariæ natæ de Saralio; S. Michaelis Archang. Ivanskæ; S. Petri Salinarum; S. Joannis Baptiſtæ de Jaice.

Abs noviſſimo Capitulo generali numerat Religioſos vita functos numero 28.

Religioſos ad habitum ſuſceptos 40.

Religioſos nunc in vivis 150.

Quorum Sacerdotes ſunt 103.

Hi omnes (ſenibus exceptis, quos poſt exantlatos labores quies decet, ac paucis aliis, qui extra provinciam ſtudiis incumbunt altioribus) perpetua legatione pro Chriſto indefeſſi funguntur, ejus gregem paſcendo doctrina catholica, prædicatione evangelica, atque Sacramentorum adminiſtratione, non modo ut miſſionarii, verum etiam ut parochi. Nam orthodoxæ fidei catholicæ ſoboles, quæ in dictis regno ac ducatu viget, ac gliſcit Domino benedicente in dies, non novit, nec etiamnum noſcit alios in Chriſto genitores ac paſtores, quam Religioſos hujus provinciæ ſacri noſtri Ordinis Seraphici.

In præſentiarum igitur, quas in Chriſto genuimus, & cum ſudore paſcimus, oviculas inter lupos numeramus ultra quam 56000.

Diſcretas in Parochias 32.

Quæ extenduntur per totum regnum & ducatum præfata, nulla quippe non conſtat pluribus villis, in quibus plerumque catholici promiſcue domos habent cum Turcis & ſchiſmaticis Græci ritus, & quidem hos infeſtiores hoſtes toleramus, quam Turcas ipſos. Nunquam enim nobis non inſidiantur, quo nos ſuæ juriſdictioni ſubjiciant, ſunt autem in hac patria numero & opibus majores catholicis in duplo. Noviſſime contigit, ut, cum modernus Sultanus thronum conſcendiſſet, non fuerit nobis facultas tam cito mittere Conſtantinopolim pro confirmandis diplomatibus anteceſſorum ſuorum, quin præveniremur a Patriarcha Diocleæ (qui Primatum uſurpat totius Illyriæ), & Epiſcopo Metropolitano Boſnenſi Græcis ſchiſmaticis. Hi itaque præmuniti diplomate novi Sultani an. 1760. in menſe Majo venerunt, rebuſque ſuis utut directis in aula præſidis (qui vulgo Paſſa *dicitur & auctoritate Proregis fungitur) litem nobis indicunt, quam conteſtare oportuit, ne una cum populo eorum juriſdictioni ſubjiciremur. Indictis itaque precibus, & jejunio, atque aſſumpta B. M. V. mediatrice apud Altiſſimum, primi Patres provinciæ, una cum Guardianis, omnes vires ac conatus exercuerunt, nulli incommoditati parcentes, noctes inſomnes ducentes, donec magnatum animos ſibi magnis muneribus conciliarunt: quibus mediantibus* Paſſam *quoque fuſo ære in ſuum favorem traxerunt. Quibus omnibus nocturno tempore clandeſtine compoſitis,*

Ecce plane in vigilia Aſſumptionis magnæ Dominæ die 14. Auguſti, citati ad tribunal pro litis deciſione confrontati cum Græcis ſtetimus: ubi ad pauca interrogata judicis, Metropolitano pro Græcis, & adm. R. Patre ex Min. provinciali

ſeniore pro catholicis reſpondentibus, data eſt ſententia Deo opitulante per interceſſionem B. V. in favorem catholicorum, qua Græci eo magis perculſi & confuſi diſceſſere, quo ſibi ſecuriores videbantur de victoria, comminantes nova molimina. Faxit Dominus, ut nos in pace relinquant, quia nondum ſubſiſtimus ſine formidine.

APPENDIX

AD EPISCOPOS BOSNENSES.

JOſeph Antonius Chiolnich Epiſcopus hodiernus Boſnenſis, ſeu Diacovenſis, vir præclara eruditione atque doctrina ornatus, inſtructuſque virtutum omnium, quæ ad munus epiſcopale pro dignitate ſuſtinendum & ſancte gerendum requiruntur, cujus excellens ingenium, ſingularem modeſtiam ac pietatem ego demirabar, cum uterque Theologicis ſtudiis dediti Romæ una eſſemus in Collegio Germanico, de Diacovenſi Eccleſia, ejuſque poſterioribus Epiſcopis brevem ac dilucidam Epitomen rogatu Patris Rectoris Collegii Zagrabienſis Soc. Jeſu confecit. Hanc mihi ab eodem P. Rectore tranſmiſſam omnino dignam cenſui, quam cujuſdam Appendicis loco ad Epiſcopos Boſnenſes adjungerem. Haud pauca continet, quæ mihi ignota fuerant, quæque lectoribus pergrata, perque jucunda fore confido. Si quæ ab illis, quæ per nos expoſita ſunt, paullulum diſcrepare videbuntur, utra utris præferri oporteat, aliorum ſit judicium.

Joſephi Antonii Chiolnichii Epiſcopi Boſnenſis, ſeu Diacovenſis, de Diacovenſi Eccleſia ejuſque poſterioribus Epiſcopis Epitome.

UT amicæ requiſitioni adm. R. P. Xaverii e liberis baronibus de Pejachevich almi Collegii S. J. Zagrabiæ Rectoris pro parte hiſtoricorum Sacri Illyrii factæ pro poſſe reſpondeam, Donationem Ferdinandi tertii glorioſæ memoriæ Imperatoris & regis Hungariæ pro baſi & fundamento plurium ex quæſitis hic adnecto.

Apparet ex hac primo Diaco eſſe civitatem. Secundo quod Epiſcopatus nomine veniat, ut demonſtrat clare ly alias Diacovenſis. *Tertio quod Diaco civitas & dominium totale ad ſpirituale & temporalem juriſdictionem Epiſcoporum Boſnenſium, alias Diacovenſium, pertineat. Quarto omnium beneficiorum jus patronatus quod habeat. Quinto inter Savum & Dravum juriſdictionem ſpiritualem protendat. Sexto quod Cathedralem S. Petri, quæ eſt Diacovæ, & Capitulum habuerit Epiſcopatus Boſnenſis ſeu Diacovenſis. Sequitur Donatio per extenſum.*

Ferdinandus Dei gratia &c. Memoriæ commendamus tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit univerſis; quod nos, cum ad ſingularem certorum fidelium noſtrorum interceſſionem & diligentem recommendationem religioſi Fratris Mariani Marovich Provincialis Boſnę Argentinę apud nos factam, tum etiam pro ea, qua in conſtituendis eccleſiarum Dei legitimis Paſtoribus tenemur, cura & ſolicitudine, ipſum Marianum Marovich ad Epiſcopatum Boſnenſem, alias Diacovenſem, per mortem & deceſſum Reverendi Thomæ Marniavchich ejuſdem Epiſcopatus Boſnenſis, alias Diacovenſis, ultimi veri & immediati poſſeſſoris,

de jure & de facto vacantem, auctoritate juris patronatus noſtri regii, quod in conferendis omnibus regni Hungariæ partiumque & regnorum eidem annexorum eccleſiis & beneficiis inſtar divorum quondam Hungariæ regum prædeceſſorum noſtrorum feliciſſimæ reminiſcentiæ habere & exercere dignoſcimur, nominandum, eligendum, & præſentandum eſſe duximus; eumdemque Epiſcopatum Boſnenſem, alias Diacovenſem, ſimul cum omnibus caſtris, caſtellis, oppidis, villis, poſſeſſionibus, prædiis, portionibus, ſignanter vero civitate Diaco territorioque ejuſdem, & aliis cunctis pertinentiis inter fluvios Savum & Dravum adjacentibus ſub ſuis veris metis & limitibus ad eumdem Epiſcopatum Boſnenſem, alias Diacovenſem, de jure & ab antiquo ſpectantibus & pertinere debentibus, nec non cum omnibus ejuſdem juribus, honoribus, libertatibus, prærogativis, proventibus, obventionibus, & emolumentis præfato Mariano Marovich omni eo jure & juriſdictione, qua anteceſſores ſui dictum Epiſcopatum ab antiquo pacifice poſſederunt, dandum duximus & conferendum, nullum alium per quemlibet tandem, quoquo modo in dictum Epiſcopatum, vel aliquam diœceſis illius partem impoſitum vel imponendum, aut ſe qualitercumque ingerentem agnituri, vel in eodem toleraturi; quin immo pro ſumma, qua ut Rex Hungariæ Apoſtolicus utimur, facultate & auctoritate memoratum Epiſcopum Boſnenſem, alias Diacovenſem, contra tales omnibus opportunis modis & mediis adhibitis defenſuri & tutaturi, concedentes inſuper & conferentes eidem jus patronatus quoque noſtrum regni in conferendis perſonis idoneis, & bene meritis, ejuſdem Eccleſiæ Boſnenſis, alias Diacovenſis, beneficiis quovis tempore vacaturis. Immo nominamus, eligimus, præſentamus, damuſque & conferimus præſentium per vigorem. Quocirca vobis fidelibus noſtris honorabilibus Capitulo dictæ Eccleſiæ Boſnenſis, alias Diacovenſis, harum ſerie firmiter committimus & mandamus, quatenus amodo impoſterum præfatum Marianum Marovich pro veſtro vero & indubitato Epiſcopo & Prælato habere, tenere, & recognoſcere, eique debitam reverentiam, honorem, & obedientiam, ſicut bonos eccleſiæ Miniſtros decet, præſtare & exhibere, in omnibus denique licitis & conſuetis rebus juriſdictioni ipſius parere & obtemperare modis omnibus debeatis & teneamini, ſecus non facturi præſent. per lect. exhib. reſtit. Datum in civitate noſtra Viennæ Auſtriæ die 4. menſis Septembris 1646.

Epiſcopatum Diacovenſem, antequam illi conjungeretur Epiſcopatus Boſnenſis, & idem cum illo efficeretur, per ſe fuiſſe Epiſcopatum innuit illud ly alias. *Hoc ipſum ex magni nominis hiſtorico Bonfinio patet libri primi decade prima, ubi inter inferioris Sclavoniæ comitatus, dum nominat comitatum Valconenſem, ita ait.* Deinde Valconenſis, in quo Vylacum oppidum non ignobile, Epiſcopatuſque Diacenſis, qui maximam Myſiæ partem quondam obtinebat, nuperrime excellentiſſimum Epiſcopum ſortitus eſt Stephanum Criſpum inaudita humanitate, mira optimarum artium diſciplina, præterea fide, clementia, liberalitate, ac prudentia incredibili, cui ſi fata vitam prorogabunt, nihil eſt tam magnum, quod virtute & probitate ſua ſperare non poſſit.

Accedit Uladislai glorioſæ memoriæ regis decreti tertii articulus primus. De Capitulo Boſnenſi ſtatutum eſt, quod ex quo ejus Canonici totaliter deſtructi eſſe dignoſcuntur, pro reformatione Eccleſiæ illius, quæ in honorem S. Petri conſtructa eſt, habeant facultatem ubique per totum regnum pro teſtimonio capitulari ambulare, inſtar Capituli Budenſis. *Extat adhuc dum Diacovæ ſuper ruderibus antiquæ S. Petri cathedralis eccleſiæ per glorioſæ memoriæ Epiſcopum Patachich ædificatæ ejuſdem Sancti honori.*

Alter articulus 57. decreti tertii ejuſdem regis Uladislai. Nemo ex dominis Epiſcopis, & eccleſiarum prælatis, aliiſque perſonis eccleſiaſticis duas dignitates, aut alia beneficia eccleſiaſtica, etiam minutiſſima tenere, gubernare valeat &c. dempto Epiſcopo Boſnenſi pro tempore conſtituto, qui duo tantum beneficia eccleſiaſtica, & non plura tenere valeat, ex quo deficit in proventibus & caſtra quædam finitima tenere debet.

Horum caſtrorum finitimorum extat memoria in ipſo dominio Diacovenſi primum in Gorjan, *ubi parochia tunc, & modo diœceſis Diacovenſis, viſitur hodiedum turris murata quinque contignationum, & ingentis foſſati hanc circumdantis veſtigia; aliud caſtrum* Varos *dictum quod latinis civitas, ubi & hodie pagus nomen retinet, juriſdictionis temporalis & ſpiritualis Epiſcopi Diacovenſis. Parochiæ hujus diœceſis adminiſtrantur per Presbyteros ſæculares, de quibus uberius, dum de nunc gubernante Eccleſiam Diacovenſem Epiſcopo ſermo fuerit. Alumnum habet unicum ad ſanctam domum Lauretanam fundationis Gregorii XIII. Summi Pontificis.*

In Boſna ditioni Turcicæ ſubjecta adminiſtrationem Epiſcopatus habet modo Epiſcopus Dulmenſis; nec unquam ad titulum Eccleſiæ Boſnenſis aliter conſecratur, quam per regem Hungariæ Summo Pontifici præſentatus, qui Epiſcopus eſt Boſnenſis ſeu Diacovenſis; in Boſna vero Turcica ad alium titulum conſecratus & per Summum Pontificem miſſus vicaria fungitur poteſtate.

Epiſcopus Joannes, aliis Tomco, aliis Tonti, fuit. Thomas Marniavchich immediatus prædeceſſor Mariani Marovich, ut clarum exhibet præappoſita donatio regia. Nomine regis Hungariæ per Cardinalem Ludoviſium pro confirmatione propoſitus & per Summum Pontificem confirmatus 1631. 10. *Novembris. Hic ut & alii Epiſcopi Boſnenſes ſeu Diacovenſes, dum per barbariem Turcarum licuit, reſedit Diacovæ.*

Marovich Epiſcopus nomen habuit Marianus, ut docet Ferdinandea donatio. Non extat notitia alterius Epiſcopi inter hunc & Plumbenſem, & ſic videtur vixiſſe ad annum 1670. *vel* 1671. *Expeditio ſuper Epiſcopatu* Boſnenſi *alias* Diacovenſi *non per hunc Epiſcopum impetrata eſt primo. Nam huic Epiſcopatui a ſæculis incorporatus eſt Boſnenſis, quam auctor libri Topographiæ regni Hungariæ intitulatum rejicit ad Belæ quarti tempora in hæc verba:* Crediderim juris hujus originem rejiciendam eſſe ad Belæ quarti regis tempora, quem indubitatum mihi eſt Epiſcopo Boſnenſi eccleſiam cathedralem cis Savum erigi mandaſſe. *Et hæc eſt Eccleſia S. Petri Diacovæ, quæ poſtliminio reſtituta viſitur. Mortuus eſt Diacovæ & ſepultus in cathedrali, ut in lapide ſepulcrali legere eſt, Goticis litteris cognomen expreſſum, attritis characteribus epitaphium diſtingui non poteſt.*

In uſu expeditionis ſupra attactæ & ipſe & ſucceſſores Epiſcopi Boſnenſes ſeu Diacovenſes uſque hodie ſunt poſſidentes civitatem Diaco cum appertinentiis.

Plum-

Plumbenſis Epiſcopus cognomine Olovchich nomen ex baptiſmo habuit Franciſcus, ingreſſus religionem ſeraphici ordinis accepit nomen Nicolai, quod & retinuit ut Epiſcopus. Hic Nicolaus Plumbenſis rexit Eccleſiam Boſnenſem, ſeu Diacovenſem annis triginta. Reſidentiam habuit Diacovæ, ubi modo Franciſcanorum ſacriſtia cum adjuncta capella, ut turbulenta permittebant tempora. Vir doctus zelo divinæ gloriæ promovendæ & animarum ſalutis plenus, qui pro benefactis & magnis in Eccleſiam Dei meritis gladiis impiorum (id eſt latronum) occubuit, in oratione defixus ipſa vigilia aſſumptæ in cœlum immaculatæ Dei genitricis Virginis Mariæ. Cædis illatæ impietatem, etiam in poſteris latronum, noluit inultam manere Dominus, horum enim nemo ad virilem ætatem integro pervenit judicio. Prælatus hic pretioſus Diacovæ ſepultus, dein Naſſiczas translatus ad Patrum Franciſcanorum Eccleſiam, Divo Antonio Paduano erectam. Turbulentis iis temporibus, vix vivere potuit, nedum operari; extat tamen in Cathedrali Diacovenſi caſula argenteo & ſericeo filo texta & paſtorale argenteum inauratum. In lapide ſepulcrali legitur epitaphium ſequens.

Hoc jacet in tumulo Præſul Plumbenſis, inique
Quem dedit innocuum dextra inimica neci,
Iſte ſuis ovibus ter denis præfuit annis
Doctrinæ radiis & pietate nitens.

Poſt mortem Plumbenſis, vacavit Epiſcopatus Boſnenſis, ſeu Diacovenſis, anno integro, quo elapſo nominatur

Petrus Chernkovich Croata Canonicus Zagrabienſis & Præpoſitus S. Petri de Poſega, nunc Captol. De hoc nominato Epiſcopo ſucceſſor ſuus Epiſcopus Georgius Patachich hæc ſcripto reliquit. Vir doctus, pius, amabilis, omnique virtute excultus, qui dum Bullas conſecrationis Roma expectat, ad cæleſtes infulas immaturo dolendoque fato eſt evocatus Zagrabiæ die Cinerum 1703.

In hujus locum ab auguſto Imperatore ut rege Hungariæ Leopoldo nominatus extitit Georgius Patachich de Zajezda nobili Croatarum ſanguine genitus, ætatis ſuæ annorum triginta trium. Præpoſitura de Captol eodem anno donatus, vix Bononiæ abſolutis ſtudiis & Theologiæ laurea coronatus, Canonicus Zagrabienſis & Archidiaconus Varaſdinenſis conſecratur in Cathedrali Zagrabienſi 1704. 30. *Martii ipſa Dominica in Albis, ab Epiſcopis Zagrabienſi Martino Braikovich, aſſiſtentibus autem conconſecratoribus Emerico Chaky Magno Varadienſi, dein S. R. E. Cardinali, & Joanne Znika Sibinicenſi, ac Canonico & cuſtode Zagrabienſi.*

Virum hunc ad maxima quæque virtus deſtinabat, ſed virium debilitas cito a ſuis ovibus deſiderari fecit, ut vere de eo dici poſſit, Conſummatus in brevi explevit tempora multa, ad beatam æternitatem vocatus 1716. *menſe Martio. Cum ſtatim ac gubernare cœpiſſet, feliciter omnes eo intendit vires, ut profanatam Mahometana barbarie & ſolo æquatam Apoſtolorum Principi dicatam cathedralem Eccleſiam Diacovæ ſuper ruderibus excitaret & conſecraret* 1709. *Reſidentiam inter muros antiquæ arcis (inter quos Eccleſia cathedralis) prout anguſtiæ permittebant temporis, erexit ligneam duarum contignationum. Celebravit ſynodum diœceſanam, cui præter domeſticum clerum adfuit cum ſuo clero Reverendiſſimus Vicarius, ſeu adminiſtrator Sirmienſis Epiſcopatus Lucas Natalis. Patres Franciſcanos introduxit primus Diacovam; fundis ſufficientibus dotavit, & Moſcheam Turcicam in formam eccleſiæ ædificavit iiſdem Patribus Franciſcanis, quam Immaculatæ Conceptæ Dei Genitricis Virginis Mariæ titulo decoravit, ac conſecravit, in qua expectat reſurrectionem mortuorum.*

1716. 24. *Aprilis per ſuam majeſtatem Imperatorem ut regem Hungariæ Carolum VI. Petrus Bakich nominatus ſuæ ſanctitati Summo Pontifici pro bullis conſecrationis commendatur. Rexit Epiſcopatum Boſnenſem ſeu Diacovenſem ad annum* 1749. *menſ. Julii diem* 5. *Dilatavit aliquantulum Cathedralem per Patachichium Diacovæ erectam, eandem imaginibus Sanctorum boni penicilli exornavit, paramentis ſacerdotalibus variis provident. Capellam extruxit Diacovæ, ubi prius Moſchea Turcica; poſuit in ea elegans omnibus SS. altare, & turrim proportionatam erexit: hæc Eccleſia modo Diacovæ parochialis; reſtauravit item capellas S. Martini in Selcze, S. Bartholomæi in Mikanovczi, B. V. M. Doloroſæ in Dragotin, omnes tres muratas; mortuus eſt in ſuo caſtro Kriſevlyane ætatis ſuæ 79. ſepultus ad parochialem S. Crucis.*

In hujus locum eodem menſe nominatus eſt & anno nobilis Croata Franciſcus Tauſy, qui abſoluto Viennæ Philoſophico & Theologico curſu, rediens in patriam, ad curam animarum miſſus eſt, in qua comparatis meritis ſit Canonicus Zagrabienſis anno . . . deinde Archidiaconus N. . . . ex quo nobiliſſimo Capitulo de gratia Dei & ſuæ clementiſſimæ majeſtatis gratia anno ſupra attacto venit Diacovam, ut Epiſcopus Boſnenſis, ſeu Diacovenſis; ubi vix biennio exacto, magno ſuo animo & pari deſiderio, concepta perficere nequivit, arctatus brevitate temporis & gravibus Diatæ Hungaricæ expenſis 1751. *Eccleſiam S. Petri cathedralem conſecravit ab ejuſdem, poſt primam conſecrationem, immutatione; providit calice pretioſo eamdem eccleſiam & caſula elegantis laboris. Domum cereviſiariam prius inutilem ſuis expenſis proficuam ſibi & ſuis ſucceſſoribus fecit. Meritis ſuis ad majorem vocatus Infulam, transfertur Diacova Zagrabiam anno* 1751. *Cum anno . . . conſecratus fuiſſet ad titulum Eccleſiæ Boſnenſis, ſeu Diacovenſis, per Dominum Comitem Franciſcum Klobuſſichky Epiſcopum Zagrabienſem, aſſiſtentibus Dominis Epiſcopis conconſecratoribus Wolfgango Chiolich Segnenſi & Zikoti Petinenſi, præter attacta, duo prope florenorum millia ad decorem & emolumentum Eccleſiæ Diacovenſis reliquit. Quia idem vivit, cui longam precor vitam, plura de ſuis factis adm. Rev. Patri Rectori dicere poterit, ad quem effectum hic ſpatium relinquitur.* (Sed nihil huic additum fuit.)

Hunc ſecutus ſum ego, qui exiguam hanc ſcribo notitiam, Joſephus Antonius Chiolnich de Chiolka, cujus antenati devaſtato & occupato per Turcas regno Boſniæ ſub clementiſſimam Auguſtæ Domus Auſtriacæ protectionem confugerunt, relicto caſtro Chiolka non longe Bihachino diſſito, & in principio adventus ad partes Caroloſtadienſes caſtro Oſtercz de clementia regia donati fuerunt.

Series vitæ meæ hæc eſt. Sub vigili & benigno oculo Venerabilium PP. S. J. omnia abſolvi ſtudia humaniora Zagrabiæ, logicam & phyſicam Viennæ, metaphyſicam & ſacram Theologiam Romæ, ut alumnus nobiliſſimi collegii Sancti Apollinaris; ſub doctiſſimis Patribus defendi, philoſophiam quidem præſide Patre Zuzeri, ſacram vero Theologiam præſidentibus Vargas Hiſ-

pano & Bricialdi Italo; quibus peractis, laurea Theologiæ in ſupra fato collegio decoratus, redii in patriam. Applicatus illico ad curam animarum, ut cooperator ſive capellanus apud parochum Gabrielem e Comitibus Patachich, qui deinde Archiepiſcopus Colocenſis, ibi ſemeſtri exacto factus ſum parochus, & quatuor prope annis in parochia exiſtens, per glorioſæ memoriæ zelantiſſimum Epiſcopum Georgium Branjugh factus ſum Canonicus Zagrabienſis 1728. principio menſis Januarii. In eodem Capitulo Zagrabienſi 1732. Archidiaconus Urbocz. 1733. Archidiaconus cathedralis, & 1739. Lector ejuſdem Capituli. Porro 1751. 30. menſis Julii ex Capitulo Zagrabienſi ad Boſnenſem, ſeu Diacovenſem Epiſcopatum, vocatus nullis meis meritis, ſed ejus ſumma miſericordia, qui etiam de indignis facit dignos, & clementia ſuæ majeſtatis Imperatricis & Reginæ Apoſtolicæ Mariæ Thereſiæ.

Conſecrationis munus accepi de manibus Comitis Franciſci Klobuſſichky Archiepiſcopi Colocenſis, idque Hajoſſini 1752. 9. menſis Julii, aſſiſtentibus conconſecratoribus Dom. Epiſcopis Georgio Klimo Quinqueccleſienſi, & Nicolao Joſepho Gyvovich Sirmienſi. His propitio Deo peractis feliciter, viſitata (olim florentiſſima) diœceſi Diacovenſi, reperi conſtrictam quatuor parochiis: hæ ſunt Diacova, Gorjan, Verbicza, Verhpolye: non erat antiquæ ſpecies, neque decor, ſed erat videre miſeriam. Igitur ad promovendam Altiſſimi gloriam & ſalutem animarum melius administrandam & procurandam, tres novas erexi parochias, Zemelcze, Piskorevcze, Ternava. Has zeloſis providi parochis, Zemelcenſem quidem Stephano Sertich Theologo Viennenſi, linguarum Illyricæ, Latinæ, Germanicæ, & Italicæ gnaro; Piskorevicenſem Joſepho Antonio Ulaſſich Theologo Zagrabienſi, linguæ Illyricæ, Latinæ, & Germanicæ gnaro; Ternavenſem Georgio Pleſſe Theologo Zagrabienſi.

Diligendo decorem domus Domini, cum non inveniſſem in cathedrali Eccleſia S. Petri, conveniens altare erexi ad ejuſdem Sancti honorem ex gypſo eleganter factum florenis mille quingentis; faventibus ſuperis erecturus ejuſdem elegantiæ reliqua, ſi vita comes fuerit. Eccleſiam cathedralem terræ motu plures paſſam rupturas reparavi, & turrim ſolidam erexi, majori campana donatam. Provisi eamdem cathedralem affabre facta monſtrantia & pluribus argenteis inauratis calicibus; item ornatu Epiſcopi ſuper byſſo rubra eleganter auro texta, & alio inferioris qualitatis ornatu. Deſolatam in Dragotin eccleſiam reſtauravi, ſtacatura ornavi & eleganti ara in honorem B. V. Doloroſæ,

Jactando cogitatum in Domino, qui voluntatem timentium ſe facit & deprecationem eorum exaudit, cum reperiſſem reſidentiam ligneam, palatium epiſcopale a fundamentis nobiliter extruxi & inſtruxi; longitudo palatii eſt orgiarum 31. latitudo orgiarum ſeptem & unius pedis, in ſuperiori plano ſtructura ædificii eſt more Gallico, ut fornices elegans ſtacatura decoret. Hæc reſidentia adjacet muris S. Petri, Eccleſiæ cathedralis. Erexi conſervam frumenti muratam 20. orgiarum longitudinis, 6. latitudinis.

Quia autem ob crebras barbaricas excurſiones locus hic adhuc redolet ſolitudinem, & non niſi ſpeciali Dei adjutorio, & vigili œconomico oculo decori reſtitui poteſt; ampliavi œconomiam per magnas terrarum extirpaturas terras arabiles efficiendo, emi vineam perpetuo apud eccleſiam manſuram pro duobus millibus ſexcentis florenis, & in ejuſdem vineæ contiguo, vineam implantavi in quantitate & qualitate emptæ ſimilem; ibidem erexi ædificium cubiculorum ſeptem. Ad promovendam œconomiam erexi molam ut ajunt boveſtrem, quam ſuo greſſu boves rotant, ad quatuor lapides, ſeu duas rotas; & aliam fluvialem, ad ſex lapides, ſive tres rotas, quæ ad tria millia florenorum aſcendunt. Majora ad Dei gloriam facturus, ſi vita comes fuerit, & benedictio Dei, quam humillime imploro, aderit.

Joſephus Ant. Chiolnich m. p.

EPIS-

EPISCOPI CORBAVIENSES,

MODRUSSENSES, SENIENSES, ET OTTOCIENSES.

EPISCOPI CORBAVIENSES.

IN ea Dalmatiæ regione ad occaſum extrema, inter Arſiam ac Tedanium, quam veteres Japidiam dixere, Conſtantinus Porphyrogenitus tres Chrobatorum Zupanias, ſive Dynaſtias conſtituit, *Gutzecam*, *Cribaſam*, *Litzam*, quas a reliquis ultra Tedanium Zupaniis diſtinxit, & Bani unius imperio contineri ait. Gutzeca ab occidente prima eſt, huic proxima Litza vergens ad meridiem, poſtrema Cribaſa, quæ ſupra Litzam ad ſeptemtrionem aſſurgit. Ac *Litzam* quidem, nunc *Lickam*, *Cribaſam* vero, nunc *Corbaviam* Slavorum vocabulo recentiori, a primitivo non prorſus abſimili, appellant. Corbavia igitur regio eſt, ut reliqua fere omnis Japidia, aſpera & montoſa, paſcuis, quam ſegetibus aptior, dura cultu, & nihil propemodum ferens, niſi multa cultura, magnoque labore quæſitum. Montibus interjectæ quædam planities vinum, triticum, aliaſque fruges incolis parce & avare ſuppeditant. Ceterum plerique incolarum gregibus armentorum atque ovium alendis paſcendiſque dant operam; hinc potiſſimum illis ſuppetunt quæ ad victum & veſtitum neceſſaria ſunt. Hi populi, ut ceteræ gentes Japidiæ, *Mauroloulahi* patria lingua vocantur, & vocabulo ad faciliorem Italicæ linguæ ſonum inflexo *Morlachi*, oriundi ab illis Slavis, qui jam inde a ſeptimo ſæculo has terras conceſſu Heraclii Imperatoris occuparunt; niſi forte huc poſterioribus ætatibus e Bulgaria, ut ſcripſit Presbyter Diocleates, migraverint; gens ferox & bellicoſa & pugnandi avida, præſertim ubi contra Turcas Chriſtiani nominis hoſtes in aciem ſit prodeundum; cum illa enim paſtoritia & agreſti vita indolem militarem & armorum ſtudia conjungunt. Ab ſeptemtrione Unna, ab oriente Tedanio fluminibus Corbavia definitur, a meridie Lickanos attingit, in occaſum vero uſque ad confinia Gutzecæ protenditur. Habitatur autem qua vicis, qua caſtellis ſane frequentibus; ceteris tectorum & incolarum numero præſtat *Uduina*, ſive Udbinya, caſtellum mœnibus & propugnaculis antiquo opere cinctum, quod *hodie*, ait auctor Topographiæ Hungaricæ, *plurimas inter arces, quarum rudera dumtaxat, nitoris ac firmitudinis plurimum retinet*. Civitas totius gentis primaria erat, ut ferunt, *Corbavia*, a qua tota illa regio denominata eſt *Comitatus Corbavienſis*; ſed ubi loci hæc fuerit, & quonam fato interierit, neque memoriæ proditum eſt, neque ulla extant veſtigia, e quibus ejus poſitio dignoſci poſſit. *Civitatem Corbaviæ nomine* (ait Scriptor modo laudatus) *inſignem alicubi floruiſſe, a qua totus diſtrictus nomen acceperit, nemo arbitror prudens negaverit; quæ autem ejus fata, viciſſitudineſque fuerint, vix ullus queat eruere*. Urbem totius Corbaviæ principem *Corbavam* Ratkajus vocat. Hanc regionem cum tota Japidia Cæſar Auguſtus ſub imperium populi Romani redegit. Poſt ſedem imperii Conſtantinopolim translatam, paruit Imperatoribus Græcis, deinde ducibus & regibus Chrobatiæ, demum regibus Hungariæ. Hi vero Principatum Corbaviæ fiduciarium dare ſolebant alicui e Dynaſtis Chrobatiæ, quem titulo Comitis ornabant; ex quo dictus eſt *Comitatus Corbaviæ*. Poſt initium ſæculi decimi quarti dominatum Corbaviæ obtinebat a Carolo Roberto rege Hungariæ ſibi traditum Curiacius e nobiliſſima gente Guſſichia, divitiis, virtute, fortunaque cum ſua, tum publica præpollens, a quo ejus poſteri, avito familiæ nomine poſthabito, Curiacii cognominari voluerunt. Curiacio in principatum ſucceſſit Radoslavus filius, Thomas nepos, & alii deinceps. Anno circiter 1530. Turcæ Corbaviam familiæ Carlovichiæ, e Curiaciis oriundæ, ademptam ſub poteſtatem redegerunt,

Corbaviæ deſcriptio, incolæ, fines, & civitas olim primaria.

Quibus paruit?

Epiſcopatum Corbavienſem inſtituit an. 1185. Petrus VII. Archiepiſcopus Spalatenſis in Synodo Provinciali, quæ habita eſt in æde ſuburbana S. Andreæ, cui erat *Piſtæ* cognomen. Corbavia, & fere omnis regio illa, quæ longius abeſt a mari, ad jus ditionemque epiſcopalem Eccleſiæ Spalatenſis pertinebat; ſed tum propter nimiam longinquitatem ac diſtantiam, tum propter interjectas montium altitudines, viarumque aſperitates & anguſtias, adminiſtratio rei chriſtianæ in locis adeo disjunctis & luſtratio paræciarum perincommoda erat ac perdifficilis antiſtiti Spalatenſi. Quocirca Petrus Archiepiſcopus, ut earum gentium commodis, utilitatique ſerviret; non dubitavit diœceſeos ſuæ limites contrahere, & quantum ſibi de juriſdictione detrahebat, tantumdem de proventibus Menſæ Archiepiſcopalis diminuere. Itaque de ſententia Concilii novam in Corbavia condere Eccleſiam, novumque Epiſcopum conſtituere decrevit, cujus fidei, vigilantiæ, poteſtati populos illos commendaret. *In hac Synodo*, ait Archidiaconus cap. XXII. *multa bona fuerunt ſtatuta; tunc limitatæ fuerunt diœceſes cujuslibet Epiſcopatus. Corbavia cum eſſet parochia Eccleſiæ Spalatenſis, voluit eam Archiepiſcopus ſibi detrahere, & in ea Epiſcopatum facere, Metropoli Spalatinæ ſubjectum; quod & factum eſt*. Acta & decreta hujus Synodi habes deſcripta in eodem Petro Archiepiſcopo Spalatenſi. Eadem Synodus loca etiam deſignavit, ac definivit, quæ juriſdictioni Corbavienſis Epiſcopi ſubeſſent, quæ ſunt hæc in noſtro exemplari Spalatenſi: *Corbavien. Epiſcopus habeat ſedem ſuam in Corbavia, & habeat has parochias, Corbaviam, Vinodol, Buſſan, Novigrad, Preſnic, Plas, & Modruſſam*. Cum ſedes epiſcopalis conſtituta fuerit Corbaviæ, & Corbavia una fuerit de paræciis diœceſis Corbavienſis; hinc apparet urbem fuiſſe, quæ communi regionis vocabulo *Corbavia*, ſive *Corbava*, ut eſt in exemplari Luciano ejuſdem Concilii, appellabatur; eratque totius gentis primaria, in qua & ædes cathedralis, & palatium epiſcopale. In deſcriptione aliarum diœceſeon eadem loquendi ratio ſervatur: *Tinien. Ep. habeat ſedem ſuam in Tenin, & habeat has parochias Tenin &c. Signien. Epiſcop. habeat ſedem*

Initia Epiſcopatus Corbavienſis.

ſuam

ſuam in Signia, & habeat has parochias Signiam &c. Pharen. Epiſc. habeat ſedem ſuam in Phar, Corbavia ſive Corbava civitas Epiſcopalis. *& habeat has parochias Phar &c.* Quemadmodum igitur hæ civitates erant epiſcopales, in quibus Epiſcopi modo nominati ſuas ſedes habere jubentur; ita etiam *Corbavia*, ſive *Corbava*, cui ſedes affixa erat Corbavienſis Antiſtitis, urbs erat epiſcopalis, eademque princeps regionis univerſæ. Nihil ergo cauſſæ eſt, cur alibi quæramus Sedem pontificiam Corbavienſem, quam alii Modruſſæ, alii Uduvinæ conſtitutam fuiſſe exiſtimant; niſi forte Uduvina temporibus illis appellata fuerit *Corbava*.

Deſcriptio diœceſis Corbavienſis. Præter Modruſſam & Novigradum, pleraque aliorum locorum, quæ huic diœceſi attributa ſunt, vocabula cum obſoleverint, ex his illorum poſitio vix, aut ne vix quidem poteſt dignoſci: omnia tamen inter Arſiam ac Tedanium in regionibus montanis ſita fuiſſe conſtat. *Vinodolium* erat caſtellum frequens & illuſtre, non ita longe a mari, in extremis ad occaſum finibus diœceſis Corbavienſis locatum. *Buſſan* niſi idem ſit, ac Lutſani, quem pagum Jacobus Cantellius in ipſis fere confiniis diœceſis Senienſis & Corbavienſis collocavit, ejuſdem poſitio ubinam inveſtigari poſſit ignoro. Oppidum erat refertum incolis tectiſque; ager circumjacens latiſſime patebat. *Novigradum* aſſidet ad ſinum cognominem, in quem Tedanium flumen illabitur, ſemirutis mœnibus, ac propugnaculis ſeptum. *Preſnich*, ſeu *Dreſnich* vicus eſt exiguus in excelſo colle fere ad caput Mereſnitzæ fluvii, qui curſu ad ſeptemtrionem obverſo in Savum infertur. *Plas* ſive *Plis* fortaſſe ad radices illius montis, qui *Pleſſinitza Mons* in tabulis Jacobi Cantellii inſcribitur; ſed in iiſdem tabulis, in media fere Japidia eſt *Plaſki nova*, & infra *Plaſcki vetus*; nec vero abſimile eſt, pagum utrumque, vel alterutrum *Plas* ſive *Plis* vocabulo in actis Concilii Spalatenſis deſignari. Modruſſa oppidum erat celebre olim ac nobile, in media itidem Japidia ſitum, millia paſſuum fere triginta diſtans a mari, de quo alio loco opportunius. In exemplari Luciano Synodi Spalatenſis *Buſſan* & *Vinodolium* abeſt a deſcriptione diœceſis Corbavienſis, & loco utriuſque eidem attributa eſt *medietas Licæ* adempta Senienſi, cui *Buſſan* in eodem Luciano adjungitur. Cum noſtrum Spalatenſe & Lucianum Tragurienſe exemplar hoc loco inter ſe diſcrepent, utri fides habenda ſit, in re ab noſtra ætate propter vetuſtatem adeo remota atque incerta, ſtatuere non auſim. Illud ſatis conſtat diœceſim Corbavienſem longius, quam Comitatum Corbaviæ, latiuſque patuiſſe; & fere uſque ad Arſiam productam, ab occaſu non aliis, quam quibus Dalmatia terminatur, limitibus definitam fuiſſe; ſiquidem Nicolaus V. Terſactum, quod eſt oppidum in ipſis fere confiniis Dalmatiæ, Corbavienſi diœceſi adſcripſit. A ſeptemtrione Zagrabienſem, ab oriente Boſnenſem ac Tinninienſem, a meridie Nonenſem & Senienſem, ab occaſu Polenſem diœceſes contingebat. Epiſcopi Corbaviæ in tabulis antiquis alias *Corbonenſes*, alias *Corboenſes*, alias *Kerbanenſes* appellari ſolent. Horum autem ſeries hæc eſt.

I. Matthæus an. 1185.
II. Martinus an. circ. 1224.
III. Saracenus an. 1240.
IV. Petrus an. circ. 1300.
V. Bonifacius an. 1332.
VI. Rodoslavus an. circ. 1340.
VII. Valentinus an. circ. 1350.
VIII. Ladislavus an. circ. 1360.
IX. Petrus II. an. circ. 1370.
X. Thomas an. circ. 1379.
XI. Nicolaus an. circ. 1388.
XII. Geminianus an. 1410.
Interregnum Epiſcopale.
XIII. Petrus III. an. 1418.
XIV. Vitus an. 1431.
XV. Franciſcus an. 1457.

Anno 1460. Sedes Corbavienſis Modruſſam translata eſt.

MATTHÆUS EP. CORBAVIENSIS I.

IN ea, quam dixi, Synodo provinciali Petrus VII. Metropolita Spalatenſis anno 1185. Epiſcopum Corbaviæ renunciavit Matthæum Marutæ filium, e collegio Canonicorum Spalatenſium electum, ætate quidem juvenem, ſed morum gravitate & prudentia maturum, ceteriſque ornatum virtutibus ad epiſcopale munus gerendum neceſſariis; quem primores cleri Corbavienſis, qui ad Concilium convenerant, ſummopere expetebant. *Ex voluntate cleri illius provinciæ, qui ad Synodum venerat, ordinatus eſt primus Epiſcopus Corbaviæ Matthæus Marutæ, Canonicus Eccleſiæ S. Domnii, juvenis quidem ætate, ſed honeſtæ converſationis, & ſobriæ vitæ.* Thomas Archid. cap. XXIII. Hiſt. Salonit. Conſecratione epiſcopali initiatus cum fuiſſet, in eadem Synodo ſubſellium inter Epiſcopos provinciales obtinuit, actaque omnia & decreta poſtremus Epiſcoporum ante Abbates approbavit, ſuumque nomen eiſdem adſcripſit. Urbanus III. tum Synodum Spalatenſem, tum vero inſtitutionem Epiſcopatus Corbavienſis, electionemque Matthæi auctoritate apoſtolica confirmavit. Exinde Corbavienſis Eccleſia annumerari cœpit inter eccleſias epiſcopales provinciæ Spalatenſis, ut apparet ex diplomate Clementis III. an. 1191. & Andreæ II. regis Hungariæ anno 1207. utrumque deſcriptum habes, alterum in Petro VIII. alterum in Bernardo Archiepiſcopis Spalatenſibus.

Matthæus ergo Epiſcopatum Corbavienſem adeptus, vir æque doctrina & ſanctimonia clarus, nihil habuit antiquius, quam ut novam ſedem egregiis imbueret inſtitutis, exempliſque, ac re ipſa oſtenderet verum eſſe, quod proverbii obtinet locum, primum cujuſque civitatis Epiſcopum ſanctum eſſe oportere, & virtutum omnium epiſcopalium ſplendore futuris ſibi ſucceſſoribus prælucere. Prima ejus cura verſa eſt ad ædem cathedralem ornandam, ſacraque ſupellectili inſtruendam; deinde clerum ordinavit, collegium Canonicorum inſtituit, eique presbyteros & clericos inferioris ordinis adjunxit, quibus illi adjutoribus atque adminiſtris ad laudes Deo canendas, & quotidianæ liturgiæ, divinique cultus officia obeunda uterentur. Diœceſim ſæpe luſtravit, & incolarum mores, ſicubi depravati eſſent, ad chriſtianam honeſtatem ac pietatem compoſuit, diſciplinam eccleſiaſticam ſaluberrimis decretis, optimiſque legibus ſancivit. Anno 1197. cum ob mortem Petri VIII. Archiepiſcopi Eccleſia Spalatenſis paſtore viduata eſſet, ad comitia Archiepiſcopalia cum aliis Epiſcopis provincialibus convenit. Sed propter diſſenſiones neſcio quas interpoſitas, dimiſſo conventu, reque infecta, Epiſcopi diſceſſerunt. Interea

Interfuit Comitiis Spalatensibus.

terea dum de Archiepiſcopo eligendo inter ſe conſultarent, ad eos & Capitulum Spalatenſe delata eſt controverſia, quæ Tragurienſibus erat cum clericis Sibenicenſibus; hi ſiquidem de donis oblatis in conſecrationibus eccleſiarum oppidi ac territorii Sibenicenſis, partem dimidiam ſibi deberi ajebant; illi vero quidquid oblatum fuiſſet, totum id ſibi atque integrum vindicabant. In hanc litem Epiſcopi & Canonici Spalatenſes *Preſtaldum*, ſive cognitorem ac judicem utrique parti dederunt Matthæum Epiſcopum Corbavienſem; qui juſſus eſt Epiſcopum Tragurienſem rite interrogare de antiqua conſuetudine, quæ vim legis obtinet, & ſecundum ejuſdem Epiſcopi teſtimonium, cui plurimum auctoritatis tribuendum erat, ſententiam dicere. Matthæus ergo Epiſcopi teſtificatione ſuſcepta, quæ offerri ſolebant in ejuſmodi conſecrationibus, tripartito & æqualiter diviſit, & partem unam Epiſcopo, alteram Tragurienſibus, tertiam Sibenicenſibus clericis adjudicavit. *Dicti Epiſcopi ſimul cum Capitulo judicaverunt; & ut ſuper hoc Tragurien. Epiſcopum interrogaret, Corboenſem Epiſcopum Preſtaldum dederunt. Cum autem Corboen. Tragurien. exinde interrogavit, acceptis utriuſque partis manibus, talem inter eos compoſuit concordiam, ut de oblationibus omnium eccleſiarum de Sibenico, & de Campo Marine, & de Macro, Epiſcopus habeat tertiam partem, Tragurien. clerici tertiam partem, & Sibenicen. tertiam partem; eo tamen tenore, quod Tragurien. clerici eas colligant, & illorum voluntate ſuper eas cuſtodem ac diviſorem ſtatuant.*

Ego Matthæus D. g. Corboen. Epiſcopus hujus cauſſæ Preſtaldus, ut firmius hoc habeatur, meo ſigillo muniri, & imprimi volui. Et ego Sabacius ſubdiaconus S. Domni Canonicus, & Communis juratus not. præcepto Epiſcoporum & totius Capituli hoc ſcripſi & teſtor. Ex tabulis Curiæ Archiep. Spalatenſis.

Andreæ Ducis Dalmatiæ diplomati teſtis adfuit.

Cum Andreas dux Dalmatiæ, frater Henrici regis Hungariæ, donationem duarum eccleſiarum S. Moyſis & S. Stephani in veteri Salona, quas cum omnibus prædiis utrique annexis Eccleſiæ Metropolitanæ in perpetuum poſſidendas ſuperiores Hungariæ reges tradiderant, ampliſſimo diplomate confirmavit, præſentes ac teſtes eſſe voluit tum alios Epiſcopos, tum etiam Matthæum Corbavienſem. *Dat. anno Domini* 1198. *exiſtente Bano Andrea, Georgio Tinienſi Epiſcopo, Michaele Tragur. Ep. Michaele Scardonen. Epiſcopo, Matthæo Corb. Epiſc. &c.* Matthæus annos fere quadraginta Eccleſiæ Corbavienſi præfuit; quam ſuis optimis auſpiciis fundatam, ſuiſque vigiliis, & laboribus ſtabilitam reliquit poſt annum viceſimum ſæculi decimi tertii; vitam ſiquidem perduxit uſque ad Pontificatum Guncelli Archiepiſcopi Spalatenſis, qui anno 1220. illius Metropolis regimen ſuſcepit.

MARTINUS EP. CORBAVIENSIS II.

Quem a Guncello Archiepiſcopo conſecratum fuiſſe docet Catalogus Acutheanus Antiſtitum Spalatenſium: *Guncellus natione Hungarus ſedit annis* XXIII. *Iſte ſuo tempore conſecravit iſtos ſuffraganeos Martinum Corbav. Epiſcopum &c.* Hujus conſecrationem referendam cenſeo ad annum circiter 1224. poſtquam ſcilicet Guncellus pallium pontificale, juſtis de cauſſis ſibi dilatum, anno ſuperiori ad exitum vergente ſuſcepit. Cum annos fere quindecim hanc eccleſiam adminiſtraſſet, ei vita functo ſucceſſor datus eſt

SARACENUS EP. CORBAVIENSIS III.

Erat clariſſimo genere natus, & conſanguinitate junctus cum Comite Domaldo filio Saraceni Comitis Sibenici. Singulari doctrina, prudentia, vitæque integritate præditum fuiſſe oportet: quippe cum adhuc juvenis eſſet, vixque attingeret ætatem ad epiſcopale munus gerendum idoneam, dignus habitus eſt, qui ad ſupremum eccleſiaſticæ hierarchiæ gradum eveheretur. Neque enim ad eum obtinendum illi profuit propinquitas aut gratia Domaldi: erat is quidem vir fortunatus & potens, opibus & copiis affluens, atque in primis gratioſus apud Andream II. regem Hungariæ, qui eidem principatum fere totius Cetinæ donaverat; annos unum & viginti præturam Spalatenſem geſſerat, Comitis titulo ac poteſtate præditus, quam iterum ac tertio a Spalatenſibus oblatam reſumpſit; ſed cum Saracenus electus eſt Epiſcopus Corbaviæ, jam ille a priſtina & excitata fortuna ad inclinatam ac prorſus jacentem deſciverat; cum enim acerbe avareque imperaret, jampridem in odium & offenſionem fere omnium incurrerat, eumque Spalatenſes, cum tertiam urbis præturam gereret, per vim & factionem expulerunt anno 1236. Cum autem violentæ expulſionis ulciſcendæ cauſſa, ira rabieque inflammatus, Spalatenſium agros igne ac ferro vaſtaret; captus demum, & Spalatum adductus fuit, ubi poſtquam ludibrio & deſpectui omnibus fuiſſet, Tragurii plenus doloris & ignominiæ interiit, ut Micha Madius in ſuis Commentariis ſcriptum reliquit. Potius ergo Domaldus obeſſe poterat, qua prodeſſe Saraceno conſanguineo ſuo ad epiſcopalem dignitatem aſſequendam: neque enim antea factus eſt Epiſcopus, quam in eam, de qua dixi, calamitatem ac dejectionem incideret. Suis itaque nixus virtutibus ac meritis ad culmen Chriſtiani Sacerdotii aſcendit. A Guncello Metropolita epiſcopali conſecratione initiatum fuiſſe tradit Archidiaconus cap. XLI. *In Corbavia fecit Epiſcopum quemdam juvenem, qui erat de parentela Domaldi Comitis, nomine Saracenum*, Idem confirmat Catalogus Acutheanus: *Guncellus natione Hungarus .... tempore ſuo conſecravit iſtos ſuffraganeos .... Saracenum etiam Corbavien.* Cum Archidiaconus inter Epiſcopos a Guncello conſecratos poſtremum annumeret Saracenum, hujus conſecrationem conferendam cenſeo in annos extremos Guncelli Archiepiſcopi, videlicet in annum 39. vel 40. hujus ſæculi decimi tertii, ante calamitatem Tartaricam, quæ anno 1241. poſt devaſtatam Hungariam in Dalmatiam incubuit.

Res Saraceni præclare geſtas in Epiſcopatu fere omnes vetuſtas atque oblivio intercepit; pauca omnino ſunt, quorum notitia litteris cuſtodita ad poſteritatem pervenit. Columbano Epiſcopo Tragurienſi multæ & magnæ contentiones erant cum Sibenicenſibus, qui ejus juriſdictioni ſuam eccleſiam atque oppidum ſubtrahere, & proprium ſibi Epiſcopum conſtituere omni ope operaque adhibita conabantur. His autem favere videbatur Joannes V. Metropolita Spalatenſis. Hic anno 1272. pro ſuo jure metropolitico delegavit Saracenum Epiſcopum Corbaviæ, qui Eccleſiam Tragurienſem inviſeret ac luſtraret, atque ex poteſtate extraordinaria ſibi tra-

Ab Joanne Metropolita ad diœceſim Tragurien. luſtrandam delegatus, ſed non receptus a Tragurienſibus.

tradita juberet ea, quæ neceſſaria viderentur ad eccleſiaſticam diſciplinam reſtituendam vel ſtabiliendam, prohiberetque contraria. Sed neque ab Epiſcopo, neque a Capitulo Tragurienſi receptus fuit; ac de communi ſententia ab delegato viſitatore appellatum eſt ad Sedem Apoſtolicam; verebantur enim ne quid decerneret, quod jura Eccleſiæ Tragurienſis imminueret, ac Sibenicenſium cauſſæ prodeſſet. Hæc Joan. Lucius lib. 3. cap. 4. Monum. Tragurien. Ceterum ipſemet Saracenus biennio poſt reipſa declaravit ſua Tragurienſes opinione deceptos eſſe, ac nihil cauſſæ fuiſſe, cur a ſe, ſuiſque decretis metuerent. Nam cum Joannes Archiepiſcopus, non quidem ſua ſponte & voluntate, ſed alieno impulſu & coactu, Paullum Epiſcopum a Sibenicenſibus electum approbaſſet anno 1274. tantum abfuit, ut Saracenus huic approbationi aſſentiretur, ut nemo contra Sibenicenſes, ipſumque Metropolitam ab Eccleſia Tragurienſi & Tragurienſium cauſſa magis aperte palamque ſteterit. Gervaſius Archidiaconus Tragurienſis, poſtquam ex mandato Columbani Epiſcopi, ejuſque nomine apud Salonam publice & conceptis verbis pœnam excommunicationis Sibenicenſibus inflixit, ac Sedem Apoſtolicam appellavit; adiit Saracenum Epiſcopum Corbavienſem, qui tum forte in illis partibus verſabatur: quæ contra jus auctoritatemque Eccleſiæ Tragurienſis auſi fuerant Sibenicenſes, geſſeratque in eorum gratiam Joannes Metropolita, expoſuit coram ipſo aliiſque teſtibus, & appellationem ſuam e ſcripto renovavit; eumque inſuper rogavit, ut quæ ipſe adverſus illorum acta conatuſque denunciaverat, ſuis ille publicis litteris ederet, ac teſtata relinqueret. Saracenus quamvis repulſam ante biennium a Tragurienſi Epiſcopo & Canonicis acceptam ægre tuliſſet, Gervaſio tamen, cum æqua videretur, atque honeſta ejus poſtulatio, obſequendum eſſe putavit; ſed quod Joannes Archiep. invito atque ingratiis fecerat, ob ignorationem rei geſtæ male interpretatus, quamdam in Joanne acerbitatem animi Columbano infeſti verbis ſane aſperis caſtigavit. Hanc teſtificationem Saraceni litteris conſignatam hiſtoriæ Tragurienſis Eccleſiæ reſervandam cenſeo.

Quos annos præfuerit compertum non eſt.

De Saraceno nihil præterea memoriæ ac litteris proditum eſt, & poſt Saracenum neminem invenio, qui Eccleſiæ Corbavienſi præfuerit ante Petrum, cujus initia pontificalia nobis ignota ſunt. An vero inter utrumque aliquis alius Epiſcopus interjectus fuerit, cujus nomen reſque geſtæ vetuſtate interierint, mihi non liquet. Ceterum Saracenus id ætatis erat, cum regimen epiſcopale ſuſcepit, ut vitam ad extremum uſque ſæculum decimum tertium perducere potuerit.

Dum ergo Eccleſiæ Corbavienſi vel Saracenus, vel proximus poſt illum Epiſcopus ignoti nominis, aut certe Petrus præſidebat, inſigne ac poſt hominum memoriam ad eam diem inauditum miraculum eccleſiam ac diœceſim Corbavienſem illuſtravit, eique apud exteras gentes ſingularem famæ ac nominis celebritatem conciliavit. Anno ſiquidem 1291. ſacroſancta Ædes Nazarena, in qua Beata Virgo Maria genita fuit, educataque, & *Verbum caro factum eſt*, inde uſque a Galilæa per ingentes terrarum mariſque tractus, haud dubio Angelorum miniſterio, in Dalmatiam translata, apud Terſactum diœceſis Corbavienſis oppidum, prope a mari, nec longe a Flumine S. Viti, in colle perameno leniterque acclivi conſedit. Quamvis autem ne integro quidem quadriennio in Dalmatia apud Terſactenſes conſtiterit, quippe anno 1294. Adriaticum ſinum divina vi ac poteſtate tranſvecta, in Picenum, agrumque Recinetenſem demigravit; locus tamen ille, in quo poſt ſuum e Palæſtina diſceſſum, primam ſedem, diverſandi magis, quam habitandi cauſſa delegit, quemque ſuis veſtigiis conſecravit, ſummam apud eas gentes perpetuamque venerationem ac celebritatem retinuit. Ea tempeſtate Nicolaus Frangipanius regionem illam, conceſſu regum Hungariæ, obtinebat, oriundus ex antiquiſſima & nobiliſſima gente Anicia Romana; cujus majores, cum in ſumma caritate annonæ, maximo frumenti numero aliunde advecto, ſuaque pecunia coempto, Romanæ plebi fame periclitanti gratis ac liberaliter ſubveniſſent, a frangendo pane ac pauperibus diſtribuendo *Frangipanii* cognominari cœperunt. E Romanis Frangipaniis plures familiæ diductæ, aliæ alio migrarunt; & ubicumque domicilium collocaſſent, divitiis, honoribus, magiſtratibus, atque imperiis floruerunt. Unam ex his ampliſſimis familiis Chrobatia excepit, quæ genus nomenque Frangipanium in ea regione propagavit, atque inter ceteros Chrobatiæ Dynaſtas opibus copiiſque præpolluit. Sæculo decimo tertio longe lateque in illis partibus dominabatur, & præter Vigiliam inſulam, in continenti Terſactum, Modruſſam, Vinodolium, & alia caſtella non ignobilia poſſidebat. Anno ejuſdem ſæculi ſexageſimo Bela IV. rex Hungariæ Friderico & Bartholomæo fratribus Frangipaniis Seniam urbem maritimam donavit, ut eorum erga ſe liberalitatem remuneraretur; ab illis ſiquidem, cum in Dalmatiam profugiſſet, Tartaris inſequentibus, præter aliam pretioſam ſupellectilem auream, atque argenteam, viginti millia marcharum ſponte ſibi oblata acceperat, ut conſtat e regio diplomate. Cum ergo ſacra Domus Nazarena Terſactum divinitus allata fuiſſet, Nicolaus Frangipanius, qui tum rerum in illis regionibus potiebatur, vir pietate juxta ac virtute inclytus, ſanctiſſimam ædem haud ſecus, quam dignum erat, donis colere, atque ornare inſtituit: ne vero tam inſolitum inauditumque miraculum plus admirationis, quam fidei, habiturum eſſet apud poſteros; quatuor ex omni numero lectos, expertæ fidei ac probitatis viros, quibus Alexander ejus loci antiſtes adjunctus fuit, in Galilæam mittere decrevit, totam rem intentius inſpecturos. Hi delati in Palæſtinam, edoctique ab indigenis de loco, ubi ſacroſancta Domus ſita erat, cum fundamenta, recentia ejuſdem domus avulſæ veſtigia vidiſſent; ac dimenſi longitudinem, ac latitudinem areæ, reperiſſent omnia cum translatæ in Dalmatiam ædiculæ menſuris, quas ſecum attulerant, prorſus congruere; in patriam reverſi, rem ſuiſmet oculis perſpectam, ac teſtatam retulerunt. Exinde crevit religio, crevit celebritas auguſtiſſimæ Domus; undique ad eam venerandam colendamque, non indigenis ſolum, atque accolis, ſed etiam longinquis populis confluentibus: nec deerant miracula, quæ hominum fidem ac religionem augerent. Poſtquam vero ex Dalmatia in Italiam demigravit, idem Nicolaus Frangipanius, ut ingentem, quem ipſe, quemque Terſactenſes & finitimæ circa gentes cœperant ex amiſſione talis ac tanti boni divinitus conceſſi, ademptique, mœro-

Sacroſancta Domus Nazarena Terſactum in diœceſim Corbavienſem translata an. 1291.

Nicolai Comitis Frangipanii pietas eximia & ſtudium veritatis inquirendæ.

Poſt ſacroſanctam Domum in Picenum advectam, ædiculam eidem conſimilem ibidem excitavit.

mœrorem quoquo modo leniret ; in ipsis sanctissimæ cellæ vestigiis consimilem ædem excitavit, quæ simul posteris tantæ rei monumentum foret, simul populis illis tam gravis damni solatium . Ædiculæ ab se conditæ templum insuper circumdare , & opere cultuque magnifico exstruere decreverat , quod eidem decori esset ac præsidio . Sed morte præreptus præclara cogitata perficere non potuit. Id templum sæculo decimo quinto Comes Martinus Frangipanius ære suo a fundamentis exædificavit , quod hodieque extat , sed ejus posterorum sumptibus amplificatum, haud clarius Frangipaniorum munificentiæ, quam tanti miraculi monumentum. Idem Martinus cum liberis careret , omnium bonorum hæredem instituit Deiparam Tersactanam. Templi curam commisit Patribus Franciscanis , qui ab observantia cognomen accepere, iisdemque cœnobium ibidem satis capax rebusque omnibus necessariis ornatum construxit , ut suo loco dicemus.

Utriusque translationis veritas.

Sanctissimæ Domus Nazarenæ primum in Dalmatiam, deinde in Italiam translatæ fidem minime dubiam facit, ut cetera omnia argumenta deessent , vetustissima , perpetua , constans, atque immutabilis duarum nationum consensio ; neque enim fieri potuit, ut Dalmatæ, Italique, lingua , moribus , & mari intermedio , longe inter se disjuncti , de duplici illa translatione Dalmatica & Italica una & mente, & voce, & scriptis consenserint; nisi vera fuisset ac certior, quam ut in dubium revocari posset: & cum opinionum commenta deleat dies , veritas autem semper eadem sit , atque emineat; utrique populi, quod anteactis ætatibus constanter affirmabant, idem nunc firmissime asseverant; sic prorsus ut nulla de re, neque de ratione, neque de anno utriusque translationis quidquam inter se discrepent. Merito igitur utraque ædes, & Lauretana, & hujus veluti quædam imago Tersactana, ab indigenis juxta adveniſque summa veneratione colitur & celebratur; utramque singulis annis populi finitimi, statis ac sollemnibus diebus, alii aliis, publica supplicatione, & instructis agminibus procedentes, caste pieque intervisunt; utrique Dei ac Deiparæ præsentiam ac potentiam adesse miracula cujusque generis , ac votivæ tabellæ beneficiorum, B. Maria Virgine deprecante, acceptorum indices testantur . Cur autem nullus Scriptor illi ætati æqualis , aut suppar rem tam insignem , tamque admirabilem litteris commendaverint, hæc causa fuit, quod miraculum adeo novum atque insolitum, ac propemodum incredibile , antequam multiplici investigatione exploratum esset, & multarum ætatum consensu , ac præsertim Romanorum Pontificum auctoritate firmatum , Auctores illorum temporum non putabant suæ prudentiæ & gravitatis esse , aut temere credere , aut suis scriptis consignare. Illud vero perincommode accidit, quod ab delata in Italiam natali Virginis domo, & Laureti constituta, vix undecim anni interceſſerant, cum Clemens V. Sedem Pontificiam Romæ ademptam in Galliam transtulit , quam ejus successores in urbe Avenionensi retinuerunt usque ad annum septuagesimum sextum sæculi decimi quarti. Et quia ab urbe atque Italia Pontifices aberant , ædes Lauretana pontificiis decretis atque ornamentis caruit, quæ ad fidem ac venerationem celebriorem eidem conciliandam non defuissent , nisi tam procul illa abfuisset a Pontificum oculis auribusque . Sunt tamen quidam auctores id impetratum fuisse a Benedicto XII. Pontifice Max. qui Avenione sedebat , ut certam delictorum indulgentiam Lauretanum templum rite visentibus amplissimo diplomate largiretur : id ipsum diploma carie ac vetustate confectum Hieronymus Angelita, unus e primoribus Recinetensis civitatis, qui Virginis Lauretanæ historiam ab se conscriptam Clementi VII. dicavit, ab se visum esse confirmat. Præterea sanctissimæ hujus ædis in Picenum migratio incidit in ea turbulentissima tempora , cum Italia fervebat civilibus discordiis, passimque dominatum per civitates occupabant principes viri ; quibus absentia Romanorum Pontificum occasionem ditionis pontificiæ invadendæ ac dilacerandæ præbebat. Ita evenit, ut bellici strepitus ac tumultus , quibus omnia circum personabant, Lauretani templi quamvis miraculis inclyti famam fere omnem obruerent; & urbium excidia, bellorum eventus, rerumque publicarum conversiones , historicorum cogitationem curamque ad res illorum temporum describendas averteret . Extabant tum in Dalmatia Fluminenses, tum in Italia Recinetenses annales , in quibus descripta erat utriusque translationis historia; sed eodem, quo urbis utriusque tabularium conflagravit , incendio perierunt . Non deest tamen, unde illorum jactura suppleri possit: nam vetustam fidem constans tot ætatum consensus , populorum ad ædem utramque Tersactanam & Lauretanam concursus , Pontificum Romanorum auctoritas, veterum ac recentiorum miraculorum utrobique editorum multitudo, votorum copia, & donorum opulentia satis superque confirmat ; ut de tam testata exploratague re addubitare non possit , nisi qui aut de divina vi ac providentia dubitare, aut ex hominum genere humanam fidem eximere velit.

PETRUS EP. CORBAVIENSIS IV.

Hujus nomen ac memoriam posteritati servavit Diploma Pontificium Joannis XXII. qui Petrum Episcopum Corbaviensem nominat , in ejusque demortui locum substituit Bonifacium anno 1332. Annus suscepti Episcopatus, ac cetera de ipso latent.

BONIFACIUS EP. CORBAVIENSIS V.

Electus Episcopus Sulcitanus, sed non approbatus.

Ortu Pisanus fuit, vitæ instituto alumnus disciplinæ ac familiæ Franciscanæ. Huic ob egregias virtutes Canonici Sulcitani in Sardinia illius urbis & ecclesiæ Episcopatum anno 1325. detulerunt, ignari quid decrevisset Joannes XXII. Pontifex Max. qui cum de morte Antistitis Sulcitani Avenionem esset allatum, hujus Sacerdotii conferendi potestatem ad Sedem Apostolicam revocaverat. Ob eamdem ignorationem Archiepiscopus Calaritanus non dubitavit eidem manus imponere , & consecrationem episcopalem impertire. Verum Joannes Pontifex, Bonifacii electione rescissa, alium Episcopum Sulcitanis dedit . *Ad Sulcitanam in Sardinia Ecclesiam* (ut scriptum reliquit Vadingus Tomo III. Annalium ad an. 1325. num. 25.) *sub Archiepiscopo Calaritano electus fuit a Capitulo F. Bonifacius de Pisis , & per prædictum Archiepiscopum non habentem notitiam reservationis a Pontifice factæ , confirmatus & consecratus. Sed paullo post fuit alius electus a Pontifice . Decerpsimus hæc a diplomate , quo alium Episcopum hoc anno Pontifex*

tifex deſtinavit. Itaque Bonifacius annos ſeptem titulum epiſcopalem ab omni adminiſtratione vacuum geſſit. Anno 1332. idem Pontifex Eccleſiam Corbavienſem, ob Petri Epiſcopi mortem paſtore deſtitutam, Bonifacio decrevit, ut conſtat ex diplomate pontificio; ſed ignoratio Geographiæ Eccleſiaſticæ Pontifici ſubrepſit, ex qua factum eſt, ut Corbavienſem Eccleſiam in Patriarchatu Gradenſi conſtitueret, juſque uſurparet eligendi ereandique Epiſcopi Corbavienſis, propterea quod Gradenſis etiam provinciæ Sacerdotia conferendi poteſtatem ſibi reſervaverat. En Diploma Pontificium.

Diploma Joannis XXII. P. Bonifacium Ep. Corbavienſem eligentis.

Apoſtolatus officium &c. olim ſiquidem Eccleſia Sulcitana per obitum bonæ memoriæ Comitis Epiſcopi Sulcitani, qui in partibus illis diem clauſit extremum, paſtoris ſolatio deſtituta; nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, proviſionem ipſius Eccleſiæ Sulcitanæ ea vice diſpoſitioni noſtræ duximus ſpecialiter reſervandam: decernentes ex tunc &c. ſi ſecus ſuper his &c. contingeret attentari. Deinde vero dilecti filii Capitulum ejuſdem Eccleſiæ, hujuſmodi reſervationis & decreti forſan ignari, te in Sacerdotio conſtitutum, ordinis Fratrum Minorum expreſſe profeſſum, in Sulcitanum Epiſcopum, quamvis de facto concorditer elegerunt, tuque hujuſmodi electioni de te factæ ad Capituli prædictorum inſtantiam, ignarus, ut aſſeris, reſervationis & decreti hujuſmodi, conſenſiſti; dictaque tua electio Metropolitica auctoritate, quamvis de facto, etiam extiterit confirmata, tibique ſubſequenter munus conſecrationis impenſum, in his omnibus alias ſtatutis a jure temporibus obſervatis, ac hujuſmodi electionis, confirmationis, & conſecrationis negotio nobis expoſito; Nos electionem & confirmationem eaſdem, utpote poſt & contra reſervationem & decretum præfata attentata, irrita & inania decernentes, aliam perſonam ipſi Sulcitanæ Eccleſiæ præfecimus in Epiſcopum, & paſtorem; ſicque tu Epiſcopus nullius Eccleſiæ remanſiſti. Cumque jamdudum ex certis rationalibus cauſis omnes & ſingulas Eccleſias cathedrales & collegiatas in provincia Gradenſi tunc vacantes, & in antea vacaturas per biennium primo, & deinde tempus hujuſmodi biennale diverſis ſucceſſive vicibus de biennio in biennium prorogando uſque ad Calendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno 15. proviſioni noſtræ & Sedi Apoſtolicæ, auctoritate apoſtolica duxerimus reſervandas, decernentes & tunc &c. ſi ſecus ſuper his &c. contingeret attentari; & deinde cum finis hujuſmodi ultimæ noſtræ proviſionis inſtaret; Nos ſimilibus cauſis inducti, reſervationem & decretum prædictum uſque ad duos annos ab eiſdem Calendis Aprilis in antea computandis auctoritate præfata per noſtras certi tenoris litteras, modo & forma expreſſis ſuper, extendenda duxerimus, & etiam proroganda; ac interim Eccleſiæ Corbanien. quæ de dicta provincia exiſtit per obitum b. m. Petri Epiſcopi Corbanien. qui in partibus Angliæ diem clauſit extremum, paſtoris ſolatio deſtituta fuiſſet; Nos vacatione hujuſmodi ejuſdem Eccleſiæ Corbanien. fide dignis relatibus intellecta, de proviſione ipſius Eccleſiæ Corbanien. celeri & felici, de qua nullus præter nos hac vice ſe intromittere poteſt, reſervatione, voluntate, decreto, extenſione, & prorogatione hujuſmodi obſiſtente, ne præfata Eccleſia Corbanien. longæ vacationis exponeretur incommodis, cogitare cœpimus diligenter. Et demum &c. ad te, ne in opprobrium epiſcopalis dignitatis langueas præ tædio egeſtatis, direximus aciem noſtræ mentis; quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua eidem Corbanien. Eccleſiæ auctoritate apoſtolica providemus &c. Datum Avenione 3. Non. Junii an. Pontific. noſtri 16. ideſt Chriſti 1332.

Altero fere anno poſt ſuſceptum Epiſcopatum Bonifacius Modruſſæ, quod erat oppidum ſuæ diœceſis frequens ac nobile, perhonorifice excepit Carolum regem Hungariæ, qui illuc venerat, Neapolim tranſmiſſurus cum Andrea filio, cui Robertus rex Neapolitanus Joannam neptem ſuam deſponderat. Caroli in eam urbem adventus fidem faciunt ejuſdem litteræ ad Spalatenſes datæ *Modruſii 17. Auguſti an. 1333.* Ceterum de illius epiſcopali regimine & anno emortuali nihil compertum habeo. Conſtat vita jam functum fuiſſe anno 1341. quippe hoc anno jam huic eccleſiæ præſidebat

RADOSLAVUS EP. CORBAVIENSIS VI.

Ex ordine Franciſcano rigidioris obſervantiæ aſſumptus eſt ad Epiſcopatum Corbavienſem: Altero & quadrageſimo hujus ſæculi anno hanc eccleſiam regebat; quippe eodem anno Seniæ cum eſſet, rogatu civium Oſtroviciæ, quod oppidum ad Senienſem Epiſcopatum pertinebat, indulgentiam quadraginta dierum duobus templis ejuſdem caſtri, S. Michaelis, & S. Mariæ largitus eſt, quam perciperent quicumque peccatorum ſuorum confeſſione expiati ſingulis dominicis ac feſtis diebus ea religioſe ſancteque inviſerent, & alterutri eorum aliquid de bonis ſibi a Deo collatis contribuerent; modo id, quod ipſe pro ſua epiſcopali poteſtate conceſſerat, Epiſcopus Senienſis approbaret.

Duas ſacras Ædes in oppido Oſtroviciæ quadraginta dierum indulgentia donavit.

Frater Radoslavus Dei gratia Corbavien. Epiſcopus. Univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Splendor paternæ gloriæ, qui ſua mundum ineffabili claritate illuminat, pia vota fidelium de clementiſſima ejus majeſtate ſperantium tunc benigno præcipue favore proſequitur, cum devota ipſorum humilitas Sanctorum meritis ac precibus adjuvatur. Cupientes igitur eccleſias, & loca ſacra, videlicet S. Michaelis in caſtro Oſtroviciæ, & S. Mariæ ſub eodem caſtro, digne laudum titulis veneranda, congruis honoribus frequentari, & a Chriſti fidelibus jugiter honorari; de omnipotentis Dei miſericordia & gloriosæ M. V. Matris Chriſti, ac B. Michaelis Archangeli, ſub quorum vocabulis fuerant dictæ eccleſiæ fabricatæ, confiſi ſuffragiis, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui diebus dominicis & feſtivis prædictas eccleſias, ſeu ipſarum alteram, devotionis & orationis cauſa viſitare curaverint, & de bonis a Deo ſibi collatis eis, vel earum alteri, beneficia porrexerint caritatis, quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer in Domino relaxamus. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras noſtri epiſcopalis ſigilli appenſione juſſimus communiri. Datum Segniæ die 26. menſis Junii, Anno Domini 1341. dummodo in prædictis Dioceſani conſenſus intervenerit.

Anno 1344. Dominicus Luccarus Metropolita Spalatenſis Concilium provinciale convocavit. Ac Radoslavus quidem, aut incommoda valetudine impeditus, aut gravioribus eccleſiæ ſuæ negotiis diſtentus Spalatum venire non potuit; Patribus illis, qui ad Synodum convenerant,

rant, quam afferri juſſit, quominus adeſſet, ſatis juſta excuſatio viſa eſt. Miſit tamen, qui procuratorio nomine ſuum locum teneret, ſuaſque partes ageret, F. Nicolaum ejuſdem ordinis S. Franciſci, ut intelligi poteſt ex actis ejuſdem Concilii. Judices ſiquidem a Synodo conſtituti, ut cauſſam Valentini Maccarenſis Epiſcopi rite cognoſcerent, ac ſententiam ferrent; hanc poteſtatem ſibi datam ajunt, cum a ceteris Epiſcopis, & a procuratoribus Epiſcoporum abſentium, tum vero etiam a *Ven. Patre Dom. Fr. Nicolao procuratore Ven. in Chriſto Patris Domini Fratris Radoslavi Epiſcopi Corbavienſis*. Litem intulit Canonicis Eccleſiæ Zagrabienſis, & Joanni Querche Archidiacono ejuſdem eccleſiæ de decimis quarumdam villarum, quæ poſitæ erant in confiniis utriuſque diœceſis; ſed cum neque ipſe adfuerit die præſtituto, neque miſerit, qui coram Nicolao Bano Slavoniæ & Chrobatiæ ſuam cauſſam ageret, Banus ſecundum Canonicos & Archidiaconum judicavit anno 1348. Sententiam Nicolai reſervandam eſſe duximus hiſtoriæ Zagrabienſis Eccleſiæ.

VALENTINUS EP. CORBAVIENSIS VII.

Hic quoque ex aliqua familia religioſa vel Franciſcana, vel Dominicana, ad Eccleſiam Corbavienſem regendam acceſſit, ut prænomen Fratris eidem in diplomate Ludovici regis Hungariæ affixum declarat. Annus ille, quo Radoslavus moriens depoſuit, quove Valentinus ſuſcepit Epiſcopatum, nobis ignotus eſt. Habuit contentionem litigioſam cum Chryſogono Epiſcopo Arbenſi de decimis Lichæ & Buſanæ, quas uterque ſibi vindicabat. Jus percipiendi decimas ex utraque illa regione, quod Valentinus ab ſe ſtare contendebat, nitebatur, opinor, auctoritate & decretis Synodi provincialis, in qua Petrus VII. Archiepiſcopus Spalaten. an. 1185. de communi omnium ſententia diœceſes deſcripſit, & ſuas cuique parœcias attribuit. In ea ſiquidem *medietas Licæ* aſſignata fuit Epiſcopo Corbavienſi, ut eſt in exemplari Luciano ejuſdem Concilii, quod hoc loco præferendum cenſeo Spalatenſi apographo, in quo *medietas Licæ*, Epiſcopo Senienſi adſcribitur. Contra vero noſtrum Spalatenſe Luciano anteponendum puto, cum Buſanam regionem hoc quidem Senienſis, illud vero Corbavienſis diœceſis finibus incluſit. Neque enim aliunde Valentinus, quam ex actis decretiſque illius Concilii argumentum ad ſuam cauſſam tuendam ſumere poterat. Cum igitur Epiſcopus Arbenſis ex utraque illa regione decimas exigere vellet, Valentinus Ludovicum Hungariæ regem adiit, & graviter conqueſtus eſt de Chryſogono, qui jura & proventus Eccleſiæ Corbavienſis avertere, ad ſeque transferre conaretur; litteras regias impetravit, quibus jubebatur Arbenſis abſtinere a perceptione decimarum, quæ ad jus pertinebant Eccleſiæ Corbavienſis. Sed cum poſtea Chryſogonus Budam ſe contuliſſet, monumentis neſcio quibus & auctoritatibus fultus ita cauſſam ſuam regi probavit, ut is priores litteras revocaret; & aliis litteris inſcriptis *Magnifico viro Domino Petro de Bellami Comiti Buſanæ, & Provetelli; vel officialibus ſuis in Comitatu de Licha & Buſana conſtitutis, fidelitati veſtræ* (ait) *damus in mandatis, quatenus viſis præſentibus fideli noſtro dilecto Ven. in Chriſto Patri Domino Griſogono Epiſcopo Arbenſi, vel ejus officialibus, decimas ipſius eccleſiæ ubique pacifice & quiete exigi facere permittatis, & permitti faciatis in dictis provinciis veſtris Lichæ & Buſanæ . . . litteris noſtris quibuſcumque per quondam Ven. virum Dominum Fratrem Valentinum Eccleſiæ Corbavien. electum illegitime impetratis, vel per quempiam in poſterum impetrandis, non obſtantibus, contra formam præmiſſæ noſtræ commiſſionis, quibus præſentibus derogari cenſuimus &c. Dat. Budæ fer. 5. proxima poſt Dominicam Reminiſcere. Anno Domini* 1371. Quo tempore, quave ratione Epiſcopus Arbenſis jus acquiſierit percipiendi decimas ex territoriis Lichæ & Buſanæ, mihi non liquet; cum hujus juriſdictio unius Arbenſis inſulæ terminis circumſcripta eſſet, ut docet Archidiaconus capite XV. Adde quod Licha & Buſana non Jadertinæ, in qua ſita erat Eccleſia Arbenſis, ſed Spalatenſis provinciæ finibus continebatur. Adverbium *quondam* appoſitum in hiſce litteris Ludovici Valentino Epiſcopo, indicio eſt eum jamdudum vita functum fuiſſe, cum Ludovicus has litteras poſteriores ſcripſit; Valentinum vero cum priores litteras ab eodem rege impetravit, nondum conſecratione epiſcopali inauguratum fuiſſe argumento eſt, quod cum Ludovicus in poſterioribus *electum* appellavit. Obitum Valentini referendum cenſeo ad annum 1359. vel ad ſuperiorem: nam anno 1360. Eccleſiam Corbavienſem regebat

Jus percipiendi decimas ex Licha, & Buſana, Ludovicus rex Hung. primum Corbavienſi, deinde Arbenſi Epiſcopo adjudicavit.

LADISLAVUS EP. CORBAVIEN. VIII.

Nominatus eſt in diplomate Ludovici regis Hungariæ, qui anno 1360. oppidum *Monyaras* donavit Virginibus S. Claræ; huic teſtis adfuit, & ſubſcripſit *Ladislavus Corbavien.* Anno 1367. hæc eccleſia carebat Epiſcopo ex privilegio Ludovici conceſſo ſacris Virginibus Budenſibus, *Corbavienſi ſede vacante*.

PETRUS II. EP. CORBAVIEN. IX.

Non aliunde notus, niſi ex privilegio Ludovici, quod fecit ſecundum Virgines Deo ſacratas de valle Veſprimienſi an. 1373. quod laudavit approbavitque cum aliis Hungariæ Epiſcopis *Petrus Corbavien.* Hujus Epiſcopatus anno ſeptuageſimo & undeoctogeſimo ſæculi decimi quarti interjectus eſt. Gregorius XI. Avenionem Romam reverſus, anno circiter 1378. rogatu Elſabethæ Reginæ Hungariæ, poteſtatem fecit Fratribus Franciſcanis cœnobii recipiendi, quod illis Malupſi, in oppido diœceſis Corbavienſis, ædificaverat Stephanus Comes Seniæ, his litteris ad eos ſcriptis.

Gregorii XI. ad FF. Franciſcanos Epiſt.

Sacræ veſtræ .... annuamus exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte veſtra . . . quod in oppido de Malupſo Corbavien. diœceſis, quod prope ſchiſmaticos & infideles ſitum eſt, & quod per unam dietam nullus locus Fratrum ipſius veſtri ordinis exiſtit, & quod propterea dilectus filius noſter Stephanus Comes Seniæ de propria ſalute cogitans, & cupiens terrena . . . commutare, ad omnipotentis Dei laudem & gloriam & pro ſua & progenitorum ſuorum animarum remedio & ſalute quendam locum cum eccleſia . . . in dicto ſuo oppido ad opus veſtrum in honorem & ſub vocabulo S. Franciſci fundavit, pariter & inſtruxit, illumque cum omnibus juribus & pertinentiis vobis intendit pia liberalitate donare. Quare pro parte veſtra fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut vobis excipiendi locum ipſum inibique morandi

licentiam concedere dignaremur . Nos igitur qui vos & ordinem ipſum gerimus & . . . volentes vos conſideratione chariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Eliſabeth reginæ Ungariæ illuſtris, nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis . . . inclinati vobis recipiendi locum ipſum cum eccleſia . . . & aliis officinis prædictis, dummodo in fratres . . . elargimur non obſtante . Datum Romæ apud S. Petrum 14. Kal. Februarii an. 8.

THOMAS EP. CORBAVIENSIS X.

Hunc quoque oblivioni ereptum poſteritati ſervavit privilegium Ludovici regis anno 1379. conceſſum cœnobiarchæ & monachis Benedictinis de *Pecs-Varad* , in quo nominatur *Thomas Corbavien.* Vitam & Pontificatum perduxit uſque ad annum circiter 1387.

NICOLAUS EP. CORBAVIENSIS XI.

Hanc eccleſiam gubernabat, cum Sigiſmundus rex Hungariæ privilegia ſuperiorum regum conceſſa Spalatenſibus, anno 1388. III. Idus Februarii confirmavit, præſentibus ac teſtibus tum ceteris Præſulibus Hungariæ & Dalmatiæ , tum vero *Nicolao Corbavienſi*. Anno 1393. cum controverſiæ neſcio quæ, ac diſſenſiones eſſent inter Joannem Banum Comitem Seniæ, & Communne Jadrenſium , ad eas componendas arbiter delectus eſt Nicolaus cum Joanne Epiſcopo Nonenſi , ut eſt in Ephemeride Paulli de Paullis Patricii Jadrenſis : *Eodem anno* (ideſt 1393.) *die Mercurii 12. Novemb. applicuerunt Jadram DD. Nicolaus Corbavien. & Joannes Epiſcopus Nonenſis pro tractanda pace & concordia inter D. B. Joannem Comitem Segniæ, & Communitatem noſtram* . De jure ac ratione exigendi , & percipiendi decimas ex gregibus & agris diœceſis Corbavienſis, eorumque qualitate & menſura cum interrogatus fuiſſet ab Andrea Archiepiſcopo Spalatenſi, hoc reſponſum dedit.

Epiſtola Nicolai ad Andream Archiep. Spalaten. de ratione colligendarum decimarum.

Reverendiſſime in Chriſto Pater , & Domine Dom. Andrea, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia digniſſime Spalatenſis Archiepiſcope. Ego Nicolaus eadem gratia Corbavien. Epiſcopus , omni cum debita recommendatione præmiſſa , & quidquid poſſum pro Reverendiſs. Paternitate veſtra operari. Paternitas veſtra poſtulavit litteratorie informari quibus modis, temporibus, & a quibus, ac de quibus rebus decimæ diœceſis Corbavien. dicantur, incidantur, & ſolvantur. Et utrum a ſolutione earum aliqui liberentur, & qualiter, & qui eximuntur. Quibus declaratorie per hanc præſentem litteram declarando reſpondeo particulariter, & ſingulariter in ſingulis capitulis, demonſtrando ad veſtram Reverendiſſimam Paternitatem , & cujuslibet alterius evidentem declarationem ; & primo per totam Corbaviam & Buxanam diœceſis meæ Corbavienſis , agni & capretti , ſeu hædi illius anni dicantur ſtatim poſt feſtum S. Georgii tertia vel octava die , omni anno ; & a quolibet habente decem agnos vel hædos recipitur per dicationem unus de melioribus nomine decimæ, ut decimatori meo videtur , Si vero ruſticus ille , vel alter novem agnos habent, vel hædos, tunc patronus agnorum vel hædorum primo recipiet meliorem de illis novem , & alterum de octo poſt patronum dicator meus, ut ſibi videbitur, recipiet. Si vero patronus tantum octo, vel ſeptem agnos, ſeu hædos habebit, unum ex ſeptimo, vel octavo, quem volet, dat decimatori priorem ; ſi vero patronus non haberet, niſi ſex, quinque, vel quatuor , vel tres , vel pauciores agnos vel hædos, tunc patronus a ſexto infra, decimatori ſolvet pro quolibet agno, vel hædo unum ſolidum. De lacte decima non ſolvitur ; & hoc quantum ad agnorum vel hædorum dicationem . Item apes ſeu trunchi apum ſimili modo , quo agni vel hædi dicantur, v.g. quod patronus habens X. truncos, decimatori meo oportet dare meliorem ; ſi vero novem habet, tunc patronus unum meliorem ſibi recipiet & poſt decimator pro decima recipit alium meliorem ; ſi vero patronus habet octo, vel ſeptem, tunc patronus dat decimatori priorem , ut ſibi placet . Si vero ſex vel pauciores habet, tunc patronus pro quolibet trunco apum , dat decimatori duos ſolidos. Item blada, videlicet frumentum, hordeum, millium , avena , ſpelta , ſiligo , fabæ , cicera, & ſimilia circa feſtum vel ſtatim poſt feſtum Exaltationis Sanctæ Crucis omni anno dicantur ; & tali modo, videlicet quod de decem ſtariis patronus bladarum decimatori dat unum ſtarium , de quinque dat medium, de quatuor aut paucioribus nihil dat , niſi quatuor ſolidos ; & ſimiliter de novem, vel octo ſtariis tantum medium dabit decimatori. De decimo, undecimo, duodecimo, tertiodecimo , aut quartodecimo ſtariis , unum ſtarium tantum decimatori dabit, & non plus. Faba vel alia legumina pro frumento dicantur. Quando aut dabit pro decima tantum de frumento, aut tantum de fabis vel leguminibus , quantum pro decima debetur ; & hoc quantum ad decimam bladarum &c. Item ſi aliquis nobilis in patria exiſtit , qui in vero & ſuo patrimonio proprio decem ruſticos habet dans decimam , etſi modicum ab ipſis proveniat , ex conſuetudine ſolvit. Nobilis de ſuo nullam decimam ſolvit ; & ſi decem ruſticos habet, vel 20., vel 100., tunc ſemper unum ruſticum de omnibus cum tota decima ſibi recipit. Alii vero ruſtici dicantur. Si vero aliquis nobilis in ſuo vero , & proprio patrimonio quinque ruſticos habet, tunc illi quinque omnes dicantur ; & dominus illorum ſolus exemptus eſt . Si vero aliquis nobilis in honorem, unde ſervire tenerentur, quinquaginta , aut centum , vel plures ruſticos haberet, tunc & nobilis, & ruſtici omnes ſolvere decimam integre tenentur. Item ſuper dicatione vini dicendo etiam declaro, quod in certis partibus mei Epiſcopatus , ubi vineæ habentur, ſolvitur vera decima vini ; & ſic etiam vinum dicatur , & alia præmittuntur omnia , & ſingula, prout & ſicut particulariter præmittuntur . Quæ omnia & ſingula quibus ſic expedit , & potiſſime Reverendiſs. Paternitati veſtræ præſentium tenore declaro, prout de conſuetudine omnino dignoſcitur , & eſt ; dicatio vero vini fit circa feſtum S. Michaelis ; dicatio vero apum, ſeu truncorum fit poſt feſtum Aſſumptionis Virginis glorioſæ ; quas quidem decimas decimatores meis expenſis congregant per parochias : de quibus decimis plebani ſeu rectores eccleſiarum ante omnia quartam partem recipiunt ; Archipresbyter poſt recipit decimam ſcilicet decimæ, Suppani ſ. Domini contratæ recipiunt de conſuetudine decimam partem decimarum . Murlachi nullam decimam ſolvunt , nec tempore meorum prædeceſſorum ſolverunt ; & prædictis modis , conſuetudinibus , & temporibus mihi decimæ ſolvuntur & dicantur . In quorum teſtimonium præſentes litteras ad fidem & declarationem præmiſſorum fieri juſſi , & mei pontificalis ſigilli appenſione muniri. Dat. Segniæ in curia epiſcopali Segnen. Epiſcopi ; Anno Do-

mini

mini 1396. Ind. 4. die 15. Januarii, Pontific. SS. in Christo Patris & Dom. Dom. nostri Dom. Bonifacii divina providentia Papæ IX. anno VII.

Ad Nicolaum pertinere arbitror epistolam Bonifacii IX. Papæ inscriptam Episcopis Seniensi, & Corbaviensi; quos vetat prohibere, quominus Fratres Franciscani Senienses & Modrussenses pro sui ratione instituti victum sibi precario & ostiatim quærerent. Data est Kalendis Januarii anno 1402. extatque apud Vadingum Tomo V. Annalium. Nicolao vel mortuo, vel ad aliam ecclesiam translato, nisi quis alius interjectus sit, proxime successit

GEMINIANUS EP. CORBAVIEN. XII.

Quem Joannes Papa XXIII. huic ecclesiæ rectorem præposuit, ut docent Tabulæ consistoriales: 1410. *Providit eadem die* (idest 11. Augusti) *Ecclesiæ Corbavien. per translationem vacanti de persona D. Geminiani de S. Geminiano.* Dum Geminianus huic ecclesiæ præerat, Paullus filius Butki Comes Corbaviæ, Lichæ, & Busanæ, idemque Banus regnorum Dalmatiæ & Chrobatiæ, quintam partem villæ Cherniachianæ cum omnibus agris, silvis, pratis, ceterisque fundis fructuosis, e suo patrimonio detractam, insigni liberalitate donavit ædi hospitali S. Mariæ Magdalenæ in territorio Busanæ diœcesis Corbaviensis. Tabulæ donationis extant in hæc verba.

Comitum Corbaviæ pia liberalitas erga domum hospitalem S. Mariæ Magdalenæ in diœcesi Corbavien.

Nos Paullus Comes Corbaviæ, Likæ, Busanæ &c. Regnorumque Dalm. & Croat. Banus. Universis & singulis præsentes litteras inspecturis tenore præsentium significamus, quod nos considerantes, & præ oculis habentes illud Apostoli dictium: Omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout in corpore gessimus, sive bonum, sive malum; oportet nos diem extremæ ultionis fructuosis operibus prævenire, & ea seminare in terris, quæ multiplicato fructu recolligere valeamus in cælis. Cupientes igitur de bonis terrestribus a Deo nobis collatis, dum hac vita fungimur, aliqua in cælestia commutare, & transitoria in perpetua transferre, habita matura deliberatione, scilicet de voluntate & consensu magnificorum & potentum virorum Dominorum Comitum Corbaviensium fratrum nostrorum, dedimus, donavimus, & tradidimus jure proprio, & in perpetuum, & irrevocabiliter pro anima nostra, & nostrorum parentum, hospitali S. Mariæ Magdalenæ, sito & posito in territorio parochialis ecclesiæ S. Mariæ Virginis de Busana, diœcesis Corbaviensis, totam & integram quintam partem totius villæ vocatæ Cherniachianæ, nobis de jure patrimonii spectantem & pertinentem, tenendam, gaudendam, possidendam, prout & habendam, cum omnibus & singulis metis, confinibus antiquis, & cum omnibus juribus, servitiis, & utilitatibus, fundis, hortis, terris cultis & incultis, montibus, planitiebus, pratis, fenilibus, lapidibus, arboribus, aquis, aquarumque decursibus; & generaliter cum omnibus & singulis tam super terram, quam subtus terram spectantibus & pertinentibus dictæ quintæ parti præfatæ villæ Cherniachianæ; in cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam, has præsentes litteras fieri jussimus, & sigilli nostri consueti cum cordæ fericeæ appensione muniri. Datum in Busana in Baniepale, die 23. Januarii anno 1411. Hanc donationem suo chirographo & iisdem verbis confirmarunt Petrus & Franciscus Paulli fratres, & filii Butkonis.

Per idem tempus excelluit eximia pietas ac religio Nicolai Comitis Frangipanii, Seniæ, Modrussæ, Vinodolii, & aliorum locorum Dynastæ potentissimi; qui apud Vinodolium in diœcesi Corbaviensi, in eo loco, qui Criquiniza dicebatur, cœnobium exstruxit Patribus Eremitis ex ordine S. Paulli, parentis ac principis Eremitarum; illudque vectigalibus sane copiosis dotavit. Iisdem vero Patribus antiquam ædem S. Mariæ in cælum assumptæ, eodem loco sitam, custodiendam, curandam, & pie sancteque divinis officiis colendam tradidit. Extat ejus diploma his verbis confectum.

Nicolaus Comes Frangipanius apud Vinodolium cœnobium exstruxit Monachis S. Paulli.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Amen. Nos Comes Nicolaus de Frangipanibus miseratione divina, & donatione Serenissimi regis Belæ, regis Hungariæ, Comes Vegliæ, Segnæ, Modrussiæ, Vinodol, Jaskæ, Okilek, & Prekey, Banus Dalmatiæ & Croatiæ, memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit universis præsentibus & futuris in perpetuum, ut sit notum & creditum: Qualiter nos videntes nostram devotam antiquam ecclesiam Sanctæ Mariæ Assumptionis penes mare in Vinodol Criquenicæ in malo ordine, & hoc per negligentiam officiantium eam, ideo considerando nos brevitatem vitæ nostræ, & vanitatem hujus fallacis mundi, atque ob specialem devotionem, quam nos habemus erga Venerabiles religiosos viros ordinis Eremitarum S. Paulli primi Eremitæ, professos regulæ B. Augustini Episcopi & Confessoris; ædificamus illis monasterium penes eamdem ecclesiam nostram Criquenicæ, ita ut illi debeant illam administrare, valeantque uti dotibus ejusdem ecclesiæ, in eaque Deum exorare pro nobis, & nostris prædecessoribus, totoque Christianismo perpetuis futuris temporibus. Pro eorum autem perpetua sustentatione, conservatione, habitatione, ac reparatione dictæ ecclesiæ, contulimus eis omnia telonia negotiationis, portum, & dacia nostra ab omnibus iis, quæcumque ad mare onerantur, & ad naves deducuntur, vel deportantur negotiationis & venditionis causa, a minimo ad maximum, incipiendo a Jessenova usque ad Cheranina, metis sic nuncupatis prope mare strictum (vulgo dictum Testno) ad utendum & possidendum, supradictis Venerabilibus viris religiosis prædicti ordinis Eremitarum S. Paulli primi Eremitæ, modernis, & successoribus eorum jure perpetuo, cum omnibus libertatibus, consuetudinibus, & proventibus eo modo, quo nos hucusque & nostri pie defuncti prædecessores tenuerunt, & possederunt. Adhuc illis damus totum magnum collem vulgo Bcók a magna valle, sive campo vulgo Luka, usque ad valliculam in cruce (vulgo Odrasiczena Krisu) a vallicula in cruce usque ad mare cum tota Sidina (vulgo sic dicta), & sepimento sive macerie (vulgo sic dicto ogragia) usque monasterium pro silva & lignatione. Præterea magnum campum, sive vallem (vulgo Luka vella) a magno colle (vulgo velki Bcók) ad usque alium collem (vulgo Bcók Za dubrachin polok, idest post fluvium dubrachin) totum quidquid aratrum arare potest; & totum penes mare usque Kuur (vulgo sic dictum), & sessionem totam, quæ est in Kuur penes, usque scaturiginem vivæ aquæ (vulgo Wrulak), quæ sessio fuit ab antiquo dos ejusdem ecclesiæ usque ad superiorem ruppam, quam hactenus tenebat Nicolaus Jurinoa. Insuper illis damus totam vallem in nostro Kokauk, quæ est sub domibus colonorum nostrorum Valko, &

Czelchich, prout antiqua ſepimenta (vulgo Okozara) demonſtrant, totum quidquid eſt inter colles, quæ terra & vallis antea a noſtris prædeceſſoribus pie defunctis pro dote data fuit eidem ſupradictæ eccleſiæ S. Mariæ Criquenicenſi, cum valle magna & parva, infra & ſupra Sheſztill (loco vulgo ab arbore ſic dicto) prope Kottor uſque ad magnum campum, ſive vallem (vulgo Lukevele a Doôk), ſive colle uno ad alterum Boôk, ſive collem, ubi fuerunt huc uſque vineæ noſtræ. Super hæc adhuc damus illis unam terram noſtram in Lupali, in certa valle (vulgo u Dolu) penes viam communem totam uſque fluvium, & viginti quercus in ea. Inſuper unam adhuc aliam terram noſtram deſertam in eadem valle, & penes eumdem fluvium, ſupra parum, ultra Lupale, ubi ſunt pulchræ quercus noſtræ, a magna via publica totum uſque ad fluvium cum omnibus quercubus. Adhuc unam vineam noſtram (vulgo podpechami loco ſic dicto), ubi ſunt parvæ vites. Item unam ſeſſionem penes mare (vulgo dictam in Szeleza) in Zagorie noſtra prope Liubnich locis ſic vulgo dictis, ubi noſtrum allodium fuit, & cum domibus, ac omnibus pertinentiis ad dictam ſeſſionem ſpectantibus, videlicet ſilvis, terris, ac paſcuis, pro conſervatione pecorum ſupraſatorum Venerabilium religioſorum virorum dicti monaſterii. Adhuc donavimus illis unam vineam prope noſtrum caſtellum Dreveniach, quam dederamus famulo noſtro Nicolao Dragozett uſque ad mortem ſuam, quæ vinea poſt mortem illius devoluta eſt ad nos libera, & franca. Adhuc dedimus illis quinque fruſta fænilium in campo noſtro prope eccleſiam S. Mariæ dicta vulgo na Maji (monte & locis vulgo ſic dictis) prope ſupradictum caſtellum noſtrum Dreveniak, ubi ſunt noſtra fænilia, primum unum noſtrum magnum, quod pro nobis hactenus curavimus falcari penes fluvium in medio campi, ſecundum quod fuit Hromchichii, quod ad nos devolutum eſt liberum, tertium quod nos dederamus Joanni Lukachich, quod poſt illius mortem ad nos devolutum eſt, & alia duo, quæ fuerunt noſtri pie defuncti fratris Georgii, uti ſolus in agone ſuo donavit, & ordinavit. Dedimus item, & donavimus eidem dictæ eccleſiæ S. Mariæ in Criquenicza, & eiſdem ſupradictis Venerabilibus religioſis viris pro majori augmento & adjutorio duos noſtros Colonos Marchovichi in Kolourat loco ſic vulgo dicto ſub Drenin, ſic vulgo dicto colle, & monte cum omni eo ſervitio, ſeu famulitio parvo, & magno, quod illi nobis tenebantur præſtare & robotiſare, ac cum omnibus proventibus, ſive cenſibus parvis, & magnis, quos iidem nobis debebant dare hactenus in dicta ſeſſione. Item unum fruſtum vineæ noſtræ in valliculis vulgo Draſicah penes mare a meridie ſive ab auſtro, a borea vinea Georgii Bernchich, a tramontana vinea Coſmæ, ab oriente autem communis terra, & via ad mare. Has igitur omnes ſupradictas, & ſpecificatas ſeſſiones, & poſſeſſiones, Colonos, terras cultas, & incultas, vineas, fænilia, paſcua, ſilvas, oliveta, arbores fructiferas & non fructiferas, proventus, & telonia, ac portus cum ſuis daciis conſuetis dedimus, donavimus, & reſignavimus, ſicuti & damus, donamus, & reſignamus, jure perpetuo, & irrevocabiliter ævo tempore ad habendum, utendum, & poſſidendum bis ſupraſatis Venerabilibus ac religioſis viris modernis & futuris in dicto monaſterio manentibus, & permanſuris, perpetuis futuris temporibus, in eodemque pro nobis, & noſtris prædeceſſoribus pie defunctis, totaque Chriſtianitate Deum orantibus, cum omnibus libertatibus, conſuetudinibus, dominio, & poteſtate ea, qua nos & noſtri prædeceſſores pie defuncti tenuerunt, & poſſederunt, adjurantes noſtros hæredes, ceteroſque, qui poſt nos erunt, ne nos in hac noſtra benevola & pia collatione, & donatione parum, aut multum turbent, aut moleſtent, quinimo defendant contra quemlibet adverſarium. Si quis autem hanc noſtram benevolam & devotam deliberationem, diſpoſitionem, collationem, & donationem infringeret, aut annihilaret, abjiciat, & exhæreditet eum Deus e regno cælorum. In quorum fidem & robur majus, dedimus eis has noſtras patentes litteras ſub ſigillo noſtro pendenti magno. Modruſſiæ anno Divinæ Incarnationis 1412. die 14. Auguſti.

Quas ſubſcripſit Sacerdos Martinus Bleſich tali modo. Ego Sacerdos Martinus Bleſich Canonicus Modruſſienſis, & capellanus Comitis Nicolai de Frangepanibus, Notarius publicus, plena auctoritate Notariatus mei ſcripſi has litteras, & inſtrumentum, ex ordinatione & mandato jam dicti Comitis Nicolai de Frangepanibus, qui ſua manu ſuum magnum ſigillum pendulum appoſuit his litteris, deditque eas coram me, & coram nobilibus viris Caſparo Orſich, Georgio Chabranich, Michaele Slakovich, Joanne Parapatich, Georgio Jaguſſich, Alexandro Roſſovar, Wolffgango Kralich, multiſque aliis egregiis & nobilibus viris, Venerabili in Chriſto Religioſo viro Fratri Jacobo Donchich, Fratri Nicolao Paſarich, & Fratri Thomæ Kerpchich, qui primi ad hoc monaſterium ſunt introducti, die & anno quo ſupra.

Geminiani obitus, & interregnum epiſcopale.

Anno 1412. ad exitum vergente Geminianum obiiſſe intelligitur ex diplomate Sigiſmundi regis Hungariæ, eodem anno XIV. Kalendas Decembris confecto, in quo Sedes Corbavienſis vacare dicitur. Andreas presbyter idemque parochus Eccleſiæ Marianæ, plebique oppidi Buſanenſis præpoſitus, rogavit Sigiſmundum, ut donationem Paulli, ejuſque fratrum, de qua ſupra in Geminiano Epiſcopo, regali diplomate confirmaret.

Sigiſmundus pias donationes Comitum Corbaviæ confirmavit.

Sigiſmundus D. g. Romanorum rex ſemper auguſtus, ac Ung. Dalm. Croat. Serviæ, Gallitiæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque rex, Marchio Brandeburgenſis &c. Ad univerſorum notitiam harum ſerie volumus pervenisse, quatenus diſcretus vir Andreas presbyter plebis S. Mariæ de Buſana, noſtræ majeſtati veniens in conſpectum, exhibuit nobis duas litteras privilegiales, unam viri magnifici Comitis Paulli de Corbavia, alias noſtrorum regnorum Dalmatiæ & Croatiæ prædictorum Bani; & aliam Petri & Franciſci filiorum quondam Comitis Butkonis de eadem Corbavia, pendentibus eorum ſigillis conſignatas, ſuper donatione & perpetuatione portionum, poſſeſſionum, ipſos in villa Chernichiana vocata concernentium, hoſpitali S. Mariæ Magdalenæ in territorio eccleſiæ parochialis S. Mariæ de Buſana exiſtenti factis, confectas tenore ſubſequentium. Supplicans exinde idem Andreas presb. culmini noſtro prece humili, & devota, ut eaſdem litteras ratas, gratas, & acceptas habendo, noſtriſque litteris privilegialibus verbotenus inſeri faciendo, præmiſſis etiam donationibus & perpetuitatibus poſſeſſionariis noſtrum regium conſenſum pariter & aſſenſum præbentes, pro dicto hoſpitali, & ex conſequenti ejus rectoribus p. t. conſtitutis, pauperibuſque in eodem degentibus innovantes,

per-

perpetuo valituras dignaremur confirmare : quarum talis tenor eſt. (Hic inſertæ ſunt litteræ tum Paulli, tum ejus fratrum Petri & Franciſci.) *Nos igitur humillimis devotiſſimiſque ſupplicationibus præfati Andreæ presb. antelati, per eum majeſtati noſtræ ſubjective oblatis, regia benignitate exauditis, & clementer admiſſis, præfatas duas litteras unam Com. Paulli de Corbavia alias Bani, & aliam Petri & Franciſci filiorum quondam Com. Butkonis de eadem Corbavia privilegiales, non abraſas, non cancellatas, non vitiatas, nec in aliqua earum parte ſuſpectas, ſed omni prorſus ambiguitatis vitio deſtitutas, imo meræ, & ſinceræ veritatis integritatem proponentes, præſentibus de verbo ad verbum ſine diminutione, aut augmento aliquali inſertas, quoad omnes earum continentias, clauſulas, & articulos, acceptamus, approbamus, & ratificamus; præmiſſis etiam donationibus, & perpetuationibus poſſeſſionariis noſtrum regium benevolumque conſenſum pariter & aſſenſum præbemus. Eas nihilominus ſpe retributionis æternæ, ad quam jugiter ſupremis deſideriis anhelamus, ſimul cum perpetuatione & collatione poſſeſſionariis, præmiſſis omnibus aliis & ſingulis ſuperius in tenoribus jam fatarum geminarum litterarum clarius explicatis & contentis, mera auctoritate regia, & poteſtatis plenitudine, ac ex certa ſcientia noſtræ majeſtatis, de conſenſu reginæ conjoralis noſtræ cariſſimæ, prælatorum etiam, & Banorum noſtrorum conſilio, præmaturo ac uniformi decreto eorumdem, pro antelato hoſpitali, & ex conſequenti ejus rectoribus p. t. conſtitutis, pauperibus in eodem degentibus, innovantes, perpetuo valituras confirmamus præſentis ſcripti noſtri patrocinio mediante, ſalvis juribus alienis. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam, præſentes conceſſimus litteras noſtras privilegiales, pendentis autentici ſigilli noſtri duplicis, quo videlicet ut rex Ungariæ utimur, munimine roboratas. Datum per manus R. in Chriſto P. D. Eberardi Epiſcopi Zagrabienſis, ſummi Cancellarii fid. noſtri dilecti, An. Domini 1412. XIV. Kal. Decemb. regnorum autem noſtrorum Ungariæ 26. Rom. vero 3. Venerabilibus in Chriſto PP. Domino Joanne Strigonienſi, Doymo Spalatenſi, Andrea Raguſien. Archiepiſcopis; Colocenſi, & Jadrenſi ſedibus vacantibus; eodem Domino Eberardo Zagrabien. Andrea Varadien. Stephano Tranſilvano, Stybirio Agrien. Joanne Quinqueccleſien. Benedicto Boſnen. Joanne Jaurinen. Fratribus Philippo Vacien. Doſa Chanadien. Sycone ... & Thoma Senien. Eccleſiarum Epiſcopis, Eccleſias Dei feliciter gubernantibus: Veſprimienſi, Syrmienſi, Tragurienſi, Tyninienſi, Sibenicenſi, Nonenſi, Scharnienſi, Macharenſi, Pharenſi, & Corbavienſi ſedibus vacantibus; nec non magnificis viris Nicolao de Gara regni noſtri Ungariæ ſæpedicti Palatino; Stybine de Stelinich Vaivoda noſtro Tranſilvanenſi, Comite Simone, Domino Simone de Rozgra noſtræ curiæ judice, Petrimano de Medue regnorum noſtrorum Dalm. & Croat. Bano, Paullo Chupor de Monozhoa Comite totius Sclavoniæ, Claudero, & Emerico quondam Bartholomæi de Vilag Machonienſis filiis Banis, Gonori Banatus Zeurimenſis vacante, Joanne Bubek de Perſnoch Tavernicorum, Joanne filio de Thomaſi Janitorum, Joanne Groff de Corbavia Dapiferorum, Joanne filio Georgii de Alſan Pincernarum, Petro Chech Agazonum noſtrorum Magiſtris, & Capletio Comite Poſonienſi, aliiſque quamplurimis regni noſtri Comitatus tenentibus.*

Poſt mortem Geminiani Corbavienſis Epiſcopi, ſex fere annos Interregnum Epiſcopale tenuit.

PETRUS III. EP. CORBAVIENSIS XIII.

Erat unus de Archidiaconis Capituli Zagrabienſis, a caſtro Gora Gorenſis cognominatus; eique Martinus V. Pontifex Eccleſiam Corbavienſem decrevit: 1418. 7. *Octobris providit Eccleſiæ Corbavien. vacanti per obitum Geminiani* (ante ſex annos demortui) *de perſona D. Petri de Zeth Archidiaconi Corenſis in Eccleſia Zagrabien.* Tredecim annos præfuit. Deceſſit anno 1431. ſucceſſorque ipſi datus eſt

VITUS EP. CORBAVIENSIS XIV.

Hunc e collegio Canonicorum Eccleſiæ Corcyrenſis delectum Eugenius Papa IV. Eccleſiæ Corbavienſi Antiſtitem præfuit. Nobili genere natus eſt Blattæ, in oppido non ignobili Corcyre Melænæ, inſulæ Dalmaticæ; duplex cognomen habuit, alterum a parente, alterum a majoribus acceptum: ab his communi familiæ vocabulo *Marinich*, ab illo *Oſtovich*, ideſt Oſtojæ filius lingua Slavonica appellatus. 10. *Kal.* .... *Eugenii IV. anno primo* (qui congruit cum anno Chriſti 1431.) *proviſum eſt eccleſiæ ſæculari S. Jacobi Majoris Apoſtoli Corbavien. vacanti per obitum Petri de perſona Viti Oſtojæ Marinich de Curzala, Canonici Eccleſiæ Curzalen.* Exactis conſiſtorialibus. Hinc primum diſcimus ædem cathedralem Corbavienſem titulo & auſpicio S. Jacobi Majoris Apoſtoli conſecratam fuiſſe, & jure patronatus pertinuiſſe ad Comites Corbaviæ, qui eamdem a fundamentis extruxerant, vel certe collapſam refecerant, ornaverant, dotaverant: id ſignificat epitheton *ſæcularis* huic eccleſiæ appoſitum.

His temporibus in regione occidentali diœceſis Corbavienſis rerum potiebatur Comes Martinus e gente Frangipania, vir haud genere ac divitiis, quam virtute, eximiaque adverſus Deum ac Deiparam religione clarior. Hic votum parentis ac majorum ſuorum diſſolvere cupiens, hortatore potiſſimum & auctore Vito Epiſcopo, Virgini Terſactanæ templum ſane magnificum ædificare conſtituit, eique cœnobium rebus omnibus inſtructum adjunxit, traditque ad habitandum Patribus Franciſcanis e provincia Boſnenſi accitis, qui templi curam ſuſciperent, rebus divinis, nocturnæ diurnæque pſalmodiæ operam darent, atque advenis juxta incoliſque, voti ac religionis cauſa illuc adeuntibus, ſacra myſteria impertirent. Idem Martinus, cum Urſia conjuge, lectiſſima femina, nullam prolem ſuſcepiſſet, Deiparam Terſactanam bonorum ſuorum hæredem inſtituit, quorum partem unam ædi Marianæ pro dote aſſignavit, alteram vero in alendos ac ſuſtentandos Patres Franciſcanos ejuſdem ædis cuſtodes & curatores impendi juſſit; cum iiſdem ab Sede Apoſtolica bona ſtabilia poſſidendi, & certos annuoſque proventus habendi facultatem impetraſſet.

Martinus Frangipanius B. Virginem Terſactanam hæredem inſtituit teſtamento.

Nos Martinus de Frangipanibus divina miſeratione Segnæ, Vegliæ, Modruſiæque Comes univerſis, ad quorum manus pervenerint, Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis, ad præſentium, & futurorum notitiam, & perpetuam rei memoriam. Significamus quibus expedit omnibus, quod nos divina gratia exiſtentes in bona ſanitate mentis noſtræ, una cum conſorte noſtra cariſ-

ſima Domina Urſia Comitiſſa, conſideranteſque, quod ſobole de utero noſtro careamus, quam poſſeſſionum noſtrarum relinqueremus hæredem; elegimus pleno affectu, animo deliberato, ac tota voluntate habere ſub Deo Patre & Chriſto ejus filio Dominam glorioſam Virginem Mariam pro noſtra hærede, & noſtrorum Patrona & Domina, ipſamque ſpecialiter elegiſſe, eidemque nos tota devotione adſtringi. Sed quia affectus gloriam reſpicit, ad laudem Omnipotentis Dei, & B. V. M. honorem, & Chriſtiani populi utilitatem, decrevimus ædificare a fundamentis ædificium & eccleſiam in honorem intemeratæ & glorioſiſſimæ Dei genitricis Mariæ ob ſpem & devotionem, quam eidem gerimus ſupradictæ eccleſiæ B. M. Virginis, in diſtrictu Vinodoli prope caſtrum noſtrum vocatum Terſatt; in qua quidem eccleſia per nos conſtructa (ut jam dictum eſt) in honorem Divæ Virginis Mariæ, ad canendum laudes & pſalmos Omnipotenti Deo in remiſſionem peccatorum noſtrorum, & pro ſalute animarum noſtrorum prædeceſſorum, ſtatuimus, imo deliberando decernimus viros Deo devotos Fratres Minores ord. S. Franciſci de obſervantia Vicariæ Boſnæ, cui ordini ſpecialem gerimus devotionem, eiſdemque dictam eccleſiam commendare regendam more aliorum monaſteriorum dicti ordinis, & nunc, & perpetuis temporibus. Ut igitur ipſi Fratres in ipſo monaſterio degentes, temporalibus ſubſidiis adjuti, liberius Deo ſerviant, & ipſius miſericordiam pro ſalute animarum noſtrarum aſſiduis ipſorum orationibus valeant impetrare; illis pro animæ noſtræ remedio, & omnium prædeceſſorum noſtrorum, poſſeſſiones noſtras ſub præfato noſtro caſtro Terſatt concedimus ponendo metas; videlicet poſt viam, cum earum pertinentiis, terriſque videlicet arabilibus, cultis & incultis, agris, pratis, paſcuis, fenilibus, ſilvis, nemoribus, aquis, aquarum divortiis, molendinis, molendinorum locis, & generaliter cum quibuſcumque integritatibus, utilitatibus, uſufructibus, proventibus, & emolumentis qualitercumque vocatis, ſub eorum vel earum veris metis ad eoſdem, ſeu eaſdem ſpectantibus & pertinentibus, ſeu ſpectare & pertinere debentibus, præfato monaſterio D. Mariæ Virginis fundato prope dictum caſtrum Terſatt, & Fratribus in eo familiariter Deo ſervientibus in perpetuam eleemoſynam dedimus, donavimus, adjudicavimus, & contulimus; & dedimus inſuper dicto monaſterio in vadum noſtrum unum molendinum, & unam ſtrupam in fluvio Recba, nec non feniles in valle dicta Draga cum veris metis, & terminis ejuſdem ſine aliqua diminutione, quoad nos ſpectabat. Ex quibus omnibus ſupra nominatis poſſeſſionibus elegimus eſſe dotem dictæ eccleſiæ pro victu, & utilitate Fratrum ibi commorantium, ut & pro reparatione & utilitate eccleſiæ prænominatæ convertantur. Ante noſtrum ex hac vita decurſum aliis donationibus dictam eccleſiam dotabimus. Idcirco per præſentes legavimus, dedimus, & contulimus, confidentes de Salvatoris promiſſione, quibus ob Dei ſui amorem relinquunt, pollicitus eſt reſtituere centum pro uno, & cetera, vitamque æternam daturum, ut etiam nos cohæredes facere dignetur. Propter ea ipſum Salvatorem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & ſuam benedictiſſimam Matrem Virginem Mariam, poſſeſſionum præfatarum tenore præſentium hæredes inſtituimus, creavimus, & fecimus jure perpetuo, & irrevocabiliter. Imprecantes omnes, & eorum conſcientiam onerantes, quod huic noſtræ voluntati donationique auſu temerario non contradicant, nec quicquam minimum uſurpando, vel Chriſtum Dominum, vel ejus Matrem exhæreditare præſumant; & ſi fecerint, tales temerarii cogantur reſpondere coram tribunali Domini noſtri Jeſu Chriſti in die judicii; noverintque ſe juſto judicio exhæredandos de regno cælorum. Idcirco omnes tales cujuſcumque ſtatus, conditionis, & præeminentiæ exiſtant, qui hanc noſtram donationem & conceſſionem infringere ſtuduerint, vel operam dederint, maledictionem, & indignationem Dei omnipotentis, B. Virginis Mariæ, Beatorum Apoſtolorum Petri & Paulli, & totius cæleſtis curiæ, nec non excommunicationem Summi Pontificis eo facto incurrant. Prohibentes autem ut nulli fratrum noſtrorum, aut nepotum, hæredumque eorum, hanc donationem liceat violare frangereque in perpetuum, ſeu quomodolibet impedire, cum & ex eorum voluntate & conſenſu proceſſerit. Ut autem præfata donatio noſtra perpetuum robur & firmitatem obtineat, præſens inſtrumentum fecimus, mandavimuſque ſub appenſione noſtri majoris ſigilli roborandum. Datum & actum in caſtro noſtro Novi 7. April. anno 1431. Indict. VII.

Cœnobii condendi, & Fratribus Franciſcanis tradendi poteſtatem, Viti Epiſcopi rogatu, conceſſit Nicolaus V. Pontifex Max. qui piæ Martini voluntati libenter annuit.

Nicolaus V. diploma Martini Comitis confirmavit.

Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio &c. Exigit devotionis tuæ probata ſinceritas, ut piis votis tuis, illis præſertim, per quæ divini cultus augmentum, & Chriſti fidelium animarum ſalus, religionis ſacræ propagatio procuratur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque ſicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu ſingulari devotione motus, & ut etiam votum per quondam Nicolaum patrem tuum, dum vixit, factum adimpleatur, prope eccleſiam Sanctæ Mariæ ſuper Terſatt, Carbavienſis diœceſis, ad quam Chriſti fideles propter diverſa miracula, quæ omnipotens Deus interceſſione prælibatæ Virginis Mariæ retro actis temporibus demonſtravit, ſingularem gerunt devotioni affectum; unam domum cum clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſo & habitatione Fratrum Minorum de obſervantia de novo fundari, conſtrui, & ædificari facere ferventer exoptes, dummodo tibi ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam licentia concedatur; pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi prædictam licentiam concedere, aliaſque ſuper hoc opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur tuum pium & laudabile propoſitum bujuſmodi in Domino plurimum commendantes, tuis, nec non venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Carbavienſis, ac Chriſti fidelium prædictorum hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi unam domum, cum clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis prope dictam eccleſiam, cujuſvis alterius ſuper hoc licentia minime requiſita, de novo fundandi, conſtruendi, & ædificandi, ſeu fundari, conſtrui, & ædificari faciendi, nec non Fratribus dicti ordinis Minorum de obſervantia domum ipſam pro eorum uſu & habitatione recipiendi, tenendi, & inhabitandi plenam & liberam licentiam, auctoritate apoſtolica, tenore præſentium elargimur. Et inſuper univerſis Fratribus ordinis Minorum de obſervantia in dicta domo pro tempore commoraturis, quod omnibus,

bus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, quibus aliæ domus dicti ordinis ac Fratres in eis degentes in genere gaudent & utuntur, uti valeant pariter & gaudere, eadem auctoritate concedimus per præſentes: non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Octavi prædeceſſoris noſtri prohibitione, ne Fratres ordinis Minorum in quovis caſtro, loco, vel villa ad inhabitandum loca de novo recipere, vel eatenus recepta mutare præſumant abſque ſedis præfatæ licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis apoſtolicis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque; jure tamen parochialis eccleſiæ, & cujuslibet alterius, alias in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ elargitionis, & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio, quarto idus Julii, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Vitus igitur traditæ ſibi provinciæ partem non ultimam eſſe cenſuit piam Comitis Martini liberalitatem allicere ac ſtimulare ad celebre illud Terſactanum Sanctuarium, quod toti diœceſi Corbavienſi magno decori erat & præſidio, amplificandum, ornandum, & locupletandum; quo religio ejuſdem auctior in dies fieret auguſtiorque, ac ſimul frequentia populorum ad illud viſendum colendumque augeretur. Illud quoque Martinus Comes ſuæ tum adverſus Nicolaum parentem pietatis, tum erga Deum ac Deiparam religionis monumentum reliquit; quod omnia dona, & privilegia, quæ parens templo Mariano Criquenicenſi, & cœnobio Eremitarum S. Paulli in diœceſi Corbavienſi contulerat, ſuo diplomate confirmavit

Martinus Comes Frágipanius Nicolaiparentis donationem confirmavit.

Nos Comes Martinus de Frangepanibus Veglæ, Segnæ, Modruſſiæque, ac Prochai, ſignificamus omnibus, & ſingulis, ad quorum præſentiam hæ noſtræ litteræ venerint: qualiter nos audivimus, & intelleximus litteras, quas dederunt bonæ memoriæ noſtri prædeceſſores, & nimirum bonæ memoriæ parens noſter Comes Nicolaus de Frangepanibus, Veglæ, Segnæ, Modruſſiæque, qui erat Banus Dalmatiæ & Croatiæ, Sanctæ Mariæ Criquenicenſi in Vinodol, in quibus litteris ſunt libertates, & dotes eccleſiæ; & nos nolentes infringere litteras bonæ memoriæ prædeceſſorum noſtrorum, quinimo volentes confirmare pro eadem eccleſia S. Mariæ Criquenicenſi, ut valeant bi Monachi, qui ibidem reſident, ordinis S. Paulli primi Eremitæ, quietius vivere & ſervire Domino Deo, orareque pro animabus bonæ memoriæ prædeceſſorum noſtrorum, & etiam pro peccatis noſtris, & poſt vitam noſtram pro anima noſtra: Et ideo mandamus omnibus noſtris caſtellanis, & judicibus, ac aliis officialibus, ut debeatis eos in illis conſervare, ſupra quæ litteras habent a bonæ memoriæ noſtris prædeceſſoribus, quas litteras nos ipſi confirmavimus; & ſuper inde eis dedimus has litteras noſtras ſub ſigillo noſtro, anno 1455. datas in Novi, menſis Octobris 28. (L. S.)

Et ego Sacerdos Gregorius capellanus Comitis Martini, & parochus Novienſis, ac Vicarius Vinodolenſis ſcripſi hæc, dictante ſupradicto Comite Martino Veglæ, Segnæ, Modruſſiæque, qui eo tempore gratia Dei Dominus erat arcis Verbaz, & erat ſupremus Comes totius terræ Verbaſienſis, Dominus in Kozar Boſnenſi, & ceterarum arcium Kumogoinæ, Koſtanycnæ, & caſtelli in Kelpii, & Kralic, Gradacz, & Cipovacz, Jaſchæ, & Okich, Oſtrovicznæ in Buſis; penes mare autem Dominus veteris arcis, & mediæ Segnæ. In Vinodol vero Dominus de Novi, Brebir, Griſanæ, Belgrad, Cottor, Bucchari, Terſiati, & Prochai &c.

Porro Vitus eccleſiam ſibi commiſſam annos circiter duodeviginti ſumma cum vigilantia curaque adminiſtravit, ac nullis incommodis aut laboribus pepercit, ut illius commodis utilitatique ſerviret, nullumque erga ſuum cariſſimum gregem optimi paſtoris ac parentis officium prætermitteret. Nec vero patriæ ſuæ immemor fuit, oblituſve Eccleſiæ Corcyrenſis, cui ab ineunte ætate ſuum addixerat miniſterium, ac de illius patrimonio, Canonici dignitate ac penſione auctus, plures annos vixerat. Nam cum ædes cathedralis Corcyrenſis vitium feciſſet, ad eam reſtaurandam plurimum pecuniæ ſuppeditavit, ſuoque ſumptu in eadem pulpitum marmoreum venuſto elegantique opere exſtruendum curavit; cujus beneficentiæ ut memoria extaret, Andreas Canevellus Epiſcopus Corcyrenſis in eo inſculpi juſſit ſtemma Viti gentilitium, ideſt Leo erectus, pedibus poſterioribus inſiſtens, & pars dimidia aquilæ bicipitis, cum diademate utriuſque capiti impoſito; quatuor vero angulis ejuſdem ſtemmatis quatuor litteras incidit, videlicet V. O. P. C. *Vitus Oſtovich Præſul Corbaviæ*. Ad hæc permiſſu Andreæ Epiſcopi in eadem æde cathedrali ſacellum & altare Divo Jacobo Apoſtolo, patrono primario diœceſis ſuæ Corbavienſis excitavit; ibidemque ante aram ſibi & ſuis ſepulcrum paravit; id quod Lucas Leo Epiſcopus Corcyrenſis, proximus Andreæ ſucceſſor, memoriæ cauſſa ſcriptum reliquit. *Lucas Leo Ven. Dei & Ap. Sedis gratia Epiſcopus Curzolenſis, & Stagnenſis. Reverendus in Chriſto Pater & Dominus D. Vitus de Curzola, Corbavienſis antiſtes meritiſſimus, nobis ſignificare fecit, quod pro animæ ſuæ ſuorumque defunctorum ſalute, nec non hæredum, & poſterorum ſuorum memoria & ædificatione capellam unam cum altari ad honorem Dei, & Beatiſſimi Jacobi Apoſtoli in noſtra cathedrali Eccleſia Curzolenſi, una cum ſepulcro ante altare pro eodem Reverendo Patre & Domino, fundavit, ædificavit, & conſtruxit de bonis propriis, ut oculata fide videmus, auctoritate & licentia obtenta a Reverendiſſimo in Chriſto Patre & DD. Andrea Epiſcopo Curzolenſi & Stagnenſi prædeceſſore noſtro.* Præterea Sacerdotium perpetuum inſtituit, cujus conferendi jus eſſet penes familiam Oſtovichiam, & vectigalibus idoneis dotavit ad Presbyterum alendum, qui quotidie pro ſe ſuiſque conſanguineis ac poſteris ad aram S. Jacobi ſacrum faceret. Tabulas Sacerdotii ab ſe inſtituti teſtes conficiendas curavit, *dat. Curzulæ in epiſcopali palatio ſub an. Domini 1456. Calixti PP. an. 2.* Vitus diem obiit ſupremum anno circiter 1457.

Viti Epiſcopi Corbavienſis pietas ac liberalitas erga patriã ſuam & Eccleſiã Corcyrenſem.

FRANCISCUS EP. CORBAVIENSIS XV.

Ad quem extat epiſtola Pii II. Pontificis, ex qua intelligitur præclare illud meritum fuiſſe de re catholica & Eccleſia Romana, ac pro utriuſque defenſione plurimis incommodis & laboribus

ribus perfunctum esse, sive inter hæreticos, ut eos ad rectam in Deum fidem revocaret, sive inter catholicos, ut eos ab omni hæreseon labe intactos servaret. Hunc igitur Pius II. vel hujus proximus decessor Callistus III., ut quibus digna erant præmiis atque honoribus, præstantissimi viri merita remuneraret, ad episcopalem dignitatem evexit, Ecclesiæque Corbaviensi rectorem præfecit. In hac diœcesi præter ædem Tersactanam, de qua dictum est, altera Mariana ædes prope Modrussam, eximia populorum veneratione & frequentia colebatur, cui cognomen erat a Miraculis, ob plurima & maxima beneficia divinitus collata in omne genus mortalium, qui Deiparam Virginem salutatum adibant, ejusque auxilium in rebus dubiis ac propemodum desperatis implorabant. Franciscus ergo ut suscepti Pontificatus initiis Beatissimæ Matris ac Virginis patrocinium conciliaret, ad cultum ac celebritatem hujus Mariani templi augendam primas suas cogitationes convertit. Re communicata cum Stephano Frangipanio Dynasta Modrussiensi, uterque supplicibus litteris enixe oravit Pium secundum, ut veteres indulgentias, quibus hanc ædem sanctissimam Romani Pontifices donaverant, novis atque amplioribus cumularet. Horum precibus ille perlibenter annuit, & quod petebant, amplissimo diplomate concessit.

Diploma Pii II. pro æde Mariana de miraculis prope Modrussã.

Pius &c. Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem &c. Dum præcelsa meritorum insignia, quibus Regina cœlorum Virgo Dei genitrix prærutilat, devotæ considerationis indagine perscrutamur, impendiis, & indulgentiarum muneribus decoremus. Dum itaque sicut accepimus, ecclesia B. M. V. de Miraculis nuncupata, prope locum de Modrusia Corbaviensis diœcesis, ad quam ... ob crebra, quæ inibi Altissimus ejusdem Virginis & Matris precibus ac meritis in dies manifestare non cessat, miracula innumerabiliter decorata, ac diversis indulgentiis eadem ecclesia certis anni diebus instantibus, per Romanos Pontifices prædecessores nostros ac nonnullas alias ecclesiasticas personas retroactis temporibus concessis, permunita censeatur; Nos igitur venerabilis Fratris nostri Francisci Episcopi Corbavien. ac dilecti nobilis viri Stephani de Frangepanibus Comitis & domini ejusdem loci, petitionibus inducti, ac cupientes, ut dicta ecclesia congruis honoribus frequentetur, & ut Christi fideles ipsi eo libentius causa devotionis confluant ad eandem & manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cœlestis gratiæ uberius conspexerint se refectos; omnes & singulas indulgentias visitantibus ecclesiam hujusmodi, ac ad illius reparationem & manutentionem manus adjutrices porrigentibus, ac alias per supradictas, & quascunque alias personas concessas, ac si de verbo ad verbum inserta forent præsentibus, per expressum habentes illasque apostolica auctoritate confirmantes, ratificantes, & approbantes, ultra concessas prædictas, de omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri & Paulli Apostolorum concessa auctoritate confisi omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, qui in singulis primis Dominicis singulorum mensium, necnon Purificationis, Annuntiationis, Nativitatis, Assumptionis, & Conceptionis ejusdem B. M. V. festivitatum diebus, a primis vesperis usque ad secundas vesperas ecclesiam præfatam devote visitaverint annuatim, & ad illius reparationem & conservationem pias eleemosynas erogaverint, seu manus porrexerint adjutrices; septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus, præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Senis anno Domini MCCCCLIX. pridie Kal. April. Pontificatus nostri anno primo,

Jo. de Collis.

Franciscus Ep. pro recuperandis decimis, ac bonis ecclesiasticis Sedis Apostolicæ opé imploravit,

Cum Franciscus Ecclesiæ Corbaviensis regimen suscepit, non sine acerbissimo animi sensu ac dolore patrimonium ecclesiasticum reperit valde imminutum distractione decimarum ac possessionum, quas viri nobiles ac præpotentes interverterant, & inique usurpatas detinebant, simulque obstabant ne ille episcopali potestate ac jurisdictione libere uteretur. Huic malo non aliunde remedium, quam a Sede Apostolica petendum censuit; & supplex pontificiam auctoritatem opemque imploravit. Pius Pontifex duobus Archiepiscopis, & quatuor Episcopis, itemque Abbatibus & præpositis Ecclesiarum Dalmatiæ per litteras imperavit, ut in suis ecclesiis publice, & coram populo, denunciarent anathema inflictum iri omnibus illis, qui de bonis Ecclesiæ Corbaviensis aliquid surripuissent, aut ab aliis surreptum retinerent, nisi restituerent intra certam diem, quæ ab ipsis præfinienda erat.

Diploma Pii II. P.

Pius II. servus servorum Dei Venerabilibus Fratribus Spalaten. & Jadren. Archiepiscopis, & Zagrabien. Signen. & Nonen. Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, & præpositis, nec non plebanis in eorum diœcesibus constitutis, salutem & apostolicam benedictionem. Significavit nobis Ven. Fr. noster Franciscus Episcopus Corbavien., quod nonnulli Domini temporales, Comites, nobiles, barones, milites, laici, & alii iniquitatis filii, tam ecclesiastici, quam seculares, decimas, primitias, reditus, proventus, obventiones, agros, domos, possessiones, terras, vineas, pascua, prata, molendina, jura, jurisdictiones, & alia bona mobilia & immobilia ad Ecclesiam Corbaviensem & illius episcopalem mensam legitime spectantia, detinent indebite occupata; ac ejus jurisdictionem impediunt, & faciunt quominus illam exercere possit; & ea detinentibus præstant consilium & favorem in animarum suarum periculum, & Francisci Episcopi, ecclesiæ, ac mensæ prædictarum non modicum detrimentum, ac perniciosum exemplum, & scandalum plurimorum. Super quo idem Episcopus Apostolicæ Sedis remedium imploravit. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus omnes hujusmodi detractores decimarum, primitiarum, jurium, & aliorum bonorum prædictorum ex parte nostra publice in ecclesiis coram populo per vos, vel alium, sive alios, quoties per ipsum Corbaviensem Episcopum, seu ejus procuratorem fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus, moneatis ut intra competentem terminum, quam eis præfixeritis, ea præfato Episcopo a se debita restituant, & revelent, ac de iis plenam ac debitam satisfactionem impendant: quod si id non adimpleverint infra alium competentem terminum, quem ad hoc peremptorie duxeritis præfigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam perferatis; & eam faciatis, ubi & quando expedire videritis, usque ad satisfactionem condignam publicare. Quod si non omnes his exequendis poteritis interesse, duo aut unus vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Senis anno 1459. 6. Non. Apr. Pontific. nostri anno primo.

Pon-

Franciſcus poteſtatem duo Sacerdotia conjungendi cum menſa epiſcopali a Pio II. obtinuit.

Pontificiis mandatis obtemperatum fuiſſe arbitror ; ſed paucos fuiſſe , qui denunciatione anathematis perterriti eccleſiæ ablata reſtituerent. Itaque Pius aliunde Franciſco ſubvenien-dum putavit ; eidem poteſtatem fecit , unum aut duo Sacerdotia, ſi quæ illi rite collata vel commendata fuiſſent, recipiendi , conjungendique cum Epiſcopatu Corbavienſi, ut ex eorum proventibus ſuppeteret quod ſatis eſſet ad perſonam epiſcopalem pro dignitate tuendam ac ſuſtinendam.

Diploma Pontificis.

Pius II. Venerabili Fratri Franciſco Epiſcopo Corbavienſi ſalutem &c. Perſonam tuam nobis , & Apoſtolicæ Sedi devotam tuis exigentibus meritis paterna benevolentia proſequentes , ea tibi libenter concedimus , quæ tuis commoditatibus fore conſpicimus opportuna. Hinc eſt quod nos volentes te , qui pro fide catholica & ſacroſancta Romana Eccleſia magnos paſſus fuiſti labores , ac nonnulli fructus , reditus , & proventus Eccleſiæ tuæ Corbavienſis , cui præeſſe dignoſceris , indebite occupati detineantur , ut ſtatum tuum decentius tenere valeas , horum intuitu favore proſequi gratioſo , tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati ; tibi ut una cum dicta Eccleſia Corbavien. unum , vel duo beneficia eccleſiaſtica ſæcularia , vel cujuſcunque ordinis regularia , etiamſi dignitates , non tamen conventuales , aut dignitates , non tamen Abbatiales , cujuſcunque annui valoris exiſtant , ſi tibi canonice conferantur , ſeu commendentur , recipere & retinere libere & licite poſſis , & valeas , auctoritate apoſtolica tenore præſentium indulgemus . Non obſtantibus conſtitutionibus , & ordinationibus apoſtolicis , nec non ſtatutis & conſuetudinibus prioratuum , ſeu monaſteriorum & ordinum hujuſmodi , ſeu eccleſiarum in quibus beneficia hujuſmodi fuerint , etiam juramento , confirmatione apoſtolica , vel quavis alia firmitate roborata , ceteriſque contrariis quibuſcunque ; etiam ſi de ipſis , eorumque totis tenoribus præſentibus habenda foret mentio ſpecialis. Nulli ergo &c. Noſtræ conceſſionis infringere &c. ſi quis &c. Datum Mantuæ anno ſalutis Dominicæ MCCCCLIX. tertio Kalendas Novembris , Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Jo. de Collis.

Sedes epiſcopalis Corbavienſis per Pium II. Modruſſam translata an. 1460.

Franciſcus fuit vel poſtremus, vel certe proximus a poſtremo Epiſcoporum, qui ſedem epiſcopalem Corbaviæ, in urbe totius regionis principe tenuerunt . Nam his temporibus translata eſt Modruſſam in oppidum Japidiæ clarum in primis ac nobile , quod millia paſſuum fere viginti a principatu Corbaviæ in ortum diſtabat. Hujus translationis auctorem fuiſſe ajunt Pium II. Pontificem, annum hujus ſæculi circiter ſexageſimum, cauſſam vero captam a Turcis Corbaviam. *In lib. Cancell. Apoſtol.* (teſte Ciampinio apud Petrum Ranzanum) *Eccleſia Corbavien. cum omni juriſdictione translata fuit ad parochialem eccleſiam S. Marci oppidi Modruſſiæ Corbavienſis diœceſis , quod deinceps Modruſſienſis nuncupatur, per Pium II. 1460. pridie Nonas Junii, anno Pontificatus ſui ſecundo* . Idem invenio in Catalogo Mſ. quem *antiquus curialis Petrus Paullus Atthuanus cameræ apoſtolicæ notarius* confecit ſub hoc titulo: *Theatrum orbis terrarum tam Patriarchalium , quam Metropolitanarum , & Cathedralium eccleſiarum &c. Corbavien. in Sclavonia & provincia Spalaten. Dicitur Eccleſiam Corbavien. in Eccleſiam Modruſſienſis oppidi S. Marci Corbavien. diœceſis pridie Nonas Maji translatam fuiſſe*. Idem confirmat ex actis & tabulis Romanis Martinus Braicovichius Epiſcopus Senienſis: *Epiſcopatus Corbavienſis nec eſt , nec umquam fuit re diſtinctus a Modruſſienſi . Nam clare habetur in actis conſiſtorialibus & cameralibus Romanis , quod Pius II. anno 1460. Corbavia Modruſſiam tranſtulit Sedem Epiſcopalem , voluitque poſthac vocari Modruſſien. alias Corbavien. talem Epiſcopatum ; ut ex litteris Martini Kelles pœnitentiarii Romæ Soc. Jeſu 8. Februarii anno 1698. ad Joannem Pattacich ejuſdem Societ. datis.* Idem denique ſcriptum reperitur in alio codice Romano, qui inſcribitur *Liber taxarum eccleſiarum & monaſteriorum : Corbavien. translata eſt , & dicitur Modruſien.* Hæc nota appoſita eſt manu recentiori : *poſt occupatam a Turcis Corbaviam , quod contigit ſæculo* 15. Vereor ut hæc cauſſa ſedis epiſcopalis Corbavienſis Modruſſam translatæ viris eruditis probari poſſit ; nondum enim Turcæ in Dalmatiam vexilla armaque intulerant , ac ne Boſinam quidem Dalmatiæ finitimam ante annum hujus ſæculi ſexageſimum tertium occuparunt. Sed cum jampridem Turcæ contra Chriſtianos in Hungaria bellum gerere , atque in Slavoniam & Boſinam excurſiones facere cœpiſſent ; facile accidere potuit , ut per ea tempora tumultuario agmine in Dalmatiam progreſſi, effuſique in Corbaviam , regionem illam ferro & igni devaſtarint , ipſamque Corbaviam civitatem totius regionis primariam diruerint ; nec vero compertum eſt quonam alio fato, quove tempore hæc civitas interierit , cujus ne veſtigia quidem ſuperſunt , e quibus illius poſitio dignoſci queat: *nam civitatem Corbaviæ nomine inſignem alicubi floruiſſe , a quo totus diſtrictus nomen acceperit , nemo , arbitror , prudens negaverit ; quæ autem ejus facta viciſſitudineſque fuerint , vix ullus queat eruere ;* ut ſcite prudenterque animadvertit auctor Topographiæ Hungaricæ. Quod ſi ita eſt , urbis everſio ſedis epiſcopalis alio transferendæ cauſſam & neceſſitatem attulit. Ceterum ego id accidiſſe arbitror iniquitate & avaritia procerum Corbaviæ , a quibus cum Epiſcopus decimas & bona eccleſiaſtica repeteret , plurimis , ut fit , moleſtiis atque incommodis afficiebatur. His ut illum eximeret Pius Pontifex, ſedem illam pontificiam Corbaviæ ademptam Modruſſæ conſtituit , in ditione Comitum de gente Frangipania , quorum egregia pietas & profuſa in templis ac cœnobiis ædificandis dotandiſque liberalitas temporibus illis potiſſimum eminebat.

EPISCOPI MODRUSSENSES.

Modruſſa olim Tediaſtum.

NObile olim in primis ac celebre oppidum fuit Modruſſa, quam alii Modruſſiam vocant, ab ora maritima paſſuum millibus circiter quinque ac viginti diſtans in ſeptemtrionem: quo in loco fuiſſe Tediaſtum Ptolemaicum aliqui exiſtimant. Nec vero aſſentior Sconlebio, qui ex aliqua vocabuli ſimilitudine conjecit Modruſſam idem eſſe ac vetus Meruſium; ſiquidem apud antiquos Geographos nullum hujus nominis oppidum invenio, niſi Meruſium illud, quod Stephanus ex Theopompo in Sicilia locavit, ſeptuaginta ſtadiis a Syracuſis disjunctum. Sita eſt Modruſſa in regione montana, media fere Japidia, & plano loco inſidet, infra caſtellum colli prælto incumbens: de qua Topographus Hungaricus. *Elegantioribus ædificiis olim vetuſtatis ſuæ prærogativam ac decus non male tuebatur. Subinde vero bellorum temporiſque injuria prope everſa, paucas dumtaxat domos, tamquam primævi ſui honoris veſtigia, reliquas habet.* P. Philippus Riceputus, cum Modruſſa Zagrabiam iter faceret, urbem ipſam, ſeu potius antiquæ everſæque urbis veſtigia, & varia diœceſis & agri Modruſſenſis loca luſtravit; quæ autem de priſtino & hodierno ſtatu rei chriſtianæ Modruſſenſis aut ſuis ipſemet oculis inſpexit, aut ab incolis accepit, diligenter notata, memoriæ cauſſa in Ephemeridem retulit. 28. *Octobris perveni Modruſſam, civitatem olim, quæ ſedes erat Epiſcopi, ac deinde a Turcis plane deletam; a Domino* Wolfango *Hogger Segnenſi, humaniſſimo hoſpite acceptus; iſque ſequentia nobis elucidavit, quæ & oculis noſtris attente perſpeximus.*

Urbis, agri, ac diœceſis Modruſſenſis deſcriptio.

Caſtrum in eminenti poſitum meridiem reſpicit: inhabitatum eſt & dirutum; murorum tamen adhuc aſſurgunt reliquiæ. Sacelli, quod inibi fuit, nulla memoria, nullumque nomen apud incolas. Idem caſtrum utrinque deſcendentibus mœnibus civitati conjungitur, in planitie ſedenti, & ad ſeptemtrionem reſpicienti, ſuis itidem mœnibus, quæ prædictis adhærent, circumdatæ; hæcque mœnia adhuc integra extant, ut etiam portæ duæ, quæ ad orientem altera, altera ad occidentem reſpiciunt. Penes civitatis muros ad ſeptemtrionem jacent rudera cathedralis antiquæ eccleſiæ, quæ S. Marci Evangeliſtæ titulo ornabatur; & prope eamdem attollitur turris campanaria, quæ vix aliquam injuriam a Turcis, & a tempore paſſa eſt; at ære campano caret, ſeu a Turcis erepto, ſeu a Chriſtianis in alium locum traducto, aut uſum converſo. Poſt vergendo ad ſeptemtrionem ſequitur Epiſcopium, cujus muri partim adhuc vigent, ſed ita attenuati, ut nullam antiquæ majeſtatis præſeferat formam.

Templa hujus urbis, quorum extant ſeu rudera, ſeu memoria, ſequentia ſunt. SS. Trinitatis, quæ eſt de præſenti eccleſia parochialis, atque muros latericios habet, & tecta lignea, jacetque intra antiqua mœnia.

S. Stephanus ad mœnia verſus occidentalem plagam, & juxta civitatis portam occidentalem; ſolum murorum pars ſine tecto ſuperſtes eſt.

S. Helenæ fuit templum non longe a prælaudato D. Stephani.

S. Antonius prope civitatem in via, qua ad Capellam itur. Secus hanc eccleſiam jacent ruderi cujuſdam monaſterii.

A parocho Modruſſienſi, qui uſque ad locum Hoſteria *dictum eſt nos humaniſſime comitatus, hæc inter equitandum audivimus die 29. Octobris.*

In parochia Modruſſienſi numerantur 800. *perſonæ pueris computatis, quarum octava pars in diruta civitate ſtationem habet.*

In diœceſi Modruſſienſi ſequentes extant parochi Latinorum, qui tamen lingua Illyrica ut plurimum in divinis utuntur, Modruſſi, Hoſteriæ, Ugolini, Slunii, Laſcæ, Tugai, Legoudolini, Moravizzæ, Brodi, Dalnizzæ, Fuſinæ: *horum plerique trans Capellam verſus Savum. Intra horum parochias degunt plurimi Valachi, ſeu Raſciani, qui triplo excedunt Croatas, ſeu Latinos catholicos; habentque ſuos parochos ſive popos in* Dobrava, Ponique, Moravizza, Gomoria, Ottok, Plaſchi, Vrelomriſnizer, Teriſich, Poiloy, Periaſniza, atque aliis in locis. *Horum locorum Curiones obtemperant Epiſcopo Raſciani ritus, qui vocatur Daniel . . . . iſque modo degit in pago Gomoriæ, aut etiam Plaſchi, unde Epiſcopus Plaſchenſis dici ſolet, ubi ſibi ædes non incommodas ædificavit. Gomoriæ vero, habitat in monaſterio Calogerorum, ſive Baſilianorum. Præeſt hic Epiſcopus, quem* Vladicam *vocant, parochis etiam, qui ſunt per Licham, atque Corbaviam.*

Ante quinquennium Epiſcopo proprio carebant, & pro ordinibus, aliiſque neceſſariis accedebant ad Epiſcopum Valachum in Moruzza penes Danubium, qui habet ſedem in loco Secuy, diſtante a Quinque-Eccleſiis unius diei itinere. Hujus autem Metropolita, aliorumque finitimorum Epiſcoporum, eſt Metropolita . . . & Patriarcha Pechienſis. Ab Epiſcopo autem Segnenſi in nulla re dependent, neque ipſius viſitationi ullo pacto obnoxii ſunt. Hunc autem recentem Epiſcopum permiſit Imperator Leopoldus in ſui regiminis extremo tempore, magno catholicorum dolore. Valachis autem conceſſa eſt in his partibus ſtatio, & deputati campi poſt bellum Viennenſe; ſed cum limitatione temporis, dover videlicet dilatentur confinia Cæſaris; quo ſcilicet tempore licebit Principi terræ a Corbavia ipſos extrahere, & quo placuerit, eos traducere. Venerunt autem ex regno Boſinæ, aliiſque finitimis partibus, præſertim vero ex Bihiacii Comitatu, neque eorum acceſſus poterat impediri; erat enim nimia eorum vis; neque in Corbavia homines incolæ ſatis, qui poſſent ipſos repellere.

Monaſterium Gomorienſe monachos Baſilianos tricenos, & ultra alit, præter magnam alumnorum familiam, & famulorum; neque antiquum eſt; ſed illis a poteſtate ſæculari aſſignatum in prædicta Valachorum irruptione, a ſævitie Turcarum ad hanc Cæſaris terram velut ad aſylum ſe recipientium.

In diœceſi Modruſſienſi cis Capellam ante poſtremam Turcarum irruptionem fuerunt hæc Latinorum cœnobia. In Capella Paullinorum S. Nicolai, in ſitu ubi nunc eremus ipſorum cum unico tantum eremicola; ſed extant monaſterii eximii veſtigia, in quo dicuntur degiſſe octoginta viros.

In Krakiar erat Abbatia Benedictinorum nigrorum, quam nunc obtinent Valachi, eſtque intra nemora, ſecus montem Capellæ verſus Modruſſiam.

Slunii habitabunt Franciſcani, item in Modruſſia, in loco, qui adhuc ſervat titulum S. Nicolai. Dominicanos ibidem dicunt extitiſſe apud S. Helenam Modruſſienſem, in loco qui dicitur Triskivaz penes civitatem.

Per

Per viam a Modruſſia ad villam Togugn poſt duas equitationis horas occurrit flumen Mrimiza, quo per pontem tranſmiſſo intravimus templum B. Virginis vulgo de Hoſteria, apud quod reſidet parochus D. . . . Boſciſenochi. Nunc in perfecto ſtatu ſupereſt tantum pars illa, quæ ſacrarium dicitur, neque exiguæ amplitudinis; namque præter medium ſummumque altare B. Virginis, alia itidem tria continet lateralia, quorum poſtremo correſpondet pulpitum ſatis ornatæ ſtructuræ, cujuſmodi ſunt & ipſa altaria: quæ omnia piorum elargitionibus eo ob devotionem erga B. M. iconem magno numero confluentium ſunt effecta. Hic quoque elaboratum eſt recens tabulatum, non contemnendo penicillo exornatum, atque ſatis ſublime; cujus olim vice protendebatur antiquæ ſtructuræ fornix, cujus adhuc extant ſpecioſa veſtigia. Ad hoc ſacrarium aditum pandebat ingens amplaque baſilica, triplicis, ut ajunt, navis, hoc eſt tramitis, quas naves quinque hinc inde columnæ marmoreæ vere ſublimes diſtinguebant, & ſublimibus ſimiliter fornicibus obtegebantur. Tres portas habebat templum, mediam e regione ſummæ aræ, ſupra quam etiamnum attollitur quædam mira, atque adhuc illæſa turris, quæ nulli innixa fundamento eſt, niſi muro ipſi, qui faciem templi conſtituit, atque arcui, cui ſubeſt porta: alias vero duas januas hinc inde ad latera. In ſummo altari eminet icon B. V. M. aſſumptæ ad cœlos; cujus ingens peplum ab aſtantibus quaternis hinc, totidemque inde Angelis ſuſtentatur; & obtegit fideles ordinis cujuſque & ſexus, flexis poplitibus, atque in modum deprecantium, junctis & elatis manibus. Dicunt hanc imaginem, quæ operis ſculptilis eſt, atque materiæ lignea, ſed auro aliiſque coloribus affabre exornatæ, non eſſe eamdem cum antiqua, quæ fuit a Turcis erepta, aut forſan ab igne conſumpta; aliorum vero vox eſt eamdem eſſe ac priſtinam. Utut eſt, ea eſt prodigioſa, mirifica, & gratiarum prodiga. Eo proinde affluunt e regionibus finitimis, ac etiam longinquis, in privatis atque communibus calamitatibus & indigentiis, gentium piarum longi proceſſus, & vota in templo magnæ ſoſpitatricis, preceſque exolvunt. Earum porro mos eſt, (ut etiam Modruſſiæ, atque apud alia ejus regionis delubra factitari ſolet, dum contendunt magnæ Matris affectum ſibi validius devincire) ut ejus ſacellum etſi magnum forinſecus longo cereo circumcingant, quem aut de ſuo adferunt, ibidem relinquendum, aut ſoluto pecuniæ penſo a curione templi ſibi curant illud commodari, quem habet paratum in hunc finem; aſſervaturque in contiguo loco, quem meis perſpexi oculis ſupra quemdam circinum conglomeratum.

In itinere ab Hoſteria Togugnem, quod erat ſeſquialterius horæ, nos eſt comitatus D. Stipan, hoc eſt Stephanus Wcaſſich, judex in ipſo loco Hoſteriæ. Hic ſe dicebat prognatum a Principibus quibuſdam, qui per Serviæ regnum late olim, ſplendideque dominabantur, atque familiæ ſuæ magnifica privilegia ſe domi ſuæ ſervare.

Per viam a Togugn ad Sereciai, quæ horarum circiter quinque eſt, comitem habuimus Cneſium Michcevich religione Raſcianum, a quo talia accepimus. Quadraginta circiter præterlapſi ſunt anni, ex quo ingens copia Vlachorum e terris Turciæ in hos imperiales plagas demigravit. Hi quadraginta ferme parochos ſui ritus & dogmatis habent, dum tantummodo duo ante hac erant parochi ritus Græci; bique forte Catholici, utpote qui jura ſacraque ab Epiſcopo Græcorum Venetiis degente percipiebant. Hi porro quadraginta parochi tres obtinuerunt Epiſcopos ſuæ legis, quorum unus Koſtaniczæ, alter Paperſchi, poſtremus denique Plaſconi ſedem habent: eorum autem Metropolita degit Segheti, penes Petrivaradinum, & Primas eſt Patriarcha Pechienſis. Epiſcopum Plaſconienſem ait jus dicere per partes tantum Corbaviæ uſque ad Coſſin, non ut quidam alii nobis dixerunt, per totam Licham, & Corbaviam; per Licham enim ſacra adminiſtrat Epiſcopus Koſtaniczienſis, & per reliquam Corbaviam Paperſchienſis.

Licham dixit enumerare plures parochos, quos ſingulis annis viſitat Vladicha, qui a qualibet domo, & ab unoquoque parocho ſtato pecuniæ tributo donatur. Sic & alii duo Vladichæ. Ab his contributionibus immunes ſe ſervant antiqui Vlachi, ſeu Raſciani, qui hic ſedem habebant ante bellum Viennenſe, & recentiorum Raſcianorum adventum. Hæc ſcripſimus noctu, cadente die 29. Octobris.

Sequenti die devenimus Carloſtadium, ubi prandium accepimus apud PP. Min. obſer. provinciæ Carnioliæ, a quibus magna charitate excepti, & habiti ſumus. Veſpere apud eorumdem conventum in oppido Jaoza divertimus. Ibi concionator erat P. Zeferinus a Flumine, qui ante aliquot annos guardianus monaſterii Segnenſis me per ſeptem fere dies apud ſe humaniſſime detinuerat. Is mihi narravit ſcire ſe, quod Hoſteria olim erat frequens valde civitas, in qua ſuus ordo atque alii etiam domicilium habebant; quod ejectus per Turcas a Corbavia clerus & Capitulum huc ſe recepit, & aliquandiu manſit. Epiſcopus vero Modruſiam aſcendit, ibidem ſuas ædes ædificavit, & ſtabilivit ſtationem.

Die 31. Octobris a pluvia impediti conſtitimus in arce Chereſiinez, ad Dom. Erdocdianos ſpectante; ubi magna cum urbanitate prandio nos excepit D. Andreas Shander eorumdem Dominorum officialis; quocum ad alteram eorumdem arcem veſpere deducti, ibi percommodiſſime pernoctavimus.

Sequenti mane ibidem in ſacello arcis celebrato ſacro, equos conſcendimus hora circiter diei ſecunda, & duabus poſt prandium horis ad Zagrabienſe Soc. noſtræ collegium devenimus, Deo dante, incolumes & jucundi. Hactenus P. Philippus.

Joannes Frangipanius Comes Modruſiæ.

Quo tempore Epiſcopus **Corbavienſis** Modruſſam migravit, Joannes princeps familiæ Frangipaniæ rerum potiebatur, *Vegliæ Dominus, Segniæ, Modruſiæque Comes;* qui ſedem illam epiſcopalem in ſuam ditionem, urbemque perlibenter admiſit; ex ea ſiquidem ipſius urbis tum dignitas, tum celebritas augebatur. Epiſcopum perhonorifice excepit, eidemque de habitatione idonea accommodavit interea, dum ædes Epiſcopo deſtinatas reficeret, amplificaret, ornaret. Cathedra pontificia conſtituta eſt in templo S. Marci, quod erat totius oppidi primarium, & animarum procurationem annexam habebat. Quemadmodum in aliis oppidis celebrioribus diœceſis Corbavienſis & Senienſis extabat olim, & nunc exiſtit, ſic etiam Modruſſæ ante adventum Epiſcopi erat in æde Marciana collegium Canonicorum, quod deinde auctum eſt acceſſione quorumdam e Capitulo Corbavienſi, qui cum Epiſcopo Modruſſam commigrarunt. Porro jura omnia, & privilegia, & vectigalia Eccleſiæ Corbavienſis una cum ſede epiſcopali ad Eccleſiam

Mo-

Modruſſenſem translata ſunt; nec vero hanc ab illa diſtingui oportet; una enim eademque eccleſia eſt, idem Epiſcopatus, eadem diœceſis, iiſdem finibus circumſcripta. Nominis tantum, urbiſque diverſitas interceſſit; nam qui antea Corbavienſes, deinde cognominari cœperunt Epiſcopi Modruſſenſes, quorum ſeries hæc eſt.

Series Epiſcoporum Modruſiæ.

I. Nicolaus an. 1461.
II. Antonius an. 1481.
III. Chriſtophorus an. circ. 1489.
Jacobus electus an. 1499.
IV. Simon an. circ. 1500.
V. Petrus Paullus an. 1536.
VI. Hermolaus eodem anno.
VII. Joannes Evangeliſta an. 1537.
VIII. Didacus an. 1538.
IX. Philippus an. circ. 1540.
X. Albertus an. 1548.
XI. Laurentius an. 1550.
XII. Dionyſius an. 1560.
XIII. Joannes an. 1564. vel ultimus, vel penultimus.

NICOLAUS EP. MODRUSSENSIS I.

PAtria Aſcrivienſis, cognomento Machinenſis, idemque Doctor Sac. Theologiæ. Anno 1461. hanc eccleſiam regebat, ut conſtat ex ejus litteris datis eodem anno VIII. Id. Octob. Cum Comes Laſchonus de Coſin, vir haud genere, quam virtute illuſtrior, pro ſua eximia erga Deiparam Virginem religione, duo eidem altaria ædificaſſet, alterum in æde Mariana villæ Pſevichiæ agri Buſanenſis, alterum in eccleſia S. Salvatoris diœceſis Senienſis, dotaſſetque quibuſdam terris frugiferis ex avito patrimonio detractis; Nicolaus Epiſcopus decimas omnes, quas ex illis Menſa Epiſcopalis percipiebat, ad cultum ornatumque eorumdem altarium in perpetuum addixit, idque publicis litteris teſtatum eſſe voluit his verbis. *Nos Nicolaus de Catharo ſacrarum litterarum Doctor, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Modruſſien. & Corbavien. univerſis & ſingulis has præſentes noſtras inſpecturis, & quibus expedit, facimus notum & manifeſtum, quatenus nos videntes devotionem nob. ac ſpectabilis viri Domini Comitis Laſchonis de Coſin, qui quotidie inſiſtit operibus ſpiritualibus, videlicet largiendo & donando eccleſiis & altaribus maxime dedicatis in honorem glorioſiſſimæ ac beatiſſimæ Virg. Mariæ, videlicet primo in eccleſia S. Mariæ ſita in Buſana in villa vocata Pſevich, in qua quidem eccleſia Dominus Comes Laſchonus ædificavit altare ad honorem Nativitatis glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, & ſimiliter aliud altare conſtruxit in eccleſia S. Salvatoris diœceſis Segnen. ſub nomine & in honorem Beatiſſimæ Virg. Mariæ; quibus altaribus prænominatus Comes Laſchonus dedit & donavit de bonis ſuis temporalibus perpetuis temporibus certas terras, ut in litteris dotalibus latius continetur, roboratis ſigillo prædicti Comitis Laſchonis; nos autem advertentes bona opera dicti Comitis Laſchonis, ſimiliter omnes decimas ad nos pertinentes e prædictis terrenis donatis dictis altaribus, remittimus & relaxamus perpetuis temporibus, ad honorem Beatiſſimæ V. Mariæ, pari forma etiam relaxando & remittendo perpetuis temporibus omnes decimas ad nos pertinentes unius ſortis, quam nunc tenet Doymus Strilach in villa vocata Mlichipſuuchi; rogantes Summum Pontificem, & totam curiam Romanam, & ſucceſſores noſtros, ut dignentur hanc præfatam noſtram donationem & remiſſionem habere ratam & firmam perpetuis temporibus ad honorem Beatiſſimæ V. M. & ſimiliter manuteneant Sacerdotem* (præpoſitum illis altaribus) *tam præſentem, quam futuros ſuos ſucceſſores in libertate dictarum decimarum . . . In quorum omnium fidem & teſtimonium præſentes litteras juſſimus fieri, & noſtri pontificalis ſigilli appenſione muniri. Datum Modruſſiæ, in reſidentia noſtra 1461. Indictione 9. die vero 8. menſ. Octobris.*

In Annalibus Patrum Eremitarum S. Paulli lib. 2. cap. 25. ad an. 1462. hæc notata invenio: *Intuitu Comitis de Frangepanibus, Nicolaus Machinenſis de Catharo, Modruſienſis Antiſtes, petita facultate ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, Archipresbyteratum de Buſan monaſterio B. V. de Novi ordinis Eremitarum attribuit; & obtinuit, ut a Sanctiſſimo locus hic in protectionem S. Petri reciperetur.*

Eodem anno 1462. Pius Pontifex Nicolaum de graviſſimis Eccleſiæ Catholicæ negotiis legatum miſit ad Stephanum poſtremum regem Boſinæ, confiſus ſingulari ejus fidei, doctrinæ, ac prudentiæ, quem ad pontificia mandata exſequenda in primis idoneum eſſe exiſtimabat. Extant litteræ pontificiæ ad eum datæ III. Id. Decembris an. 1462.

Legatus ad Stephanum regem Boſinæ.

Pius &c. Ven. Fratri Nicolao Epiſcopo Modruſienſi in regno Boſnæ Apoſtolicæ Sedis Legato ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum propter negotiorum, quæ ad audientiam noſtram continue deferuntur, multitudinem varietatemque in ſingulis locis, in quibus de facto fidei agi oportet, perſonaliter intereſſe non poſſimus, opus eſt, ut Legatos & Miniſtros noſtros ad hujuſmodi opera peragenda aptos & idoneos deligamus, qui ubi ad loca ipſa per nos deſtinati fuerint, commiſſa ſibi negotia diligenter tractent, & ad finem debitum, juxta rerum exigentiam & voluntatem noſtram, quantocius deducere non omittant. Cum itaque in præſentiarum opus ſit pro quibuſdam arduis negotiis fidem catholicam concernentibus, nos aliquem prudentem, & fidum, atque expertum virum ad regnum Boſnæ, qui ibidem negotia ipſa diligenter & accurate tractare & ad debitum finem reducere ſciat, & valeat, deſtinare; tuque, de cujus ſingulari prudentia, & eximia probitate, rerumque experientia apud nos fide digna teſtimonia facta ſunt, ut ad hujuſmodi negotia tractanda & peragenda aptiſſimus, nobis fueris præpoſitus; nos confidentes, quod ea, quæ tuæ prudentiæ & fidei committenda duxerimus, fideliter, & accurate, & cum debita Apoſtolicæ Sedis honorificentia pertractabis, te ad regnum ipſum dictæ ſedis Legatum duximus eſſe deſtinandum, ut ea, quæ in certis aliis noſtris litteris expreſſa ſunt, & quæ tibi verbo commiſimus, tam apud cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Stephanum regem Boſnæ, quam apud dilectos filios nobiles viros ſui regni, & alios circumſtantes Principes & proceres, cum exacta fide & diligentia proſequaris. Tu igitur circa expeditionem negotiorum ipſorum ſic te diligentem & ſtudioſum reddas, ut ea fideli & prudenti viro per nos commiſſa eſſe videantur; tuque poſt ipſorum negotiorum expeditionem in noſtro conſpectu exinde non inmerito valeas commendari. Dat. Tuderti anno 1462. 3. Id. Decembris, Pontific. noſtri anno V.

Litteræ Pii II. P.

De hac Bosnensi legatione dictum est in historia Bosnensis Ecclesiæ pag. 74. Dum Nicolaus adhuc fortasse Ecclesiæ Modrussensi præsidebat, Joannes Comes Frangipanius quæ majores sui cœnobio Eremitarum S. Augustini in Pringis large effuseque donaverant, novis auxit donationibus & cumulavit anno 1476.

Joannis de Frangipaniis pietas ac liberalitas erga ædem Marianam & cœnobium S. Augustini.

Nos Joannes de Francapanibus, Comes Vegliæ, Segniæ, Modrusiæ &c. universis & singulis, præsentibus, & futuris, serie præsentis paginæ notum facimus quibus expedit, & memoriæ recommendamus, quod a progenitoribus sive antecessoribus nostris piæ recordationis fundata, seu donata sit, & est, ecclesia Sanctæ Mariæ in Pringis, magnificeque dotata, cum omnibus suis pertinentiis, scilicet decimis, villis, aquis, molendinis, metis, confiniis, silvis, pascuis, in planis, in montibus, in pratis, & in hortis; quæ quidem ecclesia S. Mariæ est Fratrum Eremitarum S. Augustini. Cupientes igitur voluntatem fundatorum, progenitorum, & antecessorum nostrorum, quam voluntatem seu fundationem veraciter, effectualiterque reperimus seu invenimus, non diminuere, sed amplificare; Nos igitur supradictus Comes Joannes de Francapanibus suprascriptum Conventum Fratrum S. Augustini, & ecclesiam S. Mariæ in Pringis, in omnibus donationibus seu fundationibus, fundamus, dotamus, & affirmamus. Primo donamus, seu fundamus, dotamus, affirmamusque perpetualiter villam in Zezaruph, villam parvam, quæ vocatur Obrovaz, villam, quæ olim vocata est Oltitz, portam apud viam publicam, quæ ducit Modrusiam, & villam, quæ dicitur Nagoruzi prope Jeserin, ecclesiam S. Mariæ in Jeserin. Omnes supra nominatas villas in nostris confiniis, silvis, aquis, rivis, molendinis, communitatibus, pascuis, in planis, in hortis, in montibus, in silvis, in pratis, in siccis & in udibus, in omnibus pertinentiis earumdem, ad habendum, tenendum, & possidendum Conventui suprascripto Fratrum Eremitarum S. Augustini ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Pringis. Nos etiam simili modo affirmamus, & donamus decimam totam illam, quæ posita est citra montem in parochia ecclesiæ S. Martini in Obrovi, & hoc nostrum datum, fundatum, affirmatumque, ut superius prænotatum est, in omnibus & singulis, bona nostra voluntate, non urgente aliqua necessitate, sano corpore, & incolumi etiam; nos sæpe supradictus Comes de nostro, seu nostris bonis, possessionibus, & introitibus propriis donamus, dotamus, fundamus, affirmamusque officium Suppaniæ, quod officium prius erat in manibus sæcularium; nos vero dicto Conventui & ecclesiæ S. Mariæ ad habendum, tenendum, possidendumque, jure proprio & irrevocabiliter, perpetualiter tradimus omne illum officium supradictum Suppanatus, quod est, sive pertinet ad castrum, seu dominium Pringense; de quo supradicto officio Suppaniæ debeat cedere media pars introitus monasterio supranominato, altera vero media pars introitus Fratribus ejusdem monasterii, qui pro nunc & pro tunc præsentes extiterint, sub tali conditione, quod Prior una cum suis conventualibus, qui tunc præsentes aderunt, perpetuis temporibus sint astricti, seu obligati unam missam legere in altari S. Bartholomæi pro defunctis &c. Altare positum est in media ecclesia junctum sepulcro genitoris mei. Et prima collecta sit pro genitore meo Bartholomæo, scilicet Inclina Domine aurem tuam, secunda Quæsumus Domine pro tua pietate miserere animæ famulæ tuæ Catharinæ, tertia vero in generali, scilicet Fidelium Deus omnium conditor, semel in hebdomada; & hoc Priori, & Fratribus suis conventualibus ad conscientiam eorum ponamus, & hoc nostrum datum, affirmatum, seu legatum a nobis, sive a progenitoribus, ut superius prætextum. Et rogamus omnes successores nostros, & inviolabiliter perpetuis temporibus illud sine diminutione, seu contradictione, neque audeant, neque præsumant infringere. Nos vero supradictus Comes juro omnem meam potestatem, seu auctoritatem, in omnibus villis, introitibus villanorum, & villanis totaliter & integraliter manum nostram excipimus, & abnegamus, in magno & in parvo quoque nostro dicto: insuper mandamus, & præcipimus firmiter omnibus nostris officialibus, subditis, & signanter vice comitibus, judicibus, satnicis, aut cujuscumque conditione sint, ut non præsumant se intromittere neque de villanis, neque de bonis, & rebus villanorum mobilibus & immobilibus, sicut Deo estis fideles, Beatæ Mariæ, & B. Augustino, & nobis, in primis diligendo Deum omnipotentem, B. M. Virginem, & B. Augustinum, deinde nos & nostros antecessores, ut nullus audeat, neque valeat temerarie præsumere, violenter manum intromittere, nec contrarius esse, ac donatum antecessorum nostrorum & nostrum infringere. Si quis autem hoc attentare præsumpserit temerarie, Deus omnipotens & B. Virgo Maria, & B. Augustinus, & omnes Sancti & Sanctæ Dei vindicent illum in hoc mundo in corpore, & in futuro sæculo in anima; & in die judicii nullam misericordiam habeat a Deo omnipotente &c. Amen. In cujus rei testimonium firmitatemque sigillum nostrum consuetum apponi fecimus, seu muniri. Datum in nostro castro Pringense anno Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi 1476. in die Nativitatis ejusdem Domini Nostri Jesu Christi.

Mors Nicolai, sepulcrum, epitaphium.

Nicolaus Episcopus Romæ ex hac vita decessit; annus diesque emortualis ignotus est. Sepultus fuit in æde S. Mariæ de Populo, intra septum odæi; lapis sepulcralis hos versiculos insculptos exhibet.

Deo Opt. Max.

Quem nullum latuit studium, vis nulla loquendi,
Urna tegit celebrem quantula Nicolaum.
Hic meruit post te certas, Hieronyme, laudes,
Alter bonos & spes, Illyris ora, tibi.
Occidit, an vivit præsul, Parca improba? vivit,
Non timet ut rapiat, parva Modrusa, decus.

ANTONIUS EP. MODRUSSENSIS II.

De quo P. Vincentius Maria Fontana *in sacro Theatro Dominicano. P. F. Antonius Dalmata Jadrensis, doctrina, religioneque laudabilis, cum Budæ Vicarius Provincialis, & Matthiæ Corvini regis Ungariæ capellanus, nec non Beatrici ejus conjugi a confessionibus existeret; ad Modrussien. Episcopatum, procurante rege, electus fuit anno* 1481. *a Sixto Papa IV. prout ex Nigri epistola ad eumdem regem dedicatoria Clypei Thomistarum editi anno eodem* 1481. *apparet. A magistro ordinis Joachino Turriano duos ordinis Fratres, clericum unum, conversum alterum, sibi socios obtinuit, ut in ejusdem registro legitur.* Idem Fontana in altero libro, qui inscribitur *Monumenta Dominicana breviter in synopsim collecta:* 1481. *P. Antonius Dalmata Jadrensis morum candore venerabilis, qui a Matthia Corvino rege Ungariæ major capellanus, &*

a Beatrice regina confeſſarius aſſumptus, utrumque in viam mandatorum Dei dirigens, Modruſſienſis Epiſcopus creatus, ſibi commiſſo gregi bonorum omnium exemplum præbuit. Auctores citat Plodium & Ferrarium de Rebus Hung. provinciæ ord. Prædic.

CHRISTOPHORUS EP. MODRUS. III.

Hanc eccleſiam regebat anno 1489. ut conſtat ex privilegio Sigiſmundi, quo immunitates Præpoſiti eccleſiæ B. Mariæ Magdalenæ de Eors confirmavit; huic enim ſubſcripſit *Chriſtophorus Modruſien.* Bis nominatus eſt in tabulis archivi Archiepiſcopalis Spalatenſis, ſemel anno 1491. tamquam teſtis quorumdam actorum judicialium; iterum anno 1494. quo quidem anno Spalati in æde metropolitana ſimul cum Vito Epiſcopo Dumnenſi miniſterium atque operam præbuit Bartholomæo Averoldo Archiepiſcopo, cum is Vincentium de Andreis electum Ottocienſem epicopali conſecratione inauguravit. Modruſſienſis Eccleſiæ a Chriſtophoro adminiſtratæ, ejuſque Epiſcopatus teſtes etiam ſunt tabulæ conſiſtoriales Romanæ. Nominatum etiam invenio Chriſtophorum Modruſſenſem cum Michaele electo Senienſi in privilegio Uladislai ſive Ladislavi regis Hungariæ anno 1496. Ajunt eum Novi obiiſſe, quod eſt oppidum prope a mari, millia paſſuum circiter decem ab Senia in occaſum diſtans. Nihil de illo præterea memoriæ proditum invenio.

JACOBUS EP. MODRUSSENSIS electus.

Nobili genere natus eſt Tragurii. Erat excellenti ingenio, multiplici doctrina atque eruditione præditus. Romam ſe contulit, & in collegium auditorum Sacræ Rotæ adſcriptus plures annos cauſſis, quæ ad illud tribunal deferri ſolent, cognoſcendis & expediendis aſſiduam ac diligentem operam dedit, idque munus plenum litterarii laboris ac dignitatis ſumma cum laude ſuſtinuit. Alexander VI. Jacobum, ut præclara ejus merita remuneraretur, Epiſcopatu Modruſſenſi donavit; id quod docent acta conſiſtorialia; 1499. 12. *Aprilis motu proprio providit Eccleſiæ Modruſien. vacanti per obitum Chriſtophori, de perſona Domini Jacobi Dragatii Auditoris Rotæ, cum retentione beneficii, officiorum, & penſionis.* Antequam vero epiſcopalem conſecrationem ſuſcepiſſet, Romæ obiit eodem anno VI. Id. Septembris, atque in ædem S. Auguſtini illatus cum eſſet, ante aram S. Monicæ ſepultus eſt; ut ex libris cærimoniarum ſacri palatii apoſtolici auctore Brochardo *Argentinenſi Germano Epiſcopo & magiſtro cæremoniarum Capellæ Pontificiæ* colligitur, qui manuſcripti in Biblioth. PP. Soc. Jeſu Bononiæ in collegio S. Luciæ aſſervantur. Hæc enim ex libro v. excerpſi. *An.* 1499. *die Dominica* VIII. *Septembr. hora veſperorum portatus fuit ad eccleſiam conventus S. Auguſtini de urbe bon. mem. domnus Jacobus Dragatius electus Modruſienſis unus ex ſacri palatii apoſtolici cauſarum auditoribus locumtenens, qui hoc mane ante, vel circa diem emiſit ſpiritum. Veſtitus erat ſupra veſtes communes rochetto, & cappa, qua prælati in capella Papæ utuntur, quia nondum erat conſecratus; ad pedes habebat duos capellos epiſcopales, & non libros, quia non convenit Epiſcopo. Præceſſerunt eum* XXIV. *intorticia, & pauca familia, & pauci curiales eum ſecuti ſunt; propterea accepit ſpolia, quia mortuus eſt inteſtatus, Pauper fuit, & parum dimiſit; obiit ex malinconia, quia paucis diebus antea præmortui ſunt duo cariſſimi nepotes ſui, unus clericus ex peſte, alius armiger ex febre gravi, ambo juvenes. Deus omnipotens eorum animam miſereri dignetur.*

In lapide ſepulcrali viſitur ejus effigies habitu atque ornatu pontificali cum hac inſcriptione.

Jacobo Dragatio Dalmatæ Modruſſen. Epiſcopo, unius ex Rotæ Auditoribus locum tenenti doctrina & integritate conſpicuo, juſtitiæ Q. M. cultori præcipuo Ant. d. Monte Auditor Collega B. M. P.
Obiit anno ſalutis MCCCCXCVIIII. VII. Septembris, ætatis ſuæ XLVIII.

SIMON EP. MODRUSSENSIS IV.

Erat e clariſſima familia Begnia Jadertina, quæ non ſolum Poſonii in Hungaria, unde abhinc aliquot annos migravit in Dalmatiam, ſed etiam Jaderæ, ubi rerum ac fortunarum ſuarum ſtabile domicilium collocavit, divitiis, honoribus, ac præſertim viris bellica gloria illuſtribus floruit. Simon, ut erat peracuto ingenio præditus, & avidiſſimus ſciendi, contemptis militaribus majorum ac fratrum ſuorum vocibus ad domeſticum armorum decus revocantibus, doctrinæ gloriam bellicæ laudi prætulit. Poſt primam ætatem ſtudiis humanitatis excultam, ad rerum naturalium ac divinarum ſcientiam animum applicuit, qua cum eximiam eloquentiam conjunxit. Eccleſiaſticæ militiæ cum nomen dediſſet, per omnes inferiorum ordinum gradus ad presbyteratum, ac deinde ad epiſcopalem dignitatem evectus eſt. Quo anno Eccleſiæ Modruſſenſis adminiſtrationem ſuſceperit, mihi compertum non eſt; neque illud conſtat, utrum Jacobo Dragatio in Pontificatum Modruſſenſem proxime ſucceſſerit, an vero aliquis alius inter utrumque interjectus fuerit Epiſcopus. Hinc incertum eſt, an Simone Epiſcopo, vel alio qui Dragatio ſucceſſerit, Alexander VI. facultatem poſſidendi bona immobilia cœnobio Terſactano S. Franciſci, & eccleſiæ B. Mariæ Virginis ab ſuis deceſſoribus conceſſam, confirmaverit; cujus diploma ſubjicio.

Diploma Alexandri VI. cœnobio Terſactano conceſſum.

Divini cultus augmentum &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Guardiani & Fratrum domus caſtri Terſati ordinis S. Franciſci Minorum Madruſien. diœceſis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias cum quondam Martinus de Frangepanibus Veglæ, Segniæ, Modruſiæque Comes licentia Sedis Apoſtolicæ ſuper hoc per litteras felicis recordationis Nicolai Papæ V. prædeceſſoris noſtri conceſſa, ad Dei laudem, & ipſius religionis propagationem, divinique cultus ejuſdem augmentum, & ſuæ, & ſucceſſorum, ac anteceſſorum ſuorum animarum ſalutem, in dicto caſtro ad ipſum Martinum ſpectante domum prædictam pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum dicti ordinis regularis obſervantiæ, cum eccleſia, campanili, cœmeterio, clauſtro, & dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis propriis ſumptibus & expenſis conſtrui, & ædificari feciſſet, & in eam Fratres dicti ordinis regularis obſervantiæ introduxiſſet; conſiderans quod dictum caſtrum confinibus Turcorum proximum exiſtebat, & quod forſan contingere poſ-

posset ; quod Fratres in dicta domo pro tempore habitantes necessarias eleemosynas ac subventionem pro eorum victu & vestitu , quam etiam dictæ domus constructione & aliis eorum necessitatibus a Christi fidelibus dictum claustrum , seu prope illud habitantibus recipere non possent ; ac volens in præmissis eorundem Fratrum necessariæ subventioni , dictæque domus constructioni opportune providere & consulere , etiam quibusdam litteris piæ memoriæ Sixti Papæ IV. prædecessoris nostri , ut dictis Fratribus bona eis per dictum Martinum concedenda recipere possent , sufficienti facultate munitis , proventus & emolumenta omnium apothecarum fieri solitarum intuitu ipsius ecclesiæ in omnibus gloriosæ Virginis Mariæ festivitatibus , scilicet cum medietate omnium proventuum & emolumentorum nundinarum celebrandarum annuatim sub claustro dictæ domus penes mare , & in festo Assumptionis ejusdem Beatæ Virginis , ac unam Capellam , seu oratorium , quæ , seu quod proprium rectorem habere non consueverat , cum illius horto , pugulis , prato , & aliis emolumentis , quæ ipse Martinus Comes percipere consueverat , nec non certas alias possessiones & bona , & certos reditus annuos , & mensuras vini ad præfatum Martinum Comitem legitime pertinentia , domui , ac illius Fratribus , quam .. domus , & ecclesiæ , ac officinarum prædictarum conservatione , & aliis piis operibus tunc expressis perpetuo & inviolabiliter donavit , concessit , & assignavit , prout in quibusdam litteris dicti Martini Comitis desuper confectis & ejus sigillo munitis plenius dicitur contineri . Quare pro parte eorundem Guardiani & Fratrum nobis fuit humiliter supplicatum , ut donationi , concessioni , & assignationi pro illorum subsistentia firmiori . . . apostolicæ confirmationis . . . prædicta omnia eisdem Guardiano & Fratribus donata & concessa sacristiæ ejusdem domus perpetuo appliçare , appropriare , aliisque in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur . Nos igitur &c. bonorum , & emolumentuum situationes , dominationes , quantitates , ac illorum & dictæ sacristiæ veros annuos valores præsentibus ac expressis haberi volentes , hujusmodi supplicationibus inclinati , donationem , concessionem , & assignationem prædictas auctoritate apostolica præsentium tenore approbamus , & confirmamus , & singulos defectus , si qui forsan intervenerint , in eisdem supplemus , dictisque Guardiano & Fratribus quoad reditus & bona hujusmodi pro præmissis absque alicujus conscientiæ scrupulo percipere & retinere libere ac licite valeant , eadem auctoritate concedimus , & indulgemus . Et nihilominus potiori pro cautela , illa omnia sacristiæ dictæ domus pro præmissis , eisdem auctoritate & tenore perpetuo applicamus , & appropriamus . Non obstantibus constitutionibus , & ordinationibus apostolicis , ceterisque contrariis quibuscumque . Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1500. 3. Idus Septembris Pontificatus nostri anno 9.

Simon Ep. interfuit Concilio Lateranensi V.

Anno 1512. cum Concilium generale Lateranense quintum inchoatum est , Simon episcopali consecratione jam præditus primæ sessioni interfuit, quæ habita fuit VI. Idus Maji sub Julio II. qui Synodum indixerat . Utque ad consessum VI. inter Episcopos præsentes annumeratur *Reverendus Pater Dominus Simon Modrusiensis ;* in reliquis deinceps omnibus sessionibus sub eodem Pontifice Simonis nomen & præsentia desideratur . At vero in sexto conventu sub Leone X. eloquentissimam orationem habuit ad Patres Lateranenses gravissimis sententiis plenam , & verbis elegantissimis ornatam ac perpolitam ; cujus duo sunt capita , alterum *de promissa toties ecclesiæ reformatione* , alterum *de sanctissima contra Turcas expeditione* . Ex ea libet pauca quædam excerpere de cladibus per Turcas illatis , tum Illyrico , tum Dalmatiæ , tum diœcesi Modrussensi . *Quis est enim* , ait, *ad quem illius nunquam satis deploratæ cladis , quam ante hos viginti annos in Illyrico accepimus , fama non pervenerit ? Quis est , qui pulcherrimas ac ditissimas orientis , atque Epiri civitates ex corde , & oculis Christianorum a Turcis nuper erutas non deploraverit ? Omitto combustas naves , amissas triremes , desideratum sæpius nostri nominis robur . Quis est præterea , qui Jadrensem agrum quinquies eodem anno Turcarum rabie vastatum , & ferro ac flammis desolatum nesciat . Scardona celeberrimi olim conventus civitas , oppugnata sæpius hoc etiam anno , & quod nuperrime vidimus , amissis prope eam oppidis quatuor , ipsa Dei magis , quam hominum præsidio , defensa est . At in Ecclesia Modrusiensi , cui ego , licet indignus , nunc præsum , continuas excursiones fieri , villas incensas , castra expugnata , & intra hos duos menses , duo vi capta & diruta , abductaque esse , proh dolor ! plus quam duo millia Christianorum , quis est , qui non audierit jam , ingemuerit jam , nisi nos hic in urbe , qui connivemus , obaudimus , dissimulamus ? Prætereo reliquam Adriatici maris oram Dalmatiamque omnem , quæ & assiduis incursionibus vel eo maxime infestatur , quod quidquid in ea equitum , aut peditum roboris erat , ad italicos tumultus evocatum est ; nisi tamen assiduis Venetorum vigiliis , & validissima semper classe defenderemini ; tum etiam nisi bellicosi essent Dalmatæ , rupto jamdiu eo obice , refractis illis claustris repagulisque , Turcas in Italia coram vidissetis . Quid de Hungaris dicam , quibus tantus inest pro Christi nomine pugnandi fervor , ut quantumvis pauci cum magno Turcarum numero congredi non vereantur ? Quid de Polonis , quorum ita spectata est in universos Christi hostes strenuitas , ut ab armis in Turcas , Tartaros , Russos , Valacchos , & alios hujusmodi barbaros exercendis nunquam respirent ? Horum præsidio , & quibusdam quasi propugnaculis si careretis , experiremini profecto , quid Turcarum rabies , quid immanitas esset . Experiremini certe quantum sagittis valeant hostes hi , de quibus diximus . Videretis procul dubio , & sentiretis , quam longe volent , quam acute perforent , & quam avide Christianorum sanguinem sitiant , qui equinum bibunt . Illud certe satis constat profligatos sæpius a decem annis Hungarorum exercitus , & intra hos sex menses quinque fortissima eorum castra a Turcis in Illyrico esse expugnata , & quod illis commune est , una cum incolis absumpta . O ferrea Christianorum pectora , o immites Christianos , qui hæc non videant , non audiant , non credant &c.*

Hanc orationem typis evulgavit inscriptam *Bernardino de Frangepanibus Modrusiæ &c. Comiti* . Ejus opera non semel adhibita fuit in Concilio Lateranensi ; nam cum ex omni Patrum numero deligendi essent quidam Episcopi *docti , & graves* , qui coram Leone Pontifice agerent de quibus referri oporteret ad Concilium , decernique in conventibus sinodalibus ; inter hos unus fuit Episcopus Modrussensis ; & præterea

cum id negotii datum fuiſſet octo Epiſcopis, ut leges præſcriberent *pro reformatione curiæ, & officialium*, his adjungi placuit cum ſex aliis *Reverendum Dominum Modruſienſem*.

Vetera monumenta ab eo collecta.

Cum eſſet cupidiſſimus, idemque diligentiſſimus tum profanæ, tum ſacræ antiquitatis inveſtigator, quidquid temporis ab eccleſiæ ſuæ adminiſtratione vacui habuit, id omne ad res hujuſcemodi colligendas deſcribendaſque conferebat. Extant quædam ejus collectanea Mſſ. quorum pleraque ſua manu deſcripſit Raphael Levacovichius Archiepiſcopus Achridanus, & multis rebus aucta, & locupletata in quatuor libros contulit, qui in tabulario Capituli Spalatenſis aſſervantur. In his continetur ſynopſis rerum Romanarum ab anno urbis conditæ DCXXIV. uſque ad Diocletianum perducta, & conſularibus epochis notiſque, atque Imperatorum temporibus diſtincta; itemque alia permulta tum Romanæ, tum eccleſiaſticæ eruditionis monumenta, ac præſertim vita S. Clementis Papæ, quam ab Heſychio Eccleſiæ Salonitanæ Archiepiſcopo compoſitam, ab ſe inventam fuiſſe teſtatur; ejuſque duo exemplaria cum haberet, alterum apud ſe retinuit, alterum dedit Bernardo Zannio Archiepiſcopo Spalatenſi, ut typis traditum in publicam lucem emitteret. Neutrum invenire licuit; duo tamen fragmenta ad noſtras manus pervenerunt, ſeu potius initia vitæ Clementinæ, alterum altero copioſius atque ornatius, quibus deeſt pars maxima rerum a S. Clemente geſtarum; de utroque dictum eſt in Heſychio tertio Metropolita Salonitano. De vita S. Clementis, quam Heſychius compoſuit, teſtimonium ac judicium Simonis Begnii Epiſcopi deſcriptum habes Tomo II. Illyrici Sacri pag. 83.

Modruſſa a Turcis direpta & vaſtata.

Turcæ poſt Jaiczam urbem Boſinæ munitiſſimam captam anno 1527. in Dalmatiam effuſi, Corbaviam & Licham, partem præcipuam diœceſeos Modruſſenſis ſub poteſtatem redegerunt; itemque Modruſſam direptam ferro & igni vaſtarunt. Cum palatium epiſcopale flammis injectis magna ex parte diruiſſent, Simon Epiſcopus ad illud reficiendum e ſuis pecuniis creditis, aut fœnori datis, quod ſatis eſſet reliquit. Si poſtea reſtitutum fuit, rurſus corruerit neceſſe eſt. Ante aliquot annos adhuc viſebatur ejus ſtemma gentilitium infixum parieti ſemiruto ædium epiſcopalium, cui tigris inſculpta erat erecta, & poſterioribus pedibus inſiſtens. Anno 1536. menſe Martio ſapientiſſimus & optimus Antiſtes Jaderæ vivere deſiit; delatus eſt ad Ulianam inſulam paſſuum millia quinque ab Jadera ſitam, & ſepultus eſt in æde Hieronymiana Patrum Minorum S. Franciſci penes parentes & Petrum Equitem fratrem; quibus frater utriuſque Joannes Donatus Canonicus Jadertinus epigraphem ſepulcrali lapidi inciſam ſuperponi juſſit.

Epitaphium Simonis.

Simoni Begnio Epiſcopo Modruſſienſi divinarum humanarumque litterarum ſcientia clariſſimo Fratri benemerito, Aloyſioque, ac Oreæ Parentibus pientiſſimis, nec non Petro Equiti Fratri dulciſſimo, Joannes Donatus Begnius Canonicus Jadertinus fieri curavit
A. D.
MDXXXVIII. X. Kal. Junii.

Cœnobii Franciſcani apud inſulam Ulianam, ædiſque Hieronymianæ conditor fuerat Simon Begnius, quem avum, aut propatruum Simonis Epiſcopi fuiſſe arbitror; ut eſt apud Vadingum Tomo V. Annal. ad an. 1430. *Apud Oclanum, ſive Uglianum inſulare oppidum ab urbe Jadrenſi Metropoli V. M. P. diſſitum, conſtruxit Simon de Begna civis Jadrenſis eccleſiam S. Hieronymo & Petro martyri dicatam pro uſu & habitatione FF. Minorum reg. obſerv. & donationem hoc anno confirmari curavit a Martino Pontifice: Piis ſupplicum votis &c. 3. Non. Jul. A quodam Begnano Epiſcopo ibi tumulato conventum adificatum ſcribit Gonzaga; ſed puto deceptum in cognomine Begnano; neque alium fuiſſe conſtructorem, quam prædictum Simonem Begnanum, & huic tamquam fundatori honorificum datum eſſe ſepulcrum.*

Everſa Modruſſa Ep. Modruſſenſes alibi ſedem precariam conſtituere coacti.

Poſt Modruſſam everſam non deſierunt quidem creari deinceps Epiſcopi Modruſſenſes, qui titulum illius Epiſcopatus fere inanem, atque honorarium ſuſtinerent; ſed diminutis proventibus menſæ epiſcopalis, dirutiſque pontificiis ædibus, ſtationem illam deſerere, ac domicilium aliis in locis quærere neceſſe habuerunt; unde commodius ac facilius gregem ſuum, Turcica ſervitute oppreſſum, invilere ac ſolari, eique ſubſidia ad recte vivendum, æternamque ſalutem conſequendam neceſſaria ſubminiſtrare poſſent. Sunt qui tradunt Epiſcopos Modruſſenſes, poſt amiſſam Sedem Pontificiam, migraſſe in caſtrum *Novi* prope oram maritimam in edito loco ſitum, atque ibidem domicilium collocaſſe.

PETRUS PAULLUS EP. MODRUS. V.

Petrus Paullus Vergerius Epiſcopus ad Eccleſiam Juſtinopolitanam tranſlatus.

Ex Vergeria clara in primis ac nobili familia natus eſt Juſtinopoli, in urbe totius Iſtriæ primaria. Dictus eſt junior, ut diſtingueretur ab ſeniore ejuſdem patriæ & familiæ, nominis & cognominis, ſapientiſſimo ac religioſiſſimo viro, Latinis Græciſque litteris erudito, qui ſæculo decimo quarto ad exitum vergente floruit, ac præter alia ingenii ſui monumenta, egregium librum de ingenuis, moribus, liberalibus ſtudiis adoleſcentiæ, inſcriptum Ubertino Dynaſtæ Carrarienſi, reliquit. Noſter Patavii bonis artibus, Philoſophiæ, ac Juriſprudentiæ operam dedit, & Doctoris nomen, atque inſignia ſumpſit. Romam profectum Gaſpar Contarenus, vir eximiæ virtutis & doctrinæ, qui poſtea Cardinalis fuit, in domum ſuam, atque in ſuam familiaritatem recepit; deinde vero apud Clementem VII. præſulis domeſtici locum obtinuit; & cum in aula pontificia & curia Romana ſagacis ingenii, animique ad difficillima quæque negotia ſuſcipienda & tractanda idonei, varium & multiplex ſpecimen præbuiſſet, anno 1530. miſſus eſt in Germaniam, ut apud Ferdinandum regem Romanorum Sedis Apoſtolicæ legatione fungeretur. Anno 1533. iterum in Germaniam juſſu miſſuque Paulli III. legatus venit de indicendo cogendoque Concilio univerſali; quod cum Principes heterodoxi reſpuiſſent, re infecta Romam rediit. Hac legatione perfuncto idem Paullus III. Eccleſiam Modruſſenſem ob mortem Simonis Begnii Epiſcopi deſtitutam decrevit, ut eſt in tabulis conſiſtorialibus. 1536. 4. *Maji. Providit Eccleſiæ Modruſien. vacanti per obitum Simonis extra curiam defuncti, de perſona D. Petri Paulli Vergerii clerici Juſtinopolitani.* Sed quarto poſt menſe ex decreto ejuſdem Pontificis Modruſſenſem cum Epiſcopatu Juſtinopolitano commutavit. 6. *Septembris. Abſolvit Rev. Petrum Paullum*

lum Vergerium Epiſcopum Modruſienſem a vinculo &c. & eum tranſtulit ad Eccleſiam Juſtinopolitanam. Poſt aliquot annos hæreſeos nomine ſuſpectus eſſe cœpit; anno autem 1548. per ſummum dedecus ſuæ familiæ, patriæque, ac totius ordinis epiſcopalis, palam aperteque ad Luteranos defecit; anno autem inſequenti privatus eſt ſacerdotio Juſtinopolitano, & quibus hæretici affici ſolent, pœnis, cenſuris, notiſque inuſtus: id quod notatum eſt in tabulis conſiſtorialibus. 3. *Julii an.* 1549. *Declaravit per definitivam ſententiam Petrum Paullum Vergerium nuper Epiſcopum Juſtinopolitanum, ob cauſas in cedula expreſſas, regimine & adminiſtratione Eccleſiæ Juſtinopol. privatum, aliiſque pœnis a jure indictis afficiendum eſſe, prout in dicta cedula per ſanctitatem ſuam ſubſcripta, quæ penes Reverendum D. Blaſium electum Fulginatem, SS. Secretarium & hujuſmodi cauſæ notarium manſit, latius patet.* Ad Rhætos primum ſe recepit, deinde ad Chriſtophorum Principem Vittembergicum; & Tubingæ reliquam vitam infeliciter, ignominioſeque perduxit uſque ad annum 1565.

Ad hæreticos defecit.

HERMOLAUS EP. MODRUSSENSIS VI.

Cognomento *de Hermolais*, Arbæ, in civitate atque inſula ſinus Flanatici nobili loco natus, & Franciſcanum inſtitutum amplexus; de quo Vadingus Tomo VIII. ad an. 1536. *Electus eſt hoc anno Epiſcopus Modruſienſis ſub Archiepiſcopo Spalatenſi F. Hermolaus de Hermolais die 6. Novembris, qui anno ſequenti mortuus eſt.* Idem confirmant tabulæ conſiſtoriales. *6. Novembris* 1536. *Providit* (Paullus III.) *Eccleſiæ Modruſſien. vacanti per translationem D. Petri Paulli Vergerii ad Eccleſiam Juſtinop. translati, de perſona fratris Hermolai de Hermolais ord. S. Franciſci de obſervantiâ &c.*

JOANNES EVANG. EP. MODR. VII.

Cognominatus *de Bruſchis*, ex ordine Eremitarum S. Auguſtini, anno 1537. titulum Epiſcopi Modruſſenſis aſſumpſit, & anno ſequenti morte præreptus depoſuit; ut docent acta conſiſtorialia. 17. *Auguſti* 1537. *Providit Eccleſiæ Modruſien. vacanti per obitum Hermolai de Hermolais extra curiam Romanam defuncti de perſona Fratris Joannis Evangeliſtæ de Bruſchis profeſſi ord. S. Auguſtini Congregationis Caſſanenſis.*

DIDACUS EP. MODRUSSENS. VIII.

Natione Hiſpanus, cognomento *Loayſa*. Erat ex nobiliſſimo cœtu Canonicorum regularium S. Auguſtini, idemque præpoſitus ſacello cæſareo Caroli V. Imperatoris, ut docet Martinus Szentivanius: de quo in tabulis conſiſtorialibus. 1538. *15. Martii providit Eccleſiæ Modruſien. vacanti per obitum Joannis Evangeliſtæ extra curiam Romanam defuncti, de perſona Didaci Loayſa in Theologia magiſtri, Canonici regularis S. Auguſtini, cum retentione omnium &c.* Mihi non eſt compertum, quo anno hunc Epiſcopatum Didacus reliquerit, quove anno eumdem ſuſceperit ſucceſſor illius

PHILIPPUS EP. MODRUSSENSIS IX.

Philippus ad Eccleſiã Aliphanam translatus.

Quem Paullus III. anno 1548. ad Eccleſiam Aliphanam in Samnitibus ſub Archiepiſcopo Beneventano tranſtulit. 14. *Julii* 1548. *Abſolvit R. D. Philippum Seralium Epiſcopum Modruſien. a vinculo &c. & ad Eccleſiam Alifan. per translationem Sebaſtiani Epiſcopi vacantem tranſtulit, relicta penſione annua libera 60. ducatorum auri de camera perſonæ per ſuam ſanctitatem nominandæ, ſuper fructibus menſæ epiſcopalis Alifanen. & cum retentione omnium pro utroque &c.* Huic ſuffectus eſt eodem anno

ALBERTUS EP. MODRUSS. X.

Bonis parentibus atque honeſta familia, cui erat cognomen *Diviniæ*, natus eſt Catari; qui ab ineunte adoleſcentia ad præclariſſimam S. Dominici ſodalitatem aggregatus, multiplici doctrina & eximiis virtutibus floruit, Theologus idem & concionator præſtantiſſimus: de quo breviter Vincentius Fontana in Theatro Dominicano: *In hac quoque eccleſia* (Modruſſenſi) *reſedit P. F. Albertus Divinius de Catharo, a Paullo III. per ceſſionem Didaci de Loayſa* (verius per translationem Philippi ad Eccleſiam Aliphanam) *creatus Epiſcopus die 26. Julii anno* 1548. *Ex actis conſiſtorialibus ejuſdem Pontificis.* Eumdem biennio poſt Julius III. tranſtulit ad Eccleſiam Veglenſem.

Albertus ad Eccleſiam Veglenſem translatus.

LAURENTIUS EP. MODRUSS. XI.

Patria Bergomas, cognomento de Gherardis, itidem ex ordine Prædicatorum ad Epiſcopatum Modruſſenſem creatus eſt; ſiquidem Julius III. 9. *Julii* 1550. *providit Eccleſiæ Modruſſen.. nunc per translationem Alberti nuper Modruſſen. ad Eccleſiam Veglen. vacanti, de perſona religioſi viri F. Laurentii de Gherardis de Bergamo ord. FF. Prædic. & Theologiæ profeſſoris.*

DIONYSIUS EP. MODRUSSEN. XII.

Tertius hic fuit e doctiſſimis alumnis diſciplinæ Dominicanæ, cui Modruſſenſem Eccleſiam Pius IV. decrevit, ut docet Vincentius Maria Fontana in Theatro Dominicano. *P. F. Dionyſius Pieppius Modruſienſis Epiſcopus renunciatus a Pio IV. die 17. Julii anno 1560. teſtimonium perhibentibus apoſtolicæ cancellariæ regeſtis.* Dionyſio paullo poſt aut vita functo, aut ad aliam eccleſiam translato, hujus eccleſiæ adminiſtrationem anno 1561. commendatum invenio Epiſcopo Veglenſi, qui ſe *Adminiſtratorem Modruſien.* vocat in ſuis litteris encycliis eodem anno datis, quibus luſtrationem epiſcopalem indixit. *In Dei æterni nomine, a Chriſto ſervatore noſtro nato 1561. Indict. 4. die autem 27. menſ. Decembris. Cum Reverendiſs. in Chriſto Pater & D. D. Albertus Duymius Dei & Ap. Sedis gratia Ep. Veglen. & Adminiſtrator Modruſien.*

Eccleſia Modruſſenſis Ep. Veglenſi commendata.

JOANNES EP. MODRUSSEN. XIII.

Joannes Ep. Modruſſen. vel ultimus, vel penultimus.

In ſchedis P. Philippi Riceputi reperio Joannem Coſiſichium fuiſſe Epiſcopum Modruſſæ anno 1564. ejuique opera codices liturgicos Slavonicos recuſos eſſe, cum eorum exemplaria ad ſummam paucitatem redacta eſſent. Hic ſi retinendus eſt in catalogo Antiſtitum Modruſſenſium, vel poſtremus fuit, vel proximus a poſtremo, Epiſcopus Modruſſæ. Jamdudum hi Antiſtites ſtationem Modruſſenſem reliquerant, propterea quod civitas a Turcis everſa in exiguum

& ignobilem vicum desciviſſet, nec digna videretur epiſcopali ſede ac domicilio; præterea-que proventus menſæ epiſcopalis valde diminuti erant, cum pars maxima diœceſeos crudeli Turcarum, avaroque dominatu premeretur. Itaque viſum eſt neque neceſſarium, neque pontificiæ dignitati conſentaneum eſſe ſuum Modruſſenſibus & peculiarem Antiſtitem in poſterum dari: & anno circiter 1600. hujus diœceſis procuratio commendari cœpit Epiſcopo Seniæ; ac demum Eccleſia Modruſſenſis cum Senienſi conjuncta eſt; & unus idemque Antiſtes utrique præpoſitus, qui duos Vicarios generales, alterum Seniæ, alterum Modruſſæ conſtituit.

Eccleſia Modruſſen. cum Senienſi ſub uno Epiſcopo conjuncta.

Martinus Szentivanius, in ſua Diſſertatione Paralipomenica rerum memorabilium Hungariæ, ſeriem Epiſcoporum Corbavienſium, ſive Modruſſenſium perſequitur, perducitque uſque ad initium hujus ſæculi; quos quidem nominatos ab regibus Hungariæ fuiſſe exiſtimo, ne illorum ſubſellia in conventibus & comitiis Hungaricis vacua eſſent; ſed Sedis Apoſtolicæ approbatione caruiſſe; niſi forte aliquibus eorum eccleſia illa ad tempus commendata fuerit. Quos autem ille nominatim percenſuit, hi ſunt

Reliqui titulo tenus Epiſcopi Modruſſen.

Joannes Telegdi 1608.
Joannes Poſgai 1631.
Joannes Tomko Marnyavich 1638. *Epiſcopus Boſnenſis.*
Valentinus Drugeth de Homona.
Joannes Salix Abbas Ciſtercienſis 1659. *quem nominavit Ferdinandus III. Imperator.*
Matthæus Szentamaſi 16....
Georgius Horvat 1681.
Stephanus Doichich Canonicus Zagrabienſis. Vivit, & vivat; de quo in Epiſcopis Senienſibus.

Hos Epiſcopos vocat *abuſivos* Martinus Braichovichius Epiſcopus Senienſis, qui cum titulum epiſcopatus Corbavienſis Modruſſam translati, ac deinde conjuncti cum Senienſi, Imperatoribus ſurripuerint, numquam tamen approbationem Sedis Apoſtolicæ impetrare potuerunt. Extat in hanc rem Diſſertatio Braichovichii, hujus actis inſerenda.

EPISCOPI SENIENSES.

Senia ab Gallis Senonibus condita.

CCorbavienſi & Modruſſenſi Eccleſiæ Senienſem, quamvis utraque antiquiorem, ſubnectimus propterea, quod regimen utriuſque devolutum eſt ad Epiſcopum Senienſem. Seniam urbem maritimam Dalmatiæ ab iiſdem Gallis Senonibus conditam ac denominatam ferunt, qui tres itidem civitates ejuſdem fere nominis in Italia ædificarunt, unam in ora adverſa, ac propemodum e regione Seniæ Dalmaticæ, quam Senam Gallicam, & Senogalliam etiamnum vulgo appellant; alteram inter Tſaſpim & Rubiconem fluvios, quæ nunc Ceſena dicitur; tertiam denique in Etruria, quæ Sena Julia cognominata eſt ab Julia Colonia, illuc ab Auguſto Cæſare deducta, & apud Plinium ac Tacitum *Senenſis Colonia* vocatur. De Celtarum, ſive Gallorum adventu in Illyricum, ac Dalmatiam vide Cap. III. Part. I. Prolegomenon Tom. I. Illyr. Sac. Seniam noſtram Plinius inter Terſacticam, & Lopſicam, Ptolemæus inter Velceram, & Lopſicam collocavit. In ea Dalmatiæ regione, quam veteres dixere Japydiam, quæque Arſia ac Tedanio fluminibus continetur, ſpatio propemodum æquali ab utroque diſtans, mari aſſidet Senia, civitas frequens ac nobilis, egregio portu inſtructa, natura & loco munita, firmiſſimis mœnibus ac propugnaculis ſepta. Urbis ſitum ac munitiones deſcripſit Auctor *Topographiæ magni regis Hungariæ* his verbis: *Senia regia liberaque civitas, Italis Segnia, Germanis Sengh, quam a Senonibus Gallis, non ſecus ac Senogalliam Umbriæ, olim conditam fuiſſe probat Cl. Ludovicus Schonlebem Carniol. antiq. cap. 3. §. 7. ſubſcribente eidem equite Paullo Ritter, præcipuo hujus civitatis ornamento. Jacet ad montis radices prope Sinum veteribus Flanaticum, nobis vero Quarnero, ſive Carnaro, ab Arſia flumine circiter 25. milliaribus, ac totidem fere Nona, ſub latitudine graduum 45. cum minutis 8. longitudine vero graduum 38. cum 30. minutis dirempta. Unico huic Auſtriacæ potentiæ adverſus Turcas ad littus Adriatici præſidio magis roborando, plurimum contuliſſe videtur loci natura, dum præter maris contiguitatem cum portu claſſi recipiendæ peraccommodo, cujus Peutingeriana quoque tabula meminit (ne quid dicam de duobus aliis haud procul inde diſſitis, quorum paullo ante memini) in continenti ex una parte prealtas rupes, ex altera ſilvas denſiſſimas, quæ hoſtilem inſolentiam arceant, objecit. Quin immo ſi relationibus habenda fides, illud inſuper præſtitit, ut ſi ignis ab incolis in monte Segniæ impendenti excitaretur, continuo aere commoto validiſſimi exſurgant venti, qui procellas immanes creent, & ſubeuntes hoſtium naves colliſas, disjectaſque procul arceant. Artis induſtriæ turrim addidit S. Sabæ dictam, quæ in mare porrecta fluctuum verberationes intercipiat: binas præterea arces, alteram arduo monti, unde hoſtiles conatus facile deſpiciat, impoſitam; veterem aliam humiliori loco, regiæ alias titulo inſignem (caſtrum majores noſtri dicerent), quod ævi injuriis labefactata, Matthiæ regis impenſis pulchrior olim aſſurrexerit. Quo etiam referenda videtur Curialis domus, quæ magnifice ſane extructa eſt, & ſi non præſidium, certe decus eximium urbi conciliat. Priuſquam in Auſtriacorum poteſtatem veniret Senia, Frangepanis parebat Comitibus, quorum multa fuit in his terris, quin & Croatia univerſa poteſtas; hodie vero a Carloſtadienſi præfectura ſeu generalatu dependet, atque a Carniolia ducatu de more ad bellum neceſſariis inſtruitur. Quod incolas attinet, nemo non novit, quanta illi bellica virtute, reliquiſque artibus hanc conſequi ſolitis, præſtent, imprimis autem celeritate, qua phaſelis ſuis in omnem expeditionem prompti, laudis gloriæque nullam occaſionem e manibus dimittunt, ut tutandis finibus, nemo ipſis opportunior. Eum in finem plurimum confert numquam ſatis laudanda animorum conjunctio; ut ſi quando minores imprimis expeditiones ſuſcipiant, Ductores ſorte delectos ſibi præficiant. De horum origine ita Palladius Tomo II. Aquilæ Auſt. f. 132. In Liburnia gens eſt, ſi proavos reſpicias, non ignobilis, cum ab eis natalia glorietur deducere, qui dedignantes Ottomanorum jugum, urbe relicta, in montana ſeceſſere. Verum cum in paupertate difficile ſit animi nobilitatem ſervare, poſt varios caſus, atque diſcrimina rerum, ne amplius errabundi vicinis graves incumberent, a Ferdinando Imperatore Segnam*

Seniæ deſcriptio.

gnam traducti fuere, ut eam oram a Turcarum defenderent irruptionibus. Qui plura super his desiderat adeat Valvasorium in Carniolia sua lib. 12. cap. 2. unde non pauca in rem suam transtulit auctor Germaniæ veteris &c. Hactenus Topographicus Hungaricus.

Seniæ veteres Domini, quam Bela IV. Frangepaniis Dynastis donavit.

Senia post reges Chrobatici generis extinctos, alias Venetorum, alias regum Hungariæ dominatum subivit. Anno 1255. Bela IV. rex Hungariæ Friderico & Bartholomæo fratribus e nobilissima gente Frangipania Veglæ insulæ, & multorum oppidorum dominis, ob singularia eorum erga se merita Seniam cum omni Siensi territorio fiduciarium dedit, ac mero mistoque, ut ajunt, imperio possidendam; ab illis siquidem ante annos fere duodecim, cum Tartaris post devastatam Hungariam a tergo insequentibus, profugisset in Dalmatiam, & grandi pecunia, & pretiosa supellectili donatus fuerat: id quod ipsemet Bela grati animi, ac sempiternæ memoriæ causa regiis litteris testatum voluit, quos hic describere libet.

Diploma donationis.

Bela D. gr. Ungar. Dalm. Croat. Ramæ Serv. Lodom. Cumaniæque rex omnibus Christi fidelibus præsens scriptum inspecturis salutem in eo, per quem reges regnant, & Principes terrarum regibus subjecti: Convenit omnium nationum, & linguarum sibi devote obsequentium servitiis taliter providere, ut alii supervenientes eorum exempla imitari ad fidelitatis opera ardentius, & ferventius evocentur. Proinde ad universorum, tam præsentium, quam futurorum notitiam harum serie pervenire volumus, quod cum propter scelera hominum in regno nostro degentium, instigante antiquo humani generis inimico abundaverant peccata, & plusquam arena maris multiplicaverant, nolens Deus eorum malitiam impune ulterius pertransire, rabiem Tartaricæ gentis excitavit, per quos potentiam suæ deitatis genti perfidæ ostenderet, & eos de terra deleret, propter quorum etiam peccata a nobis suam misericordiam elongaverat, adeo quod per ipsos Tartaros in campestri prælio convicti, fugæ præsidio maritimas adiremus partes, & aquarum latibula quæreremus. Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, & nobis fontem animæ aperire dignatus est, & ad consolandum Fredericum & Bartholomæum illustres & strenuos viros, nobiles de Vegla quasi de cælo projecit, qui nobis in omni eorum parentela adhærentes inter promiscuos actus fideliter exhibuerunt famulatus, & non modicam eorum pecuniam, quæ ultra viginti millia marcharum transcendit in ciphis aureis, & argenteis, & cum aliis rebus pretiosis nobis de bonis eorum præsentaverunt, & præsentando donaverunt. Quapropter recompensantes eorum servitia & dona, de consilio Dominæ Mariæ carissimæ consortis nostræ, & baronum nostrorum fidelium, quamdam civitatem nostram circa littus maris existentem, Segniam vocatam, cum omnibus suis utilitatibus, & pertinentiis universis, simul cum tributo, sive teloneo, & aliis circumstantiis, & in eadem libertate, sicut nobis servire consueverat, dedimus, donavimus, & contulimus ipsi Friderico, & Bartholomæo, in filiis filiorum perpetuo, & irrevocabiliter possidendam; hoc etiam specificando quod si quis hærede careret, hæres alterius finaliter valeat possidere. Ut igitur hujus nostræ collationis series perpetua firmitate solidetur, præsentes eisdem concessimus duplici sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti viri Franquerii electi Arbensis, aulæ nostræ V. Cancell. dilecti & fidelis nostri MCCLX. regni autem nostri XX.

Annus Christi 1260. non congruit cum anno vicesimo regni Belæ, qui non ante annum hujus sæculi tricesimum quintum regnare occepit. Itaque, nota illa arithmetica expuncta, substituendus est annus æræ vulgaris 1255.

Senia a Frangepaniis reddita regibus Hungariæ, quam nunc possident Principes Austriaci.

Seniam in sua potestate Frangipanii Dynastæ tamdiu retinuere, quoad suis ipsi viribus atque opibus urbem tueri, civium salutem ac libertatem defendere potuerunt. Sed postquam Turcæ Bosinam, & partem non exiguam Chrobatiæ cœpissent, Comites Frangipanii, cum superbissimi atque immanissimi hostis potentiæ sustinendæ ac repellendæ pares non essent, quemadmodum antea Veglam insulam Venetis, sic postea Seniam, aliaque ejus regionis oppida regibus Hungariæ tradiderunt, quorum armis ac præsidiis, Turcica servitus ac barbaries ab illis locis ac gentibus arceri posset. Imperatores e domo Austriaca regnum Hungariæ adepti cum essent, in eorum potestatem Senia quoque devenit; adjuncta est ad regnum Chrobatiæ; & Bani sive Proregis totius Chrobatiæ imperio subest, cujus sedes prætoria est Carlostadii. Primarium urbis magistratum gerit Prætor ab Imperatore rege Hungariæ constitutus, quem capitaneum vocant. Huic assident duo Judices, qui ex cœtu nobilium singulis annis die festo S. Michaelis Archangeli deligi solent.

Initia Senienſis episcopatus incognita.

Neque Auctor, neque tempus conditi episcopatus Senensis memoriæ proditum reperitur. Ejus primordia referri posse videntur ad initium sæculi quinti. Extat epistola Innocentii Papæ I. ad Laurentium Episcopum *Senensem*, qui per suas litteras Pontifici significaverat quantum periculi Ecclesiæ Senensi immineret ab hæreticis Photinianis, qui sane frequentes in ea loca confluxerant, & impias Photini, olim Sirmiensis Episcopi, opiniones passim disseminabant. Sunt qui hanc epistolam Innocentianam ad Senensem sive Senarum in Etruria Episcopum scriptam putent: id quod neque Holstenius, neque Tillemontius probant; & nullus est Laurentius apud Ughellum in catalogo episcoporum Senensium, qui quidem Innocentio æqualis fuerit. Est quidem Signia in Latio civitas episcopalis ditionis pontificiæ; sed inter Episcopos Signinos apud eumdem Ughellum nullus itidem Laurentius reperitur, cujus episcopatus cum sæculo quinto æræ christianæ congruat. Dionysius apud Harduinum pro *Senensi* habet *Fenensem*; sed ubi gentium situs fuerit Episcopus *Fenensis* in catalogis geographicis veterum episcopatuum non invenio. Quare admodum verisimile est Laurentium illum, ad quem Innocentius scripsit, fuisse Episcopum Seniæ nostræ Dalmaticæ. Rescribens igitur Pontifex Laurentio, mirari se ait, quod tam multi ex impia secta Photiniana, aliis ex locis expulsi, in agros vicosque episcopatus Senensis confluxerint: omni ope atque opera expellendos esse, ne conventiculis habendis, & nefariis opinionibus disseminandis, agrestium, & simplicium fidem corrumpant.

Laurentius facile Episcopus Seniæ, ad quem Innocent. I. scripsit.

Innocentius Laurentio Episcopo Senensi.

Diu mirati sumus, dilectionis tuæ litteris lectis, hæreticos Photini venena sectantes, in territorio dilectionis tuæ non solum esse, sed & publice sibi conventicula in aliquorum possessionibus præparare; cum de toto pene orbe nusquam tam multi, quam apud vos delegerint habitare. Quorum

rum doctrinæ nefariæ auctor Marcus dudum de urbe pulsus, temeritatis tantæ ductus est audacia, ut primum sibi inter eos vindicet locum. Sed ne ulterius debacchandi habeant facultatem, & animas simplicium ac rusticanorum secum in gehennam, cui destinati sunt, trahant; actum est adversus eos a defensoribus ecclesiæ nostræ, quod eos possint expellere; ut qui Christum Deum ex Patris substantia ante sæcula negant genitum, hi cum Judæis, qui ejus deitatem negaverunt, & nunc usque negant, participium habeant damnationis. Tuam est, frater carissime, quæ præcepta sunt non segnius agere, ne plebem tibi creditam dissimulatione deperdas, & incipias Deo de perditis rationem reddere.

Nec vero dubitari potest, quin Laurentius mandata pontificia sedulo ac naviter exsecutus fuerit; & interposita etiam auctoritate magistratuum sæcularium, injectoque pœnarum metu, nihilo segnius, quam rei gravitas postulabat, ad eam pestem exterminandam incubuit. Post Laurentium vetera monumenta nullum nobis suppeditant Episcopum Seniensem, usque ad Miræum, qui sæculo duodecimo huic ecclesiæ præfuit. Nullus Episcopus Senensis interfuit neque primo, neque alteri Concilio Provinciali, quod sub Honorio III. Archiepiscopo Salonitano habitum fuit anno tricesimo, & tricesimo secundo sæculi sexti; nisi forte suspicari libeat de Paullo & Saviliano Episcopis, quorum nomina Concilio secundo subscripta inveniuntur. His enim cum ecclesiæ, quibus præerant, adscriptæ non sint, alteruter fortasse Seniensem episcopatum obtinebat. Ceterum Laurentium, ad quem scripsit Innocentius, Seniæ nostræ Antistitem fuisse, hujusque episcopatus exordia inde usque a quinto sæculo repetenda esse, pro certo affirmare non ausim, quia nulla apud vetustiores Scriptores, vel in monumentis Dalmaticis, ejus rei mentio est. Illud vero satis constat Miræum non fuisse primum Seniæ Episcopum, sed aliquos ante illum extitisse, quibus Miræus in sedem illam episcopalem successit, quamvis eorum nomina vetustas aboleverit. Nam Alexander Papa III. in suis ad Miræum litteris illum admonet, ut *Prædecessorum* suorum exemplo subjectum se atque obsequentem præbeat Metropolitæ Spalatensi. Si Episcopatum Laurentii ejus, ad quem scripta extat epistola Innocentii, ad Seniam Dalmatiæ urbem affigere placeat, cum per annos amplius septingentos, de nullo memoriæ proditum sit, qui hujus ecclesiæ episcopatum gesserit; continuatio seriesque episcoporum tam longo sæculorum intervallo interrupta, argumento est sedem illam episcopalem sublatam fuisse; nec vero ante sæculum undecimum, vel initium sæculi duodecimi restituta fuit. Verum enimvero sive tunc primum conditus fuerit episcopatus Senensis, sive redintegratus; quem certo & nominatim proferre possim hujus urbis Episcopum, neminem habeo ante Miræum, a quo proinde ordienda mihi est series episcoporum Senensium.

Miræus primus, de quo certo constet, Ep. Senensis.

Ædes cathedralis, capitulum, cœnobia.

Ædes cathedralis titulum habet a Beatissima Virgine Deipara in cælum assumpta, cui sacra est; civitas patronum primarium sibi adoptavit S. Georgium martyrem; Sanctorum quoque Fabiani & Sebastiani patrocinio gaudet, & gloriatur. Domus pontificia satis ampla est, & bene ornata. Capitulum constat e duodecim Canonicis, inter quos tres ceteris dignitate præstant, Archidiaconus, Archipresbyter, & Primicerius: ex his unus deligitur, qui parochi munere fungatur; eique ad rem christianam curandam, reliqui adjutricem operam præbent. Nullos fundos possidet mensa Capitularis; habent tamen Canonici e quotidianis distributionibus, e sacris anniversariis, e funeribus, e piis legatis, e decimis quorumdam locorum, unde illis quæ sunt ad victum cultumque necessaria suppeditant. Canonici Senienses veterem usum linguæ Slavonicæ ad rem divinam adhibendæ adhuc retinent, nisi forte paucis ante annis abolitus fuerit; & in ejus locum latinus sermo substitutus. Duo sunt in urbe cœnobia, alterum Patres Dominicani, alterum Franciscani obtinent; extat in suburbio celeberrimum Xenodochium a S. Spiritu cognominatum, copiosis vectigalibus, & ampliſſimis privilegiis tum regalibus, tum pontificiis instructum.

Ante conditum vel restitutum episcopatum Senensem, episcopus Veglæ insulæ Sinus Flanatici, quæ ab ora continenti, cui Senia insidet, non ita lato interjecto Euripo disjungitur, urbem, ac diœcesim Senensem magna ex parte subjectam suæ potestati, suoque regimini commissam habuerat, ut docet Archidiaconus cap. xv. *Sed Veglensis obtinebat majorem partem parochiarum, quas nunc habet Segnensis ecclesia, quæ non erat tunc episcopalis sedes.* In Concilio Provinciali Spalatensi sub Petro VII. Archiepiscopo, anno 1185. ut aliarum, sic Senensis diœcesis facta est descriptio: *Signensis Episcopus habeat sedem suam in Segnia, & habeat has parochias, Segniam, Hetsciam totam, & medietatem Licæ.* In exemplo hujus Concilii, quod Joannes Lucius vulgavit lib. III. de Reg. Dalm. & Croat. capite XI. Diœcesim Senensem aliter descriptam invenio: *Signien. Episcopus habeat sedem suam in Signia, & habeat has parochias Signiam, vallem vinearium, Getzcam, & Busan.* Exemplar Lucianum ad parochias ecclesiæ Senensis duas adjecit *Vallem vinearium, & Busan*, quæ a nostro Spalatensi absunt, eique detraxit *Medietatem Licæ*, quam Corbaviensi attribuit. Cum igitur Licha, quam Porphyrogenitus Litzam vocat, Corbaviæ proxima sit a meridie, verisimilius arbitror hanc regionem ita bipartitam fuisse, ut illius pars occidentalis Episcopo Corbaviensi obtigerit, cum pars altera in orientem spectans, in utroque exemplari adscripta sit diœcesi Nonensi, quæ Corbaviensi finitima erat. Pro *Hetscia*, quæ in nostrum exemplum Librarii culpa irrepsit, legendum puto *Getzcam*, quam Lucius e suo codice descripsit. Eadem autem est, atque *Gutzeca*, una e tribus illis Zupaniis in veteri Japydia sitis, quas ab uno Bano administrari regique Porphyrogenitus tradidit. *Gutzeca* ex descriptione *Guillelmi de l'Isle* mari adjacet; eique ab oriente contermine sunt aliæ duæ *Cribasa*, & *Litza*, hæc quidem ad meridiem, illa vero ad Septentrionem: quæ positio maritima *Getchæ*, sive *Gutzchæ* ab occasu in ortum porrecta urbem Senensem complectitur. *Vallis vinearia*, quam exemplar Lucianum diœcesi Senensi attribuit, planities erat montibus circumclusa, vitibus consita, & vicis aliquot habitata. *Busan*, pagum neque ignobilem, neque infrequentem, Episcopo Corbaviensi relinquendum censeo, ut est in exemplari Luciano.

Parœciæ attributæ diœcesi Senensi an. 1185. in Concilio provinciali.

Ergo diœcesis Senensis intermedia erat, & Corbaviensis ambitu fere undique, præterquam a mari

Diœcesis Senensis descriptio.

que cum nunc conjuncta eſt Corbavien. ſeu Modruſſen.

a mari definiebatur. Contractiores ab occaſu, quam oriente terminos habebat; nam caſtrum Novi in oram maritimam imminens vix decem millia paſſuum ab Senia diſtat in occidentem: hoc vero pertinebat ad Epiſcopum Corbavienſem; longius vero in ortum protendebatur fere uſque ad flavium Licham, qui circiter mille paſſus ab *Scriſſa* ſive *Calobago*, oppido itidem diœceſis Senienſis, in fretum Morlachiæ illabitur. Hujus diœceſis oppida ſeu loca præcipua ſunt vicus S. *Helenæ*, itemque S. *Georgii*, utrique Senia interjacet, *Starigradum*, *Jublonitcium* ad mare; in locis mediterraneis *Octoſatii*, *Kompolium*, *Briniam*, *Berlochium*, aliaque obſcuri nominis, & exiguæ famæ. Sed poſtquam Modruſſenſis, ſive Corbavienſis diœceſis conjuncta eſt cum Senienſi, juriſdictio Epiſcopi Senienſis latiſſime patet, iiſdemque terminis ab occaſu, ſeptentrione, & oriente circumſcribitur, quos diœceſi Corbavienſi adſcripſimus. A meridie conterminos habet Nonenſem, & Jadertinum, & inſularum adjacentium Epiſcopos.

Hujus ampliſſimæ diœceſis illuſtriores eccleſiæ, quas collegiatas vocant, ideſt Canonicorum collegio inſignes, ſunt in oppidis *Novi*, *Octoſatii*, *Brebiri*, *Buccari*, *Grobuchi*, *Krilini*, *Druvanich*, *Griſani*, *Ledenitze*, & aliis duobus aut tribus, in quibus ſeptem, vel pauciores Canonici numerantur. Omnibus hiſce Capitulis præeſt Archidiaconus Modruſſenſis, quem Imperator rex Hungariæ nominat, Epiſcopus Senienſis confirmat. Modruſſa olim civitas epiſcopalis caret collegio Canonicorum, retinetque Archidiaconum & parochum, ad quem pertinet incolarum chriſtiana inſtitutio, & rerum ſacrarum procuratio. Electus Epiſcopus Senienſis, non ſolum hujus, ſed etiam Modruſſenſis Eccleſiæ poſſeſſionem vel per ſe, vel per procuratorem e præſcripta ſolemnique formula inire debet, duoſque Vicarios generales conſtituere, alterum Senienſi, alterum Modruſſenſi diœceſi præpoſitum.

Duo Vicarii generales, alter Seniæ, alter Modruſſæ, conſtituti.

Multæ ſunt in hac diœceſi eccleſiæ ritus Græci, aliæ quidem ſchiſmatica labe infectæ, aliæ cum Eccleſia Romana conjunctæ, quibus Sacerdotes ejuſdem ritus, & dogmatis vel catholici, vel ſchiſmatici præſunt, quos ipſi Calogeros vocant, & plerique ad divinam Liturgiam peragendam lingua Slavonica utuntur. Series Epiſcoporum Senienſium hæc eſt,

Series Epiſcoporum Senienſium.

I. Miræus an. circ. 1150.
II. Joannes an. circ. 1210.
III. Borislavus an. circ. 1224.
IV. Joannes II. an. circ. 1240.
V. Philippus an. circ. 1246.
VI. Martinus an. 1280.
VII. Nicolaus an. circ. 1308.
VIII. Joannes vel Bernardus an. circ. 1333.
IX. Pontius an. 1349.
X. Peregrinus an. 1351.
XI. Portina an. 1360.
XII. Joannes III. an. 1380.
XIII. Thomas an. 1383.
XIV. Joannes IV. an. 1388.
XV. Leonardus an. 1393.
XVI. Nicolaus II. an. 1404.
XVII. Thomas II. an. 1411.
XVIII. Georgius an. 1419.
XIX. Thomas III. an. 1420.
XX. Conradus an. 1427.
XXI. Henricus an. 1428.
XXII. Thomas IV. an. circ. 1430.
XXIII. Joannes V. an. 1432.
XXIV. Ludovicus an. 1436.
XXV. Nicolaus III. an. 1437.
XXVI. Andreas an. 1443.
XXVII. Bartholomæus an. circ. 1450.
XXVIII. Nicolaus IV. an. 1459.
XXIX. Marcus an. circ. 1462.
XXX. Paullus an. 1465.
XXXI. Donatus an. 1488.
XXXII. Paullus II. an. 1488.
Michael electus an. 1489.
XXXIII. Andreas II. an. 1493.
XXXIV. Michael an. 1499.
XXXV. Jacobus an. 1501.
XXXVI. Franciſcus an. 1520.
XXXVII. Joannes VI. an. 1537.
XXXVIII. Franciſcus II. an. 1541.
XXXIX. Georgius II. an. 1560.
Nicolaus electus an. 1570.
XL. Georgius III. an. 1577.
XLI. Michael II. an. 1584.
XLII. Bonaventura an. 1588.
XLIII. Antonius an. 1593.
XLIV. Marcus Antonius an. 1600.
XLV. Marcellus an. 1605.
Interregnum Epiſcopale.
XLVI. Vincentius an. 1613.
XLVII. Joannes Baptiſta an. 1617. qui & Epiſcopus Modruſſenſis XIV.
XLVIII. Petrus an. 1652. & Modr. XV.
XLIX. Joannes VII. an. 1665. & Modruſſenſis XVI.
Franciſcus electus an. 1677.
L. Hyacinthus an. 1681. & Modr. XVII.
LI. Sebaſtianus an. 1690. & Modr. XVIII.
LII. Martinus II. an. 1699. & Modr. XIX.
LIII. Benedictus an. 1704. & Modr. XX.
LIV. Adamus an. 1712. & Modr. XXI.
LV. Nicolaus V. an. 1718. & Modr. XXII.
LVI. Joannes Antonius an. 1731. & Modruſſenſis XXIII.
LVII. Georgius Wolphangus an. 1746. & Modr. XXIV.
LVIII. Pius an. 1764. & Modr. XXV.

MIRÆUS EPISCOPUS SENIENSIS I.

Hic primus eſt, de cujus Epiſcopatu Senienſi nulla eſſe poteſt dubitatio. Neque enim audiendum puto Paullum Ritterum, qui catalogi epiſcopalis initium ducit ab octavo ſæculo, & ab Joanne Epiſcopo *Signino*. *An. Ch.* 743. *Joannes Epiſcopus Segnienſis in Synodo ſub Zaccharia Papa Romæ celebrata locum habuit*; teſtem citat Baronium, qui Joannem non *Segnienſem*, ſed *Signinum* Epiſcopum vocat. Eſt autem Signia civitas epiſcopalis Latii, ejuſque Antiſtitum ſeries extat Tom. I. Ital. Sac. apud Ughellum, qui ante Joannem quatuor Signinos Epiſcopos commemoravit *Juſtum*, *Julianum*, *Albinum*, *Gaudioſum*; his vero ſubjecit Joannem, *qui inter Patres Romani Concilii numeratus eſt ſub Zaccharia Papa anno* 747. His autem præponi debet ex collectione Labbeana Conciliorum *Sanctulus Epiſcopus Signinus*, qui Synodo Romanæ primæ ſub Gelaſio interfuit anno 494.

Epiſcopatus Senienſis in Dalmatia conditus, vel reſtitutus fuit intra finem ſæculi undecimi, vel ſub initium ſequentis. Antea ſiquidem Senia, ejuſque territorium ſuberat juriſdictioni Epiſcopi Veglenſis, ut eſt apud Thomam Archi-

Episcopatus Sienſis ſubjectus Metropolitæ Spalatenſi, a quo Miræus ſe ſubducere molie-batur.

chidiaconum cap. xv. *Sed Veglienſis obtinebat majorem partem parochiarum, quas nunc habet Senienſis Eccleſia, quæ tunc non erat epiſcopalis;* cum ſcilicet Drabalis, de quo ibi ſermo eſt, inter annos 1038. & 1040. vel 1050. Metropoli Spalatenſi præſidebat. Epiſcopatus autem Senienſis attributus eſt Spalatenſi Metropolitæ, cujus juriſdictione temporibus illis Dalmatia omnis inferior continebatur. Ac priores quidem Epiſcopi ante Miræum duo vel plures, quorum nomina vetuſtate interierunt, conſtanti, ut par erat, fide atque obedientia Eccleſiam Metropolitanam Spalatenſem coluerunt. Sed poſtquam Lampridius Antiſtes Jadertinus conceſſu Sedis Apoſtolicæ jus nomenque Metropoliticum obtinuit; Miræus Epiſcopus Senienſis vel ſua ſponte, vel impulſu Venetorum, qui novi Metropolitæ Jadrenſis ditionem amplificare cupiebant, Spalatenſi Archiepiſcopo, quam debuerat fidem & obedientiam detrahere, atque in Jadertinum transferre aperte palamque cœpit; præſertim cum longius Spalato, quam Jadera abeſſet, & provincia Jadertina intermedia Seniam ab ditione Spalatenſis Metropolitæ disjungeret. Provinciam Spalatenſem tunc adminiſtrabat Gerardus Archiepiſcopus, qui jura ſuæ metropolis ſarta tecta ſervare cupiens, de Miræo graviter queſtus eſt apud Alexandrum III. Pontificem Maximum. Hic autem litteris ad Miræum datis de ſuo illum officio admonuit; eique imperavit, ut more atque exemplo deceſſorum ſuorum ſe fidelem atque obedientem Metropolitæ Spalatenſi præberet: niſi Pontificiis admonitionibus, & mandatis obtemperaverit, in eum graviter animadverſum iri; ut illius pœna debita Epiſcoporum erga ſuos Metropolitas fides & obedientia ſanciatur. Hæc epiſtola data eſt Beneventi, III. Idus Februarii, anno 1169. hoc ſiquidem anno Alexander erat Beneventi, ut declarat illius ad Henricum regem Angliæ epiſtola, ibidem data pridie Kalendas Martii, quæ ab anno 1169. dimoveri nequit.

Epiſtola Alexandri Papæ ad Miræum.

Alexander ſervus ſervorum Dei Venerabili Fratri Miræo Epiſcopo ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Significavit nobis Venerab. Frater noſter G. Spalat. Archiepiſcopus Apoſtolicæ Sedis Legatus, quod cum ſibi ſis metropolitico jure ſubjectus, ipſum debita obedientia, & ſubjectione fraudare præſumas. Quia igitur non decet te, nec nos poſſumus aliqualiter tolerare, quod præfatus Archiepiſcopus, qui tam ferventer, & præcipua nobis eſt affectione mentis adſtrictus, honoris, vel dignitatis ſuæ quamlibet diminutionem ſuſtineat; Fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eidem Archiepiſcopo Metropolitano tuo, quemadmodum prædeceſſores tui ſuis conſueverunt anteceſſoribus obedire, contradictione, & appellatione ſublata, debitam obedientiam & reverentiam promittas, & humiliter ac devote perſolvas; ita quod adverſum te propter hoc, iterata quærela merito ad auditum Sedis Apoſtolicæ proferri non poſſit. Sane ſi te prædicto Archiepiſcopo rebellem amodo, vel minus obedientem eſſe conceperimus; contumaciam, & præſumptionem tuam graviter auctore Domino puniemus; quod pœna tua ſubditis erit exemplum prælatis ſuis obedientiam obſervandi. Datum Beneventi tertio Kalendas Februarii.

Nec fruſtra fuit admonitio pontificia. Paruit Miræus, & ſub imperium rediit Metropolitæ Spalatenſis; omniaque deinde officia fidelitatis atque obſervantiæ tum adverſus Gerardum, tum erga illius ſucceſſores diligenter ſancteque ſervavit. Gerardo in ſedem Spalatenſem ſubrogatus eſt Raynerius, qui anno 1179. ineunte, ut ceteros provinciales Epiſcopos, ſic etiam Miræum, pro ſua poteſtate metropolitica, Spalatum venire juſſit intra diem octavam ab Epiphania Domini, ut ſecum Romam ad Concilium Lateranenſe III. adirent, quod Alexander III. indixerat. Cum autem Miræus, itemque duo alii Epiſcopi Tininienſis, & Tragurienſis neque præſtituto tempore Spalatum advenerint, neque Concilio interfuerint, non illi quidem putandi ſunt metropolitæ imperium abnuiſſe; ſed cum aliis neceſſariis graviſſimiſque occupationibus diſtinerentur, legitimæ abſentiæ excuſationem attuliſſe.

Lis inter Nonenſem, & Senienſem Ep.

Matthæus Nonenſis Epiſcopus litem intulit Miræo de tribus nominatim parœciis, quas ad ſe pertinere contendebat; & præterea, ut mihi videtur, & colligitur ex libello ſupplici metropolitæ Spalatenſis Sedi Apoſtolicæ oblato, infra deſcribendo, de univerſo propemodum Epiſcopatu, ejuſque proventibus. Alexander III, ad quem Miræus per litteras ſupplex confugerat, reſcripto pontificio generatim decrevit, ut ſua illi permaneret ſtabilis ac certa poſſeſſio tum Epiſcopatus Senienſis, tum omnium vectigalium, quæ ad menſam Epiſcopalem ſpectabant. Reſtabat controverſia de tribus illis peculiaribus parœciis, quas uterque ſuas eſſe dicebat. Erant autem *Signa*, *Geſzica*, *Lecca*, e quibus pars maxima & præcipua diœceſis Senienſis conſtabat; has enim nominat Matthæus in ſuo ad Alexandrum ſupplici libello. Signæ vocabulo nolim intelligi urbem ipſam epiſcopalem Seniam, de qua ambigi non poterat, quin pertineret ad Epiſcopum Senienſem; pagum aliquem fuiſſe arbitror hujus diœceſis, qui eodem fere, atque civitas Epiſcopalis, aut conſimili vocabulo appellabatur. *Geſzica*, aliter *Gezca* eadem videtur eſſe, ut ſupra dictum eſt, quæ apud Conſtantinum Porphyrogenitum vocatur *Gutzeca*; eratque una e tribus illis Zupaniis Japidiæ antiquæ, quas idem Conſtantinus unius Bani adminiſtrationi ac regimini ſubjectas fuiſſe tradit. *Lecca* nequit diſtingui a *Litza*, altera ex iiſdem tribus Zupaniis, quas Porphyrogenitus commemoravit; hodie *Licham* vulgo appellant. Cum igitur de hiſce tribus parœciis, ſive regionibus, de quibus nihil nominatim Alexander decreverat, Matthæus & Miræus inter ſe contenderent, totius controverſiæ arbitrum (jubente Alexandro) per compromiſſum jurejurando firmatum ſumpſere Raynerium Metropolitam; qui rationibus utrinque allatis diligenter auditis, & accurate perpenſis, vocatis inſuper, adhibitiſque in conſilium Epiſcopis provincialibus; primum quidem ex reſcripto Alexandri retinuit Miræum in poſſeſſione ſui Epiſcopatus, & vectigalium ac bonorum omnium, quæ ad ejus menſam Epiſcopalem pertinebant; deinde id, de quo controverſia erat, ex æquo & bono ita compoſuit. Miræo *Signam*, & *Geſzicam*, *Leccam* Matthæo adjudicavit. Sententia Raynerii ſumma æquitate nitebatur; quam Miræus non poterat non probare; huic ſiquidem terrarum quam Seniæ civitati propinquius erat; *Leccam* vero ab urbe Senienſi longe disjunctam, ac diœceſi Nonenſi proximam, Matthæo attribuit. Attamen Miræus, contra quam compromiſerat, Raynerii judicio ſtare noluit; atque ab ejus ſententia ad Sedem Apoſtolicam appellavit. Itaque

Ray-

Raynerius ad Alexandrum ſcripſit, ſententiæ ab ſe latæ rationem reddidit; ut eam vellet approbare, & iniqua Miræi poſtulata rejicere, Pontificem rogavit.

Sanctiſſime Pater, poſtulat a ſanctitate veſtra R. humilis Archiepiſcopus Spalaten. ut compoſitionem parochiarum, & diviſionem, quam fecit inter Miræum Signien. & Matthæum Nonenſem ſuos ſuffraganeos, firmam & ratam, ſi placet, habeatis; cum de eorum voluntate compromittentium in manibus meis, ſub forma ſacramenti proceſſerit; & conſilio, & voluntate alicorum ſuffraganeorum, diligenter utraque parte audita, & perquiſita veritate, jam dictam compoſitionem fecerim; teſtituendo prius Miræo Signienſi Epiſcopo Epiſcopatum cum omnibus fructibus, & acceſſionibus, quas ipſe juxta tenorem litterarum veſtrarum exigebat. Verum quia præfatus Miræus variam, & inconſtantis hominis formam ſervat, idem (*ideſt* Raynerius) nec probando, nec reprobando *Sanctitatem veſtram humiliter exorat, quatenus iniquas petitiones ejus in hac parte, ſi placet, ſalva legatione, quam ſervo veſtro Archiepiſcopo conceſſit, non exaudiatis, illæſam manutenentes &c.* cætera deſunt.

Huic epiſtolæ ſuas litteras ſupplices Matthæus Nonenſis Epiſcopus adjunxit in hanc ſententiam: *M. Nonenſis Epiſcopus a ſanctitate veſtra petit, ut ſtatutum, quod Spalatenſis Archiepiſcopus inter eum, & Mironem Epiſcopum ſuper tribus parochiis, Signa videlicet, Geszica, & Lecca de mandato veſtro ſtatuit, veſtris litteris confirmetis; ipſe enim Archiepiſcopus, ſicut vobis per ſuas litteras inſinuavit, de utriuſque partis aſſenſu ita ſtatuit; ut Matthæus Epiſcopus Nonenſis habeat Leccam, & Miro Epiſcopus habeat Signam, & Geſzicam.*

Quid Alexander in alterutram partem decreverit, ratamne habuerit, an irritam fecerit ſententiam Raynerii, mihi non eſt compertum. Sed anno 1185. Concilium provinciale Spalatenſe parœcias utriuſque diœceſis Senienſis & Nonenſis ad normam ſententiæ Raynerianæ deſcripſit; niſi quod Leccam, ſive Licham bipartito diviſit, & partim Nonenſi, partim Senienſi, ſeu potius Corbavienſi Epiſcopo attribuit.

Nec vero ſi Miræus ab ſententia Raynerii ad Sedem Apoſtolicam appellavit, idcirco illius gratiam & benevolentiam amiſit; neque Raynerius, ut erat vir ſanctus, ob hujuſmodi appellationem, quamvis neque rationi conſentaneam, & oppido inofficioſam, iratum ſe, ac ne offenſum quidem, oſtendit; nullumque alienatæ ab eo voluntatis indicium dedit; quin immo haud multo poſt, cum Miræus Spalati eſſet, illum veluti unum e ſuis domeſticis, & familiaribus, ad quemdam ſuum actum judicialem confirmandum cum Flaſcone Epiſcopo Tininiensi, teſtem adhibuit anno 1180. paullo ante quam pro bonis eccleſiaſticis recuperandis glorioſam mortem oppeteret; *Hujus autem rei*, ut eſt in tabulis ejuſdem actus, *iſti ſunt teſtes: In primis Miræus Segnenſis Epiſcopus, Flaſco Tinienſis Epiſcopus.*

Anno 1185. interfuit Concilio provinciali, quod Petrus VII. Archiepiſcopus Spalatum convocavit; habitumque eſt in æde Suburbana S. Andreæ, quæ Picta dicebatur. In eo, ſublata diœceſeon confuſione, ſui cuique fines deſcripti, & certæ ſingulis parœciæ aſſignatæ ſunt; Senienſi Epiſcopo *Sedes in Signia*, & hæ parœciæ *Signia, Hetſcia*, (ideſt *Gezca*, ſive *Gutzeca*) *& medietas Licæ* ex noſtro codice Spalatenſi, vel *Signia, vallis vinearia, Gezca, & Bucam* ex codice Luciano obtigerunt, ut ſupra explicatum eſt. De Miræo nihil præterea litteris traditum invenio; vitam tamen perduxit uſque ad initium ſæculi decimi tertii; niſi quis alius inter Miræum, & Joannem interjectus, huic eccleſiæ præfuerit, cujus nomen vetuſtas & oblivio poſteritati præripuit.

JOANNES EP. SENIENSIS II.

Hujus nomen, & Epiſcopatus Senienſis, poſt initium ſæculi decimi tertii ſuſceptus, non aliunde nobis innotuit, niſi ex formula ſollemnis Sacramenti, quo ſuam fidem & obedientiam obſtrinxit Bernardo Metropolitæ Spalatenſi. Hic autem ab anno 1200. uſque ad annum 1217. huic metropoli præfuit.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti amen. Ego Joannes Segnienſis Epiſcopus ſpondeo, polliceor, atque promitto, atque juro per lignum vivificæ Crucis, & Sancta quatuor Evangelia, & has Sanctorum reliquias, quod ab hac die in antea obediens ero, & fidelis B. Domnio, & vobis Domine Bernarde Archiepiſcopo, & omnibus ſucceſſoribus veſtris catholice intrantibus, ſecundum omnia ea, quæ continentur in Canone de forma fidelitatis; & quod vocatus ad Synodum, vel ad conſecrandos Epiſcopos veniam niſi fuero impeditus Canonico impedimento; Et quod in propria perſona, vel per proprium honeſtum nuncium eccleſiam B. Domnii in feſto ipſius annuatim viſitabo; Et privilegia ejuſdem eccleſiæ, & omnia jura ſua, ſecundum poſſe meum defendam, & manutenebo. Res vero, quæ pertinent ad menſam Signienſis Eccleſiæ, nonniſi in cauſis conceſſis alienabo. Hæc omnia obſervabo bona fide, & ſine fraude. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Evangelia. Joannes deceſſit poſt annum viceſimum hujus ſæculi decimi tertii.

BORISLAVUS ET JOANNES II.
Epiſcopi Senienſes III. & IV.

Paullus Ritterus eques, vir doctrina & optimarum artium ſtudiis eruditus, elogio ampliſſimo, quod typis conſignavit, obtulitque Benedicto Bedekovitio Epiſcopo Senienſi, dum in baſilica Zagrabienſi conſecratione epiſcopali inauguraretur an. 1704. ſubtexuit catalogum Antiſtitum Senienſium, quorum ſeriem uſque ad Bedekovitium perduxit. In eo catalogo Joannem I. prætermiſit, & proxime poſt Miræum, duos modo nominatos Epiſcopos ſubjecit; ac Borislavi quidem ad decimum, Joannis vero initia epiſcopalia ad decimum quinctum ſæculi decimi tertii annum revocavit. Utrumque falſo. Siquidem Thomas Archidiaconus ejuſdem ſæculi Auctor pontificiam utriuſque conſecrationem attribuit Guncello Archiepiſcopo Spalatenſi cap. 41. *In Epiſcopatu Senienſi conſecravit Borislavum, quo defuncto ſubſtituit ei Joannem.* Idem confirmat catalogus Acutheanus. *Conſecravit iſte ſuffraganeos, in primis Martinum Corbavien. Epiſc. Boleslaum Signien. ... & Joannem etiam Signien.* Guncellus in cathedram Archiepiſcopalem conſcendit anno 1220. ac triennio poſt pallium ſuſcepit; ante cujus ſuſceptionem interdictum erat Metropolitis, ne quid officii epiſcopalis attingerent. Et Guncellus quidem per ſummam ignorantiam, *nondum obtento pallio*, ut ſcripſit Archi-

chidiaconus, *Eccleſias conſecrabat, celebrabat ordines, & ſe ubique Archiepiſcopum nominabat;* nec ſua illi temeritas impunita fuit; ob eam ſiquidem præproperam pontificalia munia obeundi feſtinationem, tres ipſos annos pallio caruit: Utrum vero ante ſuſceptum pallium, Epiſcopos etiam ſollemni manuum impoſitione conſecraverit, id cum expreſſe traditum non ſit ab Archidiacono, incertum mihi eſt: certe quidem Guncellus conſecrationem epiſcopalem, antequam ipſe ſuſciperet anno 1220. aliis impertire non potuit. Itaque tantum abeſt, ut Borislavus anno 1210. Joannes an. 1215. regimen Eccleſiæ Senienſis injerint, quod Paullus Ritter falſo exiſtimavit, ut neuter Epiſcopus fieri potuerit ante annum viceſimum ejuſdem ſæculi, ſi quidem uterque a Guncello conſecratus fuit, quod Archidiaconus apertiſſime & planiſſime affirmat. Epiſcoporum provincialium, quos Guncellus ſacris epiſcopalibus initiavit, poſtremus vel inter poſtremos fuit Joannes II. Antiſtes Senienſis, ut colligi poteſt ex ordine, quem tenent Archidiaconus, & catalogus Acutheanus in recenſendis Epiſcopis a Guncello conſecratis. Cum autem Guncellus diem obierit ſupremum anno 1242. Joannes non decimo quinto, ut cenſuit Ritterus, ſed anno circiter quadrageſimo hujus ſæculi, Borislavo in cathedram Senienſem ſucceſſit. Poſt Joannem idem Paullus Ritterus Borislavum hoc nomine ſecundum Senienſem Antiſtitem intruſit, ejuſque epiſcopale initium anno 1241. affixit. Sed hic abeſt ab omnibus monumentis Dalmaticis illorum temporum; & cum conſecrari debuiſſet a Guncello, neque Archidiaconus Guncello æqualis, neque catalogus Acutheanus eum annumerarunt inter Epiſcopos, quibus idem Guncellus manus impoſuit. Quare Borislavo ſecundo expuncto, proximus poſt Joannem hujus eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcepit

PHILIPPUS EP. SENIENSIS V.

Neque annum, quo Joannes II. e vita deceſſit, neque annum, quo Philippus Epiſcopatum iniit, compertum habeo; ſatis tamen conſtat eum Senienſi Epiſcopatu potitum fuiſſe ante annum ſeptimum, & quadrageſimum ſæculi decimi tertii. Poſt obitum Guncelli Archiepiſcopi, eodem anno 1242. Stephanus Epiſcopus Zagrabienſis, populi favore, & cleri conſenſu renunciatus eſt Archiepiſcopus; ſed cum approbationem Sedis Apoſtolicæ impetrare non potuiſſet; intra finem anni 1243. Thomas Archidiaconus fere cunctis Canonicorum ſuffragiis electus eſt ad ſupremum Sacerdotium Spalatenſe; qui ob diſſidium ac tumultum popularem, ſtudio pacis, jus omne per legitimam electionem acquiſitum ſponte dimiſit anno 1244. demum eodem anno Bela IV. rex Hungariæ Hugrino, Præpoſito eccleſiæ Caſmenſis in Hungaria, pontificatum Spalatenſem, regali commendatione & auctoritate interpoſita, deferendum curavit; ſed hujus conſecratio dilata eſt in annum fere tertium ab ejus electione, propterea quod Innocentius IV. Pontif. Max. antea in Hugrini vitam & mores inquiri, ac de illius Canonica electione certior fieri voluit; quam collatum illi Sacerdotium approbaret. Cum igitur Eccleſia Spalatenſis per annos fere quinque Archiepiſcopo rite ordinato approbatoque caruerit, Philippus electus Senienſis neceſſe habuit Lugdunum ſe conferre ad Innocentium IV. a quo epiſcopalem conſecrationem ſuſciperet; id quod acciderit oportet ante annum, ut dixi, ſeptimum & quadrageſimum hujus ſæculi; quippe hoc anno ipſe cum tribus aliis Epiſcopis, Hugrino electo Archiepiſcopo Spalatenſi conſecrationem Epiſcopalem impertiit, & manus impoſuit, ut docet Archidiaconus cap. 47. *Elapſo triennio iſte Hugrinus ex mandato Apoſtolico, conſecrationem ſuſcepit in eccleſia S. Domnii per manus iſtorum ſuffraganeorum, videlicet Treguani Trag. Nicolai Pharen. Bartholomæi Scardonen. & Philippi Senien. Epiſcop. anno Redempt. MCCXLVII. XII. Kal. Octob. &c.* Idem vero Hugrinus Philippum Lugdunum in Galliam miſit, qui nomine ſuo pallium pontificale ab Innocentio IV. ſupplicite peteret; quod cum retuliſſet, Bartholomæus Epiſcopus Scardonenſis Hugrino ſollemni ritu ac cerimonia impoſuit anno 1248. ut docet idem Archidiaconus, & epiſtola Innocentii ad Bartholomæum *data Lugduni* eodem anno *VII. Id. Aprilis*. Extat epiſtola Joannis V. Metropolitæ Spalaten. inſcripta Epiſcopis provincialibus, *Tragurien. . . . necnon & Senien.* Si hæc inſcriptio ad Philippum Senienſem Epiſcopum referenda ſit, is vitam & pontificatum perduxerit neceſſe eſt uſque ad annum 1274. hoc quippe anno data eſt; ſed mihi magis veriſimile ſit ejus proximo ſucceſſori inſcriptam fuiſſe. Dum Philippus hanc eccleſiam regebat, Bela IV. rex Hungariæ Friderico, & Bartholomæo Frangipaniis Seniam donavit, ut ſupra dictum eſt, anno 1255. Eccleſia Senienſis bono fato, ſeu potius divino quodam nutu & favore, in poteſtatem & clientelam conceſſit nobiliſſimæ, & opulentiſſimæ gentis Frangipaniæ; cujus eximia ſemper fuit erga Deum, divoſque religio, atque ad divinum cultum augendum, cœtus piorum virorum fovendos, eccleſiaſque locupletandas profuſa liberalitas. Anno 1297. Leonardus & Damianus Fratres Comites Frangipanii, Patribus Franciſcanis Seniam evocatis, cœnobium ſuburbanum, & eccleſiam S. Franciſci titulo inſignitam ædificarunt; ut tradit P. Glavinichius lib. *de orig. provinciæ Boſnæ & Croatiæ* cap. 6. pag. 26.

Lugduni conſecratur ab Innocentio IV.

Frangipanii Seniæ Domini.

MARTINUS EP. SENIENSIS VI.

Anno 1280. Senienſem Eccleſiam gubernabat. Cum enim ſub initium hujus anni, IV. Idus Januarii Guido Patriarcha Gradenſis, idemque primus Dalmatiæ, ideſt provinciæ Jadrenſis, Jaderæ eccleſiam Patrum Prædicatorum, & aram maximam ſollemni cærimonia dedicaret, cum Laurentio Metropolita Jadertino Martinum Senienſem, itemque Stephanum Nonenſem Epiſcopos ad eam dedicationem pro dignitate peragendam adminiſtros ſibi adhibuit. En tabulas ejuſdem ædis Deo Opt. Max. in honorem S. Marci Evangeliſtæ Patroni illius eccleſiæ, dedicatæ conſecratæque teſtes, ex ſchedis Brunatianis.

Univerſis præſentes litteras inſpecturis F. Guido miſeratione divina ſanctæ ſedis Gradenſis eccleſiæ Patriarca Dalmatiæque primas ſalutem in Domino ſempiternam. Fidelium devotioni præſentium ſerie innoteſcat, quod nos auctore Domino; qui omnium extitit principium atque finis; decimo die menſis Januarii inſtantis eccleſiæ Fratrum Predicatorum de Jadra & majori altari ejuſdem ad Dei gloriam, & pretioſiſſimi Marci Apoſtoli & Evangeliſtæ, & omnium Sanctorum, conſecrationis munus duximus impendendum. Cui conſecrationi venerabiles Patres Dominus . . . . magiſter

Lau-

Laurentius Jadrenſis Archiepiſcopus, Dominus Stephanus Nonenſis, & Dominus Martinus Senienſis Epiſcopi adſtiterunt. In qua quidem conſecratione noſtrum quilibet ad ipſam populo confluenti, ac die quolibet nominati menſis cum devotione eandem eccleſiam viſitanti, nec non omni prima Dominica uniuſcujuſque menſis uſque ad unum annum ob reverentiam prælibati Beati Marci indulſit unum annum & XL. dies de peccatis, de quibus eſſent vere contriti pariterque confeſſi; & de conſcientia & voluntate venerabilis Fr. noſtri D. Gregorii Arbenſis Epiſcopi, totidem curavimus indulgere. Datum Jadræ in archiepiſcopali palatio decimo die exeunte menſis ſupradicti Januarii anno Domini MCCLXXX. Indictione VIII.

Eo modo deſcripſerat Fr. Joan. Auguſtini deditque Brunatio tamquam ex archivo Fratrum Prædicatorum Jadrenſium.

NICOLAUS EP. SENIENSIS VII.

Erat e familia religioſa vel Franciſcana, vel Dominicana, vel Auguſtiniana. Hujus eccleſiæ regimen ſuſcepit ſæculo decimo tertio ineunte. Anno ejuſdem ſæculi octavo Fr. Gentilem Cardinalem presbyterum, Legatum apoſtolicum in Hungaria, Seniam venientem perhonorifice excepit; ac teſtis adfuit, approbatorque ſententiæ, quam idem Cardinalis in eadem urbe tulit ſecundum eccleſiam S. Laurentii Tragurienſem: *die 23. Auguſti apud civitatem Segniæ* 1308. *eodem die poſt miſſam celebratam, in publica ſala D. Legatus pro tribunali ſedens ſententiam tulit adjudicando quartam partem prædii Drid pro fabrica eccleſiæ S. Laurentii Tragur. præſentibus D. Franciſco Thoma Veglienſi, Fr. Nicolao Segnienſi Epiſcopis &c.*

JOANNES vel BERNARDUS Ep. Senienſis VIII.

Duo Epiſcopi Senienſes, alter a Pontifice, alter a Capitulo electus.

Utrumque Catalogus Ritterianus prætermiſit. Cum poſt obitum Nicolai ſedes Senienſis vacaret, Joannes XXII. Pontifex jus & arbitrium illius Epiſcopi nominandi creandique ad ſe revocavit; & Joannem virum eximiæ doctrinæ ac virtutis ex Eremitana familia S. Auguſtini Antiſtitem Senienſibus dedit anno circiter 1333. Sub idem tempus Canonici Senienſes, ſive quod pontificiæ nominationis ignari eſſent, ſive quod facultatem eligendi ſui Epiſcopi injuria ſibi præreptam putarent, Bernardum abbatem cœnobii S. Georgii diœceſis Senienſis cunctis ſuffragiis Epiſcopum declararunt; quem Dominicus Luccarus Metropolita Spalatenſis approbavit, & epiſcopali conſecratione impertivit. Quamvis autem jus illius Epiſcopatus adeundi, quod Joannes habebat, pontificia electione & auctoritate niteretur; tamen Canonici illi in retinendo Bernardo, rejiciendoque Joanne, tres fere annos obſtinate perſtiterunt; præſertim cum Duymus & Bartholomæus Frangipanii, urbis Domini, patrocinium Bernardi ſuſcepiſſent; & graviſſimis minis interpoſitis Joannem acceſſu ad urbem prohiberent. Benedictus XII. Joanni ſublectus anno tertio Pontificatus, qui congruit cum anno Chriſti 1337. tum Dominico Archiepiſcopo, tum Epiſcopis Arbenſi & Abſarenſi mandavit, ut Joannem a Senienſibus recipi, & Bernardum expelli jubeant. Utrumque mandatum pontificium deſcriptum habes in Dominico Archiepiſcopo; ex poſteriore mandato pauca decerpi neceſſe eſt, ut eorum, quæ a nobis expoſita ſunt, veritas conſtet. Mandavit itaque Pontifex, *quatenus Joannem Epiſcopum Signien. ord. FF. Eremitarum S. Auguſtini per Joannem XXII. promotum, & in curia Romana conſecratum, inducant in corporalem poſſeſſionem epiſcopatus & Eccleſiæ Signien. amoto ab eis Bernardo Abbate monaſterii S. Georgii ord. S. Benedicti, Signien. diœceſis, per Capit. Sign. electo, & per Archiepiſcopum Spalaten. Metropolitanum conſecrato, & per violentiam poſt & contra promotionem per Joannem PP. XXII. ut ſupra, factam intruſo &c.* Duo præterea extant ejuſdem Pontificis in eamdem ſententiam mandata; alterum ad clerum & populum, alterum ad magiſtratus civitatis Seniæ. *Mandatur clero, & populo civitatis ac diœceſis Signienſis, quatenus intendant, & obediant monitis & mandatis Joannis Epiſcopi eorumdem, & ab obedientia Bernardi intruſi debeant reſilire. Mandatur judicibus, ut Joannem Epiſcopum Signien. in poſſeſſionem Epiſcopatus, & bonorum ipſius inducant, amotis detentoribus quibuſcumque; ſibique faciant obedientiam ab omnibus ſubditis exhiberi.* Annus & dies utriuſque mandati dignoſci poteſt ex mandato ad Epiſcopos Arbenſem & Abſarenſem, *Dat. Avenione 8. Idus Januarii, anno tertio Pontificatus*, ideſt æræ vulgaris 1337.

An pontificiis mandatis obtemperatum fuerit, nec ne, mihi non liquet. In catalogo Epiſcoporum Senienſium, qui extat apud me, *Bernardum* quidem invenio, non item vero Joannem. In aliis tabulis Eccleſiæ Senienſis neutrum reperio. Anno 1344. Epiſcopus Senienſis interfuit Concilio Provinciali, quod Dominicus Archiepiſcopus Spalatum convocavit, per Joannem presbyterum, Vicarium ſuum, & procuratorem; ſed in actis illius Concilii nomen Epiſcopi deſideratur: *Nec non a diſcretis viris Dominis, Stantio Archipresbytero Nonenſi procuratore Ven. Patris Domini Joannis Epiſcopi Nonenſis, & Presbytero Joanne q. Bardani de Segnia procuratore Vicario Epiſcopi Segnienſis.* Cum hic neuter nominetur, alteruter fuiſſe potuit Epiſcopus Senienſis, vel Joannes, vel Bernardus. Credibile eſt Senienſes, demum Pontifici obſecutos, recepiſſe tunc quidem Joannem Epiſcopum; poſt mortem vero Joannis, in Bernardum, quæ antea contulerant, ſuffragia retuliſſe; ex quo fieret, ut huic eccleſiæ uterque, alter poſt alterum præfuerit.

Uter Epiſcopatum obtinuerit, incertum eſt.

PONTIUS, PEREGRINUS, PORTINA Epiſcopi Senienſes IX. X. XI.

Hos tres Epiſcopos habeo ex catalogo Paulli Ritteri, primum anno 1349. ſecundum 1351. tertium denique 1360. adſcriptum. Sed Portina jam inde ab anno 1356. huic eccleſiæ præſidebat, ſi tamen idem eſt, qui *Prothina Seginenſis* nominatur in quodam diplomate Caroli IV. Imperatoris & regis Bohemiæ, Pragæ confecto Idibus Julii anno 1356. quod ex collectaneis Abbatis Brunatii hic ſubjicio.

An Portina idem ſit, ac Prothina nominatus in diplomate Pragenſi Caroli IV. Imp.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis feliciter amen. Karolus Quartus Divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Boemiæ Rex ... Conſiderantes quod claræ memoriæ Henricus ſeptimus avus noſter, qui tunc temporis Romano imperio præſidebat, Comune Paduæ, ac ejus civitatis quamplurimos de crimine læſæ majeſtatis finaliter condempnavit, ipſumque.

que commune ac civitas ſæpedicta ad noſtri ipſiusque Romani imperii ſit converſa obedientiam.. Signum Sereniſſimi Principis & Dom. D. Karoli Quarti.. Teſtes hujus rei ſunt venerabiles Arneſtus Pragenſis Archiepiſcopus, Archiepiſcop. Joannes Olomucenſis, Marquardus Auguſtenſis, Theodoricus Mindenſis, Prothina Seginenſis, Maurus Corobavienſis, & Mathias Tribinnenſis eccleſiarum Epiſcopi . . Datum Pragæ anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſexto, IX. indictione XIII. die intrante Junii ; regnorum noſtrorum anno decimo, imperii vero ſecundo. Ex Arch. Papafab.

Neſcio quid cauſſæ excogitari poſſit, quæ *Prothinam Siginenſem* & *Maurum Corobavienſem*, vel Corbavienſem Epiſcopos tam longe ab Dalmatia, in regionem illam extraneam compulerit, & quid eſſet illis rei cum Carolo rege Bohemiæ, cujus dominatu exempti erant, curve Pragam ſe contulerint, teſteſque ſint adhibiti ad confirmandum auguſtale illud diploma; ſi quidem uterque Epiſcopus in Dalmatia fuit, alter Seniæ, alter Corbaviæ; nam tunc Dalmatia ad Venetorum ditionem pertinebat, a quibus non multo poſt ad Ludovicum regem Hungariæ defecit. In catalogo Antiſtitum Corbavienſium Epiſcopum Maurum nomine nullum invenio; quamvis haud negaverim eum collocari poſſe inter Rodoslavum, qui anno 1344. Eccleſiam Corbavienſem regebat, & Valentinum ejuſdem eccleſiæ Epiſcopum ejuſdem ſæculi XIV. nam ignotus eſt annus quo hic ſuſcepit, ille vero depoſuit Epiſcopatum Corbavienſem. Vereor ne tum Prothinam, tum Maurum in diplomate Carolino nominatos e catalogo Senienſium & Corbavienſium Antiſtitum expungi oporteat, & referri utrumque ad eccleſias regni Bohemici, aut certe Germaniæ, quæ imperio Caroli IV. ſuberant; utriuſque autem vocabulum mendoſe ſcriptum eſſe, & correctione aliqua indigere cenſeo.

Quinque omnino ſunt privilegia Ludovici regis Hungariæ, quibus adfuit teſtis approbatorque Portina noſter Epiſcopus Senienſis; unum Virginibus S. Claræ anno 1360. quibus Monyaras oppidum donavit, alterum Virginibus Budenſibus, tertium civitati Arbenſi eodem anno 1367. quartum collegio Virginum Veſprimienſium an. 1373. quintum denique Abbati & Monachis *de Pecs-Varad* an. 1379, conceſſit; quibus omnibus ſubſcriptus eſt *Portina Segnien.*

Nihil igitur loci aut temporis inter Epiſcopos Senienſes relictum eſt *Fr. Joanni de Vegla* ordinis Franciſcani, quem Auctor Viridarii Seraphici vocat Epiſcopum Senienſem & Curzolenſem, refertque ad annum 1368. Sed non eſt veriſimile duas eccleſias, inter ſe longiſſime disjunctas, uni eidemque Epiſcopo concreditas fuiſſe. Pro Senienſi *Stagnenſem* legendum puto. Siquidem peninſula Stagni a Corcyra Melæna, ſive *Curzola* breviſſimo euripo interfluo diſtat. Et utraque Eccleſia, *Stagnenſis*, & *Curzolenſis*, ab uno Epiſcopo ſatis commode adminiſtrari poteſt.

F. Joannes ordinis S. Franciſci expungendus.

JOANNES III. EP. SENIENSIS XII.

Ex catalogo Paulli Ritteri regimen hujus eccleſiæ anno 1380. ſuſcepit, anno ſequenti morte ſublatus depoſuit. Dum acerrimum illud bellum inter Venetos & Ludovicum regem Hungariæ fervebat, a Venetis capta eſt Senia anno 1380. injectoque igne magna ex parte conflagravit, ut docet Careſinus: *tandem 29. ejuſdem Auguſti applicuit Signam* (Ludovicus Lauretanus Præfectus Venetæ claſſis) *quæ igni ſupponitur cum maximo incolarum damno, & noſtrarum gentium modico lucro*. Sed poſt pacem compoſitam anno ſequenti, mœnia & ædificia flammis abſumpta reſtitui cœperunt. Poſt Joannem tres fere annos Eccleſiam Senienſem Epiſcopo deſtitutam fuiſſe docet Paullus Ritterus.

Senia a Venetis capta & incenſa.

THOMAS EP. SENIENSIS XIII.

Extat privilegium Mariæ Ludovici filiæ, ac reginæ Hungariæ Spalatenſibus conceſſum anno 1384. XV. Kal. Maji, in quo fere omnes Epiſcopi Hungariæ & Dalmatiæ nominantur; poſtremo autem loco *Thomas Senienſis*, qui anno ſequenti obiiſſe traditur in catalogo Ritteriano, & res eccleſiaſtica Senienſis ad interregnum rediiſſe.

JOANNES IV. EP. SENIENSIS XIV.

Patria Piſaurenſis fuit, cognomento *de Cardinalibus*, juris pontificii peritus, *Decretorum Doctoris* titulum adeptus, idemque inſigni probitate ac prudentia præditus. Anno 1388. præſidebat Eccleſiæ Senienſi; & cum Sigiſmundus rex Hungariæ privilegia atque immunitates, quas Ludovicus conceſſerat Spalatenſibus, eodem anno III. Idus Februarii confirmavit, in diplomate regio cum aliis Epiſcopis Hungaricis, & Dalmaticis, extremus nominatus *Johannes Senienſis*. Ejus fidem, integritatem, doctrinam, rerumque gerendarum induſtriam plurimi fecit Sigiſmundus; quippe illum *Vicarium Generalem Dalmatiæ* conſtituit: quem magiſtratum plenum dignitatis atque imperii dum gereret, annum fere integrum commoratus eſt Jaderæ, ut Paullus de Paullo Patricius Jadertinus ſcriptum reliquit in ſua Ephemeride: *Anno 1388. die Sab. 28, Auguſti applicuit Jad. D. Epiſcopus Senienſis Vic. D. N. R. Ung. generalis in Dalmatia . . . idem D. Epiſcopus receſſit die 25. Auguſti de ſero anno proximo ſequenti*.

Dum eſſet Jaderæ, Jadrenſibus, de quatuor inſulis ſibi & Monaſterio SS. Coſmæ & Damiani per Sibenicenſes ereptis graviter expoſtulantibus, quidquid petebant conceſſit.

Joannes Epiſcopus Segnenſis pro Sereniſſimo Principe D. Sigiſmundo Dei gratia inclito rege Hungariæ &c. in regnis Dalmatiæ, & Croatiæ Vicarius generalis, nec non Illuſtriſſimi D. Stephani, regis Hungariæ Palatini, Comitis Jadrenſis viri clari. Comparuerunt coram nobis rectores civitatis Jadræ aſſerentes quod cum hoc ſit, quod contra Sibenicei detineant injuſte, & debite occupatas inſulas infraſcriptas videlicet Sirmaz, Jartam parvam, & Jartam magnam nuncupatas; item inſulas Sirye pertinentes pro titulo communi Jadræ, ac Monaſterio Sancti Coſmæ & Damiani in monte Jadrenſis dioceſis; & quia pluries requiſiti prædictas inſulas reſtituere recuſarent, nolentes quod & eorum negligentia jus eorum pereat, & ex præſcriptione temporis perdant dominium, & jus ipſarum inſularum, intendunt per eorum ſindicum dictas inſulas tam nomine dicti communis Jadræ, quam nomine dicti Monaſterii petere reſtitui ſibi; ſupplicarunt nos, quatenus dignaremur requirere, litteris noſtris mediantibus, Capitulum Nonenſe, ut velit mittere

Sententia Joannis Ep. & Vicarii Dalmatiæ ſecundum Jadrenſes adverſus Sibenicenſes.

tere unum ex eis hominem Sibenicenſibus, qui interſit petitioni dicti ſindici dicti communis, & monaſterii, & poſt dictam petitionem referre debeat omnia acta & facta per dictum ſindicum, & redigi facere in ſcriptis ut moris eſt capituli ſupradicti. Nos autem eorum juſtis petitionibus annuentes vobis injungimus quatenus unum ex vobis Sibenicii mittere debeatis una cum ſindico antedicto, qui intereſſe debeat omnibus ſupradictis relaturus vobis idem acta, & dicta per D. ſindicum antedictum, quæ poſtmodum juxta morem Capituli . . . . D. Notarium veſtrum in forma faciatis redigi publica & aſſignari communi Jadrenſi ſupradicto. Datum Jadræ Sabato proximo . . . in vigilia S. Mathei Apoſtoli. An. Dom. 1388.

Nos vero petitionibus hujuſmodi annuentes, ut de jure tenemur diſcretum, & honeſtum virum D. Pribium Archiepiſcopum Nonenſem, & Canonicum noſtrum ad præmiſſa pro teſtimonio duximus deſtinandum, qui demum ad nos reverſus nobis retulit, quod cum ipſe acceſſit ad civitatem Sib. ibique in ipſius præſentia Ser Damianus q. Chriſogonus de regno civis Jadrenſis ſindicus, & procurator D. D. Rectorum conſilii; horum, & communis ac civilis Jadræ habens ſpeciale mandatum ad hoc, & alia faciendi, ut legitur in publico mandato infraſcripto, manu Artivicii, filii olim Dominici de Rivignano, dioceſis Aquilejenſis publici imperiali auctoritate Notarii, & Jadrenſis ordinarii, ac jurati notarii dictæ civitatis Jadræ, ſub anno Domini 1388. *Ind. XI. die X. menſis Auguſti. Sindicario, & procuratorio nomine, quo ſupra per verba retroſequentia eſt locutus dicens: cum vos T. D. C. Julius & commune civitatis Sibenicenſis jamdiu citra occupaveritis, & detinueritis occupatum, nec non de præſenti occupetis, & occupatis detinentes ceſſante quolibet juſto titulo ſeu cauſa tres inſulas communis . . . & civitatis Jadræ vocatas unam Sirmaz, ſecundam Jartam parvam, & tertiam Jartam magnam, & ipſis hominibus communi, & civitati Jadræ immediate ſpectantes, & pertinentes, & quamdam aliam inſulam vocatam Sirie, Abbatiæ, & Monaſterii SS. Coſmæ, & Damiani in monte Jadrenſis dioceſis, ipſis Abbatiæ, & Monaſterio etiam immediate ſpectantem & pertinentem; & quid prædicta noſtra ſint docet expreſſe tenor regiarum litterarum pro prædictis inſulis emanatarum ſigillo regio ſolito in materia cere albæ ſigillatorum, quarum tenor per omnia ſequitur & eſt talis ut in ipſius requiſitione data in ſcriptis continebatur.*

Antonius Ep. Lacedæm. Vicarius Urbani VI. Eccleſiam Senien. S. Spiritus indulgentiis ditavit.

Per id temporis in Dalmatiam advenerat Antonius de Trinciis Epiſcopus Lacedæmonenſis, idemque Vicarius & internuncius Urbani VI. Pontificis; qui cum anno 1389. menſe Auguſto, Seniæ hoſpitaretur apud Patres Franciſcanos, centum & quadraginta dierum indulgentiam omnibus, & ſingulis conceſſit, qui feſtis diebus cujuſque anni ab ſe nominatim deſignatis, templum domus hoſpitalis Senienſis S. Spiritus pie caſteque inviſerent, vel ad ornatum templi, domulque illius ſubſidium pecuniam, reſve alias contribuerent; ideque teſtatum eſſe voluit publicis litteris in hæc verba compoſitis.

Nos Frater Antonius de Trinciis de Fuligno Dei & Apoſt. Sed. gratia Epiſcopus Lacedemonen. ac Vicarius, & Commiſſarius Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Urbani divina providentia PP. VI. Univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſa-

lutem in Domino ſempiternam. Pia mater eccleſia pro animarum ſalute & devotione fidelium, per munera quædam ſpiritualia, remiſſionem videlicet, & indulgentiam, invitare conſuevit famulatus honorem Deo, & ſacris ædibus impendendum, ut quatenus devotus illuc confluit populus, aſſidue Salvatoris gratiam implorando, tanto plus delictorum ſuorum veniam, & gloriam cæleſtis regni conſequi mœreatur æternam. Cupientes igitur, ut eccleſia & hoſpitalis S. Spiritus de civitate Segnen. de bono in melius augmentetur, & congruis honoribus frequentetur, & a Chriſti fidelibus jugiter veneretur; omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui ad dictam eccleſiam ſive hoſpitale in ſingulis iſtis feſtivitatibus, videlicet Nativitatis Domini, Circumciſionis, Epiphaniæ, omnibus diebus Dominicalibus quadrageſimæ, Paſchæ Reſurrectionis Domini, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium aliorum Apoſtolorum, & Evangeliſtarum & 4. Doctorum Eccleſiæ, in feſto omnium Sanctorum, Stephani, Laurentii, Georgii, Viti, Martini, & Nicolai; nec non SS. Mariæ Virginis Glorioſæ, Catharinæ, Luciæ & Margaritæ, & per octavas omnium feſtivitatum prædictarum octavas habentium, cauſſa devotionis, aut orationis aut peregrinationis acceſſerint, vel qui aurum vel argentum, vel alia quævis bona ad augmentum ipſius eccleſiæ ſive hoſpitalis, & manus porrexerint adjutrices, 140. *dies ex auctoritate nobis commiſſa de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. In quorum omnium teſtimonium præſentes litteras ſcribi fecimus, & noſtri magni ſigilli appenſione muniri. Dat. Segniæ apud eccleſiam S. Franciſci, anno Domini* 1389. *Indict. XII. tempore præfati SS. in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Urbani divina providentia PP. VI. & die XVII. men. Auguſti.*

Joannis obitus & epitaphium.

Joannes e vita migravit anno 1392. IV. Non. Aprilis. Funus ei ſatis amplum in æde cathedrali Senienſi faciendum curavit Leonardus de Cardinalibus fratris filius. Conditus eſt in arca marmorea parieti affixa ab cornu Evangelii inter ſuggeſtum & ſacellum Marianum. Titulum ſepulcralem fecit idem Leonardus.

HIC IACET REVERENDUS IN CHRISTO PATER DOMINUS IOHANNES DE CARDINALIBUS. DE. PENZAURO DECRETORUM DOCTOR EPISCOPUS SEGNIENSIS. QUI OBIT M: CCCLXXXXII: DIE II. APRILIS QD. SEPVLCRUM FECIT FIERI REVERENDUS DOMINUS LEONARDUS DECRETORVM DOCTOR DICTI DOMINI IOHANNIS NEPOS ET SUCESOR IMEDIATUS IN EPISCOPATUM ETIAM PRO SE: PRO IPSIS DEU ORATE DEVOTE.

LEONARDUS EP. SENIENSIS XV.

Patruo in ſedem Senienſem ſucceſſit poſt ejus obitum anno proximo. Hic etiam ob ſingularem doctrinam & prudentiam magna in exiſtimatione & gratia fuit apud Sigiſmundum regem, qui cum duos proceres Corbaviæ, itemque Vicebanum Chrobatiæ, legatos Jaderam miſiſſet de reis illis poſtulandis, ac Tinninium, ubi rexerat, deducendis, qui vel auctores, vel conſcii & participes fuiſſent necis Eliſabethæ reginæ, matris Mariæ conjugis Sigiſmundi, quique defectionem ab rege molirentur; huic legationi, & quæſtionibus de cæde illa & rebellione habendis præeſſe juſſit Leonardum Epiſcopum Senienſem; idque Paullus de Paullo in ſua Ephemeride annotavit: *1396. die 12. Januarii applicuerunt Jadram mag. viri Domini Paullus Caroli,*

& Carolus Comites Corbaviæ, & Paullus Michael V. B. Chroatorum, legati Sereniſſimi Principis, & D. N. Sigis. Ung. regis, qui die craſtina in ſapienti Conſilio noſtro porrectis litteris credentialibus, expoſuerunt eorum ambaſciatam, videlicet quod DD. Rectores darent ex ſe eidem D. R. omnes culpabiles & participes mortis q. D. Eliſabeth ſuæ ſocrus, & eos, qui alium dominium introducere in Dalmatiam volebant, & eos qui participati ſunt cum Joanne Joannis de Pulizna olim priore in Urana; & cum Joanne Bano; pro quo inquirendo præcipiebant in præſentia Reverendi Patris Domini Leonardi Epiſcopi Segnien. pro hoc a D. N. R. ſpecialiter deſtinati; ut ſtatim mitterent Tinninium &c. Idem in privilegio Sigiſmundi conceſſo Eccleſiæ Strigonienſi an. 1397. nominatur *Leonardus decretorum Doctor Segnienſis.*

Bonifacius Papa IX. anno 1400. ampliſſimis indulgentiis ac privilegiis cumulavit eccleſiam hoſpitalem Senienſem Sancti Spiritus.

Bonifacius Papa IX. eccleſiam & hoſpitalem domum S. Spiritus novis indulgentiis cumulavit.

Bonifacius Epiſcopus ſer. ſervor. Dei univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem & apoſtolicam benedict. Licet Is, de cujus munere venit, ut a ſuis fidelibus digne, & laudabiliter ſerviatur, de cujus pietatis abundantia, quæ merita ſupplicum excedit & corda, bene ſervientibus ſibi multo majora retribuat, quam valeant promereri; nihilominus tamen devotum Deo reddere populum, acceptabilem & bonorum operum ſectatorem volentes, fideles ipſos ad complacendum ſibi, quaſi quibuſdam allectamentis, & muneribus, indulgentiis ſcilicet, & remiſſionibus invitamus, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores. Cupientes igitur, ut eccleſia hoſpitalis S. Spiritus Segnenſis congruis honoribus frequentetur, & conſervetur ac etiam reparetur; & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eamdem, & ad ejus conſervationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cæleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos; de omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate confixi, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui in feſtivitate Pentecoſtes a primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas ejuſdem feſtivitatis dictam eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad ejus conſervationem & reparationem manus porrigant adjutrices, illam eamdem indulgentiam & remiſſionem peccatorum auctoritate apoſtolica concedimus in perpetuum duraturas, quas viſitantes eccleſiam S. Mariæ in Portiuncula, dictam de Angelis extra muros Aſſiſinates, Kal. Auguſti annuatim quomodolibet conſequuntur. Et inſuper ut fideles ipſi eo magis animarum commodum ſe noverint adipiſci, dilecto filio rectori dicti hoſpitali, qui eſt, & erit pro tempore, quatuor Sacerdotes idoneos ſæculares vel regulares, qui confeſſiones quarumcumque perſonarum utriuſque ſexus a dictis primis veſperis, & etiam ante per quatuor dies ad dictam eccleſiam confluentium, & ipſis confiteri volentium in eadem eccleſia audiant, ac perſonas eaſdem ab omnibus earum peccatis, niſi talia fuerint, propter quæ Sedes Apoſtolica fuerit merito conſulenda, auctoritate prædicta abſolvant in forma eccleſiæ conſueta, eiſque pœnitentiam injungant ſalutarem, ſingulis annis in ipſa eccleſia deputandi, ac hujuſmodi Sacerdotes amovendi, ac alios de novo deputandi, & eligendi plenam, & liberam, auctoritate prædicta, tenore præſentium concedimus facultatem. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis &c. Dat. Romæ apud S. Petrum Id. April. Pontif. noſtri anno XI.

Franciſcus Carrarienſis Dynaſta Patavinus Leonardo Epiſcopo poteſtatem fecit acquirendi bona immobilia tum in urbe tum in agro Patavino, & Dominicum ejus fratrem civitate Patavina donavit anno 1400. idque conſtat ex tabulis, quas ex archivo publico Pat. deſcripſit Abbas Joannes Brunatius.

Franciſci de Carraria Dynaſtæ Patavini privileg. conceſſum Leonardo & ejus Fratri Dominico.

Anno MCCCC. Quod Reverendus in Chriſto Pater & Dominus Dominus L. Dei gratia Epiſcopus Segnienſis, non obſtante, quod ſit perſona eccleſiaſtica, poſſit acquirere bona immobilia in Padua & Paduano diſtrictu. Et inſuper volens antelatus Illuſtriſs. Princeps & magnificus Dominus F. de Carr. provido viro Dominico de Penſauro fratri Domini Epiſcopi predicti qui habitatore Padue in contrata Burginovi Patriarchatuum, gratiam facere ſpecialem, cupienti aſcribi numero civium Patavorum, decrevit, quod ipſe Dominicus ſit de cetero civis civitatis Padue ad cuncta commoda & incommoda honores & honera: ut in forma ſolita. Ego Zilius de Calvis Notarius.

Leonardus altero, vel tertio ſæculi decimi quinti anno diem obiit, ſepultuſque eſt in æde cathedrali Senienſi, in eadem arca marmorea cum Joanne Patruo incluſus.

NICOLAUS II. EP. SENIENSIS XVI.

Cujus Pontificatum Paullus Ritter anno 1404. affixit; annum vero huic proximum, itemque ſex alios interregno pontificali ſubjecit. Andreas de Gualdo Archiepiſcopus Spalatenſis anno 1404. Seniæ cum eſſet, Eccleſiam Senienſem S. Spiritus centum dierum indulgentiis donavit, quas perciperent qui feſtis diebus ab ſe præſcriptis eamdem pie caſteque inviſerent. Nicolaum ob cauſſas neſcio quas Sacerdotio Senienſi privatum fuiſſe tradunt Tabulæ conſiſtoriales.

THOMAS II. EP. SENIENSIS XVII.

Ex ordine S. Auguſtini, quem Joannes XXIII. anno 1411. Epiſcopum Senienſibus dedit, ut docent tabulæ modo laudatæ: *VI. Kal. Septemb. 1411. providit Eccleſiæ Segnen. in Sclavonia vacanti per privationem Nicolai N. de perſona Fratris Thomæ ord. S. Auguſtini.* Extat diploma Sigiſmundi Imperatoris & regis Hungariæ, qui anno 1412. eccleſiam & domum hoſpitalem S. Mariæ Magdalenæ in agro Pagi *Buſan* confirmavit in poſſeſſione terrarum frugiferarum, quas eidem Comites Corbaviæ donaverant. In eo cum aliis Hungariæ & Dalmatiæ Epiſcopis nominatur *Thomas Segnenſis.* Dum Thomas huic eccleſiæ præſidebat, Martinus V. Pontif. Max. *Secundum Nanium* Epiſcopum Argolicenſem, & Neapolienſem in Dalmatiam, & regiones orientis legavit; qui ab Epiſcopis & clero illarum partium vectigalia *Cameræ*, ſive ærario Apoſtolico debita exigeret. Anno 1419. Seniæ cum eſſet, a Thoma Epiſcopo, itemque a clero univerſæ diœceſis nummos aureos centum & nonaginta recepit, & ex auctoritate ſibi tradita eccleſiam illam ac diœceſim ab ſolutione decimarum in quinquennium liberavit; idque teſtatum eſſe voluit ſuis litteris in hæc verba.

Secundus Nanius Ep. Argolicen. exactor Apoſtolicus.

Univerſis & ſingulis præſens inſtrumentum inſpecturis notum facimus, quod nos Secundus Nani Dei & Ap. Sedis gratia Epiſcopus Argolicenſis, & Neapolienſis Sanctiſſimi Domini noſtri

Domi-

Domini Martini divina providentia PP. V. & ejus cameræ apoſtolicæ in Jadrenſi, Spalatenſi, Raguſienſi, Antibarenſi, Durachienſi, Corfienſi, Patricenſi, Cretenſi, Corinthienſi, Thebanenſi, Athenarum &c. nec non Achayæ, Egei, Pelagi, utriuſque Albaniæ, Macedoniæ, Cephaloniæ, ac Romaniæ ſuperioris & inferioris provinciis, & inſulis, & partibus, civitatibus, & diœceſibus exemptis, & non exemptis; nuncius apoſtolicus, & collector generalis &c. fatemur habuiſſe, & manualiter recepiſſe a R. in Chriſto Patre & Domino Dom. Thoma D.i & Ap. Sed. gratia Epiſcopo Senienſi dante ac ſolvente nomine & vice ſui Epiſcopatus, ac totius diœceſis Senien. centum & nonaginta ducatos auri, quos ducatos CLXXXX. auri nomine Sanctiſſimi Domini Papæ, & ejus cameræ apoſtolicæ recipimus a ſupradicto R. D. Epiſcopo Senienſi prout ſupra. Quamobrem inſpecta paupertate loci, & totius cleri, ac R. Patris Dom. Epiſcopi, & ſui Epiſcopatus, auctoritate nobis a Sede Apoſtolica in hac parte conceſſa, abſolvimus præfatum Dominum Epiſcopum, & totam ſuam diœceſim per quinquennium a ſolutione decimarum, liberamus &c. De dictis ducatis 190. auri, quos nomine Summi Pontificis, & ejus cameræ a ſupradicto recipimus, facimus fidem, quietationem, & plenariam in perpetuum remiſſionem, ulterius non petendo, eo quia bene ac diligenter ſolvit debitum ſuum. In quorum omnium teſtimonium ac fidem præſens inſtrumentum fieri fecimus, & noſtri majoris ſolitique ſigilli ad majorem cautionem, ſive cautelam omnium præmiſſorum, juſſimus appenſione muniri. Act. Seniæ ſub an. Domini 1419. die 2. menſ. Julii, Indict. 12. Pontif. vero D. in Chriſto Patris, & Domini noſtri D. Martini divina providentia PP. V. an. 2.

GEORGIUS EP. SENIENSIS XVIII.

De quo Martinus Szentivanius parte 1. decadis tertiæ Rerum memorabilium Hungariæ: *Georgius Archipresbyter eccleſiæ S. Mariæ de Valmone, confirmatus 19. Februarii* 1418. Huic itidem anno Paullus Ritter Georgii Epiſcopatum Senienſem affixit. Uterque fallitur; ſiquidem Thomas an. 1419. ut ex Epiſcopi Argolicenſis litteris perſpici poteſt, & menſe Junio adhuc ſedem hanc epiſcopalem tenebat. Itaque Georgii initium epiſcopalem vel in finem hujus anni 1419. vel in annum proximum rejici oportet. Ne annum quidem pontificatum geſſit; nam in privilegio Sigiſmundi an. 1420. IV. Id. Auguſti nominatur *Thomas Segnien.* niſi forte quæ de Epiſcopo Argolicenſi ſub Thoma II. retulimus, ad Thomam III. pertineant, de quo mox; Thomas vero II. ante annum 18. obierit.

THOMAS III. EP. SENIENSIS XIX.

Abeſt a catalogo Szentivanii, in Ritteriano conjunctus eſt cum anno 1426. quo quidem anno VIII. Id. Decembris Nicolaus Comes Frangipanius, qui tum Seniæ rerum potiebatur, aureos ſexagenos in ſingulos annos legavit Capitulo Senienſi, ſub ea conditione, ut pro ſe quotidianum ſacrificium ſub auroram faceret.

Fium legatum Nicolai Comitis Frangipanii,

Nos Nicolaus de Frangipanibus Veglæ, Modruſſæ, Sechiæ, Vinodolii nec non Segniæ Comes, Regnorum Dalmatiæ, atque Croatiæ Banus. Univerſis, & ſingulis ad quos præſens pagina devenerit ſalutem, & ſynceræ dilectionis affectum. Notum facimus, & evidenter manifeſtamus, qualiter conſiderantes, quod brevis a natura nobis eſt vita, & memoria bene redditæ ſempiterna. Illa inquam eſt, qua vigebit memoria ſæculorum omnium, quam poſteritas alet, quam ipſa æternitas ſemper tuebitur, & huic inſerviendum eſt. Conſiderantes etiam quod eleemoſina ab omni peccato, & a morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras, ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit invenire vitam æternam, maxime faciens homo in vita ſua. Et conſiderantes, quod nulla eleemoſina prævalet Miſſæ, quæ plures habet effectus. Primus quia eſt medicina contra peccata mundana. Secundus ut lignum vitæ ſit in medio Paradiſi. Tertio ut Chriſtus nobis quotidie uniatur ſacramentaliter, & nos ei ſpiritualiter. Quarto ut apud nos ſit jugis memoria paſſionis Chriſti. Unde his conſideratis volentes providere animæ noſtræ in vita pariter, & in morte, pervenimus ad talem concordiæ pactum & conventionem, ſtipulatione vallatam cum Venerabilibus viris Canonicis, & præbendariis civitatis Segniæ, ipſis congregatis, & adunatis invicem ſono campanæ, ut moris eſt, de bona eorum voluntate, & concordia in hunc modum, & formam. Verum quod 4. Canonici cum præbendariis dicant, ac debeant celebrare Miſſam B. M. V. ad honorem, & omni die alta voce in aurora, & in perpetuum, quam Miſſam unus de dictis 4. Canonicis continuo debeat celebrare, alii vero tres Canonici & 4. præbendarii debeant reſpondere in dicta Miſſa, & ſtare, & cantare a principio dictæ Miſſæ uſque ad finem, & ſtare in choro induti cum cottis, & quod in qualibet Miſſa ille, qui celebrat, debeat dicere orationem pro ſanitate noſtra nominatim, nominando nos per orationem B. V. & hoc in vita noſtra; poſt mortem vero noſtram debeat dicere celebrans orationem mortuorum pro anima noſtra, ſimiliter nominando nos nominatim; & nos præfatus Comes Nicolaus pro remuneratione dictæ Miſſæ, & labore dictorum Canonicorum, & præbendariorum promittimus per nos, & hæredes, ac ſucceſſores noſtros dictis Canonicis & præbendariis dare, & ſolvere in pecunia numerata annuatim ducatos ſexaginta in auro, in quolibet Feſto S. Nicolai, hoc pacto, & condicione addita, quod ceſſantibus nobis ſolvere dictam quantitatem ducatorum 60. aut hæredibus noſtris ceſſantibus ſolvere, ſit licitum ipſis Canonicis, & præbendariis ceſſare a celebratione dictæ Miſſæ, ſine aliqua contradictione, aut pœna; promittentes dictæ partes una alteri, & altera alteri obſecundare, & attendere omnia ſupradicta, & adimplere per ſe, & ſuos hæredes, & ſucceſſores, & perpetuo firma, & rata habere, & in nullo contrafacere ſub pœna ſolidorum decem cuilibet Canonico, qui non intereſſet dictæ Miſſæ illi, quem tangeret, & ſub pœna ſolidorum quinque cuilibet præbendario, qui non intereſſet, quem tangeret intereſſe, applicanda Domino Epiſcopo Segnenſi. In quorum omnium teſtimonium, & evidentiam pleniorem, ac roboris firmitatem, has præſentes litteras ſupradictæ conventionis, & obligationis noſtri ſigilli impreſſione munitas eis duximus exhibendas in caſtro noſtro Idovikj anno 1426. *Indict. 4. die 6. menſis Decembris præſentibus teſtibus infraſcriptis: Rever. in Chriſto Patribus D. Thoma Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Segnenſi, Domino Patre Nicolao Epiſcopo eadem gratia Scardonenſi, Domino Joſeph Abbate S. Georgii de Liſacz dieceſis Segnenſis, me Joanne Capellano dicti Domini Epiſcopi*

Segnienſis, Joanne & Jacobo de Ruduchis, aliiſque teſtibus ad hæc vocatis, habitis, & rogatis. Idem Thomas III. nominatus etiam eſt in privilegio Sigiſmundi conceſſo virginibus cœnobii de valle Veſzprimienſi an. 1424.

CONRADUS EP. SENIENSIS XX.

Huic nullum quidem Ritterus, ſed Szentivanius 1426. annum adſcripſit. Verum hoc eodem anno VIII. Id. Decembris Thomas III. adhuc huic eccleſiæ præſidebat. Itaque intra finem hujus anni Thomas obierit neceſſe eſt; vel Conradus anno ſequenti Eccleſiæ Senienſis regimen ſuſcepit, qui altero pontificatus anno e vita migravit, vel ad aliam eccleſiam translatus fuit.

HENRICUS EP. SENIENSIS XXI.

Abbas S. Vincentii, ordinis S. Benedicti diœceſis Baſilienſis anno 1428. ut tradit Szentivanius.

THOMAS IV. EP. SENIENSIS XXII.

Hujus Epiſcopatus a Rittero & Szentivanio prætermiſſi fidem faciunt Tabulæ conſiſtoriales, quæ obitum Thomæ, & ſucceſſoris initium in annum 1432. conferunt; niſi forte hic Thomas idem fuerit ac Thomas III. de quo ſupra; & Conradus atque Henricus expungendi ſint. In privilegio Sigiſmundi an. 1431. *Segnienſis* eccleſia vacare dicitur.

Extat privilegium Martini Frangipanii Fratribus Franciſcanis Terſactenſibus conceſſum in hæc verba.

Nos Martinus de Frangepanibus divina miſeratione Segnæ, Vegliæ, Modruſiæque Comes. Univerſis ad quorum manus pervenerint Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis, præſentium & futurorum notitiam ad perpetuam rei memoriam. Significamus quibus expedit omnibus, quod nos divina gratia exiſtentes in bona ſanitate mentis noſtræ, una cum conſorte noſtra chariſſima Domina Urſia Comitiſſa, conſideranteſque, quod ſobole ex utero noſtro caremus, quam poſſeſſionibus noſtris relinqueremus hæredem. Elegimus pleno affectu, animo deliberato, ac tota voluntate habere ſub Deo Patre, & Chriſto ejus Filio, Beatam glorioſam Virginem Mariam, pro noſtra, hæredumque noſtrorum Patrona, & Domina, ipſamque ſpecialiter elegiſſe, eidemque nos tota devotione adſtringi. Sed quia affectus gloriam recipit, ad laudem omnipotentis Dei, & B. M. V. honorem, & Chriſtiani populi utilitatem, decrevimus ædificare a fundamento ædificium, & eccleſiam in honorem intemeratæ, & glorioſiſſimæ Dei genitricis Virginis Mariæ ob ſpem, & devotionem, quam eidem gerimus ſupradictæ eccleſiæ B. M. V. in diſtrictu Vinodol, prope caſtrum noſtrum vocatum Terſatt, in qua quidem eccleſia per nos conſtructa (ut jam dictum eſt) in honorem divæ Virginis Mariæ ad canendum laudes, & pſalmos omnipotenti Deo in remiſſionem peccatorum noſtrorum & pro ſalute animarum noſtrorum prædeceſſorum ſtatuimus, immo deliberando decernimus viros Deo devotos, Fratres Minores ordinis S. Franciſci de obſervantia Vicariæ Boſnæ, cui ordini ſpecialem gerimus devotionem, eidemque dictam eccleſiam commendare regendam, more aliorum monaſteriorum dicti ordinis & nunc, & perpetuis temporibus. Ut igitur ipſi Fratres in ipſo monaſterio degentes temporalibus ſubſidiis ſufficienter adjuti, liberius Deo ſerviant, & ipſius miſericordiæ pro ſalute animarum noſtrarum aſſiduis ipſorum orationibus valeant impetrare illis pro animæ noſtræ remedio, & omnium prædeceſſorum noſtrorum, poſſeſſiones noſtras ſub præfato noſtro caſtro Terſatt concedimus, ponendo metas, videlicet lapis triangulus in litore maris, & deinde aſcendens verſus partem orientalem ad primam ſemitam vulgariter vocatam Precrixich podgrez, deinde aſcendens per viam publicam ad ſecundam ſemitam vulgariter vocatam, Precrixich, deinde urget ad manum ſiniſtram, per viam publicam confinium ex boreali parte ad tertiam ſemitam in planitiis ſemper quidem aſcendens per viam publicam, per quam curribus ad caſtrum noſtrum Terſatt aſcenditur ad arborem vulgariter vocatam Koprivai; deinde per viam publicam ad angulum capellæ noſtræ S. Georgii penes caſtrum ex parte orientali, deinde directe deſcendens per montem incultum ad flumen, quæ quidem dividit Recham cum caſtro noſtro per medium fluminis, longitudinis triginta trium paſſuum, per medium laci maris verſus partem occidentalem, & deinde venit per lacum marinum ad meridiem, & terminatur in prima meta ſupradicta cum terra, & latitudine cannarum, ſeu ſtangarum Croatarum menſura, ſimul cum earum pertinentiis, terriſque, videlicet arabilibus, cultis, & incultis, agris, pratis, paſcuis, fœnilibuſque, ſilvis, nemoribus, vineis, aquis, aquarum decurſibus, molendinis, molendinorum locis, & generaliter cum quibuſcunque integritatibus, utilitatibus, uſufructibus, proventibus, & emolumentis qualitercunque vocatis, ſub earum, vel eorum venimentis, ad eoſdem ſeu eaſdem ſpectantibus, & pertinentibus debere, ſeu ſpectare, & pertinere præfato monaſterio Divæ Mariæ Virginis, fundato prope dictum caſtrum Terſatt, & Fratribus in eo familiariter Deo ſervientibus in perpetuam eleemoſinam dedimus, donavimus, adjudicavimus, & contulimus; ac dedimus inſuper dicto monaſterio vadum noſtrum, unum Molendinum, & unam ſtupam in fluvio Recha, nec non fœniles in valle dicta Draga, cum veris metis, & terminis ejuſdem, ſine aliqua diminutione, quæ ad nos ſpectabat. Ex quibus omnibus ſupranominatis poſſeſſionibus elegimus eſſe dotem dictæ eccleſiæ pro victu, & uſibus Fratrum ibi commorantium, ut pro reparatione, & utilitate eccleſiæ prænominata convertantur. Ante noſtrum ex hac vita deceſſum aliis dotationibus dictam eccleſiam dotabimus. Idcirco per præſentes legavimus, dedimus, & contulimus, confidentes de Salvatoris promiſſione, quibus ob ſui amorem relinquunt, pollicitus eſt reſtituere centena pro uno, & etiam vitam æternam daturum, ut etiam nos cohæredes facere dignetur, propterea ipſum Salvatorem Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum, & Juam benedictam Matrem Virginem Mariam, poſſeſſionum præfatarum tenore præſentium hæredes inſtituimus, creavimus, & fecimus, jure perpetuo, & irrevocabiliter. Imprecantes omnes, & eorum conſcientiam onerantes, quod huic noſtræ voluntati, donationique auſu temerario non contradicant, nec quiſquam minimum uſurpando, vel Chriſtum Dominum, & ejus Matrem exhæreditare præſumant, & ſi fecerint, tales temerarii cogantur reſpondere coram tribunali D. N. J. C. in die judicii; noverintque juſto divino judicio exhæreditandos de regno cælorum. Idcirco omnes tales, cujuſcumque ſtatus, conditionis, & præeminentiæ exiſtant, qui hanc noſtram donationem,

& con-

& conceſſionem infringere ſtuduerint, vel operam dederint, maledictionem, & indignationem Dei omnipotentis, B. V. M. Beatorumque Apoſtolorum Petri, & Paulli, & totius cæleſtis curiæ, nec non excommunicationem Summi Pontificis eo facto incurrant. Prohibentes autem, ut nulli Fratrum noſtrorum, aut nepotum, hæredumque eorum hanc donationem liceat violare, frangereque in perpetuum, ſeu quomodolibet impedire, cum & ex eorum voluntate, & conſenſu proceſſerit. Ut autem præfata donatio noſtra perpetuum robur, & firmitatem obtineat, præſens inſtrumentum fecimus, mandavimuſque ſub appenſione noſtri majoris ſigilli roborandum. Datum, & actum in caſtro noſtro Novi ſeptima Aprilis. Anno Domini milleſimo quadrigenteſimo trigeſimo primo. Indictione ſeptima.

JOANNES V. EP. SENIENSIS XXIII.

Joannes IV. de Dominis Ep. ad Eccleſiam Ancoitanam translatus.

Natus eſt Arbæ in civitate & inſula Sinus Flanatici ex antiqua, & perilluſtri familia *de Dominis*. Parentem habuit Andream Militem *de Dominis*; de quo Tabulæ conſiſtoriales. 7. *Kal. Decembris, anni* 1432. *proviſum eſt Eccleſiæ Signinæ vacanti per obitum D. Thomæ, de perſona P. quondam Andreæ militis de Dominis de Arbo, ad eamdem eccleſiam in conſiſtorio electi.* Monogramma P, niſi vitioſe ſcriptum ſit, declarat ei prænomen fuiſſe *Petri*, vel *Paulli* & appellatum eſſe *Petrum* vel *Paullum Joannem*. Hanc periocham actorum conſiſtorialium cave referas ad *Signinam* Eccleſiam in Latio; nam ab anno 1421. uſque 1441. nullus huic eccleſiæ præfuit vel Thomas, vel P, qui Thomæ in eam ſedem ſucceſſerit. Itaque in tabulis modo laudatis pro *Signina Segnenſis* legenda. Nec vero illum P diſtinguendum eſſe arbitror *ab Joanne de Dominis*, quem per hoſce annos Epiſcopum Senienſem fuiſſe conſtat, & quadriennio poſt ad Eccleſiam Anconitanam translatum. Vix annum triceſimum attigerat, cum Eugenius IV. Eccleſiam Senienſem ei decrevit ob ſingularem ejuſdem doctrinam & pietatem. Venetiis cum eſſet, conſuetudinem amicitiamque junxerat cum Ambroſio Camaldulenſi viro doctiſſimo, atque eruditiſſimo, cujus commendatio apud Eugenium Joanni profuit ad Senienſem Epiſcopatum obtinendum: id quod ipſemet Ambroſius teſtatum reliquit in deſcriptione ſuorum itinerum, ſive in Odeporico; dum enim 1433. intra finem mentis Junii Venetiis diverſabatur, *a nonnullis religionis ſtudioſis*, inquit, *viſitati affectu præcipuo ſumus, maximeque ab Epiſcopo Segnienſe, juvene piiſſimo, & quem Venetiis familiariſſime noveramus; & in cauſa Epiſcopatus ſui (nam nuperrime fuerat aſſumptus) illum & Pontifici Romano, & aliis quibuſdam commendaveramus.* Huic eccleſiæ ferme quadriennium præfuit; ejuſque regimine amotum idem Eugenius Pontifex Epiſcopum Eccleſiæ Anconitanæ præfecit anno 1436. ut docet Ughellus Tomo I. Ital. Sacr. *Joannes Epiſcopus Signinus translatus ad Anconitanam in locum Aſtorgii an.* 1436. *die* 1. *Martii*. Hic apud Ughellum itidem, ut in tabulis conſiſtorialibus Eccleſia *Senienſis*, vocatur *Signina*. Qui Venetam editionem Ughelli adornavit, huic loco hanc notam appoſuit: *Ughellus hunc* (id eſt Joannem) *dicit primum fuiſſe Signinum Epiſcopum. Verum de eo nullam inter Signinos Epiſcopos mentionem facit; ejuſque ovilis paſtoribus refert Jacobum Zancatum ab anno* 1435. *ad annum* 1443. Dum Joannes Anconitanam Eccleſiam regebat, ab Eugenio Legatus Sedis Apoſtolicæ miſſus eſt ad Albertum Imperatorem anno 1438. ut Ritterus in ſuo catalogo epiſcopali.

Sigiſmundus Imperator, idemque rex Hungariæ, & Bohemiæ intra finem anni 1437. obierat; Utriuſque regni hæredem reliquit Albertum ducem Auſtriæ generum ſuum, cui Eliſabetha filia Sigiſmundi nupſerat. Hic ſoceri morte vacantem imperii titulum accepit. Verum legatio Joanni Epiſcopo Anconitano tradita, non ad Albertum nominatim, ſed ad partes Hungariæ, atque ad Hungaros miſſa fuit, ut his ſacram adverſus Turcas expeditionem indiceret; id quod ipſamet Eugenii ad Joannem epiſtola declarat. Eſt autem hæc

Joanni Epiſcopo Anconitano Apoſtolicæ Sedis nuntio, & oratori, &c.

Cum te nuntium & oratorem noſtrum ad regni Hungariæ & nonnullarum aliarum regionum partes pro pace, & bono ſtatu ipſarum partium, & perſonarum in eiſdem degentium in præſentiarum perſonaliter deſtinemus, ac dudum illuſtris memoriæ Sigiſmundus Romanorum Imperator, dum ageret in humanis, ſæpius nobis inſtanter ſupplicaverit, quod cum Teucros, & alios infideles Chriſtiani nominis immaniſſimos hoſtes, utpote ipſi regno conterminos & confines, regnum ipſum ſæpe hoſtiliter invadere, perſonaſque regni ipſius captivare, bona prædicta, & clades varias regno ipſi, & perſonis inferre contingat in periculum regni, & perſonarum præfatorum, in ſcandalum fidei orthodoxæ, propterea vellemus ſibi, qui in oppreſſione dictorum infidelium exercitum congregare intendebat, favoribus noſtris aſſiſtere, ac tantis malis, periculis, & incommodis, quantum cum Deo poſſemus, de opportuno remedio providere, Fraternitati tuæ in dictis partibus, quoties te in partibus illis commiſſionis hujuſmodi officio fungente regem, qui pro tempore fuerit, ſeu barones, nobiles, & magnates dicti regni exercitum, ſeu expeditionem pro exterminio & expugnatione infidelium prædictorum parare contigerit, prædicationis Verbi, ac vivificæ crucis officium, præſentium auctoritate committimus, tibi injungentes, quatenus officium hujuſmodi juxta datam tibi a Deo prudentiam & virtutem per te, vel alios, quos ad id idoneos putaveris eligendos ſolerter exerceas fideles prudenter omnes, & ſingulos, quos ad eam rem utiles, & idoneos judicaveris, inducendo, ut ſuſcipientes cum reverentia ſignum crucis, ipſumque ſuis cordibus, & humeris affigentes ad reprimendum præfatorum Teucrorum & infidelium impetus viriliter ſe accingant &c. Dat. Bononiæ anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXVIII. Id. Januarii Pontificatus noſtri anno VII.

LUDOVICUS EP. SENIENSIS XXIV.

F. Ludovicus Ep. translatus ad Eccleſiam Forolivienſem.

Huic Piranum patria fuit, quod eſt oppidum Iſtriæ frequens ac nobile. Ad ſodalitatem Franciſcanam rigidioris obſervantiæ aggregatus, excellenti doctrina & virtutibus floruit. Illum Eugenius in ſedem Epiſcopalem Senienſem Joanni ſubrogavit, ut docet diploma Pontificium inſcriptum: *Dilecto filio Ludovico de Pirano el. Seignen. eccleſiarum utilitates &c. Dudum ſiquidem proviſiones &c. Poſtmodum vero Eccleſia Seignenſi ex eo vacante, quod Ven. fratrem noſtrum Joannem Anconitanum, tunc Seignen. Epiſcopum,*

licet

licet abſentem, vinculo abſolventes, eum ad Eccleſiam Anconitanam tunc vacantem auctoritate apoſtolica duximus transferendum, præficiendo eum illi in Epiſcopum & paſtorem. Nos ad proviſionem ipſius Seignenſis celerem &c. teque illi præficimus in Epiſcopum & paſtorem &c. Dat. Bononiæ an. 1436. IV. Id. Aug. anno ſexto. Senienſem Eccleſiam ſexto poſt menſe reliquit; & jubente Eugenio Pontifice ad regimen Eccleſiæ Forolivienſis in Aemiliam tranſivit; de quo Ughellus Tom. 2. Ital. Sacr. *Ludovicus, ſive Aloyſius de Pirano ord. Min. Epiſcopus antea Signenſis ſub Archiep. Jadren.* (Spalatenſi) *ad hanc eccleſiam translatus eſt anno 1437. die 12. Kal. Martii. Hic vir doctiſſimus unus fuit, inquit Vadingus, inter ſex diſputatores, quos Latini in Concilio Florentino adverſus Græcos deputarunt; & quidem Aloyſius magnæ opinionis in Concilio graviora munia ſubiit &c.* Sunt qui exiſtiment Ludovicum patria Forolivienſem fuiſſe, & familiam, in qua ortus eſt, *de Pirrano* cognominatam. Verum Vadingus, itemque Auctor Viridarii Seraphici, cum eum *de Pirano* vocant, ſatis declarant id cognomen non e familia, ſed ex oppido Iſtriæ, unde oriundus erat, deſumptum fuiſſe; alumni ſiquidem Franciſcanæ diſciplinæ, avito & gentilitio poſthabito, cognomen ſibi e ſolo patrio adſciſcunt.

NICOLAUS III. ET ANDREAS Ep. Senienſes XXV. & XXVI.

Nicolaus III. Ep. ad Arbenſem Eccleſiam translatus.

De utroque Vadingus Tomo V. Annal. *Factus eſt Epiſcopus Segnien. in Dalmatia ſub Archiepiſcopatu Spalaten. F. Andreas de Duratio, per translationem Nicolai ad Arbenſem 19. Calen. Aug.* 1443. Nicolai III. Epiſcopatus, niſi eſſet unius Vadingi teſtimonio cognitus, oblivione obrutus lateret; abeſt ſiquidem a Ritteriano, cæteriſque catalogis Epiſcopalibus. Hic ſex annos præfuit. Epiſcopatum Andreæ, qui poſt Nicolaum proximus fuit, Paullus Ritter conjunxit cum anno æræ vulgaris 1445. cujus initia Vadingus, & Auctor Viridarii Seraphici ad annum 43. ejuſdem ſæculi revocarunt. Fuit patria Dyrrhachienſis, vitæque inſtituto Franciſcanus ſeverioris diſciplinæ. Anno 1438. Provincialis miniſtri, & Sacri Inquiſitoris munere fungebatur in Dalmatia, ut docet Vadingus.

Andreas Ep. permutationem quorumdã locorum eccleſiæ perutile confirmavit.

Anno 1445. permutationem quorumdam locorum, quam Nicolaus Frangipanius cum Paullo Novakovichio ante aliquot annos fecerat, cum hæc utilis eccleſiæ videretur, Andreas Epiſcopus Canonicis conſentientibus, & approbantibus confirmavit. Nicolaus ſcilicet Paullo dederat quaſdam villas in Gatzka, & ab eo caſtrum Oſtrovizzæ in Licha acceperat, ſic tamen, ut Paullus ejuſque hæredes retinerent in hiſce villis privilegia, & immunitates, quibus in Oſtrovizza gaudebant.

Nos Frater Andreas de Durachio ord. Min. miſeratione divina Epiſcopus Segnen., & Sacræ Theol. Profeſſor, univerſis, & ſingulis has noſtras litteras præſentes inſpecturis, & quibus expedit ſignificamus, unanimiter, & concorditer cum Capitulo noſtro Segnenſi, quod cum venerandæ memoriæ magnificus, & potens Dom. Dominus Nicolaus de Frangepanibus Vegliæ, Segniæ, Modruſſiæque Comes divino munere illuſtratus pro felici ſtatu ſuæ domus, & augumento totius patriæ, ac utilitate Epiſcopatus noſtri Segnenſis, feciſſet permutationem cum nobili viro Paulo Novakovich de Oſtervicza . . . caſtro conſtituto in Lika, cum quibuſdam villis conſtitutis; & poſſeſſis in Gatzka diœceſis noſtræ Segnenſis, nomine Pamizak, & aliis duabus nuncupatis Podverh, cum aliis gratiis, libertatibus, privilegiis tam apoſtolicis, quam regalibus, & immunitatibus, quæ ipſi (Novakovichii) habebant, & quibus ipſi potiebantur, in illo dominio cum eſſent, tam ſpiritualibus, quam temporalibus ſecundum conſuetudinem illius patriæ, ac illius diœceſis, datam per ſereniſſimos duos reges regni Ungariæ, & confirmatam per Summos Pontifices, & per conſuetudinem approbatam, videlicet, quod quilibet nobilis ſit liber de decimis dandis, nec teneatur eas dare de proprio oreo, aut de propria dica, & eorum alio vocabulo . . . decimum Povas, mehik ac ultra addicendo, quod patriæ illius conſuetudo, in prædictis ſervat, ſpecialiter illius loci, de quo facta eſt permutatio, videlicet de Oſtervicza in Lyka. Nos vero cum Capitulo noſtro ſcil. Ven. viro presbytero Jacobo Stoprovich eccleſiæ noſtræ glorioſæ Virginis Mariæ de Segna Archidiacono, presbytero Pavopodivich Archipresbytero, Domino Georgio Spatoſich Primicerio, Dom. Georgio Kutona Canonico, & Vicario noſtro, Dom. Joanne Zuihovich Canonico, Dom. Simone Canonico, Dom. Girothiba, & Dom. Tuſizza Canonico prædictæ noſtræ eccleſiæ, & aliis eorum Fratribus ad hæc ſpecialiter vocatis, ut unuſquiſque juxta ſuam conſcientiam bene percunctaretur, & agnoſceret, ſi factum propoſitum & permutatio prædicti magnifici Domini eſſet bona, & utilis pro augumento, ſtatu, & honore iſtius patriæ, & iſtius Epiſcopatus, ac etiam ſi iſta talis permutatio eſſet per nos ex parte eccleſiæ acceptanda, conſentienda, & confirmanda, Qui omnes habito diligenti, & deliberato conſilio, ac matura deliberatione conſenſerunt, annuerunt, & confirmaverunt, atque laudaverunt talem permutationem cum omnibus, & ſingulis modis, pactis, conventionibus, & conditionibus ſuperius expreſſis, & annotatis, videlicet, quod nobiles viri Petrus, Nikolaus, & Khovak Novakovich, fratres, & eorum hæredes tenentes, & poſſidentes ſpecificatas villas ſub nomine permutationis habeant, & teneant cum benedictione Dei, & noſtra, & auctoritate noſtra, & noſtri Capituli aſſentimus, & conſentimus, immo aſſenſimus, & conſenſimus una cum Capitulo noſtro prædicto, ob reverentiam, & honorem magnificorum Dominorum noſtrorum Comitis Stephani, & Fratrum ejus, qui pro hac re ſæpenumero nobis ſupplicaverunt, ac etiam pro bono ſtatu iſtius totius dominii, & noſtri Epiſcopatus, quod eſt conſecutum ex iſta ſupra nominata permutatione. Ideo damus, & perpetuo duraturas concedimus prænominatis nobilibus pro ſe, & ſuis hæredibus quodcumque jus ſpiritualiter, quod illi habebant in Oſtervicza de jure & conſuetudine illius patriæ, ſeu regionis. Et primo quod ſint liberi in ſuo oreo (fortaſſis horreo) de decima; ſecundo quod decimum Jobagionem liberum ſibi valeant eligere, eo modo, quo ſi eſſent in Lyka, ſecundum illius regionis obtentas conſuetudines, & jura. In quorum omnium fidem, & teſtimonium has noſtras præſentes litteras fieri fecimus, noſtrique, & Capituli noſtri ſigillorum expreſſione muniri. Datum Segniæ in noſtro Epiſcopali palatio anno Domini 1445. die 25. men. Novembris Indict. 8.

Utilitas eccleſiæ ex hac permutatione in eo ſita erat, quod uberiores ex Oſtervicza, quam ex villis Gatzkæ proventus præceptura eſſet.

BAR-

BARTHOLOMÆUS EP. SENIEN. XXVII.

Bononiæ natus, atque in præclariſſimam Patrum Prædicatorum Congregationem receptus; vir excellenti ingenio, multiplici eruditione, eximia vitæ integritate atque ſanctimonia; quem Nicolaus V. anno circiter 1450. Epiſcopum Senienſibus dedit. Fr. Vincentius Maria Fontano in theatro Dominicano hæc de illo ſcripſit: *Eſt Segnienſis Eccleſia in Sclavonia ſub Metropoli Spalatenſi; cui ab Sede Apoſtolica datus eſt Epiſcopus P. F. Bartholomæus de Bononia, morum integritate, ſolidaque eruditione conſpicuus: vivebat anno* 1450. *Signienſem Eccleſiam* (ut Sigiſmundus Ferrarius ſcriptum reliquit in ſuis Commentariis *de Rebus Hung. provinciæ PP. Prædicatorum*) *F. Bartholomæus de Bononia multo tempore ſancte adminiſtravit*; tamen non ultra annum 1458.

NICOLAUS IV. EP. SENIENSIS XXVIII.

Hujus eccleſiæ poſſeſſionem adivit ante annum 1459. Illum ſiquidem hoc anno Stephanus Thomaſcus rex Boſinæ cum Epiſcopo Chanudienſi, & Stephano Frangipanio Legatum de Manichæis ſive Patarenis ex univerſo regno Bolnenſi expellendis, itemque de ſubſidiis adverſus Turcas poſtulandis ad Pium II. Pontificem Mantuam miſit, quo regum & Principum Chriſtianorum fere omnium legati convenerant, ut de bello cum Turcis gerendo ſtatueretur. Sed ab externis ad bella domeſtica converſis Principum ſtudiis, nihil perfici potuit; & Stephanus rex Boſinæ per ſummam perfidiam atque impietatem fœdus ſociale cum Mahomete conjunxit, quod ipſi exitio fuit. Poſt Nicolaum, Paullus Ritter in ſuo catalogo epiſcopali interregnum annorum amplius viginti tenuiſſe ait; ſed falſo, nam per eos annos Senienſem Eccleſiam adminiſtravit

MARCUS EP. SENIENSIS XXIX.

De quo Georgius Volfangus Chiolich, proximus ante hodiernum Epiſcopus Senienſis, in ſuo catalogo Antiſtitum Senienſium: *Marcus Fluminenſis, ordinis S. Auguſtini SS. Theologiæ lector, præſes Capituli provinciæ Bavariæ a Pio II. creatus Segnienſis Epiſcopus, a Paullo II. translatus ad Eccleſiam Tinienſem, legatus Matthiæ Corvini Hungariæ regis ad Pontificem Maximum.* Epiſcopatum ſuſcepit anno circiter 1462. & poſt biennium depoſuit, ad Tinnienſem Eccleſiam translatus.

PAULLUS EP. SENIENSIS XXX.

Paullus ex ordine Franciſcano rigidioris obſervantiæ, erat genere Boſinenſis, ut docet Auctor Viridarii Seraphici, quem eodem anno a Canonicis Senienſibus electum Paullus II. confirmavit. De illo Vadingus Tomo VI. Annal. *Electus eſt a Capitulo Sigien. ſub hunc annum* (1465.) *Epiſcopus Signien. in Iſtria ſub Archiep. Jadren.* (in Dalmatia ſub Archiep. Spalaten.) *per translationem Marci ad Tinien. Fr. Paulus de Boſna, & confirmatus eſt a Pontifice* 13. *Kal. Januarii.* Joannes Frangipanius, quæ ejus majores cœnobio & eccleſiæ Fratrum Eremitarum S. Auguſtini large effuſeque donaverat, non ſolum confirmat, ſed aliis donationibus auget.

Nos Joannes de Francapanibus Comes Vegliæ, Segniæ, Modruſiæ &c. Univerſis, & ſingulis præſentibus, & futuris, præſentia inſpecturis ſerie præſentis paginæ notum facimus, quibus expedit, & memoriæ recommendamus, quod a progenitoribus, ſive anteceſſoribus noſtris piæ recordationis fundata, ſeu donata ſit, & eſt eccleſia Sanctæ Mariæ in Pringis, magnificeque dotata, cum omnibus ſuis pertinentiis, ſcilicet decimis, villis, aquis, molendinis, metis, confiniis, ſylvis, paſcuis, in planis, in montibus, in pratis, & in hortis, quæ quidem eccleſia Sanctæ Mariæ eſt Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, cupientes igitur voluntatem fundatorumque progenitorum, ſive anteceſſorum noſtrorum, quam videlicet voluntatem ſeu fundationem veraciter, effectualiterque reperimus, ſeu invenimus non diminuere, ſed amplificare. Nos igitur ſupradictus Comes Joannes de Francapanibus ſupraſcriptum Conventum Fratrum Sancti Auguſtini & eccleſiam Sanctæ Mariæ in Pringis in omnibus donationibus, ſeu fundationibus, fundamus, dotamus, & affirmamus. Primo donamus, ſeu fundamus, dotamus, affirmamuſque perpetualiter villam in Zezaruph, villam parvam, quæ vocatur Obrovatz, villa, quæ olim vocata eſt Oititz portam apud viam publicam, quæ ducit Modruſiam, & villam, quæ dicitur Nagoruz prope eccleſiam Sanctæ Mariæ in Teſerin. Omnes ſupraſcriptas, ſeu nominatas villas in noſtris confiniis, ſylvis, aquis, rivis, molendinis, communitatibus, paſcuis, in planis, in hortis, & montibus, in montibus, & in ſylvis, in pratis, in ſiccis & in undibus, in omnibus pertinentiis eorundem, ad habendum, tenendum, & poſſidendum conventui ſupraſcripto Fratrum Eremitarum S. Auguſtini eccleſiæ Sanctæ Mariæ in Pringis. Nos etiam ſimili modo affirmamus, donamus decimam totam illam, quæ poſita eſt citra montem in parochia eccleſia Sancti Martini in Obrovi, & hoc noſtrum datum, fundatum, affirmatumque, ut ſuperius prænotatum eſt in omnibus, & ſingulis noſtris, dictum, & bona noſtra voluntate, non urgente aliqua neceſſitate, ſano corpore, & incolumi, etiam nos ſæpe ſupradictus Comes &c. de noſtro, ſeu noſtris bonis, poſſeſſionibus & introitibus propriis, donamus, dotamus, fundamus, affirmamuſque officium, quod dicitur Suppaniæ, quod officium prius erat in manibus ſæcularium. Nos vero dicto conventui, & eccleſiæ Sanctæ Mariæ ad habendum, tenendum, poſſidendumque, jure proprio, & irrevocabiliter, perpetualiter tradimus omne illud officium ſupradictum Suppanatus, quod eſt, ſive pertinet ad caſtrum ſeu dominium Pringenſe, & illud ſupradictum Suppaniæ debeat cedere media pars introitus monaſterio ſupranominato, altera vero media pars introitus Fratribus ejuſdem monaſterii, qui pro nunc, & pro tunc præſentes extiterint, ſub tali conditione, quod Prior una cum ſuis conventualibus, qui tunc præſentes aderunt, perpetuis temporibus ſint aſtricti, ſeu obligati unam Miſſam lectam in altari S. Bartholomæi pro defunctis &c. Altare poſitum eſt in medio eccleſiæ junctum ſepulcro genitoris mei, & prima collecta ſit pro genitore meo Bartholomæo ſcilicet: inclina Domine aurem tuam. Secunda: Quæſumus Domine pro tua pietate miſerere animæ famulæ tuæ Catharinæ. Tertia vero in generali ſcilicet: fidelium Deus omnium conditor, ſemel in hebdomada, & hoc Priori, & Fratribus ſuis conventualibus ad conſcientiam eorum ponamus & hoc noſtrum datum, affirmatum, ſeu ligatum a nobis,

nobis, ſive a progenitoribus noſtris, ut ſuperius prætextum. Et rogamus omnes ſucceſſores noſtros, ut inviolabiliter perpetuis temporibus illud ſine diminutione ſeu contradictione aliqua audeant, neque præſumant infringere. Nos vero ſupradictus Comes juro omnem meam poteſtatem ſeu authoritatem in omnibus villis, introitibus villanorum, & villanis totaliter, & integraliter manum noſtram excipimus, & abnegamus in magno, & in parvo quoque noſtro dicto, inſuper mandamus & præcipimus firmiter omnibus noſtris officialibus, & ſubditis, & ſignanter vice Comitibus, judicibus, Satnicis, aut cujuſcunque conditionis ſint, ut non præſumant ſe intromittere, neque in villis, neque de villanis, neque de bonis, & rebus villanorum, mobilium, & immobilium, ſicut Deo eſtis fideles B. Mariæ, & B. Auguſtino, & nobis, in primis diligendo Deum omnipotentem, B. Virginem Mariam, & B. Auguſtinum, nos, & noſtros anteceſſores, ut nullus audeat, neque valeat temerarie præſumere, violenter manum intromittere, nec contrarius eſſe donatum anteceſſorum noſtrorum, nam & manum infringere, ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit temerarie quod noſtri anteceſſores, & nos deliberavimus, & dedimus, Deus omnipotens, & B. Virgo Maria, & B. Auguſtinus, & omnes Sancti, & Sanctæ Dei vindicent illud in hoc Mundo in corpore, & in futuro ſæculo in anima & in die judicii nullam miſericordiam habeat a Deo omnipotente, niſi anima illius ſempiternis lamentationibus, & pœnis infernalibus interſit. Amen.

In cujus rei teſtimonium firmitatemque rebus, ſigillum noſtrum conſuetum apponi fecimus, ſeu muniri. Datum in noſtro caſtro Proringenſe Anno Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti MCCCCLXXVI. In die Nativitatis ejuſdem Domini Noſtri Jeſu Chriſti.

Sixtus IV. Indulgentias & privilegia eccleſiæ ac domui hoſpitali Senienſi S. Spiritus a Bonifacio IX. conceſſa confirmavit.

Indulgentias, & privilegia eccleſiæ & domui hoſpitali S. Spiritus Sixtus IV. confirmavit.

Sixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Paſtoris æterni, qui pro ſalute humani generis ſe in pretium immolare non abnuit, vices quamquam immeriti gerentes in terris, cunctos Chriſti fideles ad pia caritatis opera exercenda ferventer inducere ſatagimus, & iis, quæ pro animarum ſalute proficere noſcuntur, libenter cum a nobis petitur, apoſtolici muniminis adjicimus firmitatem. Dudum ſiquidem quondam Bonifacius VIIII. in ſua obedientia, de qua partes illæ tum erant, nuncupatus, cupiens ut eccleſia hoſpitalis S. Spiritus Segnen. &c. (hic inſertum eſt diploma Bonifacii IX. ſupra deſcriptum). *Quare pro parte cariſſimi filii noſtri Matthiæ regis Hungariæ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſionibus prædictis, ac omnibus aliis & ſingulis in dictis litteris contentis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori robur apoſtolicæ confirmationis adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati conceſſiones hujuſmodi, ac omnia & ſingula in dictis litteris contenta auctoritate apoſtolica tenore præſentium confirmamus & approbamus, plenumque robur obtinere decernimus, ſupplentes omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint. Nulli ergo omnino hominum liceat &c. Dat. Fulignei anno Incarn. Dominicæ 1476. 8. Id. Octobr. Pontific. noſtri an. VI.* Extat inſcriptio ſupra januam eccleſiæ S. Spiritus, in qua nominatus eſt *Paullus Epiſcopus* Senienſis; ſed nota chronologica eidem appoſita non cohæret neque cum Pontificatu Sixti IV. neque cum regno Matthiæ Corvini regis Hungariæ & Bohemiæ. Revocanda igitur eſt ad notas Chronologicas diplomati Pontificio ſubjectas, atque ad annum 1476. Inſcriptio eſt hujuſmodi: *Sixtus Summus Pontifex, regnante Sereniſſimo Principe & Domino noſtro Domino Matthia Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ &c. rege, tempore Domini Pauli Segnienſis Epiſcopi, mediantibus litteris & ſupplicationibus prælibati Sereniſſimi Principis, remiſſionem omnium peccatorum annuatim viſitantibus hanc eccleſiam S. Spiritus, conceſſam, per ejus prædeceſſorem Bonifacium IX. in Feſto Pentecoſtes confirmavit, & de novo remiſit, procurantibus Domino Blaſio de Beſca Canonico Segnienſi, & egregiis viris Gaſparo de Ponthe, & Ludovico de Perovich, ejus eccleſiæ rectoribus, anno Domini MCDXCVI. octavo Idus Octobris.*

Matthias rex Hungariæ Frangipaniorum erga Eccl. Senienſem liberalitatem & pium legatum confirmavit.

Ante aliquot annos Senia Frangipaniis adempta ſuberat imperio Matthiæ Corvini regis Hungariæ. Illos ſiquidem, cum dicto audientes non eſſent, Seniæ Principatu ſpoliavit. Comites Frangipanii pro ſua in Eccleſiam Senienſem pietate ac beneficentia, de proventibus quos e caſtro ac territorio de Knigina percipiebant, quinquagenos aureos ſingulis annis perſolvendos Epiſcopo & Capitulo aſſignaverant. Hanc piam Comitum illorum liberalitatem Matthias ſuo decreto ſancivit ac firmavit, qua tamen vel avaritia, vel iniquitate Præfectorum ærarii publici ſe fraudari Epiſcopus & Canonici apud regem queſti ſunt. Hic ergo annuam illam penſionem integram, ac ſine ulla diminutione iiſdem contribui juſſit, datis ad præpoſitum Eccleſiæ Albenſis ac prætorem Seniæ litteris, quæ ſunt hujuſmodi.

Matthias D. g. Ungariæ &c. rex fideli noſtro R. D. Præpoſito Eccleſiæ Albenſis, & Segniæ, ceterorumque caſtrorum noſtrorum gubernatori ſalutem & gratiam. Percepimus ex delatione fidelium noſtrorum R. Patris Domini Epiſcopi, & Capituli Eccleſiæ Segnien. qualiter illis 50. aurei, quos tempore Comitum de Frangipanibus pro eorum proventibus quotannis habuiſſent, & nos poſtquam civitas ipſa in manus noſtras deveniſſet, etiam tunc per factores noſtros ſemper reddi ordinavimus, a certis jam annis, eiſdem non eſſent reſtituti, propter quod in extremam inopiam deveniſſent; & niſi provideremus, ad unum uſque ex illa eccleſia diffugere cogentur. Quare ordinandum duximus, ut hujuſmodi 50. aurei eidem Epiſcopo, & Capitulo ex proventibus . . . de Knigina ſingulis annis ammodo in poſterum perſolvantur. Proinde fidelitatem veſtram requirimus, & eidem nihilominus ſtrictiſſime committimus, aliud fieri nullo modo volentes, quatenus hujuſmodi quinquaginta florenos de dictis proventibus ſine ulla penitus difficultate & renitentia, ac labore, & expenſis præfatorum Epiſcopi & Capituli, eiſdem ſingulis annis perſolvere debeatis, & teneamini; & hoc idem mandamus, & committimus etiam futuris Capitaneis illius civitatis noſtræ Segnien. præſentibus perlectis, exhibenti eas reſtituatis. Datum Viennæ in Feſto D. Cæciliæ Anno Domini 1485.

Anno ſiquidem 1485. Matthias degebat Viennæ; quam quidem urbem, dum bellum gerebat cum Friderico Imperatore, diu acriterque obſeſſam, tandem fame, & militarium commeatuum inopia laborantem, hoc eodem anno Kalendis Junii ad deditionem compulerat.

DO-

DONATUS & PAULLUS II.
Episcopi Senienses XXXI. & XXXII.

Donatum catalogus Ritterianus anno 1488. adscripsit, eique anno proximo Paullum subjecit. Si uterque retinendus est in catalogo Antistitum Senensium, utriusque pontificatum in eumdem annum 1488. conferri includique oportet. Nam initio anni sequentis, ut docent tabulæ Capituli Senensis, jam electus fuerat, & in diplomate Matthiæ regis Hungariæ, qui anno 1489. confirmavit immunitates ecclesiæ S. Mariæ *de Eors*, nominatur *Michael Segnien.*

MICHAEL EP. SENIENSIS electus.

Huic controversia fuit de decimis cum nobilibus viris de Gatzka; quod oppidum est satis frequens ac nobile cum territorio sane frugifero, inter duos amnes Gatzkam, & Licham, in extremis ad orientem confinibus diœcesis Senensis. Gatzkenses siquidem contendebant agros suos immunes esse, ac decimarum ecclesiæ solvendarum lege exemptos; sed cum tabulas nullas haberent, quarum auctoritate immunitas hæc niteretur, plerique illorum ab ejusmodi contentione destiterunt. Id constat ex actis quæ servantur in tabulario Capituli Senensis.

Controversia de decimis cum viris nobilibus Gatzkensibus.

In Christi nomine amen. Anno Domini 1489. *in die Circumcisionis Domini. Actum in loco Capitanei extra civitatem apud ecclesiam S. Spiritus Segniæ coram honorabilibus, & nobilibus viris Masio Chenedi Castillano Segnen. ac Osvaldo Castillano Ottociensi, ... Martino Judice Segnensi, Georgio Juvanich Judice, Gregorio Castillano in Starigad, Joanne Castillano in Novigrad, ac venerabilibus Canonicis &c. ac coram aliis quampluribus nobilibus & probis viris de Gatzka; ibique adfuerunt Mattko Novakovich, Petrus Pesarich, Micha Richania, Georgius Landar &c. Cum Rev. Dom. Michael electus Episcopus Segnen. fecisset sermonem coram nobilibus viris de Gatzka, & aliis, qui sub Episcopatu prænominato existunt, si haberent aliquas scripturas, aut libertates, ut ostenderent; inter quos multa verba & altercationes fuerunt. Tandem non habentes, quibus se defenderent, ac invenire possent, quod non deberent dictas decimas dare; se obligaverunt, & promiserunt quod velint eas decimas semper solvere, uti ceteri Christiani, excepto Mattko Novakovic, qui dixit se habere aliqua privilegia; & Dom. Episcopus promisit omnia velle observare honesta; & prænominatus Mattko dixit se omnia facere velle, quæ dominatio vestra voluerit tamquam Dominus; & Micha Richania dixit: Domine, ego semper dedi decimas, & in futurum semper solvam, ut præcipit S. Mater Ecclesia, uti dominatio vestra optime monuit.*

Habebat sane Mattko Novakovichius tabulas, quibus locorum & agrorum suorum immunitatem tueretur. Siquidem Paullus ejus parens, sive avus, castrum Ostrovizzæ cum tribus locis territorii Gatzensis commutaverat, salvis privilegiis & immunitatibus, quibus gaudebat dum Ostrovizzam possideret; idque sibi & suis hæredibus cautum esse voluerat, assentiente Nicolao Frangipanio, quo cum permutationem illam fecerat; eaque omnia Andreas Episcopus Senensis approbavit anno 1445. ut supra dictum est.

Idem Michael electi nomen retinebat anno 1496. in privilegio Uladislavi regis Hungariæ, in quo nominantur *Christophorus Modrussiensis, Michael electus Segnensis. Datum anno* 1496. Ab Sede Apostolica numquam approbatum fuisse oportet; quippe Alexander VI. anno 1493. alium Episcopum Senensibus dedit.

ANDREAS II. EP. SENIENSIS XXXIII.

Cognomen ei fuit de *Mutina*; & illum fuisse censeo, cujus episcopalia initia tabulæ consistoriales referunt ad sextilem mensem anni 1493. sed nomen tum illius, tum proximi decessoris ibidem desideratur. 1493. 9. *Augusti provisit* (Alexander VI.) *de persona D. . . . Segnensi ecclesiæ vacanti per obitum D. . . . illius ultimi possessoris.* Martinus Szentivanius parte prima decadis tertiæ Stephanum Episcopum Senensem sub Matthia Corvino rege cum anno 1492. copulavit. Sed Matthias ante biennium obierat. Stephanum si retinere velis, inter Michaelem & Andream interjicias oportet. Sed abest a catalogo Ritteriano. Uladislavus rex Bohemiæ post obitum Matthiæ regnum Hungariæ adeptus, annuam quinquaginta aureorum pensionem Episcopo & Capitulo solvendam, a Frangipaniis Dynastis constitutam, ab rege Matthia confirmatam, novo decreto sancivit anno 1495.

Uladislavus rex Hung. confirmat legatum Frangipanium.

Nos Uladislavus Dei gratia rex Hungariæ & Bohemiæ &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium significantes universis &c. quod nos tum pro salute, & refrigerio animæ nostræ, tum vero ut Episcopus & Capitulum Ecclesiæ Segniensis commodius se sustentari possit, ordinandum duximus, ut illi quinquaginta floreni aurei, qui in primis per Comites de Frangipanibus, de proventibus ipsius civitatis nostræ Segniensis, dum adhuc civitas ipsa apud manus eorumdem tenebatur, ac deinde etiam per Serenissimum Principem quondam Dominum Matthiam regem, ex taberna de Knegina vocata, dari consueti sunt eisdem Episcopo & Capitulo singulis annis, etiam modo deinceps perpetuis successivis temporibus ex eadem taberna de Knegina dari & exsolvi debeant, ita tamen ut idem Episcopus & Capitulum singulis diebus tempore auroræ pro hujusmodi quinquaginta florenis celebrare sint astricti deinceps, & sine omni intermissione atque negligentia continuare, & celebrari facere debeant, & teneantur, immo ordinamus præsentium per vigorem. Quocirca vobis fidelibus nostris Rev. in Christo Patri Dom. Sigismundo Episcopo Ecclesiæ Quinqueclesiensis moderno thesaurario nostro, & futuris etiam thesaurariis, nec non egregio Nicolao Horvath similiter moderno Capitaneo nostro Segniensi, & futuris etiam Capitaneis, & quibusvis officialibus nostris in dicta civitate nostra Segniensi pro tempore constitutis, harum serie firmissime committimus, & mandamus, quatenus amodo deinceps præfatos quinquaginta florenos auri in dicta taberna de Knegina, præfatis Episcopo, & Capitulo singulis annis sine intermissione & renitentia, dare, exsolvere, & administrare, darique & administrari facere modis omnibus debeatis, & teneamini, & aliud nullo modo facere præsumatis; præsentes autem, quas secreto sigillo nostro, quo ut rex Hungariæ utimur, pendenti communiri fecimus, post earum lecturam, reddi jubemus præsentanti. Datum Budæ in Festo B. Petri ad Vincula. Anno Domini 1495. *regnorum nostrorum, Hungariæ anno quinto, Bohemiæ vero vigesimo quinto.*

Seniam Frangipaniis ademptam usque ad annum

Senia reddita Frangipaniis.

num ſextum & nonageſimum ſæculi decimi quinti in ſua poteſtate retinuerunt Matthias, ejuſque ſucceſſor Uladislavus reges Hungariæ; nam hoc eodem anno 1496. ut eſt apud Ratkajum lib. 3. pag. 111. *Segniæ & Jaiciæ cura demandatur Ladislao Camiſiano Bano Croatiæ*. Uladislavus Frangipanios hoc ipſo anno in gratiam recepit, eildemque Seniam reddidit. Joannes Comes Frangipanius, avito principatu recuperato, nihil prius ſibi faciendum cenſuit, quam ut villas, decimas, proventus Epiſcopi & Eccleſiæ Senienſis aliqua ex parte diminutos in integrum reſtitueret. Extat ejus diploma anno 1497. datum Bryniæ, quod oppidum erat ditionis Frangipanicæ.

Joannes Frangipanius bona Eccleſiæ Senienſis reſtitui juſſit eaque ſuo diplomate communivit.

Nos Joannes de Frangipanibus Comes Veglæ, Segniæ, Modruſiæque univerſis, & ſingulis præſentibus, & futuris, præſentia inſpecturis. Serie præſentis paginæ notum facimus, quibus expedit, & memoriæ recommendamus, qualiter conſiderantes nos ſtatum animæ noſtræ, & aſtringente nos conſcientia noſtra, liberos facimus omnes reditus & introitus diœceſis Segnenſis Reverendo Domino Andreæ de Mutina Epiſcopo Segnenſi ſpectantes, & pertinentes, ſicuti ſunt decimæ, & villa Lucana nuncupata, cum omnibus ſuis introitibus tam præſentibus, quam futuris, & ex illis omnem manum, & omnem poteſtatem noſtram omnino abſtrahimus. Promittentes per fidem noſtram catholicam, & per conſcientiam noſtram, & per honorem noſtrum, hæc omnia ſupradicta inviolabiliter obſervare, & nullis modis in omnibus ſuis pertinentiis præfatum Dominum Epiſcopum moleſtare, nec perturbare. Et volumus, ut hæc noſtra voluntas, per omne noſtrum dominium, inviolabiliter ab omnibus ſervitoribus noſtris tam præſentibus, quam futuris obſervetur. Inſuper ſtricte præcipiendo mandamus omnibus noſtris officialibus, tam præſentibus, quam futuris, & ſignanter Vice Comitibus, Judicibus, Satnicis, aut cujuſcunque conditionis ſint, ut ſe præſumere non intromittant, neque in prædicta villa, neque de villanis, neque de bonis eorum, neque de decimis præfato Domino Epiſcopo ſpectantibus, & pertinentibus, & ejus diœceſi. In quorum omnium teſtimonio has noſtras præſentes litteras fieri juſſimus, & ſigillo noſtro pendenti roborari. Datum Bryniæ in die Apoſtolorum Philippi & Jacobi Anno Domini MCCCCLXXXXVII.

Bryniæ in oppido diœceſis Senienſis Comites Frangipanii cœnobium ære proprio ædificatum, & idoneis vectigalibus inſtructum, tradiderunt Patribus Eremitis S. Auguſtini, ſupremo illius dominio apud ſe retento. Comes Anzius ex eadem gente Frangipanica idem cœnobium pro jure ſuo ab Auguſtinianis ad Eremitas S. Paulli Anachoretarum parentis tranſtulit. Hinc lites & diſcordiæ inter Fratres utriuſque ordinis; quas ut ſedaret, idem Comes Anzius in poſſeſſionem ejuſdem cœnobii Auguſtinianos reſtituit, Paullinis non invite decedentibus.

Anzius Frangipanius cœnobium Brynienſe S. Mariæ Auguſtinianis Fratribus ademptum jubet reſtitui.

In Chriſti Nomine amen. Anno ab ejuſdem Nativitate 1497. Indict. 15. die vero ſecunda Maji. Actum in Comitatu Segniæ præſentibus nobilibus viris v. Chriſtophoro Chriſtolich, & Vito de Radichich, & Georgio Suoanzich civibus Segniæ, teſtibus vocatis, & rogatis. Ibique vir nobilis Martinus Ludovikovich ... Briniæ tanquam ſpecialis nuntius magnifici & potentis Dom. Dom. Anzi de Frangepanibus. Dixit quod ſuis primis annis elapſis ipſe magnificus Comes tanquam Dominus, & ille qui jus patroni habet Monaſterii B. M. a Brinis, ipſe Monaſterium a manibus Fratrum S. Auguſtini accepit, & Fratribus ordinis S. Paulli primi Eremitæ tradidit. Quapropter inter ipſos ordines multæ differentiæ, & lites ortæ fuerunt. Qui magnificus Comes cupiens ut ipſi ordines in pacifica & quieta dilectione permanerent, tanquam membra unius corporis videlicet eccleſiæ; dictum Monaſterium una cum omnibus juribus, & libertatibus ipſius antiquis, & conſuetis honorando Domino Fratri Joanni priori Monaſterii S. Auguſtini cis ... Fluminen. & Domino Fratri Matthæo de Brignis ad præſens priori ipſius Monaſterii B. V. una & nomine totius ordinis S. Auguſtini, prout publicis documentis conſtarunt, reſtituit, & in priſtinum poſſeſſum ipſos nomine quo ſupra inveſtivit, & eſſe in futurum voluit. Qui Frater idem, & Frater Matthæus nomine, quo ſupra, tunc fecerunt ipſi magnifico Comiti Anzio, nomine ſuo proprio & ordinis prædicti perpetuam fidem & quietationem de amplius ipſos aliqualiter, dicta dimiſſa, non moleſtare, nec moleſtari permittere, cauſa præfatarum diſcordiarum.

Redintegrata eſt controverſia de decimis inter Andream Epiſcopum & viros nobiles de Gatzka, ad quam dirimendam citati ſunt teſtes locupletes atque idonei ad fidem faciendam, utpote rerum antiquarum gnari ſcienteſque, qui omnes teſtimonium dixere ſecundum Epiſcopum. Hæ teſtificationes in tabulas referri juſſæ ſunt hujuſmodi.

Nobiles Gatzkenſes lege ſolvendarum decimarū teneri citati teſtes cōfirmant.

In Chriſti nomine amen. Anno Nativit. ejuſdem 1497. Martii die 21. Hi ſunt teſtes, qui teſtificati ſunt in conſcientia ſua ſuper controverſia inter Reverendiſſimum D. Andream electum Signien. & nobiles homines Comitatus Gatzka; & hoc fuit in cœmeterio Ottochaz; & huic teſtificationi noluit intereſſe Michael Porchuletus, ſed conceſſit, ut iſti teſtes interrogentur.

Dominus Martinus Peruſtinus dixit ſuper conſcientiam ſuam, quod hoc ſcit qualiter cum ipſo D. Michaele Epiſcopo componere ſolebant, & per hoc dabant pignora D. Thomæ Vicario, qui fuit officialis Michaelis Epiſcopi; & quod ipſe Epiſcopus Michael a regia majeſtate impetraverat quaſdam litteras, in quibus hoc continebatur, quod quicumque nobiles non ſolverent decimas, caderent ad pœnam marcharum 40. gravium in camera D. Regis.

Dixit Dominus Matthæus plebanus Dollenſis in ſua conſcientia, quod ipſe collegit decimas a nobilibus tempore Paulli Epiſcopi, ab omnibus, qui tunc temporis erant in Gatzka, excepto Novakovich, & Mateſſa Deſich, qui ſe compoſuit cum Presbyteris Ottochienſibus.

Dixit D. Presbyter Bartholomæus Paydazich in ſua conſcientia, quod ipſe hoc bene noſcit, qualiter & tempore Comitis Sigiſmundi, & poſtea quod nobiles de Gatzka ſolvebant decimas, & aliqui cum Epiſcopo componebant ſupra decimis.

Dixit Judex Gregorius Tonazich in ſua fide, quod ipſe recordetur Comitis Sigiſmundi, quod nobilis nullus erat in Gatzka liber a decimis; & quod Comes Sigiſmundus miſit ſuos homines ad prædia contra Novakovich, quia nolebat dare Epiſcopo decimas, & poſtea dixit ſe neſcire ſi dederit eas, & quomodo compoſuerit &c.

Paullus Ritter poſt Andream ſuo catalogo inſeruit Chriſtophorum anno 1498. eique annuum Epiſcopatum attribuit. Sed Chriſtophorus fuit Epiſcopus Modruſſenſis; an vero Eccleſiæ Senienſis Epiſcopo orbatæ adminiſtrationem ſibi

per

per eum annum commendatam habuerit, mihi non liquet.

MICHAEL EP. SENIENSIS XXXIV.

Pontificatum Senienſem anno 1499. ſuſceptum, biennio poſt voluntario deceſſu depoſuit.

JACOBUS EP. SENIENSIS XXXV.

Jacobus Ep. de juriſdictione ac decimis controverſiam habuit cum Epiſcopo Ottocienſi.

Natus eſt Seniæ, eique *de Blaſiolis* cognomen fuit. Hunc Alexander VI. Epiſcopum Eccleſiæ Senienſi præpoſuit, ut eſt in tabulis conſiſtorialibus. 1501. 20. *Aprilis providit de perſona Dom. Jacobi de Blaſiolis Eccleſiæ Segnienſi, vacanti per reſignationem, & abſolutionem D. Michaelis a vinculo & præfectura, quibus tenebatur dictæ eccleſiæ; reſervata ſibi . . . penſione tertiæ partis fructuum.* Anno primo ſuſcepti Epiſcopatus de juriſdictione ac decimis controverſiam habuit cum Vincentio de Andreis Epiſcopo Ottocienſi: qui quidem Epiſcopatus, ante aliquot annos repente & neſcio quomodo exortus, cum oppido Ottocazio, in quo ſedes epiſcopalis conſtituta fuit, partem haud exiguam ab diœceſi Senienſi divulſerat. Delecti ſunt arbitri, qui ex æquo & bono litem per compoſitionem dirimerent. Horum ſententiam & compoſitionem approbavit Uladislavus rex Hungariæ anno 1502. decrevitque ab rege & Summo Pontifice poſtulandum eſſe, ut poſt mortem Vincentii, Epiſcopatum Ottocienſem antiquari, & diœceſim Senienſem in integrum reſtitui jubeant. Extat decretum autographum Uladislavi in Tabulario Capituli Senienſis, unde hoc exemplum deſumptum eſt.

Per arbitros componitur, & compoſitionem Uladislavus rex confirmat.

Nos Uladislavus Dei gratia rex Ungariæ & Bohemiæ &c. memoriæ commendamus tenore præſentium ſignificantes quibus expedit univerſis; quod fidelis noſter Rev. in Chriſto Pater D. Jacobus Epiſcopus Eccleſiæ Segnen. majeſtatis noſtræ veniens in præſentiam expoſuit nobis in hunc modum; qualiter inter ipſum D. Epiſcopum, & Rev. Patrem Fratrem Vincentium Epiſcopum Ottocienſem ratione certarum decimarum ſive proventuum decimalium, & aliorum nonnullorum emolumentorum certæ lites & differentiæ in alteterutrum ortæ fuiſſent, & longo tempore ventilatæ; quibus quidem litibus ſive differentiis ipſæ utræque partes finem imponere volentes, eaſdem arbitrio & diſcuſſioni certorum virorum proborum, videlicet bonorabilium Joannis Kerlicza Archipresbyteri Pagenſis, Silveſtri Bedurich Archidiaconi in Eccleſia Segnenſi, & Fratris Pauli Prioris clauſtri Fratrum Prædicatorum in eadem civitate Segnenſi fundati ſubmiſiſſent. Qui quidem arbitri per partes electi litibus inter eaſdem partes ſubortis finem impoſuiſſent, & ad certos articulos pacis & concordiæ per eaſdem partes firmiter obſervandos, reduxiſſent; in hujuſmodique verborum ſuorum verificationem idem Dominus Epiſcopus Segnenſis exhibuit nobis, & præſentavit quaſdam litteras, ſive publicum inſtrumentum de manu & ſignato Gaſpari Turinis Presbyteri Segnenſis diœceſ. confectum, articulos & conditiones pacis & concordiæ in ſe continentes, & ſupplicavit majeſtati noſtræ præfatus Dominus Jacobus Epiſcopus, ut articulos ipſos ex inſtrumento illo publico litteris noſtris inſeri facere, atque eos pro utilitate, & futura quiete præattactarum Eccleſiarum Segnien. & Ottocienſis innovandos perpetuo valituros roborare & confirmare dignaremur. Quorum quidem articulorum continentia talis eſt. Quod R. Pater D. Vincentius Ottocien. Epiſcopus debeat habere liberas decimas civitatis & inhabitatorum Othocenſium, & ruſticorum ſuorum, & proventus, & emolumenta omnia; ac juriſdictionem plebanorum, & quorumcumque clericorum in diſtrictu Gatzka, Dabar, & Verbovina, ac medietatem decimarum omnium nobilium Ottocien. convincendarum opere & expenſis utriuſque partis, & quod Scriptores decimarum dicandarum, quilibet ipſorum debeat, & teneatur ponere, ſive conſtituere in parte ſua. Ita videlicet, quod Rev. Pater Dom. Epiſcopus Ottocienſis in Verbovina; & in reliquis reſiduis partibus Dom. Jacobus Epiſcopus Segnenſis. Item Rev. D. Epiſcopus Segnen. teneatur, & debeat ſolvere, & contribuere ſexdenos ducatos auri de expenſis faciendis in domibus conſtituendis de novo per Dom. Epiſcopum Ottocienſem uſque ad menſem Auguſti immediate affuturi; & quod communibus expenſis partes teneantur per nos ad Apoſtolicam Sedem ſententiam, ſeu arbitramentum dictorum arbitrorum facere confirmari; ſimiliter teneantur uniri facere perpetuo eccleſiam & Epiſcopatum Ottocienſem Segnenſi Eccleſiæ & Epiſcopatui Segnenſi, & obtinere ſuper hoc confirmationem noſtræ Majeſtat. & Summi Pontificis: & ſopiri facere debeant omnem proceſſum, & regiſtrum cauſæ, cauſis prædictis Romæ ventilatis. Nos igitur præmiſſa ſupplicatione præfati Dom. Jacobi Epiſcopi Segnien. per eum Majeſt. noſtræ, modo, quo ſupra, porrecta, regia benignitate exaudita, & clementer admiſſa, præſcriptos articulos & conditiones pacis & concordiæ per præfatos arbitros electos inter partes, præſcriptos & conceptos ex ſerie, & continentiis præſcripti publici inſtrumenti præſentibus litteris noſtris ſine diminutione, & augmento aliquali inſeri, & inſcribi fecimus; & in quantum iidem articuli, ita prout ex ſerie eorundem colligitur, de partium voluntate per ipſos arbitros concepti, præſcriptumque publicum inſtrumentum rite & legitime confectum extitit, laudamus, acceptamus, & approbamus, eoſdemque & omnia in eis contenta pro præfatis Eccleſiis Segnienſi & Ottocienſi, & ex conſequenti præfatis Dom. Jacobo, & Vincentio Epiſcopis earundem eccleſiarum, innovando perpetuo valitura ratificamus, & confirmamus, harum noſtrarum; quibus ſecretum ſigillum noſtrum, quo ut rex Ungariæ utimur, eſt appenſum vigore & teſtimonio litterarum mediante. Datum Budæ in Feſto Beati Demetrii Mart. Anno Domini 1502. regnorum noſtrorum Ungariæ anno 13. Bohemiæ vero 33.

Controverſia rurſus exorta inter nobiles Gatzkenſes & Epiſcopum de decimis.

Quamvis oppidum Gatzka cum ſuo territorio in jus ditionemque Epiſcopi Ottocienſis tranſierat, ut docet diploma Uladislavi; Epiſcopus tamen Senienſis jus non amiſerat percipiendi decimas ex agris & proventibus nobilium Gatzkenſium; qui rurſus litem redintegrarunt cum eodem Epiſcopo. Res delata eſt Budam ad regium tribunal; ab hoc delegata fuit ejuſdem cognitio *Paullo Palonitzio Canonico Archidiacono, & Vicario generali Modruſſenſi, & Michaeli plebano Brigniæ, & Vicario diœceſis Segnienſis*, qui pro Epiſcopo; & *duobus Vicariis de Lyka, & Buſania*, qui pro nobilibus Gatzkenſibus ex teſtimoniis gravium & prudentum virorum de cauſſa illa cognoſcerent, ſtatuerent, judicarent. Ac Vicarii quidem pro Epiſcopo delegati, cum aliis occupationibus cauſſiſque præpediti in rem præſentem venire non poſſent; pro ſe ſubſtituerunt

Capitulum Senienſe, ex quo Blaſius Baronizius Canonicus delectus eſt, qui vicem illorum præſtaret, & demandatam illis quæſtionem exerceret. Hic igitur anno 1505. primum Ottocii, deinde Seniæ, teſtes citari juſſit rerum & locorum peritos, præſertim ex Capitulo & clero utriuſque oppidi, & eos potiſſimum, qui ſuperiorum temporum conſuetudines & jura callerent. Hi omnes teſtificati ſunt viros nobiles de Gatzka ſolitos fuiſſe decimas ſolvere tum Andreæ, tum Michaeli, ſuperiori videlicet, & proximo ante Jacobum Epiſcopis, niſi quod *Jacobus Archipresbyter & Vicarius Ottocienſis* hujuſmodi ſolutione familiam Novakovichiam exemptam fuiſſe declaravit. Acta hujus cauſſæ, ac teſtimonia ſecundum Epiſcopum prolata ſervantur in Tabulario Capituli Senienſis.

Nobiles Gatzkenſes jubentur decimas ſolvere.

Cum Jacobus poſt unum ac fere alterum annum ab ejuſmodi actis & teſtificationibus elapſum, jus ſuum obtinere non poſſet; litteras regias ab Uladislavo impetravit, quibus Gatzkenſes jubebantur ſine ulla tergiverſatione quas Epiſcopo & Eccleſiæ Senienſi debebant, decimas perſolvere.

Decretum regis Uladislavi.

Uladislaus Dei gratia Rex Hungariæ, Bohemiæ &c. fidelibus noſtris univerſis & ſingulis nobilibus Comitatus de Grazka ſalutem & gratiam. Ex declaratione fidelis noſtri Reverendi in Chriſto Patris Domini Jacobi Epiſcopi Eccleſiæ Segnienſis accepimus: qualiter vos neſcitur quibus ducti reſpectibus illas decimas, quæ de bonis & poſſeſſionibus veſtris provenire deberent, juxta antiquam conſuetudinem ejuſdem Epiſcopatus, pro ut anteceſſoribus ipſius exponen. per prædeceſſores veſtros jure antiquo fuiſſent perſolutæ, uſque modo eidem exponenti ſæpius petenti reddere & perſolvere non curaſſetis, & non curetis etiam impræſentiarum, in damnum ipſius exponentis, diſpendiumque ſalutis animarum veſtrarum manifeſtum. Unde nos intellecta humili ſupplicatione pro parte ipſius exponentis nobis ſuper inde oblata, nolentes ipſum hujuſmodi proventibus ſuis decimalibus per quempiam veſtrum damnificari, volumus & mandamus fidelitati veſtræ & veſtrum cuilibet, harum ſerie firmiter, qualiter acceptis præſentibus, alio mandato noſtro ſuper inde non expectato, univerſas & ſingulas ejuſdem modi decimas de bonis & poſſeſſionibus veſtris, ut dicitur, jure antiquo provenire debendas, quas hucuſque eidem exponenti reddere & reſtituere recuſatis, quibuſque ſibi obligari dicimini, eidem exponenti, aut hominibus ſuis, præſentium oſtenſoribus juxta vetera privilegia & antiquas libertates ejuſdem Eccleſiæ Segnienſis, integre & ſine omni penitus exquiſita occaſione, reddere & perſolvere, reddique & reſtitui facere, ac decetero de futuris ſuis proventibus taliter ſibi reſpondere & ſatisfacere debeatis, ut ipſe exponens per amplius noſtræ propterea conqueri non cogatur majeſtati. Nam alioquin certi ſitis, quia nos de tali remedio providebimus, quo per unumquemque veſtrum mandata noſtra obſervabuntur. Aliud igitur nullo modo facere præſumatis, præſentibus perlectis exhibenti reſtitutis. Datum Budæ feria quarta proxima poſt feſtum converſionis B. Paulli Apoſtoli Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptimo.

Jacobus interfuit Concilio Lateranenſi.

Anno 1513. *Reverendus Pater Dominus Jacobus Signienſis* interfuit Seſſioni VI. Concilii V. Lateranenſis ſub Leone X. 27. Aprilis, itemque Seſſioni VII. 17. Junii. Fallitur ergo Paullus Ritterus, qui cum anno ſuperiori Romæ obiiſſe tradit. Poſt annum 1513. nulla Jacobi mentio in ſcriptis illorum temporum reperitur. Huic anno ejus mortem Romæ obitam adſcribendam eſſe arbitror. Exinde per annos circiter decem Eccleſia Senienſis Epiſcopo caruit, niſi forte Jacobi vitam uſque ad annum hujus ſæculi viceſimum perduci placeat, vel eidem Jacobo alium ſubſtitui Epiſcopum nobis ignotum.

FRANCISCUS EP. SENIENSIS XXXVI.

Ex ordine Franciſcano deſumptus eſt ad Eccleſiam Senienſem regendam anno 1520. ut docent tabulæ conſiſtoriales: 1520. *providit* (Leo X.) *Eccleſiæ Segnienſi in Dalmatia de perſona F. Franciſci ordinis Minorum*. Idem confirmat catalogus Ritterianus, qui eum patria fuiſſe Senienſem, cognomento *Sivkovichium* tradit: 1520. *Franciſcus Sivkovich Senienſis*. Ludovicus rex Hungariæ, rogatu Epiſcopi, & Capituli Senienſis privilegium Uladislavi patris ſui confirmavit, atque ex proventibus tabernæ de Knegina pecuniam a Dynaſtis Frangipaniis legatam, iiſdem perſolvi juſſit. *Nos Ludovicus Dei gratia rex Hungariæ, Bohemiæque, memoriæ commendamus tenore præſentium ſignificantes quibus expedit univerſis, qualiter pro parte, & in perſonis fidelium noſtrorum Rev. Epiſcopi & Capituli Eccleſiæ Signienſis exhibitæ ſunt nobis & præſentatæ quædam litteræ Sereniſſimi quondam Domini Uladislai genitoris noſtri fel. recor. &c.* Inſertum eſt diploma ejuſdem Uladislavi ſupra in Andrea II. deſcriptum, quod verbis ampliſſimis Ludovicus confirmavit.

F. Franciſcus Epiſc. ob contentiones de jure eccleſiaſtico juſtitium univerſale indixit.

Franciſco Epiſcopo cum quibuſdam Præfectis oppidorum diœceſis Senienſis multæ & magnæ contentiones fuerunt; ab his ſiquidem jura eccleſiaſtica violari exiſtimabat. Ut illis terrorem incuteret, juſtitium univerſale edixit, ſacram liturgiam intermitti juſſit, divina myſteria populis illis impertiri vetuit, nec ſolum illorum oppidorum, quibus illi præerant, ſed univerſæ diœceſis eccleſias cum ipſa æde cathedrali interdicto ſuppoſuit. Ita quamvis culpa paucorum eſſet, pœnam tamen in omnes derivavit: id quod graviter queſti ſunt apud Clementem VII. magiſtratus & cives Senienſes. Pontifex leniter blandeque Franciſcum admonuit, ut mitius ageret, atque interdictum ſaltem ad tempus revocaret; aut certe ab iis locis, a quibus abeſſet culpa, removeret; ad lites componendas non defuturam illi, ſi poſceret, auctoritatem operamque Sedis Apoſtolicæ. Extant litteræ pontificiæ in hæc verba.

Quod Clemens VII. revocari juſſit,

Clemens VII. &c. Ven. Fr. Franciſco Epiſcopo Segnenſi, vel ejuſdem Vicario. Ven. Fr. ſalutem &c. Conqueſti ſunt nobis per ſuas litteras & oratorem dilecti filii, judices & communitas Segnienſes, quod licet ipſi & tota tua diœceſis Segnien. cauſam nullam in hoc dederint; tamen fraternitas tua, cum nonnullis Capitaneis dictæ diœceſis controverſias habens interdum, non ſolum in Cathed. Segnien. ſed in pluribus aliis ſæcularibus & regularibus Eccleſiis Segnien. civitatis ac diœceſis interdictum appoſuit; eoque factum eſt, ut ipſi ſine Sacramentis, ſine eccleſiis, & divinis officiis fere Turcice vivant; ſupplicarique nobis propterea fecerunt, ut ſuper hoc opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos autem, cum a te, cujus æquitatem novimus, non temere factum judicaremus, ipſam interdicti relaxationem a te potius petendam, quam per nos

in

in tui præjudicium concedendam arbitrati ſumus; teque Vener. Fr. hortamur, ut nolis paucorum culpam ad univerſorum tuorum pœnam pertinere, cum nullæ hæ humanæ cauſæ ſatis juſtæ eſſe poſſint ad animarum ſalutem impediendam, divinumque cultum & honorem imminuendum. Cupidi itaque audiemus has noſtras apud fraternitatem tuam valuiſſe in ipſo interdicto, vel in totum relaxando, quod magis vellemus, vel ſaltem ad locum aliquem . . . aut aliquod tempus ſuſpendendo; ut interim controverſiæ veſtræ aliquo pacto componi poſſint; in quo neque noſtram auctoritatem, neque operam, ſi eam fraternitas tua opportunam cenſuerit, interponere deſinemus. Dat. Romæ die 27. Auguſti Pontific. noſtri anno tertio, Dominicæ vero Incarn. 1526.

& Franciſci cauſſam commendavit Archiepiſc. Strigonienſi.

Idem Pontifex eodem anno cauſſam Franciſci ſummopere commendavit Archiepiſcopo ac Primati Strigonienſi litteris ad eumdem ſcriptis, quæ ſunt hujuſmodi.

Clemens VII. &c. Venerabili Fratri Archiepiſcopo Strigonienſi.

Litteræ Pontificiæ.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Arbitramur Fraternitatem tuam pari, qua nos, moleſtia intellexiſſe Venerabilem Fratrem Franciſcum Epiſcopum Segnienſem, dum colonos & proventus ad ſuam eccleſiam ſpectantes, & ab iniquitatis filiis Gregorio Orbenchich, & Petro Croſich Capitaneis ſuæ diœceſis indebite occupatos, hactenus humaniter repetiit, & ob denegationem illorum ſuperbe interdictum in eccleſiis ſuis appoſuit; ut hac ſaltem via durities illorum emollita ad debitam reſtitutionem compelleretur: fuiſſe ab eiſdem Capitaneis ita indigne & contumelioſe habitum, ut illis in Eccleſiam Segnienſem cum magna armatorum manu convenientibus, & percuſſorem ſibi ſubmittentibus, ægre ſervatus ſit; inde ad tuæ Fraternitatis auctoritatem, juſtitiamque confugerit. Hæc, Venerabilis Frater, cum ſemper, & ubique impia & indigna ſunt, Epiſcopos, qui Sanctorum Apoſtolorum nomen & ſucceſſionem referunt, a ſuis præſertim ſpiritualibus filiis, & in Dei domibus eccleſiis violari; tum hoc præcipue tempore, atque ex illis locis a nobis minime expectata fuerunt; cum placanda nunc Dei ira ſit ingruentibus hoſtibus, non in violatione ſacrarum perſonarum, & locorum irritanda. Quare ſperamus Fraternitatem tuam, ex ſe ipſa, ſuoque officio, ac pietate, quam Deo & ſacro ordini epiſcopali debet, & habet, illi Epiſcopo in his opportune faviſſe, & eſſe fauturam. Tamen illam hortamur in Domino, eique amanter præcipimus, ut eidem Epiſcopo, & eccleſiæ tam inſigniter violatis ſatisfactionem canonicam per Dominos Capitaneos impendi, ac colonos & proventus ablatos, ſi & prout juſtitiæ fore cognoverit, reſtitui auctoritate noſtra cures, & mandes; & ne hujuſmodi zizania inimici opera ſeminata aliquando repullulent, illos Epiſcopum & Capitaneos, filioſque per concordiam & amorem inducere, patri, ac paſtori reconciliare ſtudebis: in quo placebis tu quidem nobis, qui pacem, & indemnitatem dicti Epiſcopi, & ejus eccleſiæ optamus (ut debemus); verum & officio, & conſuetudini tuæ, noſtræque de tua præſtanti pietate opinioni reſpondebis; & rem exequeris Deo omnipotenti imprimis acceptam, ſicut hæc latius nuntius iſthic veſter tuæ Fraternitati explicavit. Datum Romæ XXX. Auguſti 1526. Anno tertio.

Senienſes urbis obſidione a

Anno 1531. Senienſes cum ſibi a Turcis obſidionem urbis metuerent, ſuis viribus & Dominorum ſuorum opibus diffiſi, Romam oratores miſerunt, ut auxilia poſtularent, vel peterent, poteſtas ut ſibi eſſet paciſcendi cum Turcis, patriæque ſaluti quoquo modo conſulendi. Clemens VII. cenſuit Seniæ defenſionem tum Ferdinando regi Romanorum & Hungariæ per litteras, tum hujus apud Sedem Apoſtolicam legato commendandam eſſe, ut notatum reperio in Tabulis conſiſtorialibus. 24. *Julii* 1531. *lecta eſt petitio oratorum Segniæ civitatis, quæ Turcarum obſidionem jam jam expectat, & pro ea tuenda quingentos pedites pro ſex menſibus ſuppliciter petunt; vel cum impotentes ſint defenſioni, veniam concordandi cum eis. Fuit decretum Romanorum regi litteris, & oratori ſuo verbis reſpondendum eſſe &c.* Sed cum oratores vehementius inſtarent atque urgerent, celeritate opus eſſe ajentes, ne ſerum eſſet atque inutile auxilium; Pontifex iterum collegium Cardinalium convocavit, *die* 4. *Auguſti* 1531. *propoſuit cauſam vocationis Dominorum Cardinalium fuiſſe pro ſubventione fienda civitati Segniæ, pro qua oratores clamant, ut a Turcis defendantur.* Sed quid ſubſidii decretum, aut collatum fuerit Senienſibus, ſcriptum non invenio.

Turcis imminente ab Sede Apoſtolica auxilium petunt.

JOANNES VI. EP. SENIENSIS XXXVII.

Ex Arbenſi familia *de Dominis*, clara in primis, ac nobili, Senienſis Eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcepit anno 1537. ut docet Paullus Ritter, qui inter hunc & ſuperiorem Epiſcopum interjecit Franciſcum Joſephichium; cum non huic ille, ſed hic illi in ſedem Senienſem ſubrogatus fuerit. Solimannus rex Turcarum in Slavonia & Chrobatia plurima oppida jam ceperat; & poſt Cliſſam ſubactam, cupidine imperii Turcici propagandi uſque ad oram maritimam, ad Seniam occupandam ſpectare videbatur; quod hæc civitas ad regnum Hungariæ pertineret, cujus magnam partem, Buda urbe primaria potitus, ſub poteſtatem redegerat. Id veritus Ferdinandus, frater Caroli V. Imperatoris, rex Hungariæ, Seniam Frangipaniis Dynaſtis non invitis, quin ultro cedentibus adimendam cenſuit: horum ſiquidem opes acciſæ, ac diminutæ Turcarum potentiæ reſiſtendo non erant. Urbem igitur validiſſimis præſidiis firmavit. Celebre tum erat illorum nomen, qui poſtea Uſcochi vulgo appellati ſunt; quippe plurima & maxima damna Turcis inferebant, quorum indignati dominationem, alia atque alia loca quæſierant, ut liberi eſſent. Haud multis ante annis Cliſſam ſe receperant, eamque arcem ſumma virtute defenderant. Poſt Cliſſam amiſſam Ferdinandus Seniæ iiſdem ſedem attribuit eo conſilio, ut homines bellicoſi, & implacabili in Turcas odio, adverſus horum incurſiones tutarentur fines, atque ab urbe obſidenda barbaros averterent. Sed deinde ſive rerum inopia, ſive prædandi cupidine ſuadente, ab ſuo & majorum inſtituto deſciverunt, atque ad latrocinia declinarunt. Ita eccleſia & civitas Senienſis dominatu Frangipaniæ gentis exempta, patronos beneficentiſſimos amiſit. Joannes Eccleſiam Senienſem annos fere quatuor ſumma cum laude gubernavit.

Ferdinandus rex Hungariæ Seniam, Frangipaniis ſponte tradentibus recepit.

FRANCISCUS II. EP. SENIEN. XXXVIII.

Huic cognomen fuit Joſephichio. Anno 1541. Eccleſiam Senienſem regebat. Hoc ſiquidem an-

no Ferdinandus Franciſco Epiſcopo mandavit, ut cum quatuor Hungariæ Dynaſtis componeret controverſiam, quæ de confiniis erat Epiſcopo Zagrabienſi cum Joanne Comite de Zrinio, atque in apertum bellum cædeſque mutuas eruperat. Id tradit Nicolaus Iſthuanfius lib. 14. de Reb. Hungaricis. *Hoc tempore Simon Ep. Zagrab. controverſias habuit finium regundorum cum Joanne Comite de Zrinio, nec arbitris, nec judicibus derimendas. Hinc mutuæ injuriæ, ex quibus rapinæ, cædes, vaſtationes, incendia . . . Ferdinandus graviſſimo edicto promulgato, ambos ſub honoris atque exiſtimationis jactura, ab injuriis mutuo inferendis ſerio prohibuit; ſimulque Franciſco Joſephitio Epiſcopo Segnenſi, Georgio Frangipanio Slunii Comiti, Banffio Thaluciano, & Michaeli Ravennio Prætori Sclavoniæ in mandatis dedit, ut illos in mutuam priſtinæ concordiæ amicitiam reducerent. Quorum opera atque induſtria brevi, licet haud parvo labore, effectum eſt, ut captivis utrinque dimiſſis, pax firma inter diſſidentes componeretur.*

Ferdinandus pium legatum Frangipanium Capitulo Senienſi perſolvi jubet.

Anno 1544. Ferdinandus regiis litteris ad Joannem Lencovichium Capitaneum, ſeu Præfectum Seniæ datis aureos illos quinquaginta, quos Comites Frangipanii legaverant, Senienſi Capitulo ſingulis annis perſolvi tamdiu juſſit, quoad ſibi aliter viſum fuerit, & placuerit. *Ferdinandus divina favente clementia Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalm. Croat. & Sclavoniæ &c. rex ſemper auguſtus; infans Hiſpaniarum, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ &c. Marchio Moraviæ &c. Comes Tyrolis &c. Egregio fideli, nobis dilecto Joanni Lenkovich præſenti, ac futuris Capitaneis civitatis noſtræ Segniæ ſalutem ac gratiam noſtram regiam. Significamus vobis nos Venerabilibus, devotis, nobis dilectis N. Capitulo Epiſcopatus Segnen. clementer indulſiſſe, & conceſſiſſe, ut illos 50. aureos, qui olim a magnificis quondam Comitibus Frangipanibus in pios uſus fundati, & ex proventibus Kneginæ hactenus exolvi ſoliti ſunt, amodo in antea, (uſque ad noſtrum beneplacitum) ex prædicta Kneginа per vos annuatim accipere debeant, & poſſint &c. Dat. in arce noſtra regia Pragenſi, die 2. Menſis Januarii; anno Domini 1544. regnorum noſtrorum Romani 13. aliorum vero 18.*

Franciſcus a Senienſi ad Tergeſtinam Eccleſiam translatus.

Anno 1549. Franciſcus, cui *Ranzano* alterum cognomen fuit, Senienſem cum Tergeſtina Eccleſia commutavit, de quo Ferdinandus Ughellus Tomo V. *Franciſcus Ranzanus Dalmata ex Epiſcopatu Segnenſi ad Tergeſtinum translatus, eſt anno 1549. Paucos menſes hunc adminiſtravit; ſiquidem cum in ſuſpicionem veniſſet, in exilium pulſus, confectus mœrore vitam finivit.*

GEORGIUS II. EP. SENIENSIS XXXIX.

De quo catalogus Ritterianus. 1560. *F. Georgius Sivkovich Senien. Commendator Modruſſienſis; idem etiam anno 69. & 77.* Sed Georgii epiſcopale initium Spaderus ad ann. 1550. videtur referre, ſcilicet poſt Franciſcum Joſephichium a Senienſi ad Eccleſiam Tergeſtinam translatum. Cum Rittero conſentiunt alii Scriptores Franciſcani Petrus Rodulphius, & Auctor Viridarii Seraphici, ac Georgii Epiſcopatum anno 1560. VIII. Idus Februarii initum fuiſſe affirmant; ex quo fit, ut annos fere decem Eccleſia Senienſis Epiſcopo caruerit; vel ſi quis inter Franciſcum & Georgium interfuit, ejus nomen mihi non eſt compertum. Erat ex ordine Patrum Minorum S. Franciſci, eique alterum cognomen fuit *Xinchon*. Poſt Modruſſam a Turcis everſam Epiſcopos Modruſſenſes fere novem creatos invenio; qui exſules extorreſque ab urbe epiſcopali incenſa ac diruta, ut alio loco dictum eſt, titulo tenus eccleſiæ illi præfuerunt; & procuratio fere omnis dominici gregis in Patres Franciſcanos incubuit. Poſt annum circiter 1562. adminiſtratio Eccleſiæ Modruſſenſis demandari cœpit Epiſcopis Senienſibus, ac primum quidem tradita eſt Georgio Sivkovichio, deinceps aliis uſque ad annos priores ſequentis ſæculi, cum conjuncta eſt Eccleſiæ Senienſi. Anno 1562. cum Concilium Tridentinum redintegratum eſt, & anno proximo abſolutum, inter Epiſcopos, qui ſub Pio IV. poſtremis Seſſionibus interfuerunt, annumeratur *Georgius Ziſcovich Hung. ord. S. Franciſci de obſervantia Segnenſis*. Obiit anno circiter 1577.

Eccleſiæ Modruſſenſis adminiſtratio commendata eſt Epiſcopo Senienſi.

Georgius interfuit Conc. Tridentini ſub Pio IV.

NICOLAUS EP. SENIENSIS electus,

De quo Georgius Volphangus Chiolich in ſuo catalogo. *Nicolaus Ambroſiades Fluminenſis Sacroſanctæ Theologiæ Lector, Summus Orator ac Theologus, ad oras Dalmaticas & Adriaticas per omnia fere oppida celebratus; quem ob præclara merita & exantlatos labores Sereniſſimus Dux Styriæ & Carinthiæ, cui erat cariſſimus* (permiſſu Maximiliani Cæſaris regis Hungariæ) *ad Epiſcopatum Segnienſem nominaverat anno 1570. poſt deſignationem tamen ad cæleſtem patriam, ibidem majori honore conſecrandus æterna mitra, fuit evocatus, magna præbens exempla tolerantiæ ac diviræ conſolationis.* Si Nicolaus nominatus fuit Epiſcopus Senienſis anno 1570. ante hunc annum obierit neceſſe eſt Georgius Sivkovichius; ac proinde erraverit oportet Paullus Ritter, qui eum anno 1577. adhuc fuiſſe Commendatorem Modruſſenſem ſcripſit; niſi forte an. 1570. Nicolaus non *Epiſcopus nominatus*, ſed futurus Georgii ſucceſſor deſignatus fuerit.

GEORGIUS III. EP. SENIENSIS XL.

Ex Epiſcopatu Retinenſi ad Senienſem translatus eſt anno 1577. ut docet Ritterus in ſuo Catalogo. 1577. *Georgius Ritgert Epiſcopus Retinenſis Eccleſiæ.* Præfuit annos circiter ſeptem.

MICHAEL II. EP. SENIENSIS XLI.

Hunc elegit Rodulphus Imperator idemque rex Hungariæ, & regiam electionem approbavit Gregorius XIII. ut eſt in Tabulis conſiſtorialibus, 16. *Julii* 1583. *ad nominationem Sereniſſimi Cæſaris regis Hungariæ providit Eccleſiæ Segnienſi in provincia Spalatenſi per obitum Georgii ultimi Epiſcopi vacanti, de perſona religioſi viri Fr. Michaelis Pipercovich ord. S. Franciſci de obſervantia &c. & cum gratia &c.* Erat natione Dalmata, patria Cetinenſis, ut ſcriptum eſt in catalogo Ritteriano. 1583. *Fr. Michael Pipercovich de Cetina ord. Min. obſer. eligitur; idem anno* 1587. In diplomate Rodulphi anno 1583. confecto vocatur *Fr. Michael Biperkovics Segnien. & adminiſtrator Modruſien.* Hic cum ædem urbanam S. Viti more rituque epiſcopali luſtraret, ob cauſſam neſcio quam, non ſine gravi civium indignatione aliquot ſubſellia, quæ mulieribus aſſignata fuerant ex antiqua conſuetudine, per ſuos clericos efferri juſſit; reliqua vero

ut

Senienſes ob levem cauſſam anathemate feriit.

ut ipſi Senienſes, qui frequentes convenerant, amoverent, aſportarentque, per ſuum Archidiaconum e ſuggeſtu imperavit; abnuentes repugnanteſque inter ſollemne ſacrificium anathemate feriit, vetuitque ſacris intereſſe; abſcedere cum nollent, rem divinam intermiſit. Hæc ex epiſtola Senienſium ad Rodulphum Imperatorem ac regem Hungariæ, plena querelarum, cujus exordium eſt hujuſmodi.

Sacratiſſime invictiſſime Imperator
Domine Domine Colendiſſime.

Poſtquam annis elapſis V. S. C. M. &c. gratioſiſſime placuit eligere & nominare in noſtrum Epiſcopum Rev. Fratrem Michaelem de Cetina, quemadmodum per gratioſiſſimam commiſſionem Sereniſſimi Archiducis Caroli Dom. noſtri clementiſſimi gratioſe ſerioſeque nobis impoſitum fuit, dictum Reverend. in tali officio libenter excipere, omnemque illi debitum honorem & obedientiam præſtare, prout V. S. C. M. ex incluſa copia gratioſæ commiſſionis antedictæ clementiſſime videre poterit: eapropter nos omnes ſubito ſumma cum reverentia ad obediendum, prout nobis gratioſe commiſit, præſcriptum Rev. pro noſtro Epiſcopo libenter atque obedienter accepimus, cui ſemper majorem, quam potuimus, obedientiam reverentiamque præſtavimus. Cum autem, invictiſſime Imperator, rationi contrarium ſit, ut minores a majoribus, ſubditi a dominis, ſæculares ab eccleſiaſticis injuria afficiantur, ſed &c. non potuimus non recurrere ad benigniſſimam gratiam V. S. C. M. dicentes; Poſtquam &c. Factum Epiſcopi graviſſimis verbis & querimoniis exponunt; rogant ut amota ſubſellia in ſuum locum reſtitui, & anathema ſibi contra jus faſque inflictum revocari jubeat. Quid Rodulphus reſcripſerit, litteris proditum non invenio.

Eccleſia Senienſis a Spalatenſi ad Strigonien. Metropolitam migravit.

Anno 1587. cum Dominicus Foconius Archiepiſcopus Concilium provinciale Spalatum convocaſſet, Michael Senienſis Epiſcopus non legitur interfuiſſe; ex quo conjici poteſt jam tum Eccleſiam Senienſem ab ſuo antiquo & legitimo ad Metropolitam Strigonienſem deſciviſſe, cui quidem etiamnum ſubeſt, invitis quidem Archiepiſcopis Spalatenſibus, id tamen tacite ferentibus, cum repugnare neque audeant, neque poſſint. Ceterum Archiepiſcopi Spalatenſes in catalogo Epiſcoporum & eccleſiarum ſibi ſubjectarum retinent Epiſcopum & Eccleſiam Senienſem, ne de illius poſſeſſione omnino decidiſſe videantur.

BONAVENTURA EP. SENIENSIS XLII.

Oriundus ex Aquila urbe primaria Veſtinorum in Aprutio, Franciſcanæ ſeverioris diſciplinæ alumnus, idemque magiſter ac profeſſor ſacræ Theologiæ, Sixtus V. 8. *Junii* 1588. *ad nominationem Cæſareæ Majeſtatis providit Eccleſiæ in Illyrico Segnenſi per obit. Michaelis Epiſcopi ultimi, de perſona religioſi viri Fr. Bonaventuræ Aquilani ord. Min. de obſer. Sac. Theol. Lect. abſolvens &c. & gratis &c.* Patavii diem obiiſſe tradunt, altero poſt ſuſceptum Epiſcopatum anno ineunte, ideſt vergente anno 1589.

ANTONIUS EP. SENIENSIS XLIII.

Parentes habuit illuſtres ac nobiles, Joannem *de Dominis* Arbæ ortum ſtirpe antiquiſſima, ex privilegio Cæſareo *Comitem Palatinum*, & Mariam Dragam ex urbe & inſula Crepſa, æque clari generis feminam, & virtute eximia præſtantem. Philoſophiæ ac Theologiæ Patavii operam dedit, in eoque celeberrimo Gymnaſio Doctoris nomen & inſignia ſumpſit. Domum reverſus clericali militiæ adſcribi voluit, & in collegium Canonicorum cooptatus, Archipresbyteri titulum munuſque obtinuit. Cum Bonaventura Epiſcopus Senienſis diem obiiſſet, Rodulphus Imperator in ejus locum nominavit Antonium, de cujus ſingulari virtute, doctrina, prudentia, religione, ceteriſque virtutibus ad gerendum munus epiſcopale idoneis, præclarum teſtimonium accepit a Paullo Antonio Baduario Primicerio & Vicario generali Epiſcopi Arbenſis, quem de vita & moribus Antonii Pontificius apud Cæſarem Legatus interrogaverat, ut conſtat ex hujus litteris Pragæ datis XIII. Cal. Junii an. 1591. quæ in Tabulario Capituli Arbenſis aſſervantur. Poſt biennium nominationem a Cæſare factam Clemens VIII. approbavit, ut legitur in tabulis conſiſtorialibus. 1593. 1. *Octobris providit ad nominationem Cæſareæ Majeſtatis uti regis Hungariæ, Eccleſiæ Segnienſi in provincia Croatiæ vacanti per obitum Bonaventuræ de perſona Antonii, cum retentione compatibilium ad vitam, & Archipresbyteratus Arbenſis per ſex menſes;* valde ſiquidem proventus menſæ epiſcopalis decreverant, propterea quod Turcæ partem maximam diœceſeos Senienſis occupaverant; vix ut quinque caſtella ſub poteſtate regum Hungariæ remanerent, videlicet *Ottocatium*, utraque *Brynia*, *Proſor*, *& Lednice*; quæ a plebe Chriſtiana propemodum deſerta, præſidiarii milites inſidebant. Tres fere annos huic eccleſiæ magna cum laude præfuit. Anno 1596. cum Turcæ Cliſſam paullo ante a Chriſtianis receptam acerrime oppugnarent, Lencovichio Præfecto Seniæ & Chrobatiæ, cum Uſcochis & collectitiis copiis ad ferendum obſeſſis auxilium proficiſcenti, ſocium ſe adjunxit Antonius cum aliquot Canonicis, ut militum animos ad rem ſtrenue gerendam ſua præſentia, ſuiſque cohortationibus accenderet. Pugna commiſſa eſt, initio lenior, deinde vero acrior, omnibus utrinque copiis ac viribus in prælium connixis; prope erat ut Turcæ victi cæſique integram noſtris victoriam incruentamque relinquerent; cum agmen Uſcochorum, prædæ aviditate illectum, victoriæ curſum interrupit. Dum enim ad rapinam converſi ab ſuis ordinibus diſcedunt, crevere hoſtibus animi vireſque; & magno impetu in Cæſareanos illati, interfectis quamplurimis, reliquos in fugam verterunt. Antonius Epiſcopus, ut erat corpore obeſo, minuſque ad fugiendum expedito, cæſus in acie occubuit; & continuo deditio arcis facta eſt. Ita Cliſſa vix recepta, rurſus in poteſtatem Turcarum rediit.

Antonius Ep. a Turcis in acie cæſus.

MARCUS ANTONIUS EP. SENIEN. XLIV.

Natus ex fratre Antonii Epiſcopi ab Turcis interfecti, quem alii hujus fratrem conſobrinum, alii patruelem vocant. Dimiſſus e Societate Jeſu, in qua plures annos exegerat a Rodulpho Imperatore impetravit, ut ſedem hanc epiſcopalem Antonii conſanguinei ſui morte jampridem vacuam ſibi traderet. Sæculo decimo ſeptimo ineunte Sacerdotium Senienſe per nominationem Cæſaream ei collatum, cum adminiſtratione Eccleſiæ Modruſſenſis huic annexa,

M. Antonius de Dominis tranſlatus ad ſedem Arch. Spalaten.

Clemens VIII. approbavit, ut eſt in actis conſiſtorialibus. 1600. 13. *Auguſti providit ad nominationem Cæſareæ Majeſtatis, uti regis Ungariæ, Eccleſiæ Segnien. in Croatia vacanti per obitum Antonii de perſona M. Antonii de Dominis, & deputavit eumdem adminiſtratorem eccleſiæ & diœceſis Modruſſenſis, cum ejus adminiſtratio cum Eccleſia Segnienſi conjuncta eſſe conſueverit, & cum condonatione jurium cameræ & Sacri Collegii.* Huic illuſtre ſollertis ingenii, doctrinæ, prudentiæ teſtimonium tribuit Minucius de Minuciis Archiepiſcopus Jadrenus, qui in ſua de Uſcochis hiſtoria iterum, ac ſæpius mentionem hujus Epiſcopi Senienſis ſane honorificam fecit; ac præſertim operam ab eo navatam ad Uſcochos exterminandos, quamvis optato ſucceſſu caruerit, ſumme pere collaudavit. Nihil præterea de illius regimine eccleſiaſtico litteris proditum invenio. Duos annos eoque amplius Epiſcopatum Senienſem retinuit. Illum a Canonicis Eccleſiæ Spalatenſis expetitum ac poſtulatum, idem Clemens VIII. intra finem anni 1602. Archiepiſcopum Spalatenſibus dedit. Cetera quæ ad M. Antonium pertinent, repetenda ſunt ex hiſtoria Eccleſiæ Spalatenſis, ac Tomo III. Illyrici Sacri.

Deficit a Spalatenſi ac Strigonien. Metropolitam.

Defectionem Epiſcopi Senienſis ab antiquo ſuo & legitimo Metropolita Spalatenſi, M. Antonio attribuendam cenſeo, qui ut gratiam aulæ Cæſareæ magis ſibi magiſque conciliaret, ſe ſuamque eccleſiam in fidem ac poteſtatem Archiepiſcopi Strigonienſis contulit. Illam ſiquidem Stephanus Coſmus Archiepiſcopus Spalatenſis, rerum & privilegiorum eccleſiæ ſuæ diligentiſſimus inveſtigator, cum initio ſæculi decimi ſeptimi conjunxit. *Segnicenſis Epiſcopus*, inquit, *qui modo eſt etiam adminiſtrator Modruſſienſis, licet uſque ad initia hujus ſæculi veterem Metropolitam ſuum coluerit, ut in noſtræ cancellariæ, imo etiam ejuſdem Eccleſiæ Segnienſis actis apparet, & quod majus eſt, ex Bullis electionis ejuſdem Epiſcopi; a multo tamen tempore Archiepiſcopum Strigonienſem, uti Hungariæ Primatem adit, accedente politica ratione. Sed cum iſta ſit manifeſta juriſdictionis turbatio, eniten-dum eſt apud Sedem Apoſtolicam, ut jus ſuum Eccleſiæ Spalatenſi poſtliminio reddatur; quod & Segnienſes optant, ob majorem facilitatem itineris maritimi; nec ab eo fore alienum piiſſimum Imperatorem, ubi de rei veritate & juſtitia certior factus fuerit, ommino cenſendum eſt.* Ex ejus litteris ad Sac. Congreg.

MARCELLUS EP. SENIENSIS XLV.

Cognomento Marcheſius, de quo Martinus Szentivanius. *Marcellus Marcheſius Presbyter Bartonenſis diœceſis J. U. D. confirmatus 7. Januarii* 1605. Sed tabulæ conſiſtoriales hæc anno ſuperiori adſcribunt. 1604. 13. *Septembris providit Eccleſiæ Segnienſi cum adminiſtratione Epiſcopatus Modruſienſis per translationem M. Antonii vacanti, de perſona Marcelli Detruſenſis diœceſis J. U. D. cum retentione compatibilium, & officii ſcripturæ archivii Romani.* Ex catalogo Paulli Ritteri triennio poſt e vita migravit. Exinde Interregnum Epiſcopale ſex annos tenuit, ex eodem catalogo.

Interregnum Epiſcopale Senienſe.

VINCENTIUS EP. SENIENSIS XLVI.

Martena vel *Martini* cognominatus. Paullus V. 1613. 12. *Auguſti providit Eccleſiæ Segnien. in Illyrico vacanti per ob. Marcelli de perſona Vincentii Martena Presbyteri Licien. (ideſt Lichan.) ad nominationem Cæſareæ Majeſtatis, ut regis Ungariæ, in Sac. Theologia Doctoris.* Cum tabulis conſiſtorialibus conſentit Martinus Szentivanius: *Vincentius Martini magiſter in Theologia confirmatus* 12. *Auguſti* 1613. Oriundus erat e Licha, regione & oppido diœceſis Senienſis, vel Modruſſenſis. More majorum cum Senienſi pontificatu adminiſtrationem diœceſis Modruſſenſis conjunxit. *Vincentius Martena*, ut eſt in catalogo Ritteriano, *Likenſis, Commendator Modruſienſis.* Obiit anno 1617.

JOANNES BAPTISTA EP. SEN. XLVII. & Modruſſenſis XIV.

Natus eſt in oppido Fluminis S. Viti. Ex præſtantiſſima Patrum Eremitarum S. Auguſtini familia, in qua Theologici magiſterii lauream adeptus, Theologiæ docendæ præpoſitus, rerum divinarum ſcientiam alumnis ſui ordinis tradidit, ad gubernacula Eccleſiæ Senienſis acceſſit anno 1617. Urbano VIII. Pontifice Maximo. Sic enim ſcriptum reperio in tabulis conſiſtorialibus. 1617. 7. *Julii providit ad præſentationem Cæſareæ Majeſtatis Eccleſiæ Segnien. vacanti per obitum Vincentii Martena, de perſona F. Joannis Agalich ord. Eremit. S. Auguſtini, Sac. Theol. magiſtri & lectoris.* Anno 1624. Synodum diœceſanam in oppidum Briberii convocavit; in qua cum alia præclare conſtituta ſunt ad diſciplinam eccleſiaſticam reſtituendam, & Chriſtianæ plebis mores corrigendos, cultumque divinum augendum, tum vero actum eſt de recudendis libris liturgicis Slavonicis, quorum mira paucitas erat; nam quos ante annos fere octoginta in oppido S. Viti cudendos curaverat Joannes VI. de Dominis Epiſcopus Senienſis, eos magna ex parte vetuſtas conſumpſerat, vel certe pauciores erant, quam neceſſitas poſtulabat. Id negotii datum fuit P. Franciſco Glavinichio Franciſcano rigidioris diſciplinæ, qui Virginis Terſactanæ hiſtoriam a ſe compoſitam typis mandavit ann. 1644. ut vetuſtos & quam emendatiſſimos codices conquireret, ad quorum exemplar nova hujuſmodi librorum editio conformaretur. Hic Græcii cum eſſet, duos codices reperit, alterum Cyrillianis, alterum Glogoliticis, quos Hieronymianos vocant, characteribus conſcriptum, ſed hunc poſteriorem admodum recenti manu; cujus auctores fuiſſe ajunt duos parochos diœceſis Labacenſis peſte Luteriana infectos, qui cum nollent dimittere concubinas, Tubingam in Germaniam confugerant, & divinam Scripturam, ſacraſque precationes ad normam interpretationis atque dogmatis Luteriani in Slavonicum ſermonem converterant. Hunc Græcii clandeſtinis typis cudendum curarunt; ſed fraude ac malitia detecta, Carolus Archidux Auſtriæ exemplo quidem omnia comburi juſſit, ne in catholicæ fidei, populique Chriſtiani perniciem divulgarentur; autographum vero diligenter in arce aſſervari, occludique; quod deinde Pater Glavinichius permiſſu Cæſaris ſibi traditum Romam attulit diligentius cuſtodiendum, ne in vulgus emanaret. Altero Cyrilliano codice an curatores editionis Slavonicæ uſi fuerint, nec ne, mihi non liquet. Dum vero Joannes Baptiſta Epiſcopus in eam, quam dixi, cogitationem cu-

Synodum diœceſanam Briberii celebravit, in qua de libris liturgicis Slavonicis recudendis actum

ram-

ramque liturgiæ Slavonicæ typis consignandæ incumberet, ejus consilium conatumque Joannes Tomcus Marnavitius, qui tum Romæ versabatur, fuitque Episcopus Bosnensis, præclare apud Urbanum VIII. adjuvit. Pontifex siquidem tum Marnavitii hortatu, tum litteris Episcopi Senensis impulsus, Missale & breviarium Slavonicum, quod F. Raphael Levacovichius e familia Franciscana, quam maxima potuit cura ac diligentia emendaverat, opera & impensa Sacræ Congregationis de Propaganda fide Romanis typis committi jussit. Quapropter natio Illyrica ob hæc & alia multa beneficia atque ornamenta sibi ab Urbano collata, ut grati erga Pontificem de se optime meritum, memorisque animi monumentum perpetuum extaret, in æde urbana S. Hieronymi hanc epigraphen in tabula marmorea incidendam curavit.

Monumentum Urbano VIII. de natione Illyrica optime merito positum in æde S. Hieronymi.

Urbano VIII. P. O. M.
Quod Patris affectu complexus Nationem Illyricam, ACC. annis in hoc Templo, postea a Sixto V. a fundamentis Extructo congregatam,
Eidem congregationi tranquillitate reddita,
Domo S. Caii PP. M. Illyrici a fundamento excitata,
Baptisterio Constantini Imperatoris Illyrici illustrato,
Sacrorum Mysteriorum libris Illyricis purgatis,
Alumnis Illyricis Lauretano Collegio restitutis,
Immortalibus beneficiis affecerit,
Alexandro S. R. E. Cardinali Protectore
Eadem Natio grati animi hoc
Monumentum PP.
Anno Dom. MDCXXX.

Præfecti Comitum Zriniorum immunitati ac patrimonio ecclesiarum infesti, quos Petrus Patzmanus Archiep. Strigonien. deterret.

Plurima loca & castella in Dalmatia, sive Chrobatia, ac nominatim Vinodolium, quæ ad Comites Frangipanios pertinebant, jure vel dotali vel hæreditario ad Comites Zrinios pervenerant. Horum præfecti atque administri multa iniquæ avareque moliebantur, quæ bonis ecclesiarum, immunitatique ecclesiasticæ magnum detrimentum inferebant. Petrus Cardinalis Patzmanus Archiepiscopus Strigoniensis, idemque Primas regni Hungariæ, pro ea potestate, quam Metropolitæ Strigonienses jampridem in ecclesiam ac diœcesim Senensem usurpare cœperant, suum munus, suasque partes esse censuit, non solum admonere magistratus & Præpositos illorum locorum, ut ab hujusmodi iniquis & sacrilegis conatibus absisterent, sed etiam Joanni Episcopo imperare, ut in eos, nisi desisterent, censuris pœnisque ecclesiasticis animadverteret.

Nos Petrus miseratione divina TT. S. Hieronymi Illyricorum Presb. Card. Patzmani, Archiepiscopus Ecclesiæ Metropol. Strigonien. locique ejusdem Comes perpet. Primas Regn. Hungar. Legatus natus Sedi Apost. & Cancell. Sac. Cæs. Regiæque Majestatis &c.

Damus pro memoria, quod cum officio non solum ecclesiis, verum etiam Prælatis & Principibus incumbat ecclesiarum jura sacra tecta conservare; idcirco nos intelligentes nonnullos abusus ac defectus in locis maritimis ac Vinodola Dominorum Comitum Nicolai & Petri Zrinii circa res ecclesiasticas irrepere; Nos hisce litteris non solum jure tutario, verum etiam jure, quo fungimur, Primatiæ, & legationis apostolicæ, tollendos & abrogandos omnino constituimus. Primo intelligimus bona tam mobilia, quam immobilia curatorum, & aliorum ecclesiasticorum ex hac vita decedentium, per commissarios sive officiales Dominorum Comitum ad rationem eorumdem occupari, licet id non solum jure canonico, sed etiam peculiaribus regni Ungariæ legibus prohibitum esse constat. 2. Contra municipales Ungariæ leges, ac Sacr. Canonum præscriptum, manus injici in ecclesiasticas personas, easdemque a sæcularibus captivari, etiam in casibus a jure non concessis. 3. Licet aliquæ ecclesiæ adeo tenues habeant proventus, ut parochis vix quotidianum panem suppeditent, commissarios tum Dominorum Comitum, tum minorum etiam, illa bona, quæ a piis mortalibus pro animæ refrigerio ecclesiis donata & legata sunt, ad rationem Dominorum Comitum occupari velle. 4. Ecclesiastica bona sæcularibus misceri non debent, nec contra regni Ungariæ leges, ac jura canonica, ecclesiasticæ personæ gravari possunt; idcirco non solum diligenter monemus omnes & singulos DD. Comitum a Zrinio præfectos, commissarios, capitaneos, & officiales, ut ab hujusmodi violentiis & ecclesiarum oppressionibus deinceps omnino abstineant; sed etiam Rev. Domino Joanni Baptistæ Agalich Episcopo Segnen. & Modrussien. tamquam loci ordinario committimus ac mandamus, conscientiam ipsius in eo onerantes, ut ad hos & similes abusus diligenter attendat, & contra delinquentes censuris ecclesiasticis procedat, nosque identidem informare non intermittat; secus non facturus &c. præsentibus perlectis exhibenti restitutis. Dat. Buccari, die 3. Junii an. Dom. 1632.

Urbanus VIII. Patribus Dominicanis cœnobii Senensis S. Nicolai id privilegii concessit, ut quicumque illorum in templo ejusdem S. Nicolai rem divinam faceret ad altare B. Virginis pro expiatione cujusque animæ, quæ ex hac vita pie sancteque migrasset, eam omnibus, quibus constricta teneretur, pœnarum vinculis exsolveret.

Privilegium Patribus Dominicanis, ac templo Senien. S. Nicolai ab Urbano VIII. concessum.

Urbanus Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Omnium saluti paterna charitate intenti, inter tam multa pietatis officia, quæ nos pro munere nostro convenit exercere, sacra interdum loca spirituali privilegio insignimus, ut inde fidelium animarum saluti amplius consulatur. Quocirca ut ecclesia & domus S. Nicolai Segnen. ord. Fr. Prædic. duodecim ut minimum Fratrum Sacerdotum ibi Altissimo jugiter sacrificantium numero referta, nec simili usque adhuc privilegio decorata, & in ea altare B. Mariæ Virginis, quo non est majus, hoc spirituali dono illustretur; auctoritate nobis a Domino tradita concedimus, ut qua vice ab aliquo Sacerdote dicti ordinis dumtaxat Missa ad prædictum altare celebrabitur pro anima cujuscumque fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ipsa de thesauro ecclesiæ indulgentiam consequatur, quatenus D. N. Jesu Christi, & Beatissimæ Virginis Mariæ, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, aliorumque Sanctorum omnium meritis suffragantibus, a purgatorii pœnis liberetur. Dat. Romæ apud S. Petrum 6. Id. Febr. an. Dom. Incarnationis 1635. Pontific. nostri anno XIII.

Idem cœnobium S. Nicolai Joannes Baptista Ep. Patribus Eremitis S. Pauli attribuit.

Sed cum Patres Dominicani ob causas nescio quas cœnobium ac templum S. Nicolai deseruissent, Joannes Baptista Episcopus utrumque Patribus Eremitis Paullinianis attribuit.

Nos Joannes Baptista Agalich Dei & Apost. Sedis gratia Segnen. & Modrusien. Episcopus, S. C. R. M. Consiliarius, harum tenore præsentium notum facimus, quod nos indefesse satagentes & cupientes secundum pastoralis officii nostri exigentiam, ut quovis diœcesis nostræ loco non cesset in vinea Domini operarii, qui populum

lum Dei ad orthodoxæ fidei conſtantiam, pietatem, morumque probitatem ſalutariſſimo ſtimulantes exemplo hortentur, ut Deum cum civibus ſupernis colant & venerentur; advertentes non ſine cordis noſtri dolore, ob quorumdam religioſorum manifeſtam . . . & abſceſſionem, hic in noſtræ reſidentiæ loco, utpote in eccleſia Conventus S. Nicolai olim in magna veneratione habita, priſtinum illud devotionis fervorem, & divini cultus honorem, non ſolum deferveſcere, atque ſopiri, verum etiam ipſum clauſtrum extremam minari ruinam. Idcirco maturo cum Ven. Capitulo noſtro Segnenſi, nec non rectoribus, & judicibus præhabito conſilio, certis moti de cauſis, omnes unanimi conſenſu, poſſeſſore aut hærede nemine reclamante, operarios, qui divinum cultum juxta laudabilem conſtitutionum ſuarum, libertatum, privilegiorum uſum & conſuetudinem, in dicto Monaſterio augeant, promoveantque, evocare deliberavimus, ſcilicet Fratres ordinis Divi Paulli primi Eremitæ; quibus in præſentiarum, non ad ipſorum prorſus, aut alterius cujuſvis pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate omnes & ſinguli nomine noſtro, ſucceſſorumque noſtrorum, præfatum Monaſterium damus, conferimus, tradimus, & donamus, uti dedimus, contulimus, tradidimus, & donavimus Fratribus ordinis S. Paulli primi Eremitæ; ac tibi in primis Rev. Patri Joanni Pachicio ordinis ejuſdem procuratori generali perſonaliter coram nobis, vice & nomine totius ordinis comparenti, tuiſque ſucceſſoribus ex nunc jure perennali & irrevocabili, cum omnibus & ſingulis juribus, proprietatibus, commodis, utilitatibus, pertinentiis, adhærentiis, & munificentiis, quæ aut quas dictum Monaſterium, aut eccleſia habet, vel aliquo jure vel forma habere, aut habuiſſe dignoſcitur, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus. In cujus rei fidem & robur has ſigillo noſtro autentico communitas cum propria manus noſtræ ſubſcriptione dandas duximus. Datæ Segniæ in noſtra epiſcopali aula X. Martii anno 1646.

Eccleſiam Modruſſenſem quemadmodum ſuperiores Epiſcopi Seniæ, ſic etiam Joannes Baptiſta in fidem atque adminiſtrationem acceperat. Sed cum illius eccleſiæ, ac diœceſis, quæ magna ex parte ſub Turcarum tyrannidem ceciderat, Turcicæ ſervitutis jugo eximendæ nulla ſpes eſſe videretur; decrevit Urbanus VIII. Modruſſenſem cum Senienſi rite atque auctoritate apoſtolica conjungere ſic prorſus, ut altera æquo ac pari cum altera jure eidem Epiſcopo ſubeſſet, atque utriuſque titulum ſimul cum adminiſtratione unus idemque Antiſtes ſuſciperet. Quocirca cum antea publicis actis inſcribi ſoleret *Epiſcopus Senienſis & perpetuus adminiſtrator vel commendator Modruſſenſis Eccleſiæ;* Joannes Baptiſta, & quicumque in ejus locum deinceps ſucceſſit, appellari ſolitus eſt *Epiſcopus Segnien. & Modruſſen.* uti ſe ipſe appellat Joannes Baptiſta in litteris ſupra deſcriptis; cui præterea ejuſque ſucceſſoribus Imperatores iidemque reges Hungariæ titulum perhonorificum *Conſiliarii Regis* dederunt. Annos amplius triginta pontificatum tenuit; migravit e vita III. Kal. Novembris an. 1649. ac Terſacti in baſilica Mariana ſepultus eſt ante aram S. Petri, ut inſcriptio ſepulcralis lapidi inſculpta declarat.

Modruſſenſis cum Senienſi Epiſcopatu legitima conjunctio.

F. Joannes Baptiſta Agalich Fluminenſis, Sacræ Religionis Auguſtinianæ, Epiſcopus Segnenſis, hunc locum uſque ad noviſſimæ tubæ ſonitum adhuc vivens ſibi elegit; cujus anima ſit repoſita in faſciculo viventium,
Obiit 30. Octobris anno 1649.

ANDREAS EP. SENIEN. & Modruſſ. electus.

Joannes Baptiſtæ adjutor Fr. Andreas ex ord. Er. S. Paulli, ac poſtea Epiſc. Sirmienſis.

Joannis Baptiſtæ ante biennium, quam e vivis excederet, adjutor datus eſt, futuruſque ſucceſſor F. Andreas de Franciſcis ex ordine Eremitarum S. Paulli, qui nomen electi tres fere annos ſuſtinuit, ſuiſque litteris ſubſcriptus reperitur *F. Andreas electus Epiſcopus eccleſiarum Segnen. & Modruſien. canonice unitarum.* Buccari natus eſt, quod eſt oppidum maritimum Japidiæ, & diœceſis Senienſis ſeu potius Modruſſenſis; fere ſemper in domo paterna conſedit, niſi quod ſemel aut bis diœceſim luſtraſſe dicitur. Anno 1650. ad Eccleſiam Sirmienſem regendam tranſivit: de quo Paullus Ritter in catalogo. 1647. *Fr. Andreas Franciſci ord. S. Paulli* I. *Eremitæ electus, Petro Mariano ceſſit translatus ad Sirmienſem.*

PETRUS EP. SENIENSIS XLVIII. & Modruſſenſis XV.

Patria Fluminenſis, cognomento Marianus, ex familia illius oppidi honeſta in primis & copioſa. Petrum Ferdinandus III. plurimi faciebat, cujus induſtria & prudentia in plurimis & maximis rebus experta illi & perſpecta fuerat, cum ejus conſilium atque operam in Hungaria ad graviſſima eccleſiæ ac regni negotia expedienda ſæpe adhibuerat. Mortuo igitur Joanne Baptiſta Epiſcopo Seniæ ac Modruſſæ, translatoque Andrea ad Eccleſiam Sirmienſem; neminem Petro præferendum cenſuit, quem utriuſque illius Eccleſiæ Epiſcopum nominaret. Poſt nominationem anno 1650. ab ſe factam, duos fere annos illum in Hungaria detinuit, ut quæ eidem de rebus publicis & eccleſiaſticis mandata dederat, exſequeretur & conficeret. Anno 1652. regiis litteris commendatitiis inſtructum, ornatumque ad Senienſes miſit, quos comonefecit de voluntaria ceſſione Andreæ Franciſci, ejuſque ad Eccleſiam Sirmienſem translatione; ſimulque admonuit, ut Petrum tamquam legitimum Epiſcopum agnoſcerent, reciperent, colerent, eique ad omnia ſe obſequentes præberent.

Ferdinandus III. litteris commendatitiis ad Senienſes miſit Petrum Epiſcop.

Nos Ferdinandus III. D. g. electus Rom. Imper. ſemp. Auguſtus, ac Germaniæ, Ung. Bohemiæ, Dalm. Croat. Slavoniæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ &c. Memoriæ commendamus tenore præſentium ſignificantes quibus expedit univerſis, quod licet fidelis noſter Reverend. Petrus Mariani Epiſcopus Segnen. & Modruſſien. ac Conſiliarius noſter, ab annis hinc aliquot in aliis nobis cognitus muniis & officiis exercendis in regno noſtro Ungar. non ſine emolumento & fructu eccleſiæ Domini detineretur; cum tamen ita exigente præſenti Epiſcopatuum ſuorum ſpirituali neceſſitate, juxta priorem datam ſibi a nobis de Epiſcopatibus prædictis nominationem & inſtallationem cum omnibus ſuis juribus, & emolumentis ſpiritualibus & temporalibus ubilibet conſtitutis, & ad Epiſcopatus præmentionatos Segnien. & Modruſſien. pertinentibus, ſpecialiter autem ad Archidiaconatuum Segnien. & Modruſſien. Canonicatuum, aliarumque minorum & majorum

jorum dignitatum, officiorum &c. in eiſdem partibus juxta morem dicti regni noſtri Ung. conferendorum facultatem, remittendum, & reſtituendum duximus; non obſtante eo, quod interea Rever. Fr. Franciſci electus ad præſens Epiſcopus Sirmien. Epiſcopatus præfatos gubernaverit, quorum jus omne, quod qualitercumque in prædictam adminiſtrationem & manutentionem habuiſſet, majeſtati noſtræ plenarie, & in perpetuum, & nulla ſibi ulterius reſervata prætenſione reſignaverit, prout etiam reſignavit de facto, & cum effectu. Quocirca vobis honorabilibus Capitulo Eccleſiæ Segnien. aliiſque tam eccleſiaſticis, quam laicis utriuſque diœceſis Segnien. utpote & Modruſſien. harum ſerie firmiſſime committimus, & mandamus, quatenus prædictum Petrum Mariani, & neminem alium pro vero & legitimo Epiſcopo deinceps habere, & recognoſcere, eidemque obedientiam, & reverentiam exhibere debeatis, & teneamini; ſecus non facturi &c. præſentibus perlectis exhibenti reſtitutis. Datum in noſtro caſtro Luxemburg 18. Maji 1652.

Idem Ferdinandus quoſdam viros religioſos coerceri ac puniri juſſit.

Ante aliquot annos viri quidam religioſi injuſſu Præſidum ſuorum in diœceſim Modruſſenſem immigraverant, & prorſus obliti ſollemnis ſacramenti, quo ſe Deo divinoque famulatui devoverant, negotiis ſæcularibus ſe immiſcebant; neque verebantur ad ſervilia miniſteria ſeipſos abjicere: id quod tum ipſis, religioſæque profeſſioni ſummo dedecori, tum populis illarum partium magnæ offenſioni erat. Horum opera Præfecti atque adminiſtri Comitis Nicolai Zrinii, oppidis ac territoriis Vinodoli & Buccari præpoſiti, ad res ruſticas curandas, & vectigalia Dominorum ſuorum exigenda per ſummum ſacri ordinis contemptum abutebantur. Iidem vero in obeundis miniſteriis ſibi injunctis, neque bonis eccleſiarum, neque clericis illorum poſſeſſoribus, neque immunitati eccleſiaſticæ parcebant; omniaque miſcentes ſacra & profana, temere audacterque ſacroſancta eccleſiæ jura violabant. Cum Joannes Baptiſta Petri deceſſor, ut ſacrilegis eorum conatibus obſiſteret, opem regiam ac Cæſaream imploraſſet, Ferdinandus Imperator per ſuas litteras anno 1646. XI. Kalen. Decemb. imperaverat Præfecto generali totius Chrobatiæ, ut Epiſcopo ad coercendos puniendoſque illos eccleſiaſtici juris violatores ſuam operam auxiliumque præſtaret.

Ferdinandus. Non poſſumus tibi celare, quod nobis relatum fuerit, quoſdam vagantes religioſos in diœceſim Segnien. (utpote quæ Italiæ vicinior eſt) abſque licentia ſuorum ſuperiorum venire, & mihi ſub territoriis ſæcularium certa officia & munera ſuſcipere, ſub quorum prætextu non modo miſerum vulgum male tractent, ſed & aliis ſcandaloſam, & malam vitam agant, alioſque ſacerdotes ſeducunt. Quoniam autem hoc nullo modo ferendum eſt, ſed potius decentem inſpectionem habere, & demonſtrationem adhibere oportet, atque diœceſano ſeu ordinario loci, merito omnis aſſiſtentia, & auxilium præſtandum. Itaque mandamus & præcipimus clementiſſime, ut tu ad decentem inſtantiam & provocationem Epiſcopi Segnien. vel alterius loci ipſius illi brachium ſæculare, ad cohibendos & puniendos ſimiles religioſos, in tuis tibi ſubjectis diſtrictibus & territoriis, abſque ulla contradictione ſubminiſtres, ut & alias omnem decentem aſſiſtentiam & opem feras, ut ille in hujuſmodi & tales religioſos ad qualitatem & circumſtantiam facti juxta ordinarium proceſſum procedere, atque hoc malum prout decet cohibere, & impoſterum eo facilius impedire poſſit in hoc &c. Datum Poſonii 21. Novembris anno Dom. 1646.

Huc addi poſſunt duæ aliæ epiſtolæ contra quemdam Fratrem ſæcularibus & illicitis miniſteriis operam dantem, altera Internuncii Apoſtolici apud Ferdinandum, altera ipſius Ferdinandi ad Nicolaum Zrinium.

Epiſtola legati apoſtolici ad quemdam Fratrem.

Camillus Meltius Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Capuanus, Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Dom. noſtri, Dom. Innocentii divina providentia Papæ Decimi, ac ejuſdem S. Sedis Apoſtolicæ apud Sacr. Cæſar. Majeſtatem Ferdinandi tertii in Imperatorem electi, nec non per Germaniam, Hungariam, Bohemiam, Auſtriam, Styriam, Carynthiam, Croatiam, Carnioliam, Goritiam, univerſumque Imperii Romani diſtrictum, cum facultate legati de latere nuntius. Noveritis, qualiter ex relatione multorum fide dignorum, nec non ex ſcripturis in actis noſtris exhibitis ad notitiam noſtram pervenit, qualiter tu Fr. Franciſce Coſmi de Moleamo ordinis Min. Conventualium S. Franciſci tranſmiſſus olim ab Italia in partes ſuperiores Hungariæ, ut ibidem propagandæ fidei catholicæ operam dares, non ſolum miſſionem tuam non adimpleviſti, verum etiam refrigeſcente charitate, & mutato ſpiritu, cœpiſti adhærere Domino Comiti Nicolao a Zrinio, ejuſque res temporales, præſertim in partibus maritimis Modruſien. diœceſis adminiſtrare, & poſtmodum in toto præmiſſi Comitis dominio generalem præfectum bonorum agere, ea tamen irreverentia adverſus Epiſcopum ordinarium illius territorii, nec non ea ſævitia adverſus eos homines præſertim pauperes & ſubditos, atque eo contemptu & uſurpatione adverſus perſonas & bona eccleſiaſtica, & demum iis moribus & vitæ relaxatione, ut omnibus iis populis ſcandalo & formidini, nec non tuæmet ipſi religioni opprobrio eſſe cœperis, & a pluribus annis citra pertinaciter eſſe perſeveres. Innotuit præterea nobis, qualiter ob iſta tua facinora non ſolum munere prædicto miſſionis apoſtolicæ privatus fueris, verum etiam a Reverendiſs. Patre generali tui ordinis pluries & pluries in Italiam ad tuam provinciam revocatus, cui tui ipſius ſuperioris mandato non ſolum celeriter, ut debebas, non paruiſti, verum etiam poſt multos annos parere detrectas, ita ut in apoſtaſim jam ante plures annos incideris, nec non in eas omnes pœnas & cenſuras, quæ paullatim inobedientiam & apoſtaſiam ſubſequuntur, adeo ut pro apoſtata & infordeſcenti haberi, & tanquam talis tractari, & puniri merearis. Nos qui ex debito noſtri officii mederi hujuſcemodi malis, quantum fieri poteſt, tenemur, & volumus, tecum mitius agentes quam par eſſet vigore præſentium denuntiamus, præcipimus, & notificamus, qualiter infra decem dies ab intimatione, ſeu notificatione præſentis præcepti inchoandos ut infra ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ipſo facto incurrendæ, nec non ſtricti carceris, & aliis canonicis pœnis debeas omnino diſcedere a prælicto ſervitio, nec non a quacunque alia ſimili occupatione temporali, & incontinenti, abſque ulla mora te transferre in Italiam, & ad tuam provinciam, ibidem facturus, & adimpleturus quæcunque P. Generalis tui ordinis & tui ſuperiores juſſerint, & ordinaverint. Quod ſi fortaſſe de hoc ipſo præcepto gravatum te ſenſeris, concedimus tibi ut firma dicta præfixione termini, nec non comminatione, & in cura pœnarum, tam

ſpi-

ſpiritualium, quam temporalium poſſis, antequam te transferas in Italiam, comparere perſonaliter Viennæ coram nobis & noſtro tribunali nuntiaturæ redditurus rationem de omnibus tuis geſtis, & recepturus omne & quodcunque complementum juſtitiæ. Volumus autem, & mandamus, ut copiæ præſentis præcepti affigantur in valvis eccleſiæ loci, in quo vel plurimum morari conſueviſti, nec non in valvis eccleſiarum locorum propinquiorum ſaltem duorum, & hoc ad effectum, ut non ſolum præmiſſa omnia innoteſcant toti illi populo qui ſcandalum tam grave paſſus eſt, verum etiam ad effectum, ut prædicta notificatio & publicatio te afficiat, & tibi præjudicet tum ricurſum ſupradictarum pœnarum omnium, perinde ac ſi præſentes litteræ fuiſſent tibi perſonaliter præſentatæ, & notificatæ. Volumus nihilominus quod fiat omnis conveniens diligentia, ut prædicta notificatio fieri poſſit, ut moris eſt perſonaliter, & per actualem præſentationem copiæ hujus præcepti in manibus tuis. Confidimus in Dei bonitate, quod adhuc remaneat apud te tantus ejuſdem Dei timor, ut ſtatim non detrectes parere hiſce noſtris mandatis, uti apoſtolicis, & ad hunc effectum tibi ſpiritum reſipiſcentiæ & intellectus ab eodem bonorum omnium largitore, paterno & chriſtiano affectu deprecamur, & expoſtulamus. Datæ Poſonii 16. Novemb. 1646.

Ferdinandi Imp. epiſt. dur ad Nicolaum Zrinium.

Ferdinandus &c. Spectabilis & magnifice fidelis nobis dilecte. Ex querulosa fidelis noſtri Rev. Petri Marianii, electi Epiſcopi Segnien. & Modruſien. expoſitione intelleximus, eſſe certum religioſum ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci, qui relicta vocatione & miſſione ſua, ac ſuſcepto in bonis noſtris maritimis proviſoratus officio, decimas vini & frumenti pro dicto Epiſcopo collectas, vi & irruptione in domos eccleſiaſticas facta, armatis multorum manibus pro ſe occupaſſet, ac non ſolum ipſe ſeſe a juriſdictione Epiſcopi totaliter ſubtraxiſſet, verum etiam omnem reum ab obedientia & recognitione ejuſdem arceret, & inhiberet, iis vero qui obedientiam præſtitiſſent, per eum expulſis, ipſorum bona eccleſiaſtica confiſcari, immo partim etiam dividi feciſſes: ex templo quodam eleemoſyna per clerum variis in partibus collecta reſtaurato, officinam ſalis effici, complerique non ſine loci prophanatione curaſſes; prafato porro Epiſcopo & Vicario ejuſdem ad nulla juriſdictionis ſuæ loca, neque ad templum ingredi liceret, pluresque ejuſmodi inconvenientiæ non ſolum in læſione juriſdictionis ejuſdem Epiſcopi, ſed etiam auctoritatis noſtræ regiæ præjudicium, cum publico ſcandalo, & oppreſſione miſeræ plebis, ac animarum periculo & jactura, antea nunquam audita committerentur; ſupplicando Majeſtati noſtræ, ſibi circa præmiſſa de opportuno remedio gratioſe provideri. Cujus indemnitati, & juriſdictioni eccleſiaſticæ, tum etiam auctoritati noſtræ regiæ, conſultum eſſe volentes, Fidelitatem tuam benigne hortamur, ſerio mandantes, quatenus præfatum religioſum, qui rebus ſæcularibus ſeſe animi fere ... atque externa officia ſuſcipere non eſt veritus, inde evocare, & Epiſcopum ſua juriſdictione libere uti, neque deinceps turbari permittere, curareque velis, ac debeas. Ut ubique in bonis tuis ipſi ab omnibus debita obedientia præſtetur, decimæ ac bona eccleſiaſtica ablata reſtituantur, aliaque rectificentur, quo ſic prælibatus Epiſcopus animarum ſaluti invigilare, & functionibus ſuis eccleſiaſticis abſque impedimento & difficultate incumbere poſſit, ac valeat. Gratiam noſtram tibi in reliquo clementer propenſi maneret. Datum in civitate noſtra Vienna die 27. Novembris 1647.

Anno 1652. alteras litteras dedit ad eumdem Nicolaum Zrinium potentiſſimum in illis locis Dynaſtam, eique mandavit ut Petro Mariano adverſus perturbatores juriſdictionis epiſcopalis, raptoreſque bonorum eccleſiaſticorum auxilio eſſet. Datæ ſunt eodem ac ſuperiores ad Senienſes anno, & die.

Ferdinandus Imperator Nicolao Zrinio.

Innotuit pridem Majeſtati noſtræ, qualiter a pluribus hinc annis, in partibus maritimis regni noſtri Croatiæ, diœceſi Modruſien. in ſpiritualibus ſubjectis, turbatio & perſecutio certa, præſertim in diſtrictu Vinodol, contra res & bona eccleſiaſtica, ipſaſque ſpirituales perſonas, earumque mobilia & ſubſtantiam cum malo exemplo & dedecore ibidem chriſtianæ religionis ad hodiernum uſque diem perduret; illudque potiſſimum hinc originem habere traxiſſeque ab initio, quod ſpirituales perſonæ, quæ ſe divinis initio Sacerdotii ſui ſervitiis dedicarunt, obliti muneris ſui, ſe in procurationes & proviſionatus ſæcularium rerum contra illorum immediatam profeſſionem, ſacroſque Canones immiſcent. Quæ inconvenientia magno a nobis ſæpius percepta dolore, & admiratione, ne deinceps ullatenus a chriſtianis & noſtris auribus audiatur; præſenti noſtra, alioqui integra in te voluntate commonefaciendum te ſerio, & intimandum tibi duximus, illud omnino a te præſtari volentes, quod chriſtianum hominem, quem te eſſe profiteris, deceat, conveniatque, ut inter alia cum fideli noſtro Petro Mariani Epiſcopo Segnien. & Modruſſien. ac Conſiliario noſtro, habeas intelligentiam mutuam; quatenus Epiſcopus ipſe auxilio tuo ac aſſiſtentia fretus, ubi ab eodem requiſitus fueris, fontes caſtigare, eccleſias ſuas, & reliqua, quæ officium ſuum concernunt, rite ordinare firmareque valeat atque poſſit. Hæc uti nobis grata, & apud Deum & homines meritoria ſunt, ſic Majeſtatis noſtræ gratiam & clementiam demereberis. Dat. in caſtro noſtro Luximburg. 18. Maji 1652.

Ergo Petrus, qui ex primis Ferdinandi litteris ad Nicolaum Zrinium ad Epiſcopatum Senienſem & Modruſſ. electus fuiſſe videtur eodem anno ac Andreas de Franciſcis, ſuſcepto utroque Epiſcopatu, ad Modruſſenſem primas cogitationes curaſque convertit; eamque diœceſim perluſtrare ſtatuit, quæ plurimis incommodis laborare, opportuniſque remediis indigere videbatur. Itaque diœceſis luſtrandæ initium fecit ab eccleſia & oppido Buccarenſi, quo pervenit ſub initium anni 1653. Acta viſitationis epiſcopalis in tabulis referri juſſit; quarum initium eſt hujuſmodi.

Decreta Petri Ep. Buccari conſtituta.

Nos Petrus Mariani Dei & Ap. Sedis gratia Epiſc. Segnien. & Modruſien. ac S. C. Reg. Majeſtatis Conſiliarius. Poſtquam nos ad Dei gloriam decrevimus ob graves neceſſitates, & juxta noſtram epiſcopalem obligationem, inſtituere viſitationem noſtræ Modruſien. diœceſis; pervenimus cum divino auxilio in caſtrum Buccari die 25. Januarii An. Dom. 1653. ac inter alias plurimas neceſſitates ſtatuimus in perpetuum, ac omnino decrevimus non ſolum ut Epiſcopus, ſed etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ viſitator delegatus, quod debeant hæc ſequentia in eccleſia S. Andreæ Buccarenſi teneri, & obſervari.

Primo viſis per nos univerſis proventibus noſtrorum Buccarenſium Sacerdotum, comperimus

eos

eos non posse tot hic vivere, quot ad præsens inventi sunt, cum mala satis ratione vestitos, & pauperes, ac in tanto numero non necessarios, neque aliquod ornamentum ex hac paupere multitudine Sanctæ Matri Ecclesiæ pervenire; decernimus proinde, sicut & decrevimus, quatenus abhinc in posterum non sint plures presbyteri portionati in hac ecclesia prædicta, nisi tantum quinque, ex quibus quinque unus ratione suæ portionis obligabitur scholam diligenter docere; alter ex reliquis tribus, præter parochum, obligatus erit ratione suæ portionis sacristanus esse, qui ad hoc per Episcopum & Capitulum destinabitur, uti & magister.

His adde alia decreta tum Buccari, tum in aliis ejusdem diœcesis locis facta, quibus aut jubentur, aut prohibentur ea, quæ disciplinæ reique ecclesiasticæ & christianæ vel prosunt, vel obsunt: vetat scilicet augeri numerum Presbyterorum pensione gaudentium, quem ipse in singulis locis definierat; jubet legitimis suffragiis electos, per Vicarium, seu Primicerium Ecclesiæ Modrussensis in possessionem induci sui quemque Sacerdotii; potestatem permittit Canonicis commendandi quidem Episcopo, non vero nominandi eos, quos ad suum collegium aggregari cuperent. Multa præterea decrevit de distributione decimarum, de patrimonio clericorum, de administratione bonorum ecclesiæ, de piis obligationibus adimplendis, de Sacrosancto Viatico ad ægrotos deferendo, de vestitu & ornatu ecclesiastico intra templum, extraque adhibendo, de ratione rituque sacrarum supplicationum, de loco idoneo condendis cœmeteriis; jussit Salutationis Angelicæ signum dari mane, meridie, & vespere, ex universalis ecclesiæ consuetudine, quæ quibusdam in locis exsoleverat; itemque sub horam primam noctis tintinnabulum pulsari, quo admonita plebs christiana preces offerret Deo pro expiatione animarum, quæ ob labes in hac vita contractas igne purgantur; vetuit mercede conduci, qui se inter publicas supplicationes flagellis cæderent; pecuniæ quod insumi solebat in quædam prandia statis anni diebus præbenda presbyteris & clericis, in subsidium pauperum convertit. Magistris scholarum quod satis esset stipendii assignavit, simulque iisdem methodum rationemque pueros latinis litteris erudiendi tradidit. Decori domus Dei, & festorum dierum sanctitati consuluit; templa collabentia refecit, ecclesiis vestes sacerdotales, argenteos calices, sacram cujusque generis supellectilem donavit. Denique pravas consuetudines, quæ irrepserant, abolevit, cleri populique mores ad honestam piamque vivendi rationem revocavit; & multa egregie constituit, quæ vel ad salutem & commodum plebis christianæ, vel ad splendorem ac dignitatem cultus divini pertinebant. Quæ vero sanciverat, ac decreverat, ab Archiepiscopo & Primate Strigoniensi confirmanda curavit.

Archiep. Strigonien. acta & decreta visitationis Modrussensis confirmavit.

Nos Georgius Lippai de Zombor miser. divina Archiep. Strigonien. locique ejusdem Comes perpetuus, Primas Reg. Ung. legatus natus, summus Secretarius, & Cancellarius, ac Sac. Cæsareæ, Regiæque Majestatis intimus Consiliarius. Damus pro memoria tenore præsentium significantes, ad quos pertinent, universis, qualiter Rev. in Christo Pater D. Petrus Marianus Episcopus Segnien. & Modrussen. ac Sac. Cæs. Reg. Majestatis Consiliarius coram nobis personaliter constitutus, pro zelo & pietate sua erga res ecclesiastica & divinam gloriam in sua Modrussen. diœcesi promovendas, cultumque divini numinis, & ecclesiasticam disciplinam in eadem diœcesi augendam, humiliter, instanterque a nobis, velut a Primate suo postulaverit, & expetiverit, quatenus pro majori auctoritate, & firmitate, ad revidendam & examinandam certam visitationem suam Buccari de anno Dom. 1653. per eumdem factam, & ex ea subsecutas constitutiones, complures Rev. Episcopos, aliosque doctos & religiosos viros de gremio hujus primatiæ nostræ ordinare & destinare dignaremur. Quarum quidem constitutionum, & decretorum de verbo ad verbum tenor hujusmodi sequitur. Nos Petrus Marianus &c.

Unde suis justis non solum, verum etiam piis, & laudabilibus ejusmodi petitionibus ipsius Rev. Episcopi merito inclinati, certos Rev. Episcopos nostros, aliosque religiosos viros doctosque, sacrorum Canonum, municipalium Ung. legum & bonarum consuetudinum inter ecclesiasticos nostros, & in hac primatia degentes, peritos eo libentius ad examinandam supra nominatam visitationem, & ex ea subsecutas constitutiones ac decreta, ordinandos & destinandos duximus, eo magis, quod jampridem nos diœcesis illius spirituales necessitates, & reformatio illius cleri, per fidos & zelantes viros, tum etiam propria nostra experientia, ante multos hinc annos monuerunt. Proinde nos a præcitatis Rev. Episcopis, & religiosis viris a nobis ad hujusmodi visitationem & constitutiones revidendas destinatis, de earum constitutionum ad Sacros Canones, ad domesticarum legum, ac consuetudinum, bonorumque morum & disciplinæ ecclesiasticæ, necessitatemque illius diœcesis conformitate sufficienter instructi, atque informati, uti in eorumdem recognitionibus, & attestationibus patet; eadem decreta, & constitutiones universas & singulas, earumque contenta non solum Buccari, sed & in aliis locis, & oppidis Modrussensis Ecclesiæ proportionaliter & his majori in parte conformiter, per eumdem Rev. Episcopum ordinata, signanter autem in Grobnik, Hrilin, Drivenik, Belgrad, Grisane, Brebir, & Lechenize, nostro primatiali, & legati naturalis auctoritate approbamus, ratificamus, & confirmamus; mandantes omnibus & singulis cujuscumque status & conditionis, videlicet tam ecclesiasticis, quam secularibus personis ibidem existentibus, modernis & futuris; quatenus amodo in posterum vos prænominatis statutis & constitutionibus per omnia conformare, & accommodare debeatis, & teneamini; serio quoque præcipientes Rev. Episcopo illius loci Modrussen. ordinario, moderno, & futuris, quatenus sibi in prædictis omnibus & singulis, tam a suo clero, quam ab aliis, debite, ut oportet, obedire & satisfieri cum executione prædictorum satagat & procuret; in detrectatores & inobedientes censuris ecclesiasticis, & aliis pœnis, ac etiam privatione beneficiorum, si opus fuerit, procedendo. Dat. Posonii, die 5. Julii an. Dom. 1655.

Qui visitationem Mariani examinarunt, laudarunt, approbarunt,

Paullus Hoffan. el. Ep. Quinqueccles.
Thomas Palfi el. Ep. Chanad. Gen. Vic. Strigon.
Matthias Tarnicz Episcopus Vacien.
Fr. Paullus Ivanovich ord. S. Paulli primi Eremitæ Minister.
Fr. Martinus Boschovich ejusdem ord. Vic. Gen.
Thomas Jazbrinus Soc. Jesu.

Romæ

Romæ accuſatur.

Romæ accuſatus fuit apud Sacram Congregationem, quod uſum linguæ Illyricæ, ſive Slavonicæ ab ſacris arcere, proſcribere, & omnino abrogare vellet; ob eamque cauſſam reprehenſus eſt, admonituſque, ut a veteri conſuetudine movenda, rebuſque novandis abſtineret. Hanc accuſationem egregie diluit, & nihil aliud ſibi propoſitum fuiſſe declaravit, niſi ut clerici & presbyteri cum Illyrico ſermone ſtudium etiam, cognitionemque linguæ latinæ maxime neceſſariam eccleſiæ & diœceſi Senienſi, conjungerent. Hæc ille in ſuis litteris ad Cardinalem Præſidem Sacræ Congregationis,

Eminentiſſime & Reverendiſſime Domine Domine & Patrone Colendiſſime.

Ejus epiſtola ad Card. Præſidem Sac. Congreg.

Litteras Eminentiæ Veſtræ datas ab urbe die 14. Aprilis currentis anni, nunc primum die 30. Auguſti mihi exhibitas cum ſumma reverentia & veneratione accepi; ita ille vir bonus, qui perſonam meam apud Em. Veſtram, & apud iſtam Sacram Congregationem detulerat, quaſi ego uſum Illyricæ linguæ tollere & abrogare de facto intenderim, exhibere mandata Em. Veſtræ aliquot menſibus hic apud ſe detenta vel timore male narratæ rei, vel alia ſibi conſueta prærogatione ductus, retardavit. Profiteor igitur ſincere & candide coram Em. Veſtra & iſta Sacra Congregatione, me nunquam intentionem hujuſmodi tollendorum nimirum Illyricorum exercitiorum aut habuiſſe, aut habere; illud vero non inficior me horum meorumque Sacerdotum ruditate & ſuprema litterarum inſcitia, qua laborant, inductum, ut ſcholas parvulorum latinas in ſingulis parochiis erigerem; quatenus hoc adjumento deinceps poſſint tantiſper ad majorem rerum ſpiritualium cognitionem hi rudes, & omni cognitione divinarum rerum privati Sacerdotes & populi, ad Dei & eccleſiæ gloriam, propriamque ſalutem aſſurgere. Non incongrue autem, quantum mihi quidem videtur, exiſtimavi & latinam linguam & Illyricam, earumque exercitia ſimul in iiſdem hominibus & eccleſiis ſtare, & ſe mutuo compati poſſe; nam & in hac ipſa civitate Fluminenſi, ex qua ſcribo, olim mea memoria, omnes Sacerdotes Illyricis ſolum, & vix aliis exercitiis utebantur; nunc utriſque adeo laudate & glorioſe excellunt, ut & Illyrici, & ſimul ſint Latini; ipſaque Illyrica exercitia prorſus muſice, & ad concentum numeroſe decantent, cum gloria gentis, & civitatis ornamento. Accedunt & hæ ſummæ ſequentes cauſæ, quæ neceſſariam in eccleſiaſticis reddunt latinæ linguæ cognitionem in his partibus Hungariæ ſubjectis; quod nimirum generalibus in diætis eccleſiaſtici viri, & mea ipſa diœceſis locum & vocem habeat; quod jus, & religionis catholicæ ob votorum augmentum utilitas, ſine latinæ aliqua linguæ notitia per meos retineri, & conſervari nulla via aut modo poteſt. In comitiis enim illis publicis quotquot comparent eccleſiaſtici, tot viros doctiſſimos & ſapientia claros eſt cenſere, non hos hujuſmodi, quales hactenus fuerunt, non ſolum re, ſed & loquela carentes, agricolis potius habitu corporis pares, non Sacerdotibus ſimiles. Alterum eſt, quod mea quoque diœceſis ſigillum, fidem dignitatis apud nos vocatum recentibus comitiis a regia Majeſtate & regno obtinuerit, quo per veterem totius Sac. Coronæ, ab ipſis ſanctiſſimis regibus derivatam conſuetudinem, potiſſimæ juridicarum litterarum ſcripturæ, & acta ſæcularium magnatum, & nobilitatis, non alia, quam latina lingua ſcripta firmentur, & per eccleſiaſticos ipſos expediantur; qua latinitatis ſi abſit cognitio, neceſſe eſt tam decoro, imo etiam ſuo tempore, & circumſtantiis utili privilegio meam eccleſiam privari. Ulterius, ſi quod Deus avertat, pars hæretica Hungariæ aliquando in tantum prævaleret, ut liberum exercitium eorum irreligionis etiam in Sclavonia, & Croatia, quod in publicis comitiis toties, & non adeo pridem tentarunt, concedi deberet; neceſſum naturali modo eſſet hanc meam omni ex parte rudem diœceſim, quaſi uno quodam ictu, momento temporis in catholica fide concidere & interire; nemine doctrina aliqua ſacratum litterarum, vel ejus notitia reſiſtente. Cujus contrarium prorſus eſt in univerſa Hungaria, & hic mihi vicina ſub alio prælato Sclavonia: quibus in locis non ſolum prælati & Capitula, ſed etiam parochi & capellani optimarum litterarum Philoſophiæ & Theologiæ ſunt paſſim periti, & in ſacris concionibus, aliiſque exercitiis ſpiritualibus apprime experti, ut quaſi videre ſit tot ſapientes, quot Presbyteros, & quot Canonicos tot Doctores. Mea vero diœceſis unica ex omnibus totius regni in obſcuro litterarum, & tenebris obruta, ac ſopita propter ignorantiam errorum matrem, meo ſummo dolore & afflictione delitеſcit, in qua per hujuſmodi Sacerdotes & parochos pure Illyricos ſacræ conciones & exhortationes nec fieri poſſunt ob inſcitiam, nec ad præſens fiunt; ſed neque ex talibus ulli ad ſacras confeſſiones audiendas recte, uti oportet, aſſumi, niſi propter ſummam neceſſitatem valent; exemplo claro, quod non multos ante hinc annos, certus in mea diœceſi a 60. annis parochus inventus fuerit abſolutionis formulam neſciſſe, quanto minus competenti modo pœnitentis ſubſtantiam, & confeſſionem diſcernere. Latinitas porro adeo communis, & in tantum diffuſa toto Hungariæ regno exiſtit, ut eam non ſolum majores, & Doctores, viri eccleſiaſtici & ſæculares, verum etiam ipſi paſſim mechanici callere viſantur; quanto magis illa his quoque in noſtris locis Presbyteris & eccleſiaſticis convenientior, & neceſſaria eſt, Em. Veſtræ, & aliis Em. Patribus dijudicandum relinquo. In eo etiam atque etiam inſtanter ſupplicans Eminentiis Veſtris, ut quando majus aliquod Illyricum opus typo committere intendunt, reddamur prius nos reſidentes Epiſcopi de eo certiores, qui noſtrarum eccleſiarum neceſſitates & vulnera manu palpamus; fit enim alias, ut per aliquorum ſuggeſtiones (novit Deus ad quos illorum particulares fines, forte etiam promotiones) talia ſuggerantur, quæ ærarium Sacræ Congregationis non modice minuunt, paucum autem, vel nullum in rebus ſpiritualibus efficiunt fructum; ſupponendum enim certo eſt Sacerdotes Illyricos raros, vel vix aliquos ſibi hujuſmodi librorum lectionibus & exercitationibus dare, quia hi nunquam aſſuerunt diſcere, nec habitum diſcendi habent; utpote qui poſt aſſecutionem ſimplicis lecturæ Breviarii, & Miſſalis, totos ſe agriculturæ, vinetis, & hujuſmodi aliis rebus dederunt. Hæc habui, quæ ad gratioſum præceptum Em. Veſtræ quam obſequioſe & humiliter referrem, exoptans a Summo Deo Em. Veſtræ omnem felicitatem. Datum Flumine S. Viti die 5. Septembris 1654.

Eminentiæ Veſtræ humillimus & devotiſſimus ſervus Petrus Mariani Epiſcopus Segnien. & Modruſien.

In decreto quodam Ferdinandi III. Joannem Salix

Joannes Salix titulo tenus Ep. Corbaviæ.

Salix Episcopum Corbaviensem anno 1655. nominatum invenio; sed si quis fuit, titulo tenus Episcopus fuit; & Corbaviam adhuc Turcæ barbarica servitute oppressam tenebant. Præterea sedes episcopalis Corbaviensis abhinc multas ætates Modrussam migraverat, ac deinde ipsemet Episcopatus Modrussensis cum Senensi conjunctus fuit.

Basilica Tersactana amplificatur.

Cum Basilica Tersactana angustior esset, quam pro multitudine accolarum, atque advenarum, voti ac religionis caussa ad venerandam exorandamque Virginem Deiparam confluentium, ære sumptuque Nicolai Comitis Frangipanii, eidem ad aquilonem pars altera adjecta est; in cujus fundamenta primum lapidem sacris precationibus initiatum sollemni ritu demisit *Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Petrus Mariani Episcopus Segnensis, & Modrussiensis*, ut docet P. Clarus Pasconus ord. Min. S. Francisci in eo libro, qui inscribitur: *Triumphus coronatæ Reginæ Tersactensis &c.* Sed cum asserat primum lapidem huic ædificio suppositum fuisse anno 1644. IX. Kal. Septembris, id non congruit cum Episcopatu Petri Mariani, sed referri oportet ad Joannem Baptistam Agalich, qui ab anno hujus sæculi decimo septimo usque ad quadragesimum nonum Ecclesiæ Senensis gubernacula tenuit.

Mors Petri Ep. ac sepulcrum in basilica S. Mariæ Tersactanæ.

Anno post susceptum Episcopatum decimo quinto, æræ vulgaris 1665. in patria apud Flumen S. Viti diem obiit supremum; delatus est ad Basilicam Tersactanam, atque ibidem conditus est ante aram D. Petri, prope sepulcrum Joannis Baptistæ Agalich proximi sui decessoris. Inscriptio sepulcralis hisce versiculis continetur.

Petri scire viam forsan cupis, o pie lector!
en tibi scissura saxea rite notat.
Te duce lustrabo loca plena silentibus umbris:
attonitum reddit cælica turba Patrem.
Una est cunctorum prima, & genialis origo:
sola potest mentes demeruisse probas.
Moribus, & vita decus Marianus abivit
ad sedis æternæ & regna beata poli.
Rubini Marianus habet, nomenque sacratæ
jaspidis ex opere, ac actibus ipse tenet.
At si plura cupis scire, hinc tibi lucida dicto
nomina: scala, via, & porta secura poli est.
Unus voce, habituque fuit, per singula nobis
susceptus, Patriæ gloria, laus, & bonor.
Obiit Anno
ALMa DIes VItæ nItet, I ergo Petre, qVIesCe.
die 30. Julii.

JOANNES VII. EP. SENIENSIS XLIX. & Modrussensis XVI.

Huic patria Buccarum fuit, cognomen Szmolianovich. Græcii apud Patres Societatis Jesu Philosophiæ ac Theologiæ operam dedit. Reversus in patriam cum esset, sua illi virtus & doctrina singularis favorem & gratiam Nicolai Comitis Zrinii conciliavit, qui eum domestico sacello præposuit. Deinde cooptatus est in collegium Canonicorum Buccarensium, nec multis post annis titulum munusque Archidiaconi Modrussensis accepit. Ad Episcopatum hujus & Senensis Ecclesiæ obtinendum gratiosa commendatio Comitum Zriniorum illi plurimum valuit apud Leopoldum Imperatorem, qui anno 1665. Joannem ob egregias virtutes, quibus præditum esse ex illustrium virorum testimonio cognoverat, dignum censuit, cui Episcopatum utrumque conferret. Diploma Cæsareum collati eidem Sacerdotii sane honorificum extat in hæc verba.

Joannes Ep. nominatus a Leopoldo Imp. diplomate perquam honorifico.

Nos Leopoldus Dei gratia electus Rom. Imp. &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium significantes quibus expedit universis, quod nos tum ad nonnullorum fidelium nostrorum humillimam supplicationem nostræ factam Majestati, tum vero inducti meritis, & virtutibus, morumque & vitæ honestate, nec non ceteris laudabilibus animi dotibus fidelis nostri honorabilis Joannis Szomoglianovich, Archidiaconi Modrusiensis, quibus ipsum divinitus præditum esse ex fide dignorum fidelium nostrorum relatione cognovimus, Episcopatum Segniensem, & Modrusiensem, nunc per mortem & decessum Reverendi quondam Petri Mariani ejusdem Episcopatus ultimi meri ac legitimi possessoris, de jure & de facto vacantem, auctoritate jurispatronatus nostri regii, quod generaliter in omnibus ecclesiis regni nostri Ungariæ, partiumque eidem annexarum, adinstar dictorum quondam Ungariæ regum prædecessorum nostrorum felicissimæ reminiscentiæ, optimo jure habere dignoscimus; simul cum omnibus castris, castellis, oppidis, villis, possessionibus, prædiis, portionibus, & aliis cunctis pertinentiis, ubivis, & in quibuscumque annotati regni nostri Ungariæ, partiumque eidem annexarum Comitatibus, habitis & existentibus, quocumque nominis vocabulo vocitatis, ad eumdem Episcopatum Segnien. & Modrusien. de jure & ab antiquo spectantibus, & pertinere debentibus; nec non cum omnibus ejusdem juribus, honoribus, libertatibus, prærogativis, fructibus, reditibus, obventionibus, & emolumentis quibuslibet, eidem Joanni Szomogl. dandum & conferendum duximus: immo damus & conferimus præsentium per vigorem. Quocirca vobis &c. secus non facturi &c. Dat. in civit. nostra Viennæ Austriæ 9. Septembris 1665.

Cæsaream nominationem biennio post Clemens IX. approbavit, ut docent tabulæ consistoriales. 1667. 22. *Augusti providit Ecclesiæ Segnien. & Modrusien. quæ non semel unitæ eidem personæ delatæ reperiuntur, vacantibus per obitum Petri Mariani, de persona Dom. Joannis Zmolianovich, data videlicet in titulum Segniensi, ad quam Cæsar videtur habere jus nominandi; Modrusien. vero, quæ creditur liberæ collationis, in administrationem, juxta dec. Sacr. Congregationis consistorialis;* de quo quidem decreto infra in Martino Braicovichio Episcopo. Annos fere decem utramque ecclesiam præclare gubernavit, e vita sublatus anno 1677. & sepultus in Basilica Tersactana, apud duos proximos decessores Episcopos; qua in basilica aram S. Ursulæ virginis & martyris marmore pulcherrime cælato convestivit, ornavitque.

FRANCISCUS EP. SENIENSIS electus.

In locum Joannis Leopoldus Imperator nominavit Franciscum Ciculinum patria Fluminensem, Præpositum ecclesiæ opulentissimæ S. Martini apud Vindisgratium, præstantis ingenii & doctrinæ virum. Sed litteræ legati pontificii apud Cæsarem Romam delatæ, quæ Francisco non admodum favebant, impedimento fuerunt, quo minus pontificiam approbationem impetraret. Itaque cum nomen Episcopi electi tres annos gessisset, Scopiensis Archiepiscopatus

titulum ab eodem Imperatore accepit. Obiit in patria, illatus in Basilicam Terfactanam, ibidem sepulcrum obtinuit apud Petrum Marianum sine ulla inscriptione.

HYACINTHUS EP. SENIENSIS L. & Modrussensis XVII.

Natus est Cathari, atque aggregatus ad præclarissimam PP. Prædicatorum familiam, ad normam illius sanctissimi instituti vitam exegit; nec doctrinæ magis, quam virtutum splendore claruit. *Fecit missiones in Hungaria*, ut in quadam scheda notatum invenio, *cujus fama zeli motus Cæsar illum nominavit*, cum annum ageret sexagesimum, eique Episcopatum Seniensem detulit; delatum Innocentius XI. confirmavit, simulque Modrussensem eidem tradidit. 1681. *13. Januarii providit Ecclesiæ Segnien. ad nominationem Cæsaris, vacanti per obitum Joannis Smolianovich, de persona Hyacinthi Dimitri ord. Prædic. committendo ei in administrationem Ecclesiam Modrusiensem, eidem Ecclesiæ Segnien. canonice unitam, quæ est liberæ collationis Sedis Apostolicæ, & opportunitate residendi caret, juxta decretum alias in Congregatione rerum consistorialium factum.* Ex tab. consist.

Hujus querimoniis & precibus impulsus Leopoldus Imperator augustali diplomate edixit, ut quicumque decimarum solvendarum lege tenerentur, eas Episcopo & Ecclesiæ Senensi, secluſa omni fraude & calliditate, integras, nullaque ex parte diminutas persolverent. Rectoribus vero ac Præfectis regni Chrobatiæ imperavit, ut ad eas exigendas Episcopo quidquid opus haberet, poscereturque auxilii, præstarent.

Hujus rogatu Leopoldus Imperator decimas sine fraude ac diminutione solvi jubet augustali diplomate.

Leopoldus fidelibus nostris universis & singulis Dom. prælatis, baronibus, magistratibus supremis, & vicecomitibus, judicibus, nobilibus quorumcumque Comitatuum, pariter & vicegeneralibus, capitaneis, ac officialibus quorumcumque confiniorum, & præsidiorum nostrorum, prout & civitatum, oppidorum, & villarum, & pagorum consulibus, judicibus, & rectoribus, aliisque cujuscumque status, conditionis, ordinis, & nationis regnorum nostrorum Croatiæ, Dalmatiæ, & Sclavoniæ incolis, ubicumque in iisdem regnis & sub jurisdictione nostra existentibus, ac reperiendis, & cum præsentibus requirendis salutem & gratiam. Conquestus est Majestati nostræ fidelis noster Rev. Hyacinthus Dimetri Segnienſis & Modruſſienſis Ecclesiarum Episcopus; quod licet in præstandis de vino, & frumento, aliisque rebus decimari solitis, decimis juxta bonum, justum, ac ubique tum in regno Hungariæ, tum in partibus eidem annexis, practicatum ordinem, vi etiam publicarum regni constitutionum, nullus incolarum dandis decimis obnoxius, de hujusmodi rebus, priusquam justam ex iisdem provenientem decimam proprietariis decimarum Dominis præstiterit, divendere aut alio quocumque modo distrahere quicquam possit; verum res hujusmodi ante omnia ipsis proprietariis decimarum Dominis, vel eorum hominibus ad id deputandis quovis sub juramento corporali in quantitate declarare, immo oculate demonstrare teneatur; nihilominus essent nonnulli, qui non expectatis decimatoribus, absque scitu & annuentia proprietariorum Dominorum decimarum, non solum fruges e campo inferre, sed eas, prout & vinum, aliasque res decimandas pro libito suo divendere, distrahere, se vero a justa & suo juramento specificanda rerum declaratione abstrahere, ad domosque, & cellaria pro investiganda rei veritate decimatores nequaquam admittere præsumant, gravi Episcopi querelantis, & prædictarum ecclesiarum suarum damno, ac præjudicio manifesto; supplicando Majestati nostræ humiliter, quatenus eidem circa præmissa de opportuno remedio providere dignaremur. Cujus justa & legitima petitione nos clementissime inclinati, siquidem alias etiam nobis veluti summo ecclesiarum Dei in præcitatis regnis nostris protectori, bonorum, juriumque ecclesiasticorum, & proventuum tuitio competeret . . . . idcirco universis quibus expedit, supra hisce serio committimus & mandamus, potissimum iis, qui dandis decimis obnoxii essent, quatenus non solum justas decimas annotato Episcopo, & proprietario decimarum Domino ex omnibus rebus decimari solitis exacte dare & præstare, verum etiam juxta constitutiones regni, & alibi practicatum usum, decimatores ad id ordinatos, ad domos & cellaria admittere, sincereque coram illis vini & frumenti, rerumque decimandarum quantitatem & qualitatem fateri, oculateque demonstrare velint atque debeant, nullo autem pacto frumentum vel vinum, aut res quascumque decimandas, prius quam prævio modo decimas non præstiterint, divendere, aut alio quocumque modo distrahere, vel in exigendis, & præstandis decimis, prævioque procedendi modo sese opponere præsumant; alioquin contra contumaces, dum auxilio vestro, supranominati prælati, barones, magnates supremi, vel vicecomites, generales, aliique officiales nostri, & magistratuum quorumcumque, dictus Episcopus indiguerit, & per præsentes desuper requisiti fueritis, semper eidem assistentia præsto adesse, & ad exactam decimarum solutionem ejusmodi contumaces compellere modis omnibus debeatis & teneamini; secus non facturi. Præsentibus perlectis exhibenti restitutis. Dat. in civitate nostra Viennæ Austriæ die 21. mensis Octob. an. Dom. 1682. regnorum nostrorum, Romani 24. Ungariæ & reliquorum 27, Bohemiæ vero anno 26.

Præfecti Zriniorum bonis ac juribus ecclesiasticis infesti.

Plurimum negotii facessere solebant Episcopis Senensibus & Modrussensibus magistratus & præfecti Comitum Zriniorum, quorum iniquitas & avaritia, decimis prædiisque ecclesiasticis interversis, magna detrimenta utrique ecclesiæ attulerat. Anno 1683. utraque ecclesia illorum superbo avaroque dominatu exempta, tandem ab hujusmodi vexatione, metuque graviorum damnorum respiravit. Plerique & potentiores Dynastæ regni Hungarici contra Cæsarem conjuraverunt; cujus conjurationis indicia patefacta cum essent, comprehensi Zrinius, Nadatus, Christophorus Frangipanius ante alios, manifestoque crimine convicti, securi percussi sunt, & bona eorum publicata. Quæ vero possidebant in diœcesi Senensi & Modrussensi, fere omnia devoluta sunt in Cæsaris potestatem, sub qua ecclesiæ utrique bona ac jura sua recuperandi spes affulsit. Incidit Episcopatus Hyacinthi in ea fortunatissima tempora, cum Leopoldus sociali fœdere Polonis ac Venetis junctus, plurimas & maximas de Turcis victorias reportabat, Communis lætitiæ particeps fuit; & e prosperis præliorum eventibus uberrimos fructus percepit utraque Ecclesia Senensis, & Modrussensis; quippe cum Corbaviam & Licham magna ex parte, aliaque finitima suarum diœceseon loca recuperaverint. Porro Hyacinthus cum an-

nos

nos fere novem eccleſiam utramque ſapienter pieque adminiſtraſſet, lætus rei chriſtianæ ſucceſſu e vita migravit anno 1689.

SEBASTIANUS EP. SENIENSIS LI. & Modruſſenſis XVIII.

Ex Iſtria oriundus matrem habuit ſororem P. Franciſci Glavinichii viri præſtantiſſimi ex familia Franciſcana rigidioris obſervantiæ, excellenti eruditione atque doctrina, nec minus religioſarum virtutum laude præclari, qui Virginis Terſactanæ hiſtoriam litteris ac typis mandavit. Avunculum eximia pietate ac benevolentia coluit; atque ut acrioribus ſtimulis ad ejus virtutes imitandas excitaretur, paterno poſthabito, maternum cognomen ſibi adoptavit, & *Glavinich* cognominari voluit. Senienſe Sacerdotium illi collatum a Leopoldo Alexander VIII. confirmavit, ut eſt in tabulis conſiſtorialibus. 1690. 8. *Maji providit Eccleſ. Segnien. & Modruſien. ſimul unitis, vacant. per obitum Dimitri de perſona Sebaſtiani Glavinich habentis omnia &c. quoad Segnienſ. ad nominationem Sacr. Cæſar. Majeſtatis uti regis Hungariæ, quo vero ad Modruſien. liberæ diſpoſitionis Sedis Apoſtolicæ.* Summa ei familiaritas fuit cum Stephano Coſmo Archiepiſcopo Spalatenſi, viro doctiſſimo & ſanctiſſimo, quam morum ſimilitudo, doctrina, vitæque ſanctitas in utroque excellens conjunxerat; ſed ne huic, quæ debent Epiſcopi ſuffraganei, ſubmiſſionis atque obedientiæ officia ex jure & more antiquo præſtaret, ſuperiorum Antiſtitum exempla, & horum fides Metropolitæ Strigonienſi jamdudum obſtricta prohibebat. Ægre quidem Coſmus ferebat eccleſias illas a Spalatenſi provincia divulſas fuiſſe; nihil tamen conari auſus eſt, ut eas recuperaret, ſuæque Metropoli reſtitueret. Præſtitit tamen quod poterat, atque in ſuis ad Sacram Congregationem litteris, quas Epiſcopi tertio quoque anno de ſtatu ſuarum eccleſiarum ſcribere, ac Romam mittere ſolent, de duabus illis eccleſiis a Metropoli Spalatenſi avulſis Patres Eminentiſſimos his verbis admonuit. *Segnienſis Epiſcopus, qui modo eſt etiam adminiſtrator Modruſſenſis, licet uſque ad initia hujus ſæculi veterem Metropolitam ſuum coluerit, ut in noſtræ cancellariæ, immo etiam ejuſdem Eccleſiæ Segnen. actis apparet, & quod majus eſt, ex Bullis electionis ejuſdem Epiſcopi; a multo tamen tempore Archiepiſcopum Strigonienſem, uti Hungariæ Primatem adit, accedente politica ratione. Sed cum iſta ſit manifeſta juriſdictionis turbatio, enitendum eſt apud Sedem Apoſtolicam, ut jus ſuum Eccleſiæ Spalatenſi poſtliminio reddatur; quod & Segnienſis optat ob majorem facilitatem itineris maritimi; nec ab eo fore alienum piiſſimum Imperatorem, ubi de rei veritate & juſtitia certior factus fuerit, omnino cenſendum eſt.*

Non Spalatenſem, ſed more deceſſorum Strigonienſem Metropolitam agnoſcit.

Cum ad eccleſiam utramque regendam acceſſit, magno animi ſui dolore patrimonium diminutum, libertatem ac juriſdictionem eccleſiaſticam multimodis labefactatam reperit, præſertim in oppido ac territorio Buccarenſi; & plurima detrimenta, quæ Comites Zrinii, eorumque Præfecti intulerant, quæque inferre pergebant vel Præſides Cæſarei locorum, vel homines privati, duobus & triginta capitibus comprehenſa collegit, & expoſuit, Cæſari exhibenda; ut pro ſua clementia & pietate remedium afferret, remque eccleſiaſticam in priſtinum ſtatum reſtitueret: hæc autem ſunt.

Plurima detrimenta per Magiſtratus & Præfectos eccleſiis illata Sebaſtianus collegit & expoſuit ad Cæſaream curiam deferenda.

Puncta gravaminum Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Dom. D. Sebaſtiani Glavinich Epiſcopi Segnenſis & Modruſſenſis &c. illatorum per dominium ac fiſcum Buccarenſem eccleſiis, Epiſcopo, & clero.

Primo. Comites a Zrinio uſurparunt vineas nuncupatas Dolaz & Saracmovo ſituatas in lateribus eccleſiæ S. Nicolai de ratione ejuſdem eccleſiæ, cujus Kaderman curavit aſportari tegulas dictæ eccleſiæ, & applicari arci Buccarenſi.

II. Quarterium Martinſchicæ ſpectabat de jure quæſito ad Epiſcopum, Epiſcopus vero mediante Capitulo Buccarenſi officiabat Eccleſiam S. Martini, immo ad requiſitionem Epiſcopi dominium Buccarenſe concedebat ſatellitem pro juſta exactione quarterii, modo a dominio uſurpatum.

III. Rota inferior molendini ſituata in portu Buccarenſi fuit de ratione eccleſiæ B. Virg. Mariæ, quam Zrinii uſurparunt: immo a perſonis fide dignis habetur ex tali rota purum proſiliiſſe ſanguinem, omen Zriniani exterminii.

IV. Vineæ in Draga, quæ fuerunt Joannis ... decimam ſolvebant Capitulo ac Epiſcopo, poſt uſurpationem vero Zrinianorum in præjuditium eccleſiæ decimæ retinentur.

V. Defunctus commiſſarius .... per decretum ablatum a ... ordinavit ſolutionem eccleſiarum Sanctorum Stephani & Jacobi, a Zriniis profanatarum & in magazinos verſarum; immo affictus hoſpitalis eccleſiæ per tot annos retenti aſcendentes ad ſummam ducator. 400. *Venetorum.*

VI. Dominus Baro ... proventus epiſcopales, ſede epiſcopali vacante, ſibi appropriavit ex Buccari, Grobnich, & Novi; tempore vero moræ Domini Epiſcopi Viennæ, ſe declaravit coram perſona fide digna non tenere in manibus niſi D. 800. *inde Dominus Epiſcopus condeſcendit acceptare intuitu facti D.* 620. *reviſo vero computu perceptarum decimarum a ſuis officialibus, invenit ſe læſum ultra dimidium, eo quia Dominus .... percepit D.* 2000. *quos clementiſſimus Cæſar pro ædificatione alicujus epiſcopalis reſidentiæ ordinaverat, ut ex copia decreti ſub A. videre eſt. Ideo ſupplicantur Domini commiſſarii prædictam ſummam, quæ eſt Cæſarea & applicanda ad piam cauſam, a Domino ... expetendam & ſequeſtrandam.*

VII. In ſummum ſpretum Epiſcopi, protegit Dominus ... irregularem Joannem ... & licet Dominus Matthæus ... fuiſſet requiſitus, ut brachium vigore Generalium Cæſareorum præſtaret contra dictum ſacrilegum; nihilominus cum defendunt ac fovent, cum publico ſcandalo univerſorum.

VIII. Terræ circumvicinæ ſituatæ in Hrilin divenditæ quondam ... per defunctos Zrinios, modo vero poſſeſſæ a Michaele & Caſparo ... fuerunt de ratione eccleſiæ Sanctæ Helenæ, cujus ad præſentem diem extant veſtigia; & in ſignum dominii, licet impie uſurpatæ, tribuunt annuatim dominio cenſum.

IX. Eccleſiam S. Nicolai ſub Hrilin de mandato Zrinianorum Capitaneus Sacerdos ... curavit profanari, uti & ſtipitem altaris dejici, & quod plus, ſacrilege ſalem ſeminare.

X. Vineæ eccleſiarum in Drevenich nunquam juri montano erant ſubjectæ; nunc vero omnis decimaquinta urna ab eis exigitur, quod antecedenter non dabatur, & licet ſupplicatum fuerit Domino commiſſario ... qui omnimode hoc onus

tollendum compromiſerat, nil tamen effectum.

XI. Sacerdotes qui de jure ſunt exempti ab aggraviis ſæcularibus, modo coguntur uti & alii ruſtici ad onera peragenda Potokam ſolvendo, & alia adinſtar colonorum faciendo.

XII. Quidam officialis Lutheranus, cognomine .... decimam quintam urnam ex vineis eccleſiaſticis in Drevenich incepit accipere, ut & ex animalibus eccleſiæ, Sacerdotum patrimonialibus vineis, ſuper quibus, ut ſacroſanctum Concilium Tridentinum requirit, ſunt ad ſacros ordines promoti.

XIII. Licet Sacerdotes ex Belgrad, Grixane, & aliis locis in Vinodol eſſent per privilegium defuncti Nicolai a Zrinio, datum 13. Julii 1612, a Potoka liberi declarati, nihilominus Dominus Baro .... pro utili ſuo privato & aviditate, nullo habito reſpectu, barbare eos coegit pendere & ſolvere.

XIV. Defuncti Zrinii uſurparunt vineam S. Nicolai in Grixane dictam Podbacevo ſub eadem eccleſia ſituatam; & ut hoc ſtabilitatem haberet, ſepultus fuit in eccleſia dicta quidam Lutheranus officialis .... per quam ſepulturam eccleſia polluta uſque ad præſens ſine tecto, ac deſolata perſeverat.

XV. Solita aviditate lucri Dominus Baro .... in Grixane ſuper terris eccleſiarum novam impoſitionem per modum monopolii ad ſummam L. 145. 3 $\frac{1}{2}$ impoſuit, & ad exactionem officiales conſtringit ac adigit.

XVI. Idem Dominus ... proventus ſede epiſcopali vacante perceptos, prout ex riceputa copia ipſius originalis ſub littera B. conſtat, licet fuerit ei a Cæſare clementiſſimo impoſitum, ut eos Epiſcopo reſtitueret, nihilominus eos temerario auſu dare recuſavit; qua de re ſupplicatur Illuſtriſſimæ Commiſſioni, ut illius effectus uſque ad integralem ſolutionem ſequeſtrentur.

XVII. Nullo præcedente jure, via facti proventus Archidiaconales a Domino Barone .... retentos, pro iſtis epiſcopales proventus Antonio ... Baro ... prohibente Cæſare, ut decreto Cæſareo docebitur, tradidit.

XVIII. Tam Dominus ... quam ... inhibent, ut proventus epiſcopales pro uſu Epiſcopi ejuſque familiæ (qui nulla reſidentia in ſua diœceſi eſt proviſus) exportentur vel extravendantur; ſed ſibi leviſſimo pretio vendi expetunt & prætendunt; juſque in res ac perſonas eccleſiaſticas ſibi temerarie arrogant.

XIX. Frater Jacobus .... monachus Venetus Matthæum Baſtianich Canonicum Buccarenſem in Grobnich ſtipatus ſatellitibus in carcere ſacrilege conjici mandavit, in ſummum præjuditium eccleſiaſticorum.

XX. Tam unus, quam alter arendator pro exactione monopoliorum & Potckæ, vi ſuadente diabolo exegerunt jus montanum, rumpendo portas domus & cellariorum eccleſiæ ac Sacerdotum, licet de jure...

XXI. Non ceſſarunt prædicti arendatarii tam voce quam ſcripto viros Dei ſcomatis, impropriis, ac verbis obſcœnis in ſummum ſcandalum deturpare, nullo habito reſpectu ſe eſſe catholicos.

XXII. In Kotor generaliter officiales Zrinii graviter præjudicaverunt eccleſiis ac Sacerdotibus, eo quod manu violenta impoſuerunt ac rapuerunt de terris eccleſiæ omnem decimamquintam urnam, uti & a Sacerdotibus antea liberis.

XXIII. Officialis Zrinii, prout fuit Baro ... in Bribir, vendit pro ducatis 95. domum Sancti Martini.

XXIV. In Novi Baro ... ſibi appropriavit terras S. Luciæ, arrogando ſibi jus conferendi capellaniam & terras pro ſuo libitu, quæ terræ & capellania ſemper fuit annexa Capitulo.

XXV. Inhibet Franciſcus ... officialis Domini ... ne Valachi in Zafon ſolvant decimam clero pro adminiſtratione ſacramentorum, prout ipſi Valachi profitentur; quæ prohibitio a ſacro Canone eſt inhibita ſub pœna anathematis.

XXVI. In Cabar Dominus Baro ... ſibi appropriavit decimam parochialem ex villa Babinopolie; quas decimas in præjudicium parochi, convertit in privatum ſuum utile, tradendo eas Dominæ ...

XXVII. Georgius .... officialis in Brod auſu temerario, prout dicit, de mandato ſui dominii, pertinaciter ac incompetenter negat decimam parocho in Moravice.

XXVIII. Dominus Baro .... mortuo Epiſcopo Demetri, ſibi omnia ſua mobilia arrogavit, uti & pecunias, recuſando monſtrare teſtamentum defuncti Epiſcopi mei anteceſſoris.

XXIX. Patentes Cæſareas idem Baro ... auſu temerario ab Epiſcopo per notarium præſentatas, licet in eis mandetur fore exhibitori reſtituendas, attamen temerarie retinet, & ad præſens uſque retinere perſeverat.

XXX. In Grobnich Dominus Franciſcus ... a 5. hinc annis detinet 15. animalia parvula, ſingulis annis ſolvenda, relicta eccleſiis a defunctis Frangepanibus, excuſando ſe hoc ſibi inhiberi a Domino ... quorum ſumma hucuſque facit 95. animalia.

XXXI. Negat decimam unius terræ, quam tenet Suppanus ... antea ſemper perſolutam Epiſcopo & Capitulo.

XXXII. Auſu temerario officiales involant in jura Epiſcopi & Capitulorum, proventus eccleſiarum debitos denegando, Capitulares a functionibus & reſidentiis ſuis arcendo, diverſis modis eos turbando & vexando, nil penſi ducendo; cum mandatum Cæſareum ad Dominum ... & Dominum ... emanatum, ut in copia citata ſub littera A. viſibile eſt, hoc vere prohibeat.

Dum optimus Præſul ad jura & bona eccleſiæ tuenda vel recuperanda omni ſtudio & contentione incumberet, multas a magiſtratibus, privatiſque hominibus moleſtias pertulit; nec defuerunt, qui eum apud Cæſarem calumnioſe accuſarent: id quod mortem illi approperaſſe ferunt. Itaque haud magis ætate, quam graviſſimis curis, & ſummo mœrore confectus occubuit anno 1699. ineunte.

MARTINUS II. EP. SENIENSIS LII. & Modruſſenſis XIX.

Seniæ nobili genere natus eſt ex illuſtri Braicovichiorum familia. Apud Patres Societatis Jeſu primum in oppido S. Viti politioribus litteris, deinde Græcii Philoſophiæ ac Theologiæ ſtudiis operam dedit. Primus illi ad honores eccleſiaſticos gradus fuit dignitas Canonici in Eccleſia Senienſi; hinc vero aſcenſus ad collegium Canonicorum Zagrabienſium. Eidem ob ſingularem, qua excellebat, virtutem & doctrinam Senienſem Epiſcopatum Leopoldus Imperator pro eo jure, quo gaudebant reges Hungariæ, detulit. Sed cum de utraque eccleſia Martino decernenda in Senatu Cardinalium referri oporteret, dubi-

dubitatio ſuborta pontificiam approbationem remorata eſt. Non ambigebatur, quin jus nominandi Epiſcopi Senienſis ad Cæſarem Hungariæ regem pertineret; illud vocabatur in controverſiam, Pontifici ne, an regi Hungariæ jus eſſet eligendi Epiſcopi Modruſſenſis: ex quo fiebat, ut incertum eſſet quam formulam adhiberi oportebat ad conferendum utrumque Epiſcopatum. Extat de hac re diſſertatio in tabulario epiſcopali Senienſi, quam huic loco intexere noſtro inſtituto conſentaneum cenſeo.

Controverſia de jure eligendi Ep. Modruſſen.

Informatio ſtatus Epiſcopatus Segnenſis & Epiſcopatus Modruſien. qui a longo tempore ſunt invicem uniti.

Ad Sedem Apoſtolicam ſpectare oſtenditur.

Epiſcopatus Modruſienſis eſt antiquus Epiſcopatus Corbavien. qui titulus Corbavien. fuit ſuppreſſus a Pio II. anno 1460. *& translatus ad eccleſiam S. Marci oppidi Modruſien. itaut non amplius Corbavien. ſed Modruſien. in poſterum vocetur.*

Epiſcopatus Segnen. retinuit ſemper uſque adhuc ſuum nomen Segnenſis.

Duo hi Epiſcopatus reperiuntur in actibus conſiſtorialibus ab anno 1418. *uſque ad annum* 1600. *fuiſſe ſemper ſeparatim collatos, anno vero* 1600. *reperitur Modruſienſem Epiſcopatum fuiſſe datum in adminiſtrationem Epiſcopo Segnenſi, quod fuit etiam practicatum anno* 1613. 1634. 1667. 1681, *&* 1690.

Quando hi duo Epiſcopatus conferebantur ſeparatim, talis ſtatus reperitur, ſcilicet quando Segnen. Epiſcopatus ſolus conferebatur, reperitur ſemper expreſſio ad nominationem ſeu præſentationem S. Cæſar. Majeſtatis uti regis Hungariæ, & hoc annis 1418. 1428. 1521. 1560. 1584. 1587. 1593. 1613. 1617.

Quando Modruſien. ſolus, nunquam reperitur expreſſum ad nominationem ſeu præſentationem S. Cæſ. Majeſtatis uti regis Hungariæ, ſed ſimpliciter, nempe Fuit proviſus Vitalis Micholiſchi de Eccleſia Modruſien. *& hoc annis* 1499. 1537. 1538. 1549. 1550. 1560.

Quando vero fuerunt hi duo Epiſcopatus uniti, duplex reperitur ſtatus, ſcil. annis 1605. *&* 1634. *exprimitur:* Fuit proviſus Marcellus Marcheſius anno 1605. Petrus Mariani 1634. de Eccleſia Segnen. & Modruſien. invicem unitis ad nominationem S. Cæſar. Majeſtatis uti regis Hungariæ: *annis vero* 1667. 1681. 1690. *alius ſtatus dicit:* Fuit proviſus e. g. Sebaſtianus Glavinich de Eccleſia Segnen. & Modruſien. quo ad Segnen. ad nominationem S. Cæſ. Majeſtatis uti regis Hungariæ, quo vero ad Modruſien. liberæ diſpoſitionis Sedis Apoſtolicæ.

Cum autem modo deberet expediri Epiſcopatus Segnenſis & Modruſien. ad favorem Rev. Dom. Braicovich juxta nominationem Cæſaream, orta eſt difficultas an deberet ſervari ſtatus annorum 1603. *&* 1634. *ubi de utroque dicitur ad nominationem &c. ſeu ſtatus annor.* 1667. 1681. 1690. *ubi fuit facta illa diviſio ut ſupra.*

Miniſtri conſiſtorii, ac cancellariæ nullo modo volunt mutare ultimos tres ſtatus cum illa diviſione allegantes reſolutionem Sac. Congregationis conſiſtorialis anno 1666. *die* 24. *Auguſti, in qua Congregatione præſente Eminentiſſimo & Rever. Domino Card. ab Arach protectore Germaniæ fuit acriter diſcuſſa hæc materia, & tandem reſolutum, quoad Eccleſiam Segnen. nullam eſſe difficultatem pro nominatione Cæſarea, quo vero ad Modruſienſem, eſſe liberæ collationis Sedis Apoſtolicæ; Cui reſolutioni conſenſit dictus Cardinalis ab Arach, qui poſtea in conſiſtorio habito* 22. *Auguſti* 1667. *propoſuit dictam Eccleſiam Segnenſem unitam cum Modruſienſi cum dicta diſtinctione, quoad Eccleſiam Segnen. nominationis Cæſareæ, quoad Modruſien. liberæ diſpoſitionis Sedis Apoſtolicæ, qui ſtylus continuavit annis* 1681. *&* 1690. *Nec Aula Cæſarea unquam ſupra hanc materiam a* 30. *annis movit difficultatem, præcipue cum ſemper Eccleſia Modruſienſis detur illi eidem, quem Imperator nominat pro Eccleſia Segnenſi. Adduntque caſu quo Imperator vellet ſeparare Epiſcopatum Modruſienſem a Segnenſi, in eo caſu deberet dicto Epiſcopatui aſſignare reditus, & tunc ex nova fundatione ſeu dotatione, & ex acquiſitione vi armorum a manibus infidelium, competeret ipſi jus nominandi,*

His non obſtantibus P. Martinus Czelles Soc. Jeſu pœnitentiarius Hungarus, qui hujus difficultatis fuit auctor, allegat varias rationes dictis Miniſtris communicatas favore nominationis etiam pro Epiſcopatu Modruſienſi; ſed nullum aliud habetur reſponſum, niſi hæc omnia fuiſſe conſiderata in Congregatione conſiſtoriali 24. *Auguſti* 1666. *& nihilominus fuit deventum ad ſuprascriptam reſolutionem, cui nec protector Germaniæ, nec Aula Cæſarea ſe oppoſuit, & Bullæ ſemper tali modo fuerunt expeditæ, præcipue cum Epiſcopatus Modruſienſis ſemper conferatur illi eidem perſonæ, quam Imperator nominat ſeu præſentat pro Eccleſia Segnenſi. Unde dicunt hanc eſſe quæſtionem nominis, ac nullius momenti.*

Orta hac difficultate, Joannes Baptiſta Mariottus agens Neoepiſcopi Segnenſis, qui Bullas confirmationis debeat expedire, voluit priuſquam proponeretnr Epiſcopatus, audire mentem Excellentiſſimi Dom. Legati Cæſarei, ne juri Cæſareo aliquod præjudicium inferretur, quod ipſius negligentiæ poſſet poſtea imputari. Invenit Excellentiſſimum Dom. hujus difficultatis jam inſtructum a dicto Patre Martino, habuit in mandatis ſuperſedendi circa hujus Epiſcopatus expeditionem, & interim ſcribendi hæc omnia Sereniſſimo ac Reverendiſſimo Dom. Cardinali Medices pro ſua informatione, ad hoc ut Serenitas ſua Rever. uti protector Germaniæ, & Hungariæ, & ad quam materiæ eccleſiaſticæ ſpectant & pertinent, poſſet Aulam Cæſaream informare, & ab ea audire, an Bullæ confirmationis poſſint expediri, eo modo, & forma quo fuerunt expeditæ dictis annis 1667. 1681. 1690. *vel potius denuo urgere pro mutatione dictæ expreſſionis, & curari, ut ponatur in Bullis expreſſio poſita annis* 1603. 1634.

Exequendo igitur Excellentiſs. Dom. Legati Cæſarei mandata, tranſmittitur ad Sereniſſimum & Reverendiſſimum Dom. Cardinalem Medices prædictum hæc informatio, & ab ejuſdem nutibus, & mandatis dictus agens pendebit, addens Sedem Apoſtolicam nunquam variaturam ultimos tres ſtatus, juxta reſolutionem prædictam Sacræ Congregationis conſiſtorialis, & potius hic Epiſcopatus inexpeditus manebit.

Ceterum jam Epiſcopatus fuit præconizatus (quod non obſtat), fuit obtenta gratia a Sacro Collegio expeditionis Bullarum gratis, & a Sereniſſimo & Reverendiſſimo Cardinal. Medices ad inſtantiam Cæſaris, relaxatio propinæ, uti retulit Illuſtriſſimus Dom. Advocatur Manieri ejus Miniſter Romæ. Potuiſſet proponi in proximo conſiſtorio; in quo conſiſtit expeditio. Sed differetur uſque ad reſolutionem, quæ habebitur a Sereniſſimo Protectore &c.

Quid reſponſi a Cardinali Protectore Germaniæ & Hungariæ redditum fuerit, mihi non eſt compertum. Sacra Congregatio decrevit ſtandum eſſe decreto anni 1666. 24. *Auguſti*, de quo ſupra in Diſſertatione modo deſcripta; & Epiſcopatum utrumque in hæc verba conferendum cenſuit. 30. *Maji 1699. providit* (Innocentius XII.) *Eccleſiæ Segnen. vacanti per obitum Sebaſtiani Glavenich de perſona Martini Braicovich Presb. ad nominationem Cæſareæ Majeſtatis ut regis Hungariæ, committendo ei in adminiſtrationem Eccleſiam Modruſſienſem eidem Eccleſiæ Segnienſi canonice unitam juxta decretum alias factum in Congregatione rerum conſiſtorialium, cum diſpenſatione ſuper defectu gradus, ac indulto ſuſcipiendi munus conſecrationis ab uno Epiſcopo, aſſiſtentibus duobus dignitatibus, & decreto quod Canonicatus & præbenda Eccleſiæ Zagrabien. quos obtinet, vacent eo ipſo &c.*

Formula utriuſque Ep. Senien. & Modruſſen. conſervandi.

Sed gravior Martino controverſia fuit cum Stephano Doycichio Canonico Zagrabienſi, qui poſt Corbaviam Turcis expulſis recuperatam, dum adhuc viveret Sebaſtianus Glavinich, titulum Corbavienſis Epiſcopatus ab Leopoldo Imperatore impetraverat. Cum autem poſt obitum Sebaſtiani Cæſari ſupplicaſſet, ut a Sede Apoſtolica approbationem Epiſcopatus ſibi collati, & conſecrationem epiſcopalem ſibi obtineret, quam ipſe antea fruſtra petierat; Martinus Epiſcopus Senienſis ejus poſtulato vehementer intercеſſit. Utrique conſtitutus eſt dies, quo apud curiam regiam Hungaricam ſuam quiſque cauſſam defenderet. Negabat Stephanus conſtare de legitima & canonica Corbavienſis, ſive Modruſſenſis cum Senienſi Epiſcopatu conjunctione; verum *eſto, & non conceſſo*, ut eſt in ejus diſputatione MS. *quod dictus Epiſcopatus Corbavienſis, nominatus Modruſſenſis ſub jugo Turcico conſtitutus, per privilegium pontificium Epiſcopatui Senienſi canonice unitus fuiſſet; ceſſante tamen cauſa privilegium etiam juxta canonicam doctrinam ceſſare debet &c.* atque in hanc ſententiam aliquot ex jure canonico ſanctiones citavit; ac deinde, *Cum*, inquit, *cauſa unionis jam ceſſaſſet, ex quo dicti Comitatus Corbaviæ & Likæ per gratiam Dei majori ex parte victricibus Cæſareæ & Regiæ Majeſtatis armis recuperati eſſent; ideo & unio ceſſare debet, conſequenterque dicti Epiſcopatus Corbavien. ſeu Modruſſen. adminiſtratio mihi tamquam legitimo & proprio Epiſcopo ſuo per Sacram Cæſaream Majeſtatem declarato, ac per inclytam Cameram Ungaricam de more inſtallato omnino adjudicari debet. Cum itaque nulla hiſtoria, nulli annales, nulla denique horum memoria tradat Modruſſam proprium & diſtinctum a Corbavienſi Epiſcopatum, vel Epiſcopum habuiſſe proprium, aut Corbavienſem diœceſim quoquo modo ad Epiſcopum Segnien. pertinuiſſe, ſed nec Modruſſenſem parochialem Corbavien. Eccleſiæ ullo Brevi apoſtolico, vel regio diplomate (quæ in eo maxime requiruntur) a Corbavienſi ſeparatam & Segnienſi unitam eſſe conſtet, ideo ratio noſtra ſtare debet; & D. Neoepiſcopus Segnienſis inter terminos ſui Epiſcopatus, ſine uſurpatione alieni, ſeſe retinere; & ego uti legitimus Epiſcopus diœceſim meam Corbavienſem, alias Modruſſenſem nominatam, in qua præter collegiatas, ultra 13. parochiales actu numerantur eccleſiæ, pleno jure apprehendere, adminiſtrareque poſſim ac valeam; & tandem munus conſecrationis, pro quo hactenus tam Romæ, quam Viennæ ſat graves feci expenſas, conſequi mereor; adeoque putarem me graviter aggravandum fore; nec vero pluſquam ſeſqui diei iter ea mihi Zagrabia eſt, ut præcipuis diebus feſtivis illi facile adeſſe, ac Eccleſiæ Dei proſpicere, animarumque ſaluti, non proprii lucri cauſa, verum divini cultus emolumento commodius, quam alter, invigilare poſſim.*

Altera controverſia de Corbavienſi Epiſcopatu inter Martinum Ep. Senien. & Stephanum Doycichium.

Reſponſio Martini ad duo potiſſimum capita revocari poteſt, in quibus ſumma reſponſionis, viſque tota conſiſtit; primum eſt conjunctionem utriuſque Epiſcopatus tum nixam eſſe auctoritate pontificia & Cæſarea, tum conſuetudine utriuſque Epiſcopatus eidem perſonæ conferendi ante annos fere centum uſurpari cœpta firmatam; alterum eſt, non exiguam quidem diœceſeos Corbavienſis partem Turcis ereptam eſſe; ſed hanc fere deſertam a plebe, atque a cultura hominum; neque enim illam chriſtiani propter finitimos Turças Bihacenſes incolere audent. Ubi vero ædes cathedralis? ubi domicilium Epiſcopi? ubi collegium Canonicorum? ubi proventus menſæ epiſcopalis? quæ omnia hoſtilis vaſtatio, dominatus Turcicus, longinquitas temporis diſperſit, diruit, avertit, conſumpſit. Verum integram ejus reſponſionem hic ſubjiciendam cenſeo, in qua ſedis Corbavienſis Modruſſam translatæ, ac deinde cum Senienſi conjunctæ hiſtoria breviter atque ordine deſcribitur.

Hiſtoria Epiſcopatus Corbavienſis Modruſſam translati a Martino Braicovichio Epiſcopo Senienſi & Modruſſenſi adornata.

A tempore, quo in conditis divorum quorumdam regum decretis omnes ſeriatim Epiſcopi ad Sacram Coronam ſpectantes ſubjiciebantur, inter ceteros Epiſcopatus, non Modruſſenſis, ſed Corbavienſis mentio facta fuit; idque uſque ad Sigiſmundi Auguſti imperium incluſive, veluti decretorum concluſiones perluſtranti patebit clariſſime. Finiendo a Sigiſmundo, & incipiendo a decretis Matthiæ regis ſupra ducentorum annorum curſum, Epiſcopatus Corbavienſis amplius non meminere reges, ſed ſolum Modruſſenſis, & nunquam ſimul, ſed ſeorſim. Epiſcopatus Corbavienſis nec eſt, neque umquam fuit re diſtinctus a Modruſſenſi. Nam clare habetur in actis conſiſtorialibus & cameralibus Romanis, quod anno 1460. Pius II. Corbavia Modruſſam tranſtulit ſedem epiſcopalem, voluitque poſthac vocari Modruſſen. alias Corbavien. talem Epiſcopatum, ut in litteris Martini Kelles Pœnitentiarii Romæ Societ. Jeſu 8. Febr. an. 1698. ad Joannem Patacich ejuſdem Societ. datis.

In concordantia Tripartiti in fine Epiſcopatuum Modruſſenſis apponitur ſine ulla commemoratione Epiſcopatus Corbavienſis; immo in concluſione decretorum Matthiæ regis, ſub cujus imperio hæc ſedis mutatio contigit, quemdam Nicolaum Epiſcopum Modruſſenſem jam fuiſſe demonſtratur.

Succeſſu annorum Epiſcopatus Modruſſenſis datus fuit per modum adminiſtrationis ipſi Segnienſi Epiſcopo anno 1607. & ſequentibus, prout in Romanis actis ſe vidiſſe & legiſſe aſſerit in ſuis litteris prælibatus P. Kelles; & ſubſequitur evin-

cendi

cendi ratio credibilis, quod circiter 25. annorum continuatione Episcopi Segnienses Episcopatus Modrussensis administrandi curam gesserint.

Episcopatus Modrussensis postmodum non per modum administrationis collatus fuit Episcopo Segnen. sed per modum unionis; atque ita videtur contulisse Ferdinandus II. Joanni Agatich Episcopo Segnien. qui anno 1625. Episcopus Segnien. & Modrussen. in decretis regiis jam subscriptus legitur.

Supradictam porro administrationem & hanc unionem a potiori diœcesum utriusque Episcopatus rationabiliter suadebat deperditio; nam Turcicæ potentiæ furor, subjugata tota Corbavia & Lycha, & deinde devastata Modrussa, usque ad muros civitatis Segniensis hostiliter grassabatur, donec utrumque Episcoporum mediis ad vitam sustentandam requisitis spoliaret.

Superfuit tunc aliqua utriusque diœcesis particula, quæ postea nec uni Episcopo sustentationem, & munus consecrationis obtinendi vim exiguam suppeditavit. Quare sicut Agatichio uterque Episcopatus virtute donationis collatus fuerat, ut saltem in gubernio utriusque unus decenter vivere valeat, ita & ad hæc usque tempora successoribus reliquis, nimirum Mariano, Szmolianovichio, Cikulino, Dimitrio, Glavinichio, & recentissime mihi; quorum postremi in donationalibus & præsentoriis litteris non solum Segnensem, & Modrussensem Episcopatum obtinuere, sed cum addito: canonice unitum; *nemine quidem contradicente, sed Sacræ Sedis desuper veniente confirmatione, ejusdemque positivo, aut tacito consensu; velut hæc omnia autentice in cancellaria licebit intueri. De quo quidem eo minus dubitandum venit, quod Episcopi Segnien. in gubernio utriusque Episcopatus Modrussen. & Segnien. insuper in actuali sine turbatione semper fuerint possessione pacifica, legitima consuetudine, præscriptique temporis usu roborata, & ab aliis, quorum interest, approbata.*

Sunt quidem partes aliquæ Corbaviensis diœcesis recuperatæ, sed ex illa recuperatione nullus accedit Episcopis fructus. Dein ne residentiam quidem habet Corbaviensis, nec est, qui ob vicinos Turcas Bihacenses Corbaviam incolere audeat, nulla ibidem ædes cathedralis, nullum domicilium episcopale, nulli reditus Ecclesiæ.

Circa annum 1655. non obstante quod Episcopatus Corbaviensis aboleverit, & Episcopatus Modrussen. Segnienſi collatus fuerit, per sinistram quorumdam informationem Joannes cognomine Salix a Ferdinando tertio obtinuit Episcopatum Corbaviensem, & post illum reliqui abusivi successores; & sic dum auctor deviat, sequens quoque turba seducitur. Ante Joannem Salix longo tempore nemo fuit Episcopus qui voluerit contradicere unioni Episcopatuum factæ; sed nec ille, neque reliqui ad nullatensis hujusmodi Episcopatus titulum successores autentice demonstrari potest, quod contradixerint umquam. Quippe facta hujusmodi contradictio nullius roboris foret, utpote contra regiæ & pontificiæ Majestatis auctoritatem; nam taliter sentiret illa contradictio, qualiter si ego contradicere præsumerem donationi Petro 100. aureorum a sua Majestate illi collatorum. Quare verbum-regium & sacrum non violandum, non retractandum: atqui sacrata Capita Episcopis Segniensibus Modrussensem contulerunt conjunctim, imperturbate, & prius quidem, quam quorumdam sinistra opinione abolitus & cassatus Episcopatus Corbaviensis revivisscere cœpisset.

Episcopatus Corbaviensis sub prætextu & opinione Episcopatus tertii a Segnien. ac Modrussen. distincti Joanni Salix & successoribus traditus fuit; quis enim tam maligne dicere præsumeret, ut idem rex uni rursus donaret; quod semel donavit, jam redonare nequit; sed exemplo multorum annorum MM. regiæ contulerunt Segnienſi Modrussensem, ut extat in patentibus donationalibus; ita ergo sub informatione Episcopatus tertii Joanni & successoribus Episcopatus Corbaviensis fuerat collatus.

Informata Majestas regia, si vivente moderno Episcopo Zagrabiensi, alteri Sisciensem Episcopatum conferret, cujus titulus pridem abolitus est, & sedes Zagrabiam translata, sane invalida nullaque foret donatio; & sic abolitus pridem ab annis 240. Episcopatus Corbaviensis & Modrussam translatus, mihi, & meis prædecessoribus plurimis simul cum Segniensi collatus. Ergo &c.

Antequam fuisset subsecuta liberatio Lychæ & Corbaviæ, jam Joanni Salix datus erat abusivus Episcopatus Corbaviensis. Ergo illegitime collata sedes Corbaviensis tum Joanni illi, & nunc Domino Doycichio,

Quæ uterque pro sua causſa tuenda expoſuit, & momenta rationum in utramque partem Leopoldus diligentiſſime perpendens, ſecundum Martinum ſententiam dixit, & Stephano perpetuum ſuper ea re ſilentium impoſuit: qui quidem haud multo poſt extinctus, pacatam quietamque utriuſque Epiſcopatus poſſeſſionem Martino reliquit. Sed rem omnem cognoſcere præſtat e diplomate Cæſareo, quod poſt biennium Viennæ confectum eſt. Corbaviensis Ecclesiæ adjudicata est Martino diplomate augustali.

Nos Leopoldus Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, & Marchio Moraviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, & Goritiæ &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium significantes quibus expedit universis; quod posteaquam in anno adhuc millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto jam longe præterito, Reverendus quondam Stephanus Doycich, facta apud Majestatem nostram instantia ad indirectam informationem suam, titulum Episcopatus Corbaviensis, quasi vero ab alio, Modrusiensi nempe, Episcopatu diversus & nullatenus connexus fuisset, a Majestate nostra velut rege Hungariæ apostolico impetrasset, ac demum successu temporis solo titulo minus contentus, Bullas quoque confirmatorias apud curiam Romanam sollicitasset, easque simpliciter obtinere non valens novissime ad Majestatem nostram recurrisset, ac pro manutenendo, quem prævio modo impetraverat, titulo, proque concessione præfatarum Bullarum ad Sedem Apostolicam recommendatitias litteras nostras demisse postulasset; interea vero temporis Episcopatum etiam Segniensem & Modrusiensem vacare contigisset, & hunc fideli nostro Reverendo Martino Braikovich auctoritate juris-

juriſpatronatus noſtri regii clementer contuliſſemus ; tandem modo fatus Martinus Braikovich , ſubaudita præfati condam Stephani Doycich prædeclarata intentione , & pro prænotatis recommendatoriis inſtantia , in continenti ſolliemniter coram nobis interpoſuit proteſtationem , ne ejuſmodi recommendatoriæ repetito olim Stephano Doycich impertiantur , obtulitque probandum , quod Epiſcopatus Corbavienſis a Modruſienſi diſtinctus nullus daretur , verum ſub nomine Modruſienſis , Epiſcopatui Segnienſi jamdudum unitus extitiſſet ; hinc nos ad evitandas quaſvis novitates & inconvenientias , negotio in altiorem conſiderationem ſumpto , ne alterutri partium quæpiam inferatur injuria , ambabus certum terminum veniendi in præſentiam regiæ noſtræ Hungaricæ aulicæ cancellariæ præfigi curavimus ; quo adveniente , & memoratis partibus in anno adhuc 1699. ac menſe Julio coram eadem regia Hungarica aulica cancellaria noſtra comparentibus , ſufficienterque pro & contra exauditis , allegatiſque , & productis ipſarum exacte ruminatis , & combinatis , majeſtatique noſtræ relatis , ſiquidem prætenſum Epiſcopatum Corbavienſem cum Modruſienſi unum eumdemque ab antiquo extitiſſe , & non niſi a reſidentia Epiſcopi ob tyrannidem Turcicam ſede ſua pulſi , Modruſiam translatum , nomen ac titulum Modruſienſis aſſumpſiſſe , reipſa tamen Corbavienſem ; ſed attenuatis proventibus ſub nomine Modruſienſis Segnienſi Epiſcopatui unitum fuiſſe , præfatus Martinus Braikovich luculenter comprobaſſet ; ob id nos memorato Stephano Doycich , quo ad petitæ confirmationis inſtantiam , ſilentium imponi , imo brevi ea poſt tempore eodem Stephano Doycich e vivis excedente , titulum quoque Corbavienſis Epiſcopi , velut a Modruſienſi non diſtincti , tamdiu ſupprimi , donec idem ſub nomine Modruſienſis penes alterum , ut præmiſſum eſt , Segnienſem , cui jamdudum unitus eſt , relinquatur , benigniſſime juſſimus , & decrevimus ; immo jubemus , & decernimus harum noſtrarum vigore , & teſtimonio mediante . Dat. in civitate noſtra Vienna Auſtriæ die 4. menſis Maji . Anno Domini 1702. regnorum noſtrorum , Romani XLIV. Hungariæ & reliquorum XLVII. Bohemiæ vero anno XLV.

Idem Imperator anno ſuperiori , ut Martini poſtulatis obſequeretur , decretum de jure decimarum , quod ante annos fere viginti ſecundum Hyacinthum Epiſcopum fecerat , Martino ſuis litteris inſertum tradi juſſit.

Alterum diploma Leopoldi de ſolvendis decimis.

Nos Leopoldus Dei gratia electus Rom. Imperator ſemper Auguſtus , ac Germaniæ &c. memoriæ commendamus &c. quod fidelis noſter nobis dilectus Rev. Martinus Braikovich Eccleſiarum Segnien. & Modruſien. Epiſcopus , & Conſiliarius noſter medio demiſſi ſupplicis libelli ſui Majeſtati noſtræ humillime expoſuerit hoc modo : qualiter pridem paribus certarum patentium litterarum noſtrarum de anno 1682. die vero 21. menſis Octobris jampridem evolutis , in haſce civitate noſtra Vienna Auſtriæ pro parte & ad inſtantiam Rev. olim Hyacinthi Dimetri prædeceſſoris in facto penſionis & præſtationis decimarum eidem olim Epiſcopo Dimetri fiendæ , clementiſſime impertitarum ; ad præſens pro jurium ſuorum tuitione indigeret , ſupplicando Majeſtati noſtræ idem Martinus Braikovich debita cum inſtantia humillime , quatenus nos præfatas litteras noſtras patentes in protocolis & libris noſtris regiis penes cancellariam noſtram regiam Hungarico-aulicam aſſervari ſolitis perquiri & reinveniri facere , perquiſitarumque & inventarum tenorem , in tranſumpto aliarum benignarum noſtrarum , eidem extradere benigne dignaremur , Quarum quidem litterarum noſtrarum verbalis ſenſus ſequitur hunc in modum : Nos Leopoldus &c. (Hic inſertum eſt Decretum Cælareum, quod in Hyacintho deſcripſimus. Proſequitur deinde:) *Unde nos ad demiſſam prænominati Martini Braikovich Epiſcopi Segnien. & Modruſien. inſtantiam & ſupplicationem præinſertas patentes litteras noſtras in præfatis protocolis ſeu libris noſtris regiis perquiri , & reinveniri , præſentibuſque de verbo ad verbum inſcribi facientes , eaſdem in tranſumpto harum litterarum noſtrarum dicto Epiſcopo Martino Braikovich ad futuram cautelam jurium ſuorum neceſſarias , extradendas eſſe duximus , & concedendas . Dat. in caſtro noſtro Eberſdorff , die 26. menſis Septembris anno Domini 1701. regnorum noſtrorum &c.*

Epiſtola Martini ad Clementem XI. P. M.

Binas epiſtolas Martinus ſcripſit , alteram ad Pontificem Maximum , alteram ad Cardinales præſides Sacræ Congregationis , quibus eos diligenter docuit de ſtatu diœceſis utriuſque , admonuitque quantis res chriſtiana & eccleſiaſtica incommodis , periculis , difficultatibus laboraret , & quemadmodum his conſuli ac provideri , quidve remedii adhiberi oporteret.

Beatiſſime Pater . Sacra Domus Nazaretana Terjacti in diœceſi Modruſſenſi tribus annis & ſex menſibus quieverat , unde Lauretum translata fuit ; in cujus locum ejuſdem magnitudinis & formæ ſacellum extrui curaverant Comites Frangipani ejus loci tunc Domini , uti & Monaſterium PP. obſervantiæ , modo Reformatis datum . Reperitur etiam in eodem ſacello celebris imago B. Mariæ Virginis a S. Luca depicta , atque ab Urbano V. pro ſolatio illarum partium tranſmiſſa . Sacellum hoc ex pia fidelium liberalitate , ac erga Dei Matrem devotione magnum theſaurum acquiſierat ; qui tamen non adeo pridem valde imminutus & abſumptus eſt . A quo autem ablatus , aut in quid inſumptus fuerit , facile reſciri poſſet , ſi Sanctitas veſtra per qualificatas perſonas inquiſitionem fieri demandaret . Pars aliqua adhuc ex illo theſauro remanſit ; ſed hæc pari periculo non caret : ejus tamen ſecuritati provideri poſſet , ſi Sanctitatis veſtræ mandatis ſub triplici clavi cuſtodiretur , quarum una eſſet penes Epiſcopum loci , altera penes PP. Reformatos , tertia penes Parochum , aut aliam perſonam qualificatam . Sic enim fieret , ut fidelium populorum , qui nunc ob amiſſum theſaurum mœſti ſunt , priſtina erga Deiparam liberalitas excitaretur , & ejuſdem ſacelli honori ac decori proſpiceretur . Habet idem ſacellum ſuam argenteriam , veſtes ſacras , & alia indumenta , & ornamenta , quæ omnia ut debite cuſtodiantur , conſcribenda eſſent per Sanctitatis veſtræ commiſſarios , & curæ perſonarum dignarum committenda . Inter eleemoſynas pro miſſis , & pro ſacello nulla habetur diſtinctio . Expediret fortaſſe , ut talis diſtinctio fieret , quæ in ſancta Domo Lauretana obſervatur . Præterea ne capſulæ eleemoſynarum abſque Epiſcopi præſentia reſerari poſſent , ut ſic omnium ratio melius annotetur .

Regulares Monachi Segniæ , Czriquenicæ , & Novi , licet numero ubique pauciſſimi , Epiſcopum ad viſitationem non admittunt . Erigunt in eccleſiis ſuis confraternitates , quarum rationem Epiſcopo denegant . Hic pariter Sanctitati veſtræ pro opportuno remedio ſupplicatur .

Habeo

Habeo Epiſcopatum valde amplum, & dilatatum, cujus magna pars in regionibus recenter Turcis ereptis; ſed Sacerdotibus doctis & Latini idiomatis peritis plane deſtitutum, qui eumdem populum in rebus fidei inſtruant, & ſchiſmaticorum, qui copioſi ſunt, reductionem procurent. Suppleri hic defectus poſſet, ſi aliunde docti ac linguæ Illyricæ periti Miſſionarii advocarentur. Verum cum proventus epiſcopales tenues habeam, tales conducere nequeo. Si tamen Sanctitas veſtra ducenta ſcuta annua paterne aſſignare dignaretur, in hunc finem fideliter impenderentur. Expediret binos clericos in collegio de Propaganda fide, & ſaltem alios binos in collegio Germanico, vel aliquo alio, ex eodem Epiſcopatu recipere, & educare, qui reduces bene inſtructi cultum divinum, & animarum ſalutem promoverent: cum ibi Seminarium nullum ſit, neque tam cito ob inopiam mediorum & inſtrumentorum haberi valeat. Poſſent etiam ſaltem bini Sacerdotes ex eodem Epiſcopatu ad Capitulum S. Hieronymi Illyricorum de urbe ſuſcipi, qui illius beneficii auxilio altioribus ſtudiis operam darent; ac illis abſolutis in patriam reverterentur, & ſucceſſive alii aliis ſuccederent, uti factum eſt cum aliquibus, qui in collegio Lauretano ſua ſtudia abſolverunt.

Totus clerus in dicendo divino officio, & Miſſarum celebratione, Illyrici idiomatis libris utitur, quibus pene caret; & niſi ex typographia de Propaganda fide proviſum fuerit, brevi a divinis ceſſare cogetur, cum Latini idiomatis peritiam non habeat. Quia vero libri, qui modo extant, pluribus erroribus ſcateant, & lectionibus novorum Sanctorum careant; neque ſit in urbe aliquis peritus, qui errores corrigere, & novas lectiones componere valeat; poſſet ex mea diœceſi evocari Nicolaus Maricich Sacerdos latinæ & glagoliticæ linguæ ſatis peritus. Media vero pro illius ſuſtentatione vel a Sacra Congregatione de Propaganda fide, vel ab hoſpitali S. Hieronymi ſuppeditari poſſent, prout Sanctitati veſtræ melius viſum foret.

Caret pene tota diœceſis mea reliquiis Sanctorum. Quare demiſſe ſupplico Sanctitati veſtræ pro duobus corporibus Sanctorum, quos primariæ diœceſis civitates pro Patronis publice colerent: talibus enim in illis partibus magna veneratio adhiberi ſolet, maxime a populo, qui continuo in Turcarum confiniis vitam ducit.

Canonici Cathedralis Segnienſis & dignitates nulla inſignia habent determinata, quibus a reliquo clero diſtinguantur. Nullum pariter ſtatutum D. D. Canonici habent. Quare in utriſque paternam Sanctitatis veſtræ mentem & reſolutionem intelligere enixe cupio, ut me in omnibus eidem conformare valeam, vel maxime occaſione celebrandæ Synodi, quæ jam a centenis annis cum aliquo fructu celebrata non auditur.

Capitula Vinodolenſia &c. ob tenuitatem proventuum miſere ſubſiſtunt. Si tamen Sanctitati veſtræ placitum accederet, Canonicorum numerus ad pauciores reſtringi poſſet.

Nequeo ſatis Sanctitati veſtræ piiſſimi Imperatoris Leopoldi dilaudare zelum, & favores, quos ſe facturum diœceſi meæ adpromiſit. At licet ille ſit valde ad benefaciendum inclinatus; ut tamen citius, & abſque ſuorum officialium impedimento promiſſa executioni demandet, ſumme neceſſaria eſſet una Sanctitatis veſtræ epiſtola ad ipſum danda, pariter ad Cardinalem Kollonitz, & ad Nuncium Sanctitatis veſtræ apud Aulam Cæſaream Viennæ degentem.

Juſta autem mea apud Cæſarem petitio eſt pro reſtitutione decimarum in toto Epiſcopatu; & ne illis colligendis ab officialibus impedimentum ponatur. Pro terris ſeu fundis ad eccleſias maxime Modruſſen. Oſtarienſem & Segnienſem ſpectantibus, ne poteſtas ſæcularis, ſeu laicalis in viſitationibus, ſeu rationibus eccleſiarum ſe immiſceat; ne epiſcopalia jura in proviſionibus Sacerdotum ſeu dignitatum perturbentur; ut Cæſar ex regionibus recenter Turcis ereptis aliquas terras, ſeu bona ſtabilia aſſignaret pro Seminario Segniæ erigendo, in quo juventus educaretur; & eccleſiarum ac animarum ſaluti & neceſſitati proſpiceretur. Ut ſexaginta aureos ducatos Capitulo & Epiſcopo Segnienſi in teloniis ſuæ Majeſtatis rurſus dari juberet, quos Nicolaus de Frangipanibus eiſdem pro Miſſis adventualibus legaverat.

Hæc ſunt, Beatiſſime Pater, quæ Sanctitati veſtræ proponenda habui, cujus paternæ reſolutioni ac determinationi me humillime ſubjicio, ac omnem felicitatem ac proſperitatem voveo.

Sanctitatis Veſtræ Clientum minimus Martinus Braikovich Epiſcopus Segnienſis & Modruſſenſis, ſeu Corbavienſis.

Eminentiſſimi Patres.

Altera ad Cardinales Sac. Congregationis.

Omiſſis &c. (ideſt inſcriptione & proœmio) *In primis tam Segnienſis, quam Modruſſenſis diœceſis Valachis ritus græci, nolentibus Romanum Pontificem univerſalis eccleſiæ Caput agnoſcere, adeo abundant, ut utriuſque diœceſis plane dimidium ex præſtantioribus terris prorſus occuparint, perverſiſque eorum dogmatibus infecerint, noſtras plurimas eccleſias deſolaverint, & pro conſervatoriis gregum ſuorum in ſuum uſum converterint, exercentes ritum ſchiſmaticum, nemine contradicente. Nam in diœceſi Segnien. non eſt parochia, in Modruſſen. vero paucæ excipiuntur, quæ ſchiſmatici infeſtatione veneni reperiantur immunes. Hinc in diœceſi Segnien. parochia Ottochacz omnes pro ſchiſmaticis numerat, qui ſunt in diſtrictu Viliæ, & potiorem Gatkæ partem poſſident, ubi copia animarum ultra milleſimum facile excedit numerum. In Vilichæ loco noſtram olim S. Spiritus eccleſiam, miraculis aliquando claram, ludibrio exponunt, & potius alibi Græcorum celebrant ſollemnia.*

Beloch a memoria mea noſtræ fidei pro parocho alebat Sacerdotem, modo autem duodecim tantum domus catholicæ ſunt ibidem, reliquæ omnes ſchiſmaticæ Valachum Sacerdotem pro parocho habentes. In meo adventu ad iſtas partes expedivi unum Sacerdotem illico, ut ibidem animabus is illis 12. domibus contentis adminiſtraret ſacramenta.

Brinye parochia tres diſperſos pagos inter colles, uti eſt Daber, Prodike, & Luchane, in vicinia plures ſchiſmaticos tolerat, qui tamen noſtras ſæpius frequentarent eccleſias, niſi ab eorum Sacerdotibus indignis vexarentur modis.

Parochiæ . . . Koſſing quartam partem occupant catholici, reliquis potiuntur ſchiſmatici per eorum Sacerdotes Græcum ritum exercentes, reliquis ſane duriores, & magis in ſecta eorum defendenda obſtinati.

Præterea diſtrictus S. Georgii, Kempotæ, Jablanez, & Krarno nonnullos ſchiſmaticos mixtos Valachis fidei noſtræ tolerat, quibus non alius, quam catholicus conceditur parochus.

In diœceſi autem Epiſcopatus Modruſſen. ſeu

Cor-

Corbavien. quam a potiori parte victricia ſuæ Majeſtatis arma e jugo Turcico vendicarunt, parochias Modruſſen. Oſtarienſem, Ogalienſem Valachorum ad 200. domus, totumque territorium deſtructæ arcis Plasko inundarunt: item Czareno Polyæ aliquot domus, Muniavæ plurimæ, Ottck non paucæ, & Maravicz plane copioſæ. Nullus ex dictis locis caret miniſterio ſchiſmatici Sacerdotis.

Poſt parochiam Tobunienſem, totum ſpatium terrarum Dubrave in circuitum Gornyrye in proprium ſchiſmatici converterunt emolumentum, Sacerdote uno Dubraviæ & Gornyrye Kallucerorum, ſeu Baſilianorum ſufficienter proviſi.

Hæ omnes ſignificatæ partes tam Segnien. quam Modruſſen. Epiſcopatus, licet erant deſertæ a potiori parte, & ob metum continuæ infeſtationis Turcicæ, tantum in aliqua ſui parte habitabiles; nunquam tamen hoſti tributariæ erant, ſed nec etiam pro incolis Turcæ ſunt paſſi.

Hæ autem arces deſtructæ, ac deſertæ, quæ olim vera dominia erant, ut ſunt Tarſich, Poloſi, Percaſicza, Budachky, & Blagay, incipiunt inhabitari a potiori parte ſchiſmaticis Valachis, quam hominibus catholicis.

Cuilibet ex his locis provideri poſſet, ſi terræ aliquæ per commiſſionem Cæſaream pro eccleſiarum in iiſdem locis extantium reparatione & dote, deinde pro parochi ſuſtentatione applicarentur.

Tanta ſchiſmaticorum multitudo non ſolum facile uniretur Romanæ Eccleſiæ, verum etiam illius in omnibus cærimoniis ritum per omnia amplecteretur, ſi eorum Sacerdotibus ſub ſtricta comminatione ad illos prohiberetur acceſſus. Cuilibet autem domui gravis pœna eſſet infligenda, ſi ſchiſmaticus Sacerdos in alicujus domo degens inveniretur, aut ſolummodo deliteſcens audiretur; & ſi ſecunda vice deprehenderetur, omnibus bonis per confiſcationem ſpoliandus eſſet. Tandem ne liceat alteri, quam catholico Epiſcopo, in cujus diœceſi ſunt, eorum viſitare templa. At Uladkis Valachorum Epiſcopis interdicatur omnis viſitandi eccleſias modus; nam ſæpenumero lamentantes audivi Valachos contra eorumdem Sacerdotes, quod viſitare, aut accedere volentes noſtras eccleſias, diris per ipſos efficiantur probris, & pœnis puniantur. Unde conſtat Valachos noſtrum ritum & ſacramenta non abhorrere in defectu Sacerdotum Valachorum.

Sunt etiam Capitanei locorum, officialeſque confiniorum admonendi ſub pœna indignationis, & deperditionis officii, ſi aliquis præſumeret aſſiſtere ſchiſmaticis eorum muneribus corruptus. Nec vero ad hæc uſque tempora taliter umquam ſerperet ſchiſmaticus hoſtis, niſi protectionibus officialium & Capitaneorum ſaltem indirecte foverentur. Si autem in commiſſione Cæſarea magis catholicis favebitur, quam ſchiſmaticis, tam in diſtributione terrarum, ſtipendiorumque, quam in conceſſione immunitatum aliquarum; ſub ſpe tantæ utilitatis brevi tempore omnes nobis unirentur, & cærimonias omnes catholicorum ſequerentur.

Epiſcopatus Segnien. & Capitulum modo neque terras, neque ruſticos, neque decimas habent; & omnes proventus annui utriuſque ſexaginta florenorum ſummam non excedunt. Olim bene poterat uterque condecenter vivere, quia ampla dominia poſſediſſe, & decimas ex totius Epiſcopatus Segnienſis diſtrictu collegiſſe dicitur. Quapropter villa Luchana in Capitaneatu Brynienſi ad Epiſcopum Segnienſem ſpectare dignoſcitur ex patentibus litteris Joannis Comitis de Frangipanibus anno 1497. quam villam ob Turcarum metum nemo inhabitavit; ſed profugientes Valachi ad partes noſtras ex indulgentia Capitaneorum eam occuparunt, & in hodiernum poſſident abſque omni Epiſcopi recognitione.

Reperitur etiam infra arcem Ottochenſem terra dicta Biskupnich, qua nunc Burgrafius loci gaudet. Ipſum nomen dicet hanc terram concernere Epiſcopum, licet nullius declaratione inſtrumenti, ſed communi aſſertione hominum demonſtrari poteſt.

Decimæ quoque non tantum ex toto dominio Brynienſi, verum ex omnibus terris ad præfatum Comitem de Francapanibus pertinentibus, juxta præcitatum privilegium Epiſcopo cedebant. In hodiernum parochus Brynienſis loco decimæ quadrageſimam colligit, atque illa frui permittitur, quia aliter parochus ibidem inlocatus parochiæ præſidere non intendit. Talis autem modalitas huc uſque per patientiam toleranda erat, ne per exactionem decimarum illi pauci catholici a Romana deficerent Eccleſia.

Capitaneatus Ottochaz, & totius Gatzkæ diſtrictus Epiſcopo & Capitulo Segnienſi exacte olim pendebat decimas, ut apparet ex anno 1497. Extat etiam mandatum Uladislavi regis in Capitulari Archivio antiquo charactere, quo adſtringuntur Gatzkenſes etiam nobiles ad ſolvendas Epiſcopo decimas. Nunc autem dant decimæ loco quadrageſimam, cujus ſuppeditatione ille populus ad propriam animarum neceſſitatem parochum & duos capellanos ſuſtentat.

Sed & tota diœceſis Segnienſis, immo & ipſi Segnienſes ante hoſtilitatem Turcarum, ex omnibus Epiſcopo & Capitulo exacte ſolvebant decimas, ut docent litteræ in Archivo Capitulari aſſervatæ, & liquet ex moderni invictiſſimi Imperatoris privilegio de anno 1687. ubi Epiſcopum omnium decimarum proprietarium dominum agnoſcit & confirmat. Quod porro ex dominio Jablunaz Capitulum collegerit decimas de anno 1481. & 1488. liquet.

Totus circuitus Kraſno in Epiſcopatu Segnienſi exiſtens a Ferdinando Imperatore & rege in eleemoſynam datus fuit & donatus Capitulo Segnien. pro refrigerio animæ Ludovici regis prædeceſſoris, & ſororis illius de an. 1527. Hocce territorium Kraſno inlocarunt Valachi a Capitaneo Segnienſi pridem poſiti, qui nec Capitulum pro domino agnoſcunt, neque decimis pendendis ſubjacere volunt.

Præterea Nicolaus de Francapanibus, ſe ſuoſque hæredes obligavit Capitulo Segnienſi ſingulis annis ad pendendum quinquaginta aureos ducatos; & quolibet anno (nulla die in Adventu omiſſa) in cathedrali celebratur ſacrum de B. M. V. ut Matthias rex Hungariæ an. 1496. & 92. & ſic quilibet curavit exſolvi. Hæc ſacra nunquam neglecta a Capitulo, ſed ſingulis annis punctualiter perſolvuntur, ſub ſpe, quod finitis belli tumultibus iterato ſolvantur, & non ſinent piam fundationem fruſtrari, qui ſortientur terras & decimas olim Francapanibus ſubjectas. Ne igitur tam ardenter facta devoti Fundatoris diſpoſitio defraudetur, ſupplicat una mecum Capitulum Majeſtati auguſtiſſimæ pro gratioſa hujus legati confirmatione: cujus exſolutio vel ex decima Segnienſi, vel Fluminenſi clementiſſime ordinanda ſperatur,

ut

ut aestimatores suæ Majestatis successivis temporibus sine ulla cunctatione illud pium legatum persolvant &c.

Capitulum Segnien. constat 4. dignitatibus, Præposito, Archidiacono, Archipresbytero, & Primicerio; nec non octo aliis Canonicis; at dici potest sine omni aliquorum proventuum provisione. Tantum illis aliquid cedit ex piis legatis; hinc est quod doctiores patriam fugiunt.

In valle Segarsi cernitur destructa Abbatia S. Crucis; altera erat S. Georgii, & tertia S. . . . penes Segnam, quarta S. Nicolai de Gustka in Ottochaz. Supplico demississime suæ Majestati, ut Commissarii Cæsarei, cum ad has partes lustrandas veniunt, si quæ terræ ad tales Abbatiales Ecclesias pertinere demonstrarentur, eas ecclesiis illis restituant, sub obligatione alicujus competentis recognitionis suæ Majestati faciendæ.

Episcopatus Modrussensis nullæ extant litteræ in archivo episcopali. Capitula collegialium ecclesiarum ad hæc usque tempora sciuntur litteralium instrumentorum habere nihil,

Quoniam vero Modrussa erat olim florida civitas; turrim pro pulsu campanarum, quæ campanæ ob Turcarum timorem Ottochium translatæ sunt, ibidemque servantur, absque restitutionis instrumento, eminentem etiamnum habet, & satis multa tam cathedralis ecclesiæ, quam Episcopalis & Canonicalis residentiæ extant rudera.

Sed brevi rursus habitaretur civitas, si Episcopo Modrussensi, & Capitulo illi reditus terrarum & decimarum deputarentur ac restituerentur, quibus olim Episcopus & Capitulum fruebantur. Quæ autem terræ & qui proventus olim erant ecclesiæ & Episcopi, viva dignorum virorum testimonia referrent punctualiter. Totus Capitaneatus Ogulinensis usque ad annum 1690. pendebat decimas, quibus sustentabatur parochus; postmodum quidam Sacerdos decimas recusavit, & hæ pariter sunt amissæ.

Quidquid Episcopus Modrussen. ultra montem Capellæ sub diœcesi continet, de hujus proventibus ne obulum quidem percipit, unde olim Episcopus condigne sustentabatur. Et quia certum est in Corbavia Episcopum collegisse decimas, prout in uno folio antiquo inveni, ideo supplico Majestati Cæsareæ pro aliquo loco ibidem Episcopo Modrussen. in adjutorium mensæ donando, & pro gratioso aliquo mandato, vigore cujus omnibus diœcesanis imponatur obligatio decimas Episcopo solvendi, quas postmodum decimas cum Capitulo æqualiter distribueret. Idcirco si terra aliqua penes montem Kilik a Valachis occupata Episcopo & Capitulo donaretur pro auxilio, prout humillime postulo, & Episcopus & Capitulum taliter subsisterent condecenter. Tali modalitate Capitulum Noviense, quod prætendit titulum Cathedralis Modrussensis, illico Modrussam transferretur, post quod tota vicinia ad populandam civitatem successive ingrederetur, ad magnum suæ Majestatis emolumentum,

Taliter satis clare mihi videtur, quod uterque Episcopatus bene provisus redderetur; & post me secure duo subjecta in duobus Episcopatibus, tamquam novus fundator sua Majestas accommodare posset, pro animarum majori lucro.

Vivit igitur modo Episcopus Segnen. & Modrussen. ex puris decimis Vinodolensibus, quas æqualiter partitur cum Capitulis collegiatarum ecclesiarum, Novi videlicet, Brebir, Grisane, Buccari, & Grobnick. Præterea ex omni decima decimæ episcopalis alitur Archidiaconus: quam miseranda hæc sustentatio!

Ante aliquot annos habitatores Novi, in Vinodol excolebant terram Zaggorry dictam, & Episcopo debitam præstabant decimam. Postmodum vero eamdem terram metu Turcarum desertam reliquerunt usque ad tempus futuræ pacis. Sed venientibus Valachis Dominium præfatam terram tradit possidendam; ex quo, hoc titulo quod Valachi sint, justas Episcopo decimas denegant.

Significo me destructam residentiam Episcopi Segniæ totaliter reparasse; & licet nihil invenerim Episcopatui relictum a meo prædecessore, nihilominus tamen satagam ope divina &c.

Tandem Sac. Cæs. Majestati humillime supplico pro salutifero remedio contra schismaticos, pro fundatione meliori Episcopatuum Segnien. & Modrussen. seorsim sumptorum &c.

Quæ ad convertendos schismaticos Cæsari suggessit, monita & consilia.

Cum optimus Præsul arderet incredibili desiderio reducendi ad sinum ecclesiæ schismaticos, quorum referta erat Licha præsertim & Corbavia, prudentissima quædam monita & consilia suggessit Leopoldo Imperatori, quæ ad eorum conversionem vel necessaria, vel perutilia fore videbantur. Sunt autem hæc.

Excelsa Sacra Cæsarea Regia Majestas.

Quoties ex dictamine debitæ obligationis inordinatum pene utriusque diœcesis meæ statum sollicitus in considerationem accipio, toties eo intensiori compassione intime mihi laniantur præcordia, quod tam Episcopatum Segniensem, quam Modrussensem, seu Corbaviensem Valachis ritus Græci, nolentibus autem Romanum Pontificem pro universalis ecclesiæ summo capite agnoscere, intueor abundare, adeo quidem quod utriusque diœcesis meæ ultra dimidium ex præstantioribus terris occupaverint, perversisque eorum dogmatibus multitudinem animarum infecerint, catholicas olim ecclesias plurimas desolaverint, & pro conservatoriis gregum ipsorum converterint, effundentes venenum schismaticum, vix aliquo resistente: quibus bene consideratis facile intelligi potest, quanta inde caterva malorum trahitur in perniciem animarum & manifestum periculum universæ hujus regionis. Quantis autem lacrymis deplorandus est Valachorum Episcoporum, hucusque facultate libera donatus agendi modus, qui tempore visitationis suæ non tantum obstinatiores in schismate reddunt Valachos, verum & unitos ad agnitionem veræ fidei infandis sane mediis rursus redire cogunt ad absorbendum schismatis vomitum, semel feliciter ejectum. Hujusmodi facultas visitandi ecclesias concessa schismaticis quantum in detrimentum cedit ecclesiæ matri, qua sub pondere tam scelesti ausus ex eo vel maxime ingemiscit, quia electi Episcopi Valachici, antequam a schismatico consecrationis munus obtineant, jurare tenentur, quod alium neminem pro summo universalis ecclesiæ capite agnoscere velint, quam eorum Patriarcham; quodque calamo, lingua, ære, & vita contra Romanum Papam pugnare debeant. Hinc quantum quoque præjudicium oritur augustissimo Principi, quando Wladikæ Episcopi Valachorum vi anathematis exugunt incolas terræ, ac ex conventionis pacto unam partem Patriarchæ in Turcia residenti, alteram Turcarum Imperatori contribuunt singulis annis; Quid igitur boni sperandum est ab illis Sacerdotibus Valachis, alias Calugeris dictis, qui jam ex ditione Turcica, jam ex longioribus Hungariæ partibus, jam ex Ducatu Muscovitico, jam ex ipsa Moldavia & Valachia singulis ferme annis cernuntur in utriusque Episcopatus mei districtu, atque sub prætextu colligendæ eleemosynæ conventicula ex mandato Patriarcharum &

Epis-

Episcoporum schismaticorum frequentissime celebrant. Tunc rudis populus dictantibus illis iniqua mandata & leges rebelles capescit, tunc pervicaci armatur animo maligne pugnandi contra eos, qui aut eorum perversas leges perfringere, aut pernicioſam eorumdem libertatem comprimere contenderent. Unde emanant, tamquam ex fonte, turbationum & revolutionum latices, unde discordiæ inter populos, indevotio erga Superos, & inobedientia erga potestates. Quia unica fidei unio animos concordes reddit, ad conformandum se divinis legibus, & obtemperandum imperiis Principum: qui enim non amat Deum in integritate fidei, quomodo timebit Principem in perversitate schismatis?

Tantorum autem malorum origo non solum facile tolleretur, verum etiam tanta schismaticorum copia ultronee uniretur Romanæ Ecclesiæ, quippe illius in omnibus cærimonias sensim, ritumque ex integro amplecteretur, si subsequentia stabilienda, stabilita inviolabiliter observarentur.

Primo, & imprimis, quia nec firmamentum duos soles sustinet, nec regnum duo coronata capita tolerat, nec domus una duos patronos patitur sine inordinationis & confusionis eclipsi; ergo nec diœcesis aliqua duos Episcopos tolerare potest. Ideoque statuendum venit firmiter, ut imposterum omnes utriusque Episcopatus animæ sine exceptione aliqua inibi habitantes, non alium, quam in futurum successores meos, specialiter autem nunc me pro vero & legitimo suo pastore, tamquam Episcopum teneant, & agnoscant.

II. Ut autem talis dispositio absque violatione integraliter perseveret, prohibeatur Wladikis Episcopis Valachorum omnis accessus & aditus intrandi præfatas diœceses sub ullo prætextu. Alias temerarie ingressos illico capiendi officiales mandatum habeant, & captos deducendi ad Episcopi custodiam, ubi præstolabitur a majoribus pro tali arrogantia pœna infligenda.

III. Dedecet supremum gregis dominici inspectorem omnes nescire pastores, qui subsunt curæ illius, illorumque virtutes ignorare. Ideoque quilibet ex Sacerdotibus Valachis, qui cupit animarum necessitatibus invigilare, amodo obligatus erit se sistere coram ordinario Episcopo in utraque diœcesi, atque confirmationem pro cura animarum petere, nec non juramentum sollemniter deponere, quod non alium, quam illum velint pro suo Episcopo agnoscere.

IV. Hinc fundandæ, ac dotandæ erunt Valachorum parochiæ ad instar catholicorum, qui collatorias a jus patronatus habentibus ita erunt per concursum obligati quærere, ac postulare, velut catholici Sacerdotes in consuetudine tenent.

V. Aliter autem facientes Sacerdotes Valachi, illico capiantur, atque ad Episcopi ordinarii custodiam ducantur, sicut etiam omnes alii, qualescumque sint illi Sacerdotes Valachi, qui non habuerint aut facultatem ab Episcopo veniendi, aut in diœcesi manendi, aut curam animarum exercendi.

VI. Solent autem tales Sacerdotes clam venire, & seminare dogmata schismatis, delitescentes in domibus Valachorum. Ideoque decidatur, ut deprehensus taliter Sacerdos alienigena in domo alicujus Valachi, ipso facto deperdat terram & substantiam suam talis Valachus, qua spoliandus venit per brachium sæculare, sicut etiam omnibus suis bonis fisco camerali applicandis.

VII. Quod querulari prima vice debeant Sacerdotes Valachi coram prædicto Episcopo loci ordinario tam in casu, in quo ipsi inter se controversias habuerint Sacerdotes, tam etiam quando delati fuerint ob aliquem defectum a sæcularibus ad modum catholicorum Sacerdotum, prohibendo quidem stricte officialibus ne ad sacra profanas misceant manus.

VIII. Atque ut agnoscatur ecclesia matrix per actus jurisdictionis, prohibeatur Sacerdotibus Valachis omnis libertas alibi ex butyro confectos (prout illi consueverunt) sacros liquores petendi, quam a loci ordinario, prout reliqui catholici parochi facere obligantur sub gravi pœna.

IX. Quare nemo præsumat ex Valachorum Episcopis, vel Sacerdotibus visitare ecclesias parochorum schismaticorum sine speciali mandato Episcopi loci ordinarii, sub pœna gravi fisco applicanda.

X. Certum est, ex fructibus terræ ecclesiis pendendæ sunt decimæ. Quapropter cogantur etiam Valachi contribuere decimas, sicut & ceteri pendunt catholici. Illas si semel obligabuntur catholicis solvere, postmodum illorum Wladikam ipsimet expellent, qui quolibet visitationis tempore magnam pecuniæ summam exigit in manifestum præjudicium dominii sæcularis.

XI. Sunt autem auditi sæpius Valachi schismatici lamentantes, quod nostras ecclesias facile visitare volentes, diris ab eorum Sacerdotibus arceantur probris, & mulctentur pœnis. Ideoque declaranda est publica libertas omnibus & singulis eundi ad nostras ecclesias: & si deprehendetur aliquis Sacerdos avertens homines ab accessu catholicarum ecclesiarum, ut capiatur illico, & ponatur ad Episcopi carceres, usque ad revisionem attentati criminis.

XII. Ut igitur animabus Græcum ritum sequentibus provideatur quoque de mediis ad vitam æternam consequendam, opere pretium mihi erit unum digniorem, fidelioremque eligere, qui in Græco ritu Vicarium Episcopi ordinarii aget, invigilabitque cærimoniis illorum, dependenter ab Episcopo. Est ergo imponendum omnibus Valachis Græcis, ut talem suscipiant, & agnoscant pro Vicario, qui fuerit per patentes ab Episcopo declaratus, & constitutus.

XIII. Taliter in utroque Episcopatu Segniensi & Modrusiensi nullius prorsus Wladikæ præsentia foret necessaria; nam si qui cuperet ad sacros ordines accedere juxta ritum Græcum suscipiendos, haud difficulter eosdem a vicino Marcensi Episcopo Græco, Ecclesiæ autem Romanæ unito, & semper fideli consequentur, dummodo ab ordinario Episcopo litteras dimissorias acceperint, eidemque rite ostenderint; super quo inter Episcopos bona coletur correspondentia.

XIV. Quia vero post utile maxime ducitur Valachus, quare officialibus communiter imponatur, ut catholicis potius faveant, quam Græcis, tam in distributione terrarum, quam stipendiorum, tam etiam in concessione aliquarum immunitatum. Sub spe enim tantæ utilitatis, & omnes nobis unientur, & cærimonias catholicorum brevi sequentur.

XV. Interim Segniæ erigendum erit unum Seminarium, sub cura unius eruditi & timentis Deum Sacerdotis, qui Canonicatu provideri quoque poterit. In illo erudiendi quoque erunt Valachorum filii præstantioris indolis, quo beneficio etiam illorum sanctus unius fidei facile adipiscatur finis. Concurrendum itaque erit ad extructionem talis Seminarii, quo meliori videbitur modo,

XVI.

XVI. Sunt etiam æque Capitanei locorum, ac officiales reliqui ſerio admonendi ſub gravi ſuæ Majeſtatis auguſtiſſimæ indignationis incurſu, ſi quis præſumeret aſſiſtere ſchiſmaticis, aut munera eorum ſuſciperet, ſub prætextu defenſionis, & officii, patrocinantis contra inſtructionem præmiſſorum.

XVII. Poſtremo. Ut præfati Capitanei, & officiales ſupradicta ſatagant inviolabiliter obſervare, & Epiſcopo catholico brachium dare toties, quoties petierit pro bono eccleſiarum, ac fidei catholicæ augmento.

Atque hunc eſſe in moderni temporis circumſtantiis unicum modum, per quem ſpes affulget veræ unionis, & converſionis Valachorum ſchiſmaticorum cum Eccleſia Romana in utroque Epiſcopatu habitantium; ſalvo tamen meliori judicio.

De magiſtratu Græcienſi querimonia Martini apud Cæſarem.

Sed nihilo levius, quam Valachi, negotium exhibebant huic præſtantiſſimo Antiſtiti Præſides Senatus Græcienſis, qui præter cetera incommoda eidem allata, jus conferendi Archidiaconatus adimere conabantur. Extat Epiſcopi de Curia Græcienſi ad Cæſarem querimonia, ex qua paucas particulas decerpere libuit.

Primo anno, quo Majeſtas veſtra mihi gratioſiſſime Epiſcopatum contulit, noluit me Camera Græcienſis pro Epiſcopo ultra medium annum agnoſcere, & illo toto tempore detinuit in arreſto proventus meos; modo etiam a quatuor menſibus rurſus vexor arreſtatione proventuum. Taliter hic cum clero & Epiſcopo agitur, ut quoties libet, toties liceat Cameræ epiſcopales & cleri reditus ſequeſtrare, nulla attenta ratione &c. Deinde ad jus conferendi Archidiaconatus ſermonem convertit, quod penes Epiſcopum eſſe contendit. *Archidiaconus eſt oculus Epiſcopi, dignitas pure ſpiritualis, & Vicarius natus Epiſcopi; ab Epiſcopo ergo conſtituendus, nec jure regali eligendus. Verum eſt quod Zrinii fecerint aliquas violentias ratione dicti juris præſentandi Archidiaconum Modruſſenſem; ſed poſtmodum ceſſarunt, quia & Ferdinandus III. veſtræ Majeſt. genitor, & veſtra Majeſtas ipſa, quando confert Epiſcopatum alicui, in genere ei dat poteſtatem omnes eccleſiaſticas dignitates conferendi. Quin immo ſpecifice Epiſcopo Petro Mariano, Smolianovicbio, & Glavinich, cujus ſum immediatus ſucceſſor, datum fuit etiam Archidiaconatus conferendi jus, aliorum inſtar regni Ungariæ Epiſcoporum.*

Omnes Epiſcopi ſeriatim ponebant Archidiaconos, & Glavinich poſuit aliquem Sorbam; poſt cujus mortem volens alium ponere, Camera inſultare incæpit, & illius proventus arreſtare. Decurrit ille ad cancellariam Auſtriacam pro juſtitia, & Dominus Aulæ Cancellarius Comes Buccelleni in tribunali tulit ſententiam in favorem Epiſcopi, agnoſcens ſpectare ad Epiſcopum jus ponendi Archidiaconos. Sed Camera non contenta tali judicio incæpit & Epiſcopo & Cancellario inſultare; unde miſer ſeniculus debuit cedere juri ſuo: Majeſtati autem veſtræ tales ſcribebantur litteræ, quæ illum ad ſepulcrum ante tempus expediverunt. Sed illa ceſſio nulla fuit, quia violenta; & clarum eſt in Canonibus, quod Epiſcopus ſucceſſoribus abſolute præjudicare nequit, neque ſibi, niſi juramentum violare velit .... Quare ſupplico Majeſtati veſtræ, ut Cameræ Græcienſi mandare velit, ut meos, & Archidiaconi a me conſtituti proventus remittat &c.

Superiores Epiſcopi admodum raro Seniæ habitabant, neque ad urbem adibant, niſi ſtatis temporibus ac ſollemnibus diebus ad functiones pontificales peragendas, propterea quod ædes epiſcopales male materiatæ ac ruinoſæ neque tutam, neque commodam ſtationem præbebant. Eas Martinus firmavit, refecit, ornavit, ſibique ac ſucceſſoribus ad uſus atque ad habitationem ſatis concinne accommodavit. Itaque commoratione affixa, ad eccleſiæ ſuæ gubernacula perpetuo ſedit; niſi ſi qua neceſſitas alio illud evocavit, vel epiſcopalis luſtrationis cauſſa abeſſe cogeretur. Eximia fuit in Deum ac Superos religione; divinis laudibus in æde cathedrali canendis frequens intererat; nec ſolum verbis, ſed etiam exemplis ad divini cultus officia rite pieque obeunda Canonicos, ceteroſque Presbyteros & clericos excitabat. Quæ jam perfecerat, quæque meditabatur ad eccleſiæ ſuæ decus ac præſidium, & gregis ſibi commiſſi utilitatem, Senienſes in ſummam expectationem ſpemque adduxerant; ſed utramque fefellit præpropera Martini ad Zagrabienſem Eccleſiam translatio. Siquidem ineunte anno 1704. delatum ſibi ab Imperatore Leopoldo pontificatum Zagrabienſem, Clemente XI. approbante, ſuſcepit.

Palatium epiſcopale reſtauravit.

Ad Eccleſiam Zagrabienſem transfertur.

BENEDICTUS EP. SENIENSIS LIII. & Modruſſenſis XX.

Cognomento *Bedecovitius de Comor*, genere Chrobatus, patria Zagrabienſis, antiquiſſima & nobiliſſima ſtirpe ortus. Primam ætatem in ſtudiis humanitatis ac bonarum litterarum tranſegit; deinde Bononiam ſe contulit, receptuſque in collegium Hungaricum ingenuis adoleſcentibus æque piis ac ſtudioſis florentiſſimum, poſtquam eximios in Philoſophia, Theologia, juris utriuſque ſcientia progreſſus feciſſet, Doctoris nomen, & inſignia ſumpſit. Sacerdotio initiatus, parochi munere functus eſt in diœceſi Zagrabienſi, & chriſtianæ plebi excolendæ diviniſque præceptis ac myſteriis imbuendæ diligentem operam aliquot annos navavit. Cooptatus cum eſſet in collegium Canonicorum Zagrabienſium, principem in eo locum, ac dignitatem Archidiaconi obtinuit. Illum deinde ob ſingularem, qua præditus erat, doctrinam & prudentiam, Stephanus Szeliſchovichius Epiſcopus Zagrabiæ dignum in primis atque idoneum cenſuit, cui Vicarii generalis partes & officia committeret. Ita per omnes honorum eccleſiæ gradus ad Senienſem Epiſcopatum pervenit, quem illi Leopoldus Imperator contulit, Clemens XI. confirmavit. 1704. 10. *Martii providit Eccleſiæ Segnien. de perſona Benedicti Bendekovik Presb. Zagrabien. ad nominationem Imperatoris &c.* Ex tab. conſiſtorialibus. Martinus Epiſcopus Zagrabienſis hunc ſibi proximum in Senienſi pontificatu ſucceſſorem epiſcopali conſecratione initiavit inter acclamationes, plauſuſque omnium ordinum civitatis, qui ſane frequentes convenerant, eique ſuſceptum pontificale Sacerdotium omnes una voce gratulabantur. Dum enim in ea urbe publicis illis, quæ dixi, muneribus eccleſiaſticis ſumma cum omnium approbatione fungebatur, magnam ſibi apud Zagrabienſes exiſtimationem ac benevolentiam conciliaverat. Paullus Ritter eques ac civis Senienſis pontificiam illius conſecrationem ampliſſimo elogio celebravit, ad ſtylum & guſtum ſuperioris ſæculi compoſito, quod typis traditum vulgavit. Illud eſt ejuſmodi.

FATUM ET VOTUM

Ejus conſecratio perhonorifico elogio cohoneſtata.

Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino, Domino Benedicto Bedekovitio de Komor, Epiſcopo Senienſi & Corbavienſi, Sac. Cæſ. Regiæ Majeſtatis Conſiliario, &c. Dum conſecrationis munus in Baſilica Zagrabienſi die IV. menſis Maji, Anno ſalutis MDCCIV. exciperet.

Salve ANTISTES venerande,
Nominis auguratu
Non ſine Numine inauguratus
Martiæ Seniæ Epiſcopus,
Inter ſenes ſenioris Epiſcopatus:
Et ipſe martiali ſtemmate illuſtris,
Rota utpote & dextra romphæata:
Hac ad animi ſtrenuitatem,
Illa fortunæ dexteritatem;
Innocuus altera, altera non alteratus:
Ne quid uni debueris, alteri ultro indulſeris,
Utramque in arbitrio habens:
Vero Sacerdotis officio
JUSTUS.
Idea viri prudentis rota eſt,
Motu ſemper æquali progrediens;
Utique
Sapiens ſemper ſimilis eſt ſibi.
Gladio facilior inflexus præſtantiam facit:
Generoſum hominis animum benevolum eſſe,
Comprobans.
Illo tu religioſius uteris,
Judex, non vindex.
Habent id juſti proprium,
Ut,
In dolore ſuæ quoque tribulationis poſiti,
Curam non deſerant alienæ utilitatis.
Sponte mundana vitaſti,
Mundam cæleſtibus mentem deſponſurus.
Hinc
Per artium liberalium arenam liberius excurrens,
Sacratioris Minervæ mella delibans,
Sacris te mancipaſti:
Auſpicato ſane;
Nam
Ex Presbytero Parochus, ex Parocho Canonicus
Principis Eccleſiæ Zagrabienſis effectus:
Nec diu poſt
Canonicorum Archidiaconus: Cathedralem vocant:
Dein Epiſcopi Vicarius generalis.
Obiſti munia hæc omnia cum majorum omine.
Senſit quippe idem STEPHANUS Epiſcopus,
Seſe Vicarium elegiſſe olim epiſcopandum.
Rite, non irrite, profecto.
Illi enim defuncto MARTINUS Senienſis,
Huic tu ſucceſſiſtis:
Dei, Regis, Populi, Pontificis,
Gratia, placito, applauſu, auctoritate,
Deſtinatus, creatus, exceptus, confirmatus.
Si vates curioſius ad fata recurrant,
Nomina ipſa experientur fatidica.
Eſto Programma;
BENEDICTUS BEDECOVITIUS de COMOR,
EPISCOPUS SENIENSIS.
Sine ſuperſtitione divinabunt Anagramma;
ECCE SIC BENEDICITUR JUSTUS:
SPEM IN BONO DEO SOSPES VIDE.
Nominis (inquam) auguratu,
Non ſine Numine inauguratus es,
BENEDICTE;
Cui Senia & Corbavia merito accinant;
Benedictus qui venit in nomine Domini.
Ageſis, Benedicte Præſul,
Et anteceſſores tui præcipuos
Fortuna, honoribus, annis
Feliciter adæques:
Dum fatis melioribus avocatus,
Cæleſti cum Sanctis beatitudine
Fruaris ſine fine.

Quæ in Epiſcopatu laudabiliter pieque geſſit, paucis complectar. Cum Canonici ſacrario admodum anguſto ac propemodum cæco uterentur, illud laxavit atque ornavit, & locis idoneis ad lumen recipiendum feneſtras aperuit. S. Joanni Nepomuceno, quem præcipuo quodam cultu venerabatur, extra mœnia, prope ſacellum Deiparæ Virginis, ſtatuam marmoream poſuit. Crucem ex argento pulcherrime cælatam, pelvim, & ampullas itidem argenteas ædi cathedrali donavit. Ad ſalutem gregis ſibi concrediti procurandam, nullum optimi Paſtoris officium prætermiſit: illi in primis cordi fuit traditio Catechiſmi, & chriſtiana æque adultorum ac puerorum inſtitutio. Dominicis omnibus ac feſtis diebus ante ſollemnia Chriſti natalitia de myſteriis ac præceptis divinis e loco ſuperiori ad confertiſſimam multitudinem concionari ſolebat. Totam diœceſim ingenti ſuo incommodo ac labore, nec minori gentium illarum utilitate, & chriſtianæ pietatis incremento ſæpe luſtravit. Legationem Communis Senienſium nomine ad Cæſarem ſuſceptam e ſententia geſſit, multaque tum civitati, tum eccleſiæ beneficia impetravit. Poſt Corbaviam & Licham Turcis ademptam, ingens multitudo ſchiſmaticorum e Valachia in eas regiones migraverat, qui Turcicum jugum exoſi, ſedes ibidem ac domicilia permiſſu Imperatoris collocarunt. Leopoldus ut quos in ſuam ditionem receperat, eoſdem in Eccleſiæ Catholicæ poteſtatem redigeret, id negotii dedit Patribus Franciſcanis ex ordine Capucinorum, iiſdemque duo domicilia apud Lichanos exſtrui juſſit; qui regiones illas apoſtolicis excurſionibus aſſidue peragrando, quam plurimos ab errore & ſchiſmate ad rectam in Deum fidem, Romanique Pontificis auctoritatem revocarunt. Cum igitur illorum operæ ad convertendos ſchiſmaticos adhibitæ egregius fructus conſtaret, Benedictus Epiſcopus auctor præcipuus fuit, ut Calobagi in oppido maritimo Lichanæ provinciæ monaſterium conderetur, quod ſuper fundamenta veteris cujuſdam dirutique virginum Deo ſacrarum cœnobii ædificari cœptum eſt anno 1709. Erat Benedictus ad ſublevandam pauperum inopiam æque propenſus ac liberalis; eratque ejus domus peregrinis, præſertim religioſis, & eccleſiaſticis viris apertiſſima, ac perhoſpitalis. Benignum ſe omnibus atque affabilem præbebat, ſic tamen, ut gravitatem cum comitate miſceret: quidquid temporis ab officio epiſcopali vacabat, partim precationi, rerumque cæleſtium meditationi, partim lectioni, ſtudiiſque eccleſiaſticis tribuebat. Bibliothecam optimis libris, nec pauciſ, inſtructam ſucceſſoribus reliquit, qua tum ipſi, tum clerus uterentur. Certam pecuniæ ſummam Capitulo legavit, ut pro delictorum ſuorum expiatione ſacrum anniverſarium fieret. Migravit e vita anno 1712. VIII. Kal. Maji, & ſepultus eſt in æde cathedrali.

In Corbavia & Licha Turcis adempta duo domicilia Patribus Capucinis attributa.

ADA-

ADAMUS EP. SENIENSIS LIV. & Modruſſenſis XXI.

Ex Comitibus *de Rattkai*, *& Dominis Nagi*, *Kis*, *& Tabor*, haud genere quam virtute clarior. E Capitulo Eccleſiæ Zagrabienſis, regia nominatione & pontificia approbatione ſuffragante, acceſſit ad Senienſem Eccleſiam regendam, ut docent tabulæ conſiſtoriales. 1712. *26. Septembris ad nominationem Imperatoris providit Eccleſiæ Segnien. vacanti per obitum Benedicti Bedecovich, de perſona Adami Rattcai Presbyt. Zagrabien. committendo ei in adminiſtrationem Eccleſiam Modruſienſem Segnienſi canonice unitam.* Anno 1714. XIV. Kal. Junii ædem cathedralem, deinde VI. Kalendas Junii templum Calobagenſe Patrum Caputinorum S. Joſepho dicatum, & poſtridie primariam ejuſdem oppidi ædem titulo S. Caroli Borromæi inſignitam ſollemni ritu ac cærimonia conſecravit. Dum Adamus Eccleſiæ Senienſi præſidebat, Baſilicæ Terſactanæ ad religionem ac celebritatem augendam ingens decus atque ornamentum acceſſit. Ante aliquot annos Joannes Franciſcus Barbadicus Epiſcopus tunc Veronenſis, deinde Brixienſis, poſtea Patavinus, & S. R. E. Cardinalis, vir eximiæ pietatis ac ſanctimoniæ, Virginem Terſactanam populorum concurſu, & miraculorum fama celeberrimam, pia ſuſcepta peregrinatione adierat. Ibi poſt rem divinam peractam, fuſis rite precibus, votiſque perſolutis, ingens eum cupido inceſſit ſingulari quodam honore atque ornamento decorandi effigiem Marianam, quæ ibidem colitur, antiqua religione inſignem, quam ab Sancto Luca pictam ferunt, & ab Urbano V. tranſmiſſam, ut locum cultumque obtineret Simulacri Virginei Nazareni, una cum natali Deiparæ domo in Picenum divinitus translati. Canonici Baſilicæ Vaticanæ S. Petri ex tabulis ſupremis Alexandri Sforziæ, olim Canonici ejuſdem Baſilicæ, aureas coronas ſingulis annis conficiendas curant ex annua pecunia ab eodem legata, quibus redimiri atque ornari jubentur imagines Deiparæ Virginis, quæ ob antiquam venerationem, & crebra miracula, ac beneficia in omne mortalium genus collata, tum ſupplicum frequentia, tum fama litteriſque multorum maxime celebrantur. Itaque optimus ille Præſul Veronenſis thaumaturgam Terſactanæ Virginis imaginem dignam eſſe cenſuit, quæ una cum puero Jeſu ejuſdem gremium inſidente, hujuſmodi honore, aureoque diademate donaretur. Quare ſupplices litteras ſcripſit ad Canonicos Vaticanos, ut vellent juberentque duas ex auro puriſſimo coronas Terſactum tranſmitti, alteram Virgini Matri, alteram puero Jeſu, e præſcripta formula ac cærimonia imponendas. Ejus precibus plurimum ponderis adjecit epiſtola ſive teſtificatio Adami Epiſcopi Senienſis ad Clementem XI. in qua pauca præfatus de auguſtiſſima Domo Nazarena e Palæſtina, primo Terſactum prope Flumen Dalmatiæ oppidum, deinde in Picenum Angelorum miniſterio translata, hæc ſubjecit de incredibili concurſu populorum e finitimis & longinquis regionibus Baſilicam Terſactanam religionis ac voti cauſſa, piiſque ſupplicationibus adeuntium. *Ego infraſcriptus religioſiſſime teſtor, quod ad præfatam eccleſiam non ſolum ex adjacentibus territoriis civitatis Fluminenſis Kaſtuæ, Vinodol, Buccari, Drigæ, Grobnitis, Koſtrenæ quotidie, ſpecialiter diebus feſtivis, copioſiſſimus populus confluat; verum etiam ex remotioribus provinciis, ut ex Croatia, Boſnia, Carniolia, Dalmatia, Iſtria, Styria, Comitatu Goritienſi quamplurimi peregrini, etiam proceſſionaliter, præſertim in majoribus anni ſollemnitatibus præfatam prodigioſam imaginem veneraturi concurrunt, adeo quod infra anni ſpatium circiter centum millia animarum in dicta eccleſia confiteantur & communicent . . . . In quorum fidem me propria manu ſubſcripſi, & præſentes ſolito epiſcopali ſigillo munivi. Datum Buccari, die 12. Maji Anno Chriſti 1715.*

L. S. *Comes Adamus Rattkai Epiſcopus Segnienſis.*

Nec vero dubitari poteſt, quin litteræ Adami potiſſimum impulerint Pontificem, ut Baſilicam Terſactanam inſigni & quotidiano indulgentiarum beneficio locupletaret. Nam omnibus & ſingulis, qui ſacra confeſſione rite expiati, ac pane divino refecti quocumque anni die Deiparam Terſactanam ſalutatum adirent, atque ante aram ejuſdem pias preces effunderent, cunctorum indulſit veniam delictorum.

Clemens PP. XI.

Ejus Baſilicam Clemens XI. plena & quotidiana indulgentia donavit.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem, cæleſtibus eccleſiæ theſauris pia charitate intenti, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, & ſacra Communione refectis, qui eccleſiam conventus Fratrum ordinis Minorum S. Franciſci de obſervantia, Reformatorum nuncupatorum, de Terſacto Segnienſis diœceſis, ad quam, ut aſſeritur, devotionis cauſa magnus populi Chriſtiani & præſertim peregrinorum fit concurſus, in quocumque anni die devote viſitaverint, & ibi pro chriſtianorum Principum concordia, hæreſeon extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam ſemel tantum quolibet anno per unumquemque Chriſti fidelium lucrifaciendam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, præſentibus ad ſeptennium tantum valituris. Volumus autem &c. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 8. Auguſti 1715. Pontific. noſtri anno 15.

Jam vero ut eo regrediamur, unde paullisper digreſſi ſumus; Canonici Baſilicæ Vaticanæ tum rogatu Veronenſis Antiſtitis, tum juſſu Pontificis duas coronas aureas Deiparæ Terſactanæ, ejuſque diviniſſimo filio decreverunt, ac munus utriuſque ſollemni ritu coronandi eidem Antiſtiti Joanni Franciſco Barbadico demandarunt. Verum ille, cum ob peſtilentiam in partibus Germaniæ graſſantem omnes ſibi aditus ad regiones ditionis Auſtriacæ & regreſſus intercluſos videret, Adamo Rattkai loci Epiſcopo id muneris delegavit. Sacræ functioni dictus eſt dies natalis Deiparæ, ſextus ante Idus Septembris an. 1715. Sed accidit perincommode, ut paucis ante diebus Epiſcopus Seniæ in gravem & periculoſum morbum incideret. Itaque alterum ſibi ſubſtituendum curavit, qui ſua vice & munere ſibi delegato fungeretur. Hic fuit Georgius Xaverius Marottus Præpoſitus Rudolphsbertenſis, idemque Epiſcopus Dardaniæ, poſtea Petinenſis, qui die conſtituta, confertiſſima indigenarum atque advenarum multitudine conſtipante, apparatu ſane magnifico, inter muſicos

Epiſcopus Veronenſis duas coronas aureas a Capitulo Vaticano Deiparæ Terſactanæ decernendas ac mittendas curavit.

Virgo Terſactana per Georgium Xaverium Marottum Epiſcopum Dardaniæ aureo diademate coronatur.

ſicos concentus, tympanorum ac tubarum ſonitus, feſtaſque bombardarum diſploſiones, ſollemnibus precationibus & cærimoniis e præſcripto Capituli Vaticani adhibitis, duplex aureum diadema, alterum Deiparæ Virgini, alterum puero Jeſu impoſuit. Totius rei geſtæ ſeriem ac narrationem litteris, typiſque Venetis apud Antonium Bortoli mandarunt Patres Franciſcani rigidioris obſervantiæ cœnobii Terſactani ſub hoc titulo: *Terſactum coronata Deipara Virgine inſigne; ſive Triumphus glorioſiſſimus B. Mariæ Virginis Matris Gratiarum a S. Luca pictæ, ac ab Urbano V. Summo Pontifice Terſactum, ubi alma Domus Lauretana inſederat, Roma tranſmiſſæ, nuperrime vero Germanico ſub Imperio primo per Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Capitulum Vaticanum aureis dotatæ ac redimitæ coronis.*

Adamus Epiſcopus lætus auctis honoribus, cultuque amplificato Virginis Terſactanæ, quam ſumma veneratione proſequebatur, triennio poſt e vita deceſſit. Mortuus & ſepultus eſt in caſtro majorum ſuorum, quod *Stinjevacz* vocatur, ubi ſæpe valetudinis curandæ cauſſa commorari ſolebat.

NICOLAUS V. EP. SENIENSIS LV. & Modruſſenſis XXII.

Ejus patria fuit caſtrum *Berbirium* agri Vinodolenſis in veteri Japidia, & gentilitium nomen e familia Pohmajevichia traxit. Erat Canonicus Eccleſiæ Senienſis, & Vicarii generalis munere egregie functus cum eſſet, illum Carolus VI. Imperator Adami ſucceſſorem deſignavit, Clemens XI. Cæſaream deſignationem approbavit, ut conſtat ex tabulis conſiſtorialibus. 1718. *16. Aprilis providit ad nominationem Imperatoris Eccleſiæ Segnien. vacanti per obitum Adami, de perſona Nicolai Canonici Segnien. cum adminiſtratione Modruſſen. juxta decretum &c.* Hunc epiſcopali conſecratione inauguravit Georgius Xaverius Marottus Epiſcopus Petinenſis, una cum Vincentio Leſſio Epiſcopo Arbenſi, & Georgio Homolich Abbate S. Crucis in valle Senienſi, qui pontificalibus inſignibus utendi jure perantiquo gaudet. Extat oratio gratulatoria, quam Joannes Antonius Benzonus *Ictus, SS. Theologiæ Doctor, Protonotarius Apoſtolicus &c.* de illius laudibus habuit, edita Labaci apud Joannem Georgium Mayr typographum anno 1718. ſub hoc titulo: *In ſollemni ad Eccleſiæ Segnenſis, & Modruſſienſis, ſeu Corbavienſis pontificalem dignitatem inauguratione Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. D. Nicolai Pohmajevich Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopi, Abbatis S. Georgii, Sac. Cæſ. & Cat. Majeſtatis Conſiliarii, per Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum Georgium Xaverium de Marotti, Dei & Ap. Sed. gratia Petinenſem Epiſcopum, Præpoſitum Rudolphſwertenſem, Archidiaconum Pontificium per Carnioliam inferiorem &c. conſecratorem, Aggratulatio.*

De Nicolao Pohmajevichio, & duobus proximis Epiſcopis, quæ digna erant ſingulari memoria, ſcriptis mandavit, & perhumaniter ad nos tranſmiſit *Antonius Joannes Cerovacz Canonicus Capitularis Senienſis, Protonotarius Apoſtolicus*, vir clariſſimus & eruditiſſimus: *Divitem ac elegantem monſtrantiam* (in qua venerabile Sacramentum Corporis Chriſti publicæ veperationi exponitur) *pro hac cathedrali per quemdam benefactorem providit, cum binis Angelulis ex argento confectis coram Sanctiſſimo flectentibus, & candelas accenſas geſtantibus. Epiſcopalem ædem reparavit, elegans oratorium ſuum in ipſam cathedralem ex Epiſcopio protendit, ac epiſcopalem ſedem depictam & inauratam in ſanctuario ad ſtalla epiſcopalia fixit: qui demum Seniæ obiit die 9. Februarii 1730. Adhuc vivens in Gymnaſio Ferdinandeo Græcii perpetuam fundationem pro uno alumno ſuæ diœceſis Senienſis ſub cura RR. PP. Societatis Jeſu fixit. In Senienſi cathedrali ſepultus eſt.*

JOANNES ANTONIUS EP. SENIEN. LVI. & Modruſſenſis XXIII.

De quo Antonius Joannes Cerovacz modo laudatus: *Joannes Antonius eques de Benzoni, Flumine Sancti Viti oriundus, ex Archidiacono Modruſſienſi, electus & conſecratus Epiſcopus Senienſis, Modruſſienſis, ſeu Corbavienſis Romæ, die 8. Octobris 1731. dum munere archiviſtæ Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Caroli VI. fungeretur, nominatus Prælatus domeſticus ſuæ Sanctitatis, & pontificii ſolii aſſiſtens, Legatus Apoſtolicus, qui Roma redux attulit plurimos dono ſibi oblatos e Propaganda Illyricos & Slavonicos libros, Miſſalia, Breviaria, Ritualia, ac Theologias morales, quos per utramque diœceſim diſtribuit. Præterea ſua induſtria varia neceſſaria vaſa pro ſacris liquoribus ad ægrotos ferendis provident: item ad expoſitionem populo ſanctiſſimi Sacramenti faciendam, monſtrantias, vulgo oſtenſoria, quæ omnia utrique diœceſi donavit. Inſuper pro cathedrali ſacram ſupellectilem, caſulas, Dalmaticas, & Albas, ac reliquas caſulas, quas per utramque diœceſim parochis, eorumque eccleſiis diviſit. Ita quoque medietatem ſuæ cathedralis funditus ædificari curavit, in qua primus marmoream aram S. Franciſci Xaverii, contra peſtem 1732. 21. Martii Patroni nuncupati, per quemdam benefactorem erigi curavit. Flumine ſua in patria, die 2. Decembris 1745. inteſtinis calculi doloribus patientiſſime toleratis extinctus; qui in vita ab auguſtiſſimo glorioſæ memoriæ Romanorum Imperatore, ut ſupra, Carolo VI. fundationem pro ſex alumnis utriuſque diœceſis impetravit, ac Flumine in Seminario apud RR. PP. Societatis Jeſu ſtabilivit. In collegiata eccleſia Flumine tumulatus. Hic a munificentia antefati Imperatoris Caroli VI. pro pauperibus utriuſque diœceſis parochis & capellanis, in ſuffragium, & honeſtam ſuſtentationem eorum, ex caſſa parochiali regni Hungariæ 1000. & ultra florenorum ſubſidium quotannis diſtribuendum impetravit.*

Acta Jo. Antonii ante Epiſcopatum.

Præſulem ſempiterna memoria dignum oratione funebri laudavit Antonius Maria Mainardus Presbyter Soc. Jeſu, qui eidem animam agenti ad ultimum uſque ſpiritum aſſedit. Ex illa oratione MS, quædam decerpſi, ex quibus qui vir, & quantus fuerit, clarius apparet. Erat ingenio acuto & perſpicaci, animo magno & excelſo, agendi cogitandique ſollertia non vulgari, morum vero integritate, vitæque continentia prorſus eximia. Peruſii in florentiſſimo illo gymnaſio humanis diviniſque litteris operam dedit, ac Theologici magiſterii laurea, & inſignibus ornatus, Doctoris nomen obtinuit. Romam profectus eruditionis, eloquentiæ, vitæque eccleſiaſticæ magiſtrum habuit Franciſcum Cardinalem Caſinum, concionatoris apoſtolici & pontificii munere per annos plures ſumma

cum

cum laude & approbatione ſacri Collegii functum, virum doctrinæ & ſanctitatis egregiæ, in cujus clientelam ac diſciplinam Joannes Antonius ſe contulit, ejuſque ſtudiorum adjutorem ſe præbuit. Hujus exemplis præceptiſque conformatus, vir æque doctus ac pius, & verus perfectuſque eccleſiaſticus evaſit. Revocatum in patriam Canonici Fluminenſes cunctis ſuffragiis ad ſuum collegium aggregarunt; eumdem Georgius Xaverius Marottus Epiſcopus Petinenſis tum eccleſiaſticis controverſiis dirimendis auditorem, ſive judicem præfecit, tum etiam Vicarium generalem conſtituit, quo cum paſtoralis ſollicitudinis curas laboreſque partiretur. Sed illum utriſque ademit Carolus VI. Imperator, cum eum Archidiaconum Eccleſiæ Modruſſenſis nominavit; qua dignitate auctus, cum omnes muneris ſibi traditi partes diligentiſſime obibat, tum præſertim diebus feſtis chriſtianam plebem concionibus ferventiſſimis a vitiis abſterrebat, atque ad ſalutarem Dei metum, æternæque vitæ cogitationem excitabat; poſt prandium autem homo id auctoritatis ac nominis, vicos & plateas cum tintinnabulo circumiens, puerorum greges congregabat, deductiſque in ædem cathedralem chriſtianæ fidei myſteria & præcepta tradebat. Ad hæc cum duobus e noſtra Societate Presbyteris montoſas illas & aſperrimas regiones pedibus nudis peragrabat; & nullis parcens neque incommodis, neque vigiliis, laborioſiſſima quæque evangelici operarii officia incredibili alacritate peragebat. Dum in hiſce apoſtolicis expeditionibus & muneribus ſumma animi voluptate verſabatur, eum alio avocavit Carolus Imperator, & conſiliarium atque adminiſtrum dedit ſuo apud Sedem Apoſtolicam Legato, ſimulque Archivi Cæſarei cuſtodem conſtituit: quæ quidem officia nemini ſolent committi, niſi viris perſpectæ fidei, prudentiæ, & induſtriæ; quod neceſſe eſt omnium conſiliorum, rerumque arcanarum eos eſſe participes. Idem Carolus VI. haud multis poſt annis Eccleſiam Senienſem, Nicolai Epiſcopi morte vacuam, Joanni Antonio Benzono demandavit, cujus doctrinam, prudentiam, virtutem iis, quibus digna erat, præmiis & honoribus afficere jamdudum decreverat. Delatum illi Sacerdotium Clemens XII. libentiſſime approbavit; nam æque apud Pontificem, atque Imperatorem magna erat æſtimatione, & utrique ingentem ſui expectationem moverat; quam non explevit modo, ſed etiam ſuperavit. Statim atque hujus eccleſiæ regimen ſuſcepit, mentis oculos in utriuſque diœceſis Senienſis & Modruſſenſis faciem intendit, quæ tunc ſane miſeranda erat. Eccleſiæ ubique aut ſemirutæ, aut vetuſtate ac ſitu ſqualentes; & vel ipſæ parochiales aut baptiſterio, aut decenti ad divinam Euchariſtiam aſſervandam loculo deſtitutæ; cultus divinus obſoletus, magnaque ex parte neglectus; proventus eccleſiarum vel nulli, vel admodum tenues; ſumma egeſtas cleri, nec minor inſcitia; depravatio morum, & divinorum myſteriorum ignoratio, qua fere omnes incolæ laborabant. Rebus hiſce cognitis confeſtim ad medendum tot ac tantis malis cogitationem atque manum admovit, tanto ſtudio, tantaque contentione, ut rei chriſtianæ in illis locis reſtituendæ, ſeu reformandæ in eo ſpem omnem vulgo reponerent. Certe hanc ſpem ex ejus præclaris operoſiſque initiis concepit vir quidam ſummæ auctoritatis: *Invenit*, ut ille ajebat, *diœceſim ſuam prope ferream; ſed ſpero, Deo favente, brevi me illam viſurum, ſi non argenteam, profecto æneam.* Nec vero ille expectationem, ſpemque communem fefellit. Adminiſtrationem epiſcopalem exorſus ab utraque diœceſi luſtranda, præcipuam partem curarum ſuarum iis maxime rebus impertiit, quæ ad ſplendorem ac dignitatem cultus divini, ad chriſtianam inſtitutionem, & ſalutem illarum gentium pertinebant. Eccleſias collabentes reſtauravit, ornavit, vaſis argenteis, decenti ſupellectili, ſerica, lineaque inſtruxit. Parochis & clericis divini ſacrificii, totiuſque liturgiæ ac pſalmodiæ ritum tradidit, & chriſtianæ plebis erudiendæ rationem præſcripſit; pravas conſuetudines, quæ in clerum irrepſerant, populumque, radicitus evulſit; populi religionem ac pietatem auxit; eccleſiaſticam diſciplinam ſuis edictis, atque interdictis ſancivit. Ad clerum vero urbanum & agreſtem litteris & doctrinis excolendum curam peculiarem intendit. Cum pauciſſimi e clero latine loqui ſcirent, omnes ut linguam latinam addiſcerent, itemque ut Presbyteri omnes, ac præſertim Parochi, Theologiæ moralis & juris pontificii ſtudio diligentem operam darent, impenſe curavit. Ab Carolo Imperatore impetravit, primum ut certos ac ſtabiles proventus annuos aſſignaret, e quibus alimenta ſuppeditarentur ſex clericis ex utraque diœceſi delectis, qui apud Patres Societatis Jeſu in Seminario Fluminenſi bonis artibus & moribus eccleſiaſtico homine dignis imbuerentur; deinde ex ærario parochorum regni Hungariæ mille nummos argenteos, quos florenos vocant, ſingulis annis contribui juberet Parochis utriuſque diœceſis, eorumque adjutoribus, pro eo, ut cujuſque inopia poſtularet, diſtribuendos. Singularis in eo eluxit erga Deum ac Superos religio, & decorem domus Dei ſummopere dilexit. Statum quotidie tempus contemplationi rerum cæleſtium, & lectioni ſacrorum librorum tribuebat; quin immo, cum ab diurnis epiſcopalibus curis vacabat, ad ſuum ſe conclave recipiens, unde in templum erat proſpectus, ante divinam Euchariſtiam, mira ſpiritus dulcedine delibutus, ſummo animi ardore, cum lacrymis & gemitibus preces fundebat. Chriſtum humanæ ſalutis auctorem unice diligebat; Beatæ Mariæ Dei parenti, Angelorum atque hominum reginæ maxime addictus erat; in ejus ſollemnium dierum pervigiliis ab omni prorſus cibo potuque abſtinebat. Secundum hos præcipuo quodam cultu venerabatur S. Franciſcum Xaverium Apoſtolum Indiarum, quem ut Senienſes Patronum civitatis ad peſtilentiam ſive arcendam, ſive depellendam eligerent, auctor fuit; eidemque in æde cathedrali elegantem aram marmoream exſtruendam curavit. Præterea inſtituit, ut diebus novennis ante illius diem feſtum proximis, clerus populuſque ad eum precibus atque honoribus colendum in ædem cathedralem ſingulis annis convenirent. Eccleſiaſticæ diſciplinæ vigilantiſſimus cuſtos, idemque acerrimus vindex, nihil, quod ei repugnaret, in ſuo clero pati poterat. Gregem ſibi commiſſum eximia charitate complectebatur; omnes & ſingulos, qui ad ſe auxilii, aut ſubſidii petendi cauſſa confugerent, non benigne ſolum excipiebat, ſed quibuſcumque rebus poſſet, non libentius, quam promptius juvabat. Ejus vero in egentes ac miſeros beneficentia profuſa etiam, non modo liberalis fuit, illiſque tum e ſuo domeſtico, tum e patrimonio

Fit Epiſcopus Senienſis, & Modruſſenſis.

nio eccleſiaſtico, quidquid ſibi, ſuæque frugali menſæ ſupererat, large copioſeque erogabat. Cum creditæ ſibi a Stephano fratre chariſſimo pecuniæ reddendæ non eſſet, eum in tabulis ſupremis, quas morti proximus confecit, admonitum eſſe voluit, ut ſummam illam, ſi condonare ſibi nollet, a pauperibus repeteret, quorum manibus cum in cæleſtes theſauros deportata fuiſſet, eam, ſi remitteret, in cælo cum ingenti fœnore ſibi reddendam eſſe confideret. Ut paucis omnia complectar, nulla virtus, quæ decet, ornatque ſtatum epiſcopalem, illi defuit. Vitam laudatiſſime ſanctiſſimeque actam pia ſanctaque morte concluſit in patria, & acerbiſſimis doloribus invicta patientia toleratis, defixis in Chriſtum cruci affixum oculis, voces illas identidem iterans: *Fiat voluntas tua nunc, ſemper, & in æternum*, ad cæleſtem patriam migravit. Joannes Stephanus Benzonus Eques Sac. Rom. Imp. fratri dilectiſſimo in æde primaria Fluminenſi funus quam ampliſſimum faciendum curavit, eique ante gradus aræ maximæ ſepulto hunc titulum fecit.

D. O. M.

Cineres
Joann. Antonii de Benzoni
Segnen. Modr. ſeu Corbavien. Epiſcopi
Olim
Hujus Eccleſiæ Canon.
Pie vita functi Anno MDCCXLV.
Ætat. ſuæ An. LIII.
Joannes Stephanus
S. R. I. E.
Fratri amantiſſimo, ſuæque Genti
Sac.
Mœrens Poſuit.

GEORGIUS WOLPHANGUS EP. SEN. LVII. & Modruſſenſis XXIV.

Huic idem Antonius Joannes Cerovacz Canonicus Senienſis hanc rerum ab eo geſtarum epitomen confecit. *Excellentia Georgius Wolfangus Liber Baro de Chiolich de Lewenſperg, patria Senienſis, ex Vicario Capitulari Senienſi, Viennæ in Auſtria, a ſua Sacra Cæſarea Regia Majeſtate Maria Thereſia Hungariæ ac Bohemiæ regina, nominatus Epiſcopus Senienſis, Modruſſienſis, ſeu Corbavienſis, die 20. Februarii 1746. & qua talis ab Eminentiſſimo Collonich Cardinali Viennæ conſecratus, ab eadem auguſtiſſima regina & Imperatrice Liber Baro creatus, ac Excellentiæ titulum ſortitus, actualis utriuſque Sac. Cæſareæ Regiæ Majeſtatis intimus conſiliarius nominatus, Sacroſanctæ Theologiæ Doctor, & S. Georgii prope Senam Abbas infulatus; qui ſex alumnorum fundationem Flumine Græcium tranſtulit, curæ eorumdem PP. Societatis perpetuo fixam. Alteram quoque medietatem ſuæ cathedralis reædificari ſollicitavit, ac ſuperioris inferiorem tecti partem totam opere plaſtico exornavit; in quâ tres aras marmoreas ſuo & benefactorum ære erigi curavit. Præterea ſingulis Sabbathinis diebus, ad colendam Beatiſſimam Virginem, partem Roſarii a clero & populo dicendam ac recitandam, cum expoſitione Sanctiſſimi, primus in hac cathedrali inſtituit: cui, ex munificentia auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ, elegantes caſulam & Dalmaticas impetravit; & a Sanctiſſimo regnante Pontifice Clemente XIII. integrum Sacrum Corpus Formoſi Martyris pro hac cathedrali expetiit. Novum pulpitum ex vario marmore eleganter elaboratum ad cornu Evangelii, extra hujus cathedralis ſanctuarium, erectum per quemdam benefactorem confici ſollicitavit. Qui demum Romæ obiit die 3. Januarii, anno vertente 1764. in templo Jeſu ita vocato, ſepultus apud antefatos RR. PP. Societatis; retentione urinæ vita functus. Hanc cathedralem conſecravit, ut epigraphe tabulæ marmoreæ, ad cornu epiſtolæ Sanctuarii parieti inſertæ, inciſa declarat.*

SUA EXCELLENTIA Illuſtriſſimus Dom. D. Georgius
WOLFFANGUS CHIOLICH DE LEWENSPERG,
AB INTIMIS UTRIUSQUE S. C. R. M. CONSILIIS,
SACERDOS, ET PONTIFEX,
PASTOR, ET DOCTOR,
FILIUS, ET PATER PATRIÆ,
DECUS CLERI ET EXEMPLAR,
CATHEDRALEM SUAM SENIENSEM
NOVO BAPTISMATIS FONTE DONATAM,
ERECTISQ. CAPELLIS AMPLIFICATAM
SOLLEMNI CONSECRATIONE DEDICAVIT
X. C. A. L. E. N. D. F. E. B. R. M. D. C. C. L. II.

PIUS EP. SENIENSIS LVIII. & Modruſſenſis XXV.

Acta Pii Manzadorii ante Epiſcopatum.

Cognomento Manzadorius, e doctiſſima & ſanctiſſima ſodalitate clericorum regularium S. Paulli, vir eximia virtute & doctrina excellens. Poſt diſciplinas ſublimiores alumnis ſui ordinis traditas, ex hac umbratili & domeſtica exercitatione in ſolem & pulverem progreſſus, quidquid valebat ingenio, ſapientia, induſtria, & diſſerendi facultate, ad communem proximorum utilitatem contulit. Nullum fuit mortalium genus, ſive ſummum, ſive medium, ſive infimum, cui vel ad mores depravatos corrigendos, vel ad vitam chriſtiano homine dignam inſtituendam tum publicis, tum privatis cohortationibus non profuerit. Vienna civitas illa longe auguſtiſſima, & ſedes Imperii Romani, campum illi ampliſſimum dedit, in quo excurrere ejus virtus, & zelus apoſtolicus, cognoſcique poſſet. In celeberrimis illius urbis templis e communibus ſuggeſtis acerrimum flagitiis atque erroribus bellum indixit. Cum de rebus divinis dicturus pulpitum aſcenderet, ingentes ex omni civium ordine concurſus audiendi cauſſa fiebant. Erant enim ejus conciones doctæ quidem & facundæ, non tamen ad eruditionis & eloquentiæ oſtentationem, ſed ad vitia extirpanda, pravaſque opiniones ex animis hominum evellendas quam maxime accommodatæ; iis vero refertæ & verbis & ſententiis divino ardore incenſis, ut ſpiritum apoſtolicum undique ſpirare viderentur. Itaque peroratione ejus non ineptus hominum plauſus, aut ſtulta facundiæ commendatio excipiebat, ſed alta ſuſpiria, gemituſque, & anteactæ vitæ deteſtatio ſalutaris. Innumerabiles ſunt ex omni genere hominum, quos a corruptis moribus, vitaque profligatiſſima ad honeſtam & piam vivendi rationem revocavit; nec paucos diſputationibus argumentiſque convictos ab hæretica pravitate ad catholicam rectamque in Deum fidem traduxit; atque in his quoque principes viros, antiquæ & primariæ nobilitatis Germanicæ, rerum & magiſtratuum geſtorum gloria illuſtres, qui Pio doctore & magiſtro, voluntaria abjuratione deteſtati errores, quibus a pueritia imbuti fuerant, ſe in ſinum Eccleſiæ Romanæ & catholicæ contulerunt. Nec ſolum vulgares, ſed primores civium,

vium, ipſique Aulæ Imperatoriæ Proceres Pium concionantem cupidiſſime audiebant; & erat quædam in omnibus inexhauſta aviditas ejus audiendi iterum ac ſæpius, nec ſatiari poſſe videbatur; eam quippe dicendi rationem tenebat, quæ animos auditorum ſimul voluptate perfunderet, ſimul commoveret atque accenderet ad virtutem ac pietatem colendam; & ſic erat ad popularem ſenſum accommodata, ut rerum magnitudine & copia, verborum delectu & elegantia, mentes aureſque eruditorum hominum vel capaciſſimas impleret. Merito igitur illius conciones dignæ habitæ ſunt, quæ ad communem utilitatem typis committerentur, ut haberent præcones evangelici Germaniæ hoc ſacræ eloquentiæ exemplar propoſitum ſibi ad imitandum. Nec ſolum a ſuperiore in templis atque exhedris, ſed etiam ex æquo loco in privatis congreſſibus & colloquiis egregia Pii virtus, doctrina, prudentia, & idem, quo flagrabat, humanæ ſalutis procurandæ, & omnibus bene faciendi ſtudium elucebat. Nullum ab ſe pietatis & charitatis officium cuiquam, auxilium atque operam poſcenti, deeſſe patiebatur. Ejus ſapientiſſima monita & conſilia plurimi fiebant, & omnium, quæ excogitari poſſent, aptiſſima tum ad conſcientiæ nodos extricandos, tum ad privata & publica negotia expedienda putabantur.

Fit Epiſcopus Senienſis.

Dum Viennæ in hiſce apoſtolicis miniſteriis ſummo ſtudio & contentione verſabatur, Romam accerſitus eſt ad ſupremam ſui ordinis adminiſtrationem ſuſcipiendam, quam Patres ad comitia generalia congregati cunctis ſuffragiis illi detulerunt. Hominem de ſe optime meritum Viennenſes abeuntem lacrymis votiſque proſecuti ſunt, talis ac tanti viri jacturam deplorantes, & ſibi verum ac germanum Evangelii præconem, præſidium & propugnaculum religionis catholicæ, hæreſeon ac ſcelerum profligatorem, ſuum denique Apoſtolum ademptum acerbiſſime conquerentes. Hac una re communem mœſtitiam ſolabantur, quod non dubitarent fore aliquando, ut Germania, & provinciæ Auſtriaco imperio ſubjectæ hunc virum apoſtolicum recuperarent. Nec ſane ſpem illorum fefellit eventus. Simul ac Viennam de morte Volphangi Epiſcopi Senienſis allatum eſt, ſtatim oculos providentiæ ac benignitatis ſuæ Imperatrix auguſtiſſima & regina Hungariæ in Pium Manzadorium Præpoſitum generalem clericorum S. Pauli deflexit, quo neminem nobiliſſima illa tiara digniorem invenit. Ei ſiquidem excellens & apoſtolica Pii virtus, doctrina, & prudentia jamdudum perſpecta erat; & illum concionantem ſæpe audierat, & quæ ille per annos plures, Viennæ dum eſſet, pro religione tuenda & amplianda, pro divini cultus incremento, pro ſalute animarum utiliter ac laborioſe geſſit, optime noverat; ac demum diligentem illius & fidelem operam primum in Salisburgenſi, deinde in Romana curia ſibi navatam experta fuerat. Nulla igitur cunctatione interpoſita Pium nominavit Epiſcopum Senienſem, ſimulque *Sacræ Cæſareæ, Regiæ, Apoſtolicæ Majeſtatis Conſiliarium* declaravit. Cæſaream & regiam nominationem haud libentius, quam promptius approbavit Clemens XIII. Pont. Max. univerſo Patrum Purpuratorum collegio, & Præſulum Romanorum cœtu applaudente. Horum ſiquidem omnium, ac præſertim Sanctiſſimi Patris exiſtimationem & benevolentiam Pius ſibi ob ſuam in omni virtutum ac laudum genere excellentiam conciliaverat.

Anno 1764. Seniam venit; ingenti omnium civium lætitia exceptus eſt, fauſtiſque acclamationibus, clero præeunte, populo proſequente, deductus in ædem cathedralem. Optatiſſimo & expectatiſſimo Præſuli ſollemnem adventum pereleganti oratione gratulatus eſt *Volfangus Homolich Abbas Sanctæ Crucis de Valle Segnienſi, Primicerius, & Canonicus ejuſdem Cathedralis*. Ex his, quæ orator præſtantiſſimus de virtutibus & meritis Pii Manzadorii, ejuſque ante pontificatum apoſtolica vita, fuſe, ornate, copioſe diſſeruit, nos pauca decerpſimus, & breviter ſtrictimque attigimus. Primas ſuſcepti Epiſcopatus cogitationes curaſque illuc intendit, ut rem & diſciplinam tum chriſtianam, tum eccleſiaſticam reſtitueret, ac ſtabiliret, ſi quid forte detrimenti propter diuturnam ſui deceſſoris & neceſſariam Romanam abſentiam, utraque, vel alterutra cœpiſſet; ac ſtudioſe operam dedit, ut tamquam bonus paſtor, ſuas oves cognoſceret, & ipſe ab ſuis ovibus e ſua erga illas paſtorali ſollicitudine & charitate cognoſceretur. Jam unus, itemque alter annus effluxit, cum Senienſes ſanctiſſimis hujus Antiſtitis cohortationibus, exemplis, inſtitutis ad omnem ſanctitatem informantur; ſeque tali ac tanto Præſide felices ac beatos prædicant, neque aliud magis verentur, quam ne illum ſibi illuſtriores eccleſiæ Imperii Germanici & Auſtriaci aliquando eripiant. *Interea vero*, ut verbis iiſdem utar, quibus eruditiſſimus, & eloquentiſſimus Volphangus ſuam concluſit orationem, *dum huic ſacro vertici dignior infula novo Auguſtorum imperio decernatur, Senienſes hoc Præſule, ac Pio patre læti fruentur, ex ejus nutu, Dei gloriam, & animarum ſalutem promovere admittentur.*

EPISCOPI OTTOCIENSES.

Ottocii poſitio, cujus Domini Frangipanii.

OTtocium, vulgo *Ottochaz*, oppidum mediterraneum diœceſis Senienſis, neque infrequens, neque ignobile, a mari milliaria quinque aut quatuor, a Gatzka fluvio haud ita longe in occaſum diſtans, & amnis Guſichiapoliæ ripæ aſſidens. Erat in ditione Comitum e gente Frangipania, ut conſtat ex diplomate Sigiſmundi Frangipanii, qui villam quamdam in territorio ejuſdem oppidi ſitam Antonio Balyardiſch & Marinæ ejuſdem conjugi donavit; cujus extremam particulam hic ſubjicio: *Conjuramus*, inquit, *per Deum, & B. Mariam, & per omnes Sanctos Dei, quod qui poſt nos dominabitur caſtrum noſtrum Ottochaz, eos debeat in hoc tenere, prout eſt ſupra deſcriptum; & in hoc eis dedimus hanc noſtram litteram patentem ſub noſtro ſigillo conſueto. Anno Domini 1436. ſcripta in noſtro caſtro Ottochaz gratia Dei, menſis Maji die duodecima.*

Capitulum Ottocienſe, & Abbatia S. Nicolai.

Capitulum ædis primariæ quinis Canonicis conſtat, & Archipresbytero, ad quos rerum ſacrarum procuratio, & regimen, atque inſtitutio plebis chriſtianæ pertinet. Extat in illis locis Abbatia *S. Nicolai de Gatzka*, cujus titulum gerebat Martinus Braicovichius Epiſcopus Senien-

nienſis; eique in ejuſdem tituli poſſeſſionem ſucceſſit Antonius Wkmerovichius Canonicus Senienſis. Olim vectigalibus haud ſane contemnendis inſtructam fuiſſe ajunt; ſed proventus fere omnes vel converſione rerum ac temporum, vel malitia & iniquitate hominum alio diſtractos amiſit. De hujuſmodi Abbatia interrogatus Paullus Ritter eques, & Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis conſiliarius, diligentiſſimus inveſtigator rerum antiquarum hoc reſponſum dedit, *Do pro memoria*, inquit, *quibus expedit univerſis, qualiter prædicatum Abbatiæ S. Nicolai de Gatzka, vulgo Ottochaz, commune vulgetur. An autem eccleſia illa vere Abbatialis fuerit, nulla tradit memoria. Verius tamen credi par eſt parochialem ſolum extitiſſe. Parochos autem primis temporibus, in iis partibus etiam Abbates fuiſſe nuncupatos in antiquis Seniæ ſtatutis invenio; cum alias nunquam Abbatem de Gatzka, vel Ottocen. nominatum invenerim aliquem; neque in illo loco Monachorum cujuſquam ordinis conventum extitiſſe legerimus. Erat autem parochia, immo & Archidiaconatus de Gatzka Senienſis diœceſis ab antiquo tempore, recognitus in Synodo Salonitanæ Eccleſiæ, cui ſuffragabatur Epiſcopatus Senienſis ſæculo duodecimo.*

Epiſcopi Ottocienſes omnino quatuor.

Sæculo decimo quinto vergente, neſcio quomodo, & auctore neſcio quo exortus eſt Epiſcopatus Ottocienſis; neque amplius quatuor invenio, qui epiſcopalem Eccleſiæ Ottocienſis titulum geſſerint; hos videlicet, *Blaſium*, *Joannem*, *Vincentium*, & *Petrum*, quo cum extraordinarius illę Epiſcopatus extinctus eſt; niſi forte quintum addere libeat ex annulo quodam, quem repertum ferunt a Benedicto Bedecovitio Epiſcopo Senienſi, dum luſtrationis pontificiæ cauſſa Ottocii verſabatur; huic enim annulo circumcirca inſcriptus fuiſſe dicitur *Nicolaus Epiſcopus Ottocienſis*; idem fortaſſe, quem Leander Albertus lib. 3. de viris illuſtribus ordinis Prædicatorum, vocat *Nicolaum Epiſcopum Ottonienſem*. Hujus Epiſcopatus inſtitutionem adſcribendam cenſeo Archiepiſcopis Spalatenſibus & anno circiter 1470. affigendam. Hi quippe per ea tempora cum perſæpe ac diutius a Metropoli abeſſent, Vicario ſui officii epiſcopalis indigebant. Laurentius Zannius annos fere duodecim abfuit; Petrus Fuſcarus poſt intermedium ac brevem pontificatum Joannis Zanettini, Eccleſiæ Spalatenſi, quam nunquam vidit, triennio præfuit. Huic ſuffectus Bartholomæus Averoldus, qui cum annos tres ac viginti ſedem Spalatenſem tenuerit, plerumque tamen Venetiis morabatur. Ut igitur Spalatenſibus non deeſſet, qui vice pontificia fungeretur, & quæ ſunt propria Epiſcoporum munia perageret; neque ſemper expedita in promptuque illis eſſet opera Epiſcoporum Dalmatiæ, qui ſuis eccleſiis adeſſe, invigilare, ac proſpicere debebant; aliquem ſibi Epiſcopum nanciſcendum cenſuerunt, ab omni fere adminiſtratione ſolutum ac liberum, aut certe exiguis diœceſis admodum anguſtæ curis impeditum, cujus miniſterio uti ad omnia poſſent pro ſuo arbitratu. Huic titulum epiſcopalem adſciſcendum curarunt ab eccleſia & oppido Ottocienſi, eique præter Ottocium cum ſuo territorio, hæc loca finitima Gatzkam, Dabar, Verhovinam attribuenda, in quibus juriſdictionem epiſcopalem exerceret, decimaſque ex illis perciperet. Quæ omnia cum a Sede Apoſtolica impetraſſent, Eccleſia Ottocienſis epiſcopalem titulum ac dignitatem obtinuit. Nec vero dubitari poteſt, quin Epiſcopus Senienſis ægre ferret ab ſua diœceſi extremam illam ad orientem particulam divelli; & quantum in ipſo fuit, ne divelleretur obſtiterit. Sed tandem vel invitus tempori cederet, & eorum, quibus ſuberat, auctoritati pareret oportuit.

Institutio Epiſcopatus Ottocienſis.

Commodum hæc ſcripſeram, cum in quadam Synopſi genealogica & chronologica familiæ Frangipaniæ hoc notatum inveni. 1461. *Sigiſmundus Frangipanus inſtituit Epiſcopatum Ottocenſem annuente Pio II. Papa in Eccleſia S. Nicolai, quæ olim Abbatialis erat, cujus juspatronatus ad Sigiſmundum & hæredes ſpectabat, elegitque in primum Epiſcopum Blaſium Raguſinum ordinis Prædicatorum.*

BLASIUS EP. OTTOCIENSIS I.

Blaſius primus Epiſc. Ottocii ex ord. S. Dominici.

EX ordine S. Dominici, vir æque doctrina, ac ſanctimonia clarus. Nec vero abſimile eſt per hunc ſuppletam fuiſſe Laurentii Zannii Archiepiſcopi abſentiam; neque enim alium invenio, qui per annos fere duodecim, dum Spalatenſis Eccleſia ſui paſtoris præſentia carebat, functiones epiſcopales obierit. Hanc vicariam operam Blaſius præſtitit Petro Fuſcaro Archiepiſcopo Spalatenſi, qui cum tres annos illi Metropoli præfuerit, ad eam nunquam acceſſit. Blaſius ſiquidem, cum eccleſiæ ſuæ aditu prohiberetur, adverſante adhuc & repugnante Epiſcopo Senienſi, Spalati commorari ſolebat in cœnobio Patrum S. Dominici, & Archiepiſcopi abſentis officio fungi. Dum enim in ea civitate omnia Epiſcopi adjutoris munera exequeretur, ei Sedes Apoſtolica delegavit cognitionem cujuſdam controverſiæ Pharienſis, quæ in re matrimoniali verſabatur. In æde metropolitana tribunal conſtituit, & poſt diligentem inquiſitionem adhibitam, teſtibus in utramque partem auditis, ſententiam tulit, cujus autographum adhuc extat inter acta judicialia ejuſdem curiæ. *Coram nobis Blaſio, permiſ. divina Epiſcopo Ottocienſi, ſacræ paginæ Doctore, ex ordine Prædic. aſſumpto, ac judice & commiſſario a S. Sede Apoſtolica delegato &c. ... Late, data, & pronunciata ſuit ſupraſcripta ſententia definitiva a Rev. Dom. Blaſio Ottocienſi Epiſcopo, Judice Apoſtolico ſpecialiter delegato, ſedente pro tribunali Spalati in Eccleſia Metropolitana S. Domnii, ſub imagine S. Chriſtophori, ſuper cathedram juris, præſente, audiente &c.* Poſtquam Petrus Pontificatum Spalatenſem depoſuit anno 1479. eamdem, quam huic præbebat, operam vicariam navavit Bartholomæo Averoldo, qui cum Petro in ſedem Archiepiſcopalem proxime ſucceſſerit, Spalatum tamen non adiit ante annum tertium & octogeſimum hujus ſæculi. Nec dubium eſt, quin per id triennium abſentiæ Archiepiſcopalis, Blaſius Epiſcopus Ottocienſis Spalati permanſerit, atque ex delegatione Bartholomæi rem eccleſiaſticam adminiſtraverit; idque declarat quædam ſententia judicialis ab eodem Blaſio Spalati lata anno 1481. pridie Idus Julii, quæ inſerta eſt actis Curiæ Archiepiſcopalis. De Blaſio nihil præterea litteris proditum invenio; nec mihi conſtat, utrum aliquando eccleſiam ſibi commiſſam inviſeret, ad ejuſque gubernacula ſederit. Poſt annum 1483. non videtur neceſſaria fuiſſe Bartholomæo Metropolitæ opera epiſcopalis Blaſii, cum alios deinde habue-

Judex delegatus a Sede Apoſtolica in quadam Pharienſi matrimoniali controverſia.

habuerit Vicarios generales, ac præsertim Vitum de Ruschis Episcopum Dumnensem, quem idem Bartholomæus, cum anno circiter 1490. Venetias se contulisset, totius Metropolis ac pontificii muneris administrum & Vicarium reliquerit. Porro Blasius biennio post e vita decessit.

JOANNES EP. OTTOCIENSIS II.

Joannes Chericatus Ep. translatus ad Ecclesiam Catarensem an. 1493.

Ex antiqua & illustri familia Vicetina Cheregata, qui cum ab adolescentia nomen dedisset in sodalitatem Cruciferorum, supremam totius ordinis præfecturam obtinuit. Huic Innocentius VIII. Ecclesiam Ottociensem decrevit, ut est in tabulis consistorialibus: *an. 1492. 12. Maji providit de persona D. Joannis de Cheregato Generalis ordinis Cruciferorum Ottociensi Ecclesiæ, in Comitatu Corvaviæ* (Corbaviæ, sive Chrobatiæ), *vacanti per obitum Dom. Blasii ultimi Episcopi*. Hujus ecclesiæ titulum tredecim menses cum retinuisset, anno sequente deposuit, & Ottociensem cum Catarensi Episcopatu ex auctoritate Alexandri VI. commutavit, *Anno 1493. 16. Augusti admisit resignationem Ecclesiæ Ottociensis in manibus suæ Sanctitatis factam per R. D. D. Joannem Cheregato illius ultimum Episcopum, eumque ad Catarensem Ecclesiam transtulit ac promovit*.

VINCENTIUS EP. OTTOCIENSIS III.

F. Vincentius de Andreis Ep. controversiam habuit cum Episc. Senien.

Quem Joannes Lucius in Monumentis Tragurienſibus annumerat inter viros illustres urbis Tragurii, ejusque mentionem perhonorificam fecit Petrus Bembus in epistolis, quas nomine, jussuque Leonis X. scripsit ad Ladislavum regem Hungariæ, itemque ad Petrum Berislavum Episcopum Vesprimiensem, & Banum Dalmatiæ atque Chrobatiæ. Natus est Tragurii e familia *de Andreis*, in primis inter Tragurienses nobili & copiosa. Religiosum vitæ genus, atque institutum Dominicanum amplexus excellentem doctrinam cum eximia sanctitate conjunxit. In quodam libello vulgato sub hoc titulo *Radii Theologici* illustre elogium illi attributum invenio: *P. Vincentius de Andreis de Tragurio, conspicuus Sacr. Theologiæ Magister, & sanguinis nobilitate celsus, dum ob suæ profundissimæ humilitatis præstantiam etiam supremam Dalmaticæ provinciæ præfecturam constanti animo reluctasset, meruit ad Ottocensis Episcopatus dignitatem invitus exaltari a Leone X.* Tantum abest a Leone X. Sacerdotium Ottociense acceperit, ut jam inde ab anno 1493. huic ecclesiæ præsideret, quam eidem contulerat Alexander VI, uti docent tabulæ consistoriales. *Anno 1493. 6. Septembris providit de persona F. Vincentii Ottociensi Ecclesiæ vacanti per translationem & resignationem D. Joannis de Cheregato*. Hunc Bartholomæus Averoldus Archiepiscopus Spalatensis, ut est in actis curiæ Archiepiscopalis, in æde metropolitana statis ac sollemnibus cærimoniis consecravit, ministris ad hujusmodi consecrationem adhibitis Vito de Ruschis Dumnensi, & Christophoro Modrussensi Episcopis. Primus fuit, quem constet ecclesiam ac diœcesim sibi commissam adiisse, in eaque fixam stationem habuisse: quam quidem egregiis imbuit institutis exemplisque. Neque enim opus fuit Bartholomæo illum Spalati retinere ad fungendum munus episcopale, cum Viti Dumnensis Episcopi opera vicaria uteretur. De jurisdictione ac decimis litem habuit cum Jacobo de Blasiolis Episcopo Senensi. Veniebant in controversiam quædam loca & territoria, in quibus uterque tum jurisdictionem, tum jus percipiendi decimas sibi vindicabat. Ad eam dirimendam, ex utriusque partis compromisso, delecti sunt arbitri Joannes Kerlicza Archipresbyter ecclesiæ & insulæ Pagensis, Silvester Bedurichius Archidiaconus Ecclesiæ Senensis, & F. Paullus Præpositus cœnobii Dominicani in urbe Senia. Hi autem Episcopo Ottociensi, præter Ottocium urbem episcopalem cum agris ad eam pertinentibus, parœcias omnes trium pagorum *Gatzkæ, Dabaris, Verhovinæ*, cum earum parochis & clericis, ac decimas, integras quidem ex habitatoribus & colonis urbis ac territorii Ottociensis, dimidias autem ex nobilitate Ottocienſi adjudicarunt; reliqua omnia Episcopo Senensi, itemque jus percipiendi decimas ex duobus illis pagis *Gatzka & Dabore* ab ejus diœcesi avulsis reliquerunt; huic vero id oneris impositum fuit, ut Episcopo Ottociensi ad construendas sibi ædes in oppido Ottociensi aureos sexagenos contribueret. Demum de consensu utriusque partis decretum fuit petendum esse a Summo Pontifice, & rege Hungariæ, ut post mortem Vincentii vellent juberentque Ottocienſem Episcopatum aboleri, & Episcopo Senensi particulam suæ diœceseos ademptam restitui. Hanc sententiam & compositionem rogatu Jacobi Episcopi Senensis confirmavit Uladislavus rex Hungariæ anno 1502. ut declarat regium diploma Budæ eodem anno, dieque festo B. Demetrii datum, quod in Jacobo Ep. Senien. descripsimus. Porro Vincentius plures annos Ecclesiæ Ottociensi præfuit, vitamque perduxit usque ad extremum Pontificatum Leonis X. a quo itidem in eamdem episcopalem sedem suffectus fuit

Decretum de postulanda post mortem Petri abolitione Ep. Ottociensis.

PETRUS EP. OTTOCIENSIS IV. & postremus.

Petrus de Andreis Ep. jus adeundi Episcopatus amisit, quod eidem Clemens VII. restituit.

Ex eadem civitate Tragurii, & familia de Andreis oriundus. Romam profectus atque inter Romanos Præsules adscriptus, habitabat in ædibus Laurentii Presbyteri Cardinalis tit. S. Anastasiæ; qui Petri suavissimis moribus, singulari doctrina ac virtute mirifice delectabatur. Erat itaque Cardinali unus ex omnibus domesticis atque intimis familiaribus carissimus, idemque conviva quotidianus. Gratiosa commendatio patroni beneficentissimi plurimum illi profuit apud Leonem X. qui ut Cardinali gratificaretur, simulque merita Petri, quo digna erant, præmio remuneraret, huic Ecclesiam Ottocienſem ob Vincentii mortem Episcopo viduatam decrevit: ex quo apparet postulatum illud de abrogando Episcopatu Ottocienſi aut delatum non esse ad Sedem Apostolicam, aut ab ea rejectum fuisse. Leonis X. edicto sancitum erat, ut si quis Sacerdotii sibi collati litteras intra octo menses rite conficiendas in Curia Apostolica expediendasque non curaret, jus ejusdem Sacerdotii capiendi amitteret, & quod illi Pontifex decreverat, contuleratve, irritum esset. Id Petrus facere omisit, & per annos circiter quatuor jus adeundi Episcopatus Ottocienſis, quod ex decreto Leonis acquisierat, amissum recuperare neglexit; propterea fortasse quia eidem obsistebat Franciscus Episcopus Senensis, qui de Episcopa-

ſcopatu illo abolendo quod convenerat inter Vincentium & Jacobum, ut ſupra diximus, id omnino ſervandum eſſe contendebat; vel quia pro litteris apoſtolicis expediendis Petro non erat, unde ſolveret. At demum Laurentius Cardinalis S. Anaſtaſiæ, cui cordi erat in primis honor ac dignitas Petri ſui familiaris ſibique cariſſimi, hujus preces ſua commendatione nixas apud Clementem VII. interpoſuit, qui quod Leo contulerat Petro, ratum eſſe & valere voluit perinde ac ſi nondum præfinitum ab eodem Pontifice tempus effluxiſſet, traditumque illi Epiſcopatum novo diplomate confirmavit.

Diploma Clementis VII.

Clemens VII. Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Venerabili Fratri Petro Epiſcopo Ottocienſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem &c.

Venerabilis Frater ſalutem &c. Cum dudum poſtquam felicis recordationis Leo Papa decimus prædeceſſor noſter per quandam ejus conſtitutionem inter alia ſtatuerat, & ordinaverat, quod promotiones ad epiſcopales dignitates per eum hactenus factæ, niſi ab ipſius conſtitutionis publicatione infra tres, in poſterum vero faciendæ, niſi infra octo menſes, ab earum data computandos, ſuper eis litteræ apoſtolicæ confectæ, & in omnibus officiis expeditæ forent, nullius roboris exiſterent. Idem prædeceſſor Eccleſiæ Ottocienſi tunc certo modo paſtoris ſolatio deſtitutæ de perſona tua apoſtolica auctoritate, de Fratrum ſuorum, de quorum numero tunc eramus, ... providerit, teque illi in Epiſcopum præfecerit & paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo, ac motu proprio per ſuas in forma Brevis litteras, ut illarum vigore regiminis, & adminiſtrationis, ac bonorum dictæ eccleſiæ poſſeſſionem, ſeu quaſi apprehendere poſſes, inter alia conceſſerit. Et ſicut nobis nuper exponi feciſti, tu, qui litterarum Brevis hujuſmodi vigore poſſeſſionem regiminis, & adminiſtrationis, ac bonorum prædictorum aſſecutus fuiſti, ex certis cauſis litteras proviſionis & præfectionis de perſona tua factarum hujuſmodi, infra octo menſes, ab earum data computandos, prout juxta conſtitutionem, ac ſtatutum, & ordinationem Leonis prædeceſſoris hujuſmodi tenebaris, aut etiam hactenus, commode expediri facere non potueris. Nos, ne propterea proviſio & præfectio prædictæ tibi, qui dilecti filii noſtri Laurentii tituli Sanctæ Anaſtaſiæ Presbyteri Cardinalis prælatus, & continuus commenſalis exiſtis, minus utiles reddantur, providere, teque, tuis exigentibus meritis, ſpeciali favore proſequi volentes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, quod proviſio & præfectio prædictæ, ac deſuper conficiendæ litteræ, cum confectæ fuerint, & quæcumque inde pro tempore ſecuta valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, & tibi ſuffragentur, tuque illis uti licite & libere valeas in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi infra octo menſes juxta conſtitutionem, ac ſtatutum, & ordinationem Leonis prædeceſſoris hujuſmodi expediri feciſſes, auctoritate prædicta tenore præſentium concedimus, & pariter indulgemus, teque adverſus ſtatutum & ordinationem prædeceſſoris hujuſmodi, nec non in priſtinum, & eum ſtatum, in quo ante lapſum octo menſium prædictorum exiſtebas, reſtituimus, reponimus, & plenarie reintegramus; ac reſtitutum, repoſitum, & plenarie reintegratum, nec non pro validitate ipſarum proviſionis & præfectionis per quoſcumque judices quavis auctoritate fungentes, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & cauſarum palatii apoſtolici auditores, ſublata eis quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac quicquid ſuper his quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obſtantibus ſtatuto & ordinatione præmiſſis, ac aliis ſimilibus ſtatutis, & ordinibus, & per piæ memoriæ Adrianum Papam VI. & nos contra non expedientes litteras apoſtolicas ſuper proviſionibus eccleſiarum de perſonis eorum conſiſtorialiter factis; nec non quibuſvis conſtitutionibus, & ordinibus apoſtolicis, ac dictæ Eccleſiæ Ottocien. juramento, confirmatione apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod infra ſex menſes a data præſentium computandos, litteras apoſtolicas ſuper proviſione & præfectione hujuſmodi de perſona tua factis, in totum expedire, ac jura cameræ apoſtolicæ perſolvere omnino tenearis; alioquin ſemeſtre hujuſmodi elapſo, præſentes litteras tibi nullatenus ſuffragari, ſed eccleſiam ipſam Ottocienſem vacare decernimus. Datum Romæ &c. Die ultima Februarii 1526. Pontif. noſtri anno tertio.

Idem jus iterum ob eamdem cauſſam amiſſum

Ab hiſce litteris pontificiis ſex jam menſes interceſſerant, nec vero Petrus ex præſcripto Clementis litteras teſtes collati ſibi confirmatique Epiſcopatus ab Curia Apoſtolica expediendas curaverat, quod fortaſſis ſolvendo non eſſet, vel obſiſtente, ut mihi videtur, & reclamante Epiſcopo Senienſi. Itaque neceſſe fuit, ut ad has litteras expediendas annum integrum Pontifex illi prorogaret; interea effici poſſe videbatur, ut Epiſcopus Senienſis blandis ſuaſionibus, & amicorum officiis delinitus, ab ea obſtinata contradictione deſiſteret. De hac prorogatione Clemens in ſuis litteris ad Canonicos Ottocienſes, quibus præcepit ac mandavit, ut Petrum reciperent, eique tamquam legitimo Epiſcopo, patri, ac paſtori reverentiam, benevolentiam, atque obedientiam præſtarent. Prætori autem, ſeu Capitaneo Seniæ imperavit, ut proventus eccleſiæ & Capituli Ottocienſis, quos retinebat, dimitteret ac reſtitueret, & Petro auxilium ac favorem ad poſſeſſionem eccleſiæ ſibi traditæ adeundam præberet: niſi paruiſſent mandatis pontificiis, ſacrorum omnium communione illis interdixit, aliaſque pœnas irrogavit. Quod autem ait *Petrum regimine & adminiſtratione dictæ Eccleſiæ ſpoliatum fuiſſe*, id ſic intelligi poſſe arbitror, jure ipſius Epiſcopatus obtinendi, quod ex decreto Leonis acquiſierat, retinebatque, antequam octo illi menſes elaberentur, *ſpoliatum fuiſſe*, cum eumdem Ottocienſes, inſtigante Senienſi Epiſcopo, ab illius eccleſiæ *regimine atque adminiſtratione* repellere ſtatuiſſent. Exemplum epiſtolæ Clementinæ hic ſubjicio.

rurſus Clemens redintegravit.

Clemens VII. Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Capitulo Ottocienſi.

Dilecti filii, ſalutem &c. Nuper poſtquam fel. rec. Leo Papa Decimus prædeceſſor noſter Eccleſiæ Ottocien. tunc certo modo paſtoris ſolatio deſtitutæ de perſona Venerabilis Fratris Petri Epiſcopi Ottocien. apoſtolica auctoritate providerat, ipſique illum in Epiſcopum & paſtorem præfecerat, curam, & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ ſibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie admittendo, ac motu proprio ſibi per ſuas in forma Brevis litteras, ut illarum vigore regiminis, & adminiſtrationis, ac bonorum dictæ

ecclе-

eccleſiæ poſſeſſionem , ſeu quaſi , apprehendere poſſet , inter alia conteſſerat . Cum dictus Petrus Epiſcopus , qui litteras Brevis hujuſmodi vigore poſſeſſionem regiminis , & adminiſtrationis , ac bonorum prædictorum aſſecutus fuerat , ex certis cauſis litteras proviſionis & præfectionis de perſona ſua factarum hujuſmodi infra octo menſes , prout juxta conſtitutionem ipſius prædeceſſoris deſuper editam tenebatur , expediri non feciſſet ; Nos eidem Petro Epiſcopo , quod proviſio , & præfectio prædicta , ac deſuper conficiendæ litteræ cum factæ forent , & quæcumque inde pro tempore ſecuta , valerent in omnibus & per omnia perinde , ac ſi illas infra octo menſes juxta conſtitutionem prædeceſſoris hujuſmodi expediri feciſſet , per quaſdam noſtras conceſſimus , eumque in priſtinum , & eum ſtatum , in quo ante lapſum octo menſium prædictorum exiſtebat , reſtituimus , repoſuimus , & plenarie reintegravimus ; ac voluimus , quod infra ſex menſes ex tunc computandos litteras ſuper proviſione & præfectione de perſona ſua factas hujuſmodi in totum expedire , ac jura cameræ apoſtolicæ perſolvere omnino teneretur ; & deinde ſemeſtre prædictum ad annum , a fine ipſius ſemeſtris computandum , infra quem dictas litteras expedire minime teneretur , per alias noſtras in forma Brevis litteras prorogavimus , & extendimus , prout in eiſdem litteris plenius continetur . Nos igitur eundem Petrum Epiſcopum paterna benevolentia proſequentes , ac cupientes , ut proviſio & præfectio prædicta ſuum debitum , ut convenit , ſortiantur effectum , vobis & veſtrum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ ſub excommunicationis latæ ſententiæ , ac ſuſpenſionis a divinis , nec non privationis Canonicatuum , & præbendarum , ac quorumcunque aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum per quemlibet veſtrum obtentorum , ac inhabilitatis ad illa & alia in poſterum obtinenda , pœnis , niſi parueritis , per ſingulos veſtrum abſque alia declaratione eo ipſo incurrendis , diſtricte præcipiendo mandamus , quatenus eundem Petrum Epiſcopum , qui regimine & adminiſtratione dictæ Eccleſiæ , ut accepimus , ſpoliatus fuit , ad priſtinam poſſeſſionem , ſeu quaſi , regiminis , & adminiſtrationis , ac bonorum eccleſiæ hujuſmodi , in qua ante lapſum octo menſium prædictorum exiſtebat , reſtituatis , reponatis , & admittatis , ac ſibi tamquam patri & paſtori animarum veſtrarum humiliter intendentes , ejus ſalubria monita & mandata ſuſcipere , & efficaciter adimplere curetis . Mandantes etiam dilecto filio Capitaneo Segnien. ſeu ejus locumtenen. ſub eadem excommunicationis latæ ſententiæ pœna , ut præfertur incurrenda , ut fructus , reditus , & proventus dictæ eccleſiæ , ſeu illius Capitularis Menſæ apud eum conſiſtentes , eidem Petro , vel ejus circa hoc negotiorum geſtori integre , realiter , & cum effectu reſtituat , ac ſibi in adipiſcenda & accipienda poſſeſſione hujuſmodi , favores & auxilia opportuna exhibeat . Scituri quod ſi mandatis noſtris hujuſmodi parere contempſeritis , nos contra vos ad graviores cenſuras procedi faciemus , prout contumacia exegerit , & juſtitia ſuaſerit . Non obſtantibus præmiſſis , & conſtitutionibus apoſtolicis , nec non omnibus illis , quæ in dictis litteris noſtris voluimus non obſtare ; ceteriſque contrariis quibuſcumque . Volumus autem quod ipſe Petrus Epiſcopus litteras ſuper proviſione prædicta infra dictum terminum ultro prorogatum , expedire , ac jura cameræ apoſtolicæ perſolvere omnino teneatur ; alioquin eccleſia ipſa vacare cenſeatur eo ipſo . Datum Romæ &c. die 26. Aprilis 1527. anno Pontif. noſtri quarto .

Petrus non ſolum habuit titulum , ſed etiam adminiſtratione Epiſcopatus Ottocienſis functus eſſe videtur .

Paullus Ritter loco ſupra laudato tradit Petrum perpetuo caruiſſe tum poſſeſſione , tum proventibus Eccleſiæ Ottocienſis , & cum aliquot annos titulum epiſcopalem ab omni adminiſtratione vacuum geſſiſſet , Romæ mortuum eſſe : *Cum autem idem Petrus nec proventus eccleſiæ obtineret (Romæ apud Laurentium tit. S. Anaſtaſiæ Cardinalem prælatus & commenſalis perpetuo exiſtens) nec jura cameræ pontificiæ , quæ requirebantur , ſolveret , cum vacuo Epiſcopi titulo mortuus eſt ; atque ab eo tempore recens ille nominatus Epiſcopatus expiravit .* Verum enim vero & receptum ab Ottocienſibus , & epiſcopali adminiſtratione atque officio apud eos functum fuiſſe , indicio mihi videtur eſſe ipſius Petri ſignum epiſcopale ex orichalco , quod Ottocii an. 1712. repertum ex terraque effoſſum eſt , In eo inſculpta viſitur effigies S. Nicolai , ſubter quam extat ſtemma gentilitium familiæ de Andreis , cum mitra pontificia eidem ſuperpoſita : circum vero inciſa eſt epigraphe his litteris : PETRUS. DE. ANDREIS. DALMATA. EPISCOPVS. OTOCIENSIS. Hinc apparet ædem cathedralem titulo ac patrocinio S. Nicolai conſecratam fuiſſe ; quæ quidem eadem videtur eſſe , quæ nunc quoque extat , appellaturque *Abbatia S. Nicolai de Gatzka* . Quamdiu Petrus huic eccleſiæ præfuerit , quid rerum geſſerit , quo anno diem obierit , mihi non eſt compertum ; hoc ſatis conſtat ejus morte interiiſſe Epiſcopatum Ottocienſem , cum annos circiter 60. viguiſſet ; niſi forte Petro alium & poſtremum Epiſcopum ſubjicere libeat , videlicet Nicolaum ex ordine Prædicatorum , quem Leander Albertus vocat *Epiſcopum Ottonienſem* , quique *Nicolaus Ottocienſis* inſcriptus eſt in annulo quodam reperto in oppido vel agro Ottocienſi , ut ſupra dictum eſt . Certe poſt hujus interitum Eccleſia Ottocienſis cum veteri Canonicorum ſuorum collegio priſtinum Collegiatæ titulum , ac dignitatem retinuit , *Nunc vero parochis* , ut ſcripſit Paullus Ritter , *eccleſias illas adminiſtrantibus , Capitulum Senienſe unum e ſui gremio collegam aut capellanum ſemper mittit , continuo illic reſidentem , ideaque in proventibus cum illis & Epiſcopo participat .*

Poſt Petrū fortaſſe Nicolaus Ep. Ottocienſis .

EPIS-

EPISCOPI DUMNENSES.

Dalminii positio, unde nomen & genus Dalmaticum.

DAlminium civitas vel antiquitate vel nobilitate ceterarum Dalmatiæ urbium facile princeps, inter Tilurum & Naronem in locis mediterraneis atque alpinis posita erat, ubi nunc exiguum oppidum visitur, cui Dumno nomen est. Ab ea regio & gens Dalmatica, præpotens olim armis atque opibus, nomen & initium sumpsit. Hi siquidem populi, cum a Gentio postremo Illyriorum rege defeciſſent anno ante Christum circiter 280. ab urbe totius gentis primaria nomine assumpto, Rempublicam ab omni extraneo dominatu liberam condiderunt, & imperii finibus usque ad Titium prolatis in tantas opes crevere, ut plurimis acerrimisque bellis Romanos fatigaverint, neque ante Augustum debellari omnino, redigique in ditionem populi Romani potuerunt. C. Marcius Figulus iterum Consul primum cum Dalmatis bellum gessit anno ante Virginis partum 156. Initio non sine cæde atque ignominia ab Dalminii obsidione repulsus est; deinde aliquot oppidis captis, rursus Dalminium aggressus omni telorum genere oppugnavit; atque, ut est apud Appianum, fudibus bicupitalibus pice & sulphure circumlitis, admotoque igne succensis, introrsum ejaculandis cum omnia exureret, atque corrumperet, fœdum in modum vastavit. Dalmatæ hoc bello perfuncti, & pace cum Romanis constituta, urbem ædificiis ac mœnibus refectis, novisque munitionibus ad veteres adjunctis, in pristinum atque adeo validiorem statum restituerunt. Alterum cum Dalmatis bellum gessit P. Cornelius Scipio Nasica Consul anno ante Christum 138. Tum vero Dalminium urbem illam magnam, ut vocat Strabo, vi cepit, captam militibus diripiendam dedit; & mœnibus ac propugnaculis nudatam, plerisque ædificiis tum publicis, tum privatis eversis, majori ex parte demolitus est, in angustumque spatium redegit. *Dalminium magna urbs, unde genti nomen; eam urbem Nasica exiguam fecit.* Strabo lib. 7. Tunc Dalmatæ arcem ac sedem imperii e locis mediterraneis ad oram maritimam transtulerunt, & Salonæ collocarunt. De ceteris bellis, quæ postea Dalmatæ sane multa & graviſſima cum Romanis gesserunt, ante quam duce Tiberio debellatum esset cum Dalmatis, quos *vicies & ducenties rebellasse* ait Vellejus lib. 11. *priusquam ad certam confessionem pacati essent imperii;* itemque de origine ac propagatione nominis & imperii Dalmatici, vide quæ scripsimus parte 1. Proleg. cap. 4. de Bellis Illyricis, & parte 11. cap. 3. de multiplici propagatione generis & nominis Dalmatici.

Multiplex & varia ejus appellatio.

Quod Ptolemæus & Appianus *Delminium* vocat, Strabo *Dalminium* sive *Dalmium;* varie appellatum apud recentiores invenio, *Dalmanam* apud Cassiodorum, *Delmium* apud Stephanum, *Dalmam* apud Presbyterum Diocleatem, *Delmim* apud Archidiaconum, *Dulmium* denique, *Dumnium*, *Dulpnum*, *Dupnum*, & *Dumnum;* quod postremum vocabulum, prioribus fere abolitis, nunc apud vulgus & apud Scriptores usurpatur. Regionem circa urbem Thomas Archidiaconus *Delminam* vocat, & cum ille scribebat, magnæ illius urbis rudera, & mœniorum vestigia adhuc extabant. *Est*, inquit cap. 1. *regio quædam in superioribus partibus, quæ dicitur Delmina, ubi antiqua mœnia ostenduntur; ibique fuisse Delmis civitas memoratur.* Dalminium etiam post cladem eversionemque Nasicanam, quamvis a pristina magnitudine, & opulentia, ab incolarum, atque ædificiorum numero desciviſſet; tamen urbis aut certe oppidi non infrequentis, neque ignobilis nomen retinuit sub Imperatoribus Romanis & Græcis, sub regibus Serbliæ vel Chrobatiæ, (nam in utriusque regionis confinibus situm est) itemque sub dominatu regum Hungariæ, & Banorum ac regum Bosinensium. Verum postquam sæculo decimo quinto sub imperium ditionemque Turcarum cecidit, cui etiamnum subest, amplissimæ illius civitatis nihil supereſt, præter quasdam ædes semirutas, tecta informia, & casas exiguas, in quibus Christiani cum aliquibus Turcarum familiis permisti habitant, ut propius ad pagi, seu vici rusticani, quam ad formam oppidi ac similitudinem accedat.

Regionis descriptio.

Ergo in superioribus Dalmatiæ partibus planities æque fertilis, atque amœna explicatur, millia passuum circiter triginta circuitu complectens, undique montibus circumcluſa; Christianorum vicis septem & viginti habitatur. In ejus veluti capite ad septemtrionem Dumnus insidet longius a Tiluro, quam a Narone distans, a quo planities illa denominatur; nam Anonymus Diocleates *Planitiem Dalmæ vocat*. Regio seu territorium Dumnense his terminis definitur; qua spectat in septentrionem altissimis montibus intermediis a Bosina disjungitur; qua respicit orientem, vergitque ad meridiem, montibus itidem clauditur; ab occasu autem ab illis montibus terminatur, qui Liuni ac Dumni territoria discriminant.

Dumnum intra fines Bosinæ hodiernæ.

P. Marcus Dabresichius ex ordine Franciscano rigidioris observantiæ, Minister provincialis Fratrum Bosinensium, in suis ad nostra interrogata responsis, Dumnum intra fines Bosinæ constituit, scilicet Bosinæ modernæ, ut ipse vocat. Nam Hertzegovinam, & quidquid terrarum in Dalmatia Bassæ Bosnensis imperio subest, Bosnæ vocabulo subjecit; quæ quidem pars Dalmatiæ ad regnum Bosnense adjuncta, rite appellari potest Bosina adscriptitia, seu moderna. Dumni descriptionem, quam ille regionum earum, quas sæpe peragravit, scientissimus nobis confecit, lectoribus exhibendam censui; hinc enim positio, natura, circumscriptio totius territorii Dumnensis plane ac perspicue cognosci poterit. *Dumnum itaque, seu* Duvnum (*vulgo* Duvno) *historicis autem aliis* Dalma, Dalmis, *aut* Dalminium *aliis, aliis* Dalmium, *&* Dalmana *aliis, & unde passim ab eisdem Dalmatæ oriundi dicuntur; ab Ortellio Geogr. Tab.* 112. *intra Drinum fluvium & Sardonium montem, (quod quomodo me præterit, nisi eo forte, quia ab eodem mons Sardonius dictus est, qui de facto mons Adrius dicitur), a Scheytero autem in Bosna moderna, pariter intra Drinum, & Limum, seu Tilurum; a Frescotto Geographo Descriptore Dalmatiæ cap.* 1. *& ab aliis non paucis, ut diximus, in Bosna moderna collocatur: variis territoriis, prærltisque montibus vallatur undequaque. Vallatur quippe immediate ab oriente montibus, pascuis, nemoribus, pratisque, non modo indigenis, sed etiam Dalmatis ipsis non paucis,*

cis ; qui æstatis tempore ad habitandum in illis , certam summam in parata & in materialibus Dominis terrestribus Turcis contribuendo , e Dalmatia cum gregibus ovium , armentorumque egrediuntur , ac autumno adventante iterum regrediuntur in Dalmatiam , accommodatissimis ; Lubussa *nimirum*, Ramschiak, Vran, *&* Lib, *seu* Orlokuk ; *quibus deforis immediate adjacent territoria* Ramæ, *& illud de* Rakitno. *A meridie Duvno cingitur montibus* Midena *&* Grabovicza, *qui variis & variis colliculis, vallulisque interjecti cernuntur . Ex radicibus montis* Midenæ , *oræ campi Duvnensis insidentis , effluunt duo præclari fontes,* Brisceniik , *&* Nosdracz *vocati, dicti Midenæ montis accolis inæstimabiles. Est præterea in eodem monte herba quædam , prout ab indigenis certo perhibetur , quæ pro equis peripneumoniam patientibus efficacissima deprædicatur. In hac parte Duvni, Duvno Dalmatiam proximam novimus.* Imota *namque, quæ est Dalmatiæ oppidulum, & intra quam , atque Duvnum est territorium* Posussiense *Turcæ parens, non distat a Duvno pluribus , quam* 15. *milliaribus Italicis ; sed* Macharsca , *quæ etiam ex hac parte habetur , quintuplo plus. Circumdatur Duvno ab occasu montibus* Tusschicza, Ossigliar, *&* Orlovacz ; *qui montes fontibus vivis , pratis , nemoribusque sunt refertissimi. Post hos* Livnum , *seu* Livno *situm habetur : cujus urbs ab urbe Duvnensi abest ferme* 20. *millia Italica. Porro sicut Duvno respectivas Dalmatiæ oras habet a meridie , idem quoque de* Livno *venit dicendum respectu sibi obversarum Dalmatiæ partium. Habet quippe a meridie Livno* Sign, Vargliscam, *&* Cetinæ fontes ; *sed hi nonnihil sub occasum vergunt ; distant autem modo recensita loca a Livno (a specificativo ad specificativum , seu nobilius metiendo) per unam bonam dietam supra taxatam. Miror hinc τὸ prope nonnullorum historicorum , qui videlicet Livno prope* Cetinæ *fontes statuunt , cum montes Ardii , sive Adrii , qui ab occasu monte Bebib , ab oriente vero in vicinia Naronis fluentorum cum Scardo , seu Sardonio monte concatenati dicuntur , tam a Livno , quam a Duvno omnia jam recensita loca & e contra sejungant ; atque tam Duvnum , quam Livnum quoque sit cis prælaudatos montes , a quibus fontes Cetinæ in occasum distant . Ab aquilone tandem Duvno obducitur montibus* Malovan, *&* Paklinæ , *seu* Homar , *a territoriis autem mediate* Kuprisienssi , *& illo de* Ravno . *Intra enumeratos Duvni montes extensa conspicitur in longitudine* 4. *in latitudine autem* 2. *itineris horas , vix non dixerim perfecta planities ; in qua nullum cespitem esse crediderim, qui aut aratro, aut fœnisecæ non arrideat. Planitiem hanc , seu campum Duvnensem interfluit mediocre flumen* Suicza *dictum , cujus caput in* Capriis *territorio contermino , infra villam* Kukaviczæ. *In laudato flumine laudat patriota quempiam piscem anonymum quidem , sed numerosum , & qualitatis non ultimæ ; laudat item claritatem cum salubritate ejusdem undæ. Numerat Duvno , præter Turcas & schismaticos Græcos ,* 2788. *homines seu personas catholicas in* 27. *villis circa campum , in præfatorum montium promontoriis fundatis , habitantes. Habet urbem, cujus nomenclatura* Sapagnacz, *post meditullium campi , seu in parte ejusdem ad occasum vergente , nec ignobilem , nec infrequentem utique ; circumdant eamdem plura nemora , agri culti , fonteſque vivi saluberrimi irrigant . Ceterum hic loci adesse solis & soli qualitatem , aeris clementiam , fertilitatem , annonæ copiam &c. vitæ humanæ accommodata valde , probat vel ipsa robustas patriotarum , aptitudoque eorumdem ad agibilia quæque. Et quamvis hæ gentes ex sola agricultura , atque animalium intertenentia ad vitam necessaria legunt ; si tamen gravi frequentique Dominorum præsidentium tributo non premerentur , valde facilem vitam ducere possent .*

Initia Episcopatus.

Initia Dumnensis Episcopatus sunt nobis ignota ; sed nisi altius repetenda sint , certe infra ætatem S. Gregorii Magni , & sæculum sextum constitui nequeunt . Ceterum ante pontificatum ipsius D. Gregorii obscura quædam ejusdem indicia apparent . Thomas Archidiaconus cap. XII. tradit B. Germanum Episcopum Capuæ , cum ab Hormisda Papa legatus anno 519. Constantinopolim proficisceretur, iter habuisse per Dalmatiam, & Dumnensem Ecclesiam consecrasse , cujus consecrationis testem citat inscriptionem in pariete inciſam , quæ dum hæc scriberet , adhuc extabat . *Ista fuerunt regni eorum confinia , ab oriente Delmina , ubi fuit civitas Delmis , in qua est quædam ecclesia , quam B. Germanus Capuanus Episcopus consecravit , sicut scriptum reperitur in ea .* Hominem id nominis ac dignitatis invitatum atque adhibitum fuisse non arbitror ad vulgarem aliquam ecclesiam ritu sollemni dedicandam ; & magis apte congruenterque ad personam , quam gerebat tum Episcopi urbis celeberrimæ , tum Legati Apostolici , dixerim ædem primariam ejus loci & cathedralem fuisse , cujus consecrandæ munus cives Delmitani ad eum honoris causa detulerint. Idcirco autem Archidiaconus illam simpliciter vocat *quamdam ecclesiam*, honorifico cathedralis titulo non appositio , quia tum fortassis Ecclesia Delmitana sive Dumnensis Episcopo carebat . Concilio Provinciali Salonitano , quod sub Honorio III. Archiepiscopo habitum est anno 530. interfuit & subscripsit *Victor Episcopus Ecclesiæ Marctaritanæ*. In nostris ad hanc Synodum animadversionibus Tomo II. in Honorio III. suspicati sumus Victorem hunc fuisse Episcopum Delminii, non ab urbe episcopali, sed ab regione, quæ erat ejus parochia, sive diœcesis, denominatum *Marctaritanum* , seu *Maronianum* . Maroniæ autem meminit Archidiaconus cap. XV. quæ regio , dum vacabat sedes Delmitana , ad regimen Archiepiscopi Spalatensis pertinebat , eamque inter duos amnes Tilurum & Naronem constituere videtur ; cujus certe pars remotior a mari intra fines diœceseos Dumnensis continetur.

Victor Ep. Marctaritanus sexti sæculi idem fortassis ac Delmitanus.

Diœcesis Dumnensis circumscriptio.

Hæc diœcesis ab septemtrione contermina est Bosnensi , ab occasu Spalatensi , & ab utraque parte terminis admodum exiguis definitur ; multo longius in orientem protenditur ; a meridie fines attingit diœceseos Macharensis. Dumnensem Episcopum , alias Episcopum *Dalmatiæ* , seu *Dalmatiensem* , ab urbe videlicet Dalminio, unde nomen & originem traxit gens & regio Dalmatica , alias Delmitanum appellatum invenio . Episcopum antiquiorem sæculo sexto in exitum labente, quem certo ac nominatim proferre possim, nullum habeo. Primus est, de cujus Episcopatu Delmitano dubitari non potest , *Malchus Episcopus Dalmatiæ* Divo Gregorio synchronus, a quo mihi ordienda est series episcopalis ; sed ab hujus ætate usque ad sæculum decimum quartum , vel sedes illa identidem vacavit, vel si qui fuerunt per annos septingentos

Episcopi, eorum nomina & acta oblivio ac vetustas obliteravit.

Catalogus Episcoporum Dumnensium.

I. Malchus anno 590.
Intervallum annorum septingentorum, in quo vel nulli Episcopi, vel si qui fuerunt, eorum memoria interiit.
II. Madius anno 1337.
III. Guerrinus an. 1347.
IV. Stephanus an. 1355.
V. Petrus an. 1394.
VI. Georgius an. circ. 1406.
VII. Georgius II. an. 1412.
VIII. Blasius an. 1419.
IX. Nicolaus an. circ. 1426.
X. Hugo an. 1433.
XI. Hieronymus an. 1439.
XII. Nicolaus II. an. 1460.
XIII. Vitus an. 1490.
Interregnum Episcopale.
XIV. Nicolaus III. an. circ. 1540.
XV. Daniel an. 1551.
XVI. Daniel II. an. circ. 1590.
Interregnum Episcopale.
XVII. Marianus an. 1644.
Interregnum Episcopale.
XVIII. Michael postremus an. 1654.

Vicarii Apostolici.

I. Nicolaus Blancovichius an. 1685.
II. Matthæus Delivichius an. 1735.
III. Paullus Dragechivichius an. 1740.

MALCHUS EP. DALMATIENSIS sive DUMNENSIS I.

HIc notus est nobis ex litteris D. Gregorii, vel quas ad eum scripsit, vel in quibus ejusdem mentionem fecit. Antonius Muratorius Tom. III. Annal. Italiæ Episcopatum Malchi e Dalmatia in Langobardiam transtulit, & nescio quem Langobardorum Episcopum commentus est fuisse Malchum illum, de cujus repentino interitu scripsit Gregorius ad Sabinianum diaconum & apocrisarium Sedis Apostolicæ apud Mauritium Imperatorem. Sed cum extet epistola Gregoriana inscripta *Malcho Episcopo Dalmatiensi*, & quæ in aliis epistolis de Malcho Gregorius scripsit, cum Dalmatico illius Episcopatu præclare consentiant; nihil est, cur Malchi sedes episcopalis e Dalmatia dimoveri debeat. Neque a nobis dissentit Gussanus in suis notis ad epistolas Gregorianas, quamvis urbem, cujus erat Episcopus, ignotam sibi esse fateatur: *Quis fuerit Malchus ille Dalmatiensis, ignoratur; nisi nomen habuerit ab ipsa Dalmatiæ provincia, cujus erat Episcopus, quod probabile est: sed cujus sedis nescio.* Cum in Dalmatia urbem habeamus olim totius regionis principem, unde, ait Appianus, *Dalmatearum, mox Dalmatarum cognomen profectum est*, quæ *Dalminium*, & *Dalmium*, & *Delmis*, & *Dalma*, ac denique *Dumnus* & *Dulmus* dicta est, dubitari non potest, quin huic civitati Episcopatum Malchi adscribi oporteat.

Malchus curator Patrimonii Apostolici in Dalmatia.

Dum Malchus Ecclesiæ Delmitanæ præsidebat, S. Gregorius, sive, quod propius vero est, Pelagius proximus ante S. Gregorium Pontifex, curationem patrimonii Dalmatici Ecclesiæ Romanæ illi demandaverat. De duplici patrimonio, quod Sedes Apostolica apud Dalmatas obtinebat, alterum in Prævalitana provincia Dalmatiæ superioris, satis multa diximus Tomo II. in actis Honorii III. Archiepiscopi Salonitani cap. v. §. 2. Utrique præpositus fuerat Malchus; ei siquidem Gregorius mandatum dedit ad Episcopum Scodrensem pertinens, de quo mox dicimus, curandum & conficiendum in provincia Prævalitana. Præfectis autem patrimonii S. Petri mandari solebant negotia extraordinaria gerenda in ea provincia, in qua res & vectigalia Ecclesiæ Romanæ ipsi curabant: ex quo fit, ut Malchus non solum inferioris, sed etiam superioris Dalmatiæ patrimonio apostolico administrando præesset. Nam etiam Vigilius Papa Sebastianum Diaconum, ut dictum est in actis ejusdem Honorii III. utrique patrimonio præfecerat.

Joanni clarissimo viro, & consiliario Georgii Præfecti Italici, nescio quid controversiarum erat cum Episcopo Scodrensi & Metropolita provinciæ Prævalitanæ. Ille ab Gregorio petierat, ut sibi judicium reddi juberet. Gregorius itaque Malcho Episcopo Dalmatiensi per litteras imperavit, ut Episcopum Scodrensem pro potestate compelleret ad judices & arbitros eligendos, qui de illis controversiis, quæ inter ipsum & Joannem erant, rite cognoscerent, ac sententiam ferrent. Quidquid vero judices, in eam rem de utriusque partis consensu delecti, statuissent, id omnino exequendum curaret.

Gregorius Malcho Episcopo Dalmatiæ.

Epistola S. Gregorii ad Malchum.

Joannes vir eloquentissimus, consiliarius viri excellentissimi Domini Georgii præfecti per Italiam, insinuavit nobis contra Stephanum Episcopum Scodrensis civitatis, quorumdam se negotiorum habere controversias; & petiit inter eum & se judicium debere consistere. Propterea fraternitatem tuam præsenti præceptione curavimus admonendam, ut prædictum Episcopum ad eligendum compellas venire judicium. Et quidquid inter prædictum Joannem virum magnificum, & sæpe fatum Episcopum, electorum fuerit sententia definitum, ad effectum perducere non omittas: ut & actor de consecuta justitia gratias referat, & pulsatus, cum ad cognitionem deducitur, nihil contra se de illata injustitia conqueratur.

Nullæ his litteris subjectæ sunt notæ chronologicæ; sed cum interjectæ sint epistolis illis Gregorianis, quibus adscripta est Indictio nona, satis apparet has quoque litteras ad eamdem Indictionem referendas esse. Indictio autem nona congruit anno primo Pontificatus Gregoriani, idest anno Christi 590.

Romam accersitus ad reddendam rationem patrimonii ab se administrati.

In regenda Ecclesia Dalmatiensi quemadmodum se Malchus gesserit, mihi non est compertum; certe in administrando patrimonio Dalmatico S. Petri negligentem se, aut etiam minus fidelem præbuit. Quare cum de mala fide, aut incuria ejus nomen ad Gregorium delatum fuisset, eidem Pontifex imperavit Romam veniret, & tabulis accepti & expensi accurate confectis, procurationis sibi traditæ rationem redderet. Pontificium mandatum Malcho indicendum dedit Antonino subdiacono, quem in Dalmatiam miserat, Visitatoris apostolici titulo ac potestate præditum, ut ecclesias illas lustraret atque inviseret, & morum corruptelas, pravasque consuetudines, si quæ forte in clerum ac populum irrepsissent, auctoritate apostolica evelleret, omniaque ad normam divini & ecclesiastici juris componeret. Anno igitur

592.

592. epistolam ad eum scripsit ; ex qua particulam extremam , quæ ad rem nostram pertinet , decerpere libet . *Malchum vero Fratrem Coepiscopumque nostrum curabis fidejussori committere , ut ad nos quantocius veniat : quatenus omni mora , & dilatione postposita , actionum suarum expositis ratiociniis , ad propria cum securitate valeat remeare.* Eodem anno paucis post mensibus an diebus, eumdem Malchum per Joannem Episcopum Ravennatem iterum admonuit, ut antequam alio proficisceretur , administrationis suæ rationes subduceret & componeret ; interea vero ab omni procuratione patrimonii apostolici abstinere jusserat. In extrema siquidem ad Joannem epistola hæc subjecit. *Fratrem & Coepiscopum nostrum admone , ut priusquam ad nos veniat , rationes suas ponat , & tunc demum alibi , si necesse est , proficiscatur ; & si ejus actus bonos cognoscimus , ei fortasse , ubi necesse est , ut hoc ipsum patrimonium , quod tenuit , restituamus.*

A curatione patrimonii amovetur.

Malchus igitur semel atque iterum citatus non affuit; sed tergiversando , & alias ex aliis moras Romanæ profectioni nectendo, satis ostendebat se velle Pontificis mandata eludere; atque illa etiam excusatione suam contumaciam tegebat, quod alio , idest in Siciliam iter sibi necessarium esset: quam excusationem ut illi Pontifex adimeret, illuc se conferendi licentiam ita ei permisit, ut postquam negotia Sicula confecisset , nulla mora interposita Romam venire festinaret : id quod magis perspicue intelligi potest ex altera Gregorii ad Antoninum subdiaconum epistola . Cum ergo perstaret in sua pertinacia , Gregorius præfecturam patrimonii Dalmatici Malcho ademptam contulit Antonino subdiacono, qui tunc in Dalmatia Visitatoris Apostolici munere fungebatur . Interea rumores percrebuerant, satis illi quidem constantes , sed adhuc sine certo auctore ; Malchum sacrilegi peculatus reum esse , quod multa de rebus Ecclesiæ Salonitanæ surripuisset , atque apud se retineret ; quin immo fama erat Malcho præcipue attribuendum esse quidquid Natalis Archiepiscopus Salonitanus peccasset , sacris vasis, bonisque ecclesiasticis alienandis, quæ partim vendiderat, partim amicis & consanguineis donaverat: quippe hujus sacrilegii Malchus non conscius modo, sed particeps, & pene auctor extitisse ferebatur. Vide acta Natalis Epi-

Prohibetur immiscere se rebus Ecclesiæ Salonitanæ.

scopi Salonitani Tomo II. inserta . Ad hæc cum Natalis diem suum obiisset anno 593. Malchus se intrudere volebat in administrationem rerum Ecclesiæ Salonitanæ, quæ quidem, quando præfectura sacri patrimonii Dalmatici jam amotus fuerat, nullo prorsus modo ad eum pertinebat. Hæc ex epistola Gregorii inscripta *Antonino subdiacono Rectori patrimonii in Dalmatia*, qua jubet clerum populumque Salonitanum admoneri, ut in locum Natalis Episcopum tanto muneri gerendo idoneum rite & canonice substituant, nullo respectu ad patrocinia hominum præpotentum & factiosorum habito , omnique turpi largitione secluſa ; Malcho autem graviter severeque denunciet , ne se rebus & negotiis illius ecclesiæ immiscеat , ac tandem aliquando mandatis pontificiis obtemperet , ac Romam se conferat , factorum suorum rationem redditurus: *Malchum*, inquit, *Fratrem & Coepiscopum nostrum contestari te volumus , ut se penitus in hac causa non misceat . Nam si per eum aliquid contra voluntatem nostram factum , vel tentatum potuerimus addiscere, non modicam ad se culpam , & periculum pertinere cognoscat. Sed & hoc eum admonere curato , ut ad ponendas explendasque rationes patrimonii nostri , quod gessit , debeat esse sollicitus , pro quibus etiam faciendis ex Siciliæ partibus ad nos venire festinet . In rebus igitur Salonitanæ Ecclesiæ nullo modo se miscere præsumat , ne amplius ei aut obnoxius , aut possit esse culpabilis. Nam multa habere de rebus prædictæ ecclesiæ fertur , eumque opinio pene auctorem extitisse in venditione rerum ejus , vel aliis illicitis asseverat. Quod si ita esse , sicut dicitur , manifesta veritate patuerit , certum sit inultum hoc nullatenus remanere.* Data est *Indictione XI. mense Martio* , idest anno 593.

Malchus auctor schismatis Salonitani.

Honorato Archidiacono Ecclesiæ Salonitanæ in locum Natalis legitime suffecto , & Gregorii Pontificis Maximi auctoritate confirmato , Maximus per vim factionemque schismaticam pseudoepiscopus objectus fuit ; ex quo turbata divisaque in duas partes Ecclesia Salonitana . Totius schismaticæ coitionis conflandæ auctorem præcipuum fuisse Malchum testatur Joannes Diaconus in vita S. Gregorii: *Interea Natali Episcopo defuncto , cum Dalmatinorum generalitas Honoratum Archidiaconum . . . sibi præficiendum concorditer elegissent , factione Malchi Episcopi Rectoris patrimonii apostolici , manuque militari Maximus multis criminibus involutus Episcopatum civitatis Salonitanæ invasit .* Annos amplius quinque Maximus , quamvis multiplici anathemate perculsus in pertinacia & schismate perseveravit , antequam resipiscеret , & post pœnitentiam rite peractam Episcopatus sibi collati confirmationem a Gregorio impetraret. De his fusius & accuratius Tomo II. in actis ipsius Maximi. Interea Malchus , monente conscientia, metuque numinis offensi perurgente , tandem animum induxerat jussis pontificiis obtemperare . Itaque Maximo , ejusque schismaticæ factioni nuncium remisit, Romam se contulit , rationes edidit , retulitque ad ærarium , causſam dixit , præteritæ contumaciæ initæque cum Maximo societatis veniam petiit , culpæ omnis , pœnæque liberationem impetravit . Verum eodem die hilariter apud Bonifacium notarium , lauteque pransus , cum vesperi cubitum isset , repentina morte oppressus est . Hæc Gregorius in extrema epistola ad Sabinianum Diaconum apocrisarium Sedis Apostolicæ , quem jussit , ut se Mauritio Imperatori de interitu Malchi purgaret . Hinc enim Maximus Gregorii calumniandi occasionem arripuerat; & quemdam e suis clericis Constantinopolim misit , qui falso & impudentissime affirmaret Malchum Episcopum jussu Gregorii in custodiam traditum, ibique interfectum fuisse ob eam causſam, quod partem aliquam pecuniæ collectæ ex patrimonio Dalmatico, quam in ærarium apostolicum inferre debuerat , ad se transtulisse , aut certe quo non oportebat derivasse arguerетur. *Pervenit vero ad me , quia transmisit Maximus nescio quem clericum , qui diceret , quia Malchus Episcopus in custodia pro solidis occisus sit. De qua re unum est , quod breviter suggeras Serenissimis Dominis nostris ; quia si ego servus eorum in morte Longobardorum me miscere voluissem , hodie Longobardorum gens nec regem , nec ducem , nec Comites haberet , atque in summa confusione esset divisa . Sed quia Deum timeo , in mortem cujuslibet hominis me miscere*

Morte repentina extinguitur.

formido. Malchus autem Episcopus neque in custodia fuit, neque in aliqua afflictione; sed die, qua causam dixit, & addictus est, nesciente me a Bonifacio notario in domum ejus ductus est, cui & prandium factum est, ibique prandit, & honoratus est ab eo; & nocte subito mortuus est; quod jam dilectionem tuam arbitror cognovisse &c. Mense Septembri, Indictione prima, ideſt anno 597.

Quæ de Malcho Epiſcopo Dalmatienſi Tomo II. in actis Natalis & Maximi Antiſtitum Salonenſium diſperſe a me multis locis dicta ſunt, hic in unum locum colligi, & omnia ſub uno velut aſpectu lectoribus exponi oportuit. Si quis ad plenam perfectamque rerum illarum, quas hic ſummatim attigimus, intelligentiam plura deſiderat, ea repetere poterit ex actis modo laudatis & epiſtolis Gregorianis ibidem deſcriptis, noſtriſque in eas animadverſionibus. Poſt Malchum ſi qui Eccleſiæ Delmitanæ præfuerunt Epiſcopi ante calamitatem Avaricam, quæ anno undequadrageſimo ſæculi ſeptimi tum Salonæ, tum aliis Dalmatiæ civitatibus cladem & vaſtitatem attulit, eorum nomina, reſque geſtæ vetuſtate interierunt. Joannes primus Spalatenſium Antiſtitum, qui ſedem metropolitanam ab Salona everſa Spalatum anno circiter 650. tranſtulerat, vel certe qui ab eo propius Eccleſiam Spalatenſem adminiſtrarunt, aliquas epiſcopales ſedes in Dalmatia reſtituerunt, inter quas enumerandam eſſe Delmitanam auctor eſt Archidiaconus cap. XIII. *Poſtquam autem per prædicationem Joannis, & aliorum Præſulum Salonitanorum, Duces Gothorum & Croatorum ab Arianæ hæreſeos fuerunt contagione purgati, præter Epiſcopos Dalmatiæ, in Sclavonia fuerunt aliquæ ſtatutæ* (ideſt reſtitutæ) *Epiſcopales Eccleſiæ, videlicet ab oriente fuit Epiſcopus Delmitanus, unde Dalmatia dicta eſt*. Eccleſiam & urbem Delmitanam in Slavonia recte conſtituit Archidiaconus; ſita enim erat in ipſis confinibus Chrobatiæ & Serbliæ, nec ſatis dignoſci poteſt, utri attribuenda ſit. In eo peccavit Archidiaconus, quod Slavos nomine Gothorum affecit; nec vero illi ab hæreſi Ariana, ſed ab inanium deorum cultu ad rectam in Deum fidem converſi ſunt. E Delmitanis Epiſcopis illius & poſteriorum ætatum, quem poſſim proferre nominatim, ne unum quidem invenio.

Epiſcopi Delmitani ſucceſſores Malchi prorſus ignoti uſque ad ſæculum 14.

In celeberrimo illo conventu, quem anno 877. in Planitie Delmitana celebratum fuiſſe diximus in Georgio II. Archiepiſcopo Spalatenſi, cum abſit a catalogo Eccleſiarum Dalmatiæ ſuperioris & inferioris Eccleſia Delmitana, id argumento eſt illam tunc epiſcopali titulo ac dignitate caruiſſe; niſi forte per incuriam amanuenſium prætermiſſa fuerit. In Concilio nationali Spalatenſi, de quo ad annum Chriſti 925. in Joanne III. Archiepiſcopo, ſancitum fuit, ut cum quædam urbes, in quibus propter vaſtitatem & ſolitudinem, quam aut bella, aut peſtilentia, aut alia quæpiam calamitas intulerat, Epiſcopi conſtitui deſierant, rurſus incoli & frequentari cœpiſſent, ſuæ illis ſedes epiſcopales reſtituerentur. An vero ex decreto hujus Concilii Delmitana reſtituta ſit nec ne, mihi non liquet. Nihil certius in alterutram partem colligi, aut affirmari poteſt ex aliis Synodis provincialibus, quæ deinceps habitæ ſunt, præſertim ſub Laurentio & Creſcentio Archiepiſcopis, cum in pleriſque nomina & ſubſcriptiones Epiſcoporum deſiderentur, vel certe non omnes Epiſcopi provinciales interfuerint. In Concilio provinciali, quod anno 1185. Petrus VII. Archiepiſcopus Spalati celebravit, fines diœceſeon deſcripti ſunt, ſuis cuique Epiſcopo parochiis attributis; at Delmitanæ diœceſeos neque mentio habita, neque deſcriptio facta fuit. Sed paucis poſt annis ſuum Delmitanis Epiſcopum reſtitutum fuiſſe colligi poſſe videtur ex epiſtola Clementis III. vel Cæleſtini III. ad Petrum VIII. Archiep. Spalatenſem. In ea ſiquidem Pontifex inter eccleſias Metropoli Spalatenſi ſubjectas *Delmitenſem* annumerat. Ne ante hoc tempus in Concilio provinciali ſub Petro VII. ſedes Delmitana reſtitueretur, obſtabat fortaſſe Minoslavus Comes, homo avarus, ac præpotens; quem Alexander III. in ſuis ad Belam III. regem Hungariæ litteris regia poteſtate compelli jubebat, *ut loca illa, in quibus olim cathedrales ſedes fuiſſe dicuntur, ordinari permitteret*. Hunc obicem poſtea cum amoviſſet ſive auctoritas regia, ſive interitus Minoslavi, tum demum Eccleſia Delmitana ſedem epiſcopalem longo intervallo fortaſſe recuperavit; ſed quamdiu illam retinuerit, incompertum eſt; ignota itidem ſunt nomina, ignotus numerus Epiſcoporum, qui huic eccleſiæ præfuerunt, antequam rurſus res Chriſtiana Delmenſis ad interregnum rediret. Ceterum Pontifex in ſuis ad Petrum VIII. litteris Eccleſiam Delmitanam eidem attribuere poterat ac debuerat, quamvis nondum huic eccleſiæ ſua ſedes epiſcopalis reſtituta fuiſſet; neque enim ſi tunc Epiſcopo carebat, idcirco ad juriſdictionem Metropolitæ Spalatenſis pertinere deſierat. Propius vero eſt adhuc temporibus illis ſuo Epiſcopo deſtituta fuiſſe, cui locus eſſe non poterat in ea civitate ac diœceſi, in quam e proxima Boſina colluvies hæreticorum Patarenorum confluxerat; anno ſiquidem 1222. ut docet Jacobus Luccarus in Annalibus Raguſinis, Aconcius Legatus Sedis Apoſtolicæ Raguſium convocavit Concilium *contra hæreticos Dolmi*, ideſt Dulmi, ad eos ſcilicet vel convertendos vel expellendos, urbemque illam ab hujuſmodi fæce purgandam. Hoc eodem ſæculo decimo tertio, cum Thomas Archidiaconus hiſtoriam Salonitanam conſcripſit, Epiſcopi Dulmenſes jamdudum creari deſierant; quippe dum eccleſias provinciæ Spalatenſis nominatim percenſet cap. XV. Delmitanam tacitus præterivit. At Micha Madius, qui proximo ſæculo *de geſtis Roman. Imper. & Summorum Pontificum* ſcripſit, ad Epiſcopos Metropoli Spalatenſi ſubjectos etiam *Dalmitanum* adjunxit cap. XV. Hinc vero ſeries epiſcopalis, poſt Malchum per annos ſeptingentos ſive ob diuturna interregna, ſive propter jacturam nominum & actorum epiſcopalium interciſa, uſque ad ſæculum decimum octavum, nullis, aut brevibus lacunis interruptæ perducitur. Itaque Epiſcoporum Dumnenſium, qui certe noti ſunt nobis, ut primus fuit Malchus, ſic huic proximus fuit, ſed longo ſæculorum intervallo proximus

MADIUS EPISC. DELMENSIS ſive DUMNENSIS II.

Dumnenſem Epiſcopatum Petrus IX. Archiep. Spal. reſtituit.

Reſtitutionem Epiſcopatus Dumnenſis attribuendam eſſe arbitror Petro IX. Archiepiſcopo, qui ſæculo decimo tertio ad exitum vergente regimen Spalatenſis Eccleſiæ ſuſcepit. Hic ſiquidem, ut ex tabulis illorum temporum docet

eet Sfortia Ponzonus Archiep. Spal. Epiſcopatum Macarenſem, ſive Macharſchenſem jamdiu ſuppreſſum reſtituit, & per idem tempus videtur ſuum etiam Delmitanis Epiſcopum reddidiſſe. Sed cum utraque civitas referta eſſet tum Græcis ſchiſmaticis, tum hæreticis Boſnenſibus, ut neutrubi Epiſcopis Catholicis tutis eſſe liceret; utrique locum ac domicilium in diœceſi Spalatenſi attribuit, Dumnenſi quidem in regione Politiana, Macharſchenſi vero Almiſſæ in oppido maritimo. Epiſcopatum utrumque ut reſtitueret, ea cauſſa Petrum maxime impulit, quod cum Carolus Robertus nepos Caroli II. regis Neapolitani regnum Hungariæ & Dalmatiæ, auctoritate potiſſimum Bonifacii VIII. & auxilio nixus, repulſis competitoribus adeptus fuiſſet; ſpes erat fore, ut rex religioſiſſimus ad proſtigandos hæreticos & ſchiſmaticos ſumma contentione incumberet, ac ſub ejus regno tum in Boſina, tum in aliis locis ditionis Hungaricæ religio catholica refloreſceret. Quare Petrus tempus opportunum adeſſe cenſuit utriuſque Epiſcopatus reſtituendi. Utrique Epiſcopo ſedem illam veluti precariam conceſſit, ut tamdiu ibidem maneret, quoad ſuas eccleſias hæreticis & ſchiſmaticis ereptas recuperarent. Interea vero ex locis illis non longe disjunctis concrediti ſibi gregis ſaluti conſulerent ac providerent, illius inviſendi curandique, ſi qua oblata eſſet, occaſionem caute ac prudenter arriperent, & populis illis vel humani divinique ſubſidii petendi, vel ſacra myſteria percipiendi cauſſa ad ſe accedentibus omnia, quæ ad Epiſcopum pertinent, caritatis ac religionis officia præſtarent.

Epiſcopo Dumnenſi ſedes attributa in regione Politiana.

Petrus ergo Eccleſiæ Dumnenſi ab ſe reſtitutæ F. Madium Epiſcopum dedit, cujus nomen in Tabulis Tragurienſibus ad triceſimum ſeptimum annum hujus ſæculi adſcriptum invenio. *Anno Domini a nativitate ejuſdem* 1337. *Indict.* 5. *die Veneris tertio menſis Januarii, actum in ſala ſuperiori palatii Communis Tragurii præſentibus nobilibus viris &c. Magnificus & ſapiens vir D. Johannes Mauroceno Comes Tragurii verbotenus narrando & exponendo religioſis viris Ven. Patre D. Fratre Magio de Spaleto Dei gratia Epiſcopo Delmitano &c.*

Madius Ep. Dumnen. interfuit Concilio provinciali Spalatenſi.

Hic anno 1344. interfuit Concilio Provinciali Spalatenſi ſub Dominico Archiepiſcopo. Fratris prænomen eidem in antiquis tabulis appoſitum indicio eſt deſumptum fuiſſe ex aliqua religioſa ſodalitate vel S. Dominici, vel S. Franciſci. Ejus, quem modo dixi, Concilii cogendi cauſſam, ſi non præcipuam, certe non poſtremam præbuit contumacia Valentini Macarenſis Epiſcopi, qui Archiepiſcopo pro poteſtate jubenti, ut publice ac ſollemni formula denunciaret Georgio Comiti, ſeu Præfecto Almiſſæ nominatim ſacris interdictum eſſe ob neglectam ſolutionem penſionis annuæ, quam eidem Archiepiſcopo debebat, parere recuſavit. Citatus vero ad Concilium, adeſſe recuſavit; ſed qui pro ſe cauſſam diceret, delegavit, ſuumque procuratorem inſtituit F. Madium Epiſcopum Delmitanum. Hic rei abſentis cauſſam accurate quidem egit, ſed juris ac legum præſidio deſtitutam judicibus probare non potuit. Itaque cum Valentinus, qui tum Spalati erat, trina admonitione in judicium vocatus adeſſe noluerit; æque in eum, atque in Georgium anathematis ſententia lata eſt: *Chriſti nomine invocato, de cujus vultu noſtrum debet emanare judicium, æquo libramine ponderandum, citato prius ipſo D. Valentino ad noſtram declaratoriam ſententiam audiendam, & ſe contumaciter . . . Spalati exiſtente, præſente tamen D. F. Madio Epiſcopo Delmenſi ipſius D. Valentini procuratore, & eum juridice nullatenus defendente, auctoritate nobis, ut præmittitur &c.* Hæc diligentius & fuſius in actis Dominici Archiepiſcopi Spalatenſis.

GUERRINUS EP. DUMNENSIS III.

Octavius Spaderus patria Jadertinus e ſodalitio Franciſcano, primum Arbenſis, deinde Aſſiſienſis Epiſcopus in catalogo Epiſcoporum ordinis S. Franciſci, pontificatum F. Guerrini cum anno 1347. copulavit; ex quo fit, ut Madius abhinc uno alterove anno vita functus ſedem Dumnenſem ſucceſſori vacuam reliquerit: *F. Guerrinus Epiſcopus Pulichienſis, vulgo de Puglizza.* Nimirum Guerrini Epiſcopatum non ab Eccleſia Dumnenſi, cui præerat, ſed a regione *Pulichienſi*, ſive a convalle Politiana, quam *Poglizzam* vulgo appellant, cognominavit, in qua ſedem precariam ſibi ad tempus conceſſam a Spalatenſi Archiepiſcopo habebat.

STEPHANUS EP. DUMNENSIS IV.

Stephanus denominatus Epiſc. Dalmatiæ.

Hic nobis ſub nomine *Epiſcopi Dalmatiæ* notus eſt ex antiqua inſcriptione, quam Andreas Carlovichius Canonicus Spalatenſis anno hujus ſæculi decimo ſeptimo inſculptam animadvertit in antiquo cœnobio Benedictino S. Stephani de Pinnis, a mœnibus Spalati paſſus fere ſexcentos disjuncto. Ibidem viſitur parvum e marmore ſimulacrum S. Stephani Protomartyris januæ impoſitum, in cujus baſi litteris majuſculis ac fere Gothicis inciſa eſt hæc epigraphe: HOC OPVS FVIT FACTVM TEMPORE DOMINI STEPHANI DEI GRATIA EPISCOPI DALMATIÆ ANNO DOMINI MCCCLV. Qui alias *Dalmatienſis*, alias *Delmenſis*, alias *Delmitanus*, alias *Dulpnenſis* vel *Dumnenſis*, hic *Dalmatiæ* Epiſcopus denominatur ab urbe illa quondam totius gentis principe, unde nomen Dalmatiæ originem traxit. Cum Stephanus ſanctum illum Protomartyrem cognominem ſuum ac tutorem beneficentiſſimum eximia veneratione coleret, dubitari vix poteſt, quin ipſe religionis & grati animi cauſſa ſtatuam illam ſuo ære ſumptuque faciendam, ibique collocandam curaverit. Nota chronologica Delmitani Epiſcopatus ab eo geſti, ſi non initium & finem, tempus quidem certe declarat. Cum per eos annos catholica religio tum Stephani Bani Boſnenſis, tum Caroli ejuſque filii Ludovici regum Hungariæ præſidio & auctoritate nixa in Boſina & locis finitimis refloreſceret; non eſt vero abſimile Stephano aditum patefactum eſſe ad ſuam Eccleſiam Delmenſem, & facultatem ibidem manendi fuiſſe. Sed Stephanus Tuartkus, qui anno 1357. in principatum Boſnenſem Stephano patruo ſucceſſit, haud ritus, quam ſchiſmatis Græci tenacior, idemque hæreticorum fautor, æque fratrem ſuum juniorem catholicæ religioni addictum, ac ceteros catholicos perſequi cœpit, ex quo vires crevere & audacia hæreticis atque ſchiſmaticis tum Boſnenſibus, tum Dumnenſibus; cum enim propter vicinitatem inter ſe conjuncti eſſent, eadem utrobique vel incrementa, vel detrimenta fides & perfidia capiebant, præſertim cum Bani Boſnenſis imperio, ut mihi videtur, etiam Dumnenſes finitimi

Sedem epiſcopalem Dumni recuperavit.

timi ſubeſſent. Vereor igitur, ne Dumnenſes hæretici, & ſchiſmatici, potentia & numero aucti, Epiſcopum catholicum expulerint. Abſente Epiſcopo rei chriſtianæ adminiſtrationem curamque ſuſcipiebant Patres Franciſcani Cuſtodiæ Dulmenſis, quæ ſuberat Vicariæ Boſnenſi, & cœnobiis ſive domiciliis omnino quinque conſtabat, ut eſt apud Vadingum, *Stagni*, *Neocaſtri*, *Imotæ*, *Cetinæ*, & in oppido de *Glamotz* conſtitutis, quorum pleraque erant extra fines diœceſis Dumnenſis. Optimi illi Patres nulla re catholicis deerant, ſive ſalutaris doctrinæ pabulo alendi eſſent, ſive divinis myſteriis impertiendi, ſive demum chriſtianis præſidiis muniendi, cum e vita decederent; neque ullis laboribus, aut incommodis, aut periculis ſe abſterreri patiebantur, quominus populis illis omnia religionis ac pietatis officia præſtarent. Ceterum Ludovicus Hungariæ rex admonitu hortatuque Urbani V. Pontificis Maximi Tuartkum a perſequendis catholicis, fovendiſque hæreticis regia auctoritate, metuque injecto deterruit, qui deinde gravioribus curis & bellis diſtentus, parum, vel nihil moleſtiæ catholicis exhibuit. Pax & tranquillitas reſtituta, Epiſcopo Dulmenſi, ut opinari licet, ad ſuam ſedem & eccleſiam revertendi aditum recluſit. Porro Stephanus Epiſcopatum & vitam perduxit uſque ad annum 1394. niſi quis alius inter hunc, & quem proxime ſubjicio, interjectus huic eccleſiæ præfuerit.

Rei catholicæ Dumnenſis curam ſuſcipiunt Patres Franciſcani.

PETRUS EP. DUMNENSIS V.

Huic cognomen fuit Teliconio, quem Bonifacius IX. ex ordine Franciſcano ad regimen hujus eccleſiæ aſſumpſit. Epiſcopum *Dalmatienſem* vocat Lucas Vadingus, & Auctor Viridarii Seraphici, qui eum antea *Pœnitentiarii Apoſtolici* titulo præditum, ac munere functum fuiſſe tradit. Hujus initia epiſcopalia cum anno 1394. uterque copulavit.

GEORGIUS EP. DUMNENSIS VI.

Georgius Ep. Dumnen. translatus ad Eccleſiam Pharienſē.

Erat itidem ex ordine Patrum Minorum S. Franciſci. Plurimas & graviſſimas vexationes ab hæreticis & ſchiſmaticis perpeſſus, aſſidua vigilantia & maximis laboribus catholicum gregem non ſolum ab utraque labe intactum ſervavit, ſed etiam numero & chriſtianis virtutibus auxit. Cum pertæſus multiplicium curarum & ſollicitudinum, quibus referta erat adminiſtratio epiſcopalis, ſeceſſum ac ſolitudinem cogitaret, ut procul a negotiis tumultibuſque in cœnobio Fratrum ſuorum inſulæ Paſmaniæ ſibi ac Deo viveret; Joannes XXIII. tali ac tanto viro Eccleſiam Dalmatiæ privari noluit. Illum igitur ob eximias ejus virtutes & præclara in Eccleſiam Dumnenſem merita ad Epiſcopatum Pharienſem, eo minus laborioſum, magiſque tranquillum, quod nulla ibidem ei futura eſſet pugna & conflictio cum hæreticis atque ſchiſmaticis, anno 1412. VIII. Kalendas Septembris tranſtulit, *conſideratis*, ait Pontifex, *grandium virtutum meritis, quibus eum gratiarum largitor Dominus inſigniverat, & quod regimini Eccleſiæ Dumnenſis hactenus laudabiliter præfuerat*. Ex diplomate pontificio, quod extabat in Tabulario Eccleſiæ Jadertinæ, unde hanc particulam P. Philippus Riceputus decerpſit.

GEORGIUS II. EP. DUMNENSIS VII.

Hujus res geſtas, vitæque prioris inſtitutum obliteravit antiquitas; ejus mortem in annum 1419. tacito ejus nomine, conjiciunt Tabulæ Romanæ conſiſtoriales. Ei Georgio nomen fuiſſe docet Vadingus, & epiſtola Martini V. ad Blaſium ejuſdem ſucceſſorem. Cum huic & ſuperiori idem nomen fuerit, cave e duobus ne unum efficias; hic ſiquidem mortuus eſt anno 1419. ille autem translatus ad eccleſiam Pharienſem anno 1422. adhuc vivebat, ut conſtat ex Dalmaticis monumentis.

BLASIUS EP. DUMNENSIS VIII.

In ſodalitatem Fratrum Minorum S. Franciſci aggregatus cum eſſet, excellenti doctrina & virtute floruit; cujus cauſſa Martinus V. illum Eccleſiæ Dumnenſi Epiſcopum dedit anno ſecundo pontificatus, XVII. Kalendas Octobris, ideſt anno Chriſti 1419. Ita enim ſcriptum eſt in Tabulis Romanis. XVII. *Kalend. Octobris proviſum eſt Eccleſiæ Dulpnenſi in Boſna vacanti per mortem* (Georgii) *de perſona F. Blaſii ordin. Min. An. 2. Pontif.* Cum Dumnum ſitum eſſet in confiniis regni Boſnenſis, & principatus Chelmenſis, ſive Hertzegovinæ, alterutri annexum erat; in utroque autem reges Boſinæ dominabantur, ſiquidem Stephanus Tuartkus Chelmenſem provinciam ad regnum Boſinæ adjunxerat: idcirco Eccleſia Dulpnenſis *in Boſna* eſſe dicitur. Cum vero reges Boſinæ ex jure antiquo fiduciario obnoxii eſſent regibus Hungariæ, Auctor Viridarii Seraphici *Blaſium de Novariena Epiſcopum Dulpienſem* Hungariæ adſcripſit. Lucas Vadingus Tomo V. in ſupplem. hunc Epiſcopatum Spalatenſi ademptum, Metropoli Colocenſi per errorem attribuit: *Dulpnenſis in Hungaria ſub A. Colocenſi Blaſius Novariena per obitum Georgii*. Diplomatis pontificii particulas ab eodem Vadingo decerptas hic ſubjicio.

Cur Dumnum oppidum Dalmatiæ alias Boſinæ, alias Hungariæ attribuatur?

Dilecto filio Blaſio de Novariena electo Dulpnenſi.

Apoſtolatus officium &c. Cum ſicut accepimus, Eccleſia Dulpnen. cui bonæ memoriæ Georgius Epiſcopus Dulpnen. dum viveret &c. qui extra &c. vacet ad præſens, nos ad proviſionem ipſius eccleſiæ &c. demum ad te ordinis Fratrum Minorum &c. direximus oculos noſtræ mentis &c. teque illi præficimus in Epiſcopum & paſtorem &c. Anno II. *Martini*, XVII. *Kalendas Octobris*, ideſt an. 1419. Annus emortualis ignotus.

NICOLAUS EP. DUMNENSIS IX.

De quo nihil, præter nomen & Franciſcanum inſtitutum, memoriæ proditum eſt. Hunc inter Blaſium, & Hugonem, de quo mox, Vadingus interjecit. Annus ſuſcepti Epiſcopatus latet. Præfuit uſque ad annum 1433.

HUGO EPISCOPUS DUMNENSIS X.

De quo Lucas Vadingus Tomo V. ad an. 1433. *Ad Dognen. Eccleſiam, neſcio an Dionen. ſub A. Spalatenſi elevatus eſt F. Hugo Fornetus per obitum Nicolai etiam Minoritæ*, VI. *Kal. Aug. an.* 1433. Nulla eſt in Dalmatia ſub Metropoli Spalatenſi Eccleſia, ſive *Dognenſis*, ſive *Dionenſis*, Nulla dubitatio eſſe poteſt, quin legi oporteat

Dum-

Dumnenſis, ſive *Dolpnenſis*. Librario oſcitanti nihil facilius fuit, quam *Dolpnenſem* in *Dognenſem* convertere. De vocabuli depravatione ſuſpicatus eſt Vadingus, ſed correctionem non ſatis aptam adhibuit. Auctor Viridarii Seraphici Epiſcopatum Hugonis in Dalmatia quidem conſtituit, ſed *ab S. Demetrio* denominavit; quod fortaſſis illi commendata fuiſſet eccleſia epiſcopalis S. Demetrii in Epiro nova, vel quod eccleſia cathedralis Dumnenſis titulo ac patrocinio S. Demetrii ſubeſſet, vel demum quia oppidum, in quo domicilium ſibi ſtatuerat, ab S. Demetrio cognomen acceperat.

HIERONYMUS EP. DUMNENSIS XI.

In locum Georgii I. ad Eccleſiam Pharienſem translati F. Hieronymum patria Tragurienſem ſubſtitutum fuiſſe tradit Vadingus: *Dulpnen. Epiſcopus in provincia Colocenſi F. Hieronymus de Tragurio per translationem Georgii ad Pharen. x. Kal. Maji A. 1439.* Sed hunc Georgium deceſſorem proximum Hieronymi commentitium eſſe apparet; & quæ de illius ad Eccleſiam Pharienſem translatione ſcripſit Vadingus, ad annum duodecimum hujus ſæculi, atque ad Georgium primum hujus nominis Epiſcopum Dumnenſem, de quo ſupra dictum eſt, referenda eſſe conſtat e monumentis Dalmaticis, quæ ad hiſtoriam Eccleſiæ Pharienſis pertinent.

Status Eccleſiæ Dumnenſis.

Quinam Eccleſiæ Dumnenſis ſtatus fuerit ſub quinque illis, quos modo nominavi, Epiſcopis facile conjici poterit ex hiſtoria Eccleſiæ Boſnenſis. Utraque enim cum regibus Boſinæ ſubeſſet, pro illorum ſeu propitia, ſive infenſa catholicis voluntate, rebus vel ſecundis, vel adverſis uteretur neceſſe eſt. Cum regnum Boſinæ ſub tribus regibus tripartito diviſum eſſet, ut dictum eſt in Eccleſia Boſnenſi, Stephanus Tuartkus junior, cognomento Scurus, qui omnium diutiſſime regnavit, catholicis quidem ſe favere ſimulabat, ut ſibi adverſus Turcas, & Pontificis Romani, & chriſtianorum Principum auxilia conciliaret; ſed alieniſſimo ab illis animo fuiſſe, & perniciem eiſdem occulte molitum eſſe declarant tum inſidiæ, quas vitæ B. Jacobi Piceni paraverat, tum patrocinium ac perfugium, quod hæreticis præbebat. Huic in regnum ſucceſſit Stephanus Thomas, qui cum ab Joanne Carvajalo legato Apoſtolico ritu latino baptizatus eſſet, dederat ille quidem documenta maxima, quam ſincere & ex animo ſuſcepiſſet, coleretque catholicam religionem, Sed brevi a ſeipſo, & præclaris initiis deſcivit; nec ſolum catholicæ, ſed etiam chriſtianæ fidei proditorem ſe oſtendit, cum Zendrenſem arcem totius Raſciæ munitiſſimam tradidit Mahometi regi Turcarum, cum eoque amicitiam & fœdus copulavit. Hinc conjicias velim ſub utroque rege aut male, aut certe parum bene habitos fuiſſe catholicos Dumnenſes. Si vero oppidum Dumnenſe intra fines ditionemque Stephani Coſacciæ Dynaſtæ Chelmenſis continebatur, ab hoc & plurimas & acerbiſſimas vexationes tum Epiſcopum, tum catholicos Dumnenſes perpeſſos fuiſſe neceſſe eſt: erat ſiquidem Photiano ſchiſmate implicitus, fautor hæreticorum, & catholici nominis hoſtis infenſiſſimus, cujus majoribus provinciam Chelmenſem, quæ principatus S. Sabbæ, & Hertzegovina dicitur, fiduciariam dederant reges Boſinæ, cujuſque filiam Catharinam Stephanus Thomas in matrimonium duxerat. Certe pars maxima diœceſeos Dumnenſis in ditione erat & poteſtate hujus Toparchæ ſchiſmatici. Illis itaque, quos dixi, Epiſcopis acerrime & vigilandum & laborandum fuit, ut gregem Dominicum ſibi commiſſum tuerentur, ab eoque tum ſchiſmaticam, tum hæreticam peſtem arceret. Laborioſiſſimi hujus ac difficillimi Epiſcopatus curis & moleſtiis Hieronymum impulſum fuiſſe arbitror, præſertim ætate jam in ſenium vergente, ut Eccleſiæ Dumnenſis dimittendæ poteſtatem a Pio II. peteret; quam cum impetraſſet anno 1459. titulo epiſcopali retento, in vitam privatam ſe abdidit. Anno 1465. adhuc vivebat, cum Almiſſæ quidquid pecuniæ & bonorum habebat, præſidum ſuorum permiſſu, donavit Georgio Cæſarovichio de inſula Bractia, Presbytero oppidi Nereſini ejuſdem inſulæ, ſub ea conditione, ut ſibi quoad viveret alimenta contribueret, mortuo funus, pro ac decebat Epiſcopum, faciendum curaret. Hujus donationis tabulas Almiſſæ conſcripſit anno 1465. *Chriſtophorus de Orſetis publica auctoritate notarius de Glemona.*

Hieronymus Epiſcopatum Dumnenſem dimiſit.

Hieronymi Epiſcopi Dumnenſis, & aliorum Dalmatiæ Antiſtitum monumenta quædam haud ſane ſpernenda mihi, unde minime putaſſem, ſuppeditata ſunt ex tabulario *Eccleſiæ S. Mariæ Plebis Glemonæ*, quod eſt oppidum Carnicum frequens ac nobile. Joſeph Binius Archipresbyter ejuſdem eccleſiæ, excellenti vir ingenio doctrinaque, & ſacræ ac profanæ antiquitatis ſtudioſiſſimus inveſtigator, hanc curam & cogitationem ſuſcepit, digniſſimam eruditionis & ſapientiæ ſuæ, ut codices omnes, quibus tabularium illum refertum eſt, vetuſtate ſituque obſitos, accurate ſcrutaretur, diligenter evolveret, & excuſſo pulvere, quo erant obducti, in ordinem redigeret. Hic nobis pro ſua eximia humanitate liberaliſſime communicavit, tum alia, quæ ad rem noſtram pertinent, monumenta ibidem reperta, tum vero eas, quas modo dixi, tabulas deſcriptas e codice ejuſdem archivi, cui titulus eſt: *Quaternus Inſtrumentorum, & Convictionum annotatarum, & Scriptorum manu mei Chriſtophori de Orſetis Glemonenſis, partim hic videlicet Glemone, partim Dalmatie, inchoando ſub MCCCCLXI. Indictione VIIII. uſque ad XXV. menſe Decembris MCCCCLXV. Indictione XIII.*

Joſeph Binius vir cl. riſſ. nobis tranſmiſit tabulas Hieronymi teſtamentarias.

In Chriſti nomine amen. Anno nativitatis ejuſdem 1465. Indictione XIII. die vero ultimo menſis Februarii. Actum Almiſſii in domo eccleſ. S. Michaelis, in qua habitare conſueverunt Capellani dicte eccleſie. Preſentibus Ven. D. Presbytero Mathia qu. s. Thome Radievich de Nereſi, Georgio Clerico filio Marini Clarich, Dragina Staricich, Paulo Maravich, omnibus his de Almiſſio, & Matheo Fabro de Chumaco ſuperiori teſtibus ad hec habitis, vocatis, & rogatis.

Ibique Reverendiſſimus in Chriſto Pater & D.D. Fr. Jeronimus de Tragurio Dei gratia Epiſcopus olim Dunnenſis, ſanus mente, licet corpore languens, titulo & nomine donationis in perpetuum, & jure proprio dedit, tradidit, donavit, & largitus eſt Ven. D. Presbytero Georgio qu. s. Stephani Ceſarovich de Nereſi ibi preſenti, ſtipulanti, & recipienti pro ſe ſuiſque heredibus nominatim, omnia & ſingula bona ſtabilia & mobilia eidem D. Fr. Jeronimo Epiſcopo quocumque modo ſpectantia, & pertinentia, nec non actiones, & jura univerſa, que & quas D. Fr. Jeronimus Epiſcopus habet, tenet, & poſſidet, & per eum haben-

habentur, tenentur, poſſidentur, ac credita qualiacumque debitorum reperientur, & ubi ea in qualicumque loco dicta bona erunt, & ſunt &c. Ita quod dictus Ven. Presbyter Georgius & heredes ejus, & cui daret, habeat teneat & poſſideat omnia & ſingula ſupraſcripta ſic donata cum omnibus ſuis juribus, juriſdictionibus, actionibus, & pertinentiis, & circumſtantiis jure proprio, & nomine ſine contradictione alicujus perſone. Et per hanc donationem, & datum dictum D. Fr. Jeronimus Epiſcopus dicto Presbytero Georgio ſtipulanti, ut ſupra, dedit & conceſſit omnia & ſingula ſua jura, omneſque actiones rationes & defenſiones ſeu exceptiones reales & perſonales, utiles & directas, civiles & naturales, mixtas & ipotecarias, que & quas dictus Fr. Jeronimus habebat, & habet, & ſibi quocumque modo & jure competebant, & competere poſſint in predictis omnibus & ſingulis ſuperius ſic donatis: Contra quaſcumque perſonas & poſſeſſiones predictorum ſic ſuperius donatorum, in agendo petendo exigendo defendendo tranſigendo paciſcendo litigando opponendo &c. Et in omnibus & per omnia dictus Fr. Jeronimus poſuit dictum P. Georgium in ejus locum, & ſervavit, & dedit eidem Presbytero Georgio licentiam intrandi tenutam, & corporalem poſſeſſionem predictorum omnium & ſingulorum ſic ſuperius donatorum. Et fecit eum Presbyterum Georgium procuratorem, ut in rem ſuam & ſe pro eo interrogante & ejus nomine de predictis omnibus & ſingulis ſic ſuperius donatis poſſeſſorem conſtituit. Hoc tamen pacto & conditione in hoc Inſtrumento appoſito & inſerto, ſollemni ſtipulatione premiſſa, quod dictus Presbyter Georgius teneatur & debeat ſuſtentare, ſubvenire, fovere & alere, ac omnia & ſingula victui & amictui neceſſaria preſtare eidem Fr. Jeronimo Epiſcopo uſque ad mortem ſuam, pertractando eum bene & optime ceu Patrem. Remittendo animam & corpus ſuum dicto Presbytero Georgio, qui faciat, & facere teneatur ſepelire eum honorifice, prout honori ſuo condecens erit &c. que omnia & ſingula ſupraſcripta promiſerunt predicte ambe partes invicem per ſe & ſuos heredes habere perpetuo firma & rata & grata, & obſervare, & non contravenire vel facere per ſe, vel alium nec . . . conſentire. Sub obligatione omnium bonorum ſuorum preſentium, & futurorum &c.

NICOLAUS II. EP. DUMNENSIS XII.

Ad Epiſcopatum Dumnenſem ſub Archiepiſcopatu Spalatenſi F. Nicolaus de Jadra per ceſſionem F. Hieronymi IV. *Non. Januarii anno* 1460. Vadingus Tom. VI. Annalium; & Auctor Viridarii Seraphici: *An.* 1460. *F. Nicolaus de Jadera Epiſcopus Dumnenſis in Dalmatia.* Hic poſtremus Epiſcoporum fuit, quibus Dumni tuto conſiſtere, atque ad gubernacula concreditæ ſibi eccleſiæ ſedere licuerit; quamvis etiam ſuperiores ante hunc Antiſtites identidem vel ab hæreticis, vel a ſchiſmaticis expulſi, ad tempus ſecedere cogerentur. Anno ſiquidem 1463. Boſina, ac triennio poſt provincia Chelmenſis ſive Hertzegovina in poteſtatem Turcarum pervenit, Per eadem tempora Dumnum quoque cecidit ſub imperium ditionemque barbarorum; nam ut diximus, vel ad regnum Boſnenſe, vel ad Principatum Chelmenſem pertinebat, cum utrique finitimum eſſet. Nunquam poſtea id oppidum, niſi forte ad breve tempus, ſub dominatum Principum Chriſtianorum rediiſſe invenio. Sub tyrannide Turcarum plus vaſtitatis ac detrimenti huic oppido attulit Turcica barbaries & incuria, quam hoſtilis oppugnatio & direptio. Incolæ acerbis exactionibus oppreſſi alio atque alio migrarunt, pleraque ædificia vetuſtate paullatim exeia corruerunt, ædis cathedralis ac domus pontificiæ vix parietinæ, aut rudera ſuperſunt, omnia fere deſerta, inculta, ſordibus ſituque ſqualentia; denique ex urbe olim ampliſſima, & opulentiſſima nihil remanet, niſi vicus exiguus paucis Chriſtianorum ac Turcarum focis habitatus. Epiſcopis aut ibidem manendi, aut illuc palam ac libere adeundi nulla eſt facultas, ac ne diverſorium quidem commorandi. Exinde igitur abſentes eccleſiam ac dicœceſim illam per ſuos Vicarios gubernare ſolebant, atque ad Chriſtianos erudiendos, diviniſque myſteriis impertiendos adhibere operam Patrum Minorum de obſervantia, qui ad Cuſtodiam Franciſcanam Dulmenſem pertinent.

Dumnum a Turcis captum.

Ergo Nicolaus vel a Turcis Chriſtianorum hoſtibus, vel a Duce S. Sabbæ ſchiſmatico ſede ſua expulſus Jaderam ſe recepit: in ea urbe aliquandiu manſit, ut docent tabulæ Jadertinæ. Erat neſcio quid controverſiæ Marco Presbytero & Canonico Jadrenſi cum Deodato Venerio Abbate cœnobii Benedictini S. Chryſogoni. Res delata fuit ad Sedem Apoſtolicam, quæ poteſtatem cauſſæ illius cognoſcendæ ac ſententiæ ferendæ Maphæo Valareſſo urbis Archiepiſcopo, vel cui ipſe vellet ſuaſque vices mandaret, delegavit. Hic Venetiis cum eſſet, totius cauſſæ cognitionem ac judicium commiſit Nicolao Epiſcopo Dumnenſi, & Philippo de Saraceno Vicario ſuo generali. *Coram vobis Reverendiſſimo Patre Domino Nicolao Epiſcopo Dumnenſi, & Domino Philippo Maria de Saraceno Vicario Reverendiſſimi Patris Dom. D. Maphæi Valareſſi Archiepiſcopi Jadertini tamquam judicibus Sedis Apoſtolicæ, per præfatum Rever. Dom. Archiepiſcopum ſubdelegatis in cauſa mei Presbyteri Marci Canonici Jadrenſis cum R. Patre Deodato Venerio Abbate Monaſterii S. Griſogoni de Jadra, compareo ego prædictus &c.*

Nicolaus eccleſia ac ſede ſua expulſus Jaderam ſe recepit.

Sub idem tempus altera eidem Nicolao obvenit delegatio honorifica pariter & quæſtuoſa. Pius II. Pontifex Max. pecuniæ ex variis chriſtiani orbis partibus colligendæ, quam in ſacram contra Turcas expeditionem impenderet, Legatum Apoſtolicum præfecerat Cardinalem Beſſarionem. Hic aliis atque aliis quaquaverſum quæſtoribus miſſis, Venetiis cum eſſet, Nicolaum Epiſcopum Dumnenſem delegavit, qui in Carnia atque Iſtria collectam hujuſmodi indiceret ſimul & exigeret. Hujus delegationis traditæ Nicolao teſtis eſt ſchedula, quam Joſeph Binius Archipresbyter ſupra laudatus reperit in tabulario eccleſiæ ſuæ, veterum codicum refertiſſimo. *Nicolaus Dei gratia Dumpnenſis Epiſcopus, Reverendiſſimi in Chriſto Patris & DD. Beſſarionis divina miſeratione Sacroſancte Romane Eccleſie Cardinalis Niceni, ac Patriarche Conſtantinopolitani Sedis Apoſtolicæ legati de latere, in Forojulio, ac in tota Iſtria pro negotio alme fidei noſtre adverſus Turcos Comeſſarius, in Chriſto ſibi Kariſſimo Johanni qu. Johannis, & Theodore uxori ſue, & filio Chriſtoforo, & Dorothee filie ſalutem in Domino ſempiternam. Quoniam tu zelo dicte fidei accenſus in ſubſidium ipſius & Chriſtiane religionis contra dictos Turcos ultra*

Collector pecuniæ ad bellum ſacrum in Iſtria, & Carnia.

tra trigeſimam juxta poſſibilitatem tuam contribuiſti ; auctoritate dicte Sedis Apoſtolice , qua ſpecialiter fungor in hac parte , tibi cum omnibus ſupradictis tenore preſentium concedo eligere confeſſorem , qui te ab omnibus peccatis tuis ſemel dumtaxat in vita abſolvat , & remiſſionem peccatorum tuorum tibi ac indulgentiam , qualis in anno Jubilei limina Sanctorum Apoſtolorum de urbe , vel terram ſanctam viſitantibus dari conſuevit , tribuat . In quorum teſtimonium has noſtras litteras ſigillo Cruciate roboratas tibi fieri fecimus . Die XX. Decembris MCCCCLXIII.

Intra finem ejuſdem anni cum Nicolaus Utinum veniſſet, Jacobus Antonius Marcellus Locumtenens generalis totius Carniæ de illius adventu per litteras admonuit prætorem oppidi & Commune Glemonenſium; eiſdemque quindecim dies præfinivit, intra quos aut ipſi Utinum venirent, aut mitterent, qui triceſimam chriſtianis imperatam ſolverent.

Jacobus Antonius Marcellus Miles Patrie Forojuly Locumtenens generalis nobilibus dilectis noſtris Capitaneo , & Communitati Glemone.

De adventu Nicolai Glemonenſes admoniti & Utini venire juſſi.

Nobiles dilecti noſtri . Reverendus Dominus Nicolaus Epiſcopus Dumpnenſis venit Utinum jam pluribus diebus , ut ſcire debetis , de mandato Sanctiſſimi Domini noſtri PP. ſeu Reverendiſſimi Domini Cardinalis Legati ipſius nomine , cum ſcitu & conſenſu Sereniſſimi Dominii noſtri ad predicandam crucem ſacratiſſimam , & pro exactione trigeſime ſub graviſſimis cenſuris , & excommunicationibus , ut in Bullis penes ipſum exiſtentibus apparet . Ideo ne quis per ignorantiam ſe excuſet , vobis mandamus quod omnibus juriſdictionis veſtre ſuppoſitis notificare debetis quod infra dies XV. poſt ipſam notificationem veniant Utinum ad ſolvendam ipſam trigeſimam , ne ipſas incurrant cenſuras & excommunicationes . Utini die 7. Januarii 1464.

Internuncius a Nicolao præmiſſus ad Glemonenſes.

Sed poſtea mutato conſilio Nicolaus decrevit ipſemet Glemonam ſe conferre ad ſacram pecuniam colligendam, ut oppidanos illos Utinenſis itineris ſumptibus eximeret. Illos itaque de ſuo proximo adventu ut præmoneret, Petrum Presbyterum Utinenſem ſibi perfamiliarem præmiſit, qui ſimul expoſuit id ſibi mandatum fuiſſe ab Antonio Epiſcopo Concordiæ & Vicario generali Patriarchæ Aquilejenſis , ut Sacerdotium aliquod idoneis vectigalibus inſtructum a Glemonenſibus conferendum curaret Epiſcopo Dumnenſi, ad ejus inopiam ſublevandam. De ſententia publici Conſilii decretum eſt rogandum eſſe Dominum Epiſcopum, ut profectioni Glemonenſi duos menſes prorogaret, eamque in proximos poſt ſollemnia paſchalia dies differret; de Sacerdotio autem eidem conferendo tum agendum eſſe, cum ille præſens adfuerit.

Die 30. Januarii 1464.

Reſponſa magiſtratus & communis Glemonæ.

Audito Venerabili Presbytero Petro de Utino aſſerente qualiter Rev. in Chriſto Pater & Dominus D. Epiſcopus Dumnenſis his diebus proximis eſt venturus Glemonam , cui attributa eſt facultas predicandi Cruciatam , & eſigendi pecunias per prefatum Sereniſſimum atque Illuſtriſſimum Ducale Dominium Venetiarum , & per Dominum delegatum Sanctiſſimi D. N. PP. & cum ſit quod prefatus Venerabilis P. Petrus maximam habeat ſpem & confidentiam cum prefat. D. Epiſcopo , cum quo effectualiter ipſe procurabit pro nomine hujus comunit. quod predictus D. Epiſcopus veniat ad beneplacitum hujus comunit. pro comodo & utilitate hujus reipublice . Proviſum & determinatum fuit quod pro comodo & utilitate hujus reipublice ipſe Venerab. P. Petrus ut ſit cum pref. Dom. Epiſcopo nomine hujus comunit. quod dignatur prorogare uſque ad poſt feſtum Reſurrectionis D. N. J. C. nunc prox. futur.

In eodem Conſilio audito eodem Venerabili P. Petro aſſerente quod nuper Rev. in Chriſto Pater D. Antonius Feleto Epiſcopus Concordien. in ſpiritualibus Vicarius generalis habuit ſibi dicere, ut probaret cum comunit. iſta , quod acceptaretur in Capellanum D. Epiſcopus Dunnempſis predicator Cruciate , ut ſibi aſſignaretur prebenda una in eccleſia noſtra ; & ideo ipſum D. Epiſcopum prefatus Petrus ad preces Rever. D. Epiſcopi recomittebat . Proviſum & determinatum fuit quod eidem P. Petro reſpondeatur quod ſuperſedeatur uſque ad adventum ipſius Epiſcopi , & tunc videbitur que perſona eſt , & quam vitam ipſe ducit , & tunc providebitur .

Cum jam inſtaret adventus Epiſcopi præconis Cruciatæ, & collectoris triceſimæ , iterum ventum eſt in Conſilium , ut primores oppidi decernerent, quibus honoribus illum excipi, quibuſque muneribus donari oporteret.

1464. 22. *Martii.*

Propoſito qualiter Dominus Epiſcopus Dumpnenſis prædicator Cruciatæ eſt venturus Glemonam pro trigeſima exigenda; & quod bonum eſſet providere ut apreſentetur cum aliquibus muneribus . Proviſum & determinatum fuit quod preſentetur eidem libras 4. confectionum , cum octo bociis vini , & cum duabus libris cere .

Nicolaus Eccl. Glemonenſis adminiſtrationem petiit & obtinuit.

Dum triceſimæ ad ſacram expeditionem colligendæ cauſſa Glemonæ verſaretur , civium illorum ingenua probitate & ſingulari erga ſe benevolentia captus, quando omnem ſibi ad Eccleſiam Dumnenſem reditum intercluſum videbat , apud eos manendi mira cupiditate flagrabat , modo illi vellent ſibi tradere adminiſtrationem eccleſiæ ac plebis Glemonenſis , quæ tum rectore ſive Archipresbytero carebat , & ſeptuagenos in ſingulos annos ad vitam ſuſtentandam nummos perſolvere . Quid ſuæ voluntatis ac deſiderii eſſet, civibus ſignificari , atque ad publicum Conſilium referri curavit . Cum ſemel atque iterum ejus petitio in conſultationem vocata fuiſſet , mos eidem geſtus , & eccleſiæ illius poſſeſſio atque adminiſtratio decreta .

1464. 3. *April.*

Poſt celebrationem ultraſcripti majoris Conſilii , remanentibus Conſiliariis , & civibus minoris Conſilii , coram quibus propoſitum fuit quod Reverendiſſimus in Chriſto P. D. D. Nicolaus Epiſcopus Dumpuenſis predicator Cruciate libenter veniret ad habitandum in terra noſtra , & quod pro bono & utilitate eccleſie noſtre ac pro ſalute animarum ac conſolatione civium bonum eſſet providere , ut prefatus D. Epiſcopus acceptaretur . Proviſum & determinatum fuit quod omnino acceptatur , nihilominus deputentur duo cives , qui habeant praticare cum prefato D. Epiſcopo , & ſecundum quod habebitur ab ipſo referent &c. qui cives electi , & deputati fuerunt D. Capitaneus , & ſ. Nicolaus de Montagnaco .

1464. 11. *April.*

Audita relatione nobb. & egregiorum virorum ſ. Jacobi de Caſtro turris Capitanei noſtri & ſ. Nicolai de Montagnaco deputatorum ad praticandum cum Rev. in Chriſto Patre & Dom. Nicolao Dumpnenſi Epiſcopo , referentium praticaſſe cum prefato Dom. Epiſcopo , qui benigne reſpondiderat velle deſervire eccleſie noſtre , & huic civita-

munit. & eccleſiam illam regere , & gubernare ſecundum Deum , & veram juſtitiam , & omne illud , quod per ipſum acquiſitum fuerit in terra noſtra , relinquet eccleſie noſtre , petens ſibi impendi penſionem ducatorum ſeptuaginta pro ſingulo anno. Proviſum & determinatum fuit quod pref. Dom. Epiſcopus acceptetur, & ipſi Domini habeant facultatem plenariam concludendi cum prefato D. Epiſcopo omni meliori modo via jure & forma, quibus melius ſciunt &c.

Duo itidem Sacerdotia illi in templo primario collata.

Cum annua penſio ſeptuaginta nummum argenteorum Epiſcopo ſede ſua extorri, & eccleſiæ ſuæ proventibus deſtituto non ſatis videretur eſſe ad victum cultumque pontificiæ dignitati conſentaneum, duo cives in primis nobiles & opulenti duo eidem Sacerdotia contulerunt, quæ in templo S. Mariæ totius oppidi primario jure patronatus obtinebant, alterum S. Margaritæ, alterum Sancti Petri ſacello atque altari affixum , ut ex utriuſque reditibus ſupplereˉtur, quod illi deerat, ad vitam pro eo, ac decebat Epiſcopum, degendam.

In Chriſti nomine amen . Anno ejuſdem nativitatis 1464. Indictione XVII. menſis Aprilis actum Glemone in domo habitationis Dom. Plebani, preſente ſ. Nicolao qu. ſ. Franciſco de Montagnaco & aliis teſtibus ad hec habitis voc. & rog. Ibique coram Ven. Presbytero Marino de Bario Vicario D. Plebani S. Marie de Glemona conſtitutus nob. & egreg. vir ſ. Jo. Franciſcus Abbatis pro ſe ac nomine conſortis ſui habens jus patronatus in & ſuper altari S. Petri exiſtente in ipſa eccleſia; nec non nob. vir &c. Jeronimus de Franciſchinis Camerarius eccleſie & camere S. Marie plebis prelibate habens jus patronatus in & ſuper altare S. Margarete prout aſſerebatur , ibidem produxerunt , & preſentaverunt Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & Dom. Epiſcopum Dumpnenſem nuper electum per comunitat. terre Glemone , & ſuper ipſos habentes jus patronatus , ad officiandum ſuper dictis altaribus , &c. inſtantes & humiliter ſupplicantes ut prefatus D. Vicarius dignetur .... Cetera deſunt.

Has tabulas traditæ & acceptæ poſſeſſionis , itemque ſuperiores , ad nos tranſmiſit idem , qui ſupra, Archipresbyter Joſeph Binius, nunquam ſatis pro ſua humanitate, & pro eximiis viri præſtantiſſimi meritis ac virtutibus laudandus, qui paucis ante annis ad graviſſimum quoddam ac difficillimum negotium curandum & expediendum Romæ adhibitus , acumen ingenii ſui, conſilium decernendi, ſollertiam agendi, & ſingularem antiquitatis reique eccleſiaſticæ ſcientiam Benedicto XIV. ita probavit, ut magnam ſibi apud graviſſimum illum & ſapientiſſimum Pontificem exiſtimationem & gratiam conciliaverit.

An vero Nicolaus regimen eccleſiæ & plebis Glemonenſis ſibi delatum inierit , illudque ſaltem ad breve tempus retinuerit , compertum non habeo; fortaſſe illius , a quo decretum Conſilii Glemonenſis approbari debuerat, auctoritas defuit . Certe eodem anno , menſe Novembri eccleſiam ac plebem illam regebat Franciſcus de Aviano Archipresbyter , Sacrorum Canonum Doctor celeberrimus , ut in ſuis ad nos litteris idem Binius admonuit. Illud quoque in incerto poſitum eſt, redieritne in Dalmatiam tradita ſibi adminiſtratione depoſita , vel non ſuſcepta, ut e propinquo eccleſiæ ſuæ rebus conſuleret, & commodis , quantum eſſet in ipſo , utilitatique proſpiceret; an vero Glemonæ reliquam vitam exegerit , ut altari utrique; unde vivebat , inſerviret : neque de loco , neque de anno , neque de genere mortis mihi liquet. Nullum tamen ante annum circiter nonageſimum hujus ſæculi Epiſcopum Eccleſiæ Dumnenſi præpoſitum invenio.

VITUS EP. DUMNENSIS XIII.

Erat patria Pharienſis , cognomine *De Ruſchis*, nobili loco natus, humanis ac divinis litteris eruditus. In collegium Canonicorum Pharienſium cooptatus cum eſſet , illum Laurentius Michael Epiſcopus Phariæ Vicarium , adjutoremque eccleſiaſticæ procurationis ſibi delegit . Se ipſe enim appellat Vicarium generalem Epiſcopi Pharienſis in quodam ſuo edicto , quod fecit XI. Kal. Jul. an. 1482. & adhuc extat in curia Spalatenſis Archiepiſcopatus . Haud multis poſt annis creatus eſt Epiſcopus Dumnenſis; cumque illi acceſſus ad ſuam eccleſiam , quæ Turcica tyrannide oppreſſa erat, intercluſus eſſet , & ibidem commorandi facultas adempta ; conceſſu Innocentii VIII. Pontificis Maximi , & permiſſu Bartholomæi Averoldi Archiepiſcopi, ſedem ac domicilium Spalati collocavit, ut declarat epiſtola ejuſdem Innocentii anno 1490. inſcripta *Ven. Fratri Vito Dumnenſi Epiſcopo , in civitate , ſive diœceſi Spalatenſi commoranti* . Vitus Ep. Spalati domicilium habuit, & Macarenſi eccleſiæ præpoſitus fuit.

Hertzegovinam quoque, ſive Chulmiam , cum tota fere diœceſi Macarenſis ſive Macarſchenſis Epiſcopi , Turcæ in ſuam poteſtatem redegerant; civitas tamen & ora maritima ſub imperium Venetorum tranſierat . Exinde creari deſiit Epiſcopus Macarenſis , hujuſque eccleſiæ adminiſtratio commiſſa fuit Epiſcopo Dumnenſi , & utraque eccleſia ſub uno Præſule ac Rectore conjuncta eſt . Primus utriuſque Epiſcopus Vitus fuit, qui tum Dumnenſis, tum Crainenſis, ſive Cumnenſis ideſt Chulmenſis in tabulis illorum temporum nominatur.

Cur dictus Epiſcopus Crainenſis , ſive Cumnenſis ?

Jamdudum obſoleto , & neglecto Macarenſis vocabulo , Antiſtites illi Crainenſes appellari ſolebant ; nam oram maritimam cis ultraque Macarſcham, fere uſque ad peninſulam Stagni, indigenæ lingua Slavonica *Crainam* vocant, ideſt oram finitimam , ſive litoralem , Lucio interprete . Appellatos etiam invenio Epiſcopos *terræ Cumenſis*, ſeu potius Chulmenſis ; eorum quippe diœceſis maxima ex parte intra fines Chulmiæ continebatur ; quæ regio latiſſime patebat cis ultraque Naronem , æque propemodum atque Hertzegovina, ſive Principatus Chelmenſis, & S. Sabbæ. Porro Chulmia fere utramque diœceſim Dumnenſem & Crainenſem complectitur, ut docent monumenta illius ætatis: *in partibus Culmæ , Dumnenſis & Crainenſis diœceſis* . In actis quibuſdam Spalatenſibus confectis an. 1491. vocatur *Vitus de Ruſchis Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Dumnenſis , ac totius terræ Cumnenſis*, ideſt Chulmenſis.

Cum igitur utrique eccleſiæ præſideret , alia illi gravior & operoſior procuratio commiſſa eſt a Bartholomæo Averoldo Archiepiſcopo Spalatenſi, qui eum Legatum ſuum & Vicarium generalem conſtituit, ac totius Metropolis adminiſtrationi præpoſuit, ut docent Acta, quorum paullo ante mentionem feci : *Vitus &c. Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Dom. D. Bartholomæi Averoldi J. U. D. miſer. divina Archiep. Spal. Locumtenens & Vic. gen.* Ad eum igitur totius non ſolum diœceſis, ſed etiam provinciæ

Spa-

Spalatenſis controverſiæ & negotia confluebant, quibus ille dirimendis & conficiendis aſſiduam celeremque operam dabat. In his, aliiſque plurimis & graviſſimis rebus perſpecta eſt exquiſita hominis doctrina, intelligendi celeritas, agendi induſtria, decernendi conſilium, & ingenii ad difficillima quæque expediti mira dexteritas. Extant in Curia Spalatenſi multa ejuſdem acta & decreta plena prudentiæ, æquitatis, & religionis.

Vicarii ſui, & Patrum S. Franciſci operam adhibuit ad regendam diœceſim Dumnenſem.

Quamvis autem tot tantiſque negotiis diſtentus eſſet, nunquam tamen eccleſiæ utriuſque ſibi creditæ, ac præſertim Dumnenſis, de qua nunc agimus, curam intermiſit. Hujus adminiſtrationem Vicario ſuo, & Patribus Franciſcanis Cuſtodiæ Dulmenſis commendaverat, qui Chriſtianos illos evangelicis præceptis excolerent, atque ad ferendum acerbiſſimæ ſervitutis jugum divinis præſidiis confirmarent, deque rebus omnibus ad ſtatum illius eccleſiæ pertinentibus ſe per litteras ac nuncios ſæpiſſime doceri volebat. Si qua re opus eſſet ad levamen ac ſalutem afflictæ illius ac miſerrimæ gentis, ſi quid opis ab ſe peterent, nullam moram interponebat, quin eorum incommodis omnibus ac difficultatibus ſedulo & impenſe ſubveniret. Nec vero omittebat ſe interdum conferre ad gregem ſuum inviſendum curandumque. Totam diœceſim ſub alieno habitu cultuque peragrabat, oves ſuas divini verbi pabulo reficiebat, omnes ſacris myſteriis impertiebat, blanda oratione ſolabatur, & cæleſtium bonorum ſpe propoſita, ad injurias, vexationes, mortemque ipſam pro Chriſto ſubeundam excitabat. Cum antea Chriſtiani in illis locis prohiberentur, aut certe non auderent publice aperteque adire ad eccleſias, ſacros conventus agere, divinis myſteriis intereſſe; Vitus ſeu prece, ſeu pretio id a Præfecto Turcico impetravit, ut poteſtas eſſet Chriſtianis luce ac palam templa frequentandi, liceretque infantibus & cuilibet petenti baptiſmum conferri, rem divinam fieri, omnia denique peragi, quæ ad Deum rite colendum religio chriſtiana præſcribit. Poſt annum 1496. nullam amplius Viti mentionem in ſcriptis ac monumentis Dalmaticis invenio; ex quo veriſimile fit eum intra finem hujus ſæculi, vel ineunte proximo, e vita migraſſe. Eximias præſtantiſſimi Antiſtitis virtutes ac laudes, dum adhuc viveret, adoleſcens quidam Spalatenſis egregia ſpe & animi & ingenii præditus heroico carmine perſecutus eſt, quod huic loco intexere placuit.

Ejuſdem laudes heroico carmine celebratæ.

Chriſte fave: Viti Ruſchi nam dicere laudes
Aggredior: nunquam ille tuis diſceſſit ab aris,
Sacrorumque modum vix pubeſcentibus annis
Hauſit, & attonſo ſeſe tibi crine dicavit.
Jamque miniſterio virtus matura videri
Tunc potuit, viridis niſi ſe opponeret ætas,
Quæ ſimul atque aditum tali patefecit, honore
Majori donandus erat. Mox æqua poteſtas
Parque datur meritis pretium: modo namq; Sacerdos
Qui fuerat, fulget mitrato vertice Præſul.
Et quoniam qua parte magis male firma minantur
Mœnia terribilem jam jam lapſura ruinam,
Illa parte magis valido de robore poni
Fulcimenta ſolent; Fidei qui jura teneret
Inter perfidiæ pollutas crimine gentes
Eligitur Vitus, probitate per orbem
Notus, & egregia clarus pietate fideque.
Quam bene commiſſum eſt humeris tam fortibus illud
Eccleſiæ Dumnenſis onus! Te, Vite, regente
Illa quidem tuto poſt multa pericula portu
Se recipi gaudet. Turcarum quaſſa procellis
Ægra laborabat dudum regionibus illis:
Nunc humeris ſuſſulta tuis, celeberrime Præſul,
Stare loco diſcit, ſumit rediviva priorem
Paullatim vultum, Mahometis ſpernere ritus
Audet, & in media, te conſultore, fatetur
Chriſtum barbarie, ſtrictos nec reſpicit enſes,
Atque tyrannorum vultus horrere minaces
Dedidicit: cuncti jugulum mucronibus ultro
Impavidi præbent; & ſi quis ſæviat ira,
Te ſpectante, mori pro Chriſti nomine vellent;
Promiſſis animos dum tu cæleſtibus imples,
Exciperent ferrum adverſo pectore, & ignes,
Inque neces ruerent vitæ melioris amore.
Sed melius meliuſque Deus providit ab alto,
Jam quod pace tui placida nunc, Vite, fruantur
Dumnenſes, cunctiſque datur de more litare,
Nec vetitum eſt ulli ſeſe luſtralibus undis
Abluere, & veterem baptiſmate tollere culpam;
Tum quod longa Patris ne nos abſentia quondam
Angat Averoldi, tibi noſtri credita cura eſt.
Ille ſuas miſeratus oves, dum regna reviſit
Itala, paſtorem te nobis, Vite, reliquit;
Non alius geſſiſſe vices, & munera obire
Pontificis tanti, potuit magis aptus haberi.
Tu tibi commiſſas multa moderaris habenas
Temperie, neque in hanc partem, neque flectis in illam,
Sed recto medium metiris tramite callem.
Non mite ingenium nimia indulgentia mollit,
Non tibi juſtitiam rigor aſperat; & tua nunquam
Proxima vicini vitii contagia traxit
Æquato ſeſe librans examine virtus.
Quid referam proavos, & ſtemmata longa tuorum,
Antiquamque domum, cujus ſe jactat & ipſe
Nobilitate Pharos? ſuperas virtute decorem
Sanguinis, & toto laudum jam vertice ſupra es.
O mihi ſi qua forent priſci modulamina cantus,
Pieriamque tubam concederet o mihi ſi quis,
Qua pius Æneas, vel qua cantatus Ulyſſes,
Ipſe ego, Vite, tuis terram, mihi crede, polumque
Laudibus implerem: nec adhuc ſatiata voluntas
Ultra & terras, fieri ſi poſſet, & ultra
Sydera tentaſſet Viti protendere nomen.
At quamvis tenui deducere carmen avena
Nunc primum mihi muſa dedit, teneroſque ſub annos
Fila lyræ puero tantum ſtridentia ceſſit;
Has tamen ingenii noſtri tibi, Vite, dicare
Primitias placuit. Cum mox adoleverit ætas
Et mea Cyrrhæam geſtarint tempora laurum,
Excipies graviore ſono tua facta canentem.

Eccleſiæ Dumnenſis plures annos Epiſcopo propriocaruit.

Qui proxime poſt Vitum ſucceſſerit in regimen Eccleſiæ Dumnenſis, neminem reperio: commendatam fuiſſe arbitror Metropolitæ Spalatenſi, ut ejus curam ſuſciperet. Cum autem per eos annos fere perpetuis aut bellis, aut incurſionibus Turcarum obnoxia fuerit Dalmatia, facile intelligi poteſt, quam aſpero crudelique dominatu Chriſtiani Dumnenſes premerentur, ne ab imperio Turcico deficerent, vel clandeſtinas cum finitimis populis coitiones molirentur.

NICOLAUS III. EP. DUMNENSIS XIV.

Niſi hujus nomen & epiſcopatum memoriæ traditum reliquiſſent Tabulæ Romanæ conſiſtoriales, utriuſque notitiam oblivio poſteritati præripuiſſet. Neutrum enim apud Scriptores vel in monumentis Dalmaticis reperire licuit. Quo anno Pontificatum inierit, quid rerum geſſerit, perquirere ſi velim, fruſtra laboraverim. Obiit anno 1551.

DA-

DANIEL EP. DUMNENSIS XV.

Daniel Ep. commendatam habuit Ecclesiam Macarensē.

Huic patria Spalatum fuit, cognomen *Vocensis*, seu *Vocatius*, vitæ institutum e sanctissima disciplina Patrum Minorum ordinis Franciscani. Julius III. eum Ecclesiæ Dumnensi Episcopum dedit: *11. Decembris 1551. Providit Ecclesiæ Dumnensi vacanti per obitum Nicolai de Beganicio, de persona Danielis Vocensis de Spalato ordinis FF. Minorum, & Theologiæ professoris, ipsumque illi in Episcopum præfecit, & pastorem*. Ex tab. consistorialibus. Auctor Viridarii Seraphici ad eumdem annum 1551. *F. Danielis Episcopi Dumnensis in Dalmatia* initium pontificale affixit. Illum Romæ Maphæus Cardinalis consecratione episcopali initiavit. Ex urbe profectus cum in Dalmatiam se contulisset, nihil prius sibi faciendum censuit, quam ut diœcesim sibi concreditam episcopali ritu lustraret. Cum eidem commendata etiam esset Ecclesia Macarensis sive Crainensis, ab neutra longe discedere statuit, ut e propinquo utriusque commodis providere posset; & quocumque alterutrius necessitas vel utilitas vocaret, statim accurreret. Itaque in ditione Turcica unum e cœnobiis Franciscanis delegit, in quo sibi domicilium stabile constitueret. Ut vero tutus esset ab inimicis christianæ religionis, a Præside Franciscano provinciæ Neapolitanæ ordinis Minorum litteras commendatitias impetravit ad Ferdinandum regem Hungariæ, cujus patrocinium implorat, simulque aliquod subsidium petit ad suam & gregis sibi concrediti egestatem sublevandam.

Præsidium & subsidium petit a Ferdinando rege Hungariæ.

Serenissime & Sacratissime Rex.

Majestati tuæ tam familiares litteras, invictissime rex, destinare non auderem, nisi serenitatem tuam omnium humanissimam, omnique virtute refertam, ac benignissimam prospicerem. Adeo ut virtutes, quibus polles, me etiam, sicut ceteros ad tui amorem affectu mirabili summopere accendant. Et quia ex justitiæ debito illos potissimum gratiis & favoribus communire debemus, quos in agro Dominico, ac S. R. E. gremio circa Christianorum salutem sudare non cessant, præcipue eorum, qui sub cruentissimo & severissimo Turcarum dominatu Christo famulari percipimus. Placuit enim Altissimo, ut prædilectus Frater noster Daniel, qui retroactis temporibus sub Divi Francisci vexillo militaverat, biennio jam transacto ob suam miram probitatem, fidem, morumque gravitatem in Episcoporum numerum a Sede Apostolica in Dumnensem Antistitem esset electus, nec non a Reverendissimo Cardinali Maphæo consecratus. Hic ut omni diligentia gregem sibi commissum verbo pariter & exemplo ad meliora charismata promoveat, quod a tam solerti viro fore omnino confidimus, & speramus, humiliter rogamus ut patrocinium vestrum illi, quantum poteritis, præbeatis; ut in omnibus suis negotiis vestram celsitudinem patrocinantem & propitiatricem inveniat. Nam & diœcesis populorum omnium sibi commissa, licet Turcarum manu sit oppressa, jure tamen divino vestro Principatui, ut omnes ferunt, subjecta est. Ideo si aliquo beneficio pauperculum Episcopum ob vestram pietatem afficere dignemini, res utriusque agetur; nam tam Episcopus ipse præfatus, quam Christianus populus, quem in sua visitatione allocutus est, Majestati tuæ perpetuo famulatu deditissimum & promptissimum sese offert. Et quamvis residentiam & mansionem perpetuam Episcopus ipse alibi, quam in sua diœcesi habere queat; ab ea tamen, ut Deo & tuæ celsitudini gratius inservire valeat, nullatenus recedere intendit, nisi tua Majestas aliter de eo disposuerit, cui laxis præcordiis, & medullitus inservire peroptat. Res itaque suas ita tractare atque gubernare digneris obsecramus, perinde ac si nostræ forent. Quod si effeceris, ut speramus, nobis gratissimum fore noveris. Tua denique Majestas herculea strenuitate prædita diu bene valeat; cui me deditissimum, in quibus valeo, offero & commendo. Neapoli die . . . mensis Septembris 1553.

Potuit quidem Ferdinandus Episcopi indigentiæ regia liberalitate subvenire, sed suo patrocinio tectum, tutumque ab injuriis Turcarum præstare non potuit; quippe illis temporibus acerrimum cum Turcis bellum in Hungaria gerebat. In tabulis archivi capitularis Spalatensis invenio Danielem apud Sedem Apostolicam accusatum fuisse, quod jurisdictionis suæ fines prætergressus, omnia Franciscana cœnobia illarum partium suæ potestati subjicere, in eisque dominari vellet; & si qui obstabant, e suis illos cœnobiis non solum probris & contumeliis onustos, sed etiam malle multatos expelleret; quod præfectorum Turcicorum favore ac patrocinio abutens Christianis arroganter superbeque imperaret, atque ad terrorem incutiendum Turcarum comitatu stipatus incederet; ut alia longe graviora prætermittam, episcopali nomine atque ordine non solum aliena, sed prorsus indigna, nec dedecoris solum plena, sed etiam impietatis. Paullus IV. anno 1557. jussit duos Canonicos Spalatenses Bernardinum Stancovichium & Franciscum Risanum diligenti habita quæstione in vitam moresque Episcopi Dumnensis inquirere; & si vera esse comperissent, quæ de illo ad Sedem Apostolicam delata fuerant, ad se rite probata, & ab idoneis testibus jurejurando adactis subscripta mitterent, ut justas meritasque pœnas in eum decerneret. Cum ab his quæsitoribus delegatis nihil rescriptum, nullam in Danielem a Pontifice sententiam latam, neque illum aut Episcopatu amotum, aut ulla censura confixum reperiam; id mihi argumento est, jacta in eum crimina, aut per calumniam ficta fuisse, aut cum incertis rumoribus & mendaci fama niterentur, testes idoneos, qui ea rite probarent, defuisse. Et sane adeo incredibilia erant & enormia, de quibus accusabatur, ut ne in hominem quidem profligatissimum ac perditissimum, nedum in Episcopum cadere posse viderentur.

Accusatur apud Sedē Apostolicam.

Anno 1570. bellum Cyprium exarsit, quo etiam Dalmatia conflagravit. Exinde Danieli in ditione Turcica tuto esse non licuit. Profugum excepit Dominicus Foconius Archiepiscopus Spalatensis, eique domicilium assignavit Almissæ in oppido maritimo suæ diœcesis, eumdemque episcopalis sui muneris Vicarium ibidem constituit; illud vero in primis curæ eidem esse voluit, ut ad corrigendos incolarum mores admodum depravatos omni studio operaque incumberet. Cum templum S. Michaelis primarium totius oppidi, propter flagitium gravissimum in eo commissum, fuisset pollutum, & propterea interdicto subesset; Almissani rogarunt Danielem, ut illud præscriptis ab ecclesia precibus ac cærimoniis expiaret, atque ad sacra mysteria ibidem rite peragenda Deo divisque reconciliaret. Id negavit ille se facturum, nisi domum quamdam templo contiguam,

Propter bella Turcicum Almissam se recipere cogitur.

ad

ad illudque pertinentem in uſum tabernæ vinariæ converſam demolirentur, quæ identidem perſonabat vocibus ebriorum, & inconditis clamoribus choro Sacerdotum & clericorum divinas laudes concinentium obſtrepebat. *Reverendiſſimus Daniel Vocani*, ut eſt in ſchedula MS. *Epiſcopus Dumnenſis, cum vollet reconciliare Eccleſiam S. Michaelis, quæ violata erat, niſi per procuratorem loci facerent diruere illam partem fabricæ &c.* Demolitionem polliciti cum eſſent, anno 1576. eorum voluntati morem geſſit Epiſcopus; ſed poſtea datam fidem fefellerunt, & neceſſe fuit, ut Archiepiſcopus ſua interpoſita auctoritate illos promiſſa facere cogeret.

Curam Eccleſiæ Dumnenſis, Macarenſis, & Scardonenſis dimiſit.

Cum Daniel non ſolum in utraque ſua diœceſi commorandi, ſed etiam utriuſque gregis reviſendi ac luſtrandi facultatem ac ſpem omnem ſibi per Turcas ademptam eſſe videret, quamvis bello Cyprio finem attuliſſet pax inter Venetos & Turcas reconciliata; quia tamen neutri eccleſiæ ſuam præſentiam operamque impendere poterat, utramque dimittere decrevit. Itaque Romam profectus anno circiter 1580. a Gregorio XIII. impetravit, ut ſe vinculo exſolveret, quo Eccleſiæ Dumnenſi & Macarenſi obſtrictus erat. Scardonenſem etiam dimiſit, ſi illi quoque præpoſitus fuit, ut in Joanne III. Epiſcopo Scardonenſi dictum eſt. Poſt Epiſcopatum depoſitum, quo ſe receperit, ubi reliquam vitam exegerit, quo demum anno diem ſupremum obierit, compertum non eſt.

DANIEL II. EP. DUMNENSIS XVI.

Daniel II. Ep. Dumnen. a Turcis interfectus.

De hoc P. Lucas Vladmirovichius ex ordine Franciſcano Patrum Minorum in ſuis ad me Italicis litteris: *Erat*, inquit, *nobiliſſima & antiquiſſima gente Vladmirovichia. Eccleſiæ ac diœceſi Dumnenſi præfuit. Captum a Turcis, dum fugeret, ac Vergorazii conjectum in carcerem, Patres noſtri Franciſcani e vinculis & captivitate redemerunt. In hoſtium manus cum iterum incidiſſet, eum acerbiſſimis ſuppliciis cruciatum necarunt. Id ſiquidem illi crimini dabant, quod multos Turcas a Mahomete ad Chriſtum converſos baptizaſſet. Interfectus eſt apud Gliubuſcum, quod eſt oppidum Naroni fluvio aſſidens; & noctu ſublatus a Chriſtianis, ſepultus eſt, ubi erat cœnobium Franciſcanum, quod paullo ante Turcæ diruerant.* Hæc Pater Lucas; paullo aliter P. Marcus Dabreſichius, qui nihil de nece per Turcas eidem illata. *Cum fuiſſet*, inquit, *Epiſcopus Dumnenſis quidam P. Daniel Ordinis noſtri, fugiens Turcarum perſecutionem confugit ad noſtrum conventum de Moſtar, de quo Turcæ edocti veniunt quæſitum illum; nec invenientes, quia a Fratribus ultro fuit dimiſſus, itaque tyranni in vindictam non modo hunc conventum, ſed alium quoque ſcilicet de Gliubuski demoliti ſunt, qui nunquam amplius ſunt ædificati; Religioſos autem crudeliter multarunt, & mactarunt. Poſtmodum tamen captus fuit ab eis dictus Daniel, carceratuſque in Vargoracz, ac tandem redemptus a Religioſis Fratribus, tamquam fuiſſet mancipium.*

Hujus Epiſcopatum P. Marcus Dabreſichius intra finem ſæculi 15. conſtituendum putat.

Pater Lucas Vladmirovichius neque primum ſuſcepti, neque extremum geſti Epiſcopatus annum expreſſit; ſed ordinem, quem ille tenuit in percenſendis quibuſdam Epiſcopis Franciſcanis illarum partium, ſecutus Danielis II. Epiſcopatum intra finem ſæculi decimi ſexti ſtatuendum cenſuit. Verum P. Marcus Dabreſichius Danielis hujus adminiſtrationem epiſcopalem Dumnenſem ad finem ſæculi decimi quinti revocandam eſſe opinatus eſt. *Hujus facti æra obliterata eſt, conjecturaliter tamen dixerimus id accidiſſe circa finem ſæculi 15. aut paullo ante.* Hæc opinio ſi arrideat, Danielem hunc ſuperiori ejuſdem nominis Epiſcopo Dumnenſi anteferas per me licet, eumdemque Vito de Ruſchis proxime ſubjicias oportet, huic & Nicolao III. interjectum.

F. Nicolaus Ugrinovichius Ep. Samandrien. adminiſtrator Dumnenſis & Macarenſis Epiſcopatus.

Sub exitum ſæculi decimi ſexti F. Nicolaus Ugrinovichius ex ordine Franciſcano Epiſcopus Samandrienſis Dumnenſem pariter & Macarenſem Eccleſiam ſibi commendatam adminiſtrabat. Huic M. Antonius de Dominis Archiepiſcopus Spalatenſis procurationem utriuſque Epiſcopatus adimere conatus eſt; utrumque enim ad ſuam diœceſim adjungere cupiebat. Illum igitur inſcitiæ & incuriæ accuſavit apud Michaelem Priolum Epiſcopum Vicetinum anno 1603. cum is Viſitatoris Apoſtolici munere in Dalmatia fungeretur. Ajebat præterea Nicolaum ſua diœceſi Samandrienſi contentum eſſe debere; triplicis diœceſeos adminiſtrationem latius patere, quam ut unus idemque Epiſcopus, qua opus erat, vigilantiam, curam, operamque ſingulis impendere poſſet; certe quidem Nicolaum mediocriter a doctrina, anguſtius etiam a natura inſtructum, tanto oneri ferendo non eſſe. Sed nihil aliud impetrare potuit, quam ut Viſitator Apoſtolicus unam alteramve parochiam ab Epiſcopatu divulſam cum diœceſi Spalatenſi conjungeret. Poſt mortem Nicolai Ugrinovichii a Turcis interfecti an. 1606. M. Antonius ſuæ poteſtatis ac juriſdictionis amplificandæ cupidus, apud Paullum V. omnem contentionem adhibuit, ut Dumnenſem & Macarenſem Epiſcopatum aboleret; quidquid vero terrarum ac gentium utrique ſuberat, diœceſi Spalatenſi attribueret. Ea de re dum Romæ conſulitur, neutri eccleſiæ datus eſt Epiſcopus, ſed procuratio utriuſque demandata fuit Patribus Franciſcanis. Interea M. Antonii repentinus diſceſſus, ſeu potius fuga in Angliam, ejuſque infamis a fide catholica defectio, de alterutro illo, vel utroque Epiſcopatu antiquando cogitationem & conſilium omne diſcuſſit. Anno 1615. Bartholomæum Cacichium Paullus V. Epiſcopum Eccleſiæ Macarenſi præfecit, qui ex ejuſdem Pontificis mandato etiam Eccleſiæ Dumnenſis curam ſuſcepit. Huic anno 1646. Petrus Cacichius filius fratris Bartholomæi æque in Sedem Macarenſem, atque in adminiſtrationem Dumnenſem ſubſtitutus fuit, ſed hanc paullo poſt depoſuit. *Anno Domini* 1646. ut ſcripſit P. Marcus Dabreſichius, *electus fuit in Epiſcopum Macarenſem & adminiſtratorem Dumnenſem uſque ad conſecrationem Dumnenſis electi, Fr. Petrus Kacich &c.* Anno ſiquidem 1644. Innocentius X. ſuum & proprium Dumnenſibus Epiſcopum reſtituit.

Bartholomæus & Petrus Cacichii Epiſc. Macarenſes adminiſtratores Eccl. Dumnenſis.

MARIANUS EP. DUMNENSIS XVII.

F. Marianus Maravichius Ep. transfatus ad Eccleſ. Boſnenſem.

Annos fere quinquaginta Eccleſia Dumnenſis Epiſcopo proprio caruerat, cum Innocentius X. ut modo dictum eſt, ſive miſericordia illius gentis Turcarum tyrannide miſerandum in modum oppreſſæ commotus, ſive precibus illorum populorum impulſus, anno 1644. Epiſcopum illis dedit F. Marianum Maravichium ex familia Franciſcana, virum eximiæ doctrinæ ac virtutis. 31. *Julii* 1644. *providit Eccleſiæ Dulmenſi a pla-*

a pluribus annis vacanti, de persona F. Mariani Maravich ord. Min. S. Francisci, cum assignatione scutorum 200. *monetæ Roman. pro ejus congrua sustentatione, ultra fructus ecclesiæ, juxta decretum Sac. Congregationis de propaganda fide.* Ex tab. consistor. *Secundo autem anno post electionem*, ut nos admonuit P. Marcus Dabretschius, *anno nimirum 1646. 8. Decembris Ragusii fuit consecratus in Episcopum Dumnensem.* Sed ne integrum quidem annum præfuerat, cum illud idem Innocentius X. ad Ecclesiam Bosnensem transtulit, ut declarat ejusdem Pontificis epistola, cujus exemplum extat in archivo Sac. Congreg. de Propag. inscripta *Mariano Episcopo Bosnensi*, qua *absolvitur ab Ecclesia Dumnen. & transfertur ad Ecclesiam Bosnensem.* Data est IX. Kalendas Augusti 1647.

Nequidquã obnitente Ep. Scardonensi, retinuit administrationem Eccl. Dumnensis.

Cum res ecclesiastica Dumnensis rursus ad interregnum veniisset, de hujus ecclesiæ administratione controversia fuit inter Marianum Maravichium Bosnensem, qui ea retinere, & inter Paullum Posilovichium Scardonensem Episcopum, qui eamdem sibi vindicare cupiebat. Hic igitur in suis ad Sacram Congregationem litteris anno 1650. petiit, ut sibi procuratio Ecclesiæ Dumnensis committeretur; nam ajebat ita inter se & Marianum convenisse, ut Paullus quidem munus Vicarii Apostolici in Slavonia, quo fungebatur, dimitteret ac Mariano cederet; Marianus autem integram Paullo gubernationem Episcopatus Dumnensis relinqueret: diœcesim Dumnensem a Bosnensi omnino sejunctam esse, & perincommodam fore Episcopo Bosnensi ac perdifficilem ad gregem gubernandum, pascendum, statuique temporibus invisendum. Curam quinquaginta parœciarum, quæ sunt in Bosina, & triginta, quas idem Marianus obtinebat in Slavonia, tot tantisque occupationibus refertam esse ac difficultatibus implicitam, ut de aliis ne cogitandi quidem spatium eidem relinquat. Præterea, dum vacabat Episcopatus Dumnensis, ab eo titulum sibi impositum fuisse, cum ante aliquot annos episcopali consecratione initiatus est, ut adjutor esset Episcopo Bosnensi ad pontificalia munera peragenda; æquum autem videri, ut cujus ecclesiæ titulum ante Marianum gesserat, ejusdem etiam administrationem post Mariani ab ea discessum susciperet. Tandem cum sæpenumero contigerit, ut Ecclesia Dumnensis proprii pastoris regimine destituta ad tempus remaneret; hanc nunquam Bosnensi, semper autem aut Scardonensi, aut Macarensi Episcopis commendatam fuisse.

Dumnenses Episc. proprium flagitant.

At Marianus administrationem Ecclesiæ Dumnensis retinuit ex decreto Sacræ Congregationis; ad quam anno 1652. pervenerunt litteræ supplices Dumnensium, qui graviter dolenterque querebantur se ab Episcopo Bosnensi, cui commendati fuerant, neglectos esse, propterea quod regimen Bosnensis Ecclesiæ longe lateque diffusum adeo illum occupatum atque impeditum tenebat, ut nullam partem pastoralis curæ & cogitationis suæ in alterum gregem sibi commissum derivare posset. Orant igitur obsecrantque, ut Patres Eminentissimos misereat Ecclesiæ Dumnensis afflictæ oppressæque sub imperio Turcarum, & pastoris præsidio ac solatio destitutæ; eidemque proprium & singularem Episcopum præficere velint: id quod biennio post demum impetrarunt. Hæc, & quæ sequuntur, decerpta sunt e codicibus Tabularii Romani Sacræ Congregationis de propaganda fide; in quibus continentur epistolæ, quas de statu suarum ecclesiarum Episcopi illarum partium, quæ subsunt imperio Turcarum, scribere ac Romam mittere consueverunt.

MICHAEL EP. DUMNENSIS XVIII. idemque postremus.

E familia Franciscana Patrum Minorum de observantia delumptus est ann. 1654. cui Jahum cognomen fuisse tradit Auctor Viridarii Seraphici. Antequam ad suam ecclesiam adiret, in Germaniam profectus est, ut Episcopatus sibi traditi approbationem peteret a Ferdinando III. Imperatore, simulque Cæsareum patrocinium sibi conciliaret. Dum esset Pragæ, litteras a Sacra Congregatione accepit, quibus jubebatur statim se ad ecclesiam suam regendam conferre; rescripsit se detineri necessitate obtinendi Cæsarei diplomatis, quod nondum impetrare poterat. Extat ejus responsum Pragæ datum anno 1655. VIII. Kalendas Septembris. Anno 1658. episcopalem consecrationem suscepit a Cardinali de Harrach. Cum neque in sua diœcesi, neque in finitimis locis stationem inveniret, ubi tuto manere posset, Seniam se recepit, ut intelligi potest ex ejus epistola ad Antonium Cardinalem Barberinum Præfectum Sacræ Congregationis.

Eminentissime Cardinalis Princeps Benignissime.

Ejus epist. ad Cardin. Præfectum Sac. Congregat.

Post humillimam commendationem, & sacræ purpuræ deosculationem devotissimam, Eminentiæ vestræ expono, qualiter accepto anno elapso de ordine S. Sedis Apostolicæ Pragæ ab Eminentissimo Cardinali de Harrach consecrationis beneficio, & expeditis in aula Cæsarea expediendis, me sine interposita mora in Dalmatiam contulerim, ut diœcesi Dulmensi, mihi a Sacra Congregatione concreditæ, conformiter ad obligationem meam providerem, & populum Christianum, secundum gratiam desuper collatam, salutaris doctrinæ, exemplique pastu reficerem. Verum ipsam civitatem Dulmensem inveni non solum plane devastatam, ac solo adæquatam, sed & totam diœcesim adeo depopulatam, ut ad multa milliaria nullus Christianorum aut hominum aliorum conspiciendus sit; quare ad aliquem viciniorem locum, utpote vel Imotam, vel Ramam ire decreveram; at relatione accepta emanasse a Bassa Turcarum edictum, ne quis Religiosorum sive externorum, sive incolarum ad conventus inibi existentes sub pœna expulsionis, aliaque arbitraria admittatur, sed mox si quis accedere præsumeret ob proditionis suspicionem judici denunciaretur; propositum mutare, & ne per me paucitas illorum Fratrum discrimen incurreret, & consequenter scintilla christianitatis adhuc per illos conservata penitus extingueretur, Segniam usque accedere non sine animi dolore coactus fui. Ne autem hic tempus mihi sine Ecclesiæ sanctæ Dei fructu conterere contingat, benignissimum mandatum, & ulteriorem de persona mea dispositionem præstolabor ab Eminentia vestra, cujus in omni reverentia & subjectione imploro sempiternum patrocinium & conservationem gratiæ prostratus coram. Datum Segniæ in Dalmatia, die 24. Julii anno 1659. Eminentiæ vestræ

Humillimus & obsequentissimus Cliens
F. Michael Jahum indignus Ep. Dulmensis.

Eo absente ab sua diœcesi, Fr. Mariano

An postea gregem suum aliquando reviserit, mihi non liquet; aberat certe anno 1662. cum *F. Joannes Anicius de Dulma ordinis Franciscani*,

Lisnichio cura gregis Dumnensis commissa est.

ni, litteris eodem anno pridie nonas Julii ad Sac. Congregationem scriptis, vel novum Episcopum, vel Vicarium Apostolicum postulavit, qui Dumnensium Christianorum curam susciperet; quippe ajebat Michaelem pastoralis officii ac muneris immemorem longe abesse, commorarique in partibus Imperii, & præterea vernaculum gentis illius sermonem prorsus ignorare; natione enim Germanum fuisse arbitror. Anno 1664. cum Marianus Lisnichius e sodalitio Patrum Minorum S. Francisci renunciatus esset Episcopus Macarensis, eidem onus regendæ Dumnensis & Scardonensis Ecclesiæ impositum fuit. *In nostro Regesto habemus*, inquit P. Marcus Dabresichius, *quod P. Marianus Lissgnich nostri ordinis & provinciæ Bosnen. Romæ 1664. fuerit consecratus ab Eminentissimo Cardinali Picolomini pro Episcopo Macharskæ, & administratore Dumnensi*. Unus igitur tres ecclesias imperio Turcico subjectas multo sudore & labore propter impedimenta & pericula sibi a Turcis objecta, nec minore sedulitate administravit.

VICARII APOSTOLICI.

ANno 1685. bellum Peloponnesium felicibus auspiciis cœptum, & Scardona jam recuperata ipsem afferebat fore, ut Veneti alia quoque oppida, urbesque Dalmatiæ olim amissas recuperarent. Itaque dum Deus optimus maximus lætiores huic bello successus daret, visum est interea supersederi a creatione Episcoporum, qui locis vel jam ereptis, vel mox, ut sperabatur, Turcarum tyrannidi eripiendis præsiderent. Igitur post obitum Mariani Lisnichii Sacra Congregatio de propaganda fide Nicolaum Blancovichium Canonicum Spalatensem, virum omni virtutum genere cumulatum, quæ in hominem ecclesiasticum cadere possunt, eumdemque divinæ gloriæ augendæ & salutis humanæ procurandæ studiosissimum, anno 1685. Vicarium Apostolicum constituit, eique tres diœceses commendavit Scardonensem, & Macarensem, quæ jam depulso Turcarum jugo sub clementissimum Venetorum imperium transierant, & Dumnensem, quam adhuc hostes miseranda servitute oppressam tenebant, atque etiamnum tenent. Hujus vero procurationem retinuit, postquam consecratus fuit Episcopus Macarensis, sive Macarschensis anno 1699. neque antea, quam vivere desiit, dimisit. Res ab eo præclare gestas in diœcesi Dumnensi, immensos labores, apostolicas peragrationes, sollicitam christianæ plebis erudiendæ curam, uberrimos christianæ pietatis fructus e vinea illa dominica perceptos breviter exposuit in quadam sua Italica epistola ad Sac. Congregationem Laurentius Radoicovichius curator parœciæ Pogdorensis, idemque Vicarius foraneus. *Postquam*, inquit, *Nicolaus Blancovichius titulum munusque Vicarii Apostolici traditum sibi a Sacra Congregatione de propaganda fide suscepit, Dumnensem Ecclesiam annos fere quindecim ardore spirituque plane apostolico gubernavit, Vicos omnes sæpe circumivit; ubique postea quam fidei præcepta & mysteria cognitu necessaria ad vulgi captum explanasset, e loco superiore ad pietatem excitandam populumque permovendum concionabatur tanta vi & efficacia verborum ac sententiarum, tam ardenti vultu oculisque, ut omnium mentes animosque percelleret, omnesque ad salutarem Dei metum, beatæque immortalitatis cogitationem excitaret: id quod satis declarabant alta suspiria, gemitusque anteactæ vitæ flagitia detestantium, & crebræ pectoris ac laterum percussiones, quibus omnia personabant. Rite confessis & expiatis divina mysteria impertiebat; discedensque omnes saluberrimis monitis ad christianam vivendi rationem instituendam, retinendamque bene animatos atque institutos relinquebat. Postea vero cum episcopali consecratione initiatus regimen Ecclesiæ Macarschensis suscepit, nihilo segnius ad excolendam Dumnensem vineam per annos viginti incubuit. Septies deinde gregem illum revisit, totamque diœcesim peragravit; nec solum illius concionibus Christiani summa aviditate intererant, sed etiam Turcæ confertim ad eas audiendas confluebant, qui hominis sanctitatem suspiciebant, & admirabantur, eumque veluti divino numine plenum singulari veneratione prosequi solebant. Socium atque adjutorem apostolicarum expeditionum sibi adsciverat Adamum Spingarolum Presbyterum Societatis Jesu, virum industrium ac laboriosum, qui catechesi tradenda, concionibus habendis, confessionibus audiendis, dissidentibus inter se reconciliandis, assiduum evangelicæ vineæ cultorem atque indefessum operarium se præbuit, omnibus omnia factus, ut omnes Christo lucrifaceret*. Hæc Laurentius in sua epistola, quæ data fuit XII. Kalendas Julii anno 1725. Hujus autem sæculi anno tricesimo optimus & sanctissimus Præsul ad beatam immortalitatem migravit, fruiturus amplissimo præmio innumerabilium & maximorum laborum, quos Dei & proximorum caussa suscepit.

Nicolaus Blancovichius Canonicus Spalaten. Vicarius Apostolicus in tribus diœcesibus constitutus.

Nec vero post decessum Blancovichii Ecclesia Romana Dumnensium filiorum sibi carissimorum oblita est. Nam anno 1735. cum Bosnenses Episcoporum suorum absentium præsentia & solatio destituti ab Sede Apostolica Antistitem sacrorum postulassent, qui apud se stabili domicilio maneret, plebemque christianam divinis tum præceptis excoleret, tum mysteriis imbueret; datus est illis Vicarius Apostolicus P. Matthæus Delivichius ex ordine Franciscano Minorum observantium, titulo Episcopi Bolinensis insignitus; huic vero commendata itidem est procuratio rei christianæ Dumnensis. Eidem vita functo in utriusque ecclesiæ administrationem suffectus est anno 1740. alter Vicarius Apostolicus Pater Paullus Dragechivichius ex eadem Franciscana sodalitate, Episcopus Diumensis Jaderæ consecratus, qui nunc rei christianæ in illis partibus æque assiduam ac laboriosam operam navat. De utroque, nec non de P. Bonaventura Benichio, qui Dragechivichio suffectus fuerat, dictum est in Episcopis Bosnensibus.

F. Matthæus Delivichius & F. Paullus Dragechivichius Vicarii Apostolici.

EPISCOPI MACARENSES,

ſive MACARSCHENSES.

Urbis nomina varia,

QUam urbem nunc *Macarſcam* vulgo appellant, eam acta Concilii Salonitani vetuſtiſſimi *Mucſurum*, Procopius *Muicurum*, Conſtantinus Porphyrogenitus *Mocrum*, Thomas Archidiaconus *Mucarum*, alii *Macarum*, ſive *Macariam* dixerunt. Sunt qui exiſtimant, ubi nunc Macarſca eſt, ibi ſitum fuiſſe *Rataneum* Plinianum, quod Dion Caſſius lib. 56. *Rhatinum* vocat. Propius vero eſt ibidem fuiſſe *Inaroniam* Tabulæ Peutingerianæ; nam poſitio loci congruit, & huic ſententiæ ſuffragatur auctoritas Anonymi Ravennatis lib. 4. cap. 16. *Aronia, ideſt Mucrum*; idemque confirmat Placidus Porcheron in ſuis ad eum locum Ravennatis animadverſionibus: *Peutingeriana tabula habet Aronia duodecim milliaribus ab Onæo: Mucra græce Mocron, urbs ad mare in Pagania, cujus meminit Porphyrogenitus de adminiſt. imp. cap.* 30. Procopius haud ſatis gnarus geographiæ Dalmaticæ *Muicurum* a Salonis proximum conſtituit lib. 3. cap. 35. de bello Gotthico: *Ille Muicurum, (locus eſt maritimus proximus Salonis) delatus, primum quidem ad incolas ſe applicuit &c.* Sed veteres geographi inter Salonas & hanc urbem Epetium, Piguntium, Onæum interjiciunt; auctor vero Tabulæ Peutingerianæ modo laudatæ Epetium a Salonis quatuor, Onæum ab Epetio ſeptem, Inaroniam ab Onæo duodecim millibus paſſuum disjunxit; ſed Inaroniæ ab Onæo, & Epetio diſtantia paullo major eſſe videtur.

poſitio, & ſtatus hodiernus.

Civitas adjacet mari inter Tilurum & Naronem, ſed longius ab hoc, quam ab illo diſtat. Propter bellicas clades, ac Turcarum vaſtationem a priſtina magnitudine deſcivit, & circuitu admodum exiguo concluditur. Nunc præter ædem cathedralem, domum pontificiam, & cœnobium Franciſcanum S. Mariæ, centum focis aut paullo amplius habitatur. Portum habet ſane optimum, & maritimo commercio opportunum, quod Chriſtiani pariter ac Turcæ commutandis, emundis, vendundiſque mercibus frequentant. Territorio utitur ſatis bono, bene culto, & frugifero.

Epiſcopus primus Stephanus an. 532.

Anno triceſimo ſecundo ſexti ſæculi Honorius III. Archiepiſcopus Salonitanus in Concilio ſecundo provinciali Epiſcopatum *Muccurenſem* inſtituit; & primus Epiſcopus ex decreto ejuſdem Concilii renunciatus eſt Stephanus Presbyter Eccleſiæ Salonitanæ, qui ante biennium ſuperiori Synodo itidem provinciali interfuerat. *Tractatu itaque habito*, ut eſt in actis illius Concilii, *hoc communi noſcitur ſediſſe conſilio, ut in Sarſentero, MUCCURO, & Ludro Epiſcopi debeant conſecrari . . . Itaque prolatis decretis, in quibus electionis includebant officium* (ideſt explicatis ſchedulis, quibus ſuffragia includebantur) *in Muccuro Stephanum Presbyterum, in Sarſentero Paullinum Presbyterum, in Ludro Celianum Presbyterum ſpiravere Epiſcopos conſecrari*, hoc eſt divino ſpiritu afflati decrevere. Deinde ut duobus poſterioribus, ſic etiam Epiſcopo Mucurenſi ſua parochia aſſignata eſt, ac certis

Deſcriptio antiqua parochiæ ſive diœceſis Mucuritanæ.

terminis definita. Deſcriptio finium, quos Concilium præſcripſit huic Epiſcopo, propter inſcitiam & incuriam librariorum admodum depravata eſt, quam ſic emendandam eſſe cenſui: *Muccuritanus autem Epiſcopus ſe ſuamque juriſdictionem contineat extra fines Delminenſis Montanorum Epiſcopi, Oneſtini agri, & Salonitanæ parochiæ, ac dumtaxat quidquid in inſulis continetur, vel trans Onæum eſſe noſcitur, quod Continens appellatur &c.* Itaque Delminenſis Epiſcopus nunc Dumnenſis, & Mucuritanus Epiſcopus ditionem ſuam Tiluro & Naroni fluminibus interjectam obtinebant, hic quidem in maritimis locis, ille vero in montanis: ex quo fit, ut parochia Mucuritana Delminenſi ab ſeptemtrione finitima eſſet. Ab occaſu conterminа erat agro Oneſtino, in quem deſinebat parochia Salonitana. Onæum civitas litoralis Epetio aberat in orientem millia paſſuum ſeptem ex Tabula Peutingeriana; ſed cum Ptolemæus Epetio & Onæo Piguntium interjecerit, paullo majorem inter Epetium & Onæum diſtantiam fuiſſe oportet. Itaque Piguntium & Onæum in ditione manſit, ac poteſtate Antiſtitis Salonitani; niſi forte tunc in fidem ac juriſdictionem tranſierit novi Epiſcopi Ludrenſis, qui paullo poſt abolitus fuit. Quare parochia Mucurenſis ex decreto hujus Concilii ab Onæo incipiebat; quatenus vero ſecus oram maritimam, ſive in continenti, orientem verſus protenderetur, ex actis ejuſdem Concilii dignoſci nequit. Ceterum dubitari non poteſt, quin uſque ad confinia Naroniani Epiſcopatus in ortum excurreret; nam etiam Naronæ ſedes epiſcopalis erat; & *Marcellus Epiſcopus* Naronitanæ Eccleſiæ utrique Concilio Salonitano interfuit, & ſubſcripſit. A meridie autem inſulas huic oræ proximas complectebatur Salonitanæ diœceſi detractas, Phariam præſertim & Braciam. Huc revocanda ſunt, quæ ſcripſimus in Honorio III. cap. 2. de ſecundo Concilio Salonitano §. 2. & 3.

Poſt Stephanum ſeries epiſcopalis deficit uſque ad ſæculum decimum quartum.

Itaque primus Mucurenſis Epiſcopus fuit Stephanus, Huic qui deinceps ſucceſſerint uſque ad annum circiter quadrageſimum ſexti ſæculi, clademque Avaricam, nobis ignoti ſunt. Anno igitur 539. Avares poſt incenſam & everſam Salonam, cum Dalmatiam fere omnem populabundi pervaderent, ut pleraſque alias civitates epiſcopales, ſic Mucurum & Narbonam, ſeu Naronam fœde vaſtarunt. Hanc regionem ultra Tilurum, ſimulque Mœſiam ſuperiorem, expulſis Avaribus, Serbli conceſſu Heraclii Imperatoris occuparunt; cum reliquam Dalmatiam inferiorem citra Tilurum, Avaribus itidem ereptam, Chrobati ejuſdem Imperatoris permiſſu in ſuam poteſtatem redegiſſent. Porro Serbli Dalmatiam ſuperiorem inter Tilurum & Drilonem quatuor in partes diviſerunt; quarum unam incolebant Diocletani, alteram Terbuniatæ & Canalitæ, tertiam Zachlumi, quartam qui Slavorum lingua Pagani, quod eſſent baptiſmi expertes, ab Romanis vero Arentani appellabantur, ut docet Conſtantinus Porphyrogenitus cap. 30. qui Paganorum, ſive Arentanorum regionem,

in

in qua eſt Muccurum, ſeu Mocrum, Naroni ac Tiluro interjecit: *ab Orontio* (ideſt Narone) *flumine Pagania incipit, & porrigitur uſque ad Zentinam flumen* (ideſt Tilurum); & eamdem regionem diviſit in tres partes, quæ Slavorum lingua *Zupaniæ* dicebantur: *Zupanias habet tres Raſtotzam, Mocrum, ac Dalen*; & quidem duæ Zupaniæ *Raſtotza* & *Mocrum* ad mare, *Dalen* vero Zupania procul a mari ſita eſt. Idem cap. 36. urbes quatuor in Continente Paganis attribuit: *Habet*, inquit, *Paganias urbes quatuor habitatas Mocrum, Berulia, Oſtroc, & Labinetza*. Cum Chrobati & Serbli partim anno 670. ſub Joanne primo Spalatenſium Archiepiſcopo, partim anno 832. ſub Petro hujus nominis tertio, partim ſub Georgio II. Archiepiſcopo baptiſmum ſuſcepiſſent; *Narentani*, pars Serblorum in avitis erroribus ac ſuperſtitionibus perſtiterunt. Quapropter neque Joannes, qui aliquot Epiſcopatus veluti Delmitanum, ut eſt apud Archidiaconum, reſtituit, neque ejus ſucceſſores ſive Mucari, ſive Naronæ antiquas ſedes epiſcopales denuo conſtituere potuerunt; utramque enim civitatem Narentani hoſtes chriſtiani nominis ſuo imperio ſubjectam tenebant. Anno demum 872. ipſi quoque Narentani, veteri ſuperſtitione repudiata, baptiſmoque expiati, chriſtianæ religioni nomen dederunt. Tunc videri poterat adeſſe opportunitas ſuos Mucarenſibus, & Naronianis Epiſcopos reſtituendi; ſed neutrum reſtitutum invenio in celeberrimo illo Conventu Delmitano, quod paucis poſt annis habitum fuit, anno ſcilicet 877. & in quo nominatim percenſentur eccleſiæ epiſcopales tum Spalatenſi, tum Diocletanæ metropoli ſubjectæ. De his fuſe accurateque in Georgio Archiepiſcopo Spalatenſi. Neque ullum Mucari Epiſcopum, cujus nomen proferre poſſim, reperio ante ſæculum decimum quartum. Anno 1185. in Concilio provinciali Spalatenſi ſub Petro VII. Archiepiſcopo, cum facta eſſet deſcriptio eccleſiarum epiſcopalium provinciæ Spalatenſis, & ſui cuique fines præſcripti, neque Mucurenſis, neque Naroniana nominatur; quod videlicet utraque Epiſcopo jamdudum careret. Pars vero illa diœceſis Mucurenſis, quæ mari adjacet, commendata fuit proximo Epiſcopo Pharienſi his verbis: *Pharenſis Epiſcopus habeat ſedem ſuam in Phar, & habeat has parochias . . . & Mulcer, & totam Crainam. Mulcer* idem fortaſſis eſt, ac *Mocrum* ſive *Mucurum* urbs epiſcopalis. Craina vero idem valet apud Slavos, quod apud Latinos ora finitima ſive litoralis. Itaque totus ille tractus oræ inter *Vrullam* & *Naronem* fluvium interjectus cum urbe ipſa epiſcopali, ex decreto ejuſdem Concilii, in fidem conceſſit ac tutelam Epiſcopi Pharienſis. *Vrulla* autem, quam Porphyrogenitus Beruliam vocat, terminus erat diœceſi Spalatenſi ab eodem Concilio præfinitus, haud longe ab Almiſſa diſtans in orientem. Pars mediterranea Epiſcopatus Mucurenſis ad regimen ditionemque Archiepiſcopi Spalatenſis acceſſit. Poſt annos non ita multos Clemens III. vel Cæleſtinus itidem III. ſuo diplomate pontificio *Macharienſem* a *Naronienſi* eccleſia diſtinxit, & utramque attribuit Metropolitæ Spalatenſi. Vide §. 1. in actis Petri VIII. Archiepiſcopi. Nec vero ſi Pontifex eccleſiam utramque & nominavit, & diſtinxit, id argumento eſt tunc fuiſſe ſuum utrique Epiſcopum. Utramque nominatim, & diſtincte attribuit Metropoli Spalatenſi, ut ejus antiqua jura deſcriberet, & ſarta tecta ſervaret, quemadmodum in antiquis codicibus deſcripta reperera; atque ut, ſi quando ſuus ac proprius utrique, aut alterutri præficeretur Epiſcopus, is meminiſſet ſe Metropolitæ Spalatenſi ſubjectum eſſe debere.

Sæculo decimo tertio nondum Eccleſia Macarenſis ſuum Epiſcopum recuperaverat, Thoma Archidiacono teſte, & ejuſdem ſæculi ſcriptore. *Fuit etiam*, inquit, *ſedes epiſcopalis apud Mucarum, eratque ſua parochia a confinio Crainæ* (ideſt ab Vrulla, ſive Berulia termino occidentali Crainæ, in quem deſinebat diœceſis Spalatenſis) *uſque ad Stagnum*, ideſt paullulum ultra Naronis oſtia. Igitur poſt duos illos Epiſcopos Stephanum *Mucuri*, Marcellum *Naronæ*, qui Conc. Salonitano ſupra laudato interfuerunt; ſiqui Antiſtites utrique, vel alterutri eccleſiæ per annos amplius ſeptingentos præfuerunt, ſi non continuata, interrupta ſaltem identidem ſucceſſione, eorum omnium nomina & acta vetuſtas & oblivio prorſus abolevit.

Petrus IX. Archiep. Spalaten. reſtituit Epiſcopatum Macarenſem.

Sfortia Ponzonus Archiepiſcopus Spalatenſis in ſuis adverſariis mſſ. tradit auctorem fuiſſe reſtituti ſeu potius poſt multa ſæcula renati Epiſcopatus Macarenſis Petrum IX. Archiepiſcopum, qui Spalatenſem pontificatum iniit anno 1297. idque confirmari poteſt teſtimonio Michæ Madii, qui Petri ætati vel ſuppar, vel æqualis fuit, & rerum ſui temporis maxime memorabilium hiſtoriam ab anno 1290. uſque ad 1330. perduxit. Hic autem inter Epiſcopos, qui cum ipſe ſcribebat, *tenebantur ex vinculo Sacramenti obedire Archiepiſcopo, & reſpondere Eccleſiæ Metropol. Spalat. &c. Mucarenſem* annumeravit. Hinc igitur ordienda eſt ſeries Epiſcoporum Macarenſium, ſive Macarſchenſium, quam hic ſubjicio, prætermiſſis antiquioribus, ſi qui fuerunt poſt Stephanum primum urbis hujus Antiſtitem.

Series Antiſtitum Macarenſium.

II. Valentinus anno circ. 1320.
III. Joannes anno 1367.
IV. Simon an. circ. 1370.
V. Jacobus an. circ. 1373.
VI. Joannes II. an. circ. 1388.
Interregnum Epiſcopale.
VII. Franciſcus an. 1445.
VIII. Andreas an. 1472.
IX. Vitus an. circ. 1490.
Interregnum Epiſcopale.
X. Franciſcus II. an. 1520.
Interregnum Epiſcopale.
XI. Bartholomæus an. 1615.
XII. Petrus an. 1646.
XIII. Marianus an. 1664.
Interregnum Epiſcopale.
XIV. Nicolaus an. 1698.
XV. Stephanus II. an. 1731.

VALENTINUS EP. MACARENSIS II.

CIvitas ac diœceſis Macarenſis jamdudum referta erat hæreticis, & ſchiſmaticis: quæ peſtis & colluvies e proxima Boſina in Dalmatiam redundaverat. Petrus Archiepiſcopus omni ſtudio operaque ſibi enitendum cenſuit, ut hujuſmodi contagionem a ſua provincia depelleret: id quod fieri poſſe ſperabat ope & auxilio Caroli Roberti regis Hungariæ, apud quem auctoritate & gratia plurimum valebat: præpoſitus ſiqui-

siquidem fuerat regio sacello Mariæ, ejusdem Caroli regis aviæ, & uxoris Caroli II, regis utriusque Siciliæ; intimus eidem ac familiaris, cui etiam divina mysteria impertiri solebat. Noverat præterea, quanto rex optimus flagraret desiderio tuendæ religionis catholicæ & hæresis profligandæ. Hac spe fretus decrevit Episcopos restituere ac præficere iis locis, in quibus hæresis & schisma dominabatur. Duos igitur Episcopatus vetustate exsoletos renovavit, Macarensem & Delmitanum; Valentinum Macarensi, Madium Delmitanæ ecclesiæ Episcopum dedit. Sed cum utraque civitas, & regio illa æque a schismaticis, atque ab hæreticis habitata infestaque esset, neutrubi Episcopis catholicis consistere ac tutis esse licebat. Quare Petrus utrique Episcopo in sua diœcesi, Madio quidem in regione Politiana, Valentino autem Almissæ, in oppido maritimo, sedem veluti precariam attribuit; ut tamdiu ibidem manerent, quoad suas ecclesias hostibus catholici nominis ereptas recuperarent. Almissa visus est locus Valentino peropportunus ad gregem suum e propinquo curandum regendumque, prope siquidem aberat a confinibus diœceseos sibi commissæ; hanc siquidem *Vrulla* seu *Berulia* non longe ab Almissa in orientem distans ab diœcesi Spalatensi disjungebat. Hic igitur Valentinus jussus est advigilare ad custodiam & salutem suæ plebis catholicæ cum hæreticis permistæ, ejusque commodis utilitatique providere. Nec vero si qua oblata esset facultas vel occasio sui gregis invisendi, eam prætermittebat: si qui vero ex illis populis alicujus humani vel divini subsidii petendi vel sacra mysteria percipiendi caussa se Almissam conferrent, nulla re illis deerat, nullumque ab se optimi pastoris officium desiderare patiebatur. Præterea parochos, suique muneris vicarios variis in locis constituerat, qui gentes illas christianis præceptis ac mysteriis imbuerent. Quod Petrus Archiepiscopus duobus illis Episcopis concesserat, Balianus, & Dominicus Petri successores confirmarunt, ac decrevere, ut sedes illas precarias alter apud Politianos, alter apud Almissenses tamdiu retinerent, quoad utrique liber ac tutus ad suas ecclesias accessus pateret.

Valentinus Episcopus concessu Petri Archiep. Spalaten. sedem suam Almissæ collocavit.

Ac Valentinus quidem Petrum Archiepiscopum, itemque hujus proximum successorem Balianum, quorum beneficio domicilium Almissense obtinebat, tum omni grati & obsequentis animi significatione, tum vero summa observantia & obedientia coluit; & cum in illo oppido constitutus esset Vicarius utriusque, ex eorum voluntate & præscripto rem christianam ibidem diligentissime curabat. Baliano in sedem archiepiscopalem successit Dominicus Luccarus an. 1328. Huic etiam Valentinus & gratum se, & subjectum, atque ad omnia obsequentem per aliquot annos præbuit; neque ullum suæ erga illum submissionis atque obedientiæ officium prætermisit. Sed postea obsequio in contumaciam & arrogantiam converso, eo audaciæ provectus est, ut & sui Metropolitæ imperata facere pertinaciter recusaret, & insuper eidem de castro Almissensi litem intenderet. Hic exscribenda censeo, quæ in actis Dominici Archiepiscopi a nobis exposita fuerunt. Georgius Maldeorigus (e gente Breberiensi, ut opinor) erat Comes, seu Præfectus Almissæ. Huic Dominicus Archiepiscopus decimas ecclesiasticas cujusdam villæ, cui nomen *Stagninæ*, locaverat, certa pensione constituta, quam singulis annis Mensæ Archiepiscopali solveret. Solutionem ex anno in annum dilatam penitus neglexerat Georgius; eam iterum ac sæpius, sed frustra repetierat Archiepiscopus: denique illum acrius urgere cœpit, anathematis pœna in eumdem proposita, nisi quamprimum satisfaceret. Hujusmodi comminatione territus promisit se quidquid e neglectis superiorum annorum pensionibus debebat, id omne ad diem præstitutam numerata pecunia daturum; nisi daret, severe Archiepiscopus denunciat extemplo ei, ac sine alia denunciatione, anathematis telum inflictum iri. Promissis non stetit. Quocirca Archiepiscopus Valentino Episcopo Macarensi per litteras imperavit, ut tribus Dominicis, aut festis diebus nominatim Georgio Comiti Almissæ sacris interdictum esse publice ac rite declararet; nisi imperata faceret, quam in Georgium pronunciare neglexisset, eamdem in se quoque excommunicationis sententiam latam, seque ab ingressu ecclesiæ prohibitum esse intelligeret; insuper illi subeundam esse pecuniariam multam ex decreto cujusdam Concilii provincialis irrogatam iis, qui jura Ecclesiæ Spalatensis defendere negligerent. Sed Valentinus, sive quod sibi metueret a Georgio, sive quod hujus gratiam & patrocinium pluris faceret, quam debitam suo Metropolitæ obedientiam, hujus imperium prorsus abnuit, eique parere pertinaciter recusavit, & sua contumacia se ipse denunciatæ sibi excommunicationis vinculo illigavit. Iterum ac sæpius admonitus cum adduci non potuisset, ut Metropolitæ suo pro potestate imperanti morem gereret; citari jussus est ad Concilium provinciale, quod Dominicus indixerat, in quo de hac pertinacia se purgaret, & si haberet aliquid excusationis, qua se defenderet; in eo Concilio coram Patribus Spalatum convocatis palam ac legitime exponeret. Ille Spalatum quidem se contulit, sed Concilium adire noluit; qui suam caussam ageret, delegavit, suumque procuratorem instituit Madium Episcopum Delmitanum. Judices illi dati sunt ex decreto Concilii Nicolaus Tinninienſis, Andreas Scardonensis, Joannes Pharienſis, & F. Martinus Sibenicensis Episcopi. Quid caussæ sive excusationis pro defensione Martini attulerit Episcopus Delmitanus, litteris proditum non invenio; sed rei absentis caussam judicibus probare non potuit. Itaque cum Valentinus, qui tum Spalati erat, trina admonitione citatus in Concilio adesse noluerit; judices delegati Georgium Comitem, & Valentinum Episcopum, ex sententia Archiepiscopi in eos lata, & a cœtu piorum rite ac merito segregatos, & ab omnibus vitandos esse pronunciarunt, ac præterea Valentino ecclesiæ suæ aditum interdictum esse, & centum insuper aureis esse multandum; quam quidem pœnam pecuniariam superius quoddam Concilium Spalatense illis irrogaverat, qui jura & auctoritatem Ecclesiæ Metropolitanæ Spalatensis, cum possent ac deberent, tueri negligerent. Acta hujus caussæ, & sententiam judicialem ex tabulis autographis & membranaceis archivi archiepiscopalis descriptam habes in eodem Dominico Spalatensi Archiepiscopo. Extremam particulam hic subjicio: *In Christi nomine Amen. Nos Frater Nicolaus Episcopus Tinienſis &c. .. auctoritate nobis ut præmittitur conceſſa in his ſcriptis, declarando ſententiamus, & ſententiando ſimiliter definimus eumdem Comitem Georgium, & præfatum Valen-*

Jussus Georgium Comitem Almissæ publice declarare excommunicatum, parere abnuit.

Judices a Concilio delegati contra utrumque Georgium & Valentinum.

Valentinum ex nunc, velut inobedientes præceptis, & monitionibus ipſius Domini Archiepiſcopi in contemptum clavium reſiſtentes, in prædictas excommunicationis ſententias ſingulas expreſſius incidiſſe, & ſic excommunicatos amodo fore cenſendos, nec cum eiſdem velut excommunicatis participandum, donec mandatis eccleſiæ & ipſius D. Archiepiſcopi parendum duxerint cum effectu. Nec non eadem auctoritate ſimiliter declaramus eumdem Valentinum incidiſſe in præfatæ conſtitutionis pœnam, centum aureorum pecuniariam ſententiam continentis, contra ipſum, & ſimiles in provinciali Concilio, ut præmittitur, promulgatæ; mandantes &c. Lata & declarata fuit præſens ſententia per prædictos Epiſcopos, auctoritate totius Synodi . . . . ſub anno Domini noſtri MCCCXLIIII. Indictione XII. die X. menſ. Madii, Pontific. SS. Patris & D. N. D. Clementis Papæ VI. anno ſecundo.

Valentinus de caſtro Almiſſenſi item ſuo Metropolitæ intulit.

An Valentinus & Georgius reſipuerint, & eccleſiæ atque Archiepiſcopi mandatis obtemperaverint, veniaque præteritæ contumaciæ petita atque impetrata, vinculis anathematum, quibus erant illigati, fuerint exſoluti, litteris proditum non eſt. Certe triennio poſt, ut mihi videtur, adhuc Valentini animo hærebat aculeus cenſoriæ ſeveritatis in eum adhibitæ, & memoriam inflicti anathematis alta mente infixam non ſine acri acerbitatis ſenſu retinebat: quæ fortaſſis cauſſa fuit, ut occaſionem libenter arriperet litigandi cum ſuo Metropolita, quam, errore neſcio quo deceptus, honeſtam ac juſtam eſſe exiſtimabat. Itaque eidem de caſtro Almiſſenſi acerrimam litem intulit, hiſtricem imitatus, qui, ut eſt in fabulis, precario admiſſus cum eſſet in ſedem alienam, dilatando ſe, & aculeis emittendis, avitum dominum expulit. Contendebat ille Almiſſam cum omni ſuo territorio intra fines diœceſis Macarenſis includi; & quam ibidem ſedem precario, conceſſuque Antiſtitum Spalatenſium obtinuerat, horum juriſdictioni epiſcopali exemptam eſſe, ſuæque eccleſiæ reſtitui oportere. *Aſſerebat*, ut ſcriptum eſt in actis hujus controverſiæ, *Caſtrum Almiſſienſe cum ſuo diſtrictu eſſe de diœceſi Macarenſis Eccleſiæ ſui Epiſcopatus, & ad eamdem eccleſiam ſpectare de jure*. Quibus vero id tabulis, argumentis, teſtibus probaret, mihi non eſt compertum. A Clemente VI. litteras petiit ad Aldobrandinum Epiſcopum Patavii, cui Pontifex imperabat judicium ut redderet Valentino, controverſiam, quæ illi erat cum Dominico Archiepiſcopo, rite cognoſceret, ac pro veritate ſententiam ferret. Acta eſt cauſſa, & diu multumque agitata coram Aldobrandino, ejuſque vicariis ad eam litem dirimendam delegatis; ſed neſcio quam ob cauſſam ille rem injudicatam reliquit: *Super quibus diu quæſtio extitit ventilata coram D. Aldobrandino Epiſcopo Paduano judice tum delegato a Sede Apoſtolica ſuper eadem quæſtione, & ſuis certis Vicariis ad hoc ſimiliter deputatis &c.* Alteras Valentinus litteras a Clemente ad Bertrandum Patriarcham Aquilejenſem impetravit, cui Pontifex totius cauſſæ cognitionem, ac ſententiæ ferendæ poteſtatem delegabat: *Et nunc ſuper eadem cauſa, ut præmittitur, de novo commiſſa per Sedem Apoſtolicam D. Patriarchæ prædicto* (ideſt Bertrando) *judici delegato, ſicut de iis in ipſis litteris apoſtolicis & actis judicum delegatorum prædictorum, nec non Vicariorum eorumdem deputatorum ad prædictam, plenius & clarius continetur*. Verum dum adhuc ſub judice lis eſſet, ex antiquis tabulis & privilegiis Eccleſiæ Spalatenſis Valentinus clare perſpexit oppidum & territorium Almiſſenſe iis finibus contineri, quos Concilium provinciale habitum an. 1185. ſub Petro VII. Archiepiſcopo diœceſi Spalatenſi præſcripſit, eoſque trans Almiſſam in ortum produxit uſque ad *Puſtam Vrullam;* quem locum decrevit confinium eſſe, quod Spalatenſem a Macarenſi diœceſi disjungeret. Quocirca Laurentium Stricichium Canonicum Sibenicenſem procuratorem ſuum inſtituit, qui ſuo & eccleſiæ ſuæ nomine, coram Bertrando judice ab Sede Apoſtolica delegato, rite ac legitime revocaret, ac reſcinderet, irrita infectaque declararet acta omnia, quæ idem Valentinus feciſſet pro vendicando ſibi caſtro Almiſſenſi; juſque illius poſſidendi nullum ſibi, nullum Eccleſiæ Macarenſi eſſe, ſed plenum atque integrum pertinere ad diœceſim Spalatenſem fateretur. Hujus procurationis, ſive mandati Laurentio traditi tabulas decerpſimus ex actis Dominici Archiepiſcopi. *Præfatus vero Valentinus Epiſcopus Macarenſis ſano & maturo in hac parte uſus conſilio ad ſalubrem conſcientiam rediens, nolens eumdem Archiepiſcopum, & ſuam Eccleſiam Spalatenſem ulterius injuſte & indebite moleſtare ac fatigare laboribus & expenſis, videns clare & aperte ex pluribus privilegiis ac litteris, & juribus ſuæ Metropolitanæ Eccleſiæ, dictum caſtrum Almiſſienſe, quod ſibi datum & aſſignatum extiterat per D. Fratrem Petrum quondam Archiepiſcopum Spal. ſuum promotorem ad eumdem Epiſcopatum Macarenſem, & D. Bulganum* (Ballanum) *quondam Spalatenſem Archiepiſcopum ſimiliter, nec non D. Dominicum Archiepiſcopum Spalatenſem ſupradictum ſuos ſucceſſores, pro manſione, & loco manendi in dicto caſtro, donec recuperaret ſuum Epiſcopatum prædictum; recognitione plena & indubitabili habendo, & percipiendo, ut præmittitur, ex juribus manifeſtis Eccleſiæ Spalatenſis prædictæ eſſe penitus recognovit, voluit etiam & conſenſit, renuncians ex nunc &c.* Hac voluntaria & juridica Valentini confeſſione, ſive in jure ceſſione recepta, atque admiſſa, Bertrandus ſtatim ſecundum Eccleſiam Spalatenſem judicavit; & ſuam ſententiam litteris publicis conſignari juſſam, ſuoque chirographo ſubſcriptam, & annulo obſignatam Spalatum miſit; quæ ſimul cum expoſitione totius controverſiæ, actiſque Valentini, in tabulas ad memoriam poſteritatis relata fuit.

Caſtri Almiſſenſis poſſeſſione ultro cedit.

Porro cum Valentinus ſtationis Almiſſanæ pertæſus, ſive quod incommoda, ſive quod inſalubris ſibi videretur, eam dimittere decreviſſet; Dominicus Archiepiſcopus cœnobium S. Andreæ de Pelago ab inſula Iſſa, mari non ita late interjecto, disjunctum, & monachorum diſceſſu vacuum eidem tradidit, cum omnibus agris & vectigalibus eidem annexis; præterea-que promiſit collaturum ſe illi Sacerdotium aliquod frugiferum, cum primum vacaret, cui nulla procuratio animarum affixa eſſet, ſimulque omnem, quam poſſet, operam daturum, ut ſedem & Eccleſiam Macarenſem recuperaret. Omnes vero ſententias, quas in eam vel ipſe, vel ſynodus provincialis tulerant, revocavit, & irritas fecit, eumque omnium anathematum vinculis exſolutum in antiquam gratiam reſtituit. Hæc omnia ex tabulis Spalatenſibus, quas actis Dominici Archiepiſcopi inſeruimus.

Seceſſit in inſulam & cœnobium S. Andreæ de Pelago.

Itaque Valentinus ſeceſſit in inſulam ac cœnobium

nobium S. Andreæ, ut ibidem reliquam vitam tranquille placideque traduceret, Ecclesiæ Macarensis administratione relicta vel ipsi Dominico Archiepiscopo, vel Dumnensi Antistiti, qui sua itidem ecclesia extorris apud Politienses domicilium habebat. Est insula exigui circuitus e regione *Hyllis* peninsulæ, sive promontorii ab continente passuum millia fere triginta in altum recedens. Issæ insulæ ab occasu adjacet, exiguo euripo interfluo disjuncta. *Scopulum S. Andreæ de Pelago* vocant; in quo erat templum & cœnobium Benedictinum Abbatis titulo insignitum, & copiosis vectigalibus instructum. Sed Valentinus non multo post ecclesiam suam recuperavit, in id operam dante, quam pollicitus fuerat, Dominico Archiepiscopo. Sub imperio Ludovici regis Hungariæ, qui Carolo parenti in regnum anno 1342. successerat, & sub fiduciario dominatu Stephani Bani Bosnensis, qui Chelmensem principatum hæreticis & schismaticis refertum Branivoensibus Dynastis eripuerat, & errores cum schismate Græcorum ejuraverat; visa est in illis partibus religio catholica attollere caput, & reviviscere; uterque enim ad hæreticam & schismaticam pravitatem eliminandam omni studio curaque incubuit. Porro ut Dumnensis, sive Delmitana, sic Macarensis diœcesis sita erat in ditione Comitum Chelmensium inter Tilurum & Naronem. Dominicus Metropolita tum a Ludovico, tum a Stephano facile impetravit, ut hostium catholici nominis audacia compressa, numeroque imminuto, duos illos Episcopos, Stephanum Dumnensem, & Valentinum Macarensem in suam utrumque sedem atque ecclesiam restituerent. Valentinus ultra duodesexagesimum hujus sæculi annum vitam perduxit, ut constat ex regio diplomate, quo Ludovicus omnia privilegia Ecclesiæ Tragurienſi ab regibus Hungariæ concessa confirmavit: *Anno millesimo, trecentesimo, quinquagesimo octavo, tertio nonas mensis Septembris, Venerabilibus Patribus Dominis Nicolao Jadrensi, Ugolino Spalatensi . . . Archiepiscopis, Nicolao Agrien. . . . . VALENTINO Makaren. . . . . Ecclesiarum Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus &c.* Cum annos fere duodecim post sedem recuperatam, Ecclesiæ Macarensi præfuisset, anno 1367. e vita decessit. Si fides habenda esset cuidam codici tabularii ecclesiastici Almissensis, tum Valentinus, tum Joannes proximus Valentini successor, non solum a Macarensi, sed etiam ab Ecclesia Almissensi titulum episcopalem sumpsit; & Almissæ uterque sepultus est: sic enim ibi notatum reperitur:

Sedem & ecclesiam suam recuperavit.

1326. *Dominus Valentinus Episcopus Macarienſis, vel Almissienſis, ibique ſepultus eſt.*

1367. *D. Joannes Episcopus Macarienſis vel Almissienſis, ibique ſepultus eſt.*

Hunc codicem ætatis admodum recentis esse, & ejus scriptorem rerum antiquarum ignarum fuisse oportet. Almissa fuit sedes precaria Antistitum Macarensium, atque ad tempus concessa, ut quæ supra exposita sunt, satis superque ostendunt; tantum vero abest ut episcopali titulo ac dignitate prædita fuerit, ut vel ex ipsa confessione Valentini Episcopi Macarensis ad jus ditionemque Antistitis Spalatensis pertineret, ejusque diœcesis finibus contineretur. Vel ipsa nota chronologica 1326. quæ affixa est ad annum emortualem Valentini, illius codicis auctoritati fidendum non esse declarat. Valentinus quippe anno 1358. adhuc vivebat ex diplomate supra laudato Ludovici regis Hungariæ: quin immo privilegio ejusdem Ludovici concesso sacris Virginibus Budensibus an. 1367. VIII. Kalend. April. subscripsit *Valentinus Makarien.* sed hoc eodem anno diem obiit.

JOANNES EP. MACARENSIS III.

F. Joannes Episc. sub Tuartko Bano Bosnensi catholicis infenso exsulare cogitur.

Non aliunde notus, nisi ex regali diplomate, quod Ludovicus rex Hungariæ anno 1367. secundum Arbenses fecit; huic enim *Joannis Mackarensis* nomen adscriptum est; itemque ex Comitiis Budensibus, quæ Ludovicus eodem anno ad res publicas regni ecclesiæque ordinandas convocavit; his enim cum aliis Dalmatiæ Episcopis idem Joannes interfuisse legitur. Ei *Fratris* prænomen apponitur; quod argumento est ad munus episcopale assumptum fuisse ex aliqua religiosa familia vel S. Dominici, vel S. Francisci, vel S. Augustini; nam hæc quoque postrema jampridem in Dalmatiam recepta aliquot domicilia variis in locis obtinebat. Anno 1357. Stephanus Banus Bosinæ & Comes Chelmi ingens decus ac præsidium rei catholicæ obierat; huic Stephanus cognomento Tuartkus, filius Uladislavi fratris Stephani, in Bosnensem principatum successit; sed Chelmensem provinciam Ludovicus rex Hungariæ sibi vindicavit jure dotali, Elisabetham enim Stephani senioris filiam uxorem duxerat. Id cum ægerrime ferret Tuartkus, Ludovicus affini suo ut aliquid indulgeret, tractum illum maritimum inter Tilurum & Naronem cum vicis & castellis ei donavit. Itaque diœcesis & civitas Macarensis in jus ditionemque Tuartki concessit, ut docet Carolus du Fresne de familiis Dalmaticis, Sclavonicis &c. §. VIII. n. XVII. Erat autem Tuartkus æque infensus catholicis, atque tenax erroris, & schismatis Græcanici; & Stephanum fratrem juniorem, quod catholicam religionem suscepisset, acerrime persequebatur; sub cujus dominatu, schismaticis audacia pariter viresque creverunt. Hinc conjici licet Joannem aut pervim expulsum, aut, ne hostibus ludibrio esset dignitas episcopalis, loco cedere, & exsulare coactum fuisse.

SIMON EP. MACARENSIS IV.

Simon Ep. Macaren. dictus Ep. Crainensis.

Hunc Franciscanæ familiæ alumnum, & Episcopum Crainensem vocat Auctor Viridarii Seraphici, ejusque Episcopatus initia refert ad annum septuagesimum septimum hujus sæculi decimi quarti. Sed fallitur; nam jam inde ab anno 1373. Jacobus Simonis proximus successor hanc ecclesiam regebat. Multa sunt posteriorum ætatum monumenta, suis deinceps locis proferenda, e quibus apparet Episcopos Mucari, sive Macari, nunc Macarschæ, non ab urbe episcopali, quam primum a schismaticis, & hæreticis, deinde a Turcis occupatam amiserant; sed a regione litorali, sive ora maritima *Craina* Slavonice dicta, in qua sita erat tum ipsa civitas, tum pars præcipua diœcesis Macarensis, sæpe appellatos fuisse Crainenses.

JACOBUS EP. MACARENSIS V.

Duobus privilegiis Ludovici, quorum alterum anno 1373. alterum an. 1379. datum est, cum ceteris Hungariæ Episcopis subscripsit *Jacobus Makarien.* Idem Ludovicus anno 1382. moriens,

ciens, cum nihil maſculæ proliſ e conjuge Eliſabetha ſuſcepiſſet, Mariam filiam natu maximam, ſub matris tutela, regnorum ſuorum hæredem reliquit. Hæc anno 1384. omnia privilegia ſuperiorum regum Spalatenſibus conceſſa ampliſſimo diplomate confirmavit, cui teſtis interfuit, & ſubſcripſit, cum pluribus aliis Hungariæ & Dalmatiæ Epiſcopis, *Jacobus Macharenſis*. Stephanus Tuartkus, qui cum eſſet Banus Boſinæ, titulum & inſignia regis Boſnenſis conceſſu Ludovici ſuſceperat, poſt hujus mortem integrum principatum Chelmenſem cum ora maritima recuperavit; quin etiam ſupremo regum Hungariæ Sigiſmundi & Mariæ imperio depulſo, Dalmatiam fere omnem eiſdem eripuit. Chelmenſem provinciam, quæ cisultraque Naronem longe ac late patebat, fiduciariam dedit Vlatko Hranichio ob rem bene geſtam contra Turcas, qui Boſinam invaſerant: eos ſiquidem anno 1382. duplici prælio fuſos cæſoſque in fugam avertit. Huic in eum principatum ſucceſſit Sandaglus filius, Sandaglo Stephanus filius Ukaſii fratris Sandagli, qui avito gentis Hranichiæ cognomine poſthabito, ex oppido Coſſac, in quo natus eſt, cognomen *Coſaccię* aſſumpſit; & a Friderico III. Imperatore titulum ac dignitatem Ducis obtinuit, cum antea Dynaſtæ Chelmenſes titulo Comitum contenti fuiſſent. *Hertzegus* lingua germanica appellatus eſt, quod idem valet, atque Dux apud Latinos: hinc *Hertzegovinam* dictam ajunt, quæ aliter vocari ſolet *Ducatus S. Sabbæ*, monachi excellentis virtutis & ſanctimoniæ, qui apud eas gentes conditus fuit, & ſumma veneratione colitur. Regio eſt ampliſſima, quæ ab Tilauro amne in ortum late longeque producitur, & cum Chelmenſi principatu diœceſim urbemque Macarenſem complectitur. Porro cum hi Dynaſtæ, ad quos ex donatione Tuartki hæc provincia pervenit, non ritus ſolum, ſed etiam ſchiſma, & errores Græcorum ſequerentur, ſub eorum dominatu Epiſcopis Macarenſibus ſtatio illa neq; fida nec quieta eſſe potuit.

Civitas & diœceſis Macaren. cum tota Hertzegovina ſub dominatu Principum ſchiſmaticorum & hæreticorum.

JOANNES II. EP. MACARENSIS VI.

Joannes II. Ep. Spalati ſedens, eccleſiam ac diœceſim per ſuos Vicarios adminiſtravit.

Æqualis fuit Andreæ Gualdo Archiepiſcopo Spalatenſi, qui illius Eccleſiæ Metropolitanæ regimen anno 1388. ſuſcepit. Andreæ controverſia erat de jure decimarum cum illuſtri matrona vidua Dynaſtæ oppidi Singenſis, quæ anno 1389. per arbitros compoſita fuit. Ad hujuſmodi compoſitionem rite firmandam cum aliis Epiſcopis teſtis adhibitus fuit Joannes Epiſcopus Macarenſis, eamque ſua manu ſubſcripſit. Sfortia Ponzonus Archiepiſcopus Spalatenſis ſuis adverſariis mſſ. intexuit tabulas hujus compoſitionis, quibus nomen *Joannis Ep. Macaren.* adſcriptum eſt. Cum hæretici & ſchiſmatici aditum illi ad ſuam eccleſiam ac diœceſim intercluderent, aut certe ibidem manendi poteſtas ei permiſſa non eſſet; Spalati domicilium habuit, & una cum Benvenuto Epiſcopo Pharienſi ad colligenda, ordinanda, deſcribenda vetera jura & privilegia Eccleſiæ Spalatenſis multam & aſſiduam operam præbuit Gualdo Archiepiſcopo, ut idem Ponzonius ex monumentis illorum temporum teſtatur. Abſens igitur per idoneos ſui muneris vicarios eccleſiam ſuam regebat, ac præſertim miniſterio Patrum ordinis Franciſcani ad populos illos erudiendos, diviniſque myſteriis impertiendos utebatur. Nec vero prætermittebat, ſi qua oblata eſſet occaſio, quin ipſe quoque gregem ſuum interviſeret, eidemque omnia optimi paſtoris officia præſtaret. Poſt Joannem II. usque ad annum quadrageſimum quintum ſæculi proximi, nullum invenio Epiſcopum Eccleſiæ Macarenſi præpoſitum; quam dum hoc interregnum tenuit, vel Dumnenſi Epiſcopo, vel Metropolitæ Spalatenſi commendatam fuiſſe exiſtimo, qui puſillum illum gregem inter ſchiſmaticos & hæreticos doctrinæ & ſacramentorum pabulo per operarios evangelicos alerent, atque ſuſtentarent.

Interregnum Epiſcopale.

FRANCISCUS EP. MACARENSIS VII.

P. Petrus Antonius ex ordine Fratrum Minorum rigidioris obſervantiæ in ſuo Viridario Seraphico ignotam quidem ſibi eſſe ait patriam Franciſci, ſed Franciſcanæ familiæ alumnum fuiſſe affirmet, eumque vocat Epiſcopum *Crenſem*, ſive *Crainenſem*, *Hertzegovinæ in Servia*. Craina regio litoralis, ubi ſita eſt civitas Macarenſis, pars erat Hertzegovinæ, quæ olim ad regnum Serbliæ pertinebat. Per ea tempora principatum in Hetzegovina obtinebat Stephanus Coſaccia, de quo ſupra mentionem fecimus, catholicorum hoſtis acerrimus, cujus regio commune perfugium erat hæreticis atque ſchiſmaticis patrio ſolo expulſis. Exinde Epiſcopi Macarenſes urbe ac ſede epiſcopali amiſſa, quæ Principis heterodoxi imperio ſuberat, & hæreſeon colluvie redundabat, ab regione maritima, cui præſidebant, denominati ſunt Crainenſes, neque ante ſæculum decimum ſeptimum ab urbe totius diœceſeos principe antiquum nomen reſumpſerunt. Auctor Viridarii Seraphici paullo ante laudatus Epiſcopatum Franciſci cum anno 1445. conjunxit.

ANDREAS EP. MACARENSIS VIII.

De quo Michael Cavallerius ex ordine Dominicano Epiſcopus Gravinæ in Apulia perhonorificam mentionem fecit in eo libro Italico, qui inſcribitur *Galleria de' Prelati dell' ordine*. Oriundus erat e Chrobatia; & cum in ſodalitatem S. Dominici nomen dediſſet, in omni doctrinarum genere, & variarum linguarum ſcientia excelluit. Eum Sixtus IV. ad epiſcopalem dignitatem evexit anno 1472. *Crainenſem* Epiſcopum vocant Cavallerius, aliique Scriptores Dominicani. Ob inſignem eruditionem ac rerum gerendarum ſollertiam gratioſus in primis fuit apud Fridericum III. Imperatorem, qui Andream de graviſſimis rebus conſulebat, & legatum ad Sedem Apoſtolicam ſemel atque iterum miſit, ejuſque conſilia plurimi faciebat, & Romanas legationes e re ſua & ſententia geſtas valde probavit. Imperatoris gratia & benevolentia magno illi fuit adjumento ad rem chriſtianam in ſua diœceſi utiliter, ac bene gerendam. Anno 1466. obierat Stephanus Coſaccia dominus Hertzegovinæ ſchiſmatica labe infectus, idemque fautor hæreticorum, cui Fridericus ducis titulum ac dignitatem contulerat. Parenti ſucceſſerant in eum principatum Uladislavus & Vlatkus fratres, apud quos, beneficii atque honoris parenti, ſibique collati memores, plurimum valuit auctoritas & commendatio Friderici, qui eos admonuit, ne quid moleſtiæ Andreæ Epiſcopo exhiberent, neve piis ejuſdem ſtudiis & conatibus obſiſterent.

An-

Andreas igitur Imperatoris patrocinio nixus, & liberam muneris episcopalis obeundi facultatem nactus, iterum ac sæpius diœcesim lustravit, catholicorum fidem confirmavit, morum corruptelas, quæ irrepserant, sustulit, clericalem disciplinam restituit, & filios quam plurimos ecclesiæ peperit, quos vel ab hæresi, vel a schismate revocavit. Nec dubitari potest, quin etiam identidem urbem reviseret, eique partem curæ pastoralis multo maximam impenderet; quamvis in ea stabile ac tutum ab hostibus catholici nominis domicilium habere se posse diffiderit. Annos circiter decem in hosce labores insumpserat, cum ob causas nescio quas apud Sixtum Pontificem suboffendit. At ille bonæ conscientiæ testimonio fretus, & vitæ quietioris studio illectus, maluit ecclesiam illam dimittere, quam illatas criminationes depellere. Itaque permissu Pontificis Episcopatum deposuit, & summa alacritate ac lætitia se ad suum cœnobium, vitæque religiosæ sodales retulit. Nec vero, quoad vixit, umquam destitit Chrobatos populares suos verbis & exemplis ad rectam piamque vivendi rationem hortari, ingenti cum eorum utilitate, & christianæ pietatis incremento. Hæc Cavallerius in libro supra laudato.

Andreas Ep. accusatus apud Pontificem ecclesiam ultro dimisit.

Post discessum Andreæ Bajazethes rex Turcarum duobus fratribus Vladislavo & Vlatko Hertzegovinam fere omnem eripuit anno 1483. præter Crainam, sive oram maritimam, quæ cum urbe Macarensi in fidem ac potestatem Venetorum ultro concessit; sed paucis post annis hæc etiam sub tyrannidem Turcarum cecidit. Tunc Ecclesia Macarensis conjuncta fuit cum Dumnensi, & unus atque idem utrique Episcopus præpositus est: quam conjunctionem declarant monumenta illorum temporum, in quibus *locus, seu domus S. Mariæ sotto Zaustrog dicitur esse in partibus Chulmiæ sive Chelmi, Dumnensis, & Crainensis diœcesis*, quod videlicet una esset diœcesis ex duabus conflata, & uni eidemque Episcopo subesset.

Post captam a Turcis Hertzegovinam Ecclesia Macarensis cum Dumnensi conjuncta est.

VITUS EP. MACARENSIS IX.

De quo in Episcopis Dumnensibus; utrique enim ecclesiæ præfuit, ut docent acta quædam judicialia Spalatensia an. 1495. confecta, in quibus appellatur *Vitus de Ruschis Dei & apostolicæ Sedis gratia Episcopus Dumnensis, ac totius terræ Cumnensis*, idest Chulmensis: siquidem Craina, & diœcesis Crainensis intra fines Chulmiæ continebatur. Chulmia enim latissime patebat cis ultraque Naronem, æque propemodum, atque Hertzegovina, sive principatus S. Sabbæ; ac propterea in tabulis supra laudatis, *Dumnensis*, & *Crainensis* diœcesis constituta esse dicitur *in partibus Chulmiæ*, quæ regio utramque diœcesim complectebatur. Chulmia, quam Porphyrogenitus *Zachlumiam*, alii Chulmiam vocant, una erat e quatuor partibus, in quas idem Porphyrogenitus Serbliam Dalmaticam divisit. Hæc ultra Naronem sita erat; & cum initio exiguis terminis circumscripta esset, eam Dynastæ Serbliani, qui Comites Chelmi, sive Chelmenses dicebantur, longe lateque amplificaverant, ditionis suæ finibus usque ad Tilurum sive Cetinam fluvium propagatis. Quare apud Joannem Lucium synonyma sunt *Chulmia, Hertzegovina, Ducatus S. Sabbæ*, & eamdem singulis notionem subjecit, videlicet amplissimam illam regionem, quæ inter montes & mare ab Tiluro amne ultra Naronem producta, latissime explicatur. *Tuartkus*, inquit cap. 3. lib. v. de Regno, *titulis Rasciæ & Bosnæ maritimam addidit, in qua comprehendebatur quod olim Chulmiæ nomine possederat, & nunc Hertzegovina a Germanico vocabulo, quod Ducatum significat, & latine Ducatus S. Sabbæ dicitur*. Petro Vitus idcirco maluit appellari totius terræ *Chulmensis*, quam *Crainensis* Episcopus, quia non solum Crainensem, sed etiam Narentanam ultra Naronem diœcesim obtinebat; cujus administratio plerumque committi solebat Episcopo Stagnensi, vel Tribunensi. Cum Vitus Spalati domicilium sibi statuisset, in eaque urbe Bartholomæi Averoldi Archiepiscopi absentis locum teneret, & Vicarii generalis munere fungeretur; triplicis tamen diœcesis sibi creditæ commodis utilitatique prospicere, & quam gentibus illis debebat, curam pastoralem impendere non omisit; quin etiam interdum populos illos intervisere, sua præsentia solari, divinis mysteriis impertire, suisque præceptis ac monitis ad omne christiani officii munus instruere solebat. Nec solum suos Vicarios generales, qui suas partes agerent, ecclesiis illis præfecerat, sed etiam Patribus Franciscanis christianam illarum gentium institutionem, rerumque sacrarum procurationem impense commendaverat.

Vitus de Ruschis Ep. idem Dumnensis, & Cumnensis, sive Culmensis.

Vic. generalis Averoldi Archiep. Spalaten.

Dum Vitus Macarensi ecclesiæ præsidebat, de cœnobio Crainensi S. Mariæ, cui de *Zaustrog* cognomen erat, Patribus Minoribus S. Francisci controversia fuit cum Patribus Eremitanis S. Augustini. Hi siquidem abhinc duobus sæculis in Dalmatiam ad vineam dominicam excolendam cum venissent, multa jam obtinebant domicilia, ex quibus constabat provincia Augustiniana Dalmatica & Chrobatiensis, nimirum Spalatense, Phariense, Narentanum, Macarense S. Crucis, itemque illud S. Mariæ de *Zaustrog*, quod situm erat in diœcesi Macarensi non longe ab ora maritima. Cum autem ob metum Turcarum, qui Hertzegovinam antiquis dominis eripuerant, hunc locum deseruissent; in ejus possessionem, veluti caducam & vacuam successerunt Patres Franciscani, qui sub imperio Venetorum, in quorum potestatem, ut diximus, civitas Macarensis cum regione illa litorali transierat, placidam quietamque vitam degebant. Antiquæ stationis recuperendæ cupidi Patres Augustiniani litem Franciscanis intulerunt. Res diu multumque in foro judiciali coram judicibus tum ordinariis, tum extraordinariis a Romano Pontifice delegatis agitata fuit, neque ullus hujus controversiæ exitus reperiri potuit. Tandem anno 1498. inter utrosque ita convenit, ut rursus ad Sedem Apostolicam confugerent, ab eaque duos in eam rem arbitros postularent, videlicet Hectorem Cingolensem Vicarium generalem Archiepiscopi Jadertini, & F. Matthæum, hominem doctum in primis & gravem ex ordine Prædicatorum, qui causam illam rite cognoscerent, ac pro sua sapientia & æquitate sententiam ferrent. Extant litteræ supplices ad Alexandrum VI. quæ sunt hujusmodi.

Patres Augustiniani cœnobium S. Mariæ de Zaustrog ab se relictum repetunt a Franciscanis.

Utrique duos arbitros postulant ab Alexandro VI.

Beatissime Pater, inter devotos oratores vestros, Fratres Minores ordinis S. Francisci de observantia nuncupatos, & Fratres ordinis Heremitarum S. Augustini, aliquandiu fuerunt lites & controversiæ coram diversis judicibus, etiam commissariis apostolicis de & supra quodam loco, seu

seu domo S. Mariæ sotto Zaustrog de Craina in partibus terræ Culmæ Dumnensis & Craineusis diœcesis ; quem locum utraque partium dictarum ad earum Religionem spectare, & pertinere asserebat . Et demum pro pace & pro quiete partium cogitaverunt expedire , quod dicta causa simpliciter & de plano sine strepitu & figura judicii, sola facti veritate inspecta , & etiam extrajudicialiter per aliquas personas neutri parti suspectas decidatur , & quod decisioni hujusmodi per utramque partium acquiesci debeat . Igitur supplicatur S. V. pro parte utriusque partis , quatenus loci hujusmodi situationem & qualitatem , & quarumcumque litium merita, & statuta, & illa , quæ quomodolibet hic exprimi debuissent pro sufficienter expressis habentes , litesque prædictas ad effectum præsentium omnimodo extinguentes, aliquibus probis viris, & si placet Dominis Hectori Cingulensi Archiepiscopi Jadertini Vicario , & F. Matthæo Nisetich ord. Prædicatorum, per utramque partem unanimiter & concorditer electis, committere , & mandare dignemini ; ut ipsi duo summarie , & prout præfertur, causam hujusmodi audiant; & si ipsi essent discordes inter se, unum tertium eligant, & hic tertius vel per se solum , vel cum eo ex ipsis , cum quo fuit in concordia , causam hujusmodi terminent, ac decidant &c.

Annuit Pontifex postulatis utriusque partis , & duobus illis arbitris, quos expetierant, causæ illius cognitionem per litteras pontificias delegavit ; quas quidem litteras ad eos Jaderam attulit sub initium anni 1499. P. Dominicus ex ordine Augustiniano, qui in actis hujus controversiæ nominatur *Vicarius provincialis monachorum S. Nicolai & Georgii in insula Pharensi, & S. Petri in Craina de Machere, & S. Mariæ in Craina sotto Zaustrogh in Dalmatia, & terra Cumia ;* in aliis vero tabulis *Provincialis Vicarius ordinis Eremitarum S. Augustini in Croatia , & Dalmatia .* Hæc ex libris tabularii archiepiscopalis Jadertini . Sed antequam judices delegati causam illam cognoscerent, Bajazethes rex Turcarum litem diremit , qui cum bellum Venetis intulisset sæculo decimo sexto ineunte, omnem illam oram maritimam , Almissam usque, cum urbe Macarensi, eisdem eripuit. Itaque Patres Augustiniani non solum destiterunt a cœnobio Zaustrogensi repetendo , sed ipsum illud , quod in civitate obtinebant ; monasterium S. Petri reliquerunt. At Patres Franciscani stationem antea occupatam retinuerunt , ut gentium illarum saluti consulerent ; ne Christianis doctoribus & sacrorum administris destitutæ , sub Turcica servitute , in servitutem longe deteriorem laberentur , atque ad interitum ruerent sempiternum . Turcæ magna ex parte Macarim urbem, quam primum his temporibus Macarscam in codicibus mss. appellatam invenio , igni ac ferro diruerunt , vix ut oppiduli nomen pro dignitate sustinere posset ; quin immo in actis publicis illorum temporum Villa nominari solet . Post inducias cum rege Turcarum anno 1503. redintegratas , ejusdem permissu , oppidani Macarenses e Bosina aliquot Patres Franciscanos evocarunt , ut quandoquidem Presbyteros & clericos metus & fuga alios alio dispulerat , ipsi rei christianæ procurationem susciperent, & parochorum munere fungerentur. Quamvis autem facultatibus exhausti essent , hospitium tamen illis satis commodum pararunt , iisdemque omnia , quæ ad victum quotidianum necessaria erant , large benigneque suppeditabant.

Franciscani stationem Zaustrogensem retinent.

Inter hæc cum Vitus de Ruschis diem suum obiisset , Macarenses & Dumnenses exinde proprio Episcopo per aliquot annos caruerunt . Utriusque ecclesiæ administratio demandata fuit Bernardo Zannio Metropolitæ Spalatensi, quam simul cum archiepiscopali dignitate ac officio suscepit anno 1503. Interea Patres illi Bosnenses in christianam Macarensium institutionem & culturam omni assiduitate ac diligentia incumbebant; & concionibus habendis, sacramentisque administrandis nulla re deerant sanis & ægrotis , quæ ad æternam animarum salutem pertineret. Sed cum quædam etiam , quæ propria sunt Episcoporum , munera usurparent , veluti calices consecrandi, & Confirmationis sacramentum conferendi ; id ferendum non esse censuit Archiepiscopus. Itaque Patres utriusque cœnobii Macarensis & Zaustrogensis admonuit, ut ab hujusmodi episcopalibus muneribus abstinerent, vel proferrent atque ostenderent, si quod privilegii ab Sede Apostolica habuissent, quo facultas illis data esset ad hujusmodi functiones episcopales obeundas; id quod sibi ajebat incredibile videri. Denunciationis , ac præcepti archiepiscopalis exemplum quamvis mutilum hic subjiciendum censeo.

Post obitum Viti utraque Ecclesia Dumnen. & Macaren. commendata est Bernardo Archiep. Spalaten.

Qui vetuit PP. Franciscanis munera quædá episcopalia usurpare.

Bernardus Zane Artium Doctor, & Sacræ Theologiæ magister , misericordia divina Archiepiscopus Spalatensis, vobis omnibus & singulis Fratribus in Macarsca , & Zostrogh curam animarum habentibus.

Intelleximus vos curam animarum in istis partibus exercere , & quod magis est , in multis pontificalibus vos . . . prout sunt calicis consecratio , sacrorum indumentorum benedictio , in fronte confirmatio ; quæ omnia ad solos Pontifices, & pontificali dignitate insignitos pertinent ; intelleximusque vos omnia ista perpetrare sub apostolicæ dispensationis nomine, & protectione. Quæ quidem dispensatio nobis difficilis videtur ; quia SS. D. N. & sacrosancta Apostolica Sedes hujusmodi pontificalia aliis non Pontificibus nunquam committere solet. Et quia nobis utpote Metropolitano & Ordinario totius provinciæ interest onus animarum, & Ecclesiæ Dei; ideo ut omnia rite, & recte cedant, vobis omnibus, & singulis supradictis FF. committimus , & mandamus &c. Mandabat scilicet, ut sibi exhiberent apostolica privilegia , quibus potestas illis fieret sacrosancta illa munia peragendi, quæ jure ordinario ad solos Episcopos pertinent. Ne quam archiepiscopali mandato exsequendo moram interponerent , duo Patres e provincia Bosnensi statim adfuerunt, F. Stephanus procurator ejusdem provinciæ , & F. Lucas Lupificius custos cœnobii Plumbensis; qui omni asseveratione confirmarunt in sacris illis ministeriis obeundis nihil sibi Patres Bosnenses arbitrario ac temere arrogasse ; sed usos fuisse potestate sibi a Sede Apostolica antiquitus tradita , & litteris consignata. Verum diplomata concessionis pontificiæ, quæ ostenderent , non esse in promptu , quod extarent apud præsidem totius provinciæ , qui tum longe aberat; simul atque rediisset, ea inspiciundi atque examinandi copiam Archiepiscopo haud libentius, quam promptius se facturos . Habebant sane Patres illi & plurima & ampliſſima privilegia sibi ab Eugenio IV. concessa , ut dictum est in historia Ecclesiæ Bosnensis , quorum auctoritate subnixi non solum

illa,

illa, de quibus arguebantur, ministeria exercere, sed etiam Ordines minores conferre poterant. De his certior factus cum esset Archiepiscopus, non dubito, quin suis illos privilegiis uti permiserit. Quin illud quoque per id temporis Patribus Franciscanis indultum fuisse ajunt propter singularia ipsorum in rem christianam merita, ut penes Præsidem totius provinciæ, ejusque consiliarios facultas esset ex ordine suo nominandi quos maxime idoneos esse existimarent ad regendas ecclesias Bosnensem, Dumnensem, Macarensem, aliasque finitimas Turcarum imperio subjectas. Cum assiduæ diligentisque operæ a Patribus Bosnensibus in salutem incolarum impensæ fructus egregius uberiorque in dies constaret, de illorum numero augendo Macarenses cogitare cœperunt. Itaque permissu regis Turcarum, & ære sumptuque civium opulentiorum, ac præsertim familiæ Cavichiæ, quæ generis nobilitate ac divitiis præpollebat, cœnobium illis satis amplum ac templum prope urbem exstructum est, sub titulo & auspiciis Deiparæ Virginis in cœlum assumptæ consecratum. Illuc Patres migrarunt e veteri hospitio, in quod primum recepti fuerant, anno 1518. ut docet Gonzaga in historia seraphica; & alios præterea tum e Bosina, tum e Dalmatia evangelicos operarios evocarunt, qui sibi auxilio essent ad vineam dominicam excolendam. Idem cœnobium, ut domicilium esset Episcopi Macarensis, ac templum loco ædis cathedralis ad pontificales functiones obeundas, decretum est. Hic sedem suam primus constituit

Cœnobium ac templum Franciscanum apud Macarscam conditum, quod idem domicilium esset Episcopi, & ædes cathedralis.

FRANCISCUS II. EP. MACARENSIS X.

Ex ordine Patrum Minorum, quos Conventuales vocant, assumptum esse anno 1520. eique duplicis Ecclesiæ Macarensis ac Tribunensis regimen traditum fuisse affirmat auctor Viridarii Seraphici. *Anno 1520. F. Franciscus Orellus Conventualis Episcopus Macarschæ, & Tribuniæ.* Scio equidem plerumque in tabulis consistorialibus non Macarensem Ecclesiam, sed Mercanensem cum Tribunensi conjunctam, & uni Episcopo utramque demandatam inveniri; ac sæpe deinde falli hunc auctorem, qui pro Mercana Macarscham intrusit, eosdemque & Tribuniæ & Macarschæ Episcopos nominavit. Sed minime erraſſe, cum Franciscum Tribuniæ & Macarschæ Episcopum fuisse scripsit, illud argumento est, quod tunc Ecclesiæ Mercanensi præerat Augustinus Nale, qui ab anno 1513. usque ad 1527. hanc sedem tenuit. Ceterum in tabulis actorum consistorialium solum Ecclesia Tribunensis, cui Franciscus præpositus fuit, nominatur sub eodem anno 1520. *Providit Ecclesiæ Tribunensi, quæ licet in partibus infidelium existat, quam multos clericos & laicos Christianos habet, de persona F. Francisci de Orello ordin. Min. Convent.* Utramque Ecclesiam conjunctim Francisco traditam fuisse arbitror, vel certe eum nominatum fuisse Episcopum Tribunensem, ac deinde eidem imperatum, ut administrationem quoque Macarensis Ecclesiæ susciperet; quamvis id tacitum ac prætermissum sit in tabulis modo laudatis. Hæ duæ diœceses erant inter se propemodum contiguæ, altera citra, altera ultra Naronem, quo intermedio disjungebantur, ut satis commode ab uno Episcopo utraque regi posset. Certe Macarensis Ecclesia aliquem per hæc tempora Episcopum habuerit necesse est, de cujus consensu pontificalibus muneribus in eadem fungendi potestas datur Episcopo cuidam *Crainensi*; neque alium invenio, qui tunc huic ecclesiæ præfuerit, nisi quem mihi exhibuit auctor supra laudatus e suo Viridario Seraphico. Hoc notatum invenio in actis consistorialibus: *Anno 1521. 15. Novembris providit Ecclesiæ Crainen. in partibus infidelium de persona Joannis Baptistæ Catelli, concessitque pontificalia in civitate & diœcesi Macarensi tantum de consensu Episcopi, & quod non teneatur &c.* Hinc intelligi potest vocabulum *Crainensis* Macarensi Ecclesiæ commune fuisse cum aliis ecclesiis, quarum ecclesiæ in ora litorali essent constitutæ, veluti cum Antibarensi, a qua, ut mihi videtur, in tabulis eorumdem actorum consistorialium translatus esse dicitur *anno 1499. R. P. D. Franciscus Archiepiscopus Crainensis ad Archiepiscopatum Dyrrachiensem*. Michael Cavallerius ex ordine PP. Prædicatorum Episcopus Gravinæ, in catalogo Præsulum, qui e familia ac disciplina Dominicana prodierunt, cum sibi ignotus esset Episcopatus *Crainensis*, omnem diligentiam se ait adhibuisse, ut illum perquireret in tabulis ecclesiasticis; neque aliud reperisse, nisi eum fuisse *in partibus infidelium*, quem anno 1525. collatum esse affirmat Jacobo Germano Cantelio Canonico regulari S. Augustini: ex quo intelligi potest non solum Macarensi, sed etiam aliis ecclesiis vocabulum *Crainensis* attributum esse, quæ prope abessent a mari, & Turcica servitute premerentur.

Franciscus Orellus Ep. Macarschæ ac Tribuniæ.

Franciscus ergo Macarensem cum Tribunensi Episcopatum adeptus Macarschæ in cœnobio nuper exædificato apud Patres Franciscanos severioris disciplinæ, uti decretum fuerat, sedem suam constituit; iisdemque Patribus adjutoribus ad rem christianam bene gerendam usus, hanc ecclesiam simul cum Tribunensi per aliquot annos, quamdiu pax tenuit inter Turcas Venetosque, tranquille utiliterque gubernavit. Utrum etiam Dumnensis Ecclesiæ procurationem susceperit, mihi non liquet; sed vero propius est illius curam relictam fuisse Archiepiscopo Spalatensi. Verum anno 1537. cum Solimanus bellum Venetis intulisset, sedem ac domicilium amisit. Veneti siquidem post Macarscam, oramque illam maritimam Turcis ademptam, Franciscanum cœnobium diruendum esse censuerunt, ne Turcæ locum illum reciperent, bellicis operibus, armis, ac præsidiis munirent, eoque ad urbem oppugnandam uterentur. Urbem Turcæ recuperarunt, & quod reliquum erat diruti cœnobii, igne subjecto combusserunt. Pace cum Turcis composita anno 1540. Macarensibus ob inopiam, quam belli calamitas attulerat, facultas defuit cœnobii restituendi. Illud reædificavit Martinus Glubicichius genere Bosnensis, patria Plumbensis, homo æque copiosus ac pius, atque in ampliorem formam redegit, sic prorsus ut ad Fratres amplius triginta recipiendos idoneum esset, ut docet Petrus Rodulphius lib. 3. Hist. Seraphicæ Religionis: *Conventus XI. S. Mariæ Macarscbæ exstructus a Fratribus anno 1518. Destructum a Venetis, & incensum a Turcis, facta pace, reædificavit Martinus Glubicich*. Ita & Patres Franciscani suum cœnobium, & Franciscus Episcopus suum domicilium recuperavit. Post hujus obitum, Ecclesia Macarensis commendata fuit F. Danieli Vocatio Episcopo Dumnensi anno 1551. eoque post annos fere triginta

Cœnobium Franciscanum a Venetis dirutum, a Turcis incensum, aliquot post annos reædificatum.

Eccleſia Macarenſis Danielli Vocatio Dumnen. deindeNicolao Ugrinovichio Samandrien. Epiſc. commendata.

ta utriuſque eccleſiæ præfectura abeunte, F. Nicolao Ugrinovichio Epiſcopo Samandrienſi; qui ex mandato Sedis Apoſtolicæ trium præterea eccleſiarum adminiſtrationem ſuſcepit, Macarenſis videlicet, Boſnenſis, & Dumnenſis; ſed Boſnenſem uno alterove poſt anno dimiſit. Huc revocanda ſunt, quæ de utroque adminiſtratore Macarenſis Eccleſiæ diximus in Epiſcopis Dumnenſibus. Poſt interitum Nicolai Ugrinovichii a Turcis interfecti anno 1606. res chriſtiana eccleſiaſtica Macarenſis ac Dumnenſis ad interregnum rediit, & dum utrique ſuus præficeretur Epiſcopus, cura animarum commendata eſt Patribus Franciſcanis.

BARTHOLOMÆUS EP. MACAREN. XI.

Poſt annos fere novem interregni pontificalis ſuus Macarenſibus reſtitutus eſt Epiſcopus, iſque fuit Bartholomæus e gente Cacichia, quæ olim & nobilitate, & potentia, & divitiarum copia in primis inter Chrobatorum familias floruit; ac multas arces terraſque obtinebat, in quibus late dominabatur. Quamvis autem ob rerum publicarum converſionem, & inclinationem communium temporum, a priſtina illa ampliſſimaque fortuna deſciverit, adhuc tamen, ſi non veterem opulentiam, certe generis ſplendorem incorruptum retinet, habetque domicilium illuſtre ac nobile tum Macarſchæ, tum in Pharia inſula, & multas utrobique poſſeſſiones, unde reditus ſane copioſi ad lautum victum cultumque ſuppeditant. Bartholomæus Georgio patre clariſſimo natus, ſex habuit fratres, quorum plerique ſtudio gloriæ bellicæ incenſi, cum apud Venetos rei militaris tirocinia poſuiſſent, ordines duxerunt; & poſtea in bello Cretico contra Turcas egregiam operam navarunt. At ille contemptis militaribus fratrum vocibus & exemplis ad domeſticum armorum decus revocantium, Deo militare decrevit; & cum Luca fratre aggregari voluit ad ſodalitatem & provinciam Boſnenſem ordinis Franciſcani; in qua cum eximiæ doctrinæ, prudentiæ, religionis, omniumque virtutum documenta dediſſet, dignus habitus fuit, qui patriæ ſuæ Epiſcopus præficeretur. Et jure quidem ac merito Epiſcopatus Macarenſis Bartholomæo debebatur, qui ne aboleretur, M. Antonii de Dominis Archiepiſcopi Spalatenſis conatibus obſtiterat. Is quippe omnem operam adhibuit, ut parochias Eccleſiæ Dumnenſis & Macarenſis, titulo epiſcopali utrinque ſublato, ad ſuam diœceſim adjungeret. Bartholomæus tum Viennæ apud Matthiam Imperatorem, tum Romæ apud Sacram Congregationem, patrocinium ſuæ patriæ eccleſiæque ſuſcepit; atque ita & voce & ſcriptis defendit, ut plane utrobique cauſſam obtinuerit. Præclarum illi teſtimonium tribuit tum Joannes Tomcus Marnavitius Canonicus Sibenicenſis, tum etiam alii a Sacra Congregatione per litteras rogati, ut de vita & moribus Bartholomæi quid ſcirent ipſi, aut aliunde cognoverint, reſcriberent: 1615. 22. *Aprilis. Petitur informatio a Joanne Tomco Boſnenſi, Canonico Sibenicenſi, aliiſque ſuper vita & moribus F. Bartholomæi Cacich, de oppido Zauſtrog, Macarenſis diœceſis, ord. Min. S. Franciſci de obſer. promovendi ad titulum cathedralis Eccleſiæ Macarien.* Summa reſponſionis hæc eſt ex libris conſiſtorialibus: F. Bartholomæus natus eſt in oppido, cui nomen Zauſtrog. Parentes habuit Comitem Nicolaum Cacichium, & Luciam, utrumque pari nobilitate, ſed virtute, quam genere clariorem. Septimum annum habet & triceſimum. Sacerdos eſt eximiæ pietatis, & ſingularis exempli, prudens, doctus, expertus, idoneus ad regimen eccleſiaſticum. Profeſſor eſt ſacræ Theologiæ, quam ſumma cum laude & auditorum utilitate plures annos Neapoli tradidit, nunc Zagrabiæ docet; popularium ſuorum indolem & mores optime novit, qui cum annis fere centum, ut fama eſt, proprio Epiſcopo careant, eum ſummopere expetunt, & neminem, quam Bartholomæum vehementius exoptant. Civitas Macaris imperio Turcico ſubeſt, olim ad regnum Hungariæ pertinebat; magna ex parte everſa eſt, nec pluribus, quam quinquaginta, vel quadraginta familiis habitatur. Ædes cathedralis ſemiruta S. Petri Principis Apoſtolorum titulo & veneratione conſecrata eſt. In tota diœceſi ad quadraginta millia hominum numerantur; horum plerique catholicam religionem colunt. Quatuor ſunt cœnobia Fratrum Minorum S. Franciſci, qui variis in locis parochorum officio funguntur. Hactenus ex actis conſiſtorialibus. His litteris acceptis Paullus V. Bartholomæo Eccleſiam Macarenſem decrevit. Romæ conſecrationem epiſcopalem ſuſcepit anno 1615. huic enim anno initia ejus pontificatus Auctor Viridarii Seraphici adſcripſit. Macarſcam cum veniſſet, ingenti omnium gratulatione ac lætitia exceptus, apud Patres Franciſcanos cœnobii ſuburbani S. Mariæ ſedem ſuam conſtituit. Incredibile dictu eſt, quantos labores optimus Præſul pro ſui gregis utilitate ac ſalute ſuſceperit. Loca illa aſpera & montana iterum ac ſæpius, & fere ſemper pedibus luſtravit; templa vel a Turcis everſa, vel vetuſtate collapſa de ſuo refecit; populis illis rudibus & agreſtibus erudiendis dies noctesque inſumebat, eoſque non divinis ſolum ad conſequendam æternam, ſed humanis etiam ſubſidiis ad vitam temporalem ſuſtentandam juvabat. Nec vero ſollicitudinem curamque apoſtolicam intra fines ſuæ diœceſis continuit; ſed ex mandato Pontificis ad illas etiam parœcias inviſendas excolendaſque ſe contulit, quæ ſuberant imperio Turcarum, & proprio Epiſcopo carebant. In litteris de ſtatu rei chriſtianæ in illis partibus anno 1622. ſcriptis ad Sacram Congregationem de propaganda fide, hoc elogium Bartholomæo, itemque Antonio Epiſcopo Scardonenſi & adminiſtratori Boſnenſis Eccleſiæ tributum invenio: *Provincia Franciſcana Boſnæ Argentinæ conſtat e ſeptem cœnobiis; horum curæ commiſſa ſunt tercenta millia Chriſtianorum, quibus duo ſoli Epiſcopi præſunt, F. Antonius de Poſega ordinatus Epiſcopus Scardonenſis, & adminiſtrator totius regni Boſnæ, nec non aliorum plurium locorum, quæ continentur in dominio Turcarum; & F. Bartholomæus Cacich Epiſcopus Macaren. & adminiſtrator omnium partium contentarum ſub dominio Turcarum, ubi abeſt præſentia proprii Epiſcopi, ut patet in bulla ipſorum; & iſti ambo non ceſſant laborare die noctuque pervigilantes ſuper greges ſibi commiſſos, ſicuti veri paſtores perambulantes, & fere pedibus, loca, capellas, atque parochias &c.*

Deſcriptio urbis ac diœceſis Macarenſis.

Bartholomæi labores apoſtolici.

Controverſia ſane gravis Bartholomæo, itemque Epiſcopo Tribunienſi fuit cum Benedicto Urſino Alexienſi, & Dominico Andreaſſio Scodrenſi Epiſcopis. Hi anno 1623. datis ad Sacram Congregationem litteris contendebant re-

Controverſia de Stephanenſi Eccleſia.

ſtitui oportere Epiſcopatum Stephanenſem, adimique Macarenſi & Tribunienſi Epiſcopis partem illam maximam diœceſis Stephanenſis, jamdudum proprio Epiſcopo deſtitutæ, quam ipſi vel ſuo arbitratu, vel juſſu Sacræ Congregationis gubernabant. Quem Stephanenſem Epiſcopatum vocant, idem eſt ac Naronianus, cujus ſedes pontificalis erat Naronæ, in urbe olim ampliſſima & frequentiſſima, quæ flumini cognomini aſſidens millia paſſuum fere viginti diſtabat a mari, eratque colonia civium Romanorum, eademque caput gentis, & ſedes primaria tertii Conventus Illyrici; ad quam Varro civitates undenonaginta juris petundi cauſſa ventitaſſe ſcripſit. Sæculo ſexto *Marcellus Epiſcopus Eccleſiæ Naronitanæ* interfuit & ſubſcripſit utrique Concilio provinciali Salonitano, quod Honorius III. Archiepiſcopus anno 30. & 32. ejuſdem ſæculi convocavit. Sequenti ſæculo urbs hæc celeberrima ab Avaribus direpta, magnaque ex parte diruta, in oppidum exiguum redacta eſt. Titulum tamen epiſcopalem, licet vacuum, ſemper aut plerumque retinuit, quem ſæculo duodecimo adhuc retinebat; quippe Clemens III. in ſuis ad Petrum VIII. Archiepiſcopum Spalatenſem litteris, inter eccleſias eidem ſubjectas *Naronienſem* annumeravit. Eadem poſterioribus ætatibus nominata eſſe dicitur *Stephanenſis* ab æde cathedrali, quæ S. Stephani titulo & patrocinio ſuberat. In tabulis actorum conſiſtorialium tres omnino Epiſcopos Stephanenſes invenio, *Georgium Sgutum* an. 1549. *F. Silveſtrum de Albania* anno 1582. *Nicolaum Necanſium* anno 1592.

Epiſcopi Stephanenſes quinque.

An. 1549. *Providit Eccleſiæ Stephanenſi in partibus infidelium conſiſtenti, cujus civitas jamdudum per ipſos infideles diruta, & pene ſolo æquata eſt, eccleſia ipſa dumtaxat, quæ diœceſim, in qua plures Chriſti fideles reſident, habet, cujuſque Epiſcopus pro tempore exiſtens ex reditibus ipſius eccleſiæ & ſolitis eorumdem Chriſti fidelium ſuffragiis commode ſuſtentari poteſt, divino, ut pie creditur, auxilio ſervata, tunc certo modo vacanti, de perſona Domini Georgii Sguti rectoris parochialis eccleſiæ S. Nicolai Dyrrhachien. diœceſis, in presbyteratus ordine conſtituti, ipſum illi &c. cum retentione dictæ parochialis eccleſiæ.*

An. 1582. 8. *Januarii providit Eccleſiæ Stephanenſi & Benden. ſimul unitis in provincia Albaniæ ſub Turcarum tyrannide exiſtentibus per obitum Georgii ultimi Epiſcopi jam pridem vacanti, de perſona religioſi viri Fr. Silveſtri de Albania ord. FF. Min. de obſer.*

Anno 1592. 9. *Junii providit Eccleſiæ Stephanen. vacanti per obitum Silveſtri de perſona Fr. Nicolai Necanſii ord. Min. de obſervantia.*

His adjungi poſſunt ex Viridario Seraphico *F. Joannes Caſella Epiſcopus Stephanenſis in Albania an.* 1517. *atque adjutor Epiſcopi Abulenſis; & F. Joannes Coleſius Epiſcopus in Albania, adjutor & ſucceſſor futurus Epiſcopi Stephanenſis.*

Ut ingenue fatear quod ſentio, vereor ſane, ut Epiſcopi Stephanenſes, quos modo nominavi, referri poſſint ad Eccleſiam illam Stephanenſem, ſive Naronianam, de qua nunc agimus. Illorum quippe ſedes & eccleſiæ epiſcopales in Albania conſtitutæ eſſe dicuntur; quæ regio hinc longe abeſt ultra Drilonem, Epirus nova olim dicta, ſubeſtque Archiepiſcopo Dyrrhachienſi. Scio equidem Dalmatiæ partem extremam ad ortum & meridiem vulgo nunc appellari Albaniam; ſed hoc nomen e proxima provincia mutuatum ultra Catharum vix progreditur; certe ex communi loquendi conſuetudine multo brevioribus terminis definitur, quam ut ad flumen Naronem perveniat. Præterea in iiſdem tabulis conſiſtorialibus Stephanenſis & Bendenſis Eccleſiæ *unitæ* dicuntur; Bendenſis autem eſt in Epiro nova, ſive Albania propria, ſubjecta Archiepiſcopo Dyrrhachienſi; non eſt autem veriſimile unum eumdemque Epiſcopum præpoſitum fuiſſe duabus eccleſiis disjunctiſſimis, inter quas duæ ipſæ provinciæ eccleſiaſticæ interjacent, Raguſina & Antibarenſis. Adde quod Georgio Sguto Epiſcopo Stephanenſi relicta eſt procuratio *Parochialis S. Nicolai, Dyrrhachien. diœceſis*, quæ ab Narona longiſſime abeſt. Itaque Stephanenſem Eccleſiam, de qua in tabulis ſupra laudatis, maxime diverſam fuiſſe arbitror ab ea, cujus ſedes ac civitas epiſcopalis Naroni fluvio adjacet; eamque Dyrrhachienſi metropoli ac provinciæ attribuendam eſſe. Adde quod Vadingus Eccleſiam Stephanenſem conſtituit in Macedonia; ad quam, inquit, *an.* 1499. *promotus fuit F. Joannes Almodonaris &c. Sub Archiep. Dyrrhachien.*

Diœceſis Stephanenſis ſive Naronæ deſcriptio.

De Stephanenſi, ſive Naroniana Eccleſia hæc ſcripta invenio ad Sacram Congregationem ab illis duobus Epiſcopis ſupra nominatis, qui ejus cauſſam agebant: *Diœceſim ampliſſimam eſſe, oppida potiora Monſtar, Papuam, Zarubiam, ſive Gradaz, cum ſuburbanis Naronæ, quæ etſi everſa a barbaris fuerit, extare tamen adhuc arcem, & hac tempeſtate a Turcis & Chriſtianis vocari Narentam & Gabellam; & cum his urbibus, ſive oppidis, pagos* 130. *complecti, in quibus catholici fere quindecim mille habitant inter Turcas & ſchiſmaticos in numero magno. Eccleſiam cathedralem eſſe in urbe Monſtar, illuc Narona translatam, ſub invocatione S. Stephani Protomartyris, a quo eccleſia, quæ Monſtarenſis potius dicenda eſſet, paſſim & frequentius Eccleſia Stephanenſis nuncupatur. Vacare jam plures annos, occiſo ejus Epiſcopo F. Nicolao Ugrinovich ord. Min. de obſervantia &c.* Sed falſo ajunt hunc fuiſſe proprium & ſingularem Epiſcopum Eccleſiæ Stephanenſis. Nicolaus Ugrinovichius fuit Epiſcopus Samandrienſis, & plures ſibi commendatas habuit ad tempus Eccleſias, Dumnenſem, Macarenſem, & Bolnenſem, quæ proprio carebant Epiſcopo; facile tamen conceſſerim ejuſdem curæ commiſſam fuiſſe partem aliquam diœceſis Naronianæ; ſiquidem ex quo Epiſcopus hujus eccleſiæ creari deſierat, Epiſcopi finitimi partiri ſolebant inter ſe, qui citra, qui ultra Naronem parœcias illius adminiſtrarent. Ac tum quidem pars citerior Bartholomæo Macarenſi, ulterior Chryſogono Tribunienſi & Mercanenſi Epiſcopis obtigerant; hi autem ægre ferebant juriſdictionem epiſcopalem ſibi diminui, plurimis locis detractis, quibus cederent oportebat, ſiquidem reſtituendus eſſet Epiſcopatus Stephanenſis ſeu Naronianus. Pro hujus autem reſtitutione inſtabant, urgebantque duo illi, quos dixi, Epiſcopi, ac præſertim Scodrenſis; hic ſiquidem cum a Turcis e ſua eccleſia pulſus eſſet, precibus Narentanorum interpoſitis, Epiſcopum, quo jamdiu carebant, poſtulantium, a Sacra Congregatione impetraverat, ut ſibi Scodrenſis cum Epiſcopatu Stephanenſi commutaretur; jamque hujus titulum gerebat. Obſtabant Macarenſis & Tribunienſis Epiſcopi.

Reſtitutioni Epiſcopatus Stephanenſis intercedunt Macarenſis & Tribunienſis Epiſcopi.

Ha-

Harum litteræ & querimoniæ ſane graves de Dominico Andreaſſio, qui ſe dici volebat Epiſcopum Stephanenſem, & rerum novandarum ſtudio multa turbabat, ad Sacram Congregationem delatæ cum eſſent; negotium datum eſt Abbati Faſaneo Archidiacono Eccleſiæ Pharienſis, ut de controverſia illa rite accurateque cognoſceret, & quid ſuæ ſententiæ eſſet perſcriberet. Hic igitur *ex viſione plantæ, ſeu chorographiæ locorum, relatione perſonarum prædictorum locorum cognitionem habentium, & ex propria ſua notitia, ſcripturis coram exhibitis*, cenſuit Macarenſem & Tribunienſem Epiſcopos in antiqua poſſeſſione locorum omnium, quæ obtinebant, retinendos eſſe, & reſtituendas utrique parœcias, quas Epiſcopus Stephanenſis invaſerat.

Archidiaconi ſententia non diſplicuit Sacræ Congregationi, præſertim cum in Regeſtis Romanis eccleſiarum epiſcopalium, titulum eccleſiæ illius Stephanenſis, ſeu Monſtarenſis non inveniſſet; at totius rei diſquiſitionem in aliud tempus diſtulit. Itaque 6. Februarii an. 1630. decretum fecit in hæc verba: *Relata iterum ab Illuſtriſſimo Cardinali . . . . cauſa vertente inter Epiſcop. Stephanenſem ex una, & Epiſcopos Macarien. & Tribunien. provinciæ Raguſinæ ex altera partibus; Sac. Congregatio ſtetit in decretis in præcedenti a SS. Domino probatis, ut ſcilicet Stephanenſis Romæ retineatur, & in aliquo Conventu ord. Min. de obſervantia collocetur; itemque de victu pro ſe, & Fratre converſo, qui illi inſervit, provideatur; & duo Brevia expediantur, in quibus Epiſcopis Macarien. & Tribunien. tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, concedatur facultas exercendi juriſdictionem & poteſtatem ordinis in partibus diœceſis Stephanenſis controverſis, juxta diviſionem inter eos factam ante motam per dictum Epiſcopum Stephanenſem litem, ſalvis tamen juribus harum trium eccleſiarum circa confinia, ſuo loco & tempore melius verificanda.* Hæc e codicibus archivi Sac. Congreg. de propaganda.

Decretum Sac. Congr. de propag. fide.

Ita Bartholomæus ab hujuſmodi moleſtis litigiis quietem nactus, ſumma vigilantia & ſedulitate ad populos illos ſuæ fidei concreditos regendos, & chriſtiana pietate ac diſciplina excolendos incubuit. Cum more majorum ſacra limina vel per ſe, vel per procuratorem ſibi ſubſtitutum inviſeret, de rebus & ſtatu eccleſiæ ſuæ Cardinalibus præpoſitis Sacræ Congregationi hæc expoſuit, ac tria inſuper poſtulata ſubjecit.

De ſtatu Eccleſiæ Macarenſis litteræ Bartholomæi ad Sacram Congregat.

Eccleſia Macarienſis eſt ſub dominio Turcarum in partibus Dalmatiæ, & Archiducatu S. Sabbæ, ſita juxta litus maris Adriatici. Eccleſiæ Cathedralis patronus eſt S. Petrus, quæ eccleſia ſicut civitas ſolo æquata eſt a Turcarum rabie annis tranſactis, quamvis ſint adhuc veſtigia; qua in civitate licet deſtructa reſidet exactor vectigalium, quem vulgo Jeminum appellant, cum aliquot Turcis, qui tam a Chriſtianis mercatoribus, quam a Turcis, vectigalia exigit; cum Macarſchæ ſit portus quidam, quo merces confluunt, quamvis non adeo magni valoris & quantitatis.

Diœceſis hæc quatuor monaſteria Fratrum S. Franciſci Minorum de obſervantia complectitur. Primum eſt S. Mariæ de Macarſca, in quo degunt Sacerdotes octo, clerici quinque, laici duo, juvenes decem, qui in hoc monaſterio, ſicut etiam in reliquis magna cum alacritate & ſtudio divina officia frequentant, juxta conſuetudinem dictæ religionis, & habentur apud ipſos loco novitiorum, qui omnes proceſſu temporis habitum S. Franciſci aſſumunt. Excedunt quaſi omnes annum ætatis ſuæ decimum quintum; iiſque in quolibet monaſterio aſſignatur unus ex doctioribus & ſenioribus Patribus ad eos erudiendos in quantum tempus & occaſio permittit. Quæ juvenum educatio ſicut tendit in bonum finem, ita etiam fit abſque omni periculo. Hoc monaſterium habet parochias tres. Prima eſt Vverdò continens domus 130. quarum domuum familiæ aliquæ ad 20. aliquæ ad 30. nonnullæ ad 40. & 50. numerum perſonarum aſcendunt. Secunda Cetina continens domus 240. & in hac parochia ſunt duo curati. Tertia eſt Primorye habens circiter centum domus; habet eccleſias ſeu capellas decem.

Secundum monaſterium eſt S. Crucis, in quo degunt Fratres 13. & juvenes octo. Habet parochias tres. Prima eſt Blato, ſecunda Brochno, quæ continent domus circiter 300. tertia eſt Primorye (inferior, vel ſuperior) habens domos 60. circiter. Habet eccleſias quatuor, unam a Fratribus erectam, & tres ab antiquitate uſque manentes.

Tertium monaſterium eſt Zaſtrogh, in quo ſunt Fratres Sacerdotes decem, clerici ſex, laici duo, juvenes & famuli 14. Habet parochias quatuor. Prima eſt Citluk, in qua ſunt domus ferme centum; ſecunda Zatzerye, in qua ſunt domus 120. tertia Lyubuski, in qua ſunt pariter domus 120. quæ videlicet habent ſuos proprios reditus; ſunt enim & aliæ plurimæ, quæ ſunt totaliter ſubjectæ Turcis, hoc eſt nihil proprii habentes, ſed incolentes vineas & campos Turcarum, quo modo etiam vivunt; quarta eſt circumcirca Vergoracz, quæ habet domus centum circiter. His accedunt domus, quæ ſunt prope monaſterium; & ſunt circiter centum. Habet eccleſias ſeu capellas 14. ex quibus quatuor erectæ ſunt a fundamentis opera Epiſcopi, aliarum autem quædam manent, quædam vero ob antiquitatem ſunt ſemidirutæ.

Quartum autem monaſterium eſt Imota, in quo habitant Sacerdotes ſeptem, clerici duo, laici duo, juvenes 10. Habet parochias quatuor; prima vocatur Podbilia, ſecunda Sovichi, tertia Drinouzi, ultima Cainenmonſt; & in his omnibus parochiis ſunt domus circiter 400. Habet eccleſias, ſeu capellas 4. quarum tres quaſi deſtructas, & unam Fratrum opera reædificatam, quæ nuncupatur S. Stephanus.

Ultra has parochias, quas tenent Fratres, ſunt etiam aliæ tres, quas adminiſtrant Presbyteri in Illyrico idiomate ſacra facientes; quarum prima eſt Podgora, ubi ſunt duæ eccleſiæ, prima omnium Sanctorum, ſecunda S. Theclæ. Secunda eſt Zagreoed, in qua eſt eccleſia S. Mariæ ædificata annis præteritis. Tertia Brebli, in qua ſunt eccleſiæ duæ, videlicet S. Nicolai, & S. Stephani.

Quintum monaſterium eſt Ramma, quod proprie ſpectat ad diœceſim Dalmenſem, quæ diœceſis, ut fertur, ſuo paſtore caret. Habet Sacerdotes decem, clericos 4. laicum unum, juvenes 15. Habet parochias quatuor, quarum duæ ſunt in Dalma, & continent domus 200. tertia in Liuno, ubi ſunt domus circiter 150. quarta in Ramma habens domus 60. Habet eccleſias 2. unam in Liuno, & aliam in Roskopolie. Et hoc monaſterium pariter cum parochiis adminiſtratur ab Epiſcopo Macarienſi, ſiquidem ei ob propinquitatem ab adminiſtratore Boſnæ commendatum ſit.

Titulus Epiſcopi Stephanenſis noviter promoti deſumptus eſt ab eccleſia S. Stephani di Citluk,

quæ ecclesia, seu capella solo æquata fuit circa annum 1540. *a Turcis, & iterum cura Episcopi Macarienſis & Fratrum erecta est anno* 1614. *In quo loco antiquitus tres solum domus fuere, nunc autem ob concursum illarum partium populorum, & causa ecclesiæ noviter erectæ, sunt* 60. *circiter: juxta hanc ecclesiam est arx Turcarum, in qua residenţ aliquot Turcæ. Quem locum scilicet Citluk nunquam fuisse civitatem colligitur tum ex historiis illarum regionum, tum ex traditione.*

Item Mostar est locus ab ipsis Turcis constructus, in quo vix decem domus Christianorum reperiuntur, & id solum causa mercaturæ; quamvis olim fuerit in dicto loco unum monasterium Fratrum Min. de observantia.

Omnia hactenus dicta loca sunt intra flumina Narentam & Ramam. Item diœcesis hæc Macarienſis in longitudine est unius diei itineris cum dimidio, latitudinis vero unius incirca. Itaque in diœcesi Macarienſi sunt hæ arces Turcarum Vergoracz, Lyubuski, Mostar, Imota, Citluk, Conyz, quæ quasi omnia loca cum suis parochiis suæ diœcesis esse novus iste Episcopus affirmat, imo & diœcesim Dalmenſem sui esse juris contendit. Ex alia parte Narentæ quænam loca sint, quive Episcopatus vacantes, & his similia, consulatur Archiepiscopus Raguſinus.

Postulata Episcopi Macarienſis.

Primo, petit a Sede Apostolica confirmari concessionem datam anno 1621. *super reconciliatione hæreticorum, schismaticorum, aliorumque similium ad gremium S. Matris Ecclesiæ redeuntium, & super alios casus Sedi Apostolicæ reservatos, prout in illa concessione ponitur. Item petit sibi concedi pro uno altari privilegiato indulgentiam.*

Secundo similiter petit sibi confirmari aliam concessionem ad hoc, ut possit ordinare etiam extra tempora ad id a jure statuta.

Ultimo petit auxilium aliquod a Sede Apostolica, cum ejus ecclesia nullos habeat reditus, & ipse laboret in vinea Domini a tot annis absque ullo auxilio.

Prætер Macarenſem, plures parœcias Dumnenſis & Naronianæ diœcesis, itemque totam Bosnenſem administravit.

Erat Bartholomæus homo navus & industrius, negligens quietis, diligens laboris, & semper agens aliquid & moliens pro utilitate gregis christiani; cui nunquam otioso esse licebat. Eum siquidem plurimis & gravissimis occupationibus distentum assidue tenebat, non solum suæ, sed etiam aliarum ecclesiarum sollicitudo; nam præter multas parœcias Dumnenſis & Naronianæ diœceſis, quæ tunc proprios Episcopos non habebant, ejus procurationi commissas, Thomas Juvcovichius, sive Hivkovichius Antistes Scardonenſis, idemque administrator Ecclesiæ Bosnenſis, cum podagra laboraret, Bartholomæo hujus curam commendavit, ejusdemque lustrandæ, & omnia, quæ Pontificis essent, munia peragendi potestatem permisit; quocirca tum Foinizæ, tum Plumbi, tum aliis in locis diœceſis Bosnenſis, & clericos presbyterosque ab eo initiatos, & Christianos sacro chrismate inunctos in tabulis illius ecclesiæ invenio. Sed cum anno 1631. proprius Episcopus Bosnenſibus Joannes Tomcus Marnavitius datus fuisset, & Bartholomæus eo absente nihilo secius facultate sibi a Thoma delegata per imprudentiam uteretur; in animadversionem canonicam incurrit, eique omni episcopali functione interdictum est. Verum paullo post in integrum restitutus ad consuetos apostolicos labores & omnia Episcopi officia exsequenda se retulit. In ecclesia cathedrali Corcyrenſi cum Georgio Pharienſi Antistite, & in metropolitana Spalatenſi cum Pace Jordano Episcopo Tragurienſi, administer, atque adjutor interfuit sollemni consecrationi duorum Episcoporum, Hieronymi Liuvichii Drivastenſis, & Thomæ Juvcovichii Scardonenſis. Consilium atque operam socialem præbuit Fr. Matthæo Dircovichio ordinis Franciscani, sodali suo, ad plures libellos de rebus sacris Illyrico sermone scribendos, edendosque in lucem, ad christianam pietatem in animis illarum gentium excitandam & augendam apprime utiles. Ille vero explanationes suas Illyricas in Evangelia totius anni Bartholomæo dedicavit; & in epistola huic operi præfixa optimum Præsulem amplissimis, & quibus dignus erat laudibus exornavit.

Annos posteriores sui pontificatus exegit in cœnobio Zaustrogenſi apud Patres sui ordinis Franciscani; sed nescio quid dissidii interveniens hospitii usum, & consuetudinem diremit. Secessit igitur in Phariam insulam, & quod vitæ superfuit, apud suos consanguineos traduxit, qui domicilium habebant peramplum in regione illius insulæ extrema, quæ vulgo dicitur *Puncta S. Georgii*. Anno 1645. vel sequenti decessit, & sepultus in æde S. Georgii, quæ annexa est hospitio Patrum Minorum de observantia.

PETRUS EP. MACARENSIS XII.

Ex eadem familia Cacichia. Hic Bartholomæum patruum ac decessorem suum, ipsius vestigiis persecutus, ad Episcopatum ascendit. A prima adolescentia in eamdem, atque ille, sodalitatem Franciscanam severioris disciplinæ nomen dedit, & ingenii, doctrinæ, ac ceterarum virtutum laude non inferior fuit, quam patruus. Innocentius X. Petro decrevit Ecclesiam Macarenſem, ut est in tabulis consistorialibus: *An.* 1646. 25. *Junii providit Ecclesiæ Macarien. vacanti per obitum Bartholomæi Gacich, de persona Petri Cacich ord. Min. de observantia.* Initia ejus pontificatus lætissima fuerunt; quippe Macarsca jugo Turcicæ servitutis depulso sub imperium Venetorum transivit. Anno superiori bellum Creticum exarserat, quo etiam Dalmatia conflagravit. Cum in hac provincia prospere bellari cœptum esset, & jam nonnulla castella Veneti Turcis ademissent; Macarenſes fortuna usi propitia legatos misere ad Paullum Caotortam, qui secundum Leonardum Fosculum imperatorem exercitus Dalmatici rem militarem curabat, ut eum cum suis copiis accerserent ad possessionem urbis nomine Reipublicæ Venetæ adeundam. Huic ad urbem venienti, post depulsum a civibus magistratum & præsidium Turcicum, Petrus Episcopus cum clero, ac tota obviam civitas processit. In æde Franciscana S. Mariæ idem Pontifex sollemni ritu litavit; & post actas Deo superisque gratias, primores urbis, & finitimorum locorum, suam Venetis fidem jurejurando obstrinxerunt. Comes seu Prætor Macarenſibus datus est Aloysius Caucus Patricius Venetus.

Sub initiis belli Cretici Macarenſes ultro redeunt sub ditionem Reipubl. Venetæ.

Ac Petrus quidem rem christianam in urbe, quamdiu vixit, placide sub imperio Venetorum, tranquilleque administravit; at perdifficilis illi erat & periculosa diœceseos lustratio, cum pleraque loca tenerentur a Turcis, & omnia undique armorum ac præliorum strepitu personarent. Episcopi Venetæ ditionis Petrum invitabant identidem ad suam quisque diœcesim,

ut

ut pontificales functiones obiret. Harum adminiſtros, itemque ſocios epiſcopalium luſtrationum duos Fratres Presbyteros, ex ordine ſuo Franciſcano delectos, permiſſu Sacræ Congregationis adhibebat. Joannem Cacichium fratris filium eccleſiaſticæ procurationis adjutorem & Vicarium generalem conſtituit. Dumnenſem Eccleſiam etiam per aliquot menſes adminiſtravit.

Extremo hujus pontificatus anno prope factum eſt, ut Macarſca in Turcarum poteſtatem recideret. Hi quippe valida manu, duce Halio Cingichio, conati ſunt Macarſca potiri, ac propinqua caſtella duo expugnarunt labore haud magno. Sed Bertucius Contarenus auxilio profectus, crebris e ſua trireme ictibus tormentorum, coegit abſcedere, urbemque a periculo prohibuit. Annos fere duodeviginti Petrus huic eccleſiæ ſumma cum vigilantia, atque indefeſſa ſollicitudine præfuit; ac præclare cum illo actum eſt, quod antea e vita ceſſerit, quam videret gregem ſuum ſibi cariſſimum rurſus luporum faucibus injectum, ideſt urbem & Eccleſiam Macarenſem denuo Turcarum ſervitute oppreſſam. Obiit anno *1663.* ſepultus eſt Macarſchæ in æde Mariana Patrum Minorum ante gradus aræ maximæ, & lapidi ſepulcrali ſtemma gentilitium inſculptum, ideſt draco & aquila expanſis alis volitans, inferne autem leo erectus, & pedibus poſterioribus inſiſtens.

MARIANUS EP. MACARENSIS XIII.

Cognomento Liſnichius, vel Licinianus, oriundus ex Imota, quod eſt caſtellum in regione mediterranea inter Naronem ac Tilurum, aſſidens ad lacum cognominem; ex quo amnis, quem Kabiach dicunt, profluens, decurrenſque in meridiem, Naroni fluvio illabitur. Hunc itidem Eccleſiæ Macarenſi Epiſcopum dedit ſanctiſſima illa, & de rebus chriſtianis Illyricis optime merita familia Franciſcana, cui ab obſervantia cognomen eſt. Alexander VII. Marianum huic eccleſiæ rectorem præfecit, ut docent tabulæ conſiſtoriales: *1664. 11. Februarii providit Eccleſiæ Macarienſi, vacanti per obitum Petri Cacich, de perſona Mariani de Imota ord. S. Franciſci ſtrict. obſervantiæ.* Conſecratione epiſcopali initiatus fuit Romæ in conventu aræ cæli. Cum Macarſcam veniſſet, nihil prius ſibi faciendum cenſuit, quam ut diœceſim ſibi creditam ritu epiſcopali peragraret, & gregem ſuum inter bellicos tumultus & armorum pericula inviſeret. Dum abeſſet, trepidatum eſt ad Macarſcam, cujus territorium hoſtili populatione ingreſſus Baſſa Boſnenſis cum decem armatorum millibus, ad urbem oppugnandam ſpectare videbatur. Impares aperto marte, receperant ſeſe populi ex agris intra caſtella, quæ pluribus opportunis locis prope mare præmunita habebant. Dum ad ea caſtella bellum circumfert Baſſa, Dalmatæ autem ſtrenue repugnant; ſuperveniens Catharinus Cornelius trierarchus cum tribus ac decem triremibus, hoſtes ferreis globis inceſſendo a mari, omittere coegit inceptum; ac Turcis abeuntibus periculum omne diſcuſſum eſt. Per eam fugam & tumultum diœceſis Macarenſis incolas ſane plurimos amiſit; qui patrio ſolo relicto, alii in inſulis Pharia & Bractia, alii in agro Spalatenſi, alii denique alibi domicilium ſtabile collocarunt.

Lites de decimis, & de caſtro Almiſſæ, item de Rama parte diœceſis Boſnenſis ſuſceptas amiſit.

Hos Marianus non propterea, quod ſolum vertiſſent, ſua juriſdictione exemptos putabat; ab eiſque decimas ſibi debere contendebat, præſertim cum rerum ſacrarum adminiſtros & curatores animarum illis dediſſet, vel certe dare paratus erat. Repetebat etiam ab Archiepiſcopo Spalatenſi caſtrum Almiſſæ, de quo itidem hujus proximi deceſſores Bartholomæus & Petrus litem eidem Archiepiſcopo intenderant, utque illi, ſic etiam Marianus ſe appellari volebant Epiſcopi *Macaren.* & *Almiſſien.* Neutrum, quod petebat, obtinuit. Ad caſtrum Almiſſæ quod attinet, huc revocanda ſunt, quæ diximus in actis Valentini ſecundi Macarenſium Epiſcopi.

Ramam etiam, quæ pars eſt diœceſis Boſnenſis, ejuſque parœcias obire, populos illos luſtrare, eiſdemque omnia, quæ ad epiſcopalem juriſdictionem pertinent, officia præſtare decreverat, nixus, ſive potius deceptus exemplo Bartholomæi Epiſcopi, quem Thomas Epiſcopus Scardonenſis, idemque Boſinæ adminiſtrator, cum ipſe infirma valetudine eſſet affectaque jam ætate, rogaverat, ut curam Boſnenſis Eccleſiæ ſuſciperet. Ante annos fere quindecim controverſia fuerat de Rama inter Petrum Cacichium Macarenſem, & Marianum Maravichium Boſnenſem Epiſcopos; & cum Romam delata fuiſſet, Sacra Congregatio decrevit ſecundum Boſnenſem anno *1650.* ut in eodem Mariano dictum eſt. Bartholomæus autem in Boſina atque Rama epiſcopalia munera obierat ex facultate ſibi delegata, qua Liſnichius carebat. Hunc igitur Sacra Congregatio de hac re per litteras Epiſcopi Belgradenſis admonita anno *1666.* non introitu ſolum, ſed omni omnino ad eam regionem acceſſu prohibuit.

Ab Joanne Cacichio multa pertulit obmunus Vicarii eidem ademptum.

Multas Liſnichio & graves moleſtias intulit Joannes Cacichius, qui acerbo animo ferebat ademptum ſibi munus Vicarii generalis, translatumque in Patrem Lupum ex ordine S. Franciſci, e cœnobio Macarenſi S. Mariæ deſumptum; qui in ſuis litteris & decretis hac inſcriptione utebatur: *F. Lupus Min. obſerv. totius diœceſis Macarienſis Vicarius generalis*: nomine autem totius diœceſis comprehendi volebat loca quædam veteris Eccleſiæ Naronianæ ad Macarenſem adjuncta, veluti Gliubuskum, Norinum, Citluk, & alia citra Naronem, vel ripæ utrique impoſita, de quibus Mariano aliqua controverſia fuit cum Epiſcopo Tribunienſi.

Macarſca per vim a Turcis contra jus fasque recepta.

Magnum & incredibilem cœpit dolorem optimus Præſul ex amiſſione urbis & eccleſiæ ſuæ; quæ rurſus Turcicæ ſervitutis jugum ſubire coacta eſt. Annus *1669.* bello Cretenſi finem attulit; pax ita convenit, ut Candia Turcis tradita, quidquid in Dalmatia occupaſſet, Venetus retineret. Caſtella aliquot Veneti ceperant ac diruerant, quæ tenere præſidio viſum non eſſet. In poſſeſſionem illorum agrorum, qui circa erant, Dalmatæ venerant, ac ſedes ibidem ſtatuerant, caſis aliquot ædificatis; quos cum expellere Turcæ conarentur, crebra inter utroſque prælia oriebantur; nihil propius factum eſt, quam ut novum de integro bellum in Dalmatia exiſteret. Damna ultro citroque illata, prædæ utrinque abactæ, & ſemel ad Rhizinium juſto marte pugnatum eſt. Per eam occaſionem recepta eſt a Turcis Macarſca, itemque Scardona, & pertinaciter retenta, contra quam in conditionibus pacis ſancitum fuerat, ut haberent Veneti quæ in Dalmatia occupaſſent. Nec vero bonus paſtor ſuum gregem ſub Turcica tyrannide afflictum ac mœrentem deſeruit, ſed quibuſcumque potuit humanis divinisque ſubſidiis aſſidue adjuvit; neque antea illius curam dimi-

dimiſit, quam extremum ſpiritum amitteret. Non deerat illi robur, & magnitudo animi pericula omnia deſpicientis ad reprimendam crudelitatem & avaritiam Turcarum, atque ad propulſandas injurias & calumnias, quas identidem Chriſtianis inferebant, ut illis aut fidem, aut vitam, aut pecuniam extorquerent. Quin etiam ſæpe cum Turcis ſolebat de religione diſputare, eorumque errores rationibus ad eorumdem captum accommodatis coarguere, ut illos ad Chriſti cultum traduceret. Cum ſemel in illam impuriſſimam ſectam, ejuſque auctorem liberius, quam cautius inveheretur; Turcas qui aderant uſque eo irritavit, ut impetu facto manus ei violenter afferrent, & vinculis conſtrictum in carcerem contruderent, extremo crudelique ſupplicio afficiendum, niſi Chriſtiani vitam illius ac libertatem ingenti pecunia redimerent. Itaque non ille martyrio, ſed martyrium illi defuit. Ceterum ea res documento eſſe poteſt Epiſcopis & operariis evangelicis illarum partium, ne nimio vel tuendæ, vel propagandæ religionis ardore abrepti, Turcis irritandis ſe & religionem ipſam in diſcrimen committant: id quod ſapienter admonuit Andreas Zmajivichius tunc Archiepiſcopus Antibarenſis in quadam epiſtola ad Marinum Gelichium Epiſcopum Sappatenſem, ſuumque Vicarium generalem: *Cave*, inquit, *conſeras cum Turcis de religione certamina, ne in idem periculum incurras, in quod ſe ipſe imprudenter conjecit Marianus Liſgnichius Epiſcopus Macarenſis, cujus vita & libertas magno pretio Chriſtianis ſtetit.*

Pro ſuo grege tuendo cum avaritia & improbitate Turcarum certavit.

Cum regimine Eccleſiæ Macarenſis ſane operoſo ac difficili conjunxit adminiſtrationem latius diffuſam, nec minus laborioſam aliarum eccleſiarum, Scardonenſis, & Dumnenſis, quam uſque ad ſupremum ſpiritum retinuit, Utraque cum proprio Epiſcopo careret, illi ab initio ſuſcepti pontificatus commendata fuerat. Ita unus idemque Epiſcopus tres regebat eccleſias temporibus illis difficillimis, & graviſſimis; nec vero ullis vel incommodis, vel periculis, pepercit, ut ſuam modo his, modo illis præſentiam, & ſuam curam, vigilantiam, operamque impertiret. Vixit annos octoginta, e quibus unum & viginti in utilitatem ac ſalutem triplicis illius gregis ſuæ fidei concrediti conſumpſit. Haud magis ætate, quam laboribus confectus diem obiit ſupremum an. 1685. in cœnobio Franciſcano Macarenſi, condituſque eſt in æde Mariana prope ſepulcrum Petri Cacichii. In eo marmore, quo tumba clauditur, inſculptum eſt pedum pontificale cum mitra, & ſtemma gentis Liſnichiæ; adjectaque inſcriptio: *Hic jacet Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus ac Dominus F. Marianus Lisgnich ab Imota Epiſcopus Macarenſis &c.* reliquæ litteræ comeſæ & contritæ ſunt. Poſt obitum Mariani Interregnum Epiſcopale aliquot annos tenuit.

Tres eccleſias adminiſtravit, ſuam videlicet, Scardonenſem & Dumnenſem ſibi cõmendatas.

Interregnũ Epiſcopale.

NICOLAUS EP. MACARENSIS XIV.

Honeſtis ac piis parentibus, Dominico viro clariſſimo, & Laura lectiſſima femina natus eſt Spalati anno poſt Virginis partum 1645. XVIII. Kalendas Septembris, ipſoque Deiparæ in cælum aſſumptæ ſacro die. Cognomen ei fuit Blancovichio. Ab incunabulis in ſinu optimorum parentum educatus pueritiam egit ex eorumdem ſanctiſſima diſciplina, primamque ætatem litteris & ingenuis artibus excoluit. Erat in eo rara indoles animi, magnum & acre ingenium, mira diſcendi cupiditas. Sed petiſſimum elucebat in adoleſcentulo illibata morum innocentia, præcox quædam maturitas ab ineptiis ludiſque puerilibus aliena, eximia in Deum ac ſuperos pietas, & chriſtianæ perfectionis adipiſcendæ ſtudium non vulgare. Annos natus fere quindecim clericali militiæ nomen dedit. Cum mirificam expectationem ſui concitaſſet, Leonardus Bondumerius Archiepiſcopus e clero univerſo Spalatenſi Nicolaum delegit, quem majoribus diſciplinis erudiendum ad collegium Lauretanum Illyricum mitteret. Annos ipſos ſeptem in Philoſophiæ at Theologiæ ſtudiis conſumpſit, in quibus tantos progreſſus fecit, quanti ab excellenti ingenio & ſingulari diligentia expectari poterant. Itaque in Gymnaſio Maceratenſi, cum præclarum utriuſque ſcientiæ ſpecimen dediſſet, Doctoris laurea ceteriſque inſignibus ornatus eſt. Anno 1668. reverſum in patriam Bonifacius Albanus Archiepiſcopus per omnes ordinum gradus ad apicem Sacerdotii provexit. Primus autem gradus fuit capeſcendæ rei eccleſiaſticæ in parœcia Caſtri Archiepiſcopalis Suſuratii, cujus eccleſiæ idem Bonifacius Nicolaum rectorem præfecit. Tres fere annos tanta vigilantia & aſſiduitate præfuit, ut incolas illos, quorum pleroſque rerum divinarum rudes ac vitiis obrutos acceperat, chriſtiana doctrina excultos, & bene moratos ſucceſſori traderet. Cooptatus in collegium Canonicorum Spalatenſium ædis metropolitanæ, jubente Archiepiſcopo, Theologiæ moralis cleticis tradendæ munus ſuſcepit. Inter hæc optimos parentes, cum ex inſula Solita redirent, ubi multa prædia poſſidebant, naufragio extinctos amiſit. Unicus eorum filius cum eſſet, idemque hæres neceſſarius, de patrimonio paterno ſatis copioſo nihil attingere ſtatuit, niſi quod ſibi tenuem in victum cultumque ſatis eſſet; quidquid reliquum erat, in pauperes & varia pietatis opera inſumpſit; magnam vero partem ad Congregationem Philippinam Spalati fundandam convertit. Ædes apparavit, & idonea ſupellectili inſtruxit, templum ædificavit ſatis amplum & elegans, in quo tres aras erigi juſſit, primam & maximam S. Philippo Nerio, alteram S. Ignatio Lojolæ, tertiam S. Franciſco Xaverio. Hos quippe inter alios cælites ſibi peculiares patronos adoptaverat, & præcipuo quodam cultu venerabatur. Ibidem ſodalitium bonæ mortis inſtituit ſub nomine & patrocinio S. Franciſci Xaverii. Sodalibus id curæ potiſſimum eſſe voluit, ut ſumptum ad funus ſuppeditarent, & pio comitatu proſequerentur peregrinos & pauperes mortuos, quibus non eſſet unde efferrentur.

Acta Nicolai ante Epiſcopatum.

Bellum Peloponneſium felicibus auſpiciis jam geri cœptum erat, cum Marianus Liſnichius Epiſcopus Macarenſis e vita migravit, ac tres ipſas diœceſes paſtore orbatas reliquit Macarenſem, Dumnenſem, & Scardoneanam. Inter ipſa belli initia Scardona & Macarſca ultro ſe in Venetorum fidem ac poteſtatem tradiderunt. Poſt obitum Liſnichii, quamvis utraque civitas ſub chriſtiano dominatu ſecura quieſceret, neutri tamen Epiſcopum præficere viſum eſt, dum illius belli, quamvis proſpera fortuna inchoati, ſuſpenſus tamen & incertus exitus obſcura ſpe & expectatione pendebat. Anno 1685. delectus eſt Nicolaus Blancovichius Canonicus Spalatenſis, qui Vicarii Apoſtolici titulo ac poteſtate

præ-

Vicarius apoſtolicus trium eccleſiarum curam ſuſcepit.

præditus, non ſolum eccleſiæ utriuſque, ſed etiam Dumnenſis procurationem ſuſciperet. Jamdudum ille laboribus & muneribus apoſtolicis aſſueverat; & poſt dimiſſam parœciam caſtri Suſuratii, ſingulis annis tum illas, tum alias regiones Turcico imperio ſubjectas, veluti Politiam, Radobiliam, itemque Morlachiam evangelicis excurſionibus ac miniſteriis magno cum animarum lucro, & anno 1683. univerſam diœceſim Nonenſem rogatu Joannis Burgofortii Epiſcopi, luſtraverat. Hac dignitate ac poteſtate aucto immenſa propemodum laborum & rerum gerendarum ſeges ſuccrevit, ut vix in opere ſuo ceſſandi quieſcendique ullum ei vel tantillum ſpatium relinqueret. Ergo triplicem illam diœceſim ſuæ fidei commiſſam animo & induſtria complexus, in earum gentium ſalutem omni ſtudio & contentione incubuit; ac perpetuo quodam ſine intermiſſione motu regiones illas, ac fere ſemper pedibus peragrabat. Quas omnes ut obierat, quietis immemor, labore in orbem redeunte, eo revertebatur, unde initium apoſtolicæ luſtrationis fecerat, ut chriſtianæ pietatis ſemina, incolarum animis injecta, ad frugem ac maturitatem perduceret; eodemque ordine cetera deinceps loca reviſebat. Præcipua illi cura fuit explicandi pueris ac rudibus divina myſteria ac præcepta, quæ ne illorum memoria unquam exciderent, in pagis fere ſingulis oppidiſque ſcholas chriſtianæ doctrinæ inſtituit; atque ut recte & ordine procederent, certas eiſdem leges præſcripſit, & qui ceteris intelligentia præſtabant, ubi Sacerdotum & clericorum copia deerat, eos quamvis laicos, magiſtros præfecit, ac denique rationem doctrinæ tradendæ & addiſcendæ litteris conſignatam reliquit. Incredibile dictu eſt quantam curarum & laborum molem unus ac fere ſolus ſuſtineret. Præter trium diœceſeon adminiſtrationem oppido difficilem atque operoſam, ex mandato Pontificis in urbe ac diœceſi Catharenſi functus eſt officio Viſitatoris apoſtolici. Magnam ejus vitæ partem tribus temporum ſpatiis diſtinxit Stephanus Cupillus Archiepiſcopus Spalatenſis: *Spatio viginti quatuor annorum chriſtiana doctrina pueros imbuit; octodecim in hoſpitali domo Sacramenta militibus adminiſtravit; ſexdecim miſſiones apud Morlaccos exercuit, provincias Politii, Radobigliæ, ac Cetinæ, cum ſub Turcarum tyrannide gemerent, luſtravit, ibique conciones publice coram infidelibus habuit: pleroſque ſchiſmaticos ad ſanctæ eccleſiæ ſinum adduxit, & Turcas chriſtiana catecheſi inſtruxit, & aqua luſtrali expiavit.*

Hieronymus Cornelius præfectus Venetæ claſſis in omnibus, quas ſuſcepit contra Turcas, expeditionibus Nicolaum ſibi adeſſe voluit, ut ejus & conſiliis uteretur, & precibus apud Deum juvaretur; eique felicem difficillimorum expugnationum & præliorum exitum acceptum ferebat: tanta erat de illius prudentia & ſanctitate opinio. Ille vero nactus ampliſſimum campum, in quo induſtriam ſuam operamque apoſtolicam latiſſime explicare poſſet, milites & claſſiarios, nautas & remiges ad ſalutarem Dei metam, Deumque ſibi propitiandum, auſpicem, & datorem victoriarum, ferventiſſimis concionibus hortabatur; omnes a fraudibus & rapinis, a perjuriis & impiis in Deum vocibus deterrebat; confeſſionibus audiendis, reconciliandis diſſidentibus, ægris ſublevandis, ceteriſque charitatis officiis peragendis diu noctuque laborabat: nec ſane irritus labor fuit; dici vix poteſt, quantos chriſtianæ pietatis & concordiæ fructus ex gente non ſancta & bellicoſa perceperit.

Nec vero cum Spalatum, veluti ad hiberna, revertebatur, otioſo illi eſſe licebat; nam cum ceteris Canonicis divinæ pſalmodiæ & ſacris functionibus quotidianam operam dabat; identidem in æde metropolitana, aliiſque templis de rebus divinis e loco ſuperiori concionabatur; graviſſimum munus tum Vicarii, tum auditoris generalis ſuſtinebat, quod eidem Stephanus Coſmus Archiepiſcopus impoſuerat. Tot tantiſque negotiis & occupationibus diſtentus cum eſſet, nullum tamen tempus prætermiſit, quin partem non exiguam ſuarum cogitationum & curarum conferret ad ſtabiliendam Congregationem Philippinam Spalatenſem, cujus jamdudum fundamenta jecerat, in qua pii ſermones ac ſacræ exercitationes ex inſtituto S. Philippi haberi jam cœperant. In id opus perficiendum, quod divinæ gloriæ & chriſtianæ civium pietati ingens attulit incrementum, ut majori ſedulitate incumberet, dignitatem & officium Canonici ſponte dimiſit; ne titulum pariter munuſque Vicarii generalis deponeret, Archiepiſcopi auctoritas, & cui eximere ſe non poterat, imperium obſtitit. Cum numerus ſociorum ad quinque Presbyteros ac totidem clericos creviſſet, atque inſtituendæ Congregationis facta eſſet poteſtas per Hieronymum Cornelium Proviſorem generalem Dalmatiæ; ex illis Patribus unum, qui cunctis præeſſet, deligere viſum eſt. Indicta ſunt comitia anno 1688. & extractis recitatiſque ſuffragiis, præpoſitus declaratus eſt Nicolaus, nemine præter ipſum diſcrepante; qui ſcilicet parendi longe, quam imperandi cupidior, negavit ſe munus viribus impar ſuis ulla ratione ſubiturum. Sed cum repugnando nihil proficeret, perſtarentque in ejus electione omnium ſententiæ, poſt multam denique altercationem vinci ſe paſſus eſt, & omni ſpe in uno Deo rei bene gerendæ defixa impoſitum ſibi onus ſuſcepit, quod ita ſuſtinuit, ut non magis auctoritate & imperio, quam lenitate, animique ſubmiſſione, & omnium virtutum exemplo omnibus anteiret. Interea evenit, ut unum de ſubſelliis Canonicorum ob mortem Hieronymi Dumanei vacaret, anno videlicet 1689. Simon Cuvagninus Archidiaconus de revocando Nicolao in eam, ex qua diſceſſerat, dignitatis ſedem ad Canonicos retulit his verbis ſane honorificis: *Venerabiles Fratres, cum nos procedere intendimus ad electionem novi Canonici, ego propono vobis Venerabilem Dominum Nicolaum Biancovich virum, ut vos ſcitis, irreprehenſibilem, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, ſed modeſtum, & qualem deſiderat Apoſtolus nondum Canonicum, ſed Epiſcopum; quare toto animi affectu vobis illum commendo.* Omnes ad unum aſſenſi ſunt; nimis enim ægre ferebant collegium ſuum tali ac tanto viro orbatum fuiſſe.

Sed non ſolum precibus & obſecrationibus totius Capituli, verum etiam auctoritate & imperio Archiepiſcopi opus fuit, ut delatum ſibi honorem munuſque reciperet: adeo animum in ſtudio religioſæ humilitatis defixerat; adeo alienus erat ab novis oneribus ſuſcipiendis, ut nimirum quidquid temporis ſibi ſuppeteret vacui ab aliis, quæ gerebat, publicis negotiis, neceſſariiſque occupationibus, in commodum, utilitatemque ſuæ Congregationis impenderet. Ita per annos

fere

fere decem Vicarii apoſtolici, Vicarii generalis, Canonici, & Præpoſiti partes omnes atque officia labore indefeſſo, ſumma ſedulitate ac ſollertia peregit. Cum tot ac tanta negotia ſuſtineret, nuſquam tamen jucundius acquieſcebat, quam in quieto tranquilloque regimine ſuæ Congregationis, ad quam publicis laborioſiſque muneribus perfunctus, ſic ſe, tamquam in portum recipiebat. Sed inde illum evocavit, & a dulciſſima filiorum ſuorum conſuetudine abſtraxit Epiſcopatus Eccleſiæ Macarenſis, eidem poſt interregnum annorum undecim decretus.

Late prolatis Dalmatiæ finibus, totaque jam Peloponneſo ſub jus ditionemque imperii Veneti redacta; cum res magis in dies proſperas ſperari liceret, anno 1690. juſſus eſt ab Senatu Joannes Landus, apud Sedem Apoſtolicam legatus, Alexandrum VIII. orare, ut jus perpetuum Venetis impertiretur eligendi Epiſcopos atque Archiepiſcopos civitatum illarum, quas eo bello Turcis eripuiſſet. Annuit libenter Pontifex, facta inſuper Præſulibus, quos Patres legerent, copia Canonicatus & Sacerdotia, eorumque reditus quibus vellent conferendi menſibus omnibus. Dum tamen eccleſiæ, Epiſcopatus, cœtuſque clericales annuis & idoneis proventibus dotarentur, uſu traditæ poteſtatis, & nominatione Epiſcoporum ſuperſedendum fuit. Anno primum 1695. uſus eſt Senatus facultate Epiſcopos nominandi, quam Alexander VIII. tribuerat quinque ante annos; & cum alios aliarum urbium, tum Nicolaum Blancovichium Epiſcopum Macarſchæ deſignavit. Sed aliquid controverſiæ intervenit, quæ Nicolai, aliorumque electorum Antiſtitum pontificiam approbationem & conſecrationem remorata eſt, diſtulitque in penultimum ſuperioris ſæculi annum. Conſuetudo tenuerat, ut quemadmodum Italiæ, ſic etiam omnes Dalmatiæ Epiſcopi deſignati Romam peterent, coram Pontifice examinandi, ibique ſollemni ritu conſecrandi. Hac lege & conſuetudine teneri volebat Innocentius XII. utrumque Dalmatiæ Epiſcopum a Senatu nominatum Nicolaum Blancovichium Macarenſem, & Gregorium Civallelum Scardonitanum, ac ne ſolveretur mos antiquus utrumque Romam vocabat. Recuſabat Senatus, ne quid de jure patronatus regii minueretur ſibi ſemel conceſſi. Re ultro citroque diu agitata, ad extremum Pontifex, prona voluntate erga Venetos, non ſolum id de quo contendebatur remiſit, ſed etiam novis Epiſcopis partem impenſarum in diplomata condonavit. Itaque anno 1698. XIV. Kal. Januarii electionem Nicolai Blancovichii confirmavit, ut docent tabulæ actorum conſiſtorialium ejuſdem anni ac diei: *Ad præſentationem Reip. Venetæ, vigore indulti S. Mem. Alexandri VIII. dotationem præſcribentis, providit Eccleſiæ de Macarſca, cujus cathedralem in locum alterius dirutæ dixit & nominavit eccleſiam S. Joannis Baptiſtæ, vacanti per obitum Mariani Liſnich, de perſona Nicolai Biancovich Presbyt. Spalatenſis, cum decreto quod omnia beneficia, quæ obtinet, per hujuſmodi proviſionem vacent eo ipſo, ſuſpenſo tamen vacationis effectu uſque ad ſui obitum.*

Nicolaus nominatur Epiſcopus Macarenſis.

Dos autem e præſcripto Alexandri VIII. conſtituta Eccleſiæ Macarenſi hæc fuit, ut uſque dum ſtabiles ex agris & fundis certique proventus eidem aſſignati eſſent, ex ærario publico mille & quingenti nummi argentei Epiſcopo contribuerentur, centeni & viceni ſingulis Canonicis, quos ſex eſſe voluerat, trecenteni Archidiacono: his adjuncti ſunt duo Presbyteri, ac totidem clerici, & ſua cuique penſio decreta, horum ſingulis viginti quinque, illorum ſingulis quinquaginta argentei; ex his conflatus eſt clerus univerſus Macarenſis. Præterea mille argentei ad ſacram ſupellectilem comparandam attribuit. Ergo Nicolaus Epiſcopus Macarenſis deſignatus approbatuſque, præfectura Congregationis tradita Stephano Uchievichio, quem Patres elegerant, non ſine lacrymis, mutuique amoris magna ſignificatione, ſingulos in digreſſu complexus, Venetias ſe contulit: qua in urbe conſecrationem epiſcopalem ſuſcepit, ſibi ſollemnibus ſtatiſque cærimoniis impertitam in æde patriarchali ab Joanne Baduario Patriarcha Venetiarum anno 1699. VI. Id. Maji. Negotiis omnibus, quæ ad ſuam eccleſiam, rectamque ſui muneris adminiſtrationem pertinebant, e ſententia confectis, & publicis privatiſque officiis, quæ cuique debebat, perſolutis, diſceſſit; atque intra finem ejuſdem anni, qui bello Peloponneſio lætum exitum attulit pace cum Turcis conſtituta, Macarſcam venit ingenti omnium civium lætitia & gratulatione. Pro æde cathedrali, quam Turcæ diruerant, ex decreto Innocentii uſus eſt templo S. Joannis Baptiſtæ ad ſacras & pontificales functiones obeundas; in quo etiam Canonici quotidianæ pſalmodiæ rebuſque divinis operam dare juſſi ſunt; pro palatio epiſcopali itidem everſo, aſſignata illi eſt domus prope turrim civitatis. Ac fere ſtatim ære ſumptuque publico jacta ſunt fundamenta tum eccleſiæ cathedralis ſub titulo & auſpiciis S. Marci Evangeliſtæ, tum ædium epiſcopalium, itemque domicilii Canonicorum.

Venetiis Ep. conſecratur.

Dos Eccleſiæ, Epiſc. & clero conſtituta.

Idem vitæ apoſtolicæ inſtitutum, quod ab initio ſuſceperat, conſtantiſſime tenuit, eique plures, quam antea, & graviores occupationes laboreſque adjunxit. Gregis ſuæ fidei commiſſi curandi & chriſtiana diſciplina excolendi initium ab urbe faciendum cenſuit. Macarenſium aſſidua cum Turcis conſuetudo multa vitiorum contagione civitatem infecerat. Itaque ad medendum male affectis civium animis primam curam intendit, & qua publicis concionibus, qua privatis colloquiis nunc ſingulos, nunc univerſos admonere, hortari, urgere non antea deſtitit, quam morum mutatio ſpem feciſſet vitæ melioris. Effrenem libidinem, ac diſſolutam vivendi licentiam coercuit, fraudes & iniqua lucra ſuſtulit, plures corruptelas & ſuperſtitiones Turcicas evulſit, obſoletum Sacramentorum uſum reſtituit, chriſtianæ catecheſeos frequentandæ morem invexit, inimicos ad pacem, diffidentes ad concordiam reduxit. Nec vero defuerunt qui propriæ & alienæ ſalutis immemores ejus piis conſiliis & conatibus obſiſterent, ceteroſque ab ejus ſalutaribus monitis abducerent. Sed horum quoque pervicaciam ſua lenitate ac patientia fregit, eoſque tandem ſibi ac Deo conciliavit. Unum e collegio Canonicorum delegit virum ſpectatæ doctrinæ ac probitatis, cui procurationem animarum in urbe committeret. Hic duas parœcias civitati proximas cum urbana conjungere, & Fratribus Franciſcanis adimere volebat, qui eas ſub imperio Turcarum ſollerter pieque adminiſtraverant. Sed prudentiſſimus Præſul optimos illos Patres in antiqua ſua poſſeſſione retinendos cenſuit.

Rebus chriſtianis in urbe compoſitis, ad gregem ſuum longe lateque diſperſum in oppidis ac pagis, in ſilvis ac montibus, cogitationem curam-

Diœceſim ſæpius luſtravit.

curamque convertit . Nullus fere annus abiit , quin pleraſque partes vaſtiſſimæ diœceſeos luſtraverit ; niſi ſi quando rei chriſtianæ & eccleſiaſticæ neceſſitas , vel utilitas illum Romam aut Venetias evocavit . Eamdem obeundæ diœceſis rationem Epiſcopus tenuit , quam antea inierat , cum Vicarii Apoſtolici munere fungebatur. Catechiſmo tradendo , concionibus habendis , confeſſionibus excipiendis , aliiſque ſacris functionibus peragendis aſſiduam dabat operam , adeo cibi & quietis oblitus , ut ſæpe integros dies , vel jejunus , vel arido pane contentus tranſigeret , nocteſque interdum inſomnes duceret , vel in aliquo tugurio ventis atque imbribus pervio breviſſimum & incommodum ſomnum capiebat. Nulla re ſibi parcebat , ut omnibus prodeſſet . Non montium altitudines & aſperitates horrebat ; non pericula viarum , non fluminum exundantium trajectus , non denique famis ac ſitis , æſtus ac frigoris , itinerum & defatigationis incommoda . Sed hæc omnia abunde compenſabant , ac leniebant uberrimi & jucundiſſimi fructus , quos e ſuis laboribus apoſtolicis percepit . Nullas gentes adiit adeo rudes & chriſtianæ fidei ac legis ignaras , quin divina myſteria & præcepta ſatis edoctas reliquerit ; nullos tam aberrantes a regula & præſcriptione doctrinæ evangelicæ , quin eos ad rectam vivendi rationem viamque ſalutis reduxerit . Ad eum audiendum non ſolum catholici , ſed etiam ſchiſmatici , ipſique Turcæ frequentes concurrebant ; ex his haud paucos ad chriſtianam religionem traduxit , ex illis longe plures ad ſinum eccleſiæ revocavit . Magna erat Turcarum opinio de illius ſanctitate ; eumque identidem orabant , ut conſanguineis ægrotis manus imponeret , & agros frugeſque vel ſiccitate laborantes , vel a noxiis animalibus infeſtas , aqua luſtrali aſpergeret : neque illos ſua ſpe & opinione deceptos eſſe , lætus , quem optabant , eventus oſtendebat . Nec ſolum apud vulgus , ſed etiam apud Præfectos & magiſtratus Turcarum in honore ac veneratione fuit , a quibus ſæpe fidem publicam & ampliſſima diplomata impetravit , quibus poteſtas illi fiebat regiones imperio Turcico ſubjectas adeundi , & omnia , quæ chriſtiana religio ad ſummi Dei cultum præſcribit , officia publice ac tuto peragendi ; ſimulque graviſſimis pœnis interpoſitis cavebatur , ne quis illi obſtare , aut quidquam moleſtiæ exhibere auderet . Haud vero ubique & ſemper Turcis ſibi propitiis uſus eſt . Calumniis interdum circumventus prope abfuit a periculo vitæ aut certe libertatis amittendæ ; ſemel cum de læſa majeſtate populiſque ad rebellionem ſollicitandis ejus nomen delatum eſſet ad Præſidem Turcicum , propius nihil eſt factum , quam ut extremo ſupplicio afficeretur ; ſed eum & perſpecta innocentia , & mors repentina , iniquo accuſatori divinitus inflicta , eripuit.

Turcarum de illius ſanctitate opinio.

Nihilo leviora & longe plura pertulit a perverſis ac ſceleratis hominibus , chriſtiano nomine indignis , quorum vitia nec remedium pati , nec ſalutares ſanctiſſimi Præſulis reprehenſiones ferre poterant. Hi non ſolum de abſentis fama calumnioſe detrahebant , ſed etiam præſentem contumeliis inceſſere , ac tantum non manus in eum injicere auſi ſunt. De illo interficiendo ſæpe conjurarunt ; variis in locis , qua iter facturus erat , inſidias collocarunt , pecunia ſubornarunt , qui eum aut veneno , aut ferro interimerent ; ac ſemel quidem ſicarios ſubmiſſos invenio , qui illum ex editiſſimo monte Biacova præcipitem darent. In pago quodam ſuæ diœceſis , cui nomen eſt Padbrellæ , templum Deiparæ Virgini ædificaverat , eique *a Victoria* titulum indiderat , quam Chriſtiani milites , Sanctiſſimæ Matris ac Virginis ope implorata , de Turcarum exercitu reportarunt , qui Singum arcta obſidione clauſum vehementiſſime oppugnabant. Domicilium ſatis amplum adjecit , quod hoſpitio & receptaculo eſſet Chriſtianis , qui vel illac tranſirent , vel illuc e Turcarum immanitate profugerent . Templo ac domicilio cuſtodes & curatores præpoſuit pios quoſdam Presbyteros , qui illos exciperent , cibo potuque recrearent , & modico viatico inſtructos dimitterent ; ſimulque indigenis , atque accolis tum divini verbi pabulum , tum ſacra myſteria impertirent. Eo cum ſe rei chriſtianæ cauſſa contuliſſet , admonitus eſt ſex homines armatos adeſſe , qui eum vel in ipſo templo , ſacriſque operantem gladiis confoderent. Nec tamen ille veritus eſt in templum deſcendere divina fiducia armatus , ſecum ipſe reputans animo , & vocibus iteratis uſurpans verſiculum illum Pſalmi 26. *Dominus protector vitæ meæ , a quo trepidabo ?* ac ſedens in ſolio , ornatu pontificali , vultuque imperterrito hoſtes expectavit . Vix limen attigerant , cum ille plenus majeſtate , ſeveris in eos oculis converſis , ac duobus illis verbis ex ore Chriſti deſumptis *Quem quæritis ?* & quanta maxima poſſet voce prolatis , tantum terrorem injecit , ut veluti fulmineo ictu tacti , repulſique protinus ſe in fugam conjicerent , Ac ſatis quidem conſtat non paucos , qui auſi ſunt optimo Præſuli calumnias & injurias inferre , aut inſidias & necem moliri , intra breve tempus , Deo vindice , exitialem exitum ſortitos eſſe , & miſerabili leti genere alios alio periiſſe . Ille igitur adverſus hæc omnia imperterritus , ac divino præſidio fretus , nulla diſcrimina , nullos hoſtes , nullum mortis genus , ubi Dei gloria & animarum ſalus ageretur , formidabat ; neque ullis periculis , aut terroribus objectis , paſſus eſt ſe ab opere ſuo & epiſcopali officio avocari . Equidem arbitror eum potuiſſe aliquo modo gloriari cum Apoſtolo Paullo de plurimis & graviſſimis , quæ evangelii cauſſa adierat , *periculis fluminum , periculis latronum , periculis in genere , periculis in civitate , periculis in ſolitudine , periculis in falſis fratribus* , ſeque in rebus duris atque aſperis exercitatum eſſe , videlicet *in labore & ærumna* , in vigiliis multis , in fame & ſiti , *in jejuniis multis , in frigore &c.*

Aggredientes ad ſe interficiendū duobus verbis deterritos in fugā avertit.

Sed nihil illum vehementius angebat , quam in tanta copia meſſis evangelicæ tanta paucitas operarum . Huic malo ut remedium pararet , adoleſcentulos optimæ indolis & perſpicacis ingenii tum ex urbe , tum e diœceſi ſollerti conquiſitione ſelectos , alios Romam , alios Firmum , alios Lauretum , alios Raguſium miſit , ut in earum civitatum collegiis , vel gymnaſiis pietate ac bonis artibus imbuerentur ; his poſt confectum ſtudiorum curriculum in patriam reverſis , alios atque alios viatico & pecunia ad res neceſſarias comparandas de ſuo inſtructos , ſubmittere non antea deſtitit , quam ſelectum operariorum manipulum conflaret , qui ſibi ad urbem ac diœceſim regendam atque excolendam adjumento eſſent. Ex illis gymnaſiis , quaſi quibuſdam omnigenæ virtutis ac ſapientiæ officinis nactus eſt Sacerdotes amplius viginti , eximia doctrina ac pietate præditos , & divini cultus

tus augendi, hominumque ad ſalutem æternam aſſequendam juvandorum ſtudio incenſos, qui aſſiduam ac perutilem rei chriſtianæ operam navarunt. Horum aliquos in collegium Canonicorum cooptavit, nonnullos eccleſiis ruralibus præfecit; alios ad varia loca in opus miniſterii apoſtolici deſtinabat, alios ad diœceſim luſtrandam ſocios ſibi adjutoreſque adjungebat.

A Præpoſito generali Soc. Jeſu duos Presbyteros impetravit, qui ſibi ac ceteris Dalmatiæ Epiſcopis operam navarent.

Nec vero ſolum ſuæ, ſed etiam omnium Dalmatiæ eccleſiarum rationibus, utilitatique proſpicere voluit. Cum Stephano Coſmo Archiepiſcopo Spalatenſi ſua conſilia communicavit; & ſuis uterque litteris poſtulavit a Præpoſito generali Societatis Jeſu, impetravitque duos Presbyteros ex eadem Societate, qui tum ſibi, tum reliquis Dalmatiæ Epiſcopis præſto eſſent, quacumque in re illorum miniſteriis apoſtolicis uti velleat, ſive in pueris & adultis chriſtiana doctrina erudiendis, ſive in concionibus ad populum habendis, ſive in audiendis confeſſionibus, ſive in tradendis piis meditationibus, ſive denique in caſtris, triremibus, carceribus; quique eorumdem Antiſtitum juſſu miſſuque ſingulas diœceſes vicatim obirent, & populos illos divinis præceptis ac myſteriis imbuerent, ad rectamque & chriſtiano homine dignam vivendi rationem informarent. His vero eorumque ſucceſſoribus ut ſtabilis eſſet ac fixa in illis regionibus commoratio, tum ipſe Blancovichius, tum ceteri Epiſcopi litteris ab Senatu impetrarunt, ut ſingulis annis ex ærario publico pecuniæ quod ſatis eſſet in victum ac veſtitum duobus ejuſdem Societatis Presbyteris vineæ dominicæ cultoribus contribui juberet. Ille vero ad ſuam diœceſim excolendam potiſſimum uſus eſt opera P. Philippi Riceputi, & P. Adami Spingaroli. Societatem noſtram optimus Præſul ſummopere amabat, & ſemper quibuſcumque potuit benevolentiæ officiis coluerat: quibus ut gratiam aliquam referret P. Tyrſus Gonzalez Præpoſitus generalis illum bonorum omnium ſpiritualium, ac meritorum, quæ ſibi apud Deum homines noſtri ordinis acquirunt, participem fecit, litteris æque honorificentiſſimis atque amantiſſimis ad eum datis x. Kal. Auguſti anno 1698. inſcriptiſque: *Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino D. Nicolao Biancovich electo Macarſchæ & Caſtri novi &c.* ex qua inſcriptione colligi poteſt ſimul cum Macarenſi decretam illi fuiſſe eccleſiam Caſtri novi; quod oppidum ad fauces ſinus Rhizonici ante annos fere undecim Hieronymus Cornelius in poteſtatem redegerat. Sed deinde Epiſcopo Catharenſi tradita eſt adminiſtratio hujus eccleſiæ, cùm illi & propinquior & commodior eſſet. Certe tamen a Sacra Congregatione commendatam habuit aut totam, aut partem non exiguam diœceſis Dumnenſis in ditione Turcarum, quam non ſemel luſtravit; & in planitie Delmitana cum indigenæ templo carerent, ſpeluncam quamdam elutis ſordibus expiavit, & quantum in ea rerum inopia fieri poterat, expolivit, ornavitque; ac demum aqua luſtrali ſacriſque precationibus initiatam Deo conſecravit in honorem S. Ignatii, cujus ante Virginem Deiparam ſupplicis effigiem aræ impoſuit; ut illuc diebus feſtis accolæ ad ſacrum audiendum, ceteraque religionis officia obeunda convenirent. Nonnullas parœcias Eccleſiæ Naronianæ ab Epiſcopo Tribunienſi recuperavit, quæ antea conjunctæ fuerant cum diœceſi Macarenſi.

Partem diœceſis Dumnenſis luſtravit & excoluit.

Egregia in primis ejus religio erga ſanctiſſimam Dei Parentem fuit, ad quam in periculis & rebus aſperis ſumma cum fiducia confugiebat. Cum ei Venetiis anno 1707. Tipaldus Epiſcopus Philadelphiæ, idemque Præſes Baſilicæ Georgianæ, vir inſignis ſanctimoniæ, donaſſet pulcherrimam effigiem græca manu in tabula lignea pictam; hanc ille egregie ornatam in æde cathedrali collocavit; cujus præſens auxilium in privatis & publicis calamitatibus, ac præſertim cum agri nimio ſolis æſtu laborant, cives experiri ſtatim cœperunt. Itaque ab indigenis juxta, adveniſque ſumma frequentia ac veneratione colitur, ejuſque erga mortales beneficentiam votivæ tabellæ, & oblata munera argentea & aurea declarant. Ejus innocentia & mores.

Domo admodum anguſta atque inornata, quam peregrinis omnibus religioſis & pauperibus patere volebat, menſa parca & frugali, quam ſacra lectione condiebat, lectulo perincommodo, veſtitu obſoleto attritoque utebatur; ut ſibi e domeſtico & eccleſiaſtico patrimonio ſuppeteret, quod in ſacras ædes reſtaurandas & ſacra ſupellectili inſtruendas, ac præſertim in ſublevandam miſerorum & egentium inopiam impenderet. Nemo ab eo aliquid ſubſidii petiit, quin impetraverit; ſi quando nummi deeſſent, ne quem vacuum dimitteret, nunc annulum, nunc crucem epiſcopalem oppignoravit. In communi ſummaque annonæ caritate, ad pauperes alendos inedia fameque confectos, haud exiguum numerum frumenti comparavit; & cum pecunia præſens integræ ſolutioni non ſufficeret, auctoritate & exemplo ſanctorum virorum duos calices argenteos pignori dedit. Qui erant in carceribus, eos frequens inviſebat, ac pletiſque eorum victum quotidianum ſubminiſtrabat. Cum Spalati primum, deinde Macarſchæ contagioſa quædam lues graſſaretur, nulla propriæ ſalutis ratione habita, tum in privatis domibus, tum in publicis valetudinariis, diu noctuque aſſiduus erat; ægrotos blande conſolabatur, moribundos cæleſtis vitæ ſpe recreabat, omnes ad morbi dolores patienter ferendos mortemque ipſam chriſtiano riteque expiato animo obeundam hortabatur; & quæcumque poterat, divina & humana ſubſidia ſingulis impertiebat. Ut paucis omnia complectar, tam ſui rerumque ſuarum negligens erat, quam ſollicitus, operoſus, totuſque in alienis calamitatibus & egeſtatibus ſublevandis. Merito igitur ob ſingulares virtutes, & eximiam, qua flagrabat, in Deum & proximum charitatem, ſumma erat in gratia & exiſtimatione tum apud Romanos Pontifices Clementem XI. & Benedictum XII. tum apud Proviſores generales & magiſtratus Dalmatiæ, tum denique apud primarios proceres urbis Venetiarum; qui nihil unquam ejus poſtulatis denegandum putabant; quippe qui optime noſſent, quidquid ille peteret, non alio ſpectare, niſi ad gloriam Dei & ſalutem animarum.

Cum ad annum ætatis octogeſimum quintum perveniſſet, letalem in morbum incidit, quo intra paucos dies extinctus eſt. Quæ ſanus ac vivens perpetuo dederat, eadem ægrotans & moriens excellentium virtutum documenta præbuit. Anguſto ac duro lectulo affixus, ac viribus corporis plane deſtitutus, mente tamen vegeta, præſentique animo, ut incommoda omnia ac vim morbi libenter etiam, non ſolum patienter tulit; ſic mortem ſereno atque hilari vultu excepit, veluti quæ aditum illi ad beatam immor-

Mors ejus sanctissima.

mortalitatem aperiebat. Itaque Sacramentis ecclesiæ summa cum religione perceptis, postquam Stephano Blascovichio Præposito & duobus Patribus suæ Congregationis, qui ad præstanda optimo parenti extrema pietatis officia Spalato venerant, itemque Canonicis & clericis, qui aderant, monita christianæ pietatis ac sapientiæ plena cum episcopali benedictione dedisset; inter pias Sacerdotum precationes, Jesum ac Deiparam intermortuis vocibus sæpius inclamans, placidissime efflavit animam, hora post solis ortum fere octava, feria quinta, IV. Id. Augusti, anno post Christum natum 1730. Vir plane admirabilis cum veris virtutibus, tum vero incredibili cupiditate divinæ gloriæ propagandæ, studioque servandarum animarum, quarum causa nullum unquam laborem, aut periculum recusavit. Ubi ejus mortem fama vulgavit, incredibilis extitit non modo Macarensium, sed omnium Dalmatarum luctus ac mœstitia; nulla enim pars Dalmatiæ fuit, quam ille charitatis ac beneficentiæ suæ participem non fecerit. Primum Macarschæ, deinde Spalati sollemnibus exequiis & ingenti hominum cujusque ordinis frequentia illi parentatum fuit. Tertio post obitum die sepultus est in æde cathedrali, duplicique loculo inclusus, altero plumbeo, cui placuit inscribi annum diemque ortus, consecrationis episcopalis, & obitus, cum anno ætatis LXXXV. altero ligneo, cui ipsemet hunc titulum sepulcralem veræ christianæque humilitatis indicem inscribi jusserat.

Nicolaus Biancovich Cinis Pulvis Nihil.

Plura de illo narrantur, quæ humanæ potestatis atque efficientiæ vires exsuperant, veluti prophetiæ dono præditum fuisse, & futuros eventus prænunciasse; multaque per eum, & dum viveret, & post mortem miracula divinitus patrata fuisse; quæ omnia P. Joannes Cettinich Presbyter Congregationis Spalatensis Philippinæ, sigillatim exposuit in ejusdem vita Italica Ms. digna sane, quæ ad communem utilitatem, ac tantarum virtutum imitationem excitandam, typis consignata in lucem prodeat.

STEPHANUS II. EP. MACARENSIS XV.

Stephanus Blascovichius honesto loco natus est in diœcesi Spalatensi anno 1690. Ad Congregationem Spalatensem S. Philippi Nerii aggregatus cum esset, magnam partem ætatis ex norma sanctissimi illius instituti transegit, iisque virtutibus, ac præsertim moderatione, lenitate, prudentia claruit, ut Patres universi ad eum supremam præfecturam detulerint, quam aliquot annos summa cum laude & communi approbatione gessit. Illum ex Senatus Veneti electione Clemens XII. anno 1731. ad episcopale fastigium evexit, eique Macarensem Ecclesiam regendam tradidit, honorificis litteris eidem inscriptis, in hæc verba.

Diploma Clementis XII. qui collatum Stephano Episcopatū cōfirmavit.

Clemens Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Stephano Blascovich electo de Macarsca salutem & apostolicam benedictionem. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione præsidemus, utiliter exequi coadjuvante Domino cupientes, solliciti corde reddimur & solertes, ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales in eis pastores præficere studeamus, qui populum suæ curæ creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico & tranquillo velint & valeant auctore Domino salubriter regere & feliciter gubernare. Sane ecclesia de Macarsca, quæ de jure patronatus dilectorum filiorum nobilium virorum Ducis ac Reipublicæ Venetiarum ex fundatione & dotatione existit, & cui bonæ memoriæ Nicolaus Biancovich Episcopus de Macarsca dum viveret, præsidebat; per obitum dicti Nicolai, qui extra Romanam curiam debitum naturæ persolvit, pastoris solatio destituta, nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem ejusdem ecclesiæ de Macarsca celerem & felicem, ne illa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis & sollicitis studiis intendentes; post deliberationem, quam de præficiendo eidem ecclesiæ de Macarsca personam utilem ac etiam fructuosam cum venerabilibus Fratribus nostris S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad te de legitimo matrimonio ex catholicis honestisque parentibus in diœcesi Spalatensi natum, ætatis tuæ annorum quadraginta ultra, juris utriusque Doctorem, & a pluribus annis Presbyterum Congregationis oratorii S. Philippi Nerii in civitate Spalatensi, ibique munus Præpositi laudabiliter obivisse, & curam animarum exercuisse diceris, qui fidem catholicam juxta articulos jampridem a Sede Apostolica propositos expresse professus fuisti, quemque prædicti Dux & Senatores nobis ad hoc per suas litteras præsentarunt, & de cujus litterarum scientia, vitæ munditia, honestate morum, spiritualium providentia, & temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum dotibus, quibus personam tuam largitor Altissimus insignivit, fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos mentis nostræ; quibus omnibus debita meditatione pensatis, eidem ecclesiæ de Macarsca de persona tua nobis & eisdem Fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate providemus, teque illi in Episcopum præficimus &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem 1731. 8. Kal. Octob. Pontific. nostri anno secundo.

Huic Ecclesiæ Præsul optimus non magis auctoritate & sapientia præest, quam sanctissimis institutis atque exemplis prodesset. De illius præclare factis in ejus regimine sane diuturno multa suppeterent, quæ scriberem, singulari laude digna, si trinis meis litteris illuc missis responsum redditum fuisset.

EPI-

EPISCOPI NONENSES.

Nonæ poſitio, varii domini, & cælum inſalubre.

IN extremo ad occaſum latere cujuſdam quaſi peninſulæ, quam a ſeptemtrione fretum Japidiæ, ſeu Morlacchiæ, a meridie ſinus Jadertinus alluit, quæque ab oriente cum reliquo mediterraneo tractu conjungitur, ſita eſt Nona civitas antiquiſſima Dalmatiæ, aſſidens ad euripum ſeu lacum cognominem, quem aquæ ex alto ſtagnantes efficiant. Habet portum percommodum in receſſu intimo ejuſdem euripi, in quem ab ortu illabitur flumen nullo nomine in tabulis geographicis inſignitum; illud eſt fortaſſe, quod Plinius Pauſinum vocat. Sed propter diſcrepantiam veterum codicum Plinianorum non ſatis conſtat, flumenne, an oppidum ſit Pauſinum Plinianum, ut a nobis animadverſum eſt Tom. I. Illyric. Sac. par. 2. Prolegom. cap. 5. §. 3. pag. 144. Quam Plinius, Ptolemæus, & veteres geographi Ænonam dixere, poſterior ætas mutilato vocabulo, & capite quaſi diminuto, Nonam appellat. An eadem ſit, atque Ninia Strabonis, dubitari poteſt. Erat olim civitas frequens, opulenta, & nobilis, præſertim ſub imperio Ducum & Regum Chrobatiæ, in quorum jus ditionemque ſæculo octavo conceſſit; cum ad eam diem primum Romanis, deinde Græcis paruiſſet; erat ſiquidem caput unius ex illis undecim Chrobatorum Zupaniis, quam itidem Nonam ab urbe primaria denominari voluerunt. Poſt reges Chrobatorum extinctos, ſæculo duodecimo ineunte regum Hungariæ dominatum ſubivit; dum autem utriſque Chrobatis & Hungaris ſuberat, iterum ac ſæpius ad breve tempus experta eſt clementiſſimum Venetorum imperium; ſub quo demum poſt multiplices ab aliis ad alios dominos tranſitiones feliciſſime conquievit, eiſdemque jam inde ab initio ſæculi decimi quinti fide ſtabili & conſtanti adhæret. Nunc ob temporum vetuſtatem & bellicas oppugnationes cladeſque ſemiruta, antiquæ amplitudinis ac magnificentiæ vix ulla retinet veſtigia; ob ſolum vero, in quo ſita eſt, uliginoſum ac paluſtre, & paucitatem tectorum, atque infrequentiam incolarum, cælo utitur admodum inſalubri: quæ cauſſa fuit, ut Epiſcopi Nonenſes Jaderæ domicilium ſibi conſtituerent, ibique, præſertim æſtivis temporibus, permiſſu Sedis Apoſtolicæ habitarent.

Nonenſibus lucem evangelii allatam ferunt a SS. Anſelmo primo urbis Epiſcopo, Ambroſio Diacono, & Marcella pediſequa S. Marthæ.

Nonenſes chriſtianæ fidei rudimenta temporibus ac viris apoſtolicis accepta ferunt. Tenet ſiquidem apud eos fama, nullis quidem antiquis monumentis conſignata, nam ſi quæ olim erant, urbe ſæpius capta & cum tabulario incenſa interiere; ſed a majoribus velut per manus accepta, & multarum ætatum conſenſu firmata, Anſelmum unum de ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis, ut ajunt, in hanc oram veniſſe, & multis ad rectam in Deum fidem chriſtianamque religionem ab Ethnicorum fabulis & impura ſuperſtitione traductis, eccleſiam inibi fundaſſe, cujus ipſe primus fuerit Epiſcopus; huic vero diaconum & evangelici miniſterii adjutorem adjungunt quemdam, cui nomen erat Ambroſio, ipſum quoque e ſchola ac diſciplina Chriſti Domini, vel unum ex illis civibus atque indigenis, quos Anſelmus per Evangelium Chriſto genuerat. Utrique vero ad neophytos erudiendos inſtituendoſque perutilem operam navaſſe ajunt Marcellam, quæ pediſequa ſive ancilla S. Marthæ fuiſſe dicitur; quemadmodum enim Paullo, ceteriſque Apoſtolis ac diſcipulis aliæ religioſæ mulieres, ſic Marcella Anſelmo & Ambroſio muneris ac laboris apoſtolici adjutricem ſe præbuit. Hanc tradunt cum Lazaro, Magdalena, & Martha ab Judæis in exilium pulſam, & naviculæ male compactæ, gubernaculo, remigio, nautiſque deſtitutæ impoſitam, Deo ducente, Maſſiliam cum ſociis incolumem appuliſſe; huic adſcribunt præclaras illas voces, ingenuæ piæque mentis indices, quibus, ut perhibet S. Lucas, Chriſti laudes pro muliebri more & ingenio ſatis eleganter celebravit: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti.* De Marcella Petrus Equilinus honorificam mentionem fecit lib. 6. cap. 155. *Marcella Marthæ pediſequa fuit; hæc mulier illa fuiſſe perhibetur, quæ Lucæ* XI. *cap. extollens vocem de turba, ventrem, qui Chriſtum portavit, & ubera, quæ illum lactaverant, beatificare meruit. Hæc cum ipſa domina ſua a Judæorum finibus expulſa, & cum aliis diſcipulis, ut ſuperius actum eſt, Maſſiliam pervenit: ipſam uſque ad ejus obitum non dimiſit; ipſiuſque vitam & geſta conſcripſit. Quæ poſt ejus vitæ finem in Sclavoniam pergens, & ibidem Chriſti Evangelium prædicans, poſt decimum annum a dormitione Marthæ in pace quievit &c.* Eadem ferme Jacobus de Voragine Divorum hiſtoriis intexuit, quibus titulum *Legendæ aureæ* præpoſuit. His conſentiunt S. Antoninus lib. Chron. cap. XX. *Beata Marcella vere Marthæ pediſequa, dicitur conſcripſiſſe vitam ejus, quæ poſtea in Sclavoniam pergens, & ibi prædicans plurimos ad fidem convertit:* Primus Cabilonenſis Epiſcopus in Topographia SS. Chriſti Martyrum: *Marcella Marthæ pediſequa, quæ dixit Domino, Beatus venter &c. perhibetur in Illyria prædicaſſe, & decem annos Marthæ ſupervixiſſe:* Franciſcus Maurolycus in ſuo Martyrologio: *Marcella vero Marthæ pediſequa decem annos ſupervixit, & in Illyria prædicavit.* De vita S. Marthæ, quam S. Marcella conſcripſiſſe dicitur, hæc Baronius in notis ad Martyrologium die 29. Julii: *Feruntur quædam acta nomine Marcellæ pediſequæ, quæ recenſet Mombritius tomo* 2. *ſed quæ revera magis recentiorem aliquem præſeferunt ſcriptorem; licet multa contineant, quæ non tantum ſcriptis, ſed & traditione firmantur.* Convenit inter omnes, quos ſupra laudavi, Scriptores, B. Marcellam in *Slavonia*, ſive in *Illyria* decem ipſos annos Evangelio operam navaſſe: id quod cum ea, quæ apud Nonenſes viget, opinione ab antiquis ducta temporibus ſane congruit. Nona ſiquidem æque dici poteſt Slavoniæ, & Illyriæ civitas; nam ætatibus poſterioribus univerſa Dalmatia Slavoniæ vocabulum ſubierat, ut ex epiſtolis pontificiis, aliiſque ſuperiorum temporum monumentis intelligi poteſt; niſi forte exiſtimes Marcellam primum quidem in ea regione Pannoniæ Dravo Savoque interjecta, quæ olim Savia, poſtea dicta eſt Slavonia; deinde in Dalmatia apud Nonenſes apoſtolico munere functam fuiſſe. Simon Begnius in ſuis collectaneis mſſ. auctor eſt Marcellam e Siſcia oriundam fuiſſe, aut certe ex aliquo non longe disjuncto Pannoniæ, ſeu Dalmatiæ

matiæ oppido. Marcella igitur, cum S. Martha diem ſuum obiiſſet, famulatus officio perfuncta, in patriam ſe retulit, & qua verbis, qua exemplis populares ſuos excolere aggreſſa, quamplurimos ab avita ſuperſtitione ad Chriſti cultum traduxit; deinde vero poſt rem chriſtianam in ea regione propagatam, in Dalmatiam ſe contulit, atque Anſelmo Epiſcopo, ejuſque diacono Ambroſio ſociam ſe in opus miniſterii evangelici adjunxit, & vitæ quod ſupererat in chriſtianam inſtitutionem Nonenſium inſumpſit.

Anſelmo, Ambroſio, & Marcellæ Apoſtolis Nonenſium cultus veteſtiſſimus adhibitus.

Verum de Anſelmo Epiſcopo & Ambroſio Diacono urbis Nonæ litteram nullam ſive apud veteres, ſive apud juniores Agiographos & Martyrologos invenire licuit. Agiographi Antuerpienſes Tomo VII. Junii parte prima exhibent *Indicem Sanctorum in ſex priores menſes*; in quo ſex Anſelmos, ſex itidem Ambroſios commemoratos reperio; ſed iis temporum & locorum notis diſtinctos, quæ in Anſelmum & Ambroſium noſtrum nullo prorſus modo conveniunt. Nonenſes tamen de utroque eccleſiæ ſuæ conditore & parente, cum nihil veterum tabularum proferre poſſint, teſtem appellant majorum ſuorum auctoritatem, & conſtantem traditionem, qua freti innixique Epiſcopi illius Eccleſiæ in iis litteris, quæ de ſtatu rei chriſtianæ & eccleſiaſticæ Romam tertio quoque anno mitti ſolent, hæc perſcribere non dubitarunt: *Eccleſia cathedralis ſub invocatione S. Anſelmi Epiſcopi & confeſſoris, unius ex ſeptuaginta duobus diſcipulis Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti*. Et in aliis hujuſmodi litteris: *S. Anſelmi diſcipuli Salvatoris oſſa reperta fuerunt in arca lapidea prope altare majus, inſimul cum oſſibus S. Ambroſii Diaconi, quæ modo ſunt laminis argenteis membratim recondita, & in ipſa arca cuſtodita ſub tribus clavibus, cum aliis reliquiis ejuſdem eccleſiæ*. Hanc inveteratam indigenarum opinionem confirmat eorumdem erga Sanctos Anſelmum, Ambroſium, & Marcellam conſtans ac perpetua religio; quippe non ſolum eos civitatis apud Deum patronos ſibi adoptarunt, ſed præterea S. Anſelmum quidem VII. Kalend. Septembris, S. Ambroſium vero VI. Idus Januarii anniverſario & ſollemni cultu ſub ritu duplici primæ claſſis venerantur; S. Marcellæ autem VI. Kal. Septembris ſub ritu duplici ſecundæ claſſis debita religionis officia ſingulis annis perſolvunt; eorumque omnium commemorationem in octavam uſque diem perducunt. Ad hæc poſtridie Idus Decembris inventionem S. Anſelmi ſub ritu duplici concelebrant. Eorum corpora anno circiter 46. ſuperioris ſæculi, cum urbi excidium ab Turcis & vaſtitas immineret, ne ſacrilegis barbarorum injuriis expoſita eſſent, Jaderam tranſvecta ſunt, ac depoſita in baſilica S. Anaſtaſiæ: inde vero poſt decem annos ſublata, & ſollemni totius cleri populique ſupplicatione in ædem olim S. Petri veteris, nunc S. Marcellæ invecta & ibidem recondita ſunt apud Virgines cœnobii Nonenſis, quæ ſub initium ſæculi decimi ſexti ob metum Turcarum Jaderam migrarunt; ubi etiamnum honorifice pieque aſſervantur. Quare ut alia omnia argumenta deſint, cultus tamen vetuſtiſſimus, & nunquam interruptus, Anſelmo, Ambroſio, Marcellæ adhibitus, qui omnem ſuperiorum ſæculorum memoriam antecedit, de illorum veritate ac ſanctitate addubitare prohibet, vetatque eos antiquiſſimæ hujus venerationis poſſeſſione deturbari. Sunt tamen qui Anſelmum potius Rhetiariæ Epiſcopum fuiſſe velint, & cum S. Marcella gentibus illis Evangelii lucem attuliſſe; inde vero ejus corpus Attilana clade ingruente cum exuviis S. Marcellæ Nonam translatum.

Eorum corpora Jaderam translata.

Poſt Anſelmum, quem Nonenſes eccleſiæ ſuæ conditorem ac parentem agnoſcunt, vel hæc eccleſia Epiſcopo caruit uſque ad ſæculum ſeptimum, vel certe ſi qui fuerunt per ea tempora Epiſcopi Nonenſes, eorum nomina & acta obLivio ac vetuſtas abolevit. Nam quod aliqui ſuſpicantur de Maximo, qui anno 381. Concilio Aquilejenſi, & anno ſequenti Mediolanenſi interfuit, id longe abhorret a veritate; hic ſiquidem non Ænonenſis, ſive Nonenſis, ſed Ænonenſis Epiſcopus fuit, ideſt veteris Ænonæ, quam alii hodiernam *Civitatem Novam* in Iſtria, alii Labacum in Carniolia eſſe contendunt. Concilio provinciali Salonitano primo, itemque ſecundo, quod anno triceſimo, & triceſimo ſecundo ſexti ſæculi habitum fuit ſub Honorio III. Metropolita Spalatenſi, nullus ex urbe Nona, vel Ænona Epiſcopus interfuit. Sæculo ſeptimo vergente poſt adventum ac primum Slavorum baptiſmum Epiſcopatum Nonenſem vel conditum, vel reſtitutum fuiſſe arbitror, cum videlicet Joannes Ravennas primus Archiepiſcopus Spalati genti Chrobaticæ, quæ tum primum chriſtianam religionem ſuſceperat, proprium dedit Epiſcopum, ejuſque ſedem pontificiam Nonæ conſtitutam eſſe voluit; cujus curæ commiſſum erat quidquid nominis ac generis Chrobatici Chriſto nomen dederat; deinde vero cum reliqui Chrobati anno 832. ſacro baptiſmate initiati ſunt, univerſa omnino Chrobatia tum ciſalpina, tum tranſalpina. Itaque procuratio Epiſcopi Nonenſis latiſſime patebat, & præter Chrobatos, Serblos etiam ejuſdem generis ac linguæ populos Dalmatiæ ſuperioris ultra Tilurum complectebatur. Nam antequam Belgradenſis, ac Tinninienſis Epiſcopatus inſtituerentur, & ſui Serblis etiam proprii Epiſcopi darentur; *Epiſcopum Nonenſem*, ut præclare animadvertit Lucius lib. 2. de Regn. cap. 2. *totius Croatiæ tunc fuiſſe Epiſcopum ex privilegio Mucimiri inferius ponendo conſtabit*. Hic unus Epiſcopus apud Duces Chrobatiæ magno in honore fuit, qui eum plurimis privilegiis, ornamentiſque cumularunt, eidemque jus etiam conferendi Zupanatus, ideſt prætecturas provinciarum tribuerunt, ut idem Joannes Lucius tradit lib. VI. cap. 1. Verum poſt ſedes epiſcopales Chrobatorum Belgradi, ac præſertim Tinninii conſtitutas, Epiſcopus Nonenſis fines ſuæ poteſtatis atque adminiſtrationis contraxit, & iiſdem ferme terminis, quibus nunc definitur, ſuam diœceſim circumſcripſit. Nunc autem hæc diœceſis longius, quam latius protenditur; quippe in orientem longiſſime producta Scardonitanam, ab ſeptemtrione Senienſem, ab occaſu & meridie Jadertinam diœceſim attingit. De finibus ejuſdem diœceſeos ſæpe variatis, modo auctis, modo contractis, quæ declaranda erunt, ſuis quæque temporibus & Epiſcopis innectemus.

Poſt Anſelmum nullus reperitur Epiſc. uſque ad ſeptimum ſæculum.

Epiſcopatus Nonenſis unicus fuit totius Chrobatiæ.

Fines hodierni Diœceſis Nonenſis, & ejuſdem deſcriptio.

Tota regio maxima ex parte plana eſt & campeſtris, naturaque fertilis; vino, tritico, ceteriſque frugibus, atque oleribus abundat, vicis frequentibus habitatur. Erant olim caſtella ſane multa, ad ſuſtinendas hoſtium aggreſſiones, ut temporibus illis, ſatis valida & munita, quæ ab Turcis everſa veterum ædificiorum atque

operum nihil retinent ; præter rudera & ſaxorum congeries . Hæc adhuc extant loca , Obrovaccium utrumque, ſuperius & inferius ad flumen Tedanium, Novigradum ad ſinum cognominem, Corinium infra eumdem ſinum, & alia quædam exigui nominis & circuitus. Tota diœceſis parœcias ad quatuor & viginti complectitur; ex quibus quatuordecim Latino, decem ritu Græco utuntur; & lingua Slavonica ubique, præterquam Nonæ, & Novigradi , ad pſalmodiam & rem divinam adhibetur.

Series Epiſcoporum Nonenſium.

Series Epiſcoporum Nonenſium ordienda nobis eſſet a ſæculo ſeptimo, cum inſtitutus, vel reſtitutus fuit Epiſcopatus Nonenſis , atque a primo Chrobatorum Epiſcopo; ſed hujus itemque aliorum, qui deinceps præfuerunt huic eccleſiæ uſque ad ſæculum nonum, nomina & acta vetuſtate interierunt: itaque altius, quam a ſæculo nono jam ad exitum vergente repeti non poteſt: hinc innoteſcere incipiunt nomina Epiſcoporum Nonæ , quorum poſt S. Anſelmum primus fuit

II. Theodoſius anno 879.
III. Alfreda anno circ. 890.
IV. Gregorius an. circ. 900.
Interregnum Epiſcopale.
V. Andreas an. circ. 1050.
VI. Forminus an. circ. 1074.
VII. Gregorius II. an. circ. 1104.
VIII. Rodanus an. 1163.
IX. Matthæus an. circ. 1170.
X. Prodanus an. circ. 1195.
XI. Joannes an. circ. 1206.
XII. Grubcius an. circ. 1214.
XIII. B. . . . an. 1221.
XIV. Sanſon, ſive Janſon, an. circ. 1230.
XV. Joannes II. an. circ. 1250.
XVI. Stephanus an. circ. 1270.
XVII. Marcellus an. circ. 1281.
XVIII. Marcus an. 1290.
XIX. Joannes III. an. circ. 1318.
XX. Natalis an. circ. 1328.
XXI. Nicolaus an. circ. 1330.
XXII. Joannes IV. an. circ. 1340.
XXIII. Demetrius an. 1353.
XXIV. Joannes V. an. 1388.
Interregnum Epiſcopale.
XXV. Nicolaus II. an. 1410.
XXVI. Ludovicus an. 1424.
XXVII. Natalis II. an. circ. 1440.
XXVIII. Jacobus an. 1463.
XXIX. Georgius an. 1475.
XXX. Jacobus II. an. 1530.
XXXI. Marcus II. an. 1557.
XXXII. Petrus an. 1577.
XXXIII. Hieronymus an. 1581.
XXXIV. Angelus an. 1588.
XXXV. Horatius an. 1592.
XXXVI. Blaſius an. 1602.
XXXVII. Hippolytus an. 1624.
XXXVIII. Simeon an. 1646.
XXXIX. Georgius II. an. 1649.
XL. Franciſcus an. 1653.
XLI. Franciſcus II. an. 1667.
XLII. Joannes VI. an. 1677.
XLIII. Joannes VII. an. 1688.
XLIV. Georgius III. an. 1690.
XLV. Martinus an. 1703.
XLVI. Joannes VIII. an. 1709.
XLVII. Antonius an. 1713.
XLVIII. Nicolaus III. an. 1716.
XLIX. Bernardus Dominicus an. 17...
L. Andreas II. an. 17...
LI. Hieronymus II. an. 17...
LII. Joannes Fridericus an. 1738.
LIII. Thomas an. 1743.
LIV. Antonius II. an. 1754.

THEODOSIUS EP. NONENSIS II.

Theodoſius Epiſc. Chrobatos cum Branimiro duce ad priſtinam erga Romanam Eccleſiam obſequium revocavit.

EX ordine Diaconorum ad Eccleſiam Nonenſem regendam anno 879. delectus, vir eximiæ doctrinæ & ſanctitatis , cui reverſionem Chrobatorum ad priſtinum erga Sedem Apoſtolicam obſequium adſcribendam cenſeo . Chrobati ſiquidem per ea tempora pariter cum Dalmatis , Baſilii Imperatoris & Photii Patriarchæ Conſtantinopolitani impulſu , ab Romano Patriarcha defecerant. De hoc ſchiſmate Chrobatico & Dalmatico, quæ dicta ſunt in Georgio II. & Marino Archiepiſcopis Spalatenſibus, huc revoces velim . Theodoſius itaque ſimul atque ſupremum Sacerdotium Eccleſiæ Nonenſis a clero populoque ſibi delatum accepit , nihil antiquius habuit , quam ut Chrobatos cum Eccleſia Romana in gratiam reduceret . Tunc apud Chrobatos rerum potiebatur Branimirus , qui Sedeſclavum auctorem ſchiſmatis Chrobatici vita & principatu ſpoliaverat. Hunc igitur Theodoſius facile in ſuam ſententiam adduxit ; permagni enim intererat Branimiri, ſive ad conciliandam ſibi popularium ſuorum benevolentiam, ſive ad conflandam invidiam nomini ac memoriæ Sedeſclavi , quem interfecerat, hujus inique acta , ac præſertim turpem illam ab Romano Patriarcha defectionem improbare ac reſcindere. Nihilo difficilius perſuaſum eſt Chrobatis , clero populoque , ut ad Eccleſiam Romanam redirent, quam contra jus faſque deſeruerant; occurrente animis memoria optimæ illius parentis , quæ majores illorum , præconibus evangelicis ex urbe miſſis , Chriſto genuerat , & in ſuam fidem tutelamque receperat . Itaque ſuas Theodoſius , ſuas Branimirus ſeparatim litteras ad Joannem VIII. Pontificem Max. ſcripſit , quibus ſuam erga eccleſiam B. Petri Apoſtoli religionem & obedientiam profitentes , ſe , clerum, & univerſam gentem Chrobaticam in poteſtatem atque obſequium Sedis Apoſtolicæ reſtituebant. Has litteras ad Summum Pontificem perferendas dederunt Joanni Presbytero , viro ſingularis fidei ac prudentiæ, qui quod ipſi ſcriptis expreſſerant , ſuis verbis copioſius & ornatius explicaret. Vix dici poteſt, quantum lætitiæ cœperit Joannes ex voluntaria ad priſtinam erga ſe fidem atque obedientiam reverſione Chrobatorum; quos tamquam filios profugos in ſuam gratiam & clientelam recepit, Nihilo minori benevolentia complexus eſt harum epiſtolarum latorem, qui cum ſuam in eo, quod ſibi datum fuerat, negotio exſequendo fidem , ſollertiam, pietatem Pontifici probaſſet, hunc Joannes idoneum eſſe cenſuit , quem ad Michaelem regem Bulgariæ Legatum mitteret; & cum illi per fines Chrobatorum iter in Bulgariam habendum eſſet , eumdem juſſit reſponſa pontificia in Chrobatiam perferre. Trinas igitur epiſtolas Chrobatis reddidit amantiſſime ſcriptas , & gravibus verbis ſententiiſque plenas , unam ad Theodoſium electum Epiſcopum, alteram ad Branimirum ducem , tertiam ad clerum & populum Chrobatienſem. Datæ ſunt menſe Junio

Ejus & Branimiri ad Joannem VIII. literæ.

ineun-

ineunte, Indictione XII., quæ quidem Indictio cohæret cum anno æræ vulgaris 879.

Epistolæ Joannis Papæ ad Theodosium summa hæc est. Ejus sinceram religionem, atque adversus Ecclesiam Romanam singularem observantiam commendat; suam erga illum vicissim benevolentiam paternamque charitatem declarat; monet ne aliunde petat, quam a Sede Apostolica consecrationem episcopalem. Quamvis enim Episcopus Nonensis a suo Metropolita Spalatensi consecrari debuisset, tamen cum hic, ceteriique Episcopi Dalmatiæ se a suo legitimo Patriarcha segregassent, Theodosius necesse habebat ad Pontificem Romanum consecrationis caussa se conferre; ne quam labem schismaticam contraheret, si a schismaticis sibi manus imponi pateretur.

Theodosio Venerabili Diacono, & electo Sanctæ Ecclesiæ Nonensis.

Epistola Joannis VIII. ad Theodosium electi Nonen.

Dilectionis tuæ litteris receptis atque perlectis, devotionis & fidei tuæ sinceritatem, quam circa ecclesiam B. Petri Apostoli, & circa nostrum pontificium habes, luce clarius agnovimus. Et quia nostram gratiam & benedictionem humili prorsus affectu expetere studuisti, valde sumus gavisi: nam & Joannes venerabilis Presbyter de vestra parte veniens, multa nobis tuæ bonitatis & patientiæ viva voce præconia retulit, quæ in Sacerdote Christi magnopere sunt habenda. Unde te quasi dilectum corporis Christi membrum & spiritalem filium, nostri apostolatus ulnis extensis amplectimur, paternoque amore diligimus, atque apostolica semper volumus benignitate fovere. Ideo monemus sagacitatem tuam, ne in quamlibet partem aliam declines, & contra sacra venerabilium patrum instituta Episcopatus gratiam recipere quæras, audiens illam desiderabilem summi judicis vocem dicentis: Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui. *Sed toto corde, totaque voluntate ad gremium Sedis Apostolicæ, unde antecessores tui divinæ legis dogmata melliflua, cum sacræ institutionis forma, summique Sacerdotii honorem sumpserunt, redeas: quatenus & ipse ab Apostolica Sede, quæ caput & magistra est omnium ecclesiarum Dei, episcopalem consecrationem per nostræ manus impositionem, Christo annuente, percipias; quatenus secundum pristinum morem, S. Petri & nostra semper auctoritate atque tuitione munitus, populum Domini tibi commissum strenue ac securiter regas; & in conspectu altissimi veniens venias cum exultatione portans manipulos tuos, dicereque Domino possis ovanter:* Ecce ego & pueri, & quos mihi dedisti; *& ob hoc cum Deo valeas sine fine gaudere. Data IV. die mensis Junii, Indictione XII.*

Epistolæ Joannis VIII. ad Branimirum Ducem Slavorum seu Chrobatorum argumentum hoc est. Ex ejus litteris, quas sibi Joannes Presbyter reddiderat, se maximam voluptatem percepisse, ac ingentes illi gratias agere, quod ipse una cum populo sibi subjecto ad gremium S. Romanæ Ecclesiæ redierit, & se in hujus potestate perpetuo futurum polliceatur. Illum in suam fidem tutelamque peramanter recipit, illique apostolicam salutem, quam expetierat, & benedictionem impertit; atque ab omnium bonorum largitore Deo & plenam victoriam hostibus subactis, & fausta omnia precatur. Rogat, ut per eum liceat Joanni Presbytero in Bulgariam proficisci, & quas illi tradiderat, litteras pontificias ad regem Bulgarorum deferre.

Dilecto filio Branimir.

Epist. Joannis VIII. ad Branimirum Ducem Chrobatorum.

Relegentes nobilitatis tuæ litteras, quas per Joannem venerabilem Presbyterum communem fidelem nobis mandasti, quantam fidem, & sinceram devotionem circa ecclesiam Sanctorum Apostolorum Petri, & Paulli, ac circa nos habeas, luce clarius novimus; & quia Deo favente, quasi dilectus filius S. Petro, & nobis, qui per divinam gratiam vicem ejus tenemus, fidelis in omnibus & obediens esse cupias, & humiliter profiteris; tuæ nobilitati dignas valde gratias his nostri apostolatus litteris agimus; paternoque amore, utpote carissimum filium, ad gremium sanctæ Sedis Apostolicæ matris tuæ, de cujus videlicet purissimo fonte patres tui melliflua sanctæ prædicationis potavere fluenta, redeuntem suscipimus, & spiritalibus amplectimur ulnis, atque apostolica volumus benignitate fovere; ut gratiam, benedictionem Dei, Sanctorumque Petri ac Paulli Apostolorum principum, & nostram super te habens diffusam, a visibilibus, & invisibilibus hostibus, qui saluti humanæ insidiari, & impedire non cessant, salvus semper, & securus existas, optatamque de inimicis victoriam facilius possis habere. Nam *quanto ipse te Deo humiliter subdere, sanctisque ipsius obedire præceptis studueris, atque ipsius Sacerdotibus & ministris honorem debitum pro amore Domini exhibueris; tanto super omnes inimicos tuos, & rebelles adversarios eris procul dubio victor, & potens. Et ideo monemus industriam tuam, ut in omnibus tuis actibus Deum semper præ oculis habeas, timeas, & toto diligas corde, quoniam* dicente *Psalmista,* Beatus vir est, qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis; potens in terra erit semen ejus: *Et ipse in Evangelio:* Qui me, *inquit,* diligit, sermonem meum servabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. *Quod cum ita sit, si tuis bonis operibus in præsenti luccntibus Deum glorificaveris, gloria eris sempiterna in futuro sine dubio decoratus: quoniam ipse per Moysem hoc se facere testatur dicens:* Glorificantes me glorificabo. *Sicut autem nostro Præsulatui per jam fatum Presbyterum tria suggessisti: quatenus nostro tibi ore apostolico benediceremus pro tuæ salutis augmento, id ipsum libenter fecimus. Nam in die Ascensionis Domini, inter sacra missarum sollemnia, super sacrum altare S. Petri Apostoli celebrantes, elevatis sursum manibus benediximus tibi, & omni populo tuo, omnique terræ tuæ, ut hic & in æternum corpore simul & anima salvatus, & principatum terrenum, quem habes, prospere ac securiter regere possis, & in cælesti regione post mortem cum Deo feliciter gaudeas, & in perpetuum regnes. Et quia hunc ipsum Joannem Presbyterum tibi & nobis verum fidelem in omnibus esse cognoscimus, dedimus illi nostram apostolicam epistolam deferendam regi Bulgarorum. Ideo petimus, ut pro amore S. Petri, & nostro, cum tua ipse licentia, legationem hanc nostram sine tarditate perficiat, ut & propter hoc tuæ dilectioni multiplices gratias habeamus. Data VII. die mensis Junii, Indictione XII.*

Tertiæ Joannis VIII. epistolæ Sacerdotibus & populis Branimiro subjectis inscriptæ hæc est summa. Eorum erga B. Petrum Sedemque Apostolicam eximium studium sinceramque religio-

nem ſibi ſatis perſpectam fuiſſe ex litteris, quas a Branimiro eorum duce acceperat. Eos ad ſinum Eccleſiæ Romanæ redeuntes ſumma benevolentia & charitate complectitur; monet ne unquam in poſterum ab eccleſia omnium eccleſiarum matre ac magiſtra reſiliant, a qua majores ipſorum chriſtianis myſteriis ac præceptis imbuti fuerunt. Illis benedictionem apoſtolicam impertit.

Omnibus venerabilibus Sacerdotibus & univerſo populo.

Epiſt. Joannis VIII. ad clerum, & populum Chrobatiæ.

Cum litteras principis veſtri Branimir, quas nobis per Joannem venerabilem Presbyterum ipſe direxit, legeremus, non ſolum illius devotionem, ſed etiam fidei veſtræ ſinceritatem, & dilectionem, quam circa S. Petrum Apoſtolorum principem & circa nos habetis, cognovimus: & quia velut cariſſimi filii ad Sanctam Romanam Eccleſiam, unde parentes veſtros melliflua ſanctæ prædicationis dogmata ſuſcepiſſe cognoſcitis, toto animo, totaque voluntate redire cupiatis, noſtram apoſtolicam gratiam & benedictionem habere magnopere deſiderantes, magna ſumus repleti lætitia, & ideo brachiis extenſis vos amplectimur, paternoque amore recipimus, & apoſtolica volumus ſemper benignitate fovere, ſi vos hanc voluntatem & ſponſionem veſtram uſque ad finem ſinceriter habueritis, & fideliter tenueritis: quia dicente Domino, Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit: *& Apoſtolo id ipſum dicente:* Participes enim Chriſti facti eſtis, ſi tamen initium fidei uſque ad finem firmum retineatis. *Quapropter eſtote fideles Deo, & S. Petro, ſicut mandaſtis, uſque ad mortem, & accipietis coronam vitæ,* Quam repromiſit Deus diligentibus ſe. *Nos enim ſacris orationibus noſtris memoriam veſtri coram Domino aſſidue facientes, manibus ſurſum ad Dominum elevatis, omnipotenti Deo vos una cum dilecto filio noſtro, principe veſtro commendamus; & omni benedictione ſpiritali vobis benedicimus in Chriſto Jeſu Domino noſtro; ut hic & in æternum corpore ſimul & anima benedicti exiſtatis, & in perpetuum Domino gaudeatis. Data VII. die menſis Junii, Indictione XII.*

Theodoſius epiſcopali conſecratione Romæ ſuſcepta epiſtolã pontificiam ad Branimirũ retulit.

Poſt acceptas litteras pontificias Theodoſius Romam ſe contulit, atque ab Joanne Pontifice epiſcopalem conſecrationem ſuſcepit. Ex urbe regrediens alteram Joannis VIII. epiſtolam retulit ad Branimirum Ducem, quæ cum notis chronologicis careat, videtur referenda eſſe ad annum 880. Collaudat Pontifex eximiam fidem ac religionem Branimiri; hortatur ut conſtanter in bene cœptis permaneat; jubet legatos Romam mittere, qui de quibus Sedem Apoſtolicam conſuluerat, reſponſa accipiant ac referant; cum illis redeuntibus miſſurum ſe, qui ſuo nomine ab duce & univerſo populo jusjurandum in verba legeſque Eccleſiæ Romanæ exigat & recipiat.

Excellentiſſimo viro Barnimero, glorioſo Comiti, & dilecto filio noſtro, atque omnibus religioſis Sacerdotibus & honorabilibus judicibus, cunctoque populo pax, & gratia a Dom. J. C.

Audita per Theodoſium venerabilem Epiſcopum veſtrum fide & devotione, quam circa ſedem B. Petri Apoſtoli, & noſtri pontificii vos habere cognoſcimus, immenſas Deo gratias referentes, magno gaudio ſumus repleti; qui vos nunc ad tantam gratiam perducere, & inter oves ſuas connumerare dignatus eſt, ſecundum quod Dominus ipſi principi Apoſtolorum commiſit dicens: Si diligis me, Simon Petre, paſce oves meas. Unde veſtram fidelitatem, & chriſtianiſſimam devotionem, his noſtris apoſtolicis litteris admonemus & exhortamur, ut ſicut divina inſpiratione agere cœpiſtis, uſque ad finem perficere, & obſervare non prætermittatis; quatenus qui ſub ala & regimine atque defenſione B. Petri Apoſtoli & noſtra, toto conamine vos ſubdere, atque in ejus ſervitio perſeverare, quaſi dilecti filii, procuraſtis; apertius hoc oſtendatis, atque impleatis, ut Dominus in Evangelio dicit: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant bona opera veſtra, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Et ut ita hoc per orbem terrarum veſtræ ſponſionis diffametur, ut auxiliante Domino, & Sanctorum Apoſtolorum ſuffragantibus meritis, ea quæ ſaluti & utilitati omnium veſtrum proficua ſunt, poſſimus ad honorem & exaltationem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ incunctanter perficere, ſicut nomine veſtro ſcripta nobis mandaſtis, ita in libro cæleſti ſcripta vobis permaneant. Quapropter mandamus, ut revertente ad vos dilecto Epiſcopo veſtro, idoneos legatos veſtros præſentialiter ad nos dirigere non prætermittatis, qui pro parte omnium veſtrum nos & Sedem Apoſtolicam conſulant de his quæ mandaſtis, ut nos cum illis miſſum noſtrum dirigamus ad vos, quibus ſecundum morem, & conſuetudinem, eccleſiæ noſtræ univerſus populus veſter fidelitatem promittat. Interim monemus, ut conſtantes permaneatis; quoniam ſcriptum eſt: Melius eſt votum non vovere, quam poſt votum promiſſa non implere. Spiritus Domini, qui orbem terræ replevit, repleat cor veſtrum omni pace & gaudio in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

Ita Theodoſio Epiſcopo, & Branimiro duce auctoribus, Chrobati univerſi ſub imperium Pontificis & Patriarchæ Romani redierunt; quorum exemplum paullo poſt ſecuti Dalmatæ ac Serbli, ipſi quoque ſchiſma Photianum exſecrati, ſe ad priſtinum erga Sedem Apoſtolicam obſequium retulerunt, ut diximus in Marino Archiepiſcopo Spalatenſi. Porro Theodoſius Eccleſiam Nonenſem ſapienter ſancteque adminiſtravit uſque ad annum circiter nonageſimum hujus ſæculi; eique ſucceſſor datus eſt

ALFREDA EP. NONENSIS III.

Alfreda controverſiam habuit cum Metropolita Spalaten. de eccleſia S. Georgii de Putalio.

Hic de quadam eccleſia S. Georgii in Putalio, & prædiis ac proventibus eidem annexis item Petro IV. Archiepiſcopo, ſuoque Metropolitæ intendit. Hanc eccleſiam in agro Salonitano, haud longe ab eo caſtello, cui nomen eſt *Suſſurazio*, Mislavus dux Chrobatorum vel a fundamentis exſtruxerat, vel refecerat, ac magnificentius reſtituerat, & fundis agriſque ſane luculentis dotatam reliquerat. Eamdem vero cum omnibus, quibus inſtructa erat vectigalibus & poſſeſſionibus, Tirpimirus dux itidem Chrobatiæ Petro III. Archiepiſcopo Spalatenſi donaverat, ut conſtat ex ejus diplomate, quod actis ejuſdem Petri intexuimus. Illud autem erat in controverſia, utrum Tirpimirus ædem Georgianam Eccleſiæ Metropolitanæ SS. Domnii & Anaſtaſii perpetuo poſſidendam tradiderit, quod Petrus ajebat, Alfreda negabat; an vero eamdem, ejuſque bona Petro III. fruenda ad tempus dederit, tamdiu ſcilicet, quoad ille viveret, idque affirmabat Alfreda: *dicente Petro Spalatenſi Archiepiſcopo* (ut eſt in actis hujus controverſiæ)

ſiæ), *Hanc, quam dicitis eccleſiam donatam a præfato duce* (Tirpimiro) *& privilegii ſtatuto roboratam, in noſtræ jus eccleſiæ, ſub teſtimoniorum notitia mancipatam habemus : reſpondens Alfreda Nonenſis Eccleſiæ Præſul dicebat, Non ita ſe habere, ſed noſtræ potius eccleſiæ dominio detinetur, quoniam non in eccleſia Sanctorum Domnii & Anaſtaſii, ut dicitis, poſſidenda, ſed ipſius Præſuli fruenda ad tempus tradita eſt:* hinc autem efficere volebat tum Georgii templum, tum vero quidquid prædiorum ac redituum ad illud pertinebat, Petri III. morte tranſiiſſe in poteſtatem ac ditionem Eccleſiæ Nonenſis. Nam & templum, & ejus fundi omnes ſiti erant intra fines Chrobatiæ ; juriſdictio autem ac diœceſis ſive parochia Epiſcopi Nonenſis, quidquid terrarum poſſidebant in continenti duces Chrobatiæ, quamvis interjectum eſſet, vel proximum diœceſibus aliorum Epiſcoporum, & quidquid Chrobatici nominis ac generis erat, complectebatur; erat ſiquidem eo tempore unicus omnium Chrobatorum Antiſtes, iſque Nonenſis. Principatum in Chrobatis ea tempeſtate obtinebat Muncimirus filius Tirpimiri, qui ne proximus a parente poſſeſſionem paternæ hæreditatis adiret, hanc illi præripuerant Demogoi, Sedeſclavus, & Branimirus, aut vi & armis, aut favore & ſuffragio populari dominatum Chrobatiæ adepti. Res igitur, de qua inter ſe contendebant Petrus IV. & Alfreda delata eſt ad Muncimirum, qui recognitis diligenterque inſpectis tabulis, quas Tirpimirus in eam rem confecerat, ædem Georgianam cum omnibus, quæ ad eam pertinebant, Petro IV. Archiepiſcopo, Eccleſiæque Metropolitanæ adjudicavit ; & parentis donationem ratam eſſe juſſit, ſuoque diplomate confirmavit: *Omni compoſita*, inquit, *& prætermiſſa contentione, dictam jam S. Georgii Eccleſiam* (Eccleſiæ) *Sanctorum Martyrum Domnii & Anaſtaſii, cum omni ſuo introitu & exitu ſubjugari* (jubeo) *hoc privilegio, cum ſervis & ancillis, campis & vineis, pratis & ſilvis, cuncta mobilia & immobilia omnia; quam eccleſiam, teſte & auctore Deo, volo ut nullus deinceps de ſucceſſoribus meis de poteſtate Spalatenſis Eccleſiæ ſubtrahere audeat.* Habes integrum diploma Muncimiri in Petro IV. Archiepiſcopo Spalatenſi, quod datum eſt *Biacii, Anno ſacram poſtquam Chriſtus carnem a Virgine ſumpſit* DCCCXCII. *Indict. XI. ſub die IV. Kalendas Octobrium.*

Eccleſiam Nonenſem mirifice illuſtravit quidam nomine Ivan, ſanctiſs. in Bohemia Anachorita.

His temporibus ex ipſa Bohemia decus ingens redundavit in Eccleſiam Nonenſem, & nationem Chrobatorum, quam S. Ivan, abſens quidem, ſed hinc oriundus, eximia ſanctitate illuſtravit. Genere Slavum fuiſſe nomen ipſum indicio eſt; nam qui latine *Joannes*, lingua Slavonica *Ivan* appellatur. Ortum ſe in Dalmatia, & quidem ſtirpe regali, ipſemet, Deo jubente, confeſſus eſt ; cum Paullo Presbytero, quem ad eum miſerat Ludmilla conjux Borivoji ducis Bohemiæ, nomen ſuum, patriam, genus, profectionem e Dalmatia, totius anteactæ vitæ rationem aperuit. *Vir ſanctus*, (ut Balbinus in ejus vita) *cum ſecretum petiſſet non niſi a ſua morte efferendum, vitæ ſuæ ſeriem omnem Paullo expromit; Geſtimuli ſe, ac Eliſabethæ Dalmatiæ imperantium maximum filium eſſe.* In catalogo ducum ac regum Chrobatiæ, qui regnarunt in Dalmatia præſertim mediterranea, nullum invenio, cui nomen fuerit *Geſtimulo*. Hi ſunt duces Chrobatorum, qui ſæculo nono floruerunt, & cum ætate Ivanis componi poſſunt, *Borna, Ladusclavus, Porinus, Miſlavus, Tirpimirus, Demogoi*, ſeu *Dominicus, Sedesclavus, Branimirus, Muncimirus* : ex his nullus nomine *Geſtimulus*. Joannes Bollandus, qui S. Domitiani ducis Carantanorum acta Tomo I. Februarii ad diem quintam ejuſdem menſis inſeruit, in Commentario prævio §. VII. num. 49. animadvertit *barbara illa nomina* (Slavonica) *varie a Scriptoribus diverſæ nationis exarari, ac ſæpe dimidiari ; ex quo intelligitur ejuſdem ducis nomen aliter ab aliis expreſſum fuiſſe*. Idem fere obſervavit Carolus Dufreſnius §. 3. de Familiis Dalmaticis ; & hanc cauſſam attulit, *cur hiſtoriæ Dalmaticæ ſcriptor Presbyter Diocleates cum Porphyrogenito non prorſus conveniat; cum fieri poſſit, ut uterque de iiſdem Principibus ſub diverſis appellationibus ſermonem inſtituerit*. Eos itaque, quos modo nominavi, duces Chrobatiæ aliter ab aliis, & diverſis vocabulis, alii aliis appellari potuerunt; ut nemini mirum debeat videri, ſi unus de illis apud Scriptores Bohemicos Geſtimulus nominetur, quem alii Scriptores alio nomine afficiunt. Joannes Tomcus Marnavitius parentem S. Ivanis *Coſtumilium* vocat in eo libro, qui inſcribitur *Regiæ Sanctitatis Illyricanæ fecunditas;* ſed falſo aſſerit Coſtumilium filium fuiſſe Branimiri ducis, qui ab anno 880. uſque ad annum nonageſimum ejuſdem ſæculi principatum Chrobatiæ obtinuit. Cum enim S. Ivan admodum ſenex obierit anno 910. ſive ut verius cenſet Papebrochius 904. hujus pater Branimiri filius vix, aut ne vix quidem eſſe potuit. Præter duces Chrobatiæ, erant quidam ex primariis Chrobatorum familiis ſive Bani, ſive minores Dynaſtæ, qui cum imperio erant ; & alii in aliis Chrobatiæ Dalmaticæ partibus dominabantur, ſupremis illis ducibus ſubjecti & vectigales. In his unus quidam fuit Lindemuslus, quem Lindemulum Ducangius vocat. Ex aliqua ſimilitudine & affinitate litterarum, in quas deſinunt hæc duo vocabula *Geſtimulus*, & *Lindemuslus*, ſive *Lindemulus*, videtur conjici poſſe unam eamdemque perſonam utrique vocabulo ſubeſſe, & hunc S. Ivanis parentem fuiſſe quem alii *Geſtimulum*, alii *Lindemulum* vocant. Hic Lindevitum ducem Pannoniæ inferioris, ut eſt in annalibus Francorum, fugientem, ac diffidentem rebus ſuis primum quidem benigne excepit, deinde vero per inſidias necavit. *Allatum eſt* (ait Eginhartus ad an. 823.) *Imperatori* (Ludovico) *de interitu Lindiviti, quod relictis Sorabis in Dalmatiam ad Lindemuslum avunculum Bornæ ducis perveniſſet, & aliquantulum temporis cum eo moratus fuiſſet, dolo ipſius fuiſſet interfectus*. Quamvis autem eſſet avunculus Bornæ ducis Chrobatiæ, qui anno 820. interiit, potuit tamen vitam perducere uſque ad annum quadrageſimum quintum hujus ſæculi, cum ab Lothario Imperatore victus & occiſus eſt, ut docet Balbinus ex Mariano Scoto. Sed Daniel Papebrochius, *quod attinet ad Chronicon Mariani Scoti, neque in Baſileenſi vetuſtiſſima, neque in Francofurtenſi veteri etiam editione, quidquam tale reperiri* aſſerit, *neque in aliis Lotharii Imperatoris geſtis; Fortaſſis*, inquit, *intelligi poterit Ludovicus ſucceſſor, qui Mariano etiam Lotharius nominatur, ab anno* 855. *ad* 875. *& ſic ea clades Geſtimuli melius referretur ad annum* 870. Ita fieret, ut Geſtimulus, ſive Lindemulus ad hunc uſque annum vixerit : id quod a veriſimilitudine non abhorret. Utcumque tamen

hæc, certe ætas S. Ivanis cum ætate Lindemuli, ſive Geſtimuli patris ſui congruere poteſt. Hic in Bohemica ſolitudine annos duos & quadraginta tranſegit. Ejus mortem cenſeo cum Papebrochio referendam eſſe ad annum circiter 904. hinc autem retrogrediens detractis annis duobus & quadraginta pervenies ad annum 862. cum ille patria relicta, parente Geſtimulo ſive Lindemulo vel occiſo, ut Balbinus, vel adhuc ſuperſtite, ut Papebrochius tradit, in Bohemiam ſeceſſit. Si autem vixit uſque ad ſenectutem propemodum extremam, cum mortuus eſt, annos amplius ſeptuaginta habuerit oportet: ex quo fit, ut ejus ortus ad annum ſæculi noni circiter triceſimum revocari debeat, & anno ætatis fere triceſimo e Dalmatia diſceſſerit. Ita ſi temporum ratio habenda eſt, nihil obſtat, quominus Lindemulus, quem alii Geſtimulum vocant, parens S. Ivanis eſſe potuerit. Hujus vitam, vel ejus epitomen Bohemi Scriptores litteris mandarunt, Venceslavus Hagecius in Chronico Bohemiæ, Nicolaus Salius Pragenſis, Georgius Bertoldus Pontanus Præpoſitus Metropolitanæ Pragenſis lib. IV. de Sanctis Patronis, Georgius Crugerius in ſacris faſtis menſis Junii, Tomcus Marnavitius in opere ſupra laudato, ac demum Bohuslavus Balbinus eamdem fuſiori & accuratiori ſtylo deſcripſit, quam quidem poſtremam Daniel Papebrochius inſeruit actis SS. Tom. IV. ac diei 24. menſis Junii. Cum ſanctiſſimus hic Anachorita ortu ſit Dalmata, & quidem filius atque alumnus Eccleſiæ Chrobaticæ Nonenſis; Bohemi æquo animo ferrent opinor, ut Bohemicæ, ſic Dalmaticæ Eccleſiæ faſtis S. Ivanem adſcribi. Ejus vitam annalibus Bohemorum, Nicolao Salio auctore, inſertam, quam Laurentius Surius in Tomum VII. *de probatis Sanctorum hiſtoriis* tranſtulit, nos quoque hic lectoribus exhibemus.

S. Ivanis vita, auctore Nicolao Salio.

Ivan (1) *Geſtimuli Dalmatiæ* (2) *regis ex Eliſabetha filius* (3), *latine Joannes dictus, ſalutatis* (4) *parentibus in eremum Deo ſe credens profugit, & formidoloſis ſilvarum flexibus duce Angelo pererratis in Bohemiam adhuc idolis* (5) *devotam, Neclane* (6) *rerum ſummam in ea adminiſtrante, devenit: idque circa annum Domini* 857. (7) *Cumque in* (8) *ſpecu quadam tribus circiter milliaribus a Praga diſjecta, moleſtiſſimis* (9) *Dæmonum incurſibus biennio quateretur, feſſus tanta infectatione eorum, locum mutans abibat. Ei ſic eunti B. Joannes* (10) *Baptiſta obviam factus percontari ex eo cœpit, quonam ſe, & cujus rei gratia aliorſum ferret; ille, quod res erat, fateri Dæmonum immoderatis ſe & continuis vexationibus adeo conturbari, ut nec conſiſtere, nec moram facere queat. Hic Baptiſta Sanctus rudem* (11) *teneramque Tyronis Chriſti militiam miſeratus, præſidio crucis donatæ eum firmat. Qua ille fretus intrepide ad deſerta caſtra redire, & contra ovantes hoſtes clamoribus eum inceſſentes, quod ibi ſe balneum habere dicerent, infeſto ſigno procedere. Cujus virtutem illi non ferentes, quaquaverſum dilabi: ille victoriam proſequi, & intimius ad eos penetrare. Unus ibi teterrimus appreſſo petræ corpore protervius hærebat Dæmon, diriſſimis vocibus, & immani oris rictu, devoraturo ſimilis frendens. In cujus ille putentem hiatum crucem conjiciens, adeo illum hoc jactu perculit, ut perfoſſa grandi petra foras erumpere coactus fuerit. Cernitur nunc quoque id alte ductum foramen, & profugi hoſtis pudendos conatus teſtatur. Sic compeſcitis Dæmonum efferatis auſibus, pacatius deinde* 40. (12) *& duobus circulis annorum eremitam geſſit Ivan, nulli mortalium annis* 14. *viſus, lacte interim cervæ, divina cura ei tempeſtive fecunda ubera exhibere juſſæ, paſtus.* 12

Quo tempore Borivojus (13) *dux feras perſequens, cervam hanc nutricem Ivanis ſagitta trajecit, & veſtigiis ejus hærens ad antrum viri Dei ignarus decurrit, miratus cervam jacentem tam copioſo lacte exuberare. Cum vir procero corpore, veſte promiſſa, impexo & intonſo crine, ſuperciliis oculos tegentibus, ſpecu progreſſus ſeverius cum principe expoſtulare cœpit, quod animal ſuum telis appetierit. Conſternatus princeps, non expectata talis viri facie, prodigioſamque belluam exiſtimans una cum comitum manu pedem retro tulit. Deinde animoſior factus, imperat ei per Chriſtum (quem primus Bohemiæ principum fide agnoverat) edicere quid hominis ſiet. Ille adjuratus, nomen, patriam, genus, eventuſque ſuos palam docet: quin & in petræam aulam, qua exierat, flagitantem hoc principem inducit, & Dei circa ſe adminiſtrationem evulgat. Rogatuſque enixius, ut equo ſe in urbem Tetinam* (14) *deferri pateretur, (ibi quippe Borivojus vitam* (15) *privatæ ſimilem cum Ludmilla* (16) *tenebat) recuſavit & quod equitandi omnino ignarus eſſet, & quod commodius conſequenti tempore id ſe obſequium principi exhibere poſſe opinaretur. Monuit interim, ut cervam, quam venator confecerat, egenis diſpertiretur. Verum Ludmilla videndi tanti viri avida Borivojum perurſit, ut myſta ſuo, cum ſex famulis, & aſino emiſſis, eum ad ſe deportarent. Cui adventanti, & illa, & ille honoris ergo longe progreſſi Ave detulerunt; & ſuſceptum intra limina dignis eorum nomine epulis honorarunt. Sed ille jejunii lege perpetua appetitum guſtatumque ſuum definiens, nihil ex eis libare, nedum comedere elegit, ſed ad ſuam ſpecum anhelans, finito cum iis de divinis rebus colloquio, quamprimum reverti contendit. Reverſuſque eſt Sacerdote Paullo, & ſex comitibus ſtipatus, omnibus regiis aulis exeſi ſui antri præferens horrorem. Ad eum triduo poſt Paullus* (17) *myſta profectus, lapſibus vitæ veteris ejus auditis, eum & expiavit, & re divina ad ſpecum facta, ſacro Chriſti corpore eum refecit. Quo ille ſumma animi & corporis demiſſione ſumpto, traditaque Presbytero cruce parva, quam D. Joannis Baptiſtæ gratia ad retundendos impetus Dæmonum acceperat, tertia die poſt ſynaxim, ex ſpelunca tenebricoſa cæli* (18) *regiam adiit, corpore tantum ibi (nam ita fieri popoſcerat) depoſito. Quo in loco Borivojus monaſterium ſub nomine D. Joannis Baptiſtæ a ſe ædificatum amplis proventibus dotavit, duobuſque* (19) *Sacerdotibus ejus curam pro tempore tradidit. Eo poſtea viri ad normam* (20) *D. Benedicti viventes traducti ſunt.* 13 14 15 16 17 18 19 20

Noſter (21) *eſſe voluiſti Ivan, ut noſtra damna levares: leva obſecramus.* 21

Notæ.

(1) Geſtimulus idem videtur eſſe ac Lindemulus, avunculus Bornæ ducis Chrobatiæ, de quo Eginhartus in annalibus, ut ſupra diximus.

(2) Hic erat Dynaſta ſive Regulus alicujus civitatis in Dalmatia mediterranea, quam duces Chrobatorum ab Heraclio Imperatore ſibi traditam obtinebant. Veteres etiam paucorum

loco-

locorum dominos liberali ſane appellatione reges vocabant.

(3) Natus circiter anno triceſimo ſæculi noni.

(4) Adhuc igitur ſuperſtites erant parentes Ivanis, cum hic patria relicta, & rebus humanis nuncio remiſſo, in Bohemicam eremum ſe contulit. Vix infantiam prætergreſſum Marnavitius, natum annos viginti Papebrochius, e Dalmatia diſceſſiſſe ajunt. Neutri aſſentire poſſum. Cum enim poſt annos duos & quadraginta in ſolitudine exactos obierit, ex horum ſententia vix annos duos & ſexaginta vixerit oportet, contra quam alii Scriptores ſentiunt, qui eum admodum ſenem e vita migraſſe tradunt; eique annos ipſos ſeptuaginta Balbinus attribuit. Annum fere triceſimum jam exegerat, cum e Dalmatia profectus eſt in Bohemiam. Hagecius & Pontanus Ivanem non e Dalmatia, ſed e Chrobatia in Bohemiam veniſſe tradunt. Verum Dalmatia mediterranea citra Tilurum jam inde ab adventu Chrobatorum nomen Chrobatiæ ſubierat.

(5) Primus e ducibus Bohemiæ Borivojus, aliquot annis poſt adventum Ivanis, chriſtiana ſacra ſuſcepit, ac populares ſuos ad Chriſti cultum traduxit.

(6) Papebrochius in notis ad vitam S. Ivanis: *Hic ducum Bohemiæ ignaviſſimus fuit, electus anno* 852. *mortuus anno* 873.

(7) Huic anno adde annos duos & quadraginta, quos vixit in ſolitudine Bohemica; igitur neceſſe eſt obierit anno 899. cum ceteri omnes Scriptores eum vita functum tradant vel decimo vel quarto anno ſæculi decimi. Ego cum Papebrochio ejus adventum in Bohemiam conferendum cenſeo in annum 862.

(8) Antequam in hanc ſpecum tertio ab urbe Pragenſi lapide disjunctam deveniret, annos fere duodetriginta in illis locis per dirupta & avia oberraverat, in alia ex aliis antra demigrans, divino Spiritu modo huc, modo illuc impellente: *Nam poſt varios errores*, ut ipſe apud Balbinum ait colloquens cum Borivojo duce, *in hoc antrum denique perveni, in quod jam decimum & quartum annum a nullo viſus, ſed neque ex antro in lucem egreſſus, Chriſto ſervio.* Adhuc in ea regione ab indigenis monſtrantur varia ſaxa & ſpelæa, quæ ille ſuis veſtigiis, ſuaque ſtatione conſecravit; ac veluti quædam ſanctuaria voti ac religionis cauſſa peregre adiri, magnaque in veneratione haberi ſolent.

(9) Poſt annos duodetriginta variis in locis divino famulatui impenſos, in illa ſpelunca, in qua poſtremos vitæ annos quatuordecim tranſegit, per biennium acerbiſſimas illas Dæmonum inſectationes ſuſtinuit, quibus adeo diu noctuque exagitabatur, ut nec partem ullam capere quietis, nec rerum cæleſtium contemplationi vacare poſſet. Itaque alio cogitabat, jamque ex infeſta illa ſtatione diſceſſerat, cum a B. Joanne Baptiſta revocatus, ejuſque monitis ac præceptis inſtructus, & cruce ab eo accepta armatus tartareos hoſtes ſuperavit.

(10) *Quem ego mihi* (ait ipſe apud Balbinum colloquens cum Paullo Sacerdote) *a prima ætate patronum delegi*; ejus quippe nomen gerebat: nam Ivan apud Slavos idem eſt, quod Joannes apud latinos.

(11) Nimirum putabat Nicolaus Salius Ivanem in ipſo tirocinio vitæ eremiticæ diabolicis illis incurſionibus obnoxium fuiſſe, quibus poſt annos duodetriginta in eremo exactos primum appeti & vexari cœpit, ut ex ejus vita per Balbinum deſcripta colligitur.

(12) Hos annos ita dividas velim, ut duodetriginta priores annos erroribus ejuſdem & ex uno in alium locum migrationibus attribuas; reliquos vero poſteriores quatuordecim in ea, quam dixi, ſpelunca, ubi & mortuus eſt, ab omni humano commercio ſejunctus traduxit; ſic prorſus, ut poſt biennes illas diabolicas vexationes nunquam indidem pedem extulerit, & ipſum nemo hominum, neminem hominum ipſe viderit: ſic enim eum cum Borivojo loquentem induxit Balbinus: *in quo* (antro poſtremo) *jam decimum & quartum annum a nullo viſus, ſed neque ex antro in lucem egreſſus*. Sed Crugerius ſolum duodecim annos numerat; quia nimirum, poſtquam biennium in illo antro commoratus fuit, cum moleſtiſſimos illos Dæmonum incurſus ferre non poſſet, egreſſus fuerat, ut locum magis quietum inveniret. Sed poſt victos ac ſuperatos Dæmones, quibuſcum uno itemque altero anno colluctatus eſt, eodem rediit.

(13) Hic erat Neclanis filius aut nepos; & rerum in Bohemia potitus, cum Ludmilla conjuge ſua chriſtianam religionem ſuſcepit, ad eamque colendam Pragenſes & Bohemos magna ex parte perduxit.

(14) Papebrochius in notis ad vitam S. Ivanis: *Tetin una ſolum leuca diſtat a loco S. Ivanis* (ideſt a ſpelunca, quam poſtremum ille incoluit) *trans fluvium Miſam, qui circumito Carelſtenio paullo ſupra Pragam Moldavæ jungitur.*

(15) Papebrochius cenſet Borivojum & Ludmillam poſt repertum S. Ivanem, hujus piis adhortationibus impulſos, principatu depoſito, in vitam privatam ſe contuliſſe.

(16) Femina ſanctiſſima, & avia S. Venceslavi, quam Drahomira hujus mater per ſummam impietatem necavit.

(17) Balbinus tradit Paullum Presbyterum a Ludmilla divinitus per quietem admonita miſſam fuiſſe, ut Ivanem morti proximum divinis myſteriis impertiret.

(18) Balbinus & alii Ivanem obiiſſe tradunt anno 910. ſed Papebrochius ejuſdem mortem ad annum 904. revocandam cenſuit; nam illi cum anno eodem 910. Borivojum, poſt repertum Ivanem, vita functum fuiſſe doceant, huic non videntur relinquere temporis quod ſatis eſſet ad ſacellum illud ſupra ſepulcrum S. Ivanis ædificandum, neque ad collegium Presbyterorum inſtituendum, qui divinis rebus ibidem operam darent, neque ad annuos proventus conſtituendos, unde ſacris miniſteriis & Sacerdotibus ſumptus neceſſarii ſuppeditarentur. Itaque mors hujus ſanctiſſimi viri aliquot annis mortem ducis anteceſſerit oportet. *Dixerim ergo*, ait Papebrochius, *anno circiter* 904. *repertum mortuumque Ivanem, & fructum piarum ejus adhortationum fuiſſe, quod duces æſtimata ſanctæ ejus mortis felicitate decreverint terrenis rebus nuncium remittere, ſeque Tetinam recipere, orationibus, eleemoſyniſque, & aliis piis operibus vacaturi; inter quæ primum fuerit Ædicula ſuper ſpelæum & ſepulcrum Sancti ſub nomine S. Joannis Baptiſtæ erecta.* S. Ivan migravit in cælum VIII. Kalendas Julias ipſo natali die S. Joannis Baptiſtæ. *Mortem ille putatur obiiſſe*, ait Papebrochius, *ipſo Sancti Præcurſoris die natali; quo licet officium de Baptiſta impediat proprium de Ivano faciendum, non tamen impedit fervorem popularis*

ris devotionis, ad ipsum potissime respicientis. Testatur hoc Pontanus infra laudandus Bohemiæ piæ Scriptor, Ivani elogium his verbis concludens: Hoc ille templum, suique memoriam beatissimam obtinuit, ubi a religiosis clientibus suis, ibi Deo servientibus, frequentique populi concursu visitur, & colitur; cujus festivus dies proprius est, qui & S. Joannis Baptistæ. Georgius tamen Crugerius noster inter Sacros Pulveres mensis Junii, Ivani memoriam transfert in diem sequentem; quod officium fortasse proprium tunc fiat in monasterio; nam Ecclesia Pragensis in suis Kalendariis, neutro die, ac ne quidem ullo alio Ivani meminit.

(19) Balbinus Sacerdotes, quibus tradita est templi procuratio & custodia, nullo numero definivit; sed plus duobus fuisse ejus verba significant: *Ne vero muta ad divinas laudes solitudo foret, Sacerdotibus advocatis tutela loci committitur: addita necessaria ad tuendam vitam præsidia.*

(20) Hoc cœnobium cognominatum esse ait Balbinus *Skalense, seu S. Ivani;* de quo Papebrochius: *Deinde insigne sub nomine S. Joannis Baptistæ monasterium, inductis eo sub anno MXX. Benedictinis ex insulari Ostrovienſi Pragæ Abbatia, uti asserit in Phosphoro Pragensi Joannes Pessina.* Templum vero, ut docet Balbinus, *quod super viri sancti tumulum Borzivojus & Ludmilla statuerunt, Beatissimæ Dei Matris, & S. Joannis Baptistæ titulum, aut etiam, ut alii auctores sunt, una cum his Sanctæ Crucis dia gessit; posteri S. Ivanum nominavere.*

(21) Idest, cum esses ortu Dalmata, sive Chrobatus, patria relicta, noster fieri voluisti. Eamdem precationem ad implorandum S. Ivanis patrocinium usurpare possunt Dalmatæ, & Chrobati, unius & alterius voculæ mutatione adhibita: *Noster patria fuisti Ivan, ut damna nostra levares: leva obsecramus.*

Jam vero ad Alfredam ut regrediamur, is vitam usque ad initium sæculi decimi perduxit, eique suffectus est

GREGORIUS EP. NONENSIS IV.

Episcopo Nonensi facultas antiquitus permissa erudiendæ totius nationis Chrobaticæ.

Principio post adventum Slavorum, ut sæpe diximus, Episcopis Nonensibus christiana procuratio totius gentis Chrobaticæ commissa fuit. Nona civitas erat, & una ex illis quatuordecim Zupaniis, in quas omnis Chrobatia citra montes teste Porphyrogenito divisa erat. Porro Episcopus Nonensis, quamvis diœcesim haberet certis finibus circumscriptam, tamen cum unicus esset Chrobatorum Episcopus, id illi commendatum fuerat, ut Chrobaticæ nationis erudiendæ curam ex charitate susciperet; quippe qui ejusdem gentis indolem, mores, linguam callebat. Cum vero nomen ac genus Chrobatorum latius in dies propagaretur, eoque crevisset, ut nulla propemodum esset parochia sive diœcesis provinciæ Spalatensis, quin coloniis Chrobatorum frequentissime habitaretur; Episcopi Nonenses christianam plebis Chrobaticæ institutionem, quam initio delegatam habuerunt, paullatim tamquam propriam sibi vindicare, in alienis diœcesibus dominari, & Chrobatis, ubicumque essent locorum, omnia episcopalia officia præstare cœperunt, primum quidem non omnino dissentientibus Episcopis Dalmatiæ inferioris, postea vero licet invitis ac repugnantibus. Hinc factum est ut jurisdictio Episcopi Nonensis latissime patens, intrusaque in diœceses intimas aliorum Antistitum, fere nullos, quibus definiretur, terminos haberet. Gregorius ergo Nonensis Episcopus diœceseos tam late longeque porrectæ amplitudine ac nobilitate inflatus majora quædam appetere cœpit, idque conari, ut se & ecclesiam suam Metropoli Spalatensi subtraheret, sibique metropoliticum nomen ac primatum acquireret. Ob hanc causam illi cum Joanne III. Archiepiscopo Spalatensi multæ & magnæ contentiones fuerunt, nixusque patrocinio ac potentia Tamislavi, qui tunc rerum potiebatur in Chrobatia, suo Metropolitæ plurimas & gravissimas molestias exhibuit, ut scripsit Archidiaconus cap. XVI. in Laurentio Archiepiscopo: *Cujus* (Ecclesiæ Nonensis) *Episcopus Gregorius multas olim molestias Joannem Archiepiscopum Spalatensem sustinere fecit, debitam ei subtrahendo obedientiam, & sibi jus metropoliticum indebite vindicando.*

Gregorius Ep. jus & nomen metropoliticū affectat.

Præterea inter Chrobatos & Serblos consuetudo hæc paullatim irrepsit, jamque usus invaluerat linguæ Slavonicæ ad liturgiam remque divinam adhibendæ. Quod enim Joannes VIII. Cyrillo ac Methodio auctoribus nominatim Moravis concesserat, idem sibi licere Slavi Dalmatæ putabant, & lingua Slavonica in rebus sacris, injussu Sedis Apostolicæ, passim utebantur. Hujus autem consuetudinis tenacissimum atque acerrimum defensorem se Gregorius præbebat. Sed eidem consuetudini vehementer obstabant tum Joannes Metropolita, tum ceteri Episcopi Dalmatiæ, & eam abolendam, ejusque linguæ in templis usum publicum Chrobatis pariter atque Serblis interdicendum esse censebant; neutris permitti posse existimantes, quod, Sede Apostolica inconsulta, ipsi pro suo arbitrio ac voluntate usurpabant. Nec deerant, qui Liturgiam Slavonicam criminabantur erroribus refertam esse, ejusque auctori hæreseos notam inurebant. Cum hæc, & superior contentio acrius in dies efferveseceret, Joannes Metropolita Sedem Apostolicam consulendam, ejusque auctoritatem interponendam esse putavit. Hic itaque cum ceteris Dalmatiæ Episcopis, simulque Tamislavus Chrobatorum, & Michael Serblorum & Chulmiæ duces, cum ea res interesset utriusque Slavonicæ gentis, per litteras Joannem X. Pontificem rogarunt, ut legatos apostolicos mitteret, qui contentiones illas ac dissidia componerent, atque orthodoxæ sinceræque fidei formulam Slavis traderent. Misit ille Joannem Anconitanæ, & Leonem Prænestinæ Ecclesiæ Episcopos; eisque suas litteras dedit tum ad Joannem Spalatensem Metropolitam, & Episcopos Dalmatiæ, tum vero ad Tamislavum ducem Chrobatiæ & Michaelem ducem Chulmorum; quas in eodem Joanne Archiepisc. Spalatensi descripsimus. In utriusque declaravit quid suæ sententiæ esset de lingua Slavonica, quam ad divina mysteria publice peragenda adhiberi omnino vetuit. *Ut secundum mores Ecclesiæ Romanæ*, inquit, *Sclavinorum terræ ministerium sacrificii peragant, in lingua scilicet latina, non autem extranea, quia nullus filius aliquid loqui debet, vel sapere, nisi ut mater ei insinuaverit.* Legati pontificii cum in Dalmatiam venissent anno 925. Concilium generale, sive, ut dicunt, nationale Spalatum convocarunt, cui Joannes Metropolita, idemque Primas Dalmatiæ, cum plerisque Episcopis utriusque provinciæ Spalatensis ac Diocletanæ, & Tamislavus dux Chrobatiæ, itemque Mi-

Usum linguæ Slavonicæ in sacram liturgiam perperam invectū Gregorius pertinaciter tuetur.

chael

chael dux Serblorum Chulmiæ, cum proceribus utriusque gentis interfuerunt. Decreta omnino quindecim condita sunt, e quibus quatuor ad hunc locum pertinent; hæc & reliqua cum nostris animadversionibus & explanationibus legi possunt in eodem Joanne III. Ac primo quidem declaratur, & confirmatur potestas metropolitica Archiepiscopi Spalatensis, ad retundendam arrogantiam quorumdam, qui se illi subjectos esse ægre ferebant, præsertim Gregorii Episcopi Nonensis, ad quem nominatim spectat Canon undecimus in hæc verba compositus: *Ut Episcopus Chroatorum, sicut nos omnes, nostræ Ecclesiæ Metropolitanæ subesse se sciat.* Nec vero illi solum spes omnis adipiscendi Primatus Metropolitici adempta est, sed etiam statutum est, ut ejus diœcesis certis quibusdam limitibus definiretur. Cum duces Chrobatorum Dalmatiam mediterraneam citra Tilurum sive Cetinam possiderent, & fines imperii mare versus quotidie magis proferrent ac dilatarent; Episcopus Nonensis, ut diximus, quidquid terrarum illi possidebant, vel ad Chrobaticum principatum adjungerent, id sibi vindicabant, suæque episcopali jurisdictioni subjectum esse volebant. Ex quo fiebat, ut diœcesis Nonensis immensum loci propemodum obtinens, aliorum Episcoporum diœceses in maximas angustias compelleret, & unus idemque Episcopus tot locis ac gentibus late diffusis ac longe disjunctis regendis, tantoque oneri ferendo non esset. Itaque Patres Concilii Spalatensis diœcesim Nonensem ad certos terminos revocandam esse censuerunt; præsertim cum jam necesse non esset totius gentis Chrobaticæ erudiendæ curam uni Episcopo Nonensi committere; quippe ceteri quoque Episcopi Slavonice sciebant, & ipsi Chrobati latine loqui didicerant, & tum linguæ utriusque, tum rerum communium commercio Dalmatæ & Chrobati inter se jungebantur. In hanc fere, quam exposui, sententiam compositus est Canon duodecimus, qui correctione quadam adhibita est hujusmodi: *Quod si rex & proceres Chroatorum omnes diœceses intra limites nostræ Metropolitanæ* (id est Ecclesiæ) *suo cupiunt vindicare Pontifici, nullus ex nostris per omnem provinciam eorum* (idest Chrobaticam) *neque regenerationes facere* (idest baptizare), *neque ecclesias Presbyteros consecrare poterit, tum ne in diœcesibus quidem suis missæ opus* (seu rem divinam, ac cetera episcopalia ministeria peragere). *Quare quisquis* (ex gente Chrobatorum) *ad nos accesserit, & consecrari, regenerari, chrisma sibi dari poposcerit, absque omni scrupulo per totam provinciam* (in sua tamen quisque diœcesi) *quod petunt, tribuere debemus. De cetero* (si nobis obstare & impedimento esse pergant, quominus jure nostro utamur, & officio fungamur) *ipsi cum suo Pontifice Deo rationem reddant de his omnibus, quæ in eis christianæ religionis dogmati defuerint;* (idest de iis, quæ apud eos detrimenta cœperit christiana fides ac disciplina, cum administratio totius rei christianæ Chrobaticæ, in omnes fere partes Dalmatiæ citra Tilurum distenta, majus quiddam sit ac laboriosius, quam quantum ab unico Episcopo præstari possit) *nostra coram Deo conscientia erit absoluta.* Hoc scilicet dux & proceres Chrobatorum volebant, hoc postulabant, ut omnes sui populares, ubicumque locorum essent, neminem alium, præter Episcopum Nonensem, agnoscerent, & colerent; huic uni obsequium deferrent, ab hoc uno leges, sacramenta, Sacerdotes acciperent, ex hujus denique auctoritate in rebus omnibus, quæ ad religionem pertinent, nutuque penderent. Ex quo fieri necesse erat, ut ceteri provinciales Episcopi ab omni propemodum curatione & administratione vacarent, eorumque jurisdictio arctissimis finibus coerceretur, si omnem illorum curam operamque iis tantum locis, quæ Chrobatico dominatu exempta erant, & Dalmatis latinis tantummodo, qui longe pauciores erant, quam Chrobati, impendi oporteret. Id vero Patres Concilii Spalatensis absurdum, a disciplina ecclesiastica alienum, & nullo modo ferendum esse existimant; ac propterea decernunt, ut Episcopi provinciæ Spalatensis, in sua quisque parochia, sive diœcesi, curam pastoralem æque Chrobatis ac ceteris navent, & omnia episcopalia officia libere fideliterque exlequantur. Hanc hujus Canonis XII. sententiam esse, quod paullo post dicturi sumus ex epistola Joannis Papæ X. & ex altero provinciali Concilio, magis magisque confirmabit.

Concilium nationale, in quo jubetur Gregorius subesse Metropolitæ suo Spalatensi, ejusque diœcesis certis finibus circumscribitur.

Canone X. usus liturgiæ Slavonicæ interdicitur; sicubi tamen Sacerdotum, qui latine sciant, inopia laboretur, ab Romano Pontifice petendum esse, ut hujusmodi Presbyteris sacrificii Slavonice faciendi potestatem permittat: *Ut nullus Episcopus nostræ provinciæ audeat in quolibet gradu Slavonica lingua quemlibet promovere; tamen is in clericatu & monachatu Deo deservire poterit; nec in sua ecclesia missas facere sinat; præter si necessitatem Sacerdotum haberet, per supplicationem a Romano Pontifice licentiam ei sacerdotalis ministerii Slavonice peragendi tribuat.* Slavi quidem omnes suæ liturgiæ tenacissimi erant, ab ejusque usu in divinis officiis jampridem recepto abduci nolebant; sed ex omnibus Dalmatiæ Episcopis unus erat Gregorius Nonensis, qui a ceteris dissentiens patriæ linguæ patrocinium susceperat, pro eaque in sacris & publicis ministeriis retinenda omnium acerrime pugnabat; verum enimvero cum in eo frequentissimo conventu lectæ fuissent epistolæ Joannis Papæ prohibentes usum liturgiæ Slavonicæ, apud omnes, ut debuit, auctoritas Romani Pontificis & præjudicata sententia valuit; neque ullus fuit, qui huic decreto intercederet. Pontificis ac Synodi Spalatensis interdictum satis diu vim suam obtinuit, & lingua Slavonica impositum sibi silentium in templis & sacrificiis usque ad sæculum proximum religiose servavit.

Decretum de lingua Slavonica ab altaribus ac templis eliminanda.

Verum undecimo itemque duodecimo decreto, quorum utroque jurisdictio Episcopi Nonensis coercebatur, Gregorius cum aliquibus proceribus Chrobatiæ pertinacissime repugnavit; cumque repugnando & reclamando nihil proficeret, ad Sedem Apostolicam provocavit. Quocirca rem integram judicio Romani Pontificis reservari oportuit; & tam Concilium, quam Gregorius suos internuncios Romam miserunt, qui de tota illa controversia Joannem Papam edocerent. Hic per litteras jussit Joannem Metropolitam, vel quem ipse ex Episcopis sibi subjectis delegaverit, una cum Gregorio Antistite Nonensi Romam venire, ut rationes apud Sedem Apostolicam exponerent, quibus suam quisque causam probarent, contraria refellerent: his cognitis se pro eo, ac jus & canones postulant, sententiam dicturum: *Ut ante nostram præsentiam, aut tu cum Gregorio, aut unus vester suffraganeus Episcopus veniens, cuncta per ordinem nobis revelent; quatenus per viam justitiæ inceden-*

Decretoundecimo & duodecimo Concilii reclamat Gregorius, atque ad Sedem Apostolicam appellat.

dentes, quidquid rectum eſt, inter vos definire valeamus. Neuter Romam venit, cauſſam ignoro, quæ utriuſque Romanam profectionem impedierit. Ita in annum tertium contentio illa extracta eſt, cum interea Gregorius omnibus in locis, quæ ad Chrobaticam ditionem pertinebant, jus & officium epiſcopale uſurpare pergeret, nequidquam obnitente Joanne Archiepiſcopo, quem ob hanc cauſſam plurimis incommodis ac moleſtiis affecit, ut ſcriptum reliquit Thomas Archidiaconus.

Nec vero Joannes ac ceteri Dalmatiæ Epiſcopi deſtiterunt orare iterum ac ſæpius per litteras & urgere Joannem Pontificem Max. ut auctoritate apoſtolica interpoſita tandem aliquando huic controverſiæ finem imponeret, & Epiſcopis, atque Eccleſiis Dalmaticis priſtinam tranquillitatem reſtitueret. Pontifex igitur Madalberto Epiſcopo, quem anno circiter 927. legatum miſit ad Simeonem regem Bulgarorum, impetravit, ut e Bulgaria rediens cauſſam illam rite cognoſceret, ferretque pro ſua æquitate ac ſapientia ſententiam. Ergo Madalbertus Bulgarica legatione perfunctus, anno 928. in Dalmatiam ſe contulit; Epiſcopos cum duce & primoribus Chrobatiæ Spalatum ad Concilium provinciale convocavit; atque in eo conventu, ad normam antiquæ deſcriptionis eccleſiaſticæ, ſingularum diœceſeon terminos conſtituit; ac nominatim vetuit Gregorium Epiſcopum Chrobatienſem ultra fines Nonenſi diœceſi præſcriptos curam poteſtatemque epiſcopalem extendere, ut eſt in actis hujus Concilii: *Nonenſis vero Eccleſia non Epiſcopum antiquitus* (poſt ſedem epiſcopalem ſexto ſæculo amiſſam), *ſed Archipresbyterum ſub ditione Epiſcopi* (fortaſſis Jadertini) *habuiſſe dignoſcitur*. Deinde tribus eccleſiis, quas etiam, cum ſuis Epiſcopis jamdudum carerent, Gregorius invaſerat, videlicet Siſcianæ, Scardonenſi, ac Delmitanæ, ſuum cuique Epiſcopum reſtitui jubet; tum ad coercendam ejuſdem Gregorii temeritatem, atque arrogantiam hæc ſubjecit: *Quod ſi immenſum pontificii* (onus) *ſubire delectat, & unam ſibi diœceſim ſufficere non vult, harum trium magnitudinem diœceſeon ponderis* (immanis, cui ſuſtinendo non eſt) *ad interitum ſuum & eorum* (quibus præeſſe vult) *ſuſcipiat; dum neque plebs perfecte ab eo pontificalis muneris percipere valeat gratiam, neque ipſe adimplere ſuum in eis officium valeat, juxta Sanctorum Patrum ſtatuta, cum ſit propter multa terrarum ſpatia difficile* (eas) *peragrare.*

Madalbertus Legat. Apoſt. ad regem Bulgariæ in Dalmatiam digreſſus Concilium provinciale convocavit, in quo iterum fines dioeceſis Nonenſis circumſcribuntur.

Madalbertus, & Concilii ſententiam confirmavit Leo VI.

Madalbertus poſt omnia, quæ a Pontifice habuerat, mandata confecta Romam reverſus, Joannem X. vel mortuum, vel morti proximum reperit. Itaque ab Leone VI. ejus ſucceſſore, quæ in Concilio Spalatenſi decreverat, confirmanda curavit. Hic epiſtolam ſcripſit ad Epiſcopos Dalmatiæ, & nominatim quidem ad Forminum Jaderæ & Gregorium Nonæ Antiſtites; jubet omnes ſuo Metropolitæ Spalatenſi ſubjectos eſſe, & quemlibet intra fines ſuarum diœceſeon ſe continere; ne in alienas invaderent, anathematis denunciatione abſterret; præſertim vero Gregorium, cui tamen Eccleſiæ Scardonitanæ, donec ſuus illi Epiſcopus reſtitueretur, adminiſtrandæ poteſtatem permittit. *Gregorium vero, qui probitate* (ideſt neceſſitate) *temporis in Croatorum terra Epiſcopus effectus eſt, præcipimus in ſola Scardonitana Eccleſia tantummodo miniſtrare, alienas parochias ei præcipimus nullo modo amplius uſurpare; quia ſi fecerit, ſine dubio a noſtro pontificio excommunicatus manebit*; ideſt a noſtra communione ſegregatus. Habes acta utriuſque Concilii Spalatenſis una cum epiſtolis pontificiis, horumque omnium explanationes ac vindicias in Joanne III. Archiepiſcopo; illinc aſſumas, quæ ad hunc locum pertinent.

Interregnum Nonenſe annorum amplius centum.

An vero Gregorius decretis utriuſque Concilii, & mandatis pontificiis paruerit, mihi non liquet. Cum per annos amplius centum interrupta ſit ſeries Epiſcoporum Nonenſium, & anno 1075. in Synodo provinciali Spalatenſi ſub Laurentio Metropolita *renovatus* eſſe dicatur *Epiſcopatus Nonenſis*, valde ſuſpicor eccleſiam illam uno ſæculo plus aut omnino, aut certe legitimo Epiſcopo caruiſſe. Hujus tam diuturni interregni cauſſam conferendam eſſe arbitror in arrogantiam & contumaciam vel ipſius Gregorii, vel aliorum, qui deinceps in Gregorii locum ſuffecti quidem, approbati tamen non fuerunt, propterea quod ab illa obſtinata contentione vel juris metropolitici appetendi, vel officii epiſcopalis in alienis diœceſibus, ubicumque Chrobati eſſent, uſurpandi deſiſtere nollent.

ANDREAS EP. NONENSIS V.

Creſimirus IV. rex Chrobat. Epiſcopatus inſtituit Belgradenſem ac Tinninienſem, quorum acceſſione juriſdictio Ep. Non. diminuta eſt.

Creſimirus IV. hoc nomine, qui Stephano parenti in regnum Chrobatiæ ſucceſſit anno circiter 1050. cum imperium Chrobaticum terra marique amplificaſſet, ut rem publicam propagatione finium, ſic etiam rem eccleſiaſticam dignitate, numeroque Epiſcoporum auxit. Ad Nonenſem Chrobatorum Epiſcopum duos adjunxit, Belgradenſem ac Tinninienſem, & hunc quidem perhonorificis titulis ac muneribus decoravit; hujus diœceſim longe lateque uſque ad Dravum produxit, eumdemque auctoritate & honoris locique primatu duobus aliis antecedere voluit; de quo Archidiaconus cap. xv. *Hic multas obtinuit parochias, habuitque prædia & poſſeſſiones per totum pene regnum Chroatiæ; quia regalis erat Epiſcopus, & regis curiam ſequebatur, eratque unus ex principibus aulæ, & ſua juriſdictio uſque ad Dravum fluvium extendebatur.* Acceſſione duorum Chrobatiæ Antiſtitum, ac præſertim Tinninienſis, ut juriſdictio & diœceſis, ſic arrogantia & ambitio Epiſcopi Nonenſis diminuta eſt. Ex hujus parochia, qua in ortum vigebat, partem non exiguam detrahi, tribuique novo Antiſtiti Belgradenſi oportuit; veteres tamen fines ad meridiem intactos retinuit, quibus valde coarctabatur diœceſis Jadertina, ut ait Archidiaconus cap. xv. *Jadrenſis Epiſcopatus non magnam habuit parochiam propter vicinitatem Nonenſis, & Belgradenſis Epiſcopatuum.*

Dum Creſimirus Quartus rerum in Chrobatia potiebatur, Andreas electus eſt ad regimen Eccleſiæ Nonenſis, qui elatos illos ſpiritus, quos deceſſoribus ſuis attulerat amplitudo juriſdictionis ac diœceſeos, quam ſibi arrogabant, demittere debuit, atque intra fines ſuæ parochiæ præſcriptos jus atque officium epiſcopale contrahere. Itaque poteſtatis metropoliticæ adipiſcendæ ſpe abjecta, obedientem ſe ſubjectumque præbuit Joanni IV. Archiepiſcopo Spalatenſi, a quo conſecrationem epiſcopalem ſuſcepit, & ſua diœceſi contentus ab alienis abſtinuit. Nec dubito quin Concilio nationali, vel certe provinciali interfuerit, quod Maynardus Nicolai II. Legatus anno 1058. vel proximo

mo

mo ineunte Spalatum convocavit; iterumque omnium Episcoporum sententiis proscriptus est usus linguæ Slavonicæ, quæ non tam permissu regum atque Antistitum Chrobatiæ, quam cupiditate quadam populari, ac temeritate Presbyterorum & clericorum populi studiis obsequentium, rursus in templa irrepserat. Huc revoca quæ dicta sunt in Joanne IV. Archiepiscopo Spalatensi. Iisdem submissionis atque obedientiæ officiis, quæ Joanni præstiterat, Laurentium proximum ab Joanne Archiepiscopum coluit; neque se fautor aut particeps fuit teterrimi illius schismatis, quo pro revocanda retinendaque in templis liturgia Slavonica Chrobati, auctore potissimum atque incentore Ulfo Presbytero, conflarunt; de quo satis multa diximus in eodem Laurentio Metropolita.

Cresimirus rex partem insulæ Pagi Ep. Nonensi restituit.

Anno 1071. Cresimirus rex in eo diplomate, quod secundum Arbensem Ecclesiam fecit, partem fere dimidiam insulæ Cissæ, sive Chessæ, quæ nunc Pagus vulgo dicitur, orienti & Nonæ obversam, unde brevi admodum euripo interfluo sejungitur, ademptam Arbensi, restituit Nonensi Episcopo, & huic trium Juparum possessionem in ora continente confirmavit: *Tantum retinentes*, inquit, *de jure suo paucas villas Pagi, Pezzani, Muruolani, Vlassici*, (sitas in eadem insula) *quas, etsi pro malo habent, de novo dedimus Episcopo Nonensi, itemque Jupam Lichæ, Jupam Bucani, & Bozzachi; & hoc statutum volumus perpetuo inviolabile manere, sicut semper a majoribus natu didicimus, dictæ jam ecclesiæ inviolabile perstitisse &c. Anno ab Incarnat. Domini nostri Jesu Christi MLXXI. Indict. IX. die VIII. mens. Julii, tempore Dom. Alexandri Papæ urbis Romæ.*

Andreas interfuit Conc. provinc. Jadertino.

Anno 1072. Concilio provinciali interfuit, quod Laurentius Metropolita Jaderam convocaverat, ut colligitur ex tabulis cœnobii Virginum Jadrensium: quarum initium est hujusmodi: *Congregatis nobis, cum plurimæ causæ ventilandæ & examinandæ allatæ, ut moris est Concilii generalis, confluerent &c.* hisque tabulis subscriptus legitur *Andreas Nonensis*, de quo nihil præterea reperitur in monumentis Dalmatiæ.

FORMINUS EP. NONENSIS VI.

Forminus Ep. interfuit Concil. provinciali Spalat.

Andreæ suffectus anno circiter 1074. & anno proximo interfuit cum Laurentio Metropolita, ac ceteris Dalmatiæ inferioris Episcopis, Concilio provinciali Spalatensi, quod indixerat, eique præsidebat Gerardus Archiepiscopus Siponti nus, & legatus apostolicus missus a Gregorio VII. Pontifice Maximo. Thomas Archidiaconus cap. XVI. inter ceteros Episcopos, qui Spalatum jussu legati pontificii convenerant, annumeravit *Forminum Nonensem*, idemque scripsit *in hac Synodo restauratum esse Episcopatum Nonensem*. Hæc verba quid significent, declaratum est in actis Laurentii Archiepiscopi cap. 2. §. 1. Huc revoca quæ ibi diximus; nimirum, postquam Episcopi Nonenses in fidem redierunt ac potestatem Archiepiscopi Spalatensis, quo cum de Primatu metropolitico ac de jure diœcesano diu multumque decertaverant; in hoc demum Concilio sollemni ac legitimo tum legati apostolici, tum provincialium Antistitum decreto, Ecclesia Nonensis restituta fuisse dicitur in antiquum statum, sua illi privilegia confirmata, & iisdem, quibus initio fuerat, fidei atque obedientiæ vinculis Metropolitæ Spalatensi obstricta. Anno 1076. cum Svinimirus rex Chrobatiæ atque Dalmatiæ amplissimo diplomate confirmasset donationem templi S. Georgii in Putalio, quod cum omnibus fundis ac prædiis eidem annexis Tirpimirus & Muncimirus duces Chrobatorum ecclesiæ SS. Domnii & Anastasii ac mensæ archiepiscopali attribuerant, præsens ac testis adfuit *Forminus Episcopus Nonensis*, ut ejus nomen huic diplomati subscriptum declarat. Ingens per ea tempora decus atque ornamentum urbi & Ecclesiæ Nonensi accessit ex augustissimo Episcoporum ac procerum conventu, quem Joannes Cardinalis ac legatus Sedis Apostolicæ cum Svinimiro rege & Laurentio Metropolita ibidem celebravit, de quo Archidiaconus cap. XVI. *His temporibus celebrata fuit Synodus in civitate Nonensi sub Joanne Cardinali Apostolicæ Sedis legato, ubi proclamationem faciente Laurentio Archiepiscopo, illustris vir Demetrius cognomento Svinimir rex Chroatorum restituit Ecclesiæ SS. Domnii & Anastasii Ecclesias S. Stephani & S. Mariæ in Salona cum omnibus earum bonis*. Vide cetera, quæ huc pertinent, in eodem Laurentio.

Et Concil. provinciali Nonensi.

GREGORIUS II. EP. NONENSIS VII.

Hujus ecclesiæ administrationem suscepit sæculo duodecimo ineunte, quem Crescentius Archiepiscopus episcopali consecratione initiavit, ut colligitur ex formula sacramenti sollemnis, quo Gregorius more majorum suam fidem atque obedientiam Metropolitæ ac Metropoli Spalatensi obstrinxit: *Ego Gregorius Episcopus Nonensis ab hac hora in antea promitto fidelitatem atque obedientiam secundum ordinem meum Ecclesiæ Spalatinæ, & tibi Crescentio Archiepiscopo nostro, tuisque successoribus canonice intrantibus. Sic Deus me adjuvet, & ista sancta quatuor Evangelia.* Ex codice pervetusto Spalatensi Evangeliorum. Duo Concilia provincialia Crescentius celebravit, primum anno circiter septimo, alterum anno undecimo sæculi duodecimi. Neutri Gregorius interfuisse legitur. Quo anno diem extremum obierit, quive in ejus locum proxime successerit, mihi non est compertum; neque ullum, qui huic ecclesiæ præfuerit, ante annum 1163. in tabulis aut Scriptoribus Dalmatiæ invenio. Itaque aut post Gregorium Ecclesia Nonensis plures annos Episcopo caruit, aut si qui per ea tempora fuerunt, eorum nomina & acta vetustate interierunt.

RODANUS EP. NONENSIS VIII.

De quo nihil supereſt præter nomen adscriptum regio diplomati, quod Stephanus III. rex Hungariæ, ut Petro VI. Archiepiscopo Spalatensi gratificaretur, secundum Ecclesiam Spalatensem fecit, ejusque jura & privilegia confirmavit: *Datum per manum Stephani Cancellarii . . . in præsentia Episcoporum Rodani Nonensis, & Dedæ Croatiensis . . . Anno Incarnat. Christi millesimo centesimo sexagesimo tertio.*

MATTHÆUS EP. NONENSIS IX.

Matthæo Ep. Nonen. Raynerius Archiep. Spalaten. Lichamad-judicavit.

Huic controversia fuit cum Miræo Episcopo Senensi de tribus parœciis *Signa*, *Geszica*, & *Lecca*; quam ex mandato Alexandri Papæ III. de consensu & compromisso utriusque partis Ray-

Raynerius Metropolita Spalatenſis ab anno 1175. uſque ad annum 1180. ita diremit, ut Leccam quidem Nonenſi, duas reliquas Senienſi Epiſcopo adjudicaret. Huic judicio cum Miræus ſtare noluiſſet, atque Sedem Apoſtolicam appellaſſet, Raynerius Alexandrum per litteras rogavit, ut vellet juberetque ratam eſſe, quam ipſe tulerat, ſententiam. Epiſtolæ Raynerianæ, quam hiſtoriæ Senienſis Eccleſiæ reſervandam eſſe duximus, ſuas litteras ſuppliciter Matthæus adjunxit in hæc verba: *M. Nonenſis Epiſcopus a ſanctitate veſtra petit, ut ſtatutum, quod Spalatenſis Archiepiſcopus inter eum, ac Mironem Epiſcopum ſuper tribus parochiis, Signa videlicet, Geszica, & Lecca, de mandato veſtro ſtatuit, veſtris litteris confirmetis; ipſe enim Archiepiſcopus, ſicut vobis per ſuas litteras inſinuavit, de utriuſque partis aſſenſu ita ſtatuit, ut Matthæus Nonenſis Epiſcopus habeat parochiam Leccam, & Miro Epiſcopus habeat Signam, & Geszicam.* Quid Alexander in alterutram partem decreverit, ratamne habuerit, an irritam ſententiam Raynerii, litteris proditum non eſt. Cetera, quæ ad hanc controverſiam pertinent, expoſita ſunt in Raynerio, & Miræo. In actis ejuſdem Raynerii extat epiſtola Matthæi Raynerium rogantis, ut eccleſiæ ſuæ patrocinium ſuſciperet, ejuſque cauſſam ageret apud Alexandrum III. cui femina quædam primaria ex oppido Clino per fraudem & malitiam reſcriptum ſurripuerat, quo Pontifex declarabat Epiſcopo Nonenſi nullum jus eſſe decimas a Clinenſibus exigendi, nullamque in clerum ejuſdem oppidi poteſtatem eſſe. Anno 1179. cum Raynerio & duobus aliis Dalmatiæ Epiſcopis Romam profectus Concilio Lateranenſi III. interfuit. In Synodo provinciali, quam Petrus VII. Metropolita anno 1185. indixit, & Kalendis Maji apud Spalatum in baſilica S. Andreæ cum Epiſcopis provincialibus, Abbatibus, & Præpoſitis eccleſiarum celebravit, ut ceteris, ſic etiam Nonenſi diœceſi ſuæ nominatim regiones attributæ ſunt: *Nonenſis Epiſcopus habeat Nonam, totam Lucam, & medietatem Licæ. Lica*, alias *Lickz*, & *Litza*, una erat e tribus illis Zupaniis in veteri Japidia ſitis, quæ, ut tradit Porphyrogenitus, unius Bani imperio ſuberant, infra Cribaſam, ſive Corbaviam vergens ad meridiem. Hanc integram Raynerius, ut diximus, Matthæo adjudicaverat. Sed de ſententia hujus Concilii bipartito diviſa eſt; & quæ pars in ſolem orientem ſpectabat, Nonenſi, quæ vero ad occaſum vergebat, Senienſi Eccleſiæ attributa eſt, vel potius Corbavienſi, ut in exemplari Luciano ejuſdem Synodi. Luca vero regio erat Lickæ finitima, quæ non ita longe ab ſinu Carinenſi, quæ nunc canale Novigradi vocant, diſtabat in ſeptemtrionem.

Interfuit Concil. Lateranenſi, & Spalatenſi provinciali.

Erat Boicæ, qui pagus eſt diœceſis Nonenſis, domus hoſpitalis S. Petri copioſis vectigalibus inſtructa, quam Matthæus Epiſcopus Fratribus Cruciferis attribuit anno 1184. Hos vero, & omnia eorum bona Urbanus III. in clientelam Sedis Apoſtolicæ recepit, & in ejuſdem domus poſſeſſione ampliſſimo diplomate confirmavit.

Privilegio Urbani III. conceſſum Cruciferis Nonenſib.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Matthæo rectori, & Fratribus Crucifera-riis hoſpitalis S. Petri Boicæ, tam præſentibus, quam futuris communem vitam ducentibus in perpetuam memoriam. F. PP. MM. Effectum juſta poſtulantibus indulgere, & vigor poſtulat æquitatis, & ordo exigit rationis, præſertim quando petentium voluntatem, & pietas adjuvat, & veritas non relinquit. Ea propter dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum hoſpitale S. Petri de Boiſce cum omnibus, quæ in præſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, ac præſentis ſcripti privilegio communimus. Statuentes ut ea firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant. Poſſeſſiones autem iſtas duximus propriis nominibus exprimendas. Locum ipſum, in quo præfatum hoſpitale ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis; eccleſiam de Boiſce in partibus Sclavoniæ poſitam, quam Nonen. Epiſcopus ordini veſtro rationabiliter aſſignavit, ſicut in authentico ipſius ſcripto plenarie continetur, vobis, & ſucceſſoribus veſtris auctoritate apoſtolica confirmamus, & quidquid habetis in loco, qui dicitur Palatium. Sane novalium veſtrorum, quæ propriis manibus, vel ſumptibus colitis, ſive de nutrimentis veſtrorum animalium, nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere præſumat. Liceat quoque vobis clericos, vel laicos, e ſæculo fugientes liberos & abſolutos ad converſionem veſtram recipere, & eos abſque contradictione aliqua retinere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum hoſpitale temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur, eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura; ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate, & dioceſani Epiſcopi canonica juſtitia. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire temptaverit, ſecundo tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honoriſque ſui careat dignitate, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti. Quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Urbanus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.
† *Ego Henricus Albanen. Epiſcopus.*
† *Ego Paullus Præneſtinus Epiſcopus.*
† *Ego Theobaldus Hoſtien. & Velitren. Epiſc.*
† *Ego Joannes Presbyt. Cardin. tit. S. Marci.*
† *Ego Petrus Presb. Card. tit. S. Suſannæ.*
† *Ego Laborans Presb. Card. S. Mariæ transtib. tituli Calixti.*
† *Ego Pandulfus Presb. Cardin. XII. Apoſtolorum.*
† *Ego Albinus Presb. Card. tit. S. Crucis in Jeruſalem.*
† *Ego Melior Presb. Cardin. SS. Joannis & Paulli tit. Pagmachii.*
† *Ego Adelardus tit. S. Marcelli Presb. Card.*
† *Ego Jacobus S. Mariæ in Coſſmidyn Diaconus Card.*
† *Ego Gratianus S. Coſmæ & Damiani Diac. Card.*

† *Ego*

† *Ego Bobo S. Angeli Diac. Card.*
† *Ego Octavianus SS. Sergii & Bacchi Diac. Card.*
† *Ego Gotfredus S. Mariæ in via lata Diac. Card.*
† *Ego Petrus S. Nicolai in carcere tulliano Diac. Card.*

Datum Veronæ per manum Alberti S. R. E. Presb. Card. & Cancell. 8. Idus Maji Indict. IV. Incarnationis Dominicæ anno MCLXXXVI. Pontificatus vero Domini Urbani PP. III. Anno primo.

Matthæus cum Petro VIII. metrop. judex præfuit controversiæ dirimendæ, quæ Templariis erat cum monachis SS. Cosmæ ac Damiani.

Cum Fratres Templarii Auranæ, & Monachi Benedictini SS. Cosmæ ac Damiani de quibusdam terris ac divortiis aquarum inter se contenderent; Bela III. rex Hungariæ utriusque judices dedit Petrum VIII. Archiepiscopum, & Matthæum Episcopum, qui una cum Damiano Jaderæ & Grubessa Spalati Comitibus, sive prætoribus, litigia illa ex æquo & bono componerent. Latæ ab illis sententiæ præmium hoc est: *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno ab Incarnatione D. N. J. C. 1194. mensis Julii die nono, intrante Indict. XII. apud Tynum, regnante Domino nostro Bela Sereniſſimo Rege Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, atque Ramæ, & Almerico filio super Dalmatiam & Croatiam. Cum nos nempe Petrus Spalatensis sedis Archiepiscopus una cum Matthæo Nonensi Episcopo, & Damiano Jadertino Comite, & Grubessa Spalatino Comite, ceterisque nobilibus, quorum nomina inferius describentur, in ecclesia S. Joannis de Tyno, ad controversias, quæ inter Templarios, & Monasterium SS. Cosmæ & Damiani pro terris & aquarum decursibus vertebantur, resecandas de mandato regis resideremus, post multas altercationes, & verba &c.* Integrum hujus sententiæ exemplum habes in eodem Petro Archiepiscopo. Anno 1194. vel sequenti Matthæus diem obiit supremum, eique successit

PRODANUS EP. NONENSIS X.

Non aliunde cognitus nisi ex formula sollemnis sacramenti, quo suam fidem atque obedientiam Petro VIII. Metropolitæ Spalatensi, post susceptam episcopalem consecrationem, more majorum addixit. Hæc formula, descripta ex codice pervetusto Evangeliorum Capituli Spalatensis, est hujusmodi: *Ego Prodanus Nonensis Episcopus ab hac hora in antea promitto fidelitatem Ecclesiæ Spalatinæ, & tibi Domino Petro Archiepiscopo, tuisque successoribus canonice intrantibus. Sic me Deus adjuvet, & ista quatuor Evangelia. In puritate animi, sine fraude observabo.* Cum Petrus VIII. obierit anno 1196. exeunte, vel proximo incunte, initia episcopalia Prodani ad annum 1196. vel ad superiorem referri necesse est. Vitam & pontificatum perduxit usque ad priores annos sæculi decimi tertii.

JOANNES EP. NONENSIS XI.

Erat patria Jadertinus, quem Bernardus Metropolita simul cum Bartholomæo electo Scardonensi consecravit Episcopum, quamvis neuter id ætatis esset, aut ea scientia præditus, quam ad munus episcopale suscipiendum ac gerendum Sacri Canones requirunt; eamque ob causam Innocentii III. Pontificis reprehensionem atque animadversionem canonicam Bernardus effugere non potuit, ut tradit Archidiaconus cap. 25. *Ordinavit autem uno die* (sub initium sæculi decimi tertii) *Joannem nepotem Cutilæ Nonensem Episcopum, & Bartholomæum nepotem Titionis Episcopum Scardonensem. Hi ambo erant Jadrenses, nec satis legitime in eorum fuerat promotione processum; quippe in ætate ac scientia non modicum patiebantur defectum; unde quia Bernardus non qua debuit circumspectione ad eorum examinationem processit, nimisque festinanter manum eis imposuit, non sibi cessit impune. Nam delatus apud Summum Pontificem, canonica fuit animadversione punitus.* Quid pœnæ censuræve inflictum fuerit sive Joanni, sive Bartholomæo, memoriæ proditum non est; neuter certe Sacerdotio privatus fuit; nam Joannem Ecclesiæ Nonensi præfuisse constat ex sententia, quam tulit secundum Tragurienses *Fr. Pontius de Cruce humilis Magister militiæ Templi per Ungariam, & Sclavoniam, & Locumtenens regius in Croatia & Dalmatia*, qui vetuit Domaldum ejusque filium molestos esse Tragurienſibus, vel ab eis tributa exigere. Huic sententiæ testes adfuerunt *Joannes Episcopus Nonæ, Comes Bodimirus, Comes Georgius &c. Anno Incarnationis Domini* 1217.

Hæc postrema nota arithmetica vitiose se habet; nam ante triennium Joannes obierit necesse est; si quidem episcopalis consecratio Grubcii, in locum Joannis proxime suffecti, attribuenda sit Bernardo Archiepiscopo, ut docet Archidiaconus. Hic siquidem anno 1215. e Lateranensi Concilio Spalatum reversus cum esset, paralysis, qua laborare jampridem cœperat, adeo totum hominem invasit, ut membris omnibus contremisceret, ac ne articulatim quidem & distincte, nisi ægre admodum, loqui posset. Itaque duos fere annos aut lecto affixus, aut domi sedens, ab omni episcopali functione vacavit, & anno 1217. mense quintili, vel sextili decessit. Ante annum igitur decimum quintum hujus sæculi, & Romanam profectionem, Joanne jam vita functo, Grubcium Bernardus episcopali consecratione impertivit. Ex quo fit, ut sententiam illam Pontii magistri militiæ Templi, præsentia ac testimonio Joannis Episcopi Nonensis firmatam, ad annum vel quartum, vel quintum supra decimum sæculi decimi tertii revocari oporteat.

GRUBCIUS EP. NONENSIS XII.

Grubcius Ep. a Nonensibus electus, priore Nicolai electione rescissa.

Post mortem Joannis, Canonici Nonenses Nicolaum e collegio Canonicorum Spalatensium, suffragiis fere cunctis, ad regimen illius ecclesiæ elegerunt; quem Bernardus Archiepiscopus neque admittere, neque consecrare voluit, cum sedem illam alteri destinasset, quem singulari beneficio sibi devinxerat, ejusque erga se fidem constantemque voluntatem perspectam habuerat in illis controversiis, quæ Bernardo sane multæ & graves cum suo Capitulo fuerunt. Hic erat Grubcius Archipresbyter Ecclesiæ Spalatensis; quam dignitatem Bernardo acceptam ferebat, ut docet Archidiaconus cap. 25. *Fecit Archidiaconum Grubcium .... Archipresbyterum vero eodem nomine Grubcium nepotem Firmæ.* Itaque Nonensibus persuasit, ut suffragia iterum inirent, & rescissa priore Nicolai electione, Grubcio Archipresbytero ecclesiæ suæ gubernacula traderent. Gestus est mos voluntati & imperio Archiepiscopi: id quod veteres inter Bernardum & Capitulum Spalatense discordias redintegravit, cum Canonici quidem Nicolai,

ille vero Grubcii patrocinium ſuſcepiſſent, eamque ob cauſſam inter ſe acerrime dimicarent. Porro Bernardus, ut Nicolao ſpem omnem illius eccleſiæ obtinendæ adimeret, Grubcium conſecrare feſtinavit; ne vero Canonici obliſterent, ex urbe ſecedens Auranam ſe contulit, & apud Fratres Templarios in eorum eccleſia ſacris operatus, inter rem divinam Grubcio conſecrationem epiſcopalem impertivit. Hæc Thomas cap. 25. *Per idem tempus, vacante Eccleſia Nonenſi, electus eſt quidam Canonicus Eccleſiæ Spalatenſis Nicolaus nomine, quem Archiepiſcopus Bernardus admittere noluit; ſed fecit eligi a Nonenſibus ſupradictum Grubcium Archipresbyterum. Sed quia Canonici adverſabantur ei, partem Nicolai foventes, non in Eccleſia Metropolitana, ut mos eſt, eumdem voluit Grubcium conſecrare, ſed pergens Uranam, apud eccleſiam Templariorum conſecravit eum, cum altero electo Tinienſi nomine Micuſo. Qua de re magna fuit ſuborta contentio inter Nicolaum electum, & Grubcium Nonenſem Epiſcopum; ita ut diſtractis patrimoniis ſuis pro ſumptibus in proſecutione cauſarum hujuſmodi faciendis, ambæ partes ad magnam inopiam devenirent.* Poſt diuturnas & acerrimas contentiones, Grubcius cauſſam obtinuit, & eccleſiæ ſibi traditæ regimen ſuſcepit. Anno 1220. verſabatur in Hungaria, reverſuſque eſt in Dalmatiam cum Guncello electo Archiepiſcopo Spalatenſi, quem Auranæ apud Fratres Templarios in æde Gregoriana e ſubdiacono diaconum fecit, ut ſcriptum reliquit Thomas Archidiaconus cap. 27. *Apud Uranam Templariorum in vigilia Pentecoſtes ſe fecit in diaconum ordinari a Grubcio Nonenſi Epiſcopo, qui cum eo ab Ungaria veniebat.* Nihil præterea de Grubcio memoriæ traditum eſt.

B. EP. NONENSIS XIII.

Hujus nomen unica littera *B* deſignatur in tabulis cœnobii Benedictini SS. Coſmæ & Damiani confectis anno 1229. Cum de quibuſdam poſſeſſionibus in territorio Rogovitano inter ſe contenderent Fratres Templarii, & monachi ejuſdem cœnobii, rei totius arbitros ſumpſere Guncellum Archiepiſcopum, & B. Epiſcopum Nonenſem, qui ſecundum monachos judicarunt. Initium tabularum eſt hujuſmodi: *Guncellus Dei gratia Spalat. Archiepiſcopus, B. Nonenſis Epiſcopus omnibus Chriſti fidelibus præſens ſcriptum inſpecturis in Domino ſalutem ... De aſſenſu & voluntate partium electi ſunt arbitri, vid. dictus D. Spalaten. Archiep. & D. B. Epiſc. Nonenſis &c.* Cetera deſcripta ſunt in Guncello cap. 3. §. 4. Dum B. huic eccleſiæ præſidebat, Nonæ recepti ſunt Patres Dominicani, eisdemque ſtabile domicilium, ac templum, in quo concionibus ac rebus divinis operam darent, attributum eſt, auctore Plodio apud Sigiſmundum Ferrarium *De rebus Hungaricæ provinciæ ordinis Prædic. Novenis conventus, a S. Antonino Nonenſis, Plodio Nonenſis a Nona civitate Dalmatiæ epiſcopali ſede ornata; antiquus ſane conventus, qui Plodii teſtimonio ſub anno Chriſti 1228. fuerit fundatus.*

B. Epiſcopus Patres Dominicanos Nonæ recepit.

SANSON, ſive JANSON, EP. NON. XIV.

Oriundus ex Hungaria, quem ab ſuo Metropolita Guncello conſecratione epiſcopali initiatum fuiſſe tradunt Archidiaconus, & Catalogus Acutheanus: *Iſte tempore ſuo conſecravit iſtos ſuffraganeos, in primis Martinum Corbav. ... Janſonem Nonenſem &c.* Acuth. *In Nonenſi Eccleſia conſecravit Sanſonem .... omnes hi tres* (ideſt Borislavus, Joannes, Sanſon) *fuerunt Ungari natione.* Archid. Anno 1241. poſt captam a Venetis Jaderam, quæ ab imperio defecerat, Jadertinos patria profugos, dum Nonæ exſularent, miſeros egentesque Sanſon paterna charitate complexus, quibuſcumque potuit rebus adjuvit. Apud Belam IV. regem Hungariæ gratia plurimum valuit, ab eoque impetravit, ut immunitates ac privilegia, quæ conceſſu regum ſuperiorum Nonenſes obtinebant, regali diplomate confirmaret. Quandiu ſedem epiſcopalem tenuerit, quove anno mortem obierit, compertum non eſt.

JOANNES II. EP. NONENSIS XV.

Huic & Capitulo litigia quædam fuerunt cum magiſtratu & Communi Nonenſium, quæ de conſenſu utriuſque partis compoſita ſunt ad hunc modum: ut proventus eccleſiaſtici, qui potiſſimum conſtabant ex decimis, quadrifariam diviſi, partim Epiſcopo, partim Capitulo & clero tribuerentur; reliquas duas partes in ædificium ornatumque templi cathedralis impendi, itemque in pauperes erogari oportere. Ut Epiſcopus ædes pontificias ære ſuo, ſicubi vitium fecerint, reſtituat, & earum ſarta tecta tueatur. De cœnobiis ac piis locis, quæ jure patronatus ad civitatem pertinent, nihil Epiſcopus ſtatuat, nihil decernat inconſulto Capitulo, & injuſſu Conſilii populique Nonenſis. Hæc pacta & conventa deſcripta ſunt in tabulis publicis anno 1253. confectis, in quibus nominatur *Joannes* Epiſcopus, & *Sanſon* ejus deceſſor, Archidiaconus, primicerius, archipresbyter, parochus cum ſeptem Canonicis, itemque Fridericus e gente Frangipania Comes Veclæ, Poteſtas ſive rector civitatis. Ædes cathedralis ibidem inſignita eſt titulo S. Anſelmi. Collegium ſacrarum Virginum jam tum in urbe floruiſſe, nomen Antiſtitæ in iiſdem tabulis expreſſum declarat. Extat epiſtola Innocentii IV. inſcripta *Fratribus Archiepiſcopo Jadrenſi, Epiſcopo Scardonenſi, & dilecto filio Archidiacono Nonenſi*, quibus poteſtatem delegavit illius controverſiæ dirimendæ, quæ Tragurienſi Epiſcopo erat cum clero populoque Sibenicenſi: ex qua colligi poteſt, quanti Pontifex faceret tum doctrinam, tum æquitatem hujus Archidiaconi. Data eſt Anagniæ v. Idus Julii anno 1254. Bela IV. rex Hungariæ rogatu Joannis Epiſcopi imperavit Rolando Bano totius Slavoniæ, qui hunc magiſtratum geſſit ab anno 1262. fere uſque ad annum 1268. ut ſi quas in regione Lichana terras deſertas & vacuas reperiſſet, eas Eccleſiæ Nonenſi & menſæ epiſcopali addiceret. Paruit Rolandus, & caſtrum Chetilavacium ſimul cum æde S. Georgii, agriſque circumjectis donavit, ut apparet ex diplomate ejuſdem Rolandi, cujus integrum exemplum nanciſci non potuimus.

STEPHANUS EP. NONENSIS XVI.

Huic eccleſiæ præſidebat anno 1272. cum illi Joannes V. Archiepiſcopus Spalatenſis litem intulit de Licha provincia, quam ab ſua diœceſi avulſam contra jus faſque retineri ab Epiſcopo Nonenſi querebatur. Itaque Stephanum per præ-

Stephanus Ep. poſſeſſionem Lichæ ſibi confirmandam curavit.

conem ad regem Hungariæ Stephanum hujus nominis IV. citari juſſit, ut aut regione illa ultro decederet, aut legitimam illius poſſeſſionem idoneis tabulis ac teſtibus probaret. Res cum diu multumque agitata fuiſſet in curia regali, penderetque adhuc ſub judicio regis; Stephanus ſive protractæ litis tædio, ſive ne majores in ea perſequenda impenſas facere cogeretur, Joannem amice ac familiariter convenit, & partim precibus, partim tabulis prolatis, quarum auctoritate Nonenſis Eccleſiæ cauſſa nitebatur, eidem perſuaſit, ut ab ea lite deſiſteret. Ejus poſtulatis ratione ac veritate ſubnixis ceſſit Joannes; ac de conſilio, & ſententia ſui Capituli Spalatenſis declaravit, nullum ſibi, præter metropolitanum, jus eſſe in Lichanam provinciam; ejus vero legitimam & pacatam, ſtabilem ac certam poſſeſſionem, ſublata omni contentione, Eccleſiæ Nonenſi in perpetuum permanere juſſit; idque teſtatum eſſe voluit publicis tabulis anno 1272. poſtridie Idus Junias Spalati confectis, & ſigno epiſcopali, itemque capitulari obſignatis, quarum exemplar integrum habes in eodem Joanne Spalaten. Archiepiſcopo cap. 1. §. 6. *Prædictam provinciam Licka cum omnibus ſuis juribus & pertinentiis per nos & Capitulum noſtrum, & ſucceſſores noſtros, præcipue cum in eadem quæſtione nihil juris penitus habeamus, ſalvo ſecundum morem patriæ viſitationis officio, Venerabili Fratri noſtro Stephano Nonenſi Epiſcopo, & ejus ſucceſſoribus, noſtræque Nonenſi Eccleſiæ realiter & perſonaliter, pacifice & quiete relinquimus perpetuo poſſidendam, renunciantes, & cedentes totaliter &c.* Declarationem ac ſententiam Joannis Archiepiſcopi Stephanus rex Hungariæ regiis litteris inſertam, rogatu Stephani Epiſcopi, regali auctoritate communivit eodem anno 1272. ut docet ejus diploma loco ſupra laudato in Joanne deſcriptum, ex quo hanc particulam extremam decerpſimus: *Nos itaque cum ex forma litterarum earumdem, cum etiam per teſtimonium Rolandi Bani, aliorumque nobilium informati, nec non ex ſerie inſtrumentorum Nonenſis Eccleſiæ edocti, quod provincia de Lica, & ejus decimatio numquam ad Spalatenſem Eccleſiam, ſed ſemper & pacifice ad præfatum Stephanum Nonenſem Epiſcopum, & eccleſiam ſuam pertinuerit, ac debuerit de jure pertinere, ſuadente juris æquitate, litteras eaſdem ratas habentes, & acceptas, & inſeri de verbo ad verbum facientes, præſentibus confirmamus, duplicis ſigilli noſtri munimine roborando; volentes ut de cetero Nonenſis Epiſcopus, & ejus eccleſia, juriſdictionem dioceſalem in ipſam exercendo provinciam, decimationibus ſuis, & aliis juribus perpetuo perfruantur.* Per idem tempus Stephanus poſſeſſionem caſtri Chetilavacii, quam Rolandus Banus totius Slavoniæ dederat Joanni II. auctoritate regia confirmandam curavit. Anno 1280. cum Martino Senienſi Epiſcopo Jaderæ interfuit dedicationi eccleſiæ S. Marci Patrum Prædicatorum, quam Guido Patriarcha Gradenſis ſollemni ritu conſecravit, ut ex ſchedis Brunatianis diximus in Martino Senienſi Epiſcopo, ubi tabulæ conſecrationis a nobis prolatæ fuerunt. Poſt annum 1280. optimus Præſul de ſua eccleſia egregie meritus e vita deceſſit.

MARCELLUS EP. NONENSIS XVII.

Extat epiſtola Nicolai Papæ IV. inſcripta *Ven. Fratri Marcello Epiſcopo Nonenſi, & dilectis filiis Joanni Abb. Mon. S. Chryſogoni Jadren. & Jacobo Archid. Spal.* dataque eſt *Reate VI. Kal. Octobris pontificatus* anno primo, ideſt æræ vulgaris 1288. Cum Sibenicenſes a Nicolao per litteras ſupplices poſtulaſſent, ut Epiſcopatus neſcio cujus *Morinenſis* Sibenicum, ut ajebant, translati, ejuſdemque per electionem Leonardo Phaletro traditi auctor approbatorque fieri vellet, reclamante Gregorio Epiſcopo Tragurienſi; Pontifex illis, quos ſupra nominavi, mandavit, ut Gregorium Epiſcopum Tragurienſem, & Leonardum electum Sibenicenſem, & clericos Tragurienſes, *& quoslibet, qui ſua crederent intereſſe, ex parte noſtra*, inquit, *peremptorie citare curetis, ut infra ſex menſium ſpatium poſt citationem hujuſmodi per ſe vel per procuratores idoneos, cum omnibus actis, juribus, & munimentis ſuis dictam cauſam contingentibus, apoſtolico ſe conſpectui repræſentent, facturi, & recepturi ſuper his quod ordo dictaverit rationis &c.* Itaque *anno Domini* 1289. *die* 7. *intrante menſis Aprilis, Indict.* 2. duobus illis, Tragurienſi videlicet & Sibenicenſi electo, denuntiatum eſt mandatum pontificium per litteras, ut vocant, *citatorias*, quarum initium hoc eſt: *Venerab. in Chriſto Pat. D. Fr. Gregorio Epiſcopo Trag. ac Rev. Viro D. Leonardo Faletro Plebano S. Angeli de Venet. Morinen. & Sibenicen. electo, & clericis Tragurien. Marcellus D. g. Epiſcopus Nonenſis, Joannes Abbas mon. S. Griſogoni Jadren. & Jacobus Archid. Spalaten. D. PP. delegati, ſeu executores ad infraſcripta, ſalutem in Domino Jeſu Chriſto. Noveritis nos a SS. Patre D. Nicolao PP. quarto recepiſſe litteras formam hujuſmodi continentes: Nic. Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Ven. Fr. Marcello &c.* Sed hæc diſtinctius, & accuratius in hiſtoria Tragurien. & Sibenicenſi. Nuſquam præterea ſeu nomen, ſeu mentionem Marcelli Epiſcopi Nonenſis in tabulis Dalmaticis invenio.

MARCUS EP. NONENSIS XVIII.

Valerius a Ponte Archidiaconus Jadrenſis Marci pontificatum anno ſecundo ſæculi decimi quarti adſcripſit; ſed jam inde ab altero & nonageſimo ſæculi ſuperioris anno Eccleſiæ Nonenſi præſidebat, ut intelligi poteſt ex tabulis cœnobii Jadertini Dominicani: *Anno* 1291. *Menſ. Octob. . . . Ind.* v. *Nonæ temporibus D. Andreæ magnifici regis Ungariæ, & Marci Ven. Epiſcopi Nonenſis, ac Georgii egregii Comitis &c.* Joannes Lucius lib. VI. cap. I. animadvertit *Nonenſem Epiſcopum jus conferendi officium Zupanatus habuiſſe, ipſumque Zupanum juriſdictionem & prærogativam Nonæ ut in civitate Croatica habuiſſe.* Ergo Marcus Epiſcopus hoc munus ac magiſtratum contulit Radoslavo Lubactio ob ejus præclara erga ſe & eccleſiam merita, idque teſtatum eſſe voluit hoc diplomate.

Diploma Marci Ep. Zupanatu Radoslavo conferentis.

Marcus Dei gr. Epiſcopus Nonenſis nobili & ſapienti viro dilecto nobis in Chriſto Radoslavo Lubactii de Scardona ſalutem in Domino ſempiternam.

Nobis, & eccleſiæ gubernationi noſtræ commiſſæ placere ſollicitos decet gratiæ noſtræ, cum facultas ſe offert, gratis fovere ſubſidiis, ut ad gra-

tiam digne obtinendam a nobis, quam cupiunt, pervenisse libere gratulentur, sitque ipsorum devotioni jucundius illa semper prosequi, per quæ honor & commoda ipsius ecclesiæ valeant ampliari. Sane vacante nuper in Episcopatu nostro quodam officio, quod Zupanatum vulgariter appellatur, consueto ab olim laicis per Nonenses Episcopos prædecessores nostros, qui fuerunt pro tempore, in beneficium benivole assignari, & ad collationem, provisionem, ac dispositionem nostram libere pertinente: nos attendentes tuæ gratæ devotionis ac probitatis merita, nec non accepta obsequia, quæ vigilanti studio nobis & dictæ nostræ ecclesiæ exhibuisti hactenus, & impendere poteris auctore Domino continuata diligentia in futurum, ac propter hoc non tam tuæ, quam ejusdem ecclesiæ utilitati providere volentes, officium & Zupanatum prædictum sic vacans cum omnibus juribus, jurisdictionibus, honoribus, dignitatibus, reditibus, proventibus, & pertinentiis suis tibi in beneficium, quoad vixeris, gratiose conferimus & providemus de illo: teque in nostrum & ecclesiæ nostræ Zupanum spiritualem, ut moris est, statuimus & etiam ordinamus. Volentes ut ex nunc officio & Zupanatu prædicto omnibus juribus, jurisdictionibus, honoribus, dignitatibus, reditibus, proventibus, & pertinentiis supradictis utaris libere, prout honori & utilitati tuæ, ac ejusdem ecclesiæ videris expedire. In prædictarum autem collationis & provisionis testimonium præsentes litteras fieri fecimus, & sigilli nostri munimine roborari. Datum Nonæ Kal. Julii A. D. 1302.

JOANNES III. EP. NONENSIS XIX.

Nona Venetis dedita an. 1327.

Anno 1327. cum pleræque civitates maritimæ, Comitum Breberiensium tyrannide oppressæ, in fidem & clientelam Venetorum se contulissent, Nona etiam earum exemplum secuta est, *salvo tamen honore regis Hungariæ*, ut docet Micha Madius: quæ quidem verba eo potissimum spectabant, ut Nonensibus, ceterisque Dalmatis liceret in actis ac tabulis publicis regem Hungariæ una cum duce Venetorum nominare. Tunc autem in Hungaria rerum potiebatur Carolus Robertus sive Humbertus, nepos Mariæ sororis Ladislavi regis Hungariæ, nuptæ Carolo II. regi Siciliæ. Tabulæ deditionis Nonensis eodem anno confectæ hunc Episcopum, aliunde ignotum, nobis exhibent: *Anno Incarn. Domini* 1327. *mens. Novemb. die* 18. *Indict.* 11. *Nonæ. Temporibus Karoli magnifici regis Ungariæ, & Joannis Ven. Episcopi Nonensis &c.* qui nisi nobis hinc cognitus esset, ejus nomen & Episcopatum vetustas & oblivio obruisset. Valerius de Ponte Joannis initia episcopalia refert ad annum 1318.

NATALIS EP. NONENSIS XX.

Cognomento Georgius ex Veneta patricia Georgiorum familia, æqualis Francisco Dandulo, qui principatum in Venetis obtinuit ab anno duodetricesimo usque ad undequadragesimum sæculi decimi quarti. Hujus nomen & Episcopatum oblivioni ereptum posteritati mandarunt tabulæ cœnobii Jadrensis Dominicani: *Tempore Francisci Danduli Ducis, & Natalis Georgii de Venetiis Sac. Theologiæ professoris, D. g. dignissimi Episcopi Nonensis &c.* Continent testamentum & pia legata cujusdam Mariæ viduæ &c. Anni nota corrosa est, Sed ejus pontificatum interjici oportet inter annos 27. dum adhuc Joannes III. hanc ecclesiam regebat, & an. circiter 30. hujus sæculi, cum successor illi datus est

NICOLAUS EP. NONENSIS XXI.

Nicolaus de Matapharis Ep. Non. translatus ad Ecclesiam Jadrensem.

Ortus ex nobilissima familia Jadrensi de Matapharis; & anno 1333. translatus ad Sedem Metropolitanam Jadertinam ex catalogo Archiepiscoporum Jadrensium: *Anno* 1333. *Nicolaus III. de Matapharis nob. Jadrensis, primum Episcopus Nonensis, mox ad Archiepiscopatum Jadrensem adlectus.* Paucos igitur annos huic ecclesiæ præfuit. Ceterum Ferdinandus Ughellus & Valerius a Ponte in Archiepiscopis Jadrensibus *Episcopatum Nonensem* Nicolai silentio prætereunt. Idem Valerius tres ex domo Jadertina de Matapharis proxime post Joannem III. Episcopos Nonenses subjecit, Demetrium, Ludovicum, & Demetrium secundum.

JOANNES IV. EP. NONENSIS XXII.

Joannes IV. Episc. Lichæ possessionem sibi confirmandam curavit.

Ne quis in posterum de Licha vel sibi vel successoribus suis litem intenderet, ex ipsis autographis tum declarationem illam, qua Joannes V. Metropolita Spalatensis testificatus fuerat regionem illam ad diœcesim Nonensem pertinere, tum Stephani regis idem confirmantis diploma per tabellionem auctoritate publica præditum describi jussit; & exemplum indidem sumptum Marci Memi Comitis Nonæ chirographo subscribendum, annuloque obsignandum curavit, *Bartholomæo Gradonico Duce Venetorum anno* 1342. IV. Id. Octobris. Extant hæ tabulæ in archivo episcopali. Anno 1344. Concilio provinciali, quod Dominicus Luccarus Archiepiscopus Spalatum convocavit, cum ipse abesset a Dalmatia, vel aliis gravioribus negotiis distineretur, per Stancium Archipresbyterum Ecclesiæ Nonensis interfuit. Si cum Valerio Nicolaum de Matapharis e catalogo Episcoporum Nonensium eximi placeat, duodecim annos circiter Joannis IV. pontificatui adjungas necesse est, & in unum conferas quæ nos in duos Episcopos distraximus.

DEMETRIUS EP. NONENSIS XXIII.

Demetrius e Petinensi Ep. Nonen.

Patria Jadertinus, cognomento *de Matapharis*, ex Archidiacono Jadrensi primum Petinæ in Istria anno 1348. ut est apud Ughellum, deinde Nonæ in Dalmatia Episcopus an. 1353.

Nona per deditionē in potestatem concessit Ludovici regis Hung.

Cum omnes civitates maritimæ vi aut metu coactæ ad Ludovicum regem Hungariæ defecissent anno 1357. postremo etiam Nonenses ab Joanne Bano vehementer oppugnatos, ab omnique commeatu & subsidio intercluſos, extrema fames, rerumque omnium inopia compulit, ut deditionem facerent: *Datur Nona Regi fame consumpta usque ad comestionem equorum;* ut tradunt Cortusii Fratres lib. XI. cap. XI. Extat nomen Demetrii inscriptum tabulis quibusdam testamentariis apud Patres Dominicanos Jadrenses confectis *Anno* 1359. *Indict.* 12. 1. *Octobr. temp. Ludovici regis Ung. Rev. Patris D. Demetrii de Mataff. Dei & Ap. Sed. gratia Episc. Nonensis &c.* Anno 1371. Demetrius Ludovicum regem Hungariæ excepit, qui aliquot dies Nonæ commoratus est, ut declarant duæ illius epistolæ apud Nonam datæ eodem anno, altera

ad

ad Spalatenſes XIV. altera ad omnes Dalmatas IX. Kalendas Maji, quæ apud nos extant. Poſt obitum Ludovici anno 1382. extincti, Maria ejus filia natu maxima, cum Eliſabetha matre in Dalmatiam profecta, privilegia ſuperiorum regum Hungariæ Spalatenſibus conceſſa ampliſſimo diplomate confirmavit anno 1384. præſentibus ac teſtibus tum aliis Hungariæ & Dalmatiæ Epiſcopis, tum etiam *Demetrio Nonenſi*. Itaque Demetrius uſque ad hunc annum 1384. utraque fortaſſe vitam perduxit; & anno 1387. Mariam reginam cuſtodia Novigradenſi, in qua a perduellibus incluſa fuerat, Venetorum opera exemptam perhonorifice accepit; quæ decem ipſos dies Nonæ tranſegit; eamque in urbem venerunt legati civitatum fere omnium Dalmatiæ, ut gratulationis officia eidem præſtarent, & eorum, a quibus miſſi fuerant, poſtulata exponerent. Valerius a Ponte catalogo Epiſcoporum Nonenſium duos Demetrios ex eadem Jadrenſi ſtirpe de Matapharis prognatos inſeruit; utrique vero Ludovicum itidem de Matapharis interjecit; hujus vero Epiſcopatum anno 1373. initum quadriennio definivit; Demetrii primi ab anno 56. ad 73. ſecundi autem ab anno 77. ad 93. hujus ſæculi perduxit. Si hos retinere libeat, quæ nos uni Demetrio attribuimus, ea in tres Epiſcopos pro temporum atque annorum ratione diſpertias oportet. In regiis diplomatibus Ludovici regis Hung. an. 60. 67. 73. 79. ſæculi decimi quarti *Demetrius Epiſcopus Nonenſis* nominatur.

Tres Epiſcopos ex familia de Matapharis Valerius a Ponte catalogo Nonenſium Antiſtitum intexuit.

JOANNES V. EP. NONENSIS XXIV.

Sigiſmundus Marchio Brandeburgenſis, cui Maria uxor, filia Ludovici regis, omnia regna Hungariæ nomine ac jure dotali attulerat, anno 1388. III. Id. Octobris quidquid privilegiorum atque immunitatum, conceſſu Ludovici ac regum ſuperiorum, obtinebant Spalatenſes, auctoritate regia confirmavit; idque teſtatum eſſe voluit diplomate perquam honorifico, in quo cum aliis Hungariæ & Dalmatiæ Epiſcopis nominatur *Joannes Nonenſis*. Hujus igitur epiſcopale initium, quod Valerius a Ponte an. 1393. affixit, ad annum 1388. vel ad ſuperiorem revocari oportet. Anno 1393. Joannes una cum Nicolao Epiſcopo Corbavienſi delectus eſt arbiter ad pacem reconciliandam inter Banum Joannem Comitem Seniæ, & Commune Jadrenſium, ut Paullus de Paullis patricius Jadertinus ſcriptum reliquit in ſua Ephemeride: *Eodem anno* (ideſt 1393.) *die Mercurii 12. Novembris applicuerunt Jadram DD. Nic. Epiſcopus Corbavienſis, & Joannes Epiſcop. Nonen. pro tractanda pace & concordia inter D. B. Joannem C. Seguiæ, & Communitatem noſtram*. In diplomate Sigiſmundi regis an. 1397. nominatur *Joannes Ep. Nonen.*

Sub initium ſæculi decimi quinti Bonifacius IX. poteſtatem fecit Patribus Franciſcanis domicilii in urbe Nona exſtruendi, ut curam ſuſciperent Virginum ejuſdem ordinis, quæ tunc inſigni vitæ auſteritate & ſanctimonia apud Nonenſes florebant, & eiſdem Sacramenta impertirent, ut tradit Vadingus Tom. V. Annal. *Invenio*, inquit, *anno 1402. mentionem monaſterii Clariſſarum S. Mariæ Nonen. in uno atque altero Pontificis diplomate concedentis facultatem Minoritis, a quibus Sacramenta percipere poſſent, domum conventualem &c. Sacræ Religionis &c.* 5. *Id. Decemb. Etſi forſan &c. Idibus Decembris an.* 1402. Hoc cœnobium Virginum *Clariſſarum* Nonenſium illud fuiſſe arbitror, cujus Antiſtita nominatur in tabulis ſæculi decimi tertii, quas laudavi in Joanne II. Epiſcopo. Erat tunc fortaſſis atque a primæva inſtitutione ordinis S. Benedicti. Sed poſtea Benedictinum cum Franciſcano inſtituto commutarunt. Nam hæ Virgines ineunte ſæculo decimo ſexto Jaderam translatæ, in hac urbe etiamnum regulam S. Claræ ac diſciplinam colunt. Poſt obitum Joannis, Eccleſia Nonenſis annos circiter decem Epiſcopo caruit; & per ea tempora Joanni Archiepiſcopo Neapolitano commendatam invenio. Dum epiſcopale interregnum tenuit, anno 1409. Nona in Venetorum poteſtatem cum Jadera, quam ab Ladislavo rege Neapolitano ingenti pecunia redemerant, aliiſque Liburniæ oppidis pervenit. Exinde, ut Nonenſis, ſic aliæ Eccleſiæ Dalmatiæ, quæ Venetorum imperium ſubierunt, in regiis diplomatibus vacare dicuntur. Eodem anno Alexander V. cœnobio Nonenſi Benedictino S. Ambroſii Abbatem præfecit Fr. Alphonſum de Valle, ut docent tabulæ conſiſtoriales: 1409. 18. *Junii providit monaſterio S. Ambroſii civitatis Nonæ in Dalmatia ord. S. Benedicti vac. per mortem, de perſona F. Alphonſi de Valle Prioris monaſterii S. Nicolai Novarienſis diœceſis*. Anno autem ſequenti Joannes XXIII. Pontifex tertio Idus Auguſti, Eccleſiam Nonenſem Epiſcopo commendatario ademit, & ſuum eidem Epiſcopum reſtituit, ut eſt in tabulis conſiſtorialibus: 1410. 11. *Auguſti revocavit commendam de Eccleſia Nonenſi factam D. Joanni Archiepiſcopo Neapolitano*.

Eccleſia Nonenſis commendata Archiep. Neapolitano.

Nona ſub Venetorum imperium rediit an. 1409.

NICOLAUS II. EP. NONENSIS XXV.

Oriundus e gente Triviſana apud Venetos patricia, artium & ſac. Theologiæ Doctor, idemque Archiepiſcopus Thebanus; quem Joannes XXIII. vinculo diſſoluto, quo Eccleſiæ Thebanæ obſtrictus erat, Epiſcopum Nonenſibus dedit eodem anno ac die, quo hanc eccleſiam jure ac titulo commendatario exemit: *Item abſolvit D. Nicolaum Archiepiſcopum Thebanum a vinculo, quo dictæ Eccleſiæ tenebatur, ipſumque tranſtulit ad Eccleſiam Nonenſem, ſicut præfertur, vacantem*. Extat decretum Comitis, ſeu Prætoris Nonæ anno 1419. qui Nicolao jus decumas exigendi ex villa Cherniçæ adjudicavit, & confirmavit. Huic eccleſiæ cum annos fere quatuordecim præfuiſſet, quietioris vitæ ſtudio nuncium remiſit anno 1424. Reliquam ætatem partim Venetiis, partim Patavii tranſegit; hac in urbe cum diem obiiſſet an. 1451. ampliſſimo funere elatus, in Baſilica Antoniana ſepultus eſt; de quo Bernardinus Scardeonius in appendice ad ſuos Commentarios de antiquitate urbis Patavii &c. *In baſilica D. Antonii, humi in lapide albi marmoris in ſacello nobilium de Capiliſteis cum ſtatua Epiſcopi dormientis, hæc pauca leguntur:*

Nicolaus II. e Thebano Epiſc. Nonen.

Epiſcopatum deposuit.

Ejus Epitaphium.

Nicolaus Triviſanus.
Hic tumulatur venerandum corpus
Reverendiſſimi Domini Nicolai Triviſani olim
Epiſcopi Nonenſis, Artium & Sacræ Theologiæ
Doctoris eximii. Qui obiit
Anno Domini
MCCCCLI.
Menſis Septembris die ſeptimo.

LUDOVICUS EP. NONENSIS XXVI.

De quo in actis consistorialibus: *Anno* 1424. 3. *Id. Octobris . Provisum est Ecclesiæ Nonensi in provincia Jadren.* (Spalatensi) *vacanti per liberam renunciationem per D. Nicolaum in manibus Domini nostri Papæ* (Joannis XXIII.) *factam, de persona Fr. Ludovici Prioris S. Mariæ de Venetiis* . Abest ab omnibus catalogis Episcoporum Nonensium. Præfuit usque ad annum circiter 1440.

NATALIS II. EP. NONENSIS XXVII.

Hujus neque patria , neque cognomen mihi notum est. Suscepto Episcopatu nihil habuit antiquius , quam ut jurisdictioni reique ecclesiasticæ in posterum provideret, caveretque, quantum in ipso erat , ne quid detrimenti futuris temporibus acciperet . Itaque diligentissima inquisitione adhibita , partim ex antiquis tabulis, partim ex majoribus natu, rerum ac locorum bene peritis , catalogum confecit , in quo distincte ac nominatim descripta erant oppida , castella, villæque omnes , quæ intra fines diœcesis Nonensis continebantur , cum omnibus proventibus ac decimis , quæ ex illis locis ecclesiæ ac mensæ episcopali quotannis redibant . Auctoritate & sententia interposita Hectoris Paschalici Prætoris , & Nicolai Memi Præfecti Jadrensis , terras frugiferas castri Chetilavacii , quod ex donatione Belæ IV. regis Hungariæ Ecclesia Nonensis possidebat, ab illorum manibus extorsit, qui in eas fraudulenta occupatione invaserant , Præterea operam perutilem præbuit Michaeli Abbati Benedictini ad recuperanda bona monasterii Nonensis S. Ambrosii; & Natalis rogatu Maphæus Leonius urbis Prætor civibus pariter ac villicis omnibus imperavit , ut si quid de fundis & agris, qui olim ad cœnobium Ambrosianum pertinerent, vel ipsi scirent, vel fama & auditione accepissent, ingenue, omnique fraude ac tergiversatione sepositа, Episcopo vel Abbati denunciarent, gravi pœna proposita, si quidpiam a quopiam celatum esse compertum foret . Anno 1448. Paullus Scornichius , vir æque pius & copiosus, cum extremo morbo laboraret, neque haberet quos patrimonii sane opulenti hæredes instituеret , bona sua in quinque partes divisit ; unam cœnobio Benedictino S. Ambrosii , alteram Capitulo S. Anselmi , tertiam collegio Virginum S. Mariæ, quartam Patribus Dominicanis legavit ; quintam vero impendi voluit in absolvendam ac dotandam domum hospitalem S. Lazari, quæ prope januam civitatis jamdudum cœpta erat ædificari. Huic autem præesse voluit Archipresbyterum ædis cathedralis , qui & rei œconomicæ curam susciperet , & ægrotis Sacramenta impertiret . Testamenti curatorem constituit Natalem Episcopum , qui diligentem operam adhibuit , ut effectum daret , quod ille supremis tabulis præscripserat. Anno 1455. Natalis decimas & proventus episcopales Antonio Ostoichio civi Jadertino quingentis libris annuis in quinquennium locavit , ut docent tabulæ locationis in hæc verba.

Catalogum bonorum ecclesiasticorum confecit, & castrum Chetilavacii recuperavit.

Paulli Scornichii pia legata.

Locatio decimarum episcopalium.

Reverendissimus in Christo Dominus D. Natalis Episcopus Nonensis dignissimus per se , suosque successores , ac vice ac nomine suæ Ecclesiæ Nonensis . Usque ad annos quinque proxime venturos, incepturos die festi S. Georgii proxime futuri, &, ut sequitur , finituros , dedit , concessit, & affictavit Antonio Ostoich Marzareo civi Jadræ per se , suosque hæredes conducenti & recipienti , omnes & singulas suas decimas spectantes & pertinentes suo episcopatui , & ipsius suæ Ecclesiæ Nonensi , villarum Carbavaz , Lug , Sinvyacli , Mundichi , & aliarum villarum , quas jamdudum his annis proxime elapsis ad affictum conducebat , & conduxit , & solebat conducere ab ipso Reverendissimo Dom. Episcopo D. Petrus Mainario civis & habitator Jadræ ; exceptis dumtaxat juribus & portionibus Presbyterorum parochialium dictarum villarum , & Archipresbyterorum Lucæ & Zupaniæ , quæ jura dictorum Presbyterorum parochialium, Archipresbyter. & Zupaniæ in hac affictatione non includantur , neque ponantur ; quod jura præfati Rev. D. Episcopi ipsas decimas affictantis non spectant, neque pertinent; ad habendum , tenendum , & recipiendum , & de ipsis omne velle suum faciendum & disponendum toto tempore dictorum quinque annorum affictationis prædictæ , quemadmodum ipse Reverendissimus Dominus Episcopus facere & disponere poterat ante celebrationem hujus instrumenti affictationis, & hoc pro affictu , & nomine affictus librarum quadringentarum pro singulo anno dictorum quinque annorum; quas libras quadringentas parvorum in anno dictus Antonius per se suosque hæredes & successores promisit & obligavit ipsi Reverendissimo Dom. Episcopo , pro se suisque successoribus , ac vice & nomine præfatæ suæ ecclesiæ stipulanti , eidem dare , solvere ; & numerare in prompta & numerata pecunia , in his duobus terminis , videlicet medietatem ad festum Nativitatis Domini nostri Jesu Christi , & aliam medietatem ad festum Paschæ Resurrectionis ejusdem : quæ omnia & singula prædicta dictæ partes promiserunt vicissim , videlicet una pars alteri , & altera alteri , sollemnibus stipulationibus hinc inde intervenientibus , firma , rata & grata habere & tenere, observare & adimplere , & in nullo contrafacere , dicere , vel venire per se , vel per alios , aliqua ratione , vel causa, de jure , vel de facto , sub pœna quarti stipulata hinc inde, & præmissa solvenda a parte contrafaciente prædicti quarti , & refectione damnorum omnium interesse & expensarum litis , & extra . Et pœna soluta vel non, omnia contenta in præsenti instrumento nihilominus obtineant plenum robur. Pro quibus omnibus & singulis prædictis firmiter attendendis & observandis, præfatus Reverendissimus Dom. Episcopus obligavit ipsi Antonio omnia bona mobilia & immobilia præfatæ ecclesiæ , præsentia & futura ; & dictus Antonius obligavit ipsi Reverendissimo Domino Episcopo omnia bona sua tam habentia, quam habenda.

Actus Jadræ in monasterio S. Grisogoni solitæ residentiæ prælibati Reverendissimi D. Episcopi ; præsentibus Petro de Venturino Mercatore , & Magistro Georgio Vidulich Marangono , civibus Jadræ testibus ad prædicta vocatis & rogatis.

Ego Simeon de Fanfogna judex examinator me subscripsi.

Cum Paschalis Gradonicus , quem Venetiis accersitum Ragusini rectorem urbis elegerant , nescio quid commercii habuisset cum hæreticis Bosnensibus, Boninus Vicarius Archiepiscopi eidem sacris interdixit . Ille Sedem Apostolicam appellavit . Callistus III. Natalem Episcopum Nonensem , itemque Maphæum Metropolitam Ja-

Callistus III Natali cognitionem causæ Paschalis Gradonici Prætoris Ragusini delegavit.

Jadertinum ; & Felicem Episcopum Scardonæ judices dedit , qui diligenter riteque inquirerent , jurene , an injuria anathema illud Paschali inflictum fuisset ; & pro eo ac postularet æquitas , sententiam Vicarii aut irritam faterent , aut confirmarent. Sed cum iter necessarium Natali Romam esset, ex potestate sibi permissa alios subrogavit , qui cum duobus illis Præsulibus ei quæstioni præessent , ut est in tabulis Curiæ Archiepiscopalis Jadertinæ : *Episcopus Nonensis profecturus Romam , commisit suas vices NN. & NN. judicibus subdelegatis* . Caussam Romanæ profectionis præbuit Stephanus Thomas rex Bosinæ, qui ante aliquot annos catholicam fidem amplexus, tres e primariis ejus regni Dynastis ac Patarenæ impietatis signiferos, cum nullis neque adhortationibus neque minis ab insanis erroribus revocari possent , vinctos Romam abduci jussit ; eosque, ut Pio Pontifici sisteret, vel convertendos vel puniendos, Natali Episcopo commendavit. Cum his igitur Romam profectus anno 1459. Thomæ Ladislavichio Archipresbytero & Vicario suo generali rei christianæ & ecclesiasticæ procurationem commisit . Hic anno sequenti Franciscum Michaelium Prætorem urbis convenit , eique tum Capituli , tum Communis Nonensis postulatum exposuit , quod erat hujusmodi ; antiqua consuetudine, quæ vim legis obtinet , constitutum ac receptum esse , ut Prætor binos , singulis annis e carceribus emissos , libertate donaret , alterum eo pervigilio , quod diem sollemnem S. Anselmi , alterum illo altero pervigilio , quod diem festum S. Ambrosii proxime antecedit ; quos scilicet Canonici , magistratus , & populus Nonensis petiissent , modo ne perduellionis rei , aut sicarii essent. Annuit Michaelius, & quem tunc postulabant , vinculis exemptum illis donavit . Natalis Roma reversus litteras encyclicas accepit a Laurentio Zannio Metropolita Spalatensi , qui tum Venetiis degebat , quibus tum ipsi Natali , tum ceteris Dalmatiæ Episcopis imperabat , ut Fratrem Alexandrum ex ordine Franciscano , qui Sedem Scardonensem invaserat , seu præsentem , sive absentem , Pontificis nomine canonicæ animadversionis pœna proposita admonerent , ne diutius Ecclesiam illam male occupatam retineret , sed sine ulla cunctatione dimitteret , & Jacobo Bragadeno legitimo Episcopo liberam relinqueret . Cetera quæ ad hunc locum pertinent , exposita sunt in eodem Laurentio Archiepiscopo Spalatensi . Hæc epistola inscripta est *Reverendissimis in Christo Patribus & Dominis Maphæo &c. Natali Nonensi . . .* dataque *Venetiis sub anno a Nativitate Domini millesimo , quadringentesimo , sexagesimo primo , Indictione nona , die vero* XXVIII. *mensis Januarii* . Biennio post Natalis e vita decessit.

Stephanus rex Bosinæ tres Dynastas Patarenos Romam adducendos Natali tradidit.

Mandatum Archiep. Spalatensis ad Natalē, aliosque Antistites.

JACOBUS EP. NONENSIS XXVIII.

Jacobus Bragadenus e Scardonenti Ep. Nonen.

Patricius Venetus e nobilissima gente Bragadena , quem Pius II. e Scardonensi translatum Ecclesiæ Nonensi Episcopum præfecit an. 1463. Sed Matthias rex Hungarorum ægre tulit jus nominandi Antistitis Nonensis a Pontifice sibi præreptum fuisse , quod ad reges Hungariæ pertinere arbitrabatur , quamvis tunc ea civitas Venetorum imperio subesset. Verum ne temporibus illis periculosissimis Pontificis animum ab se alienaret , cujus auxilio ad sustinendam belli Turcici molem indigebat , tum in ejus gratiam , tum ob egregia Jacobi merita , interposita præsertim Joannis Emi Veneti apud regem oratoris commendatione , collatum illi Nonensem Episcopatum approbavit , ut constat ex ejus diplomate.

Litteræ Matthiæ regis Hungariæ approbantis ejus electionem.

Nos Matthias D.g. rex Ungariæ , Dalmatiæ , Croatiæ memoriæ commendamus tenore præsentium significantes quibus expedit universis , quod nos ob reverentiam Sedis Apostolicæ , respectum habentes ad virtutes & benemerita Ven. viri Jacobi Bragadini Veneti artium & juris utriusque Doctoris , quibus idem testimonio magnifici Joannis Emo militis , oratoris Illustrissimi Dominii Venetiarum , meruit commendari ; translationi per Sanctissimum in Christo Patrem D. Pium , divina providentia Sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summum Pontificem , in persona ejusdem Jacobi Bragadini de Ecclesia Scardonensi ad regimen vacantis Ecclesiæ Nonensis : qui Episcopatus Nonensis ascendit de introitibus ducatorum auri Romanæ curiæ . . . auctoritate nostri juris patronatus regii , quod sicut in aliis omnibus ecclesiis cathedralibus regnorum nostrorum , ita etiam in præfata Ecclesia Nonensi more aliorum regum Hungariæ prædecessorum nostrorum habere demonstramus , nostrum regium consensum præbendum duximus , præbemusque benevolum pariter assensum harum nostrarum , quibus secretum sigillum nostrum , quo ut rex Ungariæ utimur , imprimi curavimus , vigore & testimonio litterarum mediante . Datum in Waradino Petri duodecimo die mens. Septembris an. Dom. 1463.

Verum deinde integra eligendi creandique Episcopi Nonensis potestas penes Sedem Apostolicam perpetuo fuit , consentientibus Venetis , & regibus Hungariæ neque repugnantibus , neque invitis. Jacobo cum quibusdam Patriciis Jadertinis graves ac diuturnæ contentiones fuerunt ; hi siquidem , ut ex agris , quos sane multos possidebant in diœcesi Nonensi , decumas Episcopo & ecclesiæ solverent , nulla ratione adduci poterant. Ab Duce & Senatu litteras regias impetravit , quarum auctoritate , & Jadertini Prætoris imperio urgente , jus suum tandem obtinuit . Cum anno fere undecim huic ecclesiæ præfuisset , obiit Nonæ anno 1474. & sepultus est in æde cathedrali ante aram maximam. Lapis sepulcralis insculptam exhibet effigiem Episcopi habitu ornatuque sacerdotali . Addita inscriptio : *Hic jacet Jacobus Bragadeno Patricius Venetus , Episcopus Nonensis.*

GEORGIUS EP. NONENSIS XXIX.

Georgius Ep. ob inclementiā aeris Nonensis ab Innocentio VIII. facultatē impetravit Jaderæ commorandi.

Sibenici natus est ex familia Diphnica antiquissima & nobilissima , ampliſſimis regum & Imperatorum privilegiis ornata , ex qua multi vel armorum, vel litterarum gloria illustres viri prodierunt , alii militaribus , alii civilibus , alii ecclesiasticis honoribus ac muneribus præclare gestis eximiam laudem adepti . Huic Simon frater fuit , quem ob egregiam in bellis Turcicis operam rei christianæ navatam Innocentius VIII. equitis aurati titulo impertiit , & equestribus insignibus suis ipse manibus condecoravit . Georgius anno circiter 1475. regimen Ecclesiæ Nonensis suscepit , cui per annos quinque & quinquaginta sanctissimis institutis, exemplisque plurimum profuit. Cum cælum Nonense ob aquas circa urbem stagnantes crassius in dies & insalubrius fieret , ejusque valetudini ma-

maxime officeret, ab Innocentio VIII. potestas illi facta fuit Jaderæ habitandi, commorandique in ædibus, quas sibi superiores Episcopi diversandi causſa construxerant; itemque in eadem urbe clericis ac populis sibi commissis jus dicendi, leges condendi, sacrum chrisma, minores ac majores ordines sollemni & pontificali ritu conferendi, petita quidem, licet tamen non impetrata Archiepiscopi Jadrensis facultate. Extat diploma pontificium in hæc verba.

Privilegium Pontificis. *Innocentius Papa VIII. Ven. Fratri salutem & apostol. benedict. Cum aer civitatis Nonæ sit insalubris, & tuæ complexioni non parum adversetur, adeoque inibi residendo infirmari de facili vereris, & civitas & diœcesis Nonensis civitati Jadrensi vicinæ existant, quæ sub salubriori aere posita est, præter quod præcessores tui in dicta civitate Jadrensi propriis domibus constructis habitare consueverunt, & tu ad præsens habitare consuevisti; magna quoque pars bonorum mensæ tuæ episcopalis Nonensis in Jadrensi diœcesi existant, itaque necesse sit tibi, & hominibus in dicta diœcesi Nonensi commorantibus, & ad te confluentibus tamquam ad pastorem, misericorditer provideri, ac tuæ vitæ & eorum consulere indemnitati; quare de speciali gratia tibi concedimus, ut sine præjudicio Archiepiscopi Jadrensis, petita ejus licentia, licet non obtenta, in dicta civitate Jadrensi possis omnia, quæ ordinis & episcopalis jurisdictionis existunt, in tuæ episcopalis jurisdictionis & superioritatis subditos libere & licite exercere, prout posses in tuis civitate & diœcesi Nonensi. Decernentes gesta per te in dicta Jadrensi civitate, eo prætextu, quod extra tuam civitatem & diœcesim gesta fuerint, de cetero impugnari non posse, sed perinde haberi, ac si in civitate ac diœcesi Nonensi gesta fuerint, & gererentur in posterum. Non obstantibus consuetudinibus, & ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscat. die 10. April. 1488. Pontific. nostri anno 2.*

Ad Georgium pertinet epistola Alexandri VI. imperantis, ut nobiles quosdam viros & clericos injuriosos Patribus Franciscanis Jadrensibus cohibeat.

Epistola Alex. VI. ad Georgium Episc. *Alexander Episcopus servus servorum Dei Ven. Fr. Episcopo Nonen. sal. & ap. bened. Conquesti sunt nobis Guardianus & Fratres domus S. Francisci Jadren. ordin. Min. quod nobilis vir Petrus de Srigena Comes, & nob. mulier relicta qu. Caroli Com. Comitissa de Srigena, ac quidam alii clerici & laici civitat. Nonensis & tuæ diœcesis, super quibusdam immobilibus in civitate & diœcesi prædictis consistentibus, mobilibusque bonis, & rebus aliis, Guardiano & Fratribus ejusdem domus pro reparatione & conservatione dictæ domus, & aliis inibi necessariis in eleemosynam pie erogatis, injuriantur eisdem; ideoque Fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint vocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit appellatione remota decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Proviso ne in terras dictorum nobilium auctoritate præsentium interdicti sententiam proferas, nisi super hoc a nobis mandatum speciale receperis &c. Dat. Romæ ap. S. Petrum anno Incarn. Dom. 1494. 13. Cal. April. Pontific. nostri anno tertio.*

Bellum Turcicum an. 1499. Nec vero Jaderæ sedem suam sic affixerat, ut non identidem suum gregem Nonensem intervisseret; præsertim si qua illum ecclesiæ aut christianæ plebis necessitas vel utilitas evocaret. Anno postremo hujus sæculi decimi quinti, cum Bajazethes rex Turcarum Venetis bellum intulisset, Nona magno in periculo versabatur; quippe Turcæ in agrum Jadertinum & Nonensem ingenti numero transgressi, omnia igni ac ferro vastabant. Simul atque increbuit suspicio adventantium hostium, illico accurrit optimus Præsul, nulla suæ salutis vitæque ratione habita, ut civibus in eo discrimine opera & consilio præsto esset. Prima illi & præcipua cura fuit, ut Virgines Nonenses Turcarum injuriis ac sacrilegiis præreptas in tuto collocaret. Eas igitur fida nobilium virorum custodia, ac militum præsidio leptas Jaderam, in urbem validis mœnibus & propugnaculis munitam transferri jussit; quas quidem Archiepiscopus Jadrensis egregia charitate ac beneficentia complexus, eisdem de habitatione accommodavit, & cum domo parochi ædem S. Petri veteris attribuit, in qua diurnæ nocturnæque psalmodiæ ac rebus divinis operam darent. Illæ vero abeuntes corpus S. Marcellæ Episcopo commendarunt, quod in ædem cathedralem illatum, atque in loco decenti ornatoque depositum fuit. Sed biennio post cum propius ab Turcis periculum Nonæ immineret, Senatus Venetus pro eximia sua in Deum ac Superos religione jussit corpus S. Marcellæ una cum exuviis Sanctorum Anselmi & Ambrosii Jaderam asportari: id quod Nonenses ingenti mœrore & consternatione perculit; effusique simul omnes in lacrymas & querelas Prætorem adierunt, orantes atque obtestantes ne sineret se, in tali ac tanto discrimine, suis patronis, ac cælestibus illis præsidiis privari, in quibus civium salus, urbis tutela, omnium libertas & incolumitas sita esset. Eorum precibus ac lacrymis indulgendum fuit. Nec vero sua illos fiducia frustrata est: cum enim hostes urbem acri obsidione premerent, vehementerque oppugnarent, corpus S. Marcellæ pia & frequentissima supplicatione circumlatum, & ubi gravius periculum instabat, barbaris jam mœnia scandentibus objectum, propugnatoribus tantum animi atque audaciæ, hostibus tantum pavoris terroriſque injecit, ut illi acrius in pugnam incumberent, hi magna cæde repulsi absisterent incepto, seque protinus in fugam conjicerent. Ita civitas obsidione liberata gratias pro victoria Deo ac superis patronis ingenti pietate ac lætitia persolvit. Anno 1503. induciæ cum hostibus pactæ pristinam Nonæ ac Dalmatiæ tranquillitatem reddiderunt.

Sacræ Virgines Jaderam translatæ.

Nona S. Marcella opitulante obsidione liberata.

Georgius lites de decimis habuit cum Nonensibus & Jadertinis.

Georgius his curis ac periculis perfunctus, de jurisdictione ac decimis lites habuit permolestas cum Jadertinis & Nonensibus; hi cum rem protraherent, & alias ex aliis moras causſæ dicendæ interponerent, id agere videbantur, ut ille victus tædio, defatigatione, nimiisque sumptibus, quos facere cogebatur, ab ea causſa persequenda desisteret. Verum ab Senatu impetravit, ut ejusmodi litigia, sine formula ac strepitu forensi, per arbitros ex æquo & bono componerentur. Ecclesiæ suæ negotiis, & gravissimis occupationibus præpeditus, Concilio Lateranensi non interfuit; & Patribus Lateranensibus, quo minus adesset, satis justa excusatio visa est, quam scriptis traditam ejus nomine Bernardus Episcopus Tarvisinus exhibuit Sessione X. quæ habita fuit IV. Nonas Maji anno 1515. ut est in actis ejusdem Concilii: *Et Reverenſ-*

verendus Dominus Bernardus Episcopus Tarvisinus dedit mandatum Reverendi Patris Georgii Episcopi Nonensis. Dum ab urbe aberat, & Jaderæ morabatur, Marcus Antonius Raymundus, natione Italus, sed Jaderæ natus, Protonotarius Apostolicus, idemque Archipresbyter & Canonicus Nonensis, vir singularis doctrinæ, probitatis, & prudentiæ, Vicarii generalis munere fungebatur, remque christianam summa cum fide atque integritate administrabat. Anno 1523. Georgius, cum ad senectutem fere extremam perveniſſet, ab Adriano VI. petiit, ut sibi potestas fieret oneris episcopalis deponendi. Pontifex, ut suam erga illum eximiam voluntatem ostenderet, plus etiam, quam petebat, concessit. Illi siquidem Jacobum fratris filium, doctrina & virtute non dissimilem patruo, adjutorem jure successionis donatum ita dedit, ut tamen Georgium solutum ab omni cura & obligatione episcopali, titulum Episcopi Nonensis una cum potestate retinere voluerit. Superstes annos fere septem vixit; suo ære sumptuque ædem cathedralem collabentem restauravit, ut declarat ejus stemma gentilitium januæ laterali, quæ in septemtrionem spectat, impositum, ac duobus majusculis litteris interjectum G. D. id-est *Georgius Diphnicus;* infra vero inscriptus est Annus MDXXVIII. Sacrarium etiam refecit, ornavit, sacra supellectili auxit: quod itidem significat ejusdem avitum insigne in fornice variis locis depictum. Mortuus est VI. Id. Augusti anno 1530. aut Jaderæ aut Nonæ, & conditus est in sepulcro, quod sibi vivens in eodem sacrario ædis cathedralis paraverat. Lapidi sepulcrali insculpta est effigies episcopalis cum tiara capiti imposita, linteo pontificio præcincta, in quo hæc grandioribus litteris incisa est inscriptio:

Jacobus fratris filius adjutor Georgio datus, cum jure succedendi.

Georgii sepulcralis inscriptio.

HIC IACET ÆNONIVS
PRÆSVL SED DIPHNICA
PROLES
SIT SVA SORS
INTER
REGIA CELSA
PRECOR

In ora superiori extrema ejusdem lapidis:

OBIIT VIII. AVGVSTI ANNO
MDXXX.

JACOBUS II. EP. NONENSIS XXX.

Jacobus ante legitimam ætatē consecratus Episcopus.

Ætatem nondum idoneam nactus ad munus episcopale sustinendum, Georgio patruo adjutor datus est, & successor designatus anno 1523. Itaque ejus pontificalem consecrationem in annos posteriores differri oportuit; quam ex privilegio pontificio suscepit annos natus septem & viginti, triennio ante, quam per leges ecclesiasticas liceret; interea vero rem christianam & proventus mensæ episcopalis ex præscripto & imperio patrui sapientissime administravit; & quæ Antistitis munia sunt, omnia peregit, præter illa quæ characterem pontificalem requirunt. Georgium patruum amisit anno 1530. a quo præcepta & exempla omnium episcopalium virtutum acceperat, quemque ipsius vestigiis in regimine ecclesiastico, rebusque omnibus decernendis & gerendis constantissime persecutus est. Erat autem suapte natura ad omnem virtutem & honestatem factus, excellenti ingenio præditus, comis erga omnes & benignus, humanis divinisque doctrinis excultus; & jam inde ab adolescentia sub patrui disciplina non exigua dederat industriæ, probitatis, prudentiæ documenta. Antequam Georgius moreretur, Ecclesia Nonensis Licham amisit, ex qua decimas sane copiosas percipiebat, subactam a Turcis an. 1501. qui ea tempestate cum Hungaris bellum gerebant. Eumdem Vicarium generalem retinuit, quem patruus habuerat, M. Antonium Raymundum virum expertæ fidei, exquisitæ doctrinæ, & singularis sollertiæ, qui dum Georgius viveret, diœcesim sæpe lustravit, ejusque descriptionem scriptis traditam reliquit, quam huic loco intexere libet.

Descriptio diœcesis ac territorii Nonensis confecta a M. Antonio Raymundo Georgii & Jacobi Vicario.

Confines Episcopatus Nonensis, & dioceſis sui districtus, & territorii Comitatus, & jurisdictionis non solum temporalis magnifici Dom. Comitis Nonensis, verum etiam spiritualis, & major pars superior Comitatus & districtus Jadræ; tota castellania castri Novigradi, & major pars castri Nadini; cujus aliqualis pars est dioceſis Scardonensis, & prout per nominandas inferius parochias distinguitur, sub Dominio Sereniſſimo Venetiarum, ab annis christianæ salutis 1409. nec non latiſſima confinia sunt ipsius dioceſis, modo sub immani Turcarum tyrannide, regionis nuncupatæ el Banadego, quæ alias a Banis regni Hungariæ gubernabatur. In qua regione, etiam Luca superior nuncupata, extant castra nobilium Croatorum ab ipsis Turcis profligatorum, & noviſſime occupata anno 1527. ultra & præter villas multas & loca, castrum Carini, castrum Charlatovich, castrum Benchovich, castrum Clicevaz, castrum Polaza Mariani. Iſta castra sunt ad confinia districtus & territorii Jadrenſis Illuſtriſſimi Dominii Venetiarum. Item proſequendo interius ipſam Lucam, & Banadegum, castrum Peruſſich, castrum Racich cerane, castrum Mirane, castrum Vayvode Coſulis, castrum Ottocaz. In quibus omnibus castris & illorum villis & parochiis per dictam regionem Banadegi, ego M. Antonius Raymundus clericus & Archipresbyter pluries fui, & illa in viſitatione circuivi, cum . . . . mei Domini Georgii præceſſoris immediati, aſſociati a 50. aliquando a 60. equitibus tam Presbyteris & parochis dioceſis, quam laicis, & tunc ſummopere timebantur Turcæ, & hoc fuit de anno 1514. inter duo Paſchata, prout in libro mei protocolli viſitationis apparet. Et ab iſto latere ſirocali confines sunt dioceſis Nonenſis, & Scardonenſis, monticellus vocatus Bribir, ſuper quem eſt eccleſia Archipresbyteratus ruralis, & antiquitus ibi congregabatur judicium, Stol nominatum, regionis. Aquirina confinat cum dioceſi Jadren. per Comitatum Jadræ & caſtellanatum caſtri, alias Abbatia Auranæ etiam Excellentiſſimi ducalis Dominii prædicti. A parte vero orientali ſubtus montes Ceraneos catenæ mundi (la montagna) extat caſtrum Zelengrad, & eſt tota ipſa montanea, ad pedes cujus verſus mare eſt caſtrum cum ſuburbio, cui flumen magnum ſubcurrit, vocatum Obrovaz, ſedes magnificorum Dominorum Comitum Corbaviæ appellatorum Chiurgacovich. Ultimus Dominus & Comes fuit Joannes Torquatus nuncupatus latine, a Romanis oriundus, Caroli filius, & Carlovich vocatus, de Frangipanibus, qui obiit Banus in Slorigne poſt captum dictum Obrovaz a Turcis dicto anno 1527. menſe Januarii, exiſtente caſtellano Domino Jurco de Poſſedaria nequaquam laudando; ſub quo caſtro ad ripam fluminis eſt monaſterium alius ordinis S. Benedicti, ſub invocatione S. Georgii de Copriva de jure patronatus Dominorum Comitum prædictorum, tunc in commenda obtentum a D. Jacobo

cobo de Poſſedaria, habens curam animarum parochialem aliquarum villarum, ſubtus dictam montaneam ſub dioceſi noſtra Nonenſi. Quod caſtrum & Abbatiam ſæpius viſitavimus præſente & abſente Domino Comite; & multos Turcas captivos in vinculis recreavimus eleemoſynis. Caſtrum Racich, caſtrum Vegæ Domini Comitis, oppidum Schriſſi pro dimidia Domini Comitis, pro alia dimidia illorum de Frangepanibus filiorum quondam Comitis Anzæ maximi . . . patrui Comitis Joannis, captum a Turcis de anno 1525. nocte carnis privii, dum ebrii per oppidum & plateas ſaltando choreatim debaccharentur: quæ omnia caſtra & oppidum ſæpius acceſſimus, & viſitavimus; ultra quod oppidum verſus occidentem ſeu boream, extat ultima villa, ſeu caſtrum & parochia Ceſſariza.

Citra tamen caſtrum Jablanaz dicti Anzæ Francapani, & ſic illuc uſque, tota dicta montanea citra & verſus mare, nec non ultra ad continentem, & continens ipſa regio pulcherrima, plana Lica nuncupata, uſque ad Corbaviam aliam regionem poſt montem verſus . . . & verſus orientem. Verſus autem boream occidentem uſque, ad quamdam partem Buſane regionis Epiſcopatus Ottocenſis: in qua Lica modo cum tota montanea ipſa, ab ipſis infidelibus oppreſſæ erant multæ parochiæ, villæ, & caſtra: regio omnibus bonis, & decimis fertiliſſima, ſub ditione memorati Comitis Joannis Chiurgacovich, cujus etiam erat regio Corbaviæ: qui Epiſcopatus Corbavienſis alias per Ven. Synodum ſeu Concilium, & ſedem Spalatenſem ipſorum metropolim, unitus & annexus fuit Modruſien. Epiſcopatui. Nec aliter verius dicti confines poni poſſunt, quia temporibus noſtris infra continentem Turcæ ipſi jam invadere incipiebant ipſas regiones; ſed ex relatione rectorum parochialium, qui illuc uſque habitabant in illis locis & parochiis, & de decimis mihi per novem annos regenti, & incumbenti bonis juris epiſcopalis noſtri prædicti Nonenſis, ſolvebant, quæ oculatim non vidi, expoſui dictos confines; ut ſi quando Deus miſerando fidelibus per fidem, non per opera debita, concedet regna, provincias, & regiones, ad laudem ſui glorioſi nominis converti, & reverti, & ſi qui adhuc ſunt in humanis profugi, ad propria convolare valeant &c.

Jacobus quamvis vigilantiſſimus cuſtos eſſet, vindexque acerrimus juris & immunitatis eccleſiaſticæ, quam litteris regiis ab Senatu impetratis accurate defendit, ac diligentiſſime communivit; ſemper tamen, quoad ejus fieri poſſet, lites vitandas & paci conſulendum eſſe cenſuit. Itaque cum de decimis villæ Chernizæ, quæ ſita eſt in territorio Jadrenſi, controverſia illi eſſet cum quibuſdam civibus Jadertinis, maluit eam per arbitros componi, quam ad forum judiciale deduci. Extant tabulæ compoſitionis anno 1533. Jaderæ in ejus domo apud S. Demetrii confectæ, quas Curiæ Romanæ approbatione confirmandas curavit. Quam eſſet ſtudioſus concordiæ & fugitans diſſidiorum illud argumento eſt, quod ex antiquis codicibus Capituli formulam præſcripſit, rationemque exigendi ac dividendi decimas, quæ ſimul obviam iret litigiis & contentionibus, ſimul præcaveret ne quid per oblivionem aut negligentiam integræ exactioni deeſſet. In id leges æquitatis ac ſapientiæ plenas deſcripſit huic titulo ſubjectas: *Modus & forma decimandi, & dividendi decimationes eccleſiæ cathedralis Nonenſis ex antiquis protocollis Capituli Nonenſis.* Anno 1537. cum Turcæ bellum Venetis intuliſſent, quod triennio poſt compoſitum fuit, Nedinum oppidum diœceſis Nonenſis in barbarorum poteſtatem pervenit. Omni ſtudio operaque curavit, ut Capitulum e decem Canonicis conſtans, quibus Archidiaconus, Archipresbyter, Primicerius dignitate anteibant, & clerum inferiorem ſuis cohortationibus, præceptis, & exemplis ad omnem honeſtatem ac religionem conformaret; utrumque habuit magno ſibi obſequio & charitate conjunctum, excellentibus viris & virtutibus florentiſſimum. Quidquid argenti facti ſignatique, ac pretioſæ ſupellectilis ad ornatum ædis cathedralis ac divinum miniſterium pertinebat, id omne nominatim ac diſtincte in codicem referri juſſit, ne quid per fraudem interverti poſſet, aut per incuriam dilaberetur. Ejus præclare factorum illud poſtremum fuit perutile, ac ſalutare, quod binas anno 1555. binas itidem anno ſequenti litteras ducales obtinuit, quibus vectigalia & proventus eccleſiaſticos firmiſſime communivit adverſus quorumdam malitiam & pervicaciam, qui optimi Præſulis patientia & bonitate abutentes, eccleſiæ quod debebant ſolvere, vel tergiverſando, vel abnuendo recuſabant. Hæc & alia ſuæ adverſus eccleſiam ſibi creditam providentiæ & ſollicitudinis monumenta cum reliquiſſet, diem obiit anno 1556. & eodem, ut videtur, quo patruus, ſepulcro conditus eſt.

MARCUS II. EP. NONENSIS XXXI.

Marcus Vicarius generalis duorum Archiep. Jadrenſium, deinde illius eccleſiæ adminiſtrator.

Ex Veneta nobiliſſima familia Lauretana; qui antequam eccleſiaſticæ militiæ nomen daret, variis & illuſtribus in patria magiſtratibus ac muneribus egregie functus, dignum ſe præbuit, qui cooptaretur in ordinem ſenatorium. Cum humanis diviniſque doctrinis eximiam religionem conjunxit, eumque Valerius a Ponte Archidiaconus Jadrenſis *Virum* vocat *non vulgaris eruditionis & pietatis*: id quod confirmat Liber *De vera felicitate*, multa & exquiſita doctrina refertus, & ſententiis graviſſimis plenus, quem typis traditum in lucem emiſit. Nonenſem Epiſcopatum adeptus eſt anno 1557. & cum ex privilegio pontificio Jaderæ habitaret, illum Mutius Calinus Archiepiſcopus Jadrenſis Vicarium generalem ſibi conſtituit, in eumque totius eccleſiaſticæ adminiſtrationis onus rejecit cum ſumma rerum omnium gerendarum poteſtate, dum ipſe Concilii Tridentini cauſſa ab urbe abeſſet. Eumdem muneris ſui Vicarium retinuit Andreas Minutius in locum Calini ad Eccleſiam Interamnenſem translati ſuffectus. Hoc vita functo Gregorius XIII. Marcum Epiſcopum Nonenſem Metropoli Jadertinæ adminiſtratorem dedit, eique dimidiam partem proventuum archiepiſcopalium aſſignavit, ut apparet ex diplomate pontificio, quod datum eſt XII. Kalen. Decemb. an. 1573. Marcum e Nonenſi Archiepiſcopum Jadertinum creatum fuiſſe falſo ſcripſit Ughellus: ſiquidem, ut docet Valerius a Ponte, archiepiſcopalis tituli ac dignitatis expers, cum adminiſtratione Eccleſiæ Jadertinæ Eccleſiam Nonenſem perpetuo retinuit. Utrique vero ſumma vigilantia, ſingulari aſſiduitate, & præclariſſimis decretis ad eccleſiaſticam diſciplinam reſtituendam & confirmandam, itemque ad ſplendorem divini cultus augendum, mirifice profuit. Dum Dalmatia quoque

que bello Cyprio ardebat, quod Selimus rex Turcarum intulit Venetis anno 1570. Nona amissa est. Cum enim ob mœnia vetustate semiruta & propugnatorum paucitatem hostili obsidioni sustinendæ non esset, desertam a nostris, magnaque ex parte vel incensam, vel eversam Turcæ occuparunt. Antequam deducto præsidio urbem relinquerent, corpora SS. Anselmi, Ambrosii, Marcellæ indidem sublata, cum aliis Divorum reliquiis, item calices, cruces, ornamenta templorum atque altarium, omnemque sacram supellectilem Jaderam asportarunt. Incredibile dictu est, quantum mœroris cœperit optimus Præsul ex amissione urbis ecclesiæque sibi carissimæ, atque ex dispersione civium, qui patria profugi egentesque hac illac vagabantur. Itaque duces & præfectos exercitus Veneti orare, obsecrari, urgere non antea destitit, quam suis precibus & querelis, opportune & importune insistens, tandem eos compelleret, ut selectas copias ad Turcas expellendos immitterent. Recuperata est Nona altero fere anno, quam venerat in potestatem barbarorum, idest anno 1573. quod fuit tertium belli Cyprii, idemque postremum. Civitas profugis redeuntibus iterum habitari, ac domus dirutæ, ut fieri poterat in illa rerum inopia, reædificari cœperunt; ac brevi incolarum numerus eo crevit, ut hominum capita facile octingenta excederent. Urbe ac pace restituta, Marcus eam curam cogitationemque suscepit dignissimam suæ religionis, ut Divorum reliquias, sacra vasa, vestes sacerdotales, altarium supellectilem & ornamenta, quæ Turcæ, dum ecclesias utriusque territorii Jadertini & Nonensis diripiebant, abstulerant, pecunia præsenti redimeret: quæ quidem omnia apud se retinuit, dum viveret; post mortem vero, partim Capitulo Jadrensi, partim ei, qui sibi in Episcopatum Nonensem succederet, tradi jussit. Capituli Nonensis proventus auxit, eique conjunxit Sacerdotium S. Mariæ de Leporinis, vectigalibus haud contemnendis instructum, cujus conferendi jus ad Episcopum pertinebat. Lavacrum baptismatis in æde cathedrali refecit ornavitque: id quod testatur stemma gentis Lauretanæ cum tiara superposita eidem infixum. Præter alia dona non exigui pretii, ecclesiæ suæ legavit signum pacis ex auro purissimo, quod Jaderæ in ærario S. Marcellæ asservatur. Ita præstantissimus Præsul de utraque Ecclesia Nonensi & Jadertina optime meritus, e vita migravit anno 1577. VII. Kalendas Julii.

Nonam a Turcis captam ut recuperarent, Venetis auctor fuit.

PETRUS EP. NONENSIS XXXII.

De quo in actis consistorialibus: 1577. 30. *Julii providit Ecclesiæ Nonensi per obitum b. m. Marci Lauredani vacanti, de persona Rev. Dom. Petri Cedulini clerici Jadrensis, cum retentione compatibilium, incompatibilium vero ad sex menses.* Jaderæ natus est ex familia patricia Cedulina, æque pervetusta, ac perillustri, quam nunc extinctam esse ajunt. Erat ingenio excellenti, doctrina multiplici, pietate ac religione singulari, cujus eximiæ virtutes ut pluribus prodessent, eum Gregorius XIII. e clero Jadrensi ad Episcopatum evexit. Jaderæ sedens atque in domo paterna, curas omnes & cogitationes suas in salute gregis sibi concrediti defixas habebat; quem identidem intervisere solebat, eique nullum ab se vigilis ac solliciti pastoris officium decsse patiebatur. Cum aer Nonensis ob infrequentiam incolarum quotidie crassior, atque insalubrior fieret, Petrus Capituli & cleri sui periculum miseratus, potestatem fecit, ut mensibus æstivis nunc hi, nunc illi, benignioris auræ captandæ studio, ad loca salubriora se conferrent, modo tamen non omnes eodem tempore ab urbe discederent, sed aliis abeuntibus alii reversi succederent; ne umquam ædes cathedralis a quotidiana psalmodia, divinique cultus officiis vacaret. Petri ministerio atque opera Natalis Venerius Archiepiscopus Jadrensis ad pontificales functiones obeundas persæpe utebatur. Anno 1579. Augustinus Valerius Episcopus Veronensis, cum ex mandato pontificio Ecclesias Dalmatiæ visitatione apostolica lustraret, Nonam quoque adiit, quem Episcopus, clerus, & populus obviam effusus per honorifice, ingentique lætitia & gratulatione excepit. Ille urbis & civium calamitates superiori bello Turcico acceptas paterna charitate commiserans, omnes blanda oratione solari, hortarique ut præterita & præsentia mala patienti & christiano animo ferrent, spemque omnem rerum meliorum in uno Deo adjutore defixam ad immortalia bona potissimum erigerent. Deinde ad rem ac disciplinam christianam & ecclesiasticam reformandam ac stabiliendam conversus, perutiles utrique, & sapientissimas constitutiones edidit; inter quas illa necessaria in primis ac salutaris, ut quibus vectigalium ecclesiasticorum administratio commissa esset, præsertim qua pertinent ad sublevandam pauperum inopiam, hi nihil in ullam rem impenderent, nihil cuiquam erogarent, insciente, aut non consentiente Episcopo, cujus virtuti præclarum testimonium tribuit, cum eum in eadem constitutione vocat *Patrem pauperum, pietatis cultorem eximium, & zelo ecclesiasticæ disciplinæ maxime flagrantem.* Anno eodem, cum Augustinus Visitator Apostolicus Episcopos ex utraque provincia Jadertina & Spalatensi Jaderam ad Concilium convocasset, huc Petrus quoque cum suo Metropolita, aliisque ejusdem provinciæ Episcopis convenit; & quas universæ Ecclesiæ Dalmaticæ leges & constitutiones idem Augustinus præscripsit, sua voce, suoque chirographo approbavit. Ecclesiæ Nonensi annos fere quatuor præfuit, quam anno 1581. jubente Gregorio XIII. cum Phariensi commutavit. Nec vero prioris, sibique carissimæ sponsæ oblitus est; huic quippe duo candelabra argentea non exigui ponderis testamento legavit. Cetera, quæ ad eum pertinent, in historia Ecclesiæ Phariensis.

Augustinus Valerius Ep. Veron. Visitator Apostolicus Nonam invisit.

Petrus Ep. interfuit Conc. Nationali Jadrensi, & ad Eccles. Phariensem migravit.

HIERONYMUS EP. NONENSIS XXXIII.

Nobili genere natus Tragurii, cognomento Mazzarellus, quem idem Gregorius XIII. ex Diacono & Canonico Ecclesiæ Jadertinæ Episcopum fecit, ut est in tabulis consistorialibus: 1581. 10. *Julii. Providit Ecclesiæ Nonen. in Dalmatia per translationem Petri Episcopi ad Ecclesiam Farensem vacanti, de persona Hieronymini Mazzarelli clerici Tragurien sis in sacro diaconatus ordine constituti cum retentione compatibilium, Canonicatus vero & Præbendæ Eccl. Jadrensis ad sex menses tantum.* Aram ædis cathedralis, in qua divina Eucharistia asservatur, perpetuo & quotidiano privilegio donandam ab eodem Pontifice curavit; ut quicumque Sacerdos

dos pro quolibet vita pie functo ad eam piaculare ſacrum faceret, illum flammis purgantibus eximeret, ut apparet ex diplomate pontificio ibidem affixo, datoque anno 1583. Virerat ſtabili, firmo, magnoque animo, cultos & vindex acerrimus tum diſciplinæ, tum immunitatis eccleſiaſticæ; & hujus quidem oppugnatores, Senatus Veneti & magiſtratuum auxilio implorato, ab iniquis conatibus deterruit; illius autem violatores debitis meritiſque pœnis affecit. Dum in Synodo provinciali Spalatenſi, quam Dominicus Foconius Archiepiſcopus anno 1587. indixit, tumultuoſius & contentioſius res acta eſſet, quam ut quidquam ſtabiliri potuiſſet, de Concilii ſententia decreta fuerat legatio ad Sixtum V. Pontificem, quam ipſemet Hieronymus ſuo chirographo approbavit. Sed poſtea Jaderam regreſſus, neſcio quas ob cauſſas, ſuam ſubſcriptionem & approbationem anno proximo revocavit his verbis. *Hieronymus Mazzarelli Dei & Apoſt. Sed. gratia Epiſcopus Nonenſis. Quoniam valde vereor ex his, quæ poſtea ſubſecuta fuiſſe intellexi, ne quis præter intentionem veram uti velit epiſtola alias per me ſubſcripta, in qua decreta fuit legatio Reverendiſſimorum DD. Archiepiſcopi Spalatenſis Metropolitæ, & Epiſcopi Tragurienſis, ut in ea ſeorſum ab actis ſynodalibus confecta; ideo ad vitanda ſcandala, & tollendas offenſiones, quæ exinde oriri poſſent, tenore præſentium dictam legationem & ſubſcriptionem quoad me revoco, & annullo in omnibus, præter juſtas poſtulationes circa confirmationem Synodalium Conſtitutionum approbatarum, & per me, vel per procuratorem meum ſubſcriptarum; prout etiam mea tunc fuit ſententia; & quatenus aliquis præter ſupradicta in alio uti vellet, provoco & appello ad Beatiſſimum D. N. Sixtum V. P. M. & S. Sedem Apoſtolicam, proteſtans de omni gravamine, incommodo, & expenſa, & requirens præſentes inter acta ſynodalia redigi, earumque exemplum mihi exhiberi. Et hoc omni meliori modo &c. ſalvis &c. Dat. Jadræ die 20. Jan. 1588.*

Ita eſt. Hier. Ep. Nonen.

Hieron. Ep. Concilio provinc. Spalat. interfuit.

Eodem anno pontificatum cum vita depoſuit, & pelvim argenteam inauratam, cui ſtemma ſuum gentilitium inſculpi juſſerat, eccleſiæ ſuæ reliquit; quæ quidem Jaderæ in ærario S. Marcellæ aſſervatur.

ANGELUS EP. NONENSIS XXXIV.

In Viridario Seraphico *Gradi*, ſive *a Gradibus* cognominatur, quem ex ordine Patrum S. Franciſci, quos Conventuales vocant, aſſumptum Sixtus V. Epiſcopum Nonenſibus dedit; ut docent acta conſiſtorialia: 1588. 18. *Octob. providit Eccleſiæ Nonenſi in Illyrio ditionis Venetæ per ob. Hieronymi ultimi Epiſcopi vacanti, de perſona Rev. P. Angeli a Gradibus civis Veneti, ord. S. Franciſci Convent. viri probati &c.* Cum annos fere quatuor hanc ſedem tenuiſſet, & præclaris inſtitutis exempliſque decoraſſet, ut abjectis multiplicibus curis ſibi ac Deo tutius & liberius vacaret, pontificatum ſponte depoſuit.

HORATIUS EP. NONENSIS XXXV.

Patria Venetus, cognomento Bellotus, inſtituto Franciſcanus, ex ordine Minorum conventualium, in quo artium ac theologici magiſterii inſignia cum honorifico Doctoris titulo ſumpſerat. Hunc Clemens VIII. Eccleſiæ Nonenſi Epiſcopum præfecit: 1592. 8. *April. providit Eccleſiæ Nonenſi per liberam reſignationem F. Angeli a Gradibus, de perſona F. Horatii Belloti ord. Min. S. Franciſci conventualium.* In cœnobio Jadrenſi Franciſcano habitare conſuevit, ac tribunal epiſcopale ad controverſias ſuorum cognoſcendas ac dirimendas erigere, & ſacros ordines conferre. Nonæ Vicarium generalem habuit F. Vincentium Moroſum ordinis S. Franciſci; cumque hoc munus ſane operoſum omni proventu careret, eidem Sacerdotium urbanum S. Spiritus, & quos ferebat fructus, in perpetuum annexuit. In primis illi curæ fuit chriſtiana puerorum atque adultorum inſtitutio; itaque cum in urbe, tum in omnibus oppidis ac pagis ſcholas aperiri ac frequentari juſſit, in quibus de divinis myſteriis ac præceptis docerentur. Conciones in æde cathedrali per ferias majoris jejunii ac diebus dominici adventus ſermone Slavonico haberi voluit, quo facilius a plebe ac linguæ minus peritis intelligi poſſent. Ne qua in poſterum de bonis eccleſiaſticis diminutio fieret, quæ jampridem vel incuria dilabi, vel malitia hominum diſtrahi cœperant, omnibus & ſingulis, qui aliquod Sacerdotium, cui nulla animarum cura annexa eſſet, in urbe ſive in diœceſi obtinerent, edixit atque imperavit, ut ſui quiſque Sacerdotii fundos, eorum poſitionem, & confinia accurate deſcriberent, atque ad ſe deferrent.

Sacerdotia ſimplicia obtinentibus, horum deſcriptionem ut conficerent, ſuo edicto imperavit.

Horatius Bellotus Venetus Artium & Sac. Theologiæ Doctor Dei & Sanctæ Sedis gratia Epiſcopus Nonenſis.

Dilectis nobis in Chriſto univerſis & ſingulis Clericis & Sacerdotibus cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtant, beneficia ſimplicia in civitate & diœceſi noſtra Nonenſi, ſub quibuſcumque titulis, etiam de jure patronatus, & aliter quomodolibet obtinentibus ſalutem in Domino ſempiternam. Nefas eſt nimis, & in ſummi Dei atque eccleſiæ maximam vertitur offenſam, quod bona eccleſiis dedicata, & earum cultui deſtinata, incuria, negligentia, vel etiam, quod abſit, aliquorum malitia in alios uſus, & forſan expreſſe vetitos, diſtrahantur & convertantur, prout ſuaſionibus nonnullorum fidelium ad noſtras nuper devenit aures, cum non parvo mœrore animi noſtri. Quocirca ut medelam opportunam, quam meliorem poſſumus, malo huic porrigamus, cataſticum omnium bonorum prædictorum beneficiorum ſimplicium ut fiat ſtatuimus. Ideo vos omnes tenore præſentium his in valvis eccleſiæ noſtræ cathedralis affixarum, auctoritate noſtra ordinaria monemus, hortamur, & requirimus, vobiſque nihilominus, & ſingulis veſtrorum mandamus & imponimus, canonica monitione præmiſſa, ſub pœna privationis eorumdem beneficiorum veſtrorum ipſo facto, niſi parueritis, incurrenda, in termino quindecim dierum præſentibus in diœceſi, abſentibus ... menſium, ut debeatis, & quilibet veſtrum debeat facto ipſo, realiter, & in ſcriptis nobis ſpecificaſſe & ſignificaſſe omnia & ſingula bona ſtabilia ipſorum beneficiorum ſimplicium, in quibuſque locis expreſſe ſita ſint, & quibus adhæreant confinibus, cum omnibus particularibus & pertinentiis eorum, ad hoc, ut dictum cataſticum conficere valeamus pro conſervatione dictorum bonorum, & ne illa aliquando pereant. Aliter &c. In quorum fidem &c. Dat. Nonæ ex ædibus noſtris die Mercurii 8. menſis Januarii 1597.

Dili-

Eorumdem catalogum confecit.

Diligenter ab omnibus obtemperatum eſt Præſulis imperio, qui e ſchedis ad ſe delatis accuratiſſimum catalogum confecit, in quo nominatim recenſentur ejuſmodi Sacerdotia omnino undeviginti, ſed proventus admodum exigui, & nunc fere omnia cum menſa capitulari, ad ſublevandam ejus inopiam, conjuncta.

1. *Beneficium S. Margaritæ.*
2. *Altare S. Stephani.*
3. *Beneficium S. Georgii extra urbem.*
4. *Beneficium SS. Coſmæ, & Damiani.*
5. *Beneficium S. Laurentii.*
6. *Beneficium S. Spiritus.*
7. *Beneficium S. Antonii.*
8. *Beneficium S. Michaelis.*
9. *Beneficium S. Joannis Evangeliſtæ.*
10. *Beneficium S. Nicolai.*
11. *Beneficium S. Michaelis de Verne.*
12. *Beneficium S. Jacobi.*
13. *Beneficium S. Viti.*
14. *Beneficium S. Matthæi Apoſtoli.*
15. *Beneficium S. Catharinæ extra urbem.*
16. *Beneficium S. Gregorii Papæ.*
17. *Beneficium S. Barbaræ extra urbem.*
18. *Beneficium S. Chriſtophori.*
19. *Beneficium S. Marci.*

His adde *Abbatiam S. Ambroſii*, quæ ab eo catalogo abeſt.

Synodum Diœceſanā celebravit.

Anno 1598. Synodum diœceſanam coegit, convocatis parochis & omnibus, quibus jus eſſet Synodi adeundæ, ſententiæque ferendæ. Leges ſapientiſſimas conſtituit, ad divinum cultum augendum, ad mores chriſtianæ plebis corrigendos, ad eccleſiaſticam diſciplinam reſtituendam ac ſtabiliendam apprime idoneas. Anno ſequenti eam partem diœceſis, quæ Venetorum imperio ſuberat, ritu epiſcopali luſtravit; alterius partis, quæ ſub tyrannidem Turcarum ceciderat, inviſendæ luſtrandæque curam Vicario ſuo generali commiſit. Anno 1602. Jaderæ moriens, omnem pontificalem apparatum, & ſacram ſupellectilem, qua ipſe utebatur, itemque aliquid argenti elaborati, ſuoque ſtemmate gentilitio impreſſum, Eccleſiæ Nonenſi legavit. Illatus eſt in ſepulcrum, quod vivens ſibi ipſe ante quinquennium paraverat in æde cœnobii Franciſcani ante aram Virginis ſine labe conceptæ cum hac inſcriptione.

Ejus ſepulcralis inſcriptio.

Horatius Bellotus Venetus
Ordinis S. Franciſci Conventualium,
Artium, & Sacræ Theologiæ Doctor,
Epiſcopus Nonenſis
Hoc Sepulcrum vivens
ſibi fieri fecit
Anno ætatis ſuæ LII.
MDXCVII.

BLASIUS EP. NONENSIS XXXVI.

Natus eſt Novigradi, in oppido diœceſis Nonenſis, diviti & honeſta familia, cui Mandeviæ cognomen erat. Vix quartum & triceſimum ætatis annum attigerat, cum Clemens VIII. ob ſingulares ejus virtutes dignum cenſuit, cui ſummum Eccleſiæ Nonenſis Sacerdotium demandaret: *Anno 1602. 26. Auguſti providit Eccleſiæ Nonenſi vacanti per obitum Horatii de perſona Blaſii Mandevii.* Ex tab. conſiſt. Cum eſſet ingenio mitiſſimo, atque leniſſimo, quaſcumque habuit cum Capitulo & Communi Nonenſi lites, ex æquo & bono componere maluit, quam actis contentioſis & forenſibus perſequi. Ne in urbe deeſſet qui juventutem bonis artibus erudiret, quique in æde cathedrali ſtatis diebus ad populum de rebus divinis conciones haberet, utrique certum ſtipendium e proventibus eccleſiæ ac menſæ epiſcopalis aſſignavit. Ab Duce & Senatu impetravit, ut Capitulum & clerum ob tenuitatem eccleſiaſtici patrimonii communium tributorum ſolutione eximeret. Annos circiter duos & viginti Eccleſiam Nonenſem æque feliciter ac tranquille gubernavit, carus acceptuſque omnibus ob ſingularem erga omnes comitatem & benignitatem ab omni contentione ac partium ſtudio alienam. Ut aliquod ſuæ adverſus eccleſiam ſibi commiſſam charitatis ac beneficentiæ monumentum relinqueret, eidem calicem argenteum inauratum donavit. Mortuus eſt Jaderæ anno 1624. condituſque in eo ſepulcro, quod ſibi, parentibus, ac poſteris ſuis in baſilica S. Chryſogoni fieri juſſerat; & operculo marmoreo incidi hanc inſcriptionem, gentilitio ſtemmati ibidem inſculpto ſubjectam.

Blaſii Epiſcopi inſcriptio ſepulcralis.

D. O. M.
Blaſius Mandevius Epiſcopus Nonenſis
Nicolao & Catharinæ parentibus cariſſimis, eorumque poſteris P.P. M.
Anno
MDCXVIII.

HIPPOLYTUS EP. NONENSIS XXXVII.

De quo P. Magiſt. F. Vincentius Maria Fontana ex ord. Prædic. in Theatro Dominicano: *In Sclavonia ſub Metropolitana Jadrenſi* (Spalatenſi) *conſtituta eſt Nonenſis epiſcopalis ſedes; cui præfectus eſt paſtor ab Urbano VIII. die 7. Octobris, pontificatus ſui anno ſecundo, qui fuit reparati orbis 1624., P. F. Hippolytus de Hippolytis ex Dalmatiæ provincia. Ex Reg. Cancell.* Erat magiſter Sacræ Theologiæ, ſingulari eruditione, innocentia, vitæque ſanctimonia præditus, ut tradunt Scriptores Dominicani. Hanc eccleſiam ſumma cum laude adminiſtravit fere uſque ad annum hujus ſæculi quadrageſimum ſextum. Ceterum hic abeſt ab actis conſiſtorialibus, in quibus Blaſio Mandevio proxime ſubjicitur

SIMEON EP. NONENSIS XXXVIII.

Tertius eſt ex ampliſſima familia Diphnicorum Sibenicenſium, qui Eccleſiam Nonenſem haud magis claritate generis, quam virtutum ſuarum ſplendore illuſtravit. Politioribus litteris ac Philoſophiæ in patria operam dedit, ſacris diſciplinis ac juris utriuſque ſcientiæ in Gymnaſio Patavino, in quo cum doctrinam ſuam, doctorum virorum examini ac judicio ſubjectam, ſapientiſſimis illis magiſtris egregie probaſſet, Doctoris nomen atque inſignia promeruit. Annos natum tres ac triginta, & ſacris ordinibus vix initiatum Innocentius X. ad gubernacula Eccleſiæ Nonenſis admovit: 1646. 25. *Junii providit Eccleſiæ Nonenſi vacanti per obitum Blaſii Mandevii de perſona Simeonis Diphnici cum diſpenſatione ſuper eo, quod ante ſex menſes in ſacris ordinibus non ſit conſtitutus; & decreto quoad præſcriptum Concilii Tridentini &c.* Ejus pontificatus in ea tempora calamitoſa incidit, cum bellum Creticum fervebat, quod Turcæ anno ſuperiori Venetis intulerant. Hoc

Bellum Creticum.

anno 1646. cœptum erat bellari etiam in Dalmatia, varioque eventu res gesta est. Primos Turcarum excepit Novigradum oppidum diœcesis Nonensis, quod Bassa Bosinæ adortus, ut in re subita, & valde exiguo propugnatorum numero, in potestatem redegit; sed anno sequenti M. Antonius Pisanus ad voluntariam deditionem compulsum recepit; satisque habens eam sedem ademisse hostibus, quia si reficere oppidum vellet, res sumptu & mora egebat, idcirco evertendum censuit. De Nona cum in concilio militari disceptaretur, deserine, an deyendi præstaret; Leonardus Fosculus, qui summo cum imperio copiis Dalmaticis præerat, deserere satius esse duxit; neque enim ad eam vel muniendam satis temporis, vel tuendam satis militum suppetebat. Itaque quod post bellum Cyprium utcumque refectum fuerat, excindi jussit, ac ne templis quidem omnino parcitum fuit, ut nihil hostibus præter rudera & semiruta ædificia relinqueretur. Civitas magna ex parte deserta fuit, & paucis de populo remanentibus, plerique ex Capitulo, & clero, atque utroque civium ordine abierunt. Et quamvis urbs nullam vim hostilem sustinuerit, hæc tamen desertio & calamitas optimo Præsuli ingentem mœrorem attulit. Jaderam confugientibus nulla re deerat, quæ vel ad communis inopiæ subsidium, vel ad fortunæ afflictæ solatium, vel ad salutem animarum, cœlestemque opem eisdem ferendam pertineret. Cum omnia armorum strepitu personarent, viæque omnes essent ab hostibus intercluſæ, neque urbem adire, neque oves dispersas colligere, neque ullum illis auxilium submittere poterat. Quocirca cum se videret esse sine ecclesia, sine clero, sine grege, ne inane Episcopi nomen, & ab omni fere curatione vacuum gereret, ab Innocentio X. postulavit, ut sibi aliam ecclesiam, quam procul tumultibus bellorum tranquille gubernaret, alium gregem daret, cui posset utilius operam pastoralem impendere. Annuit Pontifex, & vinculis, quibus Ecclesiæ Nonensis obstrictus erat, solutum Feltrensibus Episcopum dedit: *Ad Feltrensem Ecclesiam translatus est anno* 1649. 10. *Maji* (ut docet Nicolaus Coletus in suis ad Ughellum additionibus): *hunc gregem* 23. *annis fovit amantissime, fatoque cessit extremo anno* 1662.

Nona deserta & cives dispersi.

Simeon Ep. transfertur ad Feltrensem Ecclesiam.

GEORGIUS II. EP. NONENSIS XXXIX.

Georgius ad Eccles. Veglensem translatus.

Ex familia Georgicea Spalatensi, quem Innocentius X. anno 1649. XI. Kalen. Julii huic Ecclesiæ rectorem præposuit, & post quadriennium ad Veglensem Ecclesiam transtulit.

FRANCISCUS EP. NONENSIS XL.

Franciscus Ep. jussus ædem cath. & domum pontificiam reficere.

Tragurii ortus stirpe nobilissima & antiquissima, cui de *Andreis*, vel *Andronicæ* cognomen est; ac Franciscus quidem posteriori, quam priori cognomento uti malebat. Ex hac familia quamplurimi prodierunt, litteris, armis, & amplissimis magistratibus domi forisque gestis maxime illustres, & tres præstantissimi Episcopi Vincentius Ottociensis, Joannes Phariensis, ac postea Tragurienſis, Hieronymus Corcyrensis. Franciscus ab hac perenni contestataque virtute & gloria majorum adeo non degeneravit, ut eamdem majorem & auctiorem posteris traderet. Cum in collegium Canonicorum Tragurienſium cooptatus fuisset, doctrina, pietate, prudentia sic excelluit, ut post Pacis Jordani Episcopi obitum cunctis suffragiis electus fuerit Vicarius Capitularis. Hoc munere summa cum laude perfunctum Innocentius X. Nonensem Episcopum renunciavit, ut notatum est in actis consistorialibus: 1653. 24. *Novembris providit Ecclesiæ vacanti Nonensi de persona Domini Francisci Andronicii, cum decreto quod ecclesiæ cathedralis, & domus episcopalis reparationibus, pro viribus incumbat*. Jam a bello Turcico Dalmatia paullum respirare cœperat; quippe cum barbari vires fere omnes conatusque ad Candiam oppugnandam convertissent; ac deinde in hac provincia prosperæ res satis multæ consecutæ sunt, præsertim post Clissam arcem natura & loco munitissimam anno 1648. Turcis ereptam. Cum igitur hæc rerum ac temporum ad spem meliorem inclinatio facultatem præbitura videretur ædis cathedralis & pontificiæ domus reficiendæ; ut in hanc potissimum cogitationem curamque incumberet, Franciscum admonuit Pontifex, atque eidem imperavit. Verum quamdiu bellum Creticum tenuit, nihil pacatum in Dalmatia, nihil ab hostibus tutum, nihil a metu & periculo vacuum fuit. Itaque utriusque ædificii restitutione in aliud tempus ad eam rem opportunius dilata, optimus Antistes Jaderæ sedens, quibuscumque potuit rebus gregem suum inopia & multis incommodis, ut bellicis illis calamitosis temporibus, laborantem juvare & solari nunquam destitit. Illud præclarum & Episcopo Nonensi dignissimum. Corpora Sanctorum Anselmi, Ambrosii, Marcellæ, quæ Jaderam, dum bellum Cyprium fervebat, devecta fuerant, cum in sacrario ædis metropolitanæ abdita, neglecta, & vulgo propemodum ignota jacerent, in ædem Marianam sacrarum Virginum Nonensium transferre decrevit, ubi debitus eisdem honos haberetur. Anno igitur 1656. ad sollemnem translationem Capitulum & clerum, Senatum & populum utriusque urbis Jaderæ ac Nonæ convocavit, Provisore generali Dalmatiæ, Prætore & Præfecto Jaderæ annuentibus, & Nicolao Ventura Vicario Capitulari (tunc siquidem sedes metropolitana ob mortem Bernardi Florii vacabat) consensum præbente. Itaque tertio Nonas Augusti, dieque Dominica, multo mane supplicatio instituta est, peractaque quanta maxima pompa & celebritate. Præibant sacræ sodalitates cum suis vexillis atque insignibus argento auroque fulgentibus; deinde ordines religiosi, tum clerus & Capitulum utriusque civitatis; agmen Sacerdotum claudebat Episcopus amictu ornatuque pontificali, medius inter duos Canonicos Nonenses Dalmaticis vestibus indutos, qui fimbrias extremas episcopalis trabeæ sustinebant. Noviſſime sequebatur feretrum, cui sacra corpora imposita erant, sane magnificum, & pretiosa veste constratum, quod quatuor Canonici Nonenses sacerdotali habitu atque vestitu suppositis humeris gestabant. Umbellam argento & auro contextam, cui suberat feretrum, quatuor ex ordine Patriciorum Venetorum, Provisor generalis Dalmatiæ, prætor, præfectus, & quæstor civitatis Jaderæ, omnes togati & purpurati ferebant. Festa bombardarum displosione, læto tubarum clangore, hymnis & canticis omnia personabant. Hac pompa triumphali per celebriores urbis vias deducta est supplicatio, tam insolita omnium ordinum lætitia & religione,

Sanctorum Nonensium corpora ad ædem Marianam Virginum Nonensium transtulit.

ut

ut pleriſque pius animi ſenſus lacrymas eliceret. Ubi ad Marianam ædem ventum eſt, ſacrum feretrum aræ maximæ impoſitum fuit, quæ immenſa luminum copia collucebat. Epiſcopus Nonenſis inter ſymphoniacos choros & concentus, pontificali ritu ac cærimonia litavit. Ut infinitæ multitudinis cupiditati ac religioni ſatisfieret, totum diem ſacroſanctæ illæ exuviæ omnium oculis expoſitæ fuere, poteſtas ut eſſet omnibus viſendi venerandique. Sub veſpertinos pſalmos, hymnoſque, fidibus ac notis muſicis ſollemniter decantatos, Divorum corpora rite recognita in arcam marmoream incluſa ſunt, & ſubter aram maximam collocata. Arcam tribus clavibus obſerari placuit, quarum una eſſet penes Epiſcopum, altera penes Prætorem Nonæ, tertia penes duos cuſtodes & curatores ſacri theſauri, quorum alterum e collegio Canonicorum Epiſcopus, alterum ex ordine laicorum Commune Nonenſium eligerent. Templum & cœnobium Virginum Nonenſium, quod antea S. Mariæ Novæ, & Deiparæ Virginis ab Angelo ſalutatæ titulum gerebat, antiquo S. Petri veteris abolito, exinde ab S. Marcella vulgo cognominari cœpit; quod cognomen etiamnum retinet. Utrumque ſubjectum eſt juriſdictioni Archiepiſcopi Jadrenſis. Hic ſiquidem Virginibus Nonenſibus, cum ob metum Turcarum Jaderam ſe recepiſſent, domicilium ac templum, quod tum a S. Petro Apoſtolorum principe nomen habebat, ſub ea conditione attribuit, ut ſub tutela eſſent ac poteſtate Archiepiſcopi Jadertini; qua tamen exempta eſt arca continens corpora Divorum patronorum Nonæ; cujus poſſeſſionem, itemque curam & cuſtodiam ſacri ærarii Nonenſis ibidem depoſiti Epiſcopus, Capitulum, Commune Nonenſium retinuit. Ex quo fit, ut Epiſcopus Nonæ cum arcam aperire, & ſacrum ærarium inviſere ac recognoſcere velit, longiori palliolo, quo tunica linea operitur, depoſito, breve amiculum ſumit, quod argumentum eſt juriſdictionis epiſcopalis. In ærario ſacro Nonenſi, qui *Theſaurus S. Marcellæ* appellatur, aliquot hierothecæ argenteæ cum Divorum reliquiis ibi incluſis, & plura dona votiva itidem ex argento continentur.

Ejus elogium.

Hic præſtantiſſimus Præſul ab ſua diœceſi, neceſſitate coactus, præſentia & corpore aberat, cogitatione atque animo nunquam aberat; dies noctesque in eam curam intentus, ut gregi ſuo quidquid poſſet paſtoralis officii vel abſens præſtaret. Quinimmo, quamvis tota regio expoſita eſſet Turcarum incurſionibus, nunquam tamen prætermiſit, quin fere ſingulis menſibus modo unam, modo aliam diœceſeos partem luſtraret, ſuaſque oves tum divini verbi pabulo recrearet, tum ſacris myſteriis impertiret, tum omni denique ope ſublevaret; nulla propriæ ſalutis ac libertatis ratione habita, nulla veritus pericula, quæ ſibi ab infenſiſſimis chriſtiani nominis hoſtibus imminebant. Interdum etiam Nonam adibat, quæ caſis fere ligneis, & palea contectis habitabatur. Menſæ epiſcopalis proventus Turcæ magna ex parte interverterant; nunquam tamen indigentibus illius liberalitas deerat; ac ne umquam deeſſet, unde aliorum inopiam ſuſtentaret, ipſe admodum parce ac tenuiter vivebat, unoque contentus rei familiaris adminiſtro ac famulo, Jaderæ parum commode habitabat in domo aliena, incompta & inornata, quam non amplius viginti argenteis conduxerat: ſiquidem domum Jadertinam Antiſtitum Nonenſium aliis locaverat. Ne longius ab ſuo grege diſcederet, bis tantummodo Venetias adiit neceſſitatibus eccleſiæ ſuæ compulſus; bis itidem patriam & conſanguineos reviſit; a Romana profectione abſtinuit, ſed ſtatis temporibus per ſuos procuratores ſacra limina viſitavit. Egregias illius virtutes ac laudes neſcio quis ex numero poetarum vulgarium rudi quidem, ſed veraci carmine celebravit.

Antiſtes noſtri decus admirabile ſecli,
Illyricæ gentis lumen & ipſa proles,
Annue, nam ſolus paſtor moderaris ovile
Moribus, exemplo, dogmate, conſilio.
Salve, nam probitas, virtus, doctrina ſalubris
Diceris, Tragurii gloria prima nites.
Terror ades vitiis, merces virtutibus æqua,
Sedulus expellis turpe, piumque foves.
Tu columen miſeris, juſtis tutela Camœnis,
Præſidium doctis, portus, & aura viris.

Rebus adverſus Turcas in Dalmatia proſperis & ad voluntatem fluentibus, Chriſtiani populi ritus Græci & ſchiſmatici undique ex ditione Turcica ad Leonardum Foſculum ſupremum militiæ Præfectum veniebant, ſe ſuaque in Venetorum permittentes fidem, roganteſque, ut ſibi ſedes & agros attribueret. Cum alios alio, tum plures in diœceſim Nonenſem deducendos curavit. Horum pleroſque Franciſcus ab errore & ſchiſmate ad veritatem catholicam, & ſinum eccleſiæ traduxit. Ne autem deeſſet qui curam illorum, quos ipſe converterat, ſuſciperet, & reliquorum converſioni operam daret; duos novos parochos creandos & præficiendos eſſe cenſebat, hiſque alicunde ſuppeditandum, quod ſatis foret in victum cultumque neceſſarium. Quid ſui conſilii eſſet, per litteras Summo Pontifici expoſuit; ad id vero perficiendum ejuſdem auctoritatem opemque imploravit. Anno 1667. cum incommoda valetudine laborare cœpiſſet, Tragurium ſe contulit, ut aeris patrii beneficio, adhibita medicorum curatione, convaleſceret. Sed contra ac ſperabat evenit. Ibi in letalem morbum incidit, quo intra paucos dies extinctus eſt. Eum, quo dignus erat honore, funebrique apparatu Hieronymus Epiſcopus Corcyrenſis & Joannes fratres amantiſſimi in æde cathedrali Tragurienſi ſepeliendum, eidemque ante gradus, quibus ad ſubſellia Canonicorum aſcenditur, e regione altaris S. Joannis ſepulcrum faciendum curarunt, inſcriptum his verbis.

Inſcriptio ſepulcralis.

Franciſco Andronico Epiſcopo Nonenſi, Franciſci Leonardi Archiepiſcopi Antibarenſis viri pietate ac ſcientia clariſſimi conſobrino; quod germanæ laudis hæres, omnibus in hac cathedrali dignitatibus famæ ſuæ dotibus & vita eluxit, ac tandem egregiæ virtutis ac probitatis merito, epiſcopali dignitate fuerit inſignitus, Hieronymus Epiſcopus Curzolenſis, & Joannes Nicolaus J.U.D. Fratri dilectiſſimo PP.

Anno Domini MDCLXVII.

FRANCISCUS II. EP. NONENSIS XLI.

Civis Venetus, ſed Clugiæ natus ex perilluſtri, atque opulenta Graſſorum familia, quæ hoc eodem ſæculo duos Epiſcopos patriæ dedit, Paſchalem anno 1619. & Franciſcum ſeniorem anno 1640. utrumque patruum hujus noſtri Epiſcopi. Ei Clemens IX. Eccleſiam Nonenſem decrevit, ut eſt in tabulis conſiſtorialibus: *1667. 3. Octob. providit Eccl. Nonenſi vacanti per obitum Franciſci Andronici, de perſona Franciſci de*

Craſſis , cum decreto , quod ſtatim ac ſupradicta civitas reſtituatur , populoque repleatur , incumbat in reparationem eccleſiæ & domus epiſcopalis. Pontificii regiminis initium fecit a diœceſi & grege diſperſo luſtrando ; & quamvis adhuc omnia ab Turcis infeſta eſſent , ac plena periculorum , haud tamen dubitavit libertatem ac vitam pro ſalute illarum gentium in apertum diſcrimen committere. Hæc luſtratio æque illi laborioſa , ac populis illis ſalutaris fuit , a quibus ingenti gaudio exceptus cum eſſet , præteritorum & præſentium malorum mole oppreſſos ad ſpem auxilii cæleſtis erexit , chriſtianis inſtitutis ac præceptis erudivit , divinis Sacramentis expiatos Deo reconciliavit , omnes demum honeſtæ piæque vitæ ſtudio incenſos reliquit. Ita ope divina tectus ex omnibus hoſtium periculis atque inſidiis evaſit ; & ex illa peragratione apoſtolica haud plus laboris ac meriti , quam fructus lætitiæque percepit. Annus undeſeptuageſimus ſæculi vergentis bello Cretico finem attulit ; pax ita convenit , ut Creta inſula præter paucas urbes Turcis tradita , quidquid in Dalmatia cepiſſent , Veneti retinerent. Quæ pars diœceſis Nonenſis ante ſuſceptum bellum imperio Turcico ſuberat , veluti Licha , remanſit in poteſtate Turcarum. Pace conſtituta optimus Præſul nihil prius ſibi curandum cenſuit , quam ut ædes cathedralis Nonenſis reſtitueretur ; neque antea ſuis & illuſtrium virorum precibus interpoſitis Ducem ac Senatum orare deſtitit , quam ex Senatuſconſulto , & publico ſumptu reædificari juberetur. Ad ædificationem urgendam accelerandamque , ipſemet ſuam præſentiam atque operam contulit. Nullam hebdomadam prætermiſit , quin Jadera diſcedens Nonæ adeſſet , ut architectos & artifices ad celerem operis abſolutionem hortaretur , eorum ſocordiam excitaret , ſollertiam acueret ; nec voce ſolum , ſed etiam exemplo ſtimulos eiſdem addebat ; cum ipſe quoque ad ſaxa convehenda , ad vectes & machinas verſandas , atque ad alia hujuſmodi miniſteria manus admoveret. Aſſidua Epiſcopi præſentia & cohortatione , urgente inſuper Petri Civrani Proviſoris Dalmatiæ auctoritate & imperio , intra triennium perducti ad ſummum uſque parietes , faſtigium ac tectum impoſitum ; & nova ædes cathedralis perpulchre deſcripta in iiſdem , in quibus antiqua , ſtetit veſtigiis. Lapis januæ maximæ impoſitus hanc titulum inſcriptum exhibet.

Ædes cathedralis reſecta , & conſecrata.

TEMPLUM HOC LONGA ACERBITATE
BELLORUM CORRUPTUM DEO RE-
IPUBLICÆ CIVIBUS PETRUS CIV-
RANO REGNORUM DALMATIÆ ET
EPIRI SUMMUS TETRARCHA RE-
STAURAVIT. ANNO A PARTU
VIRGINIS MDCLXXIII.
SEDENTE FRANCISCO DE GRASSIS.

Conditum ornatumque templum , itemque altaria Franciſcus ſollemni ritu ac cærimonia dedicavit. Capitulum & clerum diſperſum collegit , divinum cultum & quotidianam pſalmodiam reſtituit ; utque omnibus exemplo atque incitamento eſſet , ſtatis horis quotidie ad chorum adibat , aſſiduuſque divinis officiis intererat ; quam ob cauſſam in urbe tugurium ſibi potius , quam domum opere cæmentitio exſtruendum curaverat , ubi & incommodiſſime habitabat , & parciſſime vivebat , ut haberet unde alienam egeſtatem ſublevaret. Palatium epiſcopale fere totum e patrimonio domeſtico ædificavit , non ſibi ſolum , ſed etiam egenis Presbyteris , quibus non erat unde domicilia conſtruerent , vel conducerent. Brevi etiam ædes prætoria exædificata eſt , deinde paullatim domus civium privatæ , aliæ atque aliæ , pro cujuſque facultate. Ita Nona , civitas olim frequentiſſima & opulentiſſima , rurſus habitari , ac reædificari cœpit ; & novam quamdam , licet antiquæ longe diſſimillimam , urbis formam ſpeciemque recuperavit. Quamvis tenues eſſent reditus menſæ epiſcopalis , horum tamen partem haud exiguam contulit ad reficiendas duas eccleſias , alteram in oppido Novigradi , alteram in vico Riſanzæ , quas Turcarum impietas diruerat. Calices , cruces , Divorum effigies , ærea tintinnabula , linteas ac ſericas ſupellectiles , reſque hujuſmodi ſacras ingruente bellica tempeſtate alio atque alio diſtractas , diligenti & laborioſa inveſtigatione perquiſivit , inventas recepit , & ſuis quaſque eccleſiis atque altaribus reſtituit.

Duas eccleſias a Turcis diruras reſtituit & res ſacras recuperavit.

Ex aeris inclementia , & aſſiduis laboribus letalem morbum ſemel atque iterum contraxit , eoque adductus eſt , ut illius vita pæne jam deſperata eſſet ; verum ſingulari Dei beneficio convaluit : exinde variis incommodis tentari cœpit , ac de conſilio medicorum ſæpe neceſſe habuit Clugiam ſe conferre , ut patrio cælo ſibi propitio ad valetudinem recuperandam uteretur. Atque hæc cauſſa fuit , ut Nonenſem cum ſtatione Jadertina ſalubriore commutaret , ſecutus exemplum & conſuetudinem deceſſorum ſuorum , qui in ea urbe domicilium ſibi conſtituerant. Ceterum prioribus annis poſt Epiſcopatum ſuſceptum , cum Jaderæ epiſcopalia officia clericis ſibi ſubjectis , more majorum , ritu pontificali præſtare vellet ; Evangeliſta Parzagus Archiepiſcopus obſtare ac repugnare cœpit , veritus ne quid detrimenti caperet juriſdictio archiepiſcopalis , ſi vel ſe permittente , vel etiam invito , in urbe ac ditione ſua , liceret Epiſcopo extraneo jus epiſcopale uſurpare , & quæ Pontificis munia ſunt , omnia peragere. Franciſcus ne hujuſmodi facultate , ab Sede Apoſtolica Epiſcopis Nonenſibus conceſſa , privaretur ; ad Patres Eminentiſſimos Sacræ Congregationis Sacrorum Rituum dedit , miſitque libellum ſupplicem in hæc verba.

Facultas Jaderæ cõmorandi a Sac. Congregatione ut *ſibi* confirmaretur, petiit.

Alias de anno 1486. *Innocentius VIII. cum aer civitatis Nonenſis eſſet inſalubris , & complexioni exiſtentis Epiſcopi adverſaretur , & civitas Nonenſis eſſet vicina civitati Jadrenſi , in qua prædeceſſores Epiſcopi propriis conſtructis ædibus habitare conſueverant , dicto Epiſcopo conceſſit , ut ſine præjudicio Archiepiſcopi Jadrenſis , petita ejus licentia , licet non obtenta , in dicta civitate Jadrenſi poſſet omnia , quæ ordinis & epiſcopalis juriſdictionis ſunt , in ſuos ſubditos exercere , perinde ac poſſet in ſua diœceſi , prout habetur ex ſumpto Brevis. Franciſcus de Graſſis modernus Epiſcopus Nonenſis ex habita atteſtatione quatuor Sacerdotum , qui teſtantur vidiſſe pluries Epiſcopos dicta exercere , nec non atteſtatione Gubernatoris a Republica Venetorum deputati , ita ſemper actum ſuiſſe aſſerentis ; & cum ad præſens civitas Nonenſis ſit pene diruta , & aer ejus valetudini adverſetur , ne cogatur penitus relinquere ſubditorum animas a finitimis infidelibus periclitantes , per libellum remiſſum , a Sacra Congregatione Sacrorum Rituum ſimile indultum petit ſibi concedi. Igitur Eminentiſſimi Patres reſpondere dignabuntur , an indultum hujuſmodi oratori ſit concedendum.*

De

De poſtulato Epiſcopi Nonenſis retulit ad Sacram Congregationem Concilii Tridentini P. Cardinalis de Alteriis ejuſdem Præfectus. Reſponſio fuit hæc: *Die 2. Aprilis 1672. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. Eccleſiæ Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, hunc in modum reſpondit: Epiſcopus Nonenſis continuet in ſua quaſi poſſeſſione & audiatur Archiepiſc. Jadren.*

Itaque idem Cardinalis nomine Sacræ Congregationis ad Franciſcum reſcriplit.

Reverendiſſimo Domino uti Fratri
Epiſcopo Nonen.

Reverendiſſime uti Frater. Attentis narratis amplitudinis tuæ, Eminentiſſimi Sac. Congreg. Concilii Patres cenſuerunt amplitudinem tuam continuare debere in ſua quaſi poſſeſſione exercendi in ſuos ſubditos in civitate Jadrenſi ea munia, quæ ſunt ordinis & juriſdictionis epiſcopalis, perinde ac in ſua diœceſi. Duxerunt tamen audiendum Archiepiſcopum Jadrenſem, ad quem jam litteras dedimus, ut ſi quæ adverſus hæc habeat, in Sac. Congregatione deducat. Quæ etiam, dum amplitudini tuæ ſignificata volumus, diutinam eidem incolumitatem precamur.

Romæ 2. April. 1672. Amplitudinis tuæ
Uti Frater P. Card. de Alteriis Præf.

Dum optimus Præſul in ſalutem, chriſtianamque utilitatem populi ſuæ fidei commiſſi toto animo omnique ſtudio incumbebat, ad recuperanda etiam ac tuenda bona eccleſiaſtica partem non ultimam ſuæ cogitationis curæque derivandam cenſuit. Cum poſt relictam civitatem, privilegia & monumenta eccleſiæ ſuæ Jaderam translata fuiſſent, hujus urbis omnia tabularia publica & privata luſtravit. Multa ſane reperit, quæ ad Nonenſem Eccleſiam pertinebant; ea diligenter ex antiquis codicibus deſcribi, & cum autographis collata rite obſignari & publici ſcribæ teſtificatione ac chirographo muniri juſſit; ne quis eorum fidem in dubium revocaret; ut ſcilicet hujuſmodi exemplorum indicio perquiri quæ amiſerat, & auctoritate recuperari, ac ſimul quæ adhuc poſſidebat Eccleſia Nonenſis, conſervari poſſent. Hæc ne ſoluta ac diſperſa interirent, omnia in unum volumen collegit, quod *Liber Rubeus* inſcribitur; eique hunc titulum fecit: *Monumenta eccleſiæ cathedralis Nonæ ex antiquis & recentioribus ſcripturis & documentis canonice, & in forma probante, decerpta ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Franciſco de Graſſis ejuſdem cathedralis Epiſcopo anno* 1675. Hujuſmodi collectio inſcripta eſt *Venerabilibus Epiſcopis & dilectis Canonicis ſucceſſoribus ſuis*. His monumentis annexuit tabulas topographicas pulcherrime deſcriptas, in quibus diſtincte ac perſpicue deſignantur fines antiqui atque hodierni diœceſis ac territorii Nonenſis, urbis poſitio, oppida, villæ, eccleſiæ campeſtres, fundi eccleſiaſtici & ſæculares, ſuis quique terminis circumſcripti, quibus ſacrum a profano ſeceruitur. Audio has tabulas furtim ſublatas nuſquam reperiri. Alterum libellum ſua manu deſcriptum reliquit, ſubjectumque huic titulo: *Notitia proventuum ac decimarum Eccleſiæ Nonenſis. Methodus ipſas dividendi in aliquibus villis communiter cum Capitulo, fabrica eccleſiæ, & pauperibus; quæque communes ſunt cum Epiſcopo, dignitatibus, & Capitulo tantum; & quæ ſint tantum ſolius Epiſcopi, excluſis omnibus dictis ſupra*. Præterea indicem accuratiſſimum confecit rerum omnium Eccleſiæ Nonenſis, quæ ad ornatum templi atque altarium, itemque ad miniſterium, & cultum divinum pertinent, cujus inſcriptio eſt: *Inventarium bonorum omnium, ſive ſacrarum ſupellectilium, indumentorum, argentorum &c. Eccleſiæ Nonenſis*.

Privilegia & monumēta Eccleſiæ Non. in unum volumen collegit.

Cum inexplebili, quo flagrabat, divinæ gloriæ augendæ, gregis ſui & eccleſiæ commodis utilitatique ſerviendi ſtudio virtutes omnes conjunxit, quæ in epiſcopalem ſtatum cadere poſſunt, præſertim eximiam in Deum ac Superos religionem. Statum quotidie tempus ceteris occupationibus exemptum precationi ac cæleſtium rerum meditationi dabat; & quamvis ingentibus curis negotiiſque diſtineretur, nunquam tamen a ſacrificando abſtinuit; ac fere in ſacello privato rem divinam faciebat ante effigiem pulcherrime pictam, araeque impoſitam, S. Philippi Nerii, quam moriens ædi cathedrali teſtamento legavit, ubi etiamnum apud ſummum altare appenſa pie colitur. Hunc ille ſiquidem ſibi patronum adoptaverat, & ſingulari quodam cultu venerabatur. Dum ſacrum perageret, religionis ardor in illo vehemens, tantuſque divinæ dulcedinis ſenſus in pronunciatione, vultu, totoque corpore eminebat, ut in circumſtantes redundaret, eoſque pia quadam admiratione defigeret, rerum omnium aliarum oblitos. Quamvis autem in eo omnia laude digna, nihil reprehenſioni obnoxium appareret, invidiam tamen & calumnias obtrectatorum effugere non potuit; ſed illius innocentia ac virtus perſpecta, & luce meridiana clarior, vel ipſo tacente, male confictas criminationes refutavit, omnemque ſuſpicionis incommodæ nubem diſcuſſit. Explicari vix poteſt, quantopere illum Epiſcopi provinciæ, principes viri, Venetique patricii & colerent & amarent. Cum Nonæ graviſſime ægrotaret, prætor, & præfectus Jaderæ ſæpe illum honoris cauſſa inviſebant. Jaderæ quidem domicilium habebat; ſed vix ullam hebdomadam elabi patiebatur, quin eccleſiam & gregem ſuum interviſeret; neque a ſponſa ſibi cariſſima, niſi ægerrime atque ad breve tempus, divelli poſſe videbatur. Nonæ commorantem ſupremus morbus invaſit, atque inter filiorum ſuorum lacrymas ac preces pie admodum tranquilleque deceſſit anno 1676. Poſt exſequias ingenti civium frequentia luctuque celebratas, primus omnium Epiſcoporum Nonenſium in nova æde cathedrali ſepulcrum obtinuit, cui nullum titulum, ob ſingularem modeſtiam ab omni humana laude alienam, ac ne nomen quidem ſuum adſcribi voluit. Verum nulla oblivio, nulla temporum diuturnitas ex animis Nonenſium memoriam ac deſiderium Epiſcopi de ſe optime meriti umquam delebit: quem eccleſiæ ac civitatis ſuæ alterum conditorem, aut certe reſtitutorem rite appellare poſſunt.

Ejus virtutes.

JOANNES VI. EP. NONENSIS XLII.

Cognomine Borgofortius, Tragurii honeſto loco natus, in collegio Illyrico Lauretano politioribus litteris, Philoſophiæ, ac Theologiæ operam dedit. Socium convictus ac ſtudiorum habuit Nicolaum Blancovichium eximiæ indolis ac magnæ ſpei adoleſcentem, quo cum celeriter amicitiam contraxit (ut erant inter ſe ingenio ac moribus ſimillimi) quæ ſimul cum ætate magis ac magis accrevit. Uterque cum in bonis artibus, tum vero in virtutibus & chriſtiana pie-

Acta Joannis ante Epiſcopatum.

tate maximos progreſſus fecit ; uterque eodem tempore theologici magiſterii , & juris utriuſque lauream in gymnaſio Maceratenſi cum Doctoris nomine ſuſcepit. In patriam reverſi , ac Sacerdotio initiati regiones imperio Turcarum ſubjectas ſæpenumero apoſtolicis excurſionibus ſimul peragrarunt cum ingenti chriſtianæ plebis utilitate , quæ in illis locis Turcica ſervitute premebatur. Joannes Tragurii ſcholam clericis erudiendis aperuit , quos haud magis litteris & doctrina , quam bonis moribus & pietate imbuebat . Eximia veneratione proſequebatur Sanctos Ignatium & Franciſcum Xaverium , quorum cultum in urbe propagavit , & Virginibus Benedictinis S. Petri auctor fuit , ut diem feſtum utriuſque ſingulis annis colerent , ac ſollemni apparatu celebrarent ; ipſe vero de illorum ſanctitate & præclare factis concionem quotannis habebat doctam oppido atque elegantem . Anno poſt obitum Franciſci de Graſſis elapſo , Innocentius XI. Eccleſiæ Nonenſi Epiſcopum præfecit , cujus doctrinam , prudentiam , & rei chriſtianæ curandæ ſollertiam ex idoneis multorum teſtimoniis perſpectam habebat : 1677. 22. *Novemb. providit Eccleſiæ Nonenſi vacanti per obitum Franciſci de Graſſis , de perſona Joannis Burgofortii Presbyteri , J. U. D.*

Fit Epiſcopus Nonen.

Ædes ſacras , quas deceſſor in oppidis ac villis territorii Nonenſis reficiendas curaverat , ipſe ſacra ſupellectili , rebuſque ad cultum divinum neceſſariis ornavit . Singulis fere annis epiſcopali more luſtravit partem illam diœceſeos , quæ ad Venetam ditionem pertinet ; & quocumque adiret , tum præclaras leges ad mores corrigendos & chriſtianam pietatem augendam , tum virtutum ſuarum illuſtria exempla , & profuſæ in egenos ac miſeros liberalitatis ſuæ veſtigia relinquebat . Ne partem alteram inviſeret , quæ Turcarum tyrannide oppreſſa tenebatur , acceſſu prohibitus eſt , contra quam poſtulabant conditiones , de quibus inter gentes illas & Turcas convenerat , quarum una hæc fuerat , poteſtas ut eſſet illis populis publica chriſtianæ religionis officia obeundi , & ſuos Epiſcopos recipiendi , ſi quando ad eos inviſendos erudiendoſque accederent : id quod Franciſcus Craſſus , cum itidem aditu ad eas regiones arceretur , regio diplomate confirmandum curaverat , quod quidem diploma , gratioſa Jacobi Quirini Veneti apud regem Turcarum oratoris commendatione interpoſita , impetravit ; fuitque in hæc verba latine a nobis reddita compoſitum.

Ditionis Turcicæ inviſendæ facultatem Franciſcus Craſſus Ep. nequ dquâ a rege Turcarum impetravit.

Sapientiſſimis viris Præfectis Lichæ , Tinninii &c. ſalutem.

Cum invictum imperatorium ſignum ad vos pervenerit , ex eo intelligetis ab Jacobo Quirino equite , Venetorum apud nos oratore , delatum fuiſſe ad noſtrum ſublime ſolium libellum ſupplicem in hanc ſententiam : ut liceat Franciſco Craſſo Epiſcopo Nonenſi Eccleſias Chriſtianorum , ſitas in noſtra ditione , inviſere , eaſque ſicubi opus fuerit , reficere ac reſtaurare ; atque ut nemo illi vel impedimentum inferat , vel moleſtiam exhibeat , regium a nobis diploma poſtulavit. Quare cum æquitati conſentaneum ſit juſtis & honeſtis poſtulatis aſſentiri , hoc regali mandato vobis imperamus , ut cum ad veſtras regiones idem Epiſcopus acceſſerit , integram illi poteſtatem permittatis hujuſmodi eccleſias viſitandi , & quidquid ad ejus munus pertinet , libere ac fidenter exſequendi ; & cavete ne ulla injuria aut moleſtia eidem a vobis , vel ab aliis inferatur. Sic jubemus , ſic volumus ; id pacta & promiſſa requirunt jurejurando firmata , quæ omnino ſervari oportet . His viſis & lectis , quas latori reſtituere debetis , honorando noſtro ſigno ac mandato fidem omnem atque obedientiam præſtate . Dat. Andrinopoli extremis diebus Lunæ Selchazzebanæ , ideſt menſe Martio an. 1672.

Verum neque imperatorium diploma , neque fides valuit apud Præfectos Turcarum ; & quidquid Franciſcus conaretur , fruſtra fuit , cum nec prece nec pretio aditum ſibi aperire potuerit . Itaque ut Franciſcus , ita etiam Joannes ad regiones illas viſendas luſtrandaſque ſine pompa & ſtrepitu , Vicarii ſui operam adhibuere . Cum Turcæ , dum bellum Creticum ardebat , duo aut plura cœnobia familiæ Auguſtinianæ in Dalmatia & Boſina diruiſſent , Patribus aliquot interfectis , vel in ſervitutem abductis , plerique eam calamitatem fuga præverterant , ſeque receperant ad inſulas Phariæ , & Bractiæ ; in hac ſiquidem unum , in illa triplex domicilium habebant. F. Joannes Nicolaus Tinacius , Præſes provinciæ Dalmaticæ Auguſtinianæ , Joannem Epiſcopum rogavit , ut ſibi liceret Nonæ unum hoſpitium exſtruere , ut Bractienſe , & Pharienſia domicilia exſulum turba prægravante exoneraret : eos civitati non inutiles , ſed concionibus habendis , & confeſſionibus audiendis aliquo adjumento futuros . Ejus poſtulato Epiſcopus benigne annuit , & poteſtatem hoſpitii condendi ſcripto traditam , & ſigno epiſcopali obſignatam , fecit anno 1683. Sed præclarum conſilium remque omnem disjecit bellum Peloponneſium anno ſequenti interveniens , quod Veneti fœdere junĉti cum Leopoldo Cæſare & cum Rege Poloniæ adverſus Turcas proſpere geſſerunt. Ex univerſo territorio Nonenſi & Jadertino barbari expulſi , atque Obroacium , & alia loca diœceſis Nonenſis eiſdem adempta ſunt : quæ vigilantiſſimus Præſul ſtatim , atque in Venetorum poteſtatem venerunt , diligenter luſtravit , incolas diuturna ſervitute barbarica oppreſſos ſua præſentia ſolatus , humanis ac divinis ſubſidiis recreavit , remque chriſtianam , quoad ejus fieri poterat , in priſtinum ſtatum reſtituit. Eodem bello ab Cæſarianis militibus recuperata eſt Licha , cujus pars vergens ad orientem intra fines diœceſis Nonenſis continebatur . In hanc , quamdiu ſub imperio Turcarum fuit , jus poteſtatemque retinuit Epiſcopus Nonenſis , præpoſitos eccleſiarum inſtituit , qui animarum curam ſuſciperent , evangelicos operarios miſit , qui vineam illam dominicam excolerent ; & quamvis Turcæ aditum eidem intercluderent , tamen dum loca finitima luſtrabat , parochos Lichanos accerſebat , ut ab illis rei chriſtianæ adminiſtratæ rationem repoſceret , de ſtatu illarum eccleſiarum cognoſceret , illoſque prudentibus monitis ac præceptis pro rerum neceſſitate opportunis inſtructos dimitteret . Verum tota illa regio , poſtquam rediit ſub poteſtatem Cæſaris regis Hungariæ , adempta Epiſcopo Nonenſi , in jus ditionemque Senienſis migravit . Joannem Epiſcopum , cum annos decem huic eccleſiæ ſanctiſſime præfuiſſet , proſpero rei chriſtianæ ac Venetæ ſucceſſu lætum mors oppreſſit anno 1687. in villa Raſantia , dum in domo parochi diverſabatur . In urbem illatum ædes cathedralis funebri apparatu excepit , & poſt ſollemnes exſequias communi Antiſtitum ſepulcro donavit.

Licha a Turcis recuperata , & non reſtituta Eccleſiæ Nonenſi , ſed Senienſi adjuncta.

JO-

JOANNES VII. EP. NONENSIS XLIII.

Bractiæ insulæ oppidum est haud ignobile, quod *Pol*, sive *Bol* vulgo appellatur. Inter ceteras hujus oppidi familias, nobilitate, divitiis, affinitatibus Vussia facile præcellit. Ex ea natus est Joannes, qui primam ætatem optimarum artium studiis excoluit, & intaminata morum innocentia transegit. Rebus humanis posthabitis, ad clericalem militiam aggregari voluit; & post susceptum Sacerdotium, cum omnibus virtutibus ecclesiasticis homine dignis summam vitæ austeritatem conjunxit. Quamquam suapte natura abstemius non esset, vino tamen semper abstinuit; hirsutis ciliciis, frequentibus jejuniis, & quotidianis verberationibus corpusculum afflictabat, victu tenui, ac vestitu obsoleto utebatur. Binas aut ternas horas singulis diebus precationi, rerumque cælestium meditationi tribuebat. Tam effusam ejus erga pauperes charitatem & beneficentiam fuisse ajunt, ut plura millia argenteorum sibi a patre legata ad illorum inopiam sustentandam intra breve tempus erogaverit. His virtutibus & præclare factis se ipse ad supremum Sacerdotii apicem, inscius ac nihil tale cogitans, præparabat. Fratrem habebat Franciscum equitem, ac præfectum illius triremis, quam Pharienses, Bractienses, & Corcyrenses adornaverant; qui rebus contra Turcas fortiter, & glorioſe gestis, Camillum Perettum classis pontificiæ ductorem adeo sibi conciliavit, ut is de Franciſci, ejusque fratris Joannis laudibus ad Pontificem multa & præclara scripserit. Hujus litteris & gratiosa insuper commendatione impulsus Innocentius XI. Joannem ad Episcopatum Nonensem evexit, ut ejus virtutes quo digno erant honore ac præmio afficeret, simulque fratris in rem christianam promerita remuneraretur: 1688. 14. *Junii providit Ecclesiæ Nonensi vacanti per obitum Joannis Borgofort, de persona Joannis Vussii Presbyteri omnia habentis &c.* Romam se contulit, & episcopalem consecrationem suscepit. Venetias regressus est; & pontificii diplomatis approbatione obtenta, aliisque negotiis confectis, quorum causa in eam urbem venerat, Nonam trajicere festinavit; ingenti omnium gratulatione & lætitia deductus est in ædem cathedralem, & post sollemnes precationes, & gratias Deo superisque persolutas, ecclesiæ sibi traditæ possessionem adivit. Verum sanctissimus hic Præsul Nonentibus simul & ostensus & ablatus fuit. Octavo, quam Nonam appulerat, die Spalatum discedens, ut fratrem sibi carissimum longo intervallo reviseret, mutuisque amplexibus frueretur, ibidem letalem in morbum incidit, quo paucis post diebus extinctus est; cum eodem fere tempore, nec dissimili morbo, frater ejus amantissimus decessisset. Suspicio fuit veneni, fraude ac malevolentia invidorum quorumdam hominum, utrique propinati.

GEORGIUS III. EP. NONENSIS XLIV.

Georgii Parcich Ep. pio & præclare facta.

Erat patria Sibenicensis, cognomento Parcich, frater Franciſci, viri doctrina pariter ac virtute præstantissimi, ex ordine S. Dominici, qui & præses Dominicanæ provinciæ Dalmaticæ, & Inquisitor adversus hæreticam pravitatem in urbe Jadrensi, ac demum Episcopus Catarensis fuit. In collegio Illyrico Lauretano bonarum artium studiis, naturalium ac divinarum rerum doctrinis eruditus, Theologici Doctoris lauream promeruit. In patriam cum rediisset, præpositus Vodizzæ pago non incelebri diœcesis Sibenicensis, curationem animarum, reique christianæ administrationem suscepit; quod munus summa cum vigilantia, ac diligentia per aliquot annos sustinuit ac gessit. Deinde in collegium Canonicorum Sibenicensium cooptatus, Archipresbyteri dignitatem ac subsellium obtinuit. Georgii eximia virtus, excellens doctrina, rerum gerendarum sollertia, singularis in Deum & proximos charitas ex idoneis testimoniis nota cum esset Alexandro VIII. illum Joanni Vussio successorem dedit, anno post hujus obitum altero nondum elapso: 1690. 8. *Maji providit Ecclesiæ Nonensi vacanti per obitum Joannis Vussii de persona Georgii Parcich Presbyteri omnia habentis &c.* In primis illi curæ fuit christiana puerorum institutio, in qua plurimum momenti ajebat esse ad vitam recte pieque instituendam. Scholis christianæ catecheseos ipse frequentissimus aderat; ad quas ut multos magistros, & discipulorum cujusque ætatis frequentiam alliceret, nullis sumptibus, aut laboribus parcebat. Sæpenumero tum in æde cathedrali, tum in aliis templis ad populum de præceptis, rebusque divinis concionabatur, alias Slavonico, alias Italico sermone, sive pauci, sive multi essent qui ad concionem episcopalem convenirent: objicientibus interdum infrequentiam auditorum, cujus causa nihil esset, cur tantum laboris atque incommodi susciperet, respondebat boni Pastoris esse, pari studio singulas oves, atque universum gregem, curare & pascere. Ejus in egentes & calamitosos liberalitas fidem propemodum exsuperat; atque illud instar miraculi habitum est, quod cum tam multa largiretur, ac nemini poscenti subsidium denegaret, nunquam tamen deesset, scilicet ex ærario divinæ providentiæ, quod in pauperes erogaret. Jure igitur meritoque *Pater Pauperum* vulgo appellabatur. Hospitalitatem perpetuo coluit; & domum suam peregrinis, præsertim clericis ac religiosis semper voluit patere; & cum ipse victu admodum frugali uteretur, mensam tamen satis lautam pro conditione hospitum instrui jubebat. Clerum & Capitulum singulari charitate dilexit; si cui non esset, unde sumptum faceret in victum ac vestitum, de suo ipse suppeditabat. Ubi animarum salus ageretur, non valetudinis, non æstus, non frigoris ratione habita, promptissime advolabat, quocumque sui gregis utilitate vocaretur. Ab urbe & ecclesia sibi commissa ægre divelli poterat, ne mensibus quidem æstivis, salubrioris auræ captandæ causa; amicis admonentibus ut per æstatem vel Jaderam, vel in patriam secedens, noxios cæli Nonensis halitus devitaret, respondere solitus fuit *diligentibus Deum omnia cooperari in bonum*. Nec vero aeris inclementia, sed assidui ac nimii labores, pastoralis officii causa alieno tempore suscepti, mortem illi approperarunt. Cum enim diœcesim de more lustraret, tempestate adhuc perfrigida, & flante aquilone, inter concionandum, aliasque episcopales functiones obeundas copioso manaret sudore; latus ei vehementer condoluit; inde febris superveniens domum redire, & lecto decumbere coegit; cumque vis pestiferi morbi nullis remediis superari potuisset, intra dies paucos est lateris dolore consumptus. Profusæ illius in pauperes beneficentiæ nullum est certius indi-

indicium, quam quod in tanta ipſe paupertate deceſſit, ut qui efferretur, ne reliquerit quidem: itaque civitas & clerus de ſuo funus ei ſatis amplum faciendum curavit. Ingenti omnium ordinum mœſtitia & luctu optimo Antiſtiti ac patri amantiſſimo parentatum fuit; & in æde cathedrali ante gradus ſolii pontificii ſepultus eſt. Obiit anno 1703. cum ſedem epiſcopalem annos ipſos tredecim egregiis exemplis inſtitutiſque decoraſſet.

MARTINUS EP. NONENSIS XLV.

Acta Martini ante Epiſcopatum.

Civis Spalatenſis e familia Dragolia. Suis ipſe virtutibus ac meritis viam ſibi ad ſolium epiſcopale aperuit. Adoleſcens Romam profectus in gymnaſio Societatis Jeſu Philoſophiæ ac Theologiæ operam dedit; & cum in utraque periculum feciſſet, dignus habitus fuit, qui utriuſque laurea ſimul cum Doctoris nomine donaretur. Dum in urbe ſtudiorum cauſſa verſabatur, primo ad clerum, deinde ad collegium Canonicorum S. Hieronymi nationis Illyricæ aggregatus fuit, in quo cum majora in dies & illuſtriora virtutis ac ſapientiæ ſuæ exempla ederet, ut eadem in utilitatem civium ac popularium ſuorum conferret, revocatus in patriam, titulum ac ſubſellium Archidiaconi Metropolitanæ Spalatenſis obtinuit, quod vacuum reliquerat Joannes Cuppareus Eccleſiæ Tragurienſi Epiſcopus anno 1686. præpoſitus. Stephanus Coſmus Archiepiſcopus hominem nactus ſecundum cor ſuum, gnavum & induſtrium, eodem, quo ipſe ardebat, divini cultus & proximos juvandi ſtudio incenſum, ejus opera & doctrina ſibi ad omnia utendum cenſuit. Hunc igitur piis meditationibus tradendis, & clericis ad ſuſceptionem ſacrorum ordinum inſtituendis præfecit; huic duplex munus & Vicarii generalis, & Canonici pœnitentiarii, graviſſimum utrumque & laborioſiſſimum commiſit; eumdem ſæpe delegavit ad regiones Turcarum, ut chriſtianos illos barbarica ſervitute oppreſſos humanis, diviniſque ſubſidiis recrearet; ejuſdem opera multis in locis, quæ Veneti Turcis eripuerant, ædes ſacræ reſtauratæ ſunt, vel etiam a fundamentis reſtitutæ, quas furor bellicus diruerat. Inter hæc litteras a Sacra Congregatione de fide propaganda accepit, quæ titulum eidem contulit ac munus *Miſſionarii Apoſtolici*, ſimulque imperavit, ut ſocium ſe atque adjutorem adjungeret Nicolao Blancovichio ad regiones Turcicas peragrandas, & chriſtianos ibi degentes divinis præceptis ac myſteriis imbuendos. His aliiſque evangelicis miniſteriis cum ingenti animarum utilitate, ac religionis incremento ſine ulla intermiſſione obeundis, dignum ſe præbuit, cui Clemens XI. Eccleſiam Nonenſem ſuo paſtore viduatam decerneret: 1703. 16. *Julii providit Eccleſiæ Nonenſi vacanti per obitum Georgii Parcich de perſona Martini Dragolii Presbyteri Spalatenſis*. Sex annos hujus eccleſiæ ita præfuit, ut pro utilitate & ſalute gregis ſibi concrediti nulla re ſibi parceret, nullam partem quietis caperet, nullum incommodum devitaret. In urbe ac diœceſi unus omnia catechiſtæ, concionatoris, parochi, Epiſcopi officia alacriter impigreque exſequebatur. Sed ejus valetudo, quamvis vegeta & firma, tot tamque aſſiduis laboribus ſuſtinendis non fuit, & variis incommodis afflictari cœpit; quibus ut mederetur, de conſilio medicorum, aeris ſolique patrii beneficio indigebat. Sed Spalatum profectus gravius laborare cœpit; eumque vis morbi magis ac magis ingraveſceret, eoque creviſſet, ut de illius ſalute conclamatum eſſet, divinis myſteriis ſumma cum religione perceptis, inter ſuorum lacrymas, preceſque Sacerdotum, meritis, quam annis plenior ad cælum migravit an. 1709. Stephanus Cupillus Archiepiſcopus, & Capitulum, ut viro de ſe & Eccleſia Spalatenſi optime merito gratiam referrent, curam funeris ſuſcepere: quod pro eo, ac decebat talem ac tantum Antiſtitem, amplum & honorificum eſſe voluerunt. Conditus eſt in æde metropolitana Spalatenſi.

Fit Epiſc. Nonenſis.

JOANNES VIII. EP. NONENSIS XLVI.

Hunc quoque civitas & Eccleſia Spalatenſis Epiſcopum Nonenſibus dedit. Natus eſt Spalati ex familia Manola ſatis copioſa, & in primis honeſta, unde ſuperiori ſæculo Franciſcus Corcyrenſis, & paucis ante annis Didacus Tragurienſis Epiſcopi prodierunt. Theologica laurea donatus, atque inter Canonicos Eccleſiæ Metropolitanæ ſubſellium adeptus, in iis, quæ ad religionem & animarum ſalutem pertinent, operam aſſiduam ac perutilem navavit Coſmo & Cupillo Archiepiſcopis: Cupilli autem commendatio, cum ſumma teſtificatione illius virtutum ac meritorum conjuncta, plurimum valuit apud Clementem XI. ut Joanni Epiſcopatum Nonenſem conferret: 1709. 19. *Junii providit Eccleſiæ Nonenſi vacanti per obitum Martini Dragolii, de perſona Joannis Manolæ Presb. Spalaten. Sacræ Theologiæ Doctoris & Canonici Spalatenſis*. Inſignis in illo amor caſtimoniæ, inſigne odium libidinis fuit; & ſi quos ex ordine eccleſiaſtico alicujus impudicitiæ labe infectos reperiſſet, eos ſuſpenſionis nota inuſtos ab altari ſummovebat; neque antea rei divinæ faciendæ poteſtatem permittebat, quam idonea pœnitentia contractas maculas, omnemque nefariæ turpitudinis ſuſpicionem eluiſſent. Duos parochos probroſo hujuſmodi vitio contaminatos officio & Sacerdotio privavit. Nihilo mitius ſe geſſit contra illos, qui rapaces & ſacrilegas manus in patrimonium Chriſti & eccleſiæ inferre conabantur, quos anathematum commination deterruit; & qui pecuniam ad reſtaurationem cujuſdam templi ſepoſitam interverterat, nec reſtituere volebat, ei non obſcura verborum ſignificatione mortem proximam denunciavit. Nec vero denunciationem fefellit eventus. Sed quod illi ſummum amorem ac venerationem conciliare debuerat, quorumdam maledicorum & improborum hominum odium in eum armavit, & linguas exacuit. Tres potiſſimum calumnias in Præſulem ſanctiſſimum conflatas, & in vulgus ſparſas invenio: victus cultuſque frugalitatem avaritiæ, conſtantiam in ſuis decretis ac præceptis tuendis obſtinationi, ardorem ſtudiumque eccleſiaſticæ diſciplinæ & ſanctitatis in puniendis ſontibus & violatoribus pudicitiæ ſacerdotalis iracundiæ tribuebant. Verum enimvero parce ille quidem ac tenuiter vivebat, ſed ut ſibi ſuppeteret quod pauperibus erogaret, atque in ornatum ædis cathedralis, in ſacram ſupellectilem reſarciendam augendamque inſumeret; quæ prudenter pieque decernebat, ea multo etiam impenſius ſervabat ipſe, quam aliis præcipiebat, exemplis utique, quam præceptis clarior; nihil ſane impunitum pati pote-

Joannes Ep. raptores patrimonii eccleſiaſtici coercuit.

Calumnias ſibi illatas virtutum ſuarum teſtimonio repulit.

poterat, quod disciplinæ & continentiæ ecclesiasticæ repugnaret, quippe qui vel ipsum horrebat libidinis nomen, minimas etiam ejus generis labeculas vehementer exosus. Seipsum vero illibatissimæ castimoniæ exemplar omnibus præbebat, nihil ut adversarii in eo reperirent, unde virginalem illius candorem vel tenuissima suspicionis umbra infuscare possent. Siquidem ut tam pretiosum thesaurum custodiret, non castior fuit, quam cautior; nunquam cum feminis nisi luce palam, domesticis vel extraneis præsentibus, de rebus utique necessariis colloquebatur; ratus mulieres adiri, aut in colloquium admitti minore semper emolumento, quam periculo. Ceterum illius integritas ac virtus singularis nota omnibus, omnibusque in rebus perspecta, fidem omnem adversariis ademit, calumniasque omnes dissipavit. Prætor etiam urbis Præsulis innocentissimi defensionem suscepit, & in suis ad P. Philippum Riceputum litteris ei tribuit testimonium eximiæ sanctitatis, eumdemque *vere virum apostolicum*, & veterum Episcoporum ecclesiæ primævæ *imitatorem* appellavit. Huic ecclesiæ tres annos præfuit; quos, curis & laboribus episcopalibus nunquam intermissis, partim diœcesi lustranda, partim urbano clero & populo præceptis & concionibus excolendo, ad sui gregis & ecclesiæ utilitatem contulit. Præcipuæ curæ illi fuit institutio clericorum, quos ipse, cum a gravioribus occupationibus aliquid otii nanciscebatur, bonis artibus pariter ac moribus imbuebat. Haud exiguam pecuniæ summam in ornatum ædis cathedralis, augendumque splendorem ac dignitatem divini cultus insumpsit. Baptisterium novum marmoreum exstruxit; Damascena peristromata non vulgaris pretii comparavit, quibus templi parietes sollemnioribus diebus obtegerentur, linteam supellectilem auxit, plures Sacerdotum divinis rebus operantium vestes sericas conficiendas curavit. Tholum ac fornicem sane sumptuosum ac magnificum ædi cathedrali imponere, aliaque plura ornamenta eidem adjicere decreverat, sed ejus præclaris consiliis mors inopportuna intervenit. Anno 1712. Rasantiæ in vico diœcesis Nonensis non ignobili, rei christianæ caussa versabatur; cum VII. Kalendas Octobris post sacrum peractum repentinus eum morbus invasit, quo postridie extinctus est, eique animum agenti parochus ejus loci ad ultimum usque spiritum assedit, quæque illi tempori tribui solent, religionis & charitatis officia præstitit. Ibidem sepultus est in templo illius parœciæ. Sed Capitulum cleruſque Nonensis in æde cathedrali sollemnes exsequias ingenti pompa & apparatu cum funebri laudatione celebravit.

Ejus elogium.

ANTONIUS EP. NONENSIS XLVII.

Antonius ex Arbensi Ep. Non.

Quem ex Arbensi ad Nonensem Ecclesiam, altero post Joannis obitum anno jam inito, transtulit Clemens XI. *an.* 1713. 27. *Novemb. providit Ecclesiæ Nonensi vacanti per obitum Joannis Manolæ, de persona Antonii Rosignoli Episcopi Arbensis*. De hoc & reliquis, qui deinceps secuti sunt, Episcopis pauca sane habeo, quæ proferre queam. Non equidem prætermisi, quin eorum res laudabiliter gestas, unde oportebat, per litteras exposcerem; sed præter nomina, vix aliquid aliud rescire potui, ac ne annum quidem, quo aliquis ex illis Episcopatum iniit, ac deposuit: nihil præterea vel scriptis, vel fama & auditione proditum reperiri ajunt. Huic ecclesiæ triennium præfuit, eique successit

NICOLAUS III. EP. NONENSIS XLVIII.

Nicolaus Ep. transfertur ad Ecclesiam Auxerensem.

Clemens XI. 1716. *prima Julii providit Ecclesiæ Nonensi vacanti per obitum Antonii de persona Nicolai Drassic Presb. Sanctuariensis*. Post annos non ita multos hanc cum Ecclesia Auxerensi commutavit.

BERNARDUS DOMINICUS EP. NONENSIS XLIX.

Natus est Cathari e familia Leonia. Romam profectus in collegio de propaganda fide Philosophiæ ac Theologiæ operam dedit, & cum esset excellenti ingenio, magnos in utraque progressus habuit, atque inter æquales & condiscipulos excelluit. Cum doctrina singularem probitatem conjunxit. Buduæ Vicarii Apostolici munere functus esse dicitur, antequam sedem Nonensem conscenderet, quam tenuit annos circiter quinque. Nonæ apud suam ecclesiam vivere desiit.

ANDREAS II. EP. NONENSIS L.

Andreas Balbus Ep. Nonen. deinde Polensis.

Patricius Venetus e gente Balba, qui cum hanc ecclesiam præclare administrasset, translatus est anno 1732. ad Polensem in Istria, cui etiamnum sanctissime præsidet.

HIERONYMUS II. EP. NONENSIS LI.

Hieronymus Fonda Ep. Nonen. deinde Tragurien-sis.

Oriundus ex Istria, in lucem editus Pirani, quod oppidum est frequens ac nobile diœcesis Justinopolitanæ, e familia Fonda æque honesta & copiosa. Agros & proventus ecclesiæ ne alio distraherentur, summopere laboravit, & sartos tectosque conservavit. Diœcesim cum lustraret, insidias a parocho nescio quo ritus Græci (ut suspicio fuit) suæ ac suorum comitum vitæ paratas vix effugere potuit: id quod ego ipsemet ex illo audivi. Relicta Nonensi ad Ecclesiam Tragurien sem migravit anno 1738.

JOANNES FRIDERICUS EP. NON. LII.

Joannes Fridericus ex Arbensi Ep. Nonen.

Patria Venetus, cognomento Rosa, cum antea Ecclesiæ Veglensi præfuisset, sedem Nonensem obtinuit Hieronymi discessu vacuam an. 1738. vel sequenti. Huic ecclesiæ præclaris institutis atque exemplis mirifice profuit. Jaderæ mortuus est, & Nonam translatus, in templo & sanctuario S. Mariæ de Leporinis sepulcrum obtinuit cum hac inscriptione.

Hic jacent ossa Joannis Friderici
Ursini Rosa Veneti Episcopi Enonensis.
Obiit septimo idus Septembris anno Dom. 1742.

THOMAS EP. NONENSIS LIII.

Natus est Jassenizæ in oppido diœcesis Nonensis XV. Kalen. Febr. an. 1690. Nechich cognomen ei fuit. Firmi, quæ civitas est archiepiscopalis Piceni, in eo gymnasio Doctoribus juxta discipulisque florentissimo, naturalibus divinisque disciplinis & artibus studuit. Benedictus

ctus XIV. poſt obitum Joannis Friderici Eccleſiam Nonenſem illi decrevit v. Kal. Febr. an. 1743. Hanc eccleſiam laudabiliter, pieque gubernavit annos fere undecim. Nonæ deceſſit anno 1754. vel ſuperiori. Illatus eſt in commune ſepulcrum Antiſtitum Nonenſium, quod ipſe reſtaurarerat, ut docet inſcriptio.

THOMAS NECHICH SIBI ET SUCCESSORIBUS RESTAURAVIT ANNO DOMINI 1748. OBIIT VERO ANNO MENSE ET DIE ET HIC EXPECTAT ÆTERNITATEM.

ANTONIUS II. EP. NONENSIS LIV.

Antonius Tripcovich Ep. Nonen. adhuc vivit.

Dobrota oppidum eſt neque infrequens, neque ignobile, aſſidens ad fretum Catharenſe; hic natus eſt Antonius Tripcovich, qui poſt primam ætatem litteris humanioribus excultam Romam ſe contulit, atque in collegio S. Mariæ ſupra Minervam philoſophicis ac theologicis ſtudiis diligentem operam navavit; quibus abſolutis, in Seminario Spalatenſi Theologiam clericis tradidit, eidemque rectoris titulo ac poteſtate præfuit annos ipſos ſeptem. Ex mandato Romani Pontificis in urbe atque inſula Veglenſi munus Vicarii Apoſtolici præclare ſuſtinuit geſſitque annos amplius quinque. Tum his, aliiſque egregiis meritis, tum ſingulari, qua præditus eſt, doctrina ac virtute dignum ſe præbuit, cui Benedictus XIV. Epiſcopatum Nonenſem conferret anno 1754. Hoc eodem anno eccleſiæ ſibi traditæ poſſeſſionem adiit XIV. Kal. Novembris, die feſto S. Lucæ Evangeliſtæ; urbem ædemque cathedralem ſollemni pompa, & ingenti totius cleri populique frequentia & gratulatione ingreſſus eſt IV. Kal. Decembris, qui dies anniverſaria lætaque SS. Apoſtolorum Simeonis & Judæ commemoratione colitur. Sub hoc vigilantiſſimo Præſule magis in dies magiſque cum civitas & eccleſia, tum cleri diſciplina, & populi religio floret, ſimulque divini cultus magnificentia & ſplendor augetur. Ædes pontificias refecit, amplificavit, ornavit, quæ quidem nunc ſatis commode & pro dignitate epiſcopali habitari poſſunt. Ipſe vero Jadrenſi commoratione poſthabita, fere ſemper ad eccleſiæ ſuæ gubernacula ſedet. Villam quoque epiſcopalem, cui nomen eſt Bevilaquæ, tertio circiter milliari ab urbe disjunctam, ſibi ſuiſque ſucceſſoribus reſtauravit, quo ſtatis anni temporibus ad ruſticandum aptis ſe conferre, fruique poſſint jucundo illo & a gravioribus curis vacuo receſſu. Vivat diu optimus Præſul, diuque civitati & eccleſiæ ſuæ proſit.

EPISCOPI PHARIENSES.

Pharia vetuſtiſſima Græcorum colonia, nunc Leſina.

PHaria inſula maris Adriatici longe maxima & nobiliſſima, colonos & nomen inde uſque a Paro inſula maris Ægæi anno ante Chriſtum natum circiter 390. accepit, ut dictum eſt Tomo I. Parte II. Prolegomen. pag. 197. Nemo eſt veterum Geographorum, quin hujus inſulæ præſtantiſſimæ mentionem fecerit. Strabo & Stephanus Byzantius Pariorum coloniam vocant. Nunc *Lieſina*, ſeu *Leſina* vulgo dicitur; *Huar* a Slavis appellatur. Hinc originem traxit Demetrius cognomento Pharius, quem Romani primum ob ejus in rempublicam merita haud exigua Illyrici parte donarunt; deinde cum ab illis defeciſſet, acie victum, regno exutum in exilium compulerunt. De Pharia inſula & urbe a Pariis condita, de bello Phariorum cum Illyriis proſpere geſto, de ſocietate cum Dionyſio ſeniore tyranno Siciliæ, de urbe a Romanis poſt Demetrium victum everſa ſcripſimus Tom. I. Parte I. Prolegom. cap. 3. & 4. Hæc inſula ab occaſu in ortum paſſuum millia fere quinquaginta protenditur; ejus latitudo, quam maxime patet, non amplius duodecim complectitur. Intermedia eſt Brattiæ, quam a ſeptemtrione, & Corcyræ Melænæ, quam a meridie reſpicit, ab hac latiori, quam ab illa, freto disjuncta. Civitas inſulæ cognominis ac princeps ſita eſt prope occidentalem ejuſdem inſulæ angulum, ad meridiem converſa, inædificata in ipſo litore; quam ſuperemi-

Inſulæ poſitio & civitatis deſcriptio.

net vetus ac ſemirutum caſtellum loco declivi ac præalto impoſitum, in quo excubiæ collocari ſolent, ut ſigno dato cives admoneant, ſi quem piraticum lembum illac prætereuntem, vel urbi appropinquantem proſpiciant. Urbs eſt præclara ad aſpectum, ædificiis, incoliſque admodum frequens, portu egregio & capaci, duobus ex adverſo ſcopulis claulo & munito; quos alii deinceps ſcopuli excipiunt, extremumque inſulæ latus circumſtant; eorumque poſtremus a S. Clemente nuncupatus vicum habens cognominem, angulo extremo ejuſdem inſulæ ab occaſu objacet. Fretum oram ſcopuloſque interjacens vocant *Canalem Lieſinæ*, ſcilicet urbis; ſuperius vero fretum Brattiæ & Phariæ interjectum itidem vocant *Canalem Lieſinæ*, ſcilicet inſulæ. Nullus præterea locus eſt, qui jure ac nomine civitatis gaudeat. Ceterum *pagos habet*, ut ſcripſit Raphael Levacovichius, *civitatibus haud abſimiles, Gelſam fontibus perennibus divitem, Verboskam ubertate agri pinguem, & urbem veterem dictam, quam Romanorum tempore principem fuiſſe locum, & inſulæ dominam tenendum eſt*. Regionem urbis veteris pluribus vicis atque incolis habitatam P. Vincentius Peribævius in ſuo Commentario de origine Slavorum his verbis deſcripſit: *Extat in medio bujus inſulæ ager ad ſeptemtrionem ſpectans, præcipua diligentia cultus in circuitu ſtadiorum centum & quadraginta, totius inſulæ potior, undecim vicis ſeptus; ex quibus minimus quadraginta, medius autem viginti ſupra centum, nonnullus autem ducentas & triginta, ſupremus autem* (qui propius abeſt a mari) *quingentas habet domos altas, & amplas, laquearibus, ceteriſque urbanis ornamentis optime diſtinctas, ſic ut nihil ei, præter murum in circuitu, deſit ad ſatis pulchre diſpoſitæ ſpeciem civitatis: quo in loco urbem fuiſſe pulcherrimam non ambigimus; cum in dies, & antiquos aquarum puteos urbis ruina obſtruſos, & theſauros auri & argenti, gemmarumque in hortis & vineis ſub terra latentes, hic reperiri videamus, & nobilium ibidem antiquorum monumenta ædificiorum. Æmulantur hunc, de quo loquimur, vicum, in domorum templorumque ſtructuris, duo alii maritimam*

Situs urbis veteris nunc diruta.

oram

pram ſortiti vici, in dieſque magis ac magis accreſcunt. Largitatis & opulentiæ indigenarum monaſterium S. Petri martyris brevi tempore ab eis exſtructum, nec non frequentes in ſingulis vicis quoque valde pulchræ noſtris diebus erectæ eccleſiæ, fidele præbent teſtimonium.

Sed eadem claſſis Turcica, quæ anno 1571. Phariam civitatem magna ex parte diruit, huic etiam loco frequentiſſimo, dum Peribævius ſcribebat, & opulentiſſimo, quam urbem veterem vocant, cladem & vaſtitatem intulit; nec ſolum ædem S. Petri martyris combuſſit, ſed etiam eccleſiam S. Stephani, quæ ibidem erat, prope funditus evertit. Huic jus erat parochiale, quod poſtea translatum fuit in ædem S. Mariæ non ita longe disjunctam, neque ante initium hujus ſæculi eccleſiæ S. Stephani reſtitutum. Sunt qui exiſtiment hanc S. Stephani eccleſiam olim fuiſſe cathedralem; verum ſive ab Attila ſæculo quinto, ut falſo aliqui putant, ſive a Petro Urſeolo Duce Venetorum, qui ſæculo undecimo ineunte Dalmatia potitus eſt, civitas vetus deſtructa fuerit, quod imperium accipere nollet, & Narentanis piratis perfugio eſſet, ac receptaculum prædis maritimis præberet; tunc certe nondum inſtitutus erat Epiſcopatus Pharienſis. Civitatem Phariæ, ubi nunc eſt, ab ipſis Pariis, huc ex Paro inſula maris Ægæi profectis, conditam fuiſſe, ſatis declarat ejus poſitio ab Diodoro Siculo lib. 15. his verbis deſcripta: *Parii interea, qui Parum inſulam condiderant, compulſis, qui eam antea inhabitabant, ad locum quemdam editum probeque munitum, urbem ipſi juxta mare extructam muro cinxerunt.* Hanc Romani, cum bellum Demetrio Phario intuliſſent, funditus everterunt, *incolaſque*, ut Antonius Bonfinius tradit, *in penitiorem terræ partem rejecerunt, & ut colendis agris incumberent coegerunt.* Ab his in inſula fere media, haud tamen longe a freto, quod Brattiam & Phariam interfluit, civitatem illam, quam veterem vocant, conditam fuiſſe arbitror; quo autem infortunio hæc diruta fuerit, quove tempore civitas Phariæ, quæ nunc eſt, eodem loco, ubi primum a Pariis fuit exſtructa, fuerit reſtituta, ſatis compertum non eſt. Hic certe ſæculo duodecimo conſtituta fuit ſedes epiſcopalis, neque umquam hinc dimota, aliove translata.

Ager Pharienſis.

Terra partim plana eſt, partim in colles & montes aſſurgit, amnibus frequens, natura fertilis; oleo, ac vino præſertim abundat, non item frumento. Neque terra ſolum incolis fructuoſa eſt, ſed etiam mare ſibi quæſtuoſum induſtria reddunt. Multa ſiquidem habent navigia, quibus ad piſcatum, & mercaturam utuntur; utrinque magnos ſane, atque uberes proventus percipiunt.

Inſula Pharia variis dominis paruit, nunc Venetis.

Hanc inſulam Romani Demetrio Phario, ut ſupra diximus, traditam, ac deinde ob ejuſdem ab eorum imperio defectionem ademptam, anno ante Chriſtum circiter 219. ſub poteſtatem redegerunt. Poſt Romanam Monarchiam conſtitutam paruit Romanis, deinde Græcis Imperatoribus: poſt Slavorum adventum, Narentanis piratis ex genere Serblorum *Pharam* cum Corcyra Melæna, Brattia, Melita, aliiſque minoribus inſulis Conſtantinus Porphyrogenitus tribuit. Sub initium ſæculi undecimi Petrus Urſeolus Dux Venetorum, qui Narentanos piratas compreſſit, cum reliquis urbibus Dalmatiæ maritimæ, ac pleriſque inſulis, Phariam quoque ſub imperium recepit. Exinde Pharienſes iiſdem, quibus ceteri Dalmatæ, dominorum mutationibus & rerum publicarum converſionibus obnoxii, iterum ac ſæpius in poteſtatem modo Græcorum, modo Venetorum, modo Hungarorum redierunt. Tandem ſæculo decimo quinto ineunte, ut omnis Dalmatia, ſic etiam Pharia fide perpetua & conſtanti Venetis adhæſit, qui altero quoque anno prætorem e patricia nobilitate delectum urbis regimini præficiunt.

Epiſcopatus Pharienſis ſæc. 12. conditus.

Pharia lucem evangelii & rudimenta chriſtianæ religionis accepit ab eodem S. Domnio diſcipulo B. Petri Apoſtolorum principis, quem Eccleſia Dalmatica univerſa parentem ſuum & conditorem agnoſcit. Uſque ad ſæculum duodecimum fere dimidium, cum proxima inſula Brattia ad diœceſim Archiepiſcopi Spalatenſis pertinuit, qui Archipresbyterum rei chriſtianæ curandæ adminiſtratorem conſtituebat. Anno circiter 1150. jus & nomen epiſcopale adepta, ſimul cum Brattia, Iſſa, Corcyra Melæna, Melita, aliiſque minoribus inſulis ſive ſcopulis interjectis, aut circumjacentibus, in unius diœceſeos corpus coaluit. Hinc Epiſcopus Pharienſis, alias *Epiſcopus Inſularum*, alias a duabus inſulis primariis Epiſcopus *Farenſis & Brachienſis* denominari ſolebat. Sæculo decimo quarto Corcyram amiſit, ſede epiſcopali donatam; itemque Melitam, quæ in jus poteſtatemque Antiſtitis Raguſini conceſſit. Phariam, Brattiam, Iſſam, Torculam, cum aliquot ſcopulis ſive inſulis exiguis uſque in hodiernum diem retinuit.

Brattiæ deſcriptio.

Brattia, nunc *Brazza*, quam alii aliter & ſcribunt & nominant, oræ continentis & Phariæ interjecta, utrinque freto admodum anguſto disjungitur. Secundum Phariam reliquas Dalmatiæ inſulas magnitudine fere antecedit: quippe paſſuum millia circiter octoginta circuitu comprehendit. Crebris portubus eſt diſtincta, ad quos hoc libentius naves appellere ſolent, quod aquam, ligna, vinum, carnes, & omnis generis cibaria, & quidquid inſtrumenti ac viatici maritimus curſus deſiderat, affatim ſuppeditat. Terra eſt ſaxetis aſpera, & vineis maxime idonea; vino proinde abundat, frumento non item. Mel optimum fert, *Hyblæo Hymettioque non deterius*, ut ait Palladius. Sylvis referta eſt, & paſcuorum in primis ferax; quocirca plerique incolarum gregibus alendis aſſiduam adhibent curam, unde proventus maximos capiunt: hinc illud Plinii, *Capris laudata Brattia*. Nullam urbem aut oppidum habet; vicatim tantummodo habitatur. Exigua hujus inſulæ portio in occaſum obverſa ad Spalatenſem diœceſim pertinet.

& Iſſæ rerum antiquarum monumentis celeberrimæ;

Iſſa, quam Liſſam vocant, magnitudine quidem quadruplo minor eſt, quam Pharia, ſed rerum antiquarum monumentis, ac veterum litteris longe illuſtrior. A Pharia ſeptemdecim circiter millia paſſuum in occaſum diſtat, vergens ad meridiem, & viginti fere millibus ejus ambitus circumſcribitur. Huc Dionyſius ſenior coloniam Syracuſiorum deduxit, urbemque ibidem conditam validis mœnibus & propugnaculis ſepſit, firmiſſimiſque præſidiis munivit. Iſſeorum, ſive Iſſenſium nomen Græcis litteris celebratum eſt, & Latinis, rerumque geſtarum gloria clariſſimum. Hos Tragurii & Epetii conditores ac dominos fuiſſe ajunt; & poſt interitum utriuſque Dionyſii libertatem adepti, rempublicam fundarunt, neque regibus Illyricis, neque ullius dominationi obnoxiam. A

Ro-

Romanis in ſocietatem recepti, ſemper ab illis honorifice amiceque habiti ſunt; cum ceteris opibus belliciſque laudibus, tum rei navalis ſcientia & gloria floruerunt. Hinc lembi Iſſaici, genus navium, quibus alias ad bellum, alias ad mercaturam utebantur. Ex his omnino ad viginti Romanæ claſſi ſubſidio veniſſe auctor eſt Titus Livius, in eo bello, quod Romani cum Philippo rege Macedonum geſſerunt. Sed multis poſt ætatibus, eadem, quæ ceteros Dalmatas, rerum ac temporum converſio Iſſenſes quoque Romanis e ſociis vectigales fecit. Plinius lib. 3. cap. 26. Iſſam urbem inſulæ cognominem inter *oppida civium Romanorum* annumerat. Ejuſdem meminit Hirtius de bello Alexandrino cap. 14. *Vatinius*, inquit, *poſt diem tertium contendit in inſulam Iſſam, quod eo ſe recepiſſe ex fuga credebat Octavium. Erat nobiliſſimum regionum earum oppidum, conjunctiſſimumque Octavio*. Iſſenſium deinde opes ac potentia paullatim imminui cœptæ, demum uſque eo decrevere, vix ut priſtinæ virtutis ac dignitatis memoriam retineant, præſertim poſt urbem everſam, atque ferro & igni devaſtatam a Catalaunis, ut ferunt, qui ſæculo decimo quinto militabant in claſſe Ferdinandi regis Neapolitani, dum is, ſocietate inita cum Hercule duce Ferrarienſium, acre cum Venetis bellum gerebat, ut docet Petrus Marcellus in Joanne Mocenico duce Venetorum: *Interim hoſtium claſſis, ſub Federici Ferdinandi regis filii imperio, Anconis portum inſederat. Inde Liſſam Dalmatiæ inſulam aggreſſus, eam igni ferroque vaſtavit. Ex Liſſa Corcyram nigram, vulgo Curzolam appellatam tranſmiſit*. Nunc præcipuæ Iſſenſium divitiæ ſardiniarum piſcatu & commercio continentur. Inſula quippe fere omnium, præterquam vini, inops eſt ac ſterilis. Quinque aut quatuor vicos frequentiores numerat, qui a piſcatoribus fere incoluntur. Sunt tamen quædam familiæ nobiles, ab urbe & conſilio Pharienſium nobilitate accepta. Duplicem portum aperit, utrumque ſatis tutum & commodum, atque ad occidentem converſum.

Nec non Trucula.

Phariæ adjacet a meridie Trucula ſive Torcula, brevi euripo divulſa, ab incolis fere deſerta. Extant adhuc parietes ſemiruti, tectaque collabentia cujuſdam cœnobii Dominicani vacui relictique, propterea quod piratæ frequentibus incurſionibus & latrociniis infeſtum redderent.

Ædes cathedralis Phariæ, & Capitulum Pharienſe.

His itaque inſulis, & aliquot præterea ſcopulis univerſa diœceſis Epiſcopi Pharienſis continetur. Extat in civitate Phariæ ædes cathedralis ſatis ampla, & ſatis eleganter deſcripta, ſub titulo & auſpiciis S. Stephani Papæ & martyris, cujus tutelæ ac patrocinio civitas ſubeſt. Capitulum conſtat e Canonicis omnino duodecim, e quibus tres dignitate ceteris antecedunt, Archidiaconus, Archipresbyter, Primicerius. Parochi munere fungitur Archipresbyter, in quem omnis animarum cura incumbit. Singulis Canonicis centeni in annos ſingulos argentei nummi, quos Reales vocant, aſſignati; & quinquageni præterea ſingulis eorum, qui triplicem Capituli primatum, quem dixi, ſeu principem inter Canonicos dignitatis & officii locum tenent. Jus eligendi parochos inſulæ ad Canonicos, approbandi ad Epiſcopum pertinet. Urbani VIII. conceſſu id privilegio habet Capitulum, ut ingenuum adoleſcentem, bona indole, bonoque ingenio præditum ex ordine clericorum deligat, quem ad collegium Lauretanum mittat, gratis inibi alendum, & humanis diviniſque litteris erudiendum. Menſa epiſcopalis omnium, quæ ſunt in Dalmatia, eſt opulentiſſima; ſiquidem partim e decimis, partim e piſcatu, partim ex fundis eccleſiaſticis aureos amplius mille ſingulis annis percipere ſolet.

Cœnobia & Xenodochia in urbe & diœceſi.

Tria ſunt in urbe vel ſuburbio cœnobia, ſive cœtus hominum religioſæ vitæ vinculo & jure ſociati, unum ordinis Dominicani, cui a S. Marco Evangeliſta, alterum Franciſcani rigidioris obſervantiæ, cui a B. Virgine Gratiarum, tertium Auguſtiniani, cui a S. Nicolao titulus eſt & patrocinium. In diœceſi vero tria domicilia obtinent Patres Dominicani in urbe veteri, in inſula Trucula, ſed hoc caducum & deſertum, in Brattia apud pagum cognominatum Bol; quatuor vero Patres Auguſtiniani apud Gelſam in eo Phariæ latere, quod ſeptemtrioni obverſum eſt, apud S. Georgium in angulo hujus inſulæ ad orientem extremo, apud Iſſenſes in loco cui a cryptis nomen eſt, denique apud Brattienſes in pago, qui *Putiſte* dicitur; unum Patres Franciſcani Minores de obſervantia, in eadem inſula Brattia a S. Martino denominatum; unum itidem in Iſſa inſula S. Hieronymi anno 1598. conditum, incolunt Patres Franciſcani, quos Conventuales vocant. Sæculo ſuperiori Pharienſes locum in urbe cœnobio fundando attribuerunt Virginibus Benedictinis cum templo S. Antonii Abbatis. Duæ ſunt domus hoſpitales peregrinis excipiendis, & pauperibus ægrotis curandis inſtitutæ, altera in Iſſa inſula, altera in urbe Pharienſi. Duo itidem in hac diœceſi ſunt illuſtria & opulenta Sacerdotia, alterum S. Joannis apud Brattienſes, eique præpoſitus Sacerdos Abbatis titulo & mitræ privilegio gaudet; alterum erat monaſterium Benedictinum S. Nicolai apud Iſſenſes, quod monachis ademptum in titulum naturamque commendæ, ut vocant, migravit. Hujus annui proventus nummis argenteis, quos Reales vocant, facile quadringentis æſtimantur, quorum pars dimidia ad Abbatem, cui commendatum eſt, pertinet; pars altera clero Pharienſi diſtributiones quotidianas ſuppeditat. Nunc deſcribenda eſt ſeries Epiſcoporum Pharienſium.

Duo Sacerdotia Abbatiali titulo inſignita.

Series Epiſcoporum Pharienſium.

I. Martinus an. 1147.
II. Luccarus an. 1175.
Martinus it. an. 1177.
III. Nicolaus an. 1184.
IV. Micha an. 1198.
V. Nicolaus II. an. 1230.
VI. Dobronia an. circ. 1260.
VII. Simon an. circ. 1280.
VIII. Duimus an. circ. 1288.
IX. Gabriel an. 1308.
X. Gregorius an. 1313.
XI. Stephanus an. 1323.
XII. Lucas an. 1329.
XIII. Joannes an. 1341.
XIV. Stephanus II. an. circ. 1350.
XV. Benvenutus an. 1385.
XVI. Georgius an. 1412.
XVII. Dodinus, ſive Domnius an. 1421.
Georgius iterum an. 1423.
XVIII. Thomas an. 1428.
XIX. Nicolaus III. an. circ. 1467.
XX. Laurentius an. 1473.
XXI. Hieronymus an. 1490.
XXII. Bernardinus an. 1492.

XXIII.

XXIII. Franciſcus an. 1509.
XXIV. Joannes Baptiſta an. circ. 1522.
XXV. Zacharias an. 1524.
XXVI. Hieronymus II. an. 1537.
XXVII. Marcus an. 1549.
XXVIII. Zacharias II. an. 1553.
XXIX. Martinus II. an. 1574.
XXX. Petrus an. 1581.
XXXI. Nicolaus IV. an. 1635.
XXXII. Vincentius an. 1644.
XXXIII. Joannes II. an. 1667.
XXXIV. Hieronymus III. an. 1676.
XXXV. Joannes Thomas an. 1693.
XXXVI. Raymundus an. 1704.
XXXVII. Dominicus an. 1723.
XXXVIII. Cæſar an. 1736.
XXXIX. Antonius an. 1759.
XL. Joachimus Maria an. 1761.
XLI. Petrus II. an. 1767.

MARTINUS EP. PHARIENSIS I.

ANno circiter 1141. Epiſcopatum Jadertinum, Petri II. Epiſcopi morte vacuum, tres e clero illius eccleſiæ petebant, ſuis quiſque fautoribus & patrociniis innixi, Lampridius, Petrus, Martinus. Lampridio favebat Petrana Comes ſive Rector civitatis, qui cum apud omnes auctoritate & gratia plurimum poſſet, facile obtinuit, ut reliquis duobus poſthabitis, cleri populique ſuffragia in unum Lampridium convenirent. *Vacante*, inquit Archidiaconus c. xx. *Eccleſia Jadrenſi, tres ejuſdem eccleſiæ clerici ad pontificatus honorem aſpirabant, videlicet Lampridius Marichnæ, Petrus Camaſii, & Martinus Manzavini; Comes vero civitatis erat eo tempore Petrana. Hic cœpit fovere partem Lampridii ſperans ſe cum eo ſuavius vivere, eo quod nec ipſe per ſe ſuperbus, nec erat de ſuperbo ſanguine procreatus.* Sed cum uni Lampridio ad ſedem Jadertinam adipiſcendam favorem ſuum operamque contulerit, alios duos repulſam ægerrime paſſos, ut fit, graviter offendit, & ab ſe vehementer alienavit; qui cum ſe neglectos ab eo & poſthabitos iniquo animo ferrent, eidem inimici infeſtique eſſe cœperunt. Hos ut ſibi reconciliaret, Jadrenſem Epiſcopatum, quem obtinere nequiverant, cum duobus aliis ejuſdem gradus Sacerdotiis utrique compenſare ſtuduit. Ac Petro quidem, cum per eos dies mortuus eſſet Epiſcopus Abſarenſium, eccleſiam illam demandandam curavit. Cum autem per id temporis alia nulla ſedes epiſcopalis in Dalmatia vacaret, auctor fuit novi Epiſcopatus inſtituendi, quem Martino conferret. Tunc Jadra, cum inſulis fere omnibus Dalmatiæ, imperio Venetorum ſuberat, ut docet Dandulus lib. 9. cap. 14. parte 12. *Cum*, inquit, *Spalatum, Tragurium, Sibenicum, & plura alia loca Croatiæ Hungarica rabies occupaſſet.* Inter omnes illas inſulas circuitus amplitudine, oppidorum & incolarum numero, rerum omnium abundantia, & copia longe præſtabant Pharia & Brattia, quas idem Petrana, ut tradit Archidiaconus, Hungaris ademptas ad Venetum imperium, ſuamque præturam Jadertinam adjunxerat. Hæ pertinebant ad jus diœceſanum Archiepiſcopi Spalatenſis, qui e ſuo clero Sacerdotem perſpectæ fidei, probatæque virtutis, Archipresbyteri titulo inſignitum, utrique inſulæ præficere ſolebat, ut curam animarum gereret, rebuſque ſacris ac divinis præeſſet. Pharienſes ac Brattienſes jampridem Epiſcopi proprii, a quo regerentur, eligendi habendique cupiditas inceſſerat, quam Petrana exſtimulare ac vehementius incendere ſtuduit; omnemque illis ſuam auctoritatem atque operam ad hoc negotium conficiendum deferebat. Haud illi difficile fuit perſuadere inſularibus, quod ipſi ſummopere optabant, atque ad commodum ac decus utriuſque inſulæ pertinere arbitrabantur. Itaque Cernatam Archipresbyterum, quem rei chriſtianæ curatorem a Gaudio Archiepiſcopo acceperant, de communi conſilio expellunt, Martinum Manzavini filium ſibi in Epiſcopum eligunt, ut Comitis Jadrenſis voluntati obſequerentur, & primum utriuſque inſulæ Antiſtitem conſtituunt. Martinus id, quod cupiebat, adeptus, hærebat dubius animi incertuſque, unde peteret ac ſuſcipere conſecrationem epiſcopalem, ab Jadrenſine, an a Spalatenſi Metropolita. Quod Jadertini Epiſcopi jamdudum moliebantur, ut a Sede Apoſtolica poteſtatem eccleſiæ ſuæ ac dignitatem metropoliticam, ſibi pallium impetrarent, id demum Lampridius ab Eugenio III. obtinuit anno 1146. precibus interpoſitis Ducis Venetorum, qui eccleſiæ & Epiſcopi Jadertini patrocinium apud Pontificem libenter ſtudioſeque ſuſcepit, ut Jadrenſium animos ſibi magis conciliaret, eorumque fidem novo beneficio devinctam teneret. Cum autem Petrana Comes Jaderæ Epiſcopatum Pharienſem inſtituendum curavit, duo potiſſimum ſpectabat, ut novam illam ſedem epiſcopalem ſimul Martino conferret, ſimul metropoli Jadrenſi ſubjiceret. Nam æque Petrana ac Veneti urbis illius & eccleſiæ dignitatem & juriſdictionem amplificare cupiebant, proptereaque inſulas omnes, quas Hungaris eripuerant, territorio Jadrenſi attribuerunt. Martinum igitur & Venetis gratificandi, & gratiam Petranæ pro collato ſibi ſacerdotio referendi cupiditas impellebat, ut conſecrationem a Metropolita Jadertino ſuſciperet, eique ſe ac ſuam eccleſiam ſubjiceret. Sed ab hoc conſilio illum revocabat metus juris violandi, quod in utramque inſulam habebat Spalatenſis Archiepiſcopus, ad cujus diœceſim utraque pertinebat. Hujuſmodi cogitatione curaque ancipiti, ut ſeipſum expediret, excogitavit aliquid, quod nemini diſplicere, neminem offendere poſſe exiſtimabat. Neutri Metropolitæ injuriam ſe facere putavit, ſi utroque poſthabito aliunde conſecrationem peteret; nec vero propter Jadrenſem tunc neglectum, Venetos aut Petranam ab ſe alienatum iri credebat, modo ne conſecraretur a Metropolita Spalatenſi, a cujus diœceſi & provincia utramque inſulam divellere, atque ad metropolim Jadertinam adjungere illi volebant. Itaque Raguſium ſe contulit, ab eoque Archiepiſcopo petiit atque impetravit, ut ſibi manus imponeret. Ceterum poſt ſuſceptam conſecrationem, initamque poſſeſſionem Epiſcopatus Pharienſis, plus æquitas & juſtitia, quam ſtudium obſequendi Venetis & Petranæ, apud illum valuit. Tantum enim abfuit, ut ſubjectum ſe atque obedientem præberet Archiepiſcopo Jadertino, ut potius, ſi quando res poſceret, conſueta Suffraganeorum officia & obſequia Spalatenſi Metropolitæ præſtaret. Hæc breviter Archidiaconus cap. xx. *Iſtis vero temporibus, ſicut ab antiquo, inſulæ Phara & Brachia erant diœceſes Eccleſiæ Spalatenſis; Archipresbyter vero erat in eis quidam Cernata Sacerdos capellanus de Spalato. Prædicti autem clerici*

Petrana Comes Jaderæ auctor fuit Pharienſibus, ut expulſo Cernata Archipresbytero Martinum ſibi in Epiſcopum eligerent.

Martinus ab Archiep. Raguſino conſecrationem ſuſcepit;

Spalatenſi tamen ſubjectum ſe præbuit.

(Petrus & Martinus), *qui ad Episcopatum* (Jadrensem) *anhelaverant, cœperunt inimicari Comiti ob favorem Lampridii, qui volens eos sibi pacatos efficere, uni consensit Episcopatum Absarensem, quem cum duobus aliis Episcopatibus Vegliensi & Arbensi e subjectione Spalatinæ Ecclesiæ subtraxerant: Martinum vero fecit eligi ab insulanis, expulso Archipresbytero Ecclesiæ Spalatensis. Nam Comes prædictus cum Venetis earumdem occupaverat dominium insularum; & quamvis Martinus potestate prædicti Comitis fuisset electus, noluit tamen Jadræ consecrari; sed profectus Ragusium consecrationem suscepit ab Andrea Archiepiscopo Ragusino, & ab Episcopis Dulcinensi, & Svaciensi; & nullam subjectionem faciebat Jadrensi Ecclesiæ, sed Spalatensi debitam reverentiam exhibebat quandoque.*

Hæc sunt initia Episcopatus Phariensis, & Brattiensis, ad annum circiter 1147. post metropolim Jadertinam rite constitutam referenda: quæ quidem ut legitima essent, accederet oportuit auctoritas & approbatio Sedis Apostolicæ. At enim hujus Episcopatus conditi nullum extat diploma pontificium; eum tamen a Romano Pontifice ratum habitum & confirmatum fuisse, si non expresse ac diserte, certe tacito quodam consensu & judicio, declararunt Alexander III. & Innocentius III. qui cum aliquot decreta fecerint, quæ pertinent ad Ecclesiam Phariensem, hujus dignitatem ac potestatem episcopalem non dubiam & controversam, sed certam ac legitimam agnoverunt.

Martino seni & mente capto suffectus est Luccarus, & consecratus a Raynerio metropolita.

Ergo Martinus hanc novam ecclesiam ad extremam usque senectutem administravit, & præclaris suis exemplis nobilitatam, atque optimis legibus instructam posteris reliquit. Anno circiter undetricesimo post susceptum pontificatum, cum eum ingravescens ætas sanitate ac mente deturbasset, Pharienses veluti delirum senem, ineptumque ad episcopale munus gerendum, ab ecclesiæ regimine amoverunt; eique substitutus fuit

LUCCARUS EP. PHARIENSIS II.

Nobili genere ortus Spalati ex familia Cicla, idemque Archidiaconus Ecclesiæ Spalatensis; quem a clero & populo utriusque insulæ electum Raynerius Archiepiscopus Spalatensis episcopali consecratione initiavit anno circiter 1175. *Sed nunc*, ut est apud Archidiaconum c. xxi. *ad Martinum Episcopum insularum redeundum est. Hic cum esset senex, quadam valetudine comprehensus, quasi amens effectus erat. Insulani vero ejus amentiam non ferentes, expulerunt eum; & accedentes ad Ecclesiam Spalatensem elegerunt Luccarum filium Duimi Ciclæ, Archidiaconum ejusdem ecclesiæ, qui præsentatus Raynerio Archiepiscopo, consecratus est ab eodem.* Sed brevi tempore delatum sibi a Phariensibus & Brattiensibus Sacerdotium episcopale retinuit. Martinus siquidem recuperata mente ac valetudine per suas litteras & nuncios, de se per injuriam expulso, intrusoque Luccaro questus est apud Alexandrum III. qui tum Beneventi morabatur. Pontifex cum ex idoneis testibus comperisset eum animo & corpore quam optime valere, in suam sedem episcopalem restitui jussit, litteris Beneventi datis ad Chajalisium Comitem & optimates urbis Phariæ.

Martinus valetudine recuperata ex mandato Alexandri III. sedem Phariensem recuperavit, Luccaro decedente.

Alexander Episcopus servus servorum Dei dilectis in Christo filiis Chajalisio Comiti strenuissimo, & universis nobilibus Pharensinæ insulæ salutem & apostol. benedict. Insinuatum nobis esse noveritis, quod erga fratrem nostrum Martinum, Episcopum & pastorem vestrum, diabolo instigante non congruam habeatis indignationem; diciitis enim eum, quem in juventute honorifice habuistis, nunc senectute gravante vobis esse incongruum & inhonorum, volentes vestro arbitrio meliorem eligere, cum Dominus illum ecclesiæ vestræ diu constituit esse pastorem. Sed quia non licet, per apostolica scripta vobis mandamus, ut tam vos, quam & ceterarum insularum rectores eum usque ad obitum suum, magis quam aliquando, reverenter habeatis. De cetero si quisquam hujus amentiæ causa eum fraudare in decimis visus est, aut primitiis, & pœnitentia ductus non emendaverit, atque illi debitam non exhibuerit reverentiam, prout nostra facultas est, apostolica auctoritate excommunicationis vinculo innodamus. Dat. Beneven. Kal. Junii.

Hanc epistolam scriptam fuisse arbitror ante Venetam Alexandri profectionem, idest ante annum 1177. Vereor ne non statim Pharienses mandatis pontificiis obtemperaverint; nam anno 1177. cum Alexander Venetias profecturus Jaderam appulisset, Martinus nondum in suam sedem restitutus, ad Pontificem se contulit, ut docet Archidiaconus: *Tunc* (idest dum Alexander Jaderæ diversaretur) *Martinus insularum Episcopus, recuperata sanitate, jam compos mentis effectus querelam Domino Papæ de sua expulsione deposuit. Summus vero Pontifex auditis & cognitis causæ meritis, Luccarum deposuit, Martinum vero ad suam sedem remisit.* Itaque Pharienses, Pontificis imperio atque auctoritate ex propinquo urgente, Martinum Episcopum receperunt; & Luccarus itidem Pontifici paruit, e sede illa episcopali decedens.

MARTINUS EP. PHARIENSIS iterum.

De Phariensi Episcopatu controversiam inter Spalatensem & Jadertinum metropolitas Raymundus legatus Sed. Ap. injudicatam reliquit;

Jam inde ab instituto Phariensi Episcopatu, de hujus possessione controversia fuit inter Spalatensem & Jadertinum Metropolitam, cum uterque illum sibi, suæque provinciæ vindicaret; alter quidem, quia insulæ, in quibus conditus fuerat, ad diœcesim Spalatensem jure antiquo pertinebant; alter vero, quia easdem insulas Veneti territorio Jadrensi attribuerant, & insuper illius Episcopatus instituendi auctor præcipuus fuerat Petrana Comes & rector urbis Jadertinæ. Cum Alexander esset Jaderæ, Raynerius Spalati, & Lampridius Jaderæ Archiepiscopus causam suæ quisque metropolis Pontifici commendaverant, eumque rogaverant, ut ejusmodi litem dirimeret. Ergo Alexander, priusquam Venetiis discederet, Raymundum de Capella subdiaconum Ecclesiæ Romanæ, Legatum Apostolicum in Dalmatiam misit, ut ecclesias illas lustraret, ac reformaret; simulque eidem negotium dedit, ut de controversia Phariensi, quæ Raynerio erat cum Lampridio, cognosceret ac sententiam ferret; si vero alterutra pars ejus judicio stare nollet, ac Sedem Apostolicam appellaret, rationes in utramque partem allatas, & tabulas ac monumenta, quibus utriusque causa nitebatur, ad Curiam Romanam deferret; ac deinde utrique diem certam causæ apud Curiam Romanam dicendæ præstitueret. Hæc ex litteris Alexandri ad Raynerium Venetiis in Rivoalto datis xi. Kalen. Septembris an. 1177. quas Raymundo legato ad eum perferen-

rendas dedit. Hanc epiſtolam Alexandri habes in Raynerio Archiepiſcopo Spalatenſi. Raymundus peragratis Eccleſiis Dalmatiæ, & Concilio nationali Spalati habito, omnia quidem, quæ a Pontifice mandata habuerat, diligenter confecit; ſed controverſiæ Pharienſi finem imponere non potuit, vel quod ab ejus ſententia alterutra pars ad Sedem Apoſtolicam appellavit, vel quod ipſe rem injudicatam reliquit, cum ob rationes inter ſe pugnantes, ac teſtes inter ſe contrarios, non videretur ſibi liquere, unde jus ſtaret; vel denique quod Lampridius vocatus adeſſe noluit, veritus fortaſſe ne cauſſa caderet, ac propterea ne Concilio quidem interfuit. Itaque hujus controverſiæ integra cognitio in aliud tempus dilata eſt. Hanc quadriennio poſt, cum Eccleſia Spalatenſis, ob ſacrilegam necem, immunitatis eccleſiaſticæ cauſſa, ab impiis ſicariis illatam Raynerio, vacaret, diremit Theobaldus item Eccleſiæ Romanæ ſubdiaconus, alter Alexandri legatus, miſſus in Dalmatiam; qui poſt cauſſam rite cognitam metropoli Spalatenſi Eccleſiam Pharienſem adjudicavit, ut conſtat ex ejus litteris ad clerum, Comitem, & populum Spalatenſem, quæ ſunt hujuſmodi.

Theobaldus alter Sed. Ap. legatus diremit.

Sententia Theobaldi ſecundum Archiep. Spalatenſe.

Theobaldus Dei gratia S. R. E. ſubdiaconus, Apoſtolicæ Sedis legatus, dilectis in Chriſto fratribus, univerſo clero, M. Comiti, & toti populo Spalaten. cum dilectione ſalutem. Ad robur & memoriam rerum geſtarum plurimum valere cognoſcitur ſeries litterarum; quamdam namque firmitatem præſtat, nec ſinit oblivi ſci ſcriptura, quæ diligenti ſollicitudine & cura ſub unò paginali contextu fuerint comprehenſa. Ideoque per ſcripta præſentia notum facimus, & ad notitiam tam præſentium, quam futurorum ſignificamus, quod cum de mandato Summi Pontificis in Dalmatia & Sclavoniæ partibus officium legationis haberemus, Spalatenſis Eccleſia, quæ & Salonitana dicitur, ſuper Pharen. Epiſcopatum querimoniam depoſuit adverſus Jadertinam Eccleſiam. Profecto ſub generali vocatione clero Jadertino ſcripſimus ſignificantes, & mandantes, ut eorum aliqui taliter inſtructi & parati ad nos accederent, & venirent, quod ſuper motis controverſiis ſufficienter reſpondere valerent. Cumque ad diem & terminum denuntiatum præfatus clerus nec veniſſet, nec reſponſalem miſiſſet, elapſis poſtea quibuſdam diebus, in præſentia Epiſcoporum & multorum aliorum fam dictam querelam audivimus; & auditis, viſis, & intellectis rationibus, privilegiis, & allegationibus Eccleſiæ Spalaten. eidem, habito plurimorum venerabilium virorum conſilio, prædictum Pharenſem Epiſcopatum adjudicavimus, & aſſignavimus. Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXI. Indictione XIII. Pontificatus Alexandri Papæ III. Anno XXII.

Alexander III. cœnobium Benedictinum inſulæ Buſi in fidem ac clientelam Sedis Apoſtolicæ recepit.

Ad hiſtoriam Eccleſiæ Pharienſis pertinet privilegium ampliſſimum ejuſdem Alexandri conceſſum Urſo Abbati & monachis Benedictinis inſulæ Buſi, ſive Buci, quæ Iſſæ adjacet ab occaſu, breviſſimo euripo interfluo disjuncta; eſtque circuitus admodum exigui, & Epiſcopo Pharienſi ſubeſt. Erat ibidem nobiliſſimum & opulentiſſimum cœnobium ordinis Benedictini, ſub titulo & patrocinio S. Silveſtri; quod cum piratarum incurſionibus expoſitum eſſet, monachi in proximam inſulam migrarunt, in qua & domicilium & templum S. Nicolai poſſidebant; cœnobiumque illuc translatum, poſthabito veteri titulo, ab S. Nicolao cognominari cœpit. Pontifex igitur Abbatem & monachos S. Silveſtri in ſuam & B. Petri fidem ac clientelam recepit; eorum bona & prædia ab omni onere ac tributo libera jubet eſſe, atque immunia; eccleſiarum S. Silveſtri in urbe Spalatenſi, S. Michaelis, itemque S. Nicolai in Iſſa inſula poſſeſſionem eiſdem confirmat; Abbatem eligendi, clericos & laicos ad ſuum inſtitutum aggregandi facultatem impertit.

Diploma Pontificis.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Abbati monaſterii S. Silveſtri de inſula Buci, ejuſque fratribus tam præſentibus, quam futuris regulari vita profeſſis in perpetuum &c. Quapropter dilecti in Domino filii veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum monaſterium S. Silveſtri, quod in inſula Buci ſitum eſt, in quo divino mancipati eſtis obſequio, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus, ſtatuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem monaſterium in præſenti juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum, in quo præfatum monaſterium ſitum eſt, cum ipſa inſula & aliis ſuis pertinentiis; in civitate Spalaten. eccleſiam S. Silveſtri cum pertinentiis ſuis, eccleſiam S. Michaelis, & eccleſiam S. Nicolai in inſula, quæ dicitur Liſſa, cum earum pertinentiis; & poſſeſſiones alias, quas habetis in eadem inſula. Sane novalium veſtrorum, quæ propriis manibus, aut ſumptibus colitis, ſeu de nutrimentis animalium veſtrorum, nullus a vobis decimas exigere præſumat. Liceat quoque vobis clericos, vel laicos e ſæculo fugientes liberos & abſolutos ad converſionem recipere, & eos abſque contradictione aliqua retinere; obeunte vero te nunc ejuſdem loci Abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſurreptionis aut aſtutia, ſeu violentia proponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanioris, ſecundum Dei timorem & B. Virginis, providerint eligendo. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas ſit præfatum monaſterium temere, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet fatigare vexationibus. Sed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura; ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate, & diœceſani Epiſcopi, ſecundum canonicam juſtitiam. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo, tertiove commonita, niſi reatum ſuum digna ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei, & Domini Redemptoris noſtri alienus fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

Ego Alexander Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.
Ego Baldus Oſtienſis, Velitrenſis Epiſcopus.
Ego Theodinus Rufinæ Sedis Epiſcopus.

Ego Paullus Prænestinæ Sedis Episcopus.
† *Ego Joannes S. Marci Presbyter Cardinalis.*
† *Ego Presb. Petrus Card. tit. S. Susannæ.*
† *Ego Vivianus S. Steph. in Monte Presb. Card.*
† *Ego Cynthius Presb. Card. S. Ceciliæ.*
† *Ego Ugo Presb. Card. . . .*
† *Ego Arduinus Presb. Card. S. Crucis in Jerusalem.*
† *Ego Marcus Presb. Card. S. Marcelli.*
† *Ego Laborius Presb. Card. S. Mariæ trans Tyberim, & Callixti.*
† *Ego Jacobus Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Cosmedin.*
† *Ego Rayn. Diac. Card. S. Georgii ad . . .*
† *Ego Gratianus SS. Cosmæ & Dam. Diac. Card.*
† *Ego Joannes Diac. Card. S. Angeli.*
† *Ego Matthæus S. Mariæ Novæ Diac. Card.*

Datum Tusculani per manus Albertisce Rom. Eccles. Presb. Card. & Cancellarii 4. Id. Maji Indict. VIII. Incarn. Domini Anno 1181. *Pontificatus vero Domini Alexandri Papæ III. anno XXII. &c.*

Martinus post resumptam Ecclesiæ Phariensis administrationem, annos circiter septem eamdem retinuit, ac demum senio confectus e vita migravit anno 1184.

NICOLAUS EP. PHARIENSIS III.

Nicolaus Veronæ a Lucio Pp. consecratur.

Hic erat filius fratris Martini Episcopi, qui patrui meritis & grata apud omnes memoria fretus, omne studium, & quamcumque potuit rationem adhibuit, ac demum effecit, ut ipse ab insularibus ad Sacerdotium illud eligeretur. Ergo Spalatum profectus est, ut consecrationem episcopalem a suo metropolita susciperet. Iisdem fere temporibus Petrus hoc nomine VII. natione Hungarus Archiepiscopatum Spalatensem inierat, a quo primum repulsam tulit; propterea quod Archiepiscopus, cum hominis ambitionem versutamque naturam nosset, verebatur ne quo vitio canonico ejusdem electio esset infecta: deinde interpositis civium & amicorum precibus, edoctusque de legitima electione, illius petitioni annuit, sed consecrationem in diem proximum dominicum differendam censuit. At Nicolaus & repulsa illa exacerbatus, & omnis moræ ac dilationis impatiens, clandestino discessu se proripuit, & Veronam ire festinavit ad Lucium III. Papam, qui ad eam urbem se contulerat, ut de gravissimis negotiis cum Friderico Imperatore ageret, deque re publica christiana inter se consulerent. Nicolaus igitur Pontificem adiit, & callida arte circumventum facile perpulit, ut sibi manus imponeret. Hæc Archidiaconus videtur referre ad Archiepiscopatum alterius Petri Hungari hoc nomine VIII. sed conjungi oportere cum temporibus Petri VII. prioris Hungari, declarat pontificatus Lucii, ad quem Nicolaus confugit, quique intra finem anni 1185. Veronæ diem obiit, annis fere duobus, antequam alter ille Petrus regimen Ecclesiæ Spalatensis susciperet. *His temporibus*, ait Archidiaconus cap. XXIII. *defuncto Martino insularum Episcopo, Nicolaus Manzavini nepos ejus* (Martini), *ambitionis ardore succensus tantum sollicitaverat insulanos, quod ab eis in Episcopum est electus. Præsentatus ergo Spalatensi Archiepiscopo manus consecrationis sibi postulabat imponi. Archipræsul vero ejus devitans versutias, sciens eum callidum & dolosum, minime admittebat. Tandem instantia civium superatus promisit se die dominica, quæ crastine futura erat, eorum satisfacere voluntati. Nicolaus vero indigne ferens dilationem Archiepiscopi, ipsa nocte iter arripiens, perrexit Veronam, ibique Dominum Papam Lucium quibusdam machinationibus circumveniens, consecrationem ab eo petiit, & accepit.* Post consecrationem susceptam ad Phariensem Ecclesiam accessit; & cum a Petro Archiepiscopo, propter repulsam & dilationem expetitæ consecrationis, esset animo abalienato & aversо, se & ecclesiam suam, contra quam Theobaldus legatus Sedis Apostolicæ decreverat, metropoli Spalatensi subduxit, transtulitque in potestatem Archiepiscopi Jadertini: id quod intelligi potest ex tabulis cœnobii Jadrensis S. Chrysogoni: *Anno* 1190. (cum Jadera, itemque Pharia & Brattia sub imperio Hungarorum essent) *post bellum cum Venetis habitum, & post victoriam de Castello . . . Sancto Grisogono gratias effundentes de evasione maximi periculi, & collatione victoriæ ac omnimodi percepti beneficii, devote retulissemus; electo nostro* (Petro Archiepiscopo Jadrensi) *in Ungaria persistente, & Nicolao Farensi Episcopo ecclesiæ nostræ suffraganeo Missarum sollemnia celebrante, & sermonem ad populum more solito faciente &c.* Quocirca cum Petrus VII. Archiepiscopus Concilium provinciale Spalatum convocasset an. 1185. huic Nicolaus non interfuit, quippe qui aut Veronæ erat, aut ad suam ecclesiam reversus a metropoli Spalatensi jam defecerat. Attamen in eo Concilio, ut ceterarum diœceseon provinciæ Spalatensis, sic etiam Phariensis diœcesis descriptio facta est. Neque enim vel absentia, vel defectio Nicolai provincialibus Episcopis jus adimebat describendæ ordinandæque illius diœceseos, quæ ad jurisdictionem Archiepiscopi Spalatensis ex decreto Theobaldi legati apostolici pertinebat; fierique a Petro Metropolita debuit hujusmodi descriptio & ordinatio, ne de jure suo decedere videretur, neve si ab eo prætermissa fuisset, hæc prætermissio cujusdam præjudicii loco haberetur, caussamque præberet ponendi rursus in contentione id, quod judicio gravissimo & maximo legati apostolici sancitum fuerat. Decrevit igitur Archiepiscopus & Synodus, ut *Pharensis Episcopus habeat sedem suam in Phar, & habeat has parochias, Phar, Braciam, & Lissam, Corceram, Lastam, & Mulcer, & totam Crainam.* Has insulas omnes jam inde ab initio conditi Episcopatus Ecclesia Phariensis obtinebat, cum aliquot præterea exiguis insulis vel scopulis interjectis, vel proxime adjacentibus: idcirco vocari solebat Episcopus Insularum. De Pharia, Brattia, Lissa, seu potius Issa, jam supra dictum est. *Corcera* eadem est, ac Corcyra melæna infra Phariam ad meridiem sita. *Lasta*, quam Tabula Peutingeriana *Ladestrim*, Stephanus *Ladestam*, Porphyrogenitus *Lastobon*, Dandulus *Ladestinam*, vulgus *Lagustam* appellat, subest Corcyræ a meridie. *Mulcer* quid sit, quidve loci significet, mihi non liquet: nomen depravatum esse censeo, & fortassis legi oportere *Melitam*, quam Slavi *Milet*, Itali *Meledam* vocant. Insula est, quæ ab ortu propinqua est Corcyræ, neque longe abest a Lasta, sive Lagusta: nisi forte, quod vero propius est, *Mulcer* idem sit ac *Mucrum* sive *Muccarum*, quæ nunc dicitur *Macarsca*. *Craina* idem valet apud Slavos, quod apud Latinos ora mari-

A Spalaten. ad Jadertinum metropolitam descivit.

In Synodo provinciali Spalatensi diœcesis Phariensis describitur.

maritima, sive regio finitima, Lucio interprete. Erat autem pars illa litoris Dalmatici contra Brattiam & Phariam, quæ pertinebat ad diœcesim *Mucaritanam*, sive Macarensem; cumque per ea tempora Episcopo careret, simul cum urbe episcopali, nunc *Macarsca*, commendari solebat proximo Insularum Episcopo.

Redeo ad Nicolaum. Conatus ille quidem fuerat extorquere ab Lucio Papa decretum, quo Pontifex juberet Ecclesiam Phariensem subjectam esse metropoli Jadertinæ; sed cum hæc sedes per id temporis, Eugubino Archiepiscopo defuncto, adhuc vacaret, nihil impetrare potuit. Nec vero conatus Nicolai fefellerunt Spalatenses, a quibus primum legati, deinde ipsemet Petrus Archiepiscopus post Synodum Spalatensem provincialem, Veronam ad Pontificem venerunt questum de injuria sibi suæque metropoli per Nicolaum illata, gravi sane & non ferenda. Non multo post Lucius moriens rem hanc injudicatam reliquit; obiit autem Veronæ anno 1185. VII. Kal. Decembris; & eodem die, eademque in urbe illi subrogatus fuit in sedem Romanam Urbanus III. qui eodem anno II. Id. Decembris ad clerum populumque Spalatensem scripsit in hanc sententiam: nihil a suo decessore præjudicatum fuisse, quod jurisdictioni ac dignitati metropolis Spalatensis officeret: cum suus Ecclesiæ Jadertinæ Antistes electus ac datus esset, ipsi cum adversariis ad Sedem Apostolicam adirent; se paratum esse utriusque judicium reddere; & post causam illam rite cognitam, quam jus & æquitas postularent, sententiam laturum.

Legati Spalatenses, & Petrus Archiep. apud Lucium III. queruntur de injuria suæ metropoli per Nicolaum illata.

Epistola Urbani III. ad clerum & populum Spalatensē.

Urbanus Episcop. servus servorum Dei dilectis filiis, clero, nobili viro M. Comiti, & populo Spalatensi salut. & apost. benedict. Cum venissent ad præsentiam felicis memoriæ Lucii Papæ prædecessoris nostri dilecti filii B. Canonicus ecclesiæ vestræ, & judex, supervenit postmodum Ven. Frater noster P. Archiepiscopus vester, & significarunt sibi injuriam, quam super Episcopatu Pharensi videmini sustinere. Verum licet vestræ vellet indemnitati ecclesiæ providere, & vos sicut dilectos ecclesiæ filios in vestris petitionibus exaudire, & nunciorum vestrorum acquiescere voluntati, quia tamen Jaderen. ecclesia vacat, nec Episcopatum illum ecclesiæ vestræ confirmare potuit ut petebant, nec antequam ipsa ecclesia ordinetur, de negotio finiendo tractare volens, ipsum in eo, in quo nunc est, statu sine contentione manere permisit. In . . . discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus cum eadem Jadertina Ecclesia fuerit ordinata, cum nunciis partis adversæ, ad nostram præsentiam accedatis, vestram per nos justitiam auxiliante Deo recepturi. Parati enim sumus & in hoc & in aliis honori ac utilitati ecclesiæ vestræ, quantum secundum Dominum possimus, providere. Nolumus autem, ut rescriptum aliquod juri vestro præjudicium faciat, a Sede Apostolica, veritate tacita, impetratum. Dat. Veronæ II. Id. Decembr.

Procuratores, qui causam utriusque metropolis agerent, nullos sive a Spalatensibus sive ab Jadertinis missos invenio. Ceterum valuit in posterum sententia Theobaldi legati apostolici, Jadertinis non invitis, aut certe non repugnantibus; quam quidem sententiam confirmavit Andreas dux Dalmatiæ, itemque Innocentius III. ut infra dicemus. At Nicolaus nunquam adduci potuit, ut Spalatensem Metropolitam agnosceret; idque apparet ex tabulis Jadrensibus cœnobii Benedictini S. Chrysogoni supra laudatis. Sedem Phariensem tenuit usque ad annum circiter 1197. cumque Ecclesia Jadertina suo pastore viduata esset, electus a clero populoque ad metropolim illam regendam injussu Sedis Apostolicæ transivit. *Vacante autem Ecclesia Jadrensi*, (ait Archidiaconus cap. XXIII.) *Nicolaus iste in Archiepiscopum electus est, qui electionem temere suscipiens absque licentia Sedis Apostolicæ, administrationi se imprudenter immersit. In sedem vero episcopalem ab se relictam diaconum quemdam Jadertinum intrudere volebat; sed clero ac populo Phariæ Brattiæque dissentiente, omnes illius conatus frustra fuerunt.*

Nicolaus relicta Pharien. Sedem Metrop. Jadertinam invasit.

MICHA EP. PHARIENSIS IV.

Anno 1198. Andreas frater Henrici regis Hungariæ, dux Dalmatiæ & Chrobatiæ &c. cum partes Dalmatiæ peragraret, Ecclesiam Phariensem Episcopo destitutam reperit. Itaque ne quid detrimenti ecclesia illa caperet ex diuturniore interregno, Micham Canonicum Spalatensem nominavit; simulque hujus ecclesiæ possessionem metropoli Spalatensi adjudicavit. Extat diploma ducis Andreæ in tabulario archiepiscopali Spalatensi, estque hujusmodi.

Andreæ ducis Dalmatiæ diploma, quo Micham nominat Episcop.

In nomine Sanctæ Trinitatis, & individuæ Unitatis. Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo nonagesimo octavo, Indictione prima. Ego Andreas III. Belæ regis filius Dei gratia Dalmatiæ, Chroatiæ, Ramæ, Chulmæque dux in perpetuum. Quoniam ducali serenitati jura & dispositiones regni sui licet . . . & disponere; hinc est, quod nos in Dalmatiam perambulantes invenimus Episcopatum Farensem suo pastore vacantem; ne ergo juri ecclesiastico in aliquo derogaretur, diligenti inquisitione inquisivimus, cui Archiepiscopatui suffraganeus subjaceret; relatione vero Dalmatiæ Episcoporum & universorum Chroatorum principum percepimus, quod ex antiqua constitutione sub Spalatensi Archiepiscopatu fuisset. Nos vero relationi eorum attendentes, prætaxatum Episcopatum eidam Spalatensi Canonico M. contulimus, ac eundem Episcopatum Spalatensi Ecclesiæ confirmamus. Hujus autem constitutionis pagina testimonio istorum facta est, Andrea Bano, Comite Macharia, Comite Joseph, Comite Marco, Comite Andronico filio Bani, Camerario ducis Wenceslao, Præposito Gutfredo, magistro Theobaldo. Datum per manus Petri filii Myska ducis aulæ notario.

Nominationem Andreæ ratam habuerunt Pharienses itemque Brattienses; Micha vero, idest Michael, cunctis cleri ac populi suffragiis renunciatus est Episcopus: *Insulani*, ait Archidiaconus, *Spalatum accedentes elegerunt in suum Episcopum Micham nepotem Picii, Canonicum Spalatensem*. Hunc autem ex mandato Capituli Spalatensis, ad quod metropolis illius ob mortem Petri VIII. Archiepiscopi adhuc vacantis procuratio pertinebat, unus de provincialibus Episcopis consecravit, ut est in epistola Innocentii Papæ III. ad Episcopos Tinninensem, & Scardonensem: *Constitutus*, inquit, *in præsentia nostra Ven. Frater noster M. dictus Faren. Episcopus, sua nobis assertione monstravit, quod cum Ven. Frater noster N. Faren. Episcopus electus fuisset in Archiep. Jader. asserens electionem suam fuisse per Sedem Apostolicam confirmatam, ad Jadertinam transivit ecclesiam, & in ea tamquam*

Michaconfirmatus a Phariensibus & consecratus ab uno de suffraganeis Metrop. Spalat.

Archiepiſcopus adminiſtravit: poſtmodum ad Farenſem accedens eccleſiam, cœpit de ſubſtituendo ſibi in eamdem eccleſiam paſtore, volens in eam intrudere M. diaconum Eccleſiæ Jadertinæ, principe terræ aliud ibidem intrudere moliente per potentiam laicalem; propter quod clerus & populus Faren. convenientes in unum, credentes dictum Epiſcopum ad Jadertinam Eccleſiam auctoritate Sedis Apoſtolicæ tranſiviſſe, dictum M. in paſtorem concorditer elegerunt, & electionem factam dilectis filiis Spalat. Capituli præſentantes, eam confirmari obtinuerunt, & electum ſuum per ſuffraganeum Spalat. Eccleſiæ conſecrari &c. Integram epiſtolam habebis in Archiepiſcopis Jadertinis. Micha igitur Romam ſe contulerat, ut de quibus accuſatus fuiſſet, ſe Innocentio purgaret, ſimulque pontificiam Epiſcopatus ſibi collati approbationem impetraret. Verum cum Nicolai translatio a Pharienſi ad Jadrenſem Eccleſiam ſuffulta non eſſet auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ſicut hæc non erat legitima, ita legitime & vere vacua eſſe non poterat, haberique ſedes Pharienſis: quo poſito Michæ electio irrita eſſet neceſſe eſt. Præterea Nicolaus, ut ſuæ temeritatis & audaciæ culpam ab ſe amoveret, Micham vero ab Eccleſia Pharienſi repelleret, aſſerebat ſe acceſſiſſe quidem ad urbem Jadertinam, ſed in eccleſia illa non Archiepiſcopi, ſed conceſſu Capituli Archidiaconi officio functum eſſe. Micham vero de ambitu accuſavit, quod corrogatis inſularum ſuffragiis in Eccleſiam Pharienſem nondum vacantem ſe inferre atque intrudere conatus fuiſſet. Contra vero ajebat Micha, Nicolaum aperte & palam profeſſum fuiſſe a Sede Apoſtolica poteſtatem ſibi factam eſſe tranſeundi ad Eccleſiam Jadertinam, in eaque jus & officium archiepiſcopale uſurpaſſe; ac proinde Pharienſes, cum ex aſſertione Nicolai eccleſiam ſuam legitime ab eo dimiſſam eſſe cenſerent, jus habuiſſe novi Epiſcopi eligendi. Cum inter ſe contraria eſſent, quæ Micha, quæque Nicolaus aſſerebant; Pontifex neutri credendum eſſe judicavit, & ne alterutri injuriam faceret, ab utriuſque aſſertione aſſenſum cohibuit; atque in ſuis ad Epiſcopos Tinninienſem, & Scardonenſem, Abbatemque Tragurienſem litteris, ſibi quidem conſtare ait tranſitionem Nicolai ad metropolim Jadertinam, auctoritate Sedis Apoſtolicæ approbatam non fuiſſe; ſed quæ Nicolaus abſens per litteras, & Micha coram expoſuerunt, non eſſe inter ſe conſentanea; ſe vero incertum eſſe, utri fidem adhibeat; illis itaque mandavit, ut quid veri ſit, diligenter inquirant, nimirum *ſi præfatus N. Epiſcopus Farenſis poſtulationem ſuam aſſeruit per Sedem Apoſtolicam approbatam fuiſſe; ſi ad Jadertinam Eccleſiam omnino tranſivit, ſi in ea ſe habuerit, ut electus, ſi de ſubſtituendo paſtore in Eccleſia Farenſi tractavit; ut de his & aliis*, inquit, *per litteras veſtras certiores facti, melius in ipſo negotio procedamus &c.* Hæc epiſtola, quam integram reſervamus hiſtoriæ Jadrenſis Eccleſiæ, data eſt Laterani IV. Id. Julii, Pontif. Innocentii anno 2. ideſt Chriſti 1199. Eodem anno & loco, ſed biduo poſt, Innocentius ad Canonicos Spalatenſes litteras dedit in hanc ſententiam: ut Eccleſiæ Pharienſis procurationem interea ſuſcipiant, dum ſubeſt canonicæ diſquiſitioni cauſſa Michæ Pharienſis electi; ſedulo caveant, ne aliquid detrimenti capiat eccleſia illa paſtoris regimine deſtituta. Michæ ſiquidem imperaverat, ut a Pharienſi Eccleſia ſecederet, atque ad ſuum priſtinum ſubſellium Capituli Spalatenſis regrederetur, quemadmodum idem Innocentius in epiſtola modo laudata ad Epiſcopos Tinninienſem & Scardonenſem &c. aſſeruit.

Innocentius III. ejus electionis cognitionē Epiſcopis Tinninien. & Scardonen. delegavit.

Interea procurationem Eccl. Pharienſis commendavit Capitulo Spalatenſi.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Capitulo Spalatenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum Venerabilis frater noſter M. dictus Faren. Epiſcopus Venerabilem fratrem noſtrum N. Faren. Epiſcopum aſſerentem poſtulationem ſuam eſſe per Sedem Apoſtolicam approbatam, tranſiſſe proponat ad Eccleſiam Jadertinam, & in ea ut Archiepiſcopum miniſtraſſe, & in Faren. Eccleſia alium ſibi ſubſtituere voluiſſe; ſe vero ad Faren. Eccleſiæ regimen fuiſſe illo tranſeunte vocatum; præfatus vero N. Epiſcopus ad civitatem Jadertinam, unde fuerat oriundus, non tranſiſſe, ſed acceſſiſſe proponat, & in ea ſe, non ut Archiepiſcopum, ſed Archidiaconum miniſtraſſe, ac dictum M. Faren. ſe in Eccleſia Farenſe feciſſe intrudi; & nos inquiſitionem horum duxerimus commtitendam; ſollicite volumus præcavere, ne interim eadem Farenſis Eccleſia aliquid in ſpiritualibus vel temporalibus detrimentum incurrat. Ipſam ergo veſtræ ſollicitudini committentes, donec aliud ſtatuamus, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus taliter ipſi providere curetis, quod occaſione controverſiæ hujus aliquod diſpendium non incurrat. Datum Lateran. II. Idus Julii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Michæ electio legitima declarata.

Hæc controverſia hunc habuit exitum: Nicolaus litteris ac mandatis pontificiis Romam evocatus ad ſuam cauſſam dicendam, neque paruit, neque reſpondit; ac propterea dignum ſe præbuit, quem Innocentius utroque Sacerdotio Jadertino & Pharienſi privaret: *quamobrem D. Innocentius Papa*, ut ſcripſit Archidiaconus, *eum utraque dignitate privavit*. Michæ autem idem Pontifex Eccleſiam Pharienſem adjudicavit, ſed ita, ſi rite a clero & populo fuiſſet electus, ſi nulla turpis largitio, nullum vitium canonicum interceſſiſſet, ſi denique ad ejus electionem confirmandam acceſſiſſet auctoritas Capituli Spalatenſis, quod dum eſſet interregnum archiepiſcopale, metropolitæ vicem præſtabat, ac poteſtatem gerebat. De his certior fieri voluit Innocentius litteris ad clerum & populum Spalatenſem datis, quæ quidem non extant; ſed earum meminit Gregorius Cardinalis Creſcentius, in ſua itidem ad Spalatenſes epiſtola. Michæ ſiquidem ad cauſſam obtinendam magno adjumento fuit idem Creſcentius Cardinalis Diaconus S. Mariæ in Porticu, cujus antea quidem gratiam ſibi conciliaverat, dum is apoſtolica legatione in Dalmatia fungebatur; clientelam vero & patrocinium imploravit, cum ſe purgandi & pontificiæ approbationis obtinendæ cauſſa Romam veniſſet. Hæc intelligi licet ex epiſtola ejuſdem Cardinalis ad clerum & populum Spalatenſem, quos hortatur, ut Michæ defenſionem ſuſcipiant, & quæ in litteris apoſtolicis continentur, ſibique probari ac teſtari Pontifex jubet, vera eſſe oſtendant: id enim magni intereſſe ad decus ac dignitatem Eccleſiæ Spalatenſis; quippe & ratum jam habuerat Epiſcopatum Michæ, & conſecrationem epiſcopalem eidem impertiri juſſerat.

Epiſtola Cardinalis Creſcentii, qua Michā commendat Spalatenſibus.

Gregorius de Sancto Apoſtolo Dei gratia Sanctæ Mariæ in Porticu diaconus Cardinalis cariſſimis amicis ſuis, univerſo clero, & populo Spalatenſi ſalutem in eo, qui eſt vera ſalus. Univerſi-

verſitati ſit notum, quod nos Venerab. Fratrem noſtrum M. Farenſem Epiſcopum benigne recepimus, & in iis, quæ ſibi novimus expedire, quantum cum Deo potuimus, auxilium ei impendimus & favorem. Verum quia ipſius promotio honorem veſtrum videtur reſpicere ac profectum, univerſitatem veſtram exoramus attentius, conſulimus, & hortamur, ut obſtenſione juris ſui, ejus defenſionem efficaciter adjuvetis. Credimus enim, & ſperamus in Domino, quod ſi ea, quæ in litteris apoſtolicis continentur, ſufficienter probata fuerint; quod in dicto Epiſcopo fuit per Spalatenſem Eccleſiam conſtitutum, optatum finem, & debitum, auctore Domino, conſequetur.

Ad omnia, quæ fuerant quæſita, cum reſponſum eſſet, planeque Innocentio ſatisfactum; Pontifex Epiſcopatum Pharienſem Michæ delatum confirmavit, ſimulque eccleſiam illam metropoli Spalatenſi ſubjectam in perpetuum eſſe debere declaravit. Hæc breviter Thomas Archidiaconus: *Micha in Eccleſia Spalatenſi conſecrationem ſuſcepit, & pergens ad Apoſtolicæ Sedis Præſulem, confirmationis reſcriptum retinuit; & ut deinceps Epiſcopatus Pharienſis antiquæ metropoli Spalatenſi tamquam matri ſuæ jure perpetuo adhæreret.* Micha eccleſias illarum inſularum, ſimul cum Macarenſi ſibi commendata, annos circiter triginta gubernavit. Abhinc enim multis ſæculis Epiſcopi Macarenſes creari deſierant, ut dictum eſt in hiſtoria hujus eccleſiæ, cujus adminiſtratio cum antea Archiepiſcopo Spalatenſi demandari ſoleret, ex decreto Concilii provincialis Spalatenſis an. 1185. commiſſa eſt Epiſcopo Pharienſi & Brattienſi, eamque retinuit uſque ad ſæculum decimum quartum. In Epiſcopatu tam diuturno, tam longe ac late diffuſo quid rerum geſſerit Micha, quæ ſalubriter ſapienterque decreverit, memoriæ ac litteris proditum nuſquam invenio: præterquamquod cum Nicolaus conſecrandus eſſet Epiſcopus Scardonenſis, operam præbuit Micha Guncello Archiepiſcopo Spalatenſi cum Treguano Tragurienſi ad illum inaugurandum. Inſuper neceſſe fuit, ut ſcrupulum Guncello eximeret, quo verebatur, ne non ſatis eſſent duo Epiſcopi, quorum miniſterio ad novum Epiſcopum ſacris initiandum uteretur; ab eoque juſſus ſuam ſententiam ac teſtificationem ſcriptis conſignavit, ſimulque profeſſus eſt ſibi ipſi noxæ & fraudi fore, ſi quid in hujuſmodi re erroris eſſet aut piaculi. Teſtificatio ex tabulario Capit. Spalat. deſumptam, quam in Guncello retulimus, hic ſubjicere libet. *In nomine Domini æterni. Ego Michael Farenſis Epiſcopus & ſuffraganeus Eccleſiæ Spalat. vocatus per Dominum G. Archiepiſcopum meum ad conſecrationem Nicolai Scardonenſis electi, eidem Archiepiſcopo dubitanti de conſecratione dicti electi pro eo, quod non videbatur ei ſufficere præſentiam duorum Epiſcoporum, quorum ipſe erat tertius, perſuaſi, & conſului, & modis omnibus ſuggeſſi, ut ipſe tertius cum duobus in illius abſque dubio procederet conſecrationem; & ideo præſentem paginam in proprium duxi ſubſcribendam præjudicium.* Huic rebus humanis exempto ſucceſſor datus eſt anno 1230.

NICOLAUS II. EP. PHARIENSIS V.

Canonicus metropolis Spalatenſis, quem Guncellus Archiepiſcopus pontificia conſecratione initiavit, ut eſt apud Archidiaconum cap. XL. *In Epiſcopatu Pharenſi conſecravit Nicolaum, qui erat Canonicus Spalatenſis;* itemque apud Anonymum Autheis: *Guncellus natione Ungarus .... Iſte tempore ſuo conſecravit iſtos ſuffraganeos ... Nicolaum etiam, Canonicum noſtrum, Pharienſem.* Cum diſſidium illud, de quo dictum eſt in Guncello Archiepiſcopo, & acerbiſſima diſſenſio ferveret inter eumdem Guncellum & Thomam Archidiaconum, hujus, quam illius, partes ſequi ac tueri maluit Nicolaus, prout ſumma bonitas & æquitas cauſſæ poſtulabat; & cum Treguano Epiſcopo Tragurienſi, communibus litteris ac nunciis Gregorio Papæ IX. Thomam commendavit, eique præclarum innocentiæ, eximiæque virtutis teſtimonium tribuit, ut idem Archidiaconus ſcriptum reliquit cap. XXXII. *Tunc apparuit nuncius cum litteris venerabilium Epiſcoporum Treguani Tragurienſis, Nicolai Pharienſis, & aliorum duorum, quas Domino PP. mittebant in accuſationem Archiepiſcopi & excuſationem Archidiaconi.* Dum Nilaus duabus illis eccleſiis inſularibus Pharienſi & Brattienſi præſidebat, tum ipſi, tum utrique inſulæ graves erant & moleſti Pribislavus & Oſor filii Malduci archipiratæ, qui cum Almiſſanis navigationem oramque maritimam infeſtam reddebant, & Phariam & Brattiam in ſuam poteſtatem redegerant, eaſque acerbiſſimis exactionibus & crudeli dominatu premebant. His auxilio & ſaluti fuit Garganus Poteſtas, ſive rector Spalati, qui miſſis armatis navigiis inſulam utramque hoſtibus eripuit, & militibus validiſque præſidiis communivit; deinde Pribislavum & Oſorem victos & captos non antea liberos dimiſit, quam coegiſſet piraticos lembos tradere, obſides dare, & jurejurando adactos polliceri, ab ſe in poſterum neque Spalatenſibus, neque inſularibus illis, neque aliis nocitum iri, ſic prorſus ut ab omni latrocinio ſeu maritimo, ſeu terreſtri abſtinerent. Hæc Archidiaconus cap. XXXVI. Eccleſiam & urbem Pharienſem Bela IV. rex Hungariæ, potiſſimum rogatu Nicolai Epiſcopi, ampliſſimis privilegiis donavit anno 1242. Ille ſiquidem, Tartaris poſt regios exercitus cæſos, & Hungariam ac Slavoniam devaſtatas, a tergo ſequentibus, Tragurium profugerat. In extremo illo diſcrimine & calamitate Pharienſes opportunis ſubſidiis & auxiliis ſponte collatis regi præſto fuerunt; quorum erga ſe merita remunerari cupiens, dum adhuc Tragurii eſſet, poſt diſceſſum Tartarorum, quidquid ab ſe Nicolaus Epiſcopus & Zepregna Jupanus utriuſque inſulæ petierunt, id prolixe cumulateque præſtitit. Nam præter poteſtatem Epiſcopi eligendi inſularibus conceſſam aut confirmatam, penes ipſum Epiſcopum & Jupanum jus & arbitrium in perpetuum eſſe voluit eligendi Comitis, quemcumque vellent ex regno Hungariæ, qui utrique inſulæ præeſſet; vetuit quidquam exigi collectæ nomine ab inſularibus nobili genere natis; Pharienſes negotiatores in univerſo regno Hungariæ, eorumque merces ab omni portorio immunes eſſe juſſit; eos denique cujuslibet extranei magiſtratus poteſtati exemptos, uni ſupremo Hungariæ regi ſubjectos eſſe declaravit. Hæc & alia hujuſmodi privilegia in hoc, quod ſubjicio, regali diplomate continentur.

Eccleſia & inſula Pharien. & Brattien. piratica tyrannide armis Spalatenſium liberata.

Utramque Bela IV. ob ſubſidia ſibi collata ampliſſimis privilegiis donavit.

In nomine Sanctæ Trinitatis & individuæ Unitatis Bela D. gr. Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Lodomeriæque rex. Univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem

tem in vero Salvatore. Ex antiqua Patrum traditione didicit posteritas, ut ea, quæ per reges & principes statuuntur, scripturarum perpetuæ custodiæ commendentur, ne processu temporis, oblivione noverçante, a memoria elabantur; ut quæ sanata fuerant, dubietatis intrante scrupulo in irritum non valeant revocari; hinc est igitur, quod cum fideles nostri nobiles de insula Fariæ plurima nobis servitia fidelitatis opportuno tempore, emissis altius nostris obsequiis tam vigilanter & fideliter inhærentes, exhibuerunt, propter quæ nostræ magnitudinis celsitudo ad recompensationem premit fidelitati ipsorum solerter superintendens, volens tam ipsos, quam alios præmiorum digna retributione tam ad ipsius, quam coronæ servitia provocare, habita deliberatione, justis ipsorum, & specialiter Ven. Patris Nicolai Episcopi & Zepregnæ tunc temporis Jupani Faren. & Bracen. precibus inclinati, proinde statuit, ut cum secundum tempora ecclesia de Faria vacare contigerit, libere eligant electores, ad quos de jure spectat electio, de fidelibus ad regnum Hungariæ spectantibus, sibi Præsulem, qui eis præsit, verbo profícuum & exemplo; electus tamen regiæ majestati præsentetur, ut ab ipso jura episcopalia recipiat; concedimus etiam, ut Episcopus una cum Jupano, & cum NN. de genere Givich libera potiantur facultate eligendi, & assumendi sibi Comitem de Hungaria, & ad regnum Hungariæ pertinentem, quem sibi utiliorem esse conspexerint, dummodo regi, & coronæ fidelis etiam mandatis ipsius in omnibus obsequendo &c. Cetera vero pertinent ad decus atque utilitatem insulæ ac civitatis Phariæ.

Sed Bela idem haud multis post annis, quæ Pharienſibus concesserat, revocavit, cum videlicet Hugrino Archiepiscopo, quem Spalatensibus Comitem etiam & rectorem dederat, utriusque insulæ Phariæ ac Brattiæ dominatum attribuit. Porro Hugrinum anno 1247. Nicolaus Pharienſis Episcopus cum aliis tribus Episcopis consecravit. Pontificatum & vitam perduxit usque ad annum sextum & quinquagesimum hujus sæculi; quo quidem anno, in quodam actu juridico Rogerii Archiepiscopi Spalatensis, præsens ac testis nominatur *Dominus Nicolaus Pharensis Episcopus*.

DOBRONIA EP. PHARIENSIS VI.

Dobronia Ep. Pharien. Episcopum Tininiensem consecravit.

Quem anno circiter 1260. pontificia consecratione initiavit Rogerius Metropolita Spalatensis, ut docet Archidiaconus. Joannes V. Archiepiscopus Spalatensis anno 1267. cum Sibenicum, rogatu Columbani Episcopi Tragurienſis, accederet, ut solutam illius cleri disciplinam & corruptos mores ad veterem sobrietatem ac sanctimoniam revocaret; comitem atque adjutorem sibi adjunxit Dobroniam; & una cum Columbano aliisque præsentem esse voluit ac testem sententiæ, quam tulit adversus Archipresbyterum manifestæ incontinentiæ compertum, Abbates S. Nicolai & S. Mariæ violatores regulæ ac disciplinæ monasticæ, Presbyteros, diaconos, & subdiaconos sacrilegis nuptiis irretitos: *Actum in Sibenico in præsentia Venerabilium virorum D. Columbani D. gr. Episcopi Tragurienſis, & D. Dobronia Episcopi Farensis &c. A. D. MCCLXVII.* Anno 1272. cum Saraceno Episcopo Corbavienſi suam præsentiam & ministerium præbuit Joanni Metropolitæ ad consecrationem Nicolai electi Episcopi Tininiensis, atque huic manus imposuit, ut constat ex testificatione utriusque: *Nos Sarrachenus Dei gratia Episcop. Corbavien. & Dobrona per eamdem Episcopus Pharen. tenore præsentium significamus universis &c.* Anno circiter 1278. Pharienses & Brattienses, cum Almissensium piratarum incursionibus ac latrociniis expositi essent, Venetorum opem & clientelam imploraverunt. Itaque Dobroniam Episcopum legatum Venetias miserunt, qui utramque insulam, cum reliquis insulis diœceseos Pharienſis, Venetis in fidem ac potestatem traderet, ut docet Andreas Dandulus in Jacobo Contareno duce: *Episcopus Faræ & Brazzæ ab incolis illarum insularum syndicus constitutus Venetias accedens, Ducem, ut Dominum Dalmatiæ & Croatiæ recognovit, & insulas illas, quæ diu erraverant, sub ducali protectione posuit.* In margine codicis Ambrosiani hæc adscripta sunt: *Hoc eodem die primo Aprilis Indict. VI. captum, quod insula Faræ cum aliis insulis, quæ dependent ab Episcopatu Faræ, recipiatur cum conditionibus, & dictis per eorum Episcopum, & lectis in majori Consilio, salvo jure omnium personarum, & erant homines in Consilio CCLI. ex quibus fuerunt de non septem, non sinceri XXVIII. & CCXVI. de sic.*

Venetias a Pharienſib. & Brattienſ. legatus missus de utraque insula Venetis tradenda.

Hanc Venetam legationem si referre libeat ad successorem Dobroniæ, per me licet; neque enim habeo certum, quo anno Dobronia vivere desierit.

SIMON EP. PHARIENSIS VII.

Non aliunde mihi notus est, nisi ex tabulis cœnobii Benedictini Issensis S. Nicolai confectis anno 1281. In his continetur conventio quædam inter monachos & Dracdostam piam mulierem. Hæc siquidem quidquid bonorum habebat, Abbati & monachis possidendum ac fruendum, ac se, suumque famulatum in perpetuum tradidit sub ea conditione, ut ab illis omnia, quæ ad victum ac vestitum necessaria sunt, sibi suppeditarentur. *In Christi nomine amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo, ducentesimo, octuagesimo primo, die lunæ, 15. intrante mens. Decemb. nonæ Indictionis. Temporibus egregii viri Domini Joannis Dandoli D. gr. incliti Ducis Venet. Venerab. Patris Domini Simonis D. g. Farensis Episcopi, & nobilium virorum Dominorum Marci Dulfini Faræ & Brachiæ Potestatis, ac Henrici Zantani ejus consiliarii, nec non Joannis & Guidosii Farensium judicum. Justitiæ ratio postulat, & requirit, ut laudabile desiderium votivus prosequatur effectus; & quod bona voluntate suscipitur, dignis ordinationibus compleatur. Ideoque ad summam memoriam, & rei gestæ firmitatem, hoc præsens conficitur instrumentum; qualiter consensu & voluntate totius Communitatis Farensis Dracdosta filia quondam Drajectæ voluntarie obtulit se servire cum omnibus suis mobilibus & immobilibus toto tempore vitæ suæ, videlicet cum quadam pectia terræ, quæ est in loco, quæ dicitur piscopatt, monasterio S. Nicolai de Lissa, quam pectiam terræ idem monasterium a præsenti die in antea habeat, teneat, possideat in perpetuum; in ea, & ex ea quodcumque sibi placuerit faciat &c.*

DUL-

DUIMUS EP. PHARIENSIS VIII.

Hujus itidem memoriam ac nomen nobis ſervarunt tabulæ cœnobii S. Silveſtri in inſula Buſi ad cujus ditionem pertinebat cœnobium, ſeu domicilium Iſſenſe S. Nicolai. Tota inſula Buſi cum omnibus cujuſque generis fructibus ex ea provenientibus, & jus etiam, quod vocant privativum, venandi accipitres, ſive falcones, quorum in primis ferax erat, antiqua poſſeſſione diplomate pontificio confirmata, ad cœnobium illud pertinebat. Aliquas ex illis avibus illinc per venationem furtim abreptas emerant Pharienſes: qua de re queſtus cum eſſet Probanus Abbas S. Silveſtri apud prætorem & magiſtratus Phariæ, de ſententia totius Conſilii decretum eſt, ut *Falcones inde accepti per illos, qui emerunt a Communi Pharæ ad incantum, reſtituantur eidem Domino Abbati; nec deinceps aliquibus poſſeſſionibus dictæ inſulæ Buſi moleſtari debeat a Communi Pharæ, nec ab aliqua perſona &c.* Initium Pharienſis ſententiæ libet hic apponere: *In nomine Chriſti amen. Anno nativitatis ejuſdem* 1289. *Indict. ſecunda, die lunæ, menſis Martii, tempore Illuſtriſſimi Domini Joannis Danduli Dei gratia Ducis Venetiarum, Venerabilis Patris noſtri Duimi Dei gratia Epiſcopi Pharen. & viri nob. Bertuzzi Dauro Poteſtatis Pharæ, & Brachiæ, ſuorum judicum Bogdano Mixe Petri, & Deſilao Mixe, in Conſilio majori Pharæ ad ſonum campanæ in logia Conſilii more ſolito congregati, ibidem comparuit Dominus Probanus Dei gr. Abbas monaſterii S. Silveſtri de Buſi &c.*

Duimus Ep. duas inſulas Corcyram & Melitam ab diœceſi Pharienſi avulſas amiſit.

Sæculo decimo quarto ineunte Eccleſia Pharienſis inſulam proximam Corcyram Melænam, itemque Melitam inſulam amiſit. Utramque Veneti ſub imperium redactam patriciæ Georgiorum familiæ fiduciariam dederant, & tunc utrique præſidebat *Marinus Georgius Comes Corzulæ & Melitæ*. Quemadmodum paullo ante Sibenicenſes, ſic horum exemplo Corcyrenſes Epiſcopum proprium a Bonifacio VIII. impetrarunt; & primus Epiſcopus fuit Frater Joannes de Groſſio ex ordine S. Dominici, qui Stagnenſem Epiſcopatum, quem antea obtinebat, cum Corcyrenſi conjunxit. Sane Duimus, pro eo ac debuit, moleſte tulit ab ſua diœceſi duas nobiles inſulas divelli; ſed poſtulationi Corcyrenſium, & auctoritati pontificiæ reſiſtere non potuit. Paucis poſt annis Petrus IX. Metropolita Spalatenſis, cum reſtituiſſet Epiſcopatum Macarenſem, Crainam, ſive oram litoralem Dalmatiæ, adminiſtationi Epiſcopi Pharienſis exemit. Ita hujus juriſdictio contracta eſt, & trium inſularum Phariæ, Brattiæ, Iſſæ finibus circumſcripta; hiſque quaſi quædam appendiculæ adjunctæ erant Trucula & Buſi, cum aliquot ſcopulis, admodum exiguæ, & anguſto freto, altera a Pharia, altera ab Iſſa diremptæ.

Obiit an. 1304.

Duimus huic eccleſiæ præfuit uſque ad annum fere quartum ſæculi ſequentis. Poſt ejus obitum Pharienſes anno 1304. 3. Id. Octobris in Epiſcopum elegerunt Lampridium Vicarium civem Tragurienſem, & primicerium Eccleſiæ Tragurienſis; quem Petrus IX. Archiepiſcopus Spalatenſis neque conſecrare, neque approbare voluit, eam ob cauſſam fortaſſe, quod electionem, vel perſonam illius aliquo vitio canonico affectam eſſe cenſeret. Lampridius a Petro

Lampridius a Pharienſibus, Laurentius a Petro Metropolita, electi Epiſcopi rejiciuntur a Card. Gentili legato Apoſtolico.

repulſus, Avenionem confugit ad Clementem V. ut ab eo Sacerdotii ſibi collati approbationem impetraret. Unus, itemque alter annus effluxit, antequam aditum habere poſſet ad Pontificem, qui plurimis inter initia pontificatus, graviſſimiſque negotiis diſtinebatur. Interea Pharienſes in ſua voluntate ac ſententia perſtabant, neque ullo modo adduci poterant, ut quæ Lampridio dederant, ſuffragia revocarent, atque in alterum conferrent. Itaque Petrus, ut Eccleſiæ Pharienſis diuturnæ orbitati conſuleret, quæ paſtore deſtituta plurimum detrimenti jam ceperat, anno 1307. Nonis Februarii Epiſcopum Pharienſibus dedit Laurentium Canonicum Strigonienſem & Spalatenſem, ſuumque Vicarium generalem; quem Pharienſes neque agnoſcere, neque admittere voluerunt. Anno 1308. cum Fr. Gentilis Cardinalis legatione apoſtolica in Hungaria & Dalmatia fungeretur, Lampridius & Laurentius competitores ejuſdem Epiſcopatus, alter Tragurienſium & Pharienſium, alter Petri Archiepiſcopi favore & commendatione ſuffulti, arbitrum ſumpſere ipſum legatum pontificium, ſeque illius ſententiæ ſtaturos compromiſerunt. Hic vero, diligenti inquiſitione adhibita, electionem utriuſque vitioſam fuiſſe comperit; eamque Kalendis Septembris, Seniæ cum eſſet, reſcidit, atque irritam eſſe declaravit, ſibi & Sedi Apoſtolicæ poteſtate reſervata Epiſcopi Pharienſis nominandi. Hæc paullo fuſius & accuratius in Petro IX. Archiepiſcopo Spalatenſi. Itaque a Gentili legato pontificio nominatus eſt an. 1308.

GABRIEL EP. PHARIENSIS IX.

Controverſia de juribus & bonis Eccl. inter Epiſcopum & Venetos, Venetiis compoſita.

Ex aliqua religioſa familia vel Franciſcana vel Dominicana aſſumptum eſſe docet titulus *Fratris* ejus nomini præpoſitus. Huic aliqua controverſia fuit cum Communi Venetorum, & Pharienſium, per quos de jure epiſcopali & bonis eccleſiæ aliquid detractum fuiſſe querebatur, quod compenſatione indigebat. Quæ quidem controverſia qua Venetos attingebat, ita compoſita fuit, ut declarant tabulæ compoſitionis hic ſubjectæ, ſed aliquibus lacunis interciſæ.

MCCCXI. XX. Octobris Indictione X. Rivoalti, in camera Cameariorum communitatis Venetiarum. Reverendus P. O. Frater Chabriel Dei gr. Farenſis & Brazenſis Epiſcopus pro univerſis quæſtionibus quocumque modo habitis, exortis, vel quæ exoriri potuiſſent, vel poſſent pro ſe, ſeu ſuo Epiſcopatu, & alibi, propter quas ipſe poſſet aliquid petere Communi Venetorum aut alterius perſonarum incolarum de Ducatu Veneto quocumque modo, quacumque occaſione, vel cauſa, idem Dominus Epiſcopus ad tale pactum & concordium cum Illuſtri Domino Marino Georgio Duce Venetiarum nomine ſuo, & communitatis, ac totius Ducatus Venetiarum, ac omnium ſuorum ſubditorum devenit. Nam idem Dux ob reverentiam Beatiſſimæ Matris Dei, & objectu Venerabilis Patris Domini Gentilis tituli S. Martini in montibus Presbyteri Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis legati, pro omni damno, injuria, & intereſſe dicti Domini Epiſcopi & ſui Epiſcopatus, quæ quomodolibet habeat petere eidem Domino Duci, & communitati Venetiarum, ſeu ſingularibus perſonis ejuſdem communitatis, donari fecit eidem Domino Epiſcopo pro ſe & Epiſcopatu ſuo Z X. . . . . Venetorum groſſorum, præſente me Notario & Cancellario infraſcripto per NN. VV. Andream . . . . . & Nicolaum Teupolo,

polo, & Petrum Belegno de Ducali mandato Camerario dictæ communitatis Venetiarum ; quas Z X. habuit, & tradidit, & cœpit &c. faciens remissionem &c.

Insuper idem Dominus Episcopus per se, & suos successores, & pro Episcopatu suo confessus fuit, se dictam pecuniam recepisse pro omni injuria, offensione, damnis, interesse, illatis sibi, & Episcopatui suo, & familiæ suæ a quibuscumque Venetis . . . . . quam privata persona ; de quibus omnibus remissionem, & perdonatum fecit . . , & Venetis supradictis &c.

Reservat tamen sibi de expresso consensu D. Ducis tam omne jus suum, & Episcopatus sui, in domibus & horto Episcopatus ipsius &c. Sanctæ Mariæ de Farra, quod omne jus sibi & successoribus suis competens, & competiturum in rebus & possessionibus, quas dicit esse occupatas a communitate Farræ, & a specialibus personis præfatæ communitatis Farensis, & quod possit petere ipsam domum, & hortum sibi restitui ; & pro possessione prædictorum sibi debita temporibus retroactis, nihil possit petere contra Commune & homines de Venetiis, sed possit agere contra Commune & homines Farræ jus suum, ut sibi placuerit experiri : promittens supradicta rata habere pro se, & Episcopatu, & successoribus suis, sub obligatione bonorum suorum, & Episcopatus, præsentibus religioso viro Fratre Ugolino de Monte Flore ordinis Minorum socio Domini Episcopi & præfatis Camerariis & magistro Raimundo Scriba dicti officii Camerariorum.

Anno proximo adhuc Gabriel vivebat, ut docent tabulæ cœnobii Isensis: 1312. *Duce Venetiarum Marino Zorzi, Episcopo Gabriele, Andrea Zeno Comite, & Stephano Abbate &c.* Hoc vel sequenti anno diem obiit supremum.

GREGORIUS EP. PHARIENSIS X.

Gregorius de Madiis Ep. delegationem Tragurien-sem ab Joanne XXII. accepit.

De quo Micha Madius in historia *de gestis Roman. Imper. & Summ. Pontificum: Eodem tempore* (ideſt anno circiter 1313. quem paullo ante designavit) *mens. Octob. Gregorius de Madiis civis Spalaten. & Canonicus Spaleti in Episcopum Pharensem consecratur*. Erat igitur patria Spalatensis, ex familia de Madiis, Canonicus ædis metropolitanæ, & frater fortassis, vel certe consanguineus Michæ, sive Michaelis Madii Scriptoris historiæ modo laudatæ. Ad Gregorium pertinet epistola Joannis Papæ XXII. inscripta *Vener. Fratri Episcopo Phariensi, & Plebano ecclesiæ S. Petri novi Jadrensis*. Data est Avenione XIII. Kal. Septembris an. 1317. Tragurienses monasterium suburbanum S. Francisci diruerant, ne Mladinus Banus Chrobatiæ & Bosinæ, qui cum copiis maritimis ac terrestribus adventare dicebatur, eo loco in suam potestatem redacto, ad urbem oppugnandam uteretur. Fratribus autem Franciscanis in civitatem receptis donaverant cœnobium urbanum Benedictinum S. Joannis, ex quo Abbas & monachi sponte decesserant, aliumque in locum migraverant. Hanc donationem ut pontificio diplomate confirmaret, Joannem Papam rogavit F. Michael minister generalis Fratrum ordinis Minorum. Pontifex vero ne quid inconsulte ac temere ageret aut decerneret, imperavit Gregorio Episcopo Pharienſi, & Stephano præposito ecclesiæ S. Petri Jadrensis, ut Tragurium profecti, vel uterque vel alteruter in rem præsentem venirent, atque an ita esset, ut sibi expositum fuerat, diligenter inquirerent, sibique rescriberent. Hæc est sententia epistolæ pontificiæ, quam historiæ Tragurienſis Ecclesiæ reservamus. Anno 1320. Dragosius coram Gregorio Episcopo se, suumque ministerium cœnobio S. Nicolai Isensis in perpetuum addixit. Stantius Abbas illud inter fratres laicos rei domesticæ curatores recepit, eique, quoad viveret, ab se non defuturum promisit victum, ac vestitum necessarium. *In Christi nomine amen. Currente anno nativitatis ejusdem millesimo, trecentesimo vigesimo, Indict. tertia, die vigesimo quinto intrante Februario. Actum Faræ in domo infrascripti Domini Episcopi, coram Domino Episcopo & præsentibus testibus Domino Stoisa Archipresbytero Brazze, Slavogosto Bogdani de Fara, Ser Marino Magri Thomasini de Spalato, & aliis compluribus. Temporibus Illustris D. Joannis Superantio Ducis Venetiarum, ac Venerab. Patris Domini Gregorii Episcopi, & nobilis viri Thomæ Barbadico Potestate Faræ & Brazzæ, suorumque judicum Jaxæ Mixæ, Sloviginæ Balseæ, & Georgii Desisolavi. Ibique Dragosius quondam Matthæi Lobadis de Lixa, obligavit se Rev. viro Dom. Stantio Abbati monasterii S. Nicolai de Lixa recipienti, & stipulanti, vice & nomine dicti monasterii, perseveranter & continue stare & habitare in dicto monasterio, ut faciunt alii conversi supradicti monasterii, in vita sua ; & ipsi monasterio facere omnia servitia bona fide, quæ decenter secundum suam possibilitatem fieri poterunt per ipsum, & omnes res & bona dicti monasterii, ac etiam fructus ipsius monasterii pro suo posse salvare ; & de ipsis rebus furtum non facere, nec volenti facere consentire ; imo si quem sciverit damnificantem, vel damnificare volentem idem monasterium, & ipsius bona, suo posse resistere, & ipsi Domino Abbati, vel fratribus, quam citius poterit, notificabit & dicet. Si vero ex culpa sua contra faceret, consensit, approbavit, & voluit, quod omnia sua bona libere, sine sui, vel alterius personæ contradictione, sint & esse debeant dicti monasterii perpetuo. Quapropter dictus Dominus Abbas cum voluntate & consensu suorum fratrum, sive monachorum ibidem existentium, recepit ipsum Dragosium in conversum, & perpetuum habitatorem dicti monasterii, promittens eidem per se, & suos successores, in vita ipsius benefaciendo in ipso monasterio pro suo posse convenienter & decenter, dare eidem victum & vestitum in vita sua, nec ipsum ab ipso monasterio expellere sine legitima, & rationabili, & justa causa. Quæ omnia & singula suprascripta promiserunt dictus Dom. Abbas, & Dom. Dragoslavus firma & rata habere, & tenere, observare & adimplere, & non contrafacere vel contravenire aliqua ratione vel causa.*

Tabulæ conventionis inter Stantium Abbatem S. Nicolai Isensis, & Dragosium.

Ego Joannes Andriani de Mutina imperiali auctoritate Notarius, & nunc supradicti Domini Pot. prædictis interfui, & rogatus a suprascripto Abbate de voluntate suprascripti Dragosii scripsi, & meo signo solito & nomine roboravi.

Usum pontificalium insignium concessit Stantio Abb. S Nicolai Isensis.

Gregorius eodem anno ex auctoritate sibi ab Archiepiscopo Spalatensi tradita potestatem utendi pontificalibus insignibus, tiara videlicet ac lituo pastorali, inter sollemnia rerum divinarum ministeria, concessit Stantio Abbati Benedictino cœnobii Isensis: *Nos Gregorius Dei gr. Pharen. & Brachien. Episcopus universis & singulis præsentes litteras inspecturis salutem, & sinceram in Domino charitatem. Universitati vestræ volumus esse notum, quod cum Reverendus*

con-

confrater Polus Abbas monaſterii S. Nicolai de Lixa Pharenſis diœceſis portabat, & portare conſueverat pontificalem infulam ſeu mitriam, & baculum paſtoralem, cum ſollemniter ſacris veſtibus indutus divina miniſteria, ſive veſpertinum officium incipere & peragere voluit; ideoque metropolica auctoritate, qua fungimur, (delegata) & omni jure & modo, quibus melius poſſumus, damus, tradimus, & concedimus poteſtatem & liberam auctoritatem Reverendo viro Fratri Stantio Abbati monaſterii S. Nicolai de Lixa, ceteriſque aliis, & ſingulis Abbatibus, poſt hunc prædictum canonice in dicto monaſterio in antea ſuccedentibus, poſſe libere uti pontificali infula ſive mitria, & baculo paſtorali, cum ſollemniter ſacris infulis indutus, ipſaſque portare & deferre, & divina miniſteria, ſive veſpertinum officium incipere & peragere ad omnem eorum, & cujuslibet eorum libitum voluntatis; & hoc de voluntate & conſenſu, & de auctoritate Ven. Pat. Dom. Fratris Petri Dei & apoſtolica gratia Archiepiſcopi Spalatenſis, præſentibus Reverendis viris fratribus Nicolao Abbate mon. S. Stephani de Spalato, Matthæo Abbate monaſt. S. Mariæ de Solta, & aliis quam pluribus teſtibus; & ad majorem cautelam præſentes litteras noſtri ſigilli proprii (robore) *fecimus communiri. Dat. Spalati menſe Madii ſub milleſimo trecenteſimo vigeſimo, Indictione quarta.* Biennio poſt Gregorius e vita migravit.

STEPHANUS EP. PHARIENSIS XI.

Tres competitores Epiſcopatus Pharienſis.

Tres eodem tempore petebant Epiſcopatum Pharienſem, & ſuos quiſque fautores, ac patronos habebant; Stephanus primicerius Eccleſiæ Spalatenſis, Stephanus de Sloradis præpoſitus Eccleſiæ Jadrenſis S. Matthæi, & Lucas Abbas monaſterii SS. Coſmæ & Damiani. Habita ſunt comitia in magna ſtudiorum ac voluntatum diſſenſione. Itaque ſuffragiis tripartito diviſis, tres ejuſdem eccleſiæ Epiſcopi haberi ſe ac dici volebant. Sed Petrus IX. Metropolita Spalatenſis Stephani primicerii ratam habuit & confirmavit, alterius Stephani & Lucæ Abbatis electionem irritam fecit, & reprobavit. Ille itaque habitus eſt, appellatuſque legitimus Epiſcopus Phariæ & Brattiæ, ut docent tabulæ cœnobii Iſſenſis, in quibus ex ſententia Angeli Bembo Comitis, ſeu prætoris, portio quædam terrarum Iſſæ inſulæ prope ab eccleſia S. Michaelis Stantio Abbati & ejus monachis attributa fuit. *In Dei nomine amen. Anno Domini milleſimo, trecenteſimo, vigeſimo tertio, Indict. ſexta. Temporibus Illuſtris viri Joannis Superantio Ducis Venetiarum, ac Venerab. Patris Domini Stephani de Jadra electi & confirmati Pharen. & Brachien. & nob. & ſapientis viri Dom. Angeli Bembo honorandi Poteſtatis Pharæ & Brachiæ, ſuorumque judicum Jaxæ Cleſſæ, Vidoſii Lompn, & Vitalis Bogdano, die 22. menſ. Junii; cum reformatum, & deliberatum fuit in gener. Conſilio Communis Pharæ ad ſonum campanæ, vocemque præconis ex præcepto Domini Poteſtatis, & judicum inſulæ habitatorum, more ſolito congregato, quod infraſcripti ſapientes ire debeant ad inſulam Liſſæ ad videndum terrena, quæ petit Dominus Stantius Abbas monaſterii; dicti ſapientes infraſcripti . . . . . nomine dare & conſignare debeant auctoritate prædicti Conſilii, prout patet in libro Reformatorum Communis ſcripto manu mei infraſcripti Notarii; qui ſapientes videlicet Theodorus Petri, Dobroslavus Andreæ, Prodanus Balzæ, Slovigna Balzæ, Nicola Bogdani, Jaxa Duimi &c. & baylia eis data per Conſilium gen. ſtantes ad jam dictum citatorium, viſis & auditis teſtificationibus per dictum Dominum Abbatem introductis, per ea, quæ viderunt & audierunt, habito diligenti conſilio & deliberatione inter eos, Dei nomine invocato, definitive dederunt, tradiderunt, & conſignaverunt Domino Abbati Stantio, Fratribus Rodovano Priori, Rhodano, Georgio... & Obrado nomine & vice dicti monaſterii, per ſe & dictum monaſterium & ſucceſſores, ſtipulantibus & recipientibus, totum territorium, quod laborari poteſt, & vallaria ſubtus eccleſiam S. Michaelis, incipiendo a Mazaria Colnich, & a lapide ſignato, de ſigno crucis inſtructo . . . verſus eccleſiam S. Michaelis ab una parte, & ab altera . . . ita taliter totum territorium, quod monachi dicti monaſterii laborare poterunt, vel laborare facere in dicta vallaria, ſit, & eſſe debeat dicti monaſterii, & ſuorum ſucceſſorum perpetualiter abſque contradictione alicujus perſonæ.*

Tabulæ quædam cœnobii Iſſenſis S. Nicolai.

Ego Angelus Bembo Poteſtas Pharæ & Brachiæ.

L. ✠ S. Ego Superantius Ravalduci de M. auctor. Imper. Notarius, & nunc Pharen. Cancellarius his omnibus interfui, & rogatus ſcribere feci & publicari.

Controverſia inter Stephanum & Lucam electos Avenionem ad Sedem Apoſtolicam delata eſt.

Sed Stephano ſedis Pharienſis poſſeſſori quieto & pacato eſſe non licuit. Nam Lucas cum jus obtinendi hujus Epiſcopatus per electionem acquiſitum ab ſe ſtare contenderet, Tragurium adiit, & a Lampridio illius urbis Epiſcopo conſecratus eſt; atque hoc ipſum illi fraudi fuit, quod conſecrationem epiſcopalem unde minime oportuerat, petierit, & ſuſceperit. Res Avenionem delata eſt ad Joannem XXII. qui totius cauſſæ cognitionem viris ſapientibus, juriſque canonici peritis delegandam putavit, ut docent Tabulæ Avenionenſes: *Commiſſio cauſæ vertentis inter Stephanum olim primicerium Eccleſiæ Spalaten. nunc Epiſcopum Pharen. Eccleſiæ, per obitum Gregorii vacantis, cujus electio in diſcordia celebrata fuit per Petrum Epiſcopum Spalaten. loci metropolitam confirmata, rejecta prius & caſſata electione facta favore Stephani de Sloradis plebani plebis S. Matthæi Jadrenſis, ex una; & fratrem Lucam Abbatem monaſterii SS. Coſmæ & Damiani ordinis S. Benedicti Jadrenſis diœceſis, falſo prætendentem, ſe in Epiſcopum Pharen. fuiſſe electum, confirmatum, & etiam conſecratum per Lampridium Tragurien. Epiſcopum, ad quem id facere nec de conſuetudine nec de jure potuerat pertinere, partibus ex altera &c. Dat. Aven. 8. Kalend. Julii, Anno Joannis Papæ IX.* ideſt 1325.

Stephano excommunicato & depulſo, Lucas Abbas habitus Epiſcopus.

Stephanus ſive quod citatus ad cauſſam dicendam adeſſe noluerit, ſive quod aliud quodpiam crimen admiſerit, animadverſione canonica dignum, anathematis pœnam ſubiit, eique publice ac nominatim ſacris omnibus interdictum eſt. Exinde Lucas habitus eſt pro legitimo Epiſcopo; ejus quippe nomen anno 1326. Tabulis cœnobii Iſſenſis adſcriptum invenio: *1326. Duce Joanne Superantio, & Epiſcopo Luca.* Iterum ad Sedem Apoſtolicam provocatum eſt, ut colligitur ex tabulis ſupra laudatis: *Commiſſio cauſſæ vertentis inter Lucam Epiſcopum Pharenſem & Abbatem monaſterii S. Damiani ord. S. Benedicti ex una parte, & Stephanum primicerium Spalaten. excommunicatum, & publice*

blice denunciatum , & in Episcopum Pharensem una cum Stephano de Sloradis plebano plebis S. Matthæi Jadrensis in discordia electum , partibus ex altera , super manutentione in possessionem Ecclesiæ Pharensis . Dat. Avenione 2. Non. Decemb. anno Joannis Papæ X. ideſt 1326. Hæc contentio tres ipsos annos tenuit , & sub judice fuit . Demum anno 1329. inter tres illos competitores ita convenit, ut suo quisque jure decederet , ac Phariensis Episcopi nominandi arbitrium rejiceretur ad Sedem Apostolicam , quæ utroque Stephano posthabito , ecclesiam illam Lucæ decrevit, ut scriptum est in iisdem tabulis Avenionensibus. *Promotio Lucæ Abbatis monasterii SS. Cosmæ & Damiani de monte ordinis S. Benedicti Jadren. diœcesis ad Episcopatum Pharensem per obitum Gregorii , & cessiones ab ipso Luca , & aliis in discordia electis apud Sedem Apostolicam factas vacantem . Dat. Aven. X. Kalend. Octobr. Joannis Papæ anno XIII.* ideſt an. Christi 1329.

LUCAS EP. PHARIENSIS XII.

Nominatur in titulo codicis Statutorum Phariensium confecti an. 1331. *Hic est liber statutorum Communitatis Pharæ , compositus & conditus in millesimo trecentesimo trigesimo primo , Indictione decima quarta , die vigesimo secundo Novembris . Temporibus Illustris & magnifici DD. Francisci Dandulo tunc Ducis Venetiarum , & Venerab. D. Fratris Lucæ Dei & Apostolicæ Sedis gratia Pharensis & Brachiensis Episcopi &c.*

Ad Lucam monachi S. Nicolai potestatem detulerunt nominandi Abbatis.

Cum Radosius Abbas cœnobii S. Nicolai Issensis a præfectura illa monastica legitime amotus fuisset, jus potestatemque novi Abbatis eligendi ad Lucam Episcopum de communi consilio monachi detulerunt . *In Christi nomine amen. Anno Domini millesimo tercentesimo trigesimo septimo Ind. quinta , tempore SS. Patris Benedicti Papæ XII. die 9. mensis Maji . Vacante mon. S. Nicolai de Lissa diœc. Faren. pro quadam legitima depositione Fratris Radosii Abb. ipsius monasterii , juste & canonice celebrata , fratres & monachi ipsius monast. in prædicto monasterio congregati , præsentibus ibidem omnibus , qui voluerunt , & debuerunt vocari , iterum ad electionem Abbatis in eodem monast. celebrandam inter se ; unanimiter , & concorditer deliberaverunt de suo Abbate in forma compromissi eidem monast. providere , & confidentes tandem de virtutum meritis . . . . Venerab. in Christo Patris Lucæ . . . . divina favente misericordia Episcopi dioceſani sui , sperantes quod solam devotionem , & quietem , & statum ipsius monasterii habentes præ oculis , prout firmiter credunt & tenent , idem monasterium reformaretur , & . . . omnibus debitum incrementum , unanimi concordia , & nemine discrepante , in ipsum transtulerunt , & dederunt auctoritatem plenariam & liberam potestatem eligendi suum Abbatem , quem ipse duxerit eligendum in monasterio supradicto , tali vero pacto & conditione , quod eligi debeat pro Abb. dicti monasterii , qui sit perfectus in ordine S. Benedicti , & in prælatione ; & ille , quem elegerit , debeat esse in Fara infra dies* XI. *a die electionis per ipsos fratres dicti mon. S. Nicolai . . . . . alioquin jus eligendi Abbatem devenire debeat in ipsos fratres dicti mon. S. Nicolai , promittentes ex ista sententia perpetuis temporibus firmam & ratam ex nunc habere & tenere electionem hujusmodi celebrandam . Actum & firmatum in ecclesia præfati mon. S. Nicolai in præsentia mei Notarii infrascripti , & testium subscriptorum , videlicet Dom. Johannis Primicerii Faren. & D. Johannis Mitelli Can. Faren. &c.*

Cum Dominicus Luccarus Metropolita Spalaten. regalia diplomata , quæ ad suam pertinebant eccleſiam , ex antiquis codicibus deſcribenda , & in unum volumen colligenda curaſſet; apographa cum autographis diligenter collata , tum suo & aliorum , tum *Venerabilis in Christo Patris F. Lucæ D. g. Episcopi Farensis* teſtimonio ac præſentia confirmari voluit.

JOANNES EP. PHARIENSIS XIII.

Hanc eccleſiam regebat anno 1341. ut eſt in tabulis cœnobii Iſſenſis S. Nicolai: 1341. *Bartholomæo Gradonico Duce Ven. Episcopo Joanne , & Joanne Abbate* , per ſententiam arbitrariam adjudicata eſt *monaſterio S. Nicolai terra quædam &c.* Interfuit anno 1344. Concilio provinciali , quod Dominicus Luccarus metropolita Spalatum convocavit , ut docent acta ejuſdem Concilii in eodem Luccaro deſcripta.

STEPHANUS II. EP. PHARIENSIS XIV.

Patria Tragurienſis ex familia Ciga patricia. Dum hujus eccleſiæ gubernacula tenebat anno circiter 1350. ſuſcepta, Ludovicus rex Hungariæ Phariam & Brattiam cum Dalmatia univerſa Venetis ademit. Anno ſiquidem 1358. ineunte Brattienſes in poteſtatem Ludovici ultro venerunt, id quod tradit Chronologus Venetus apud Lucium lib. IV. cap. 17. de regno Dal. & Croat. docetque præterea Phariam inſulam ab Almiſſanis , Spalatenſibus , Tragurienſibus , qui anno ſuperiori itidem ad regem defecerant , direptam & incenſam fuiſſe , Nicolao Cornelio Prætore in arcem confugere coacto. *Anno* 1357. (more Veneto) *menſ. Januarii Bracchienſes deficiunt a dominio ducali ; quo tempore Almiſſani , Spalatenſes , Tragurini cum navibus ſuis incenderunt Pharum , ibi Poteſtate exiſtente Nicolao Cornelio , qui ſe reduxit in arcem , & ibi ſervatus eſt .* Tunc aberat ab inſula Stephanus Epiſcopus , & Tragurii apud ſuos morabatur; ſed quod abſens effugerat, idem , quin multo gravius periculum in patria invenit ; & parum abfuit , quin flagitioſiſſimi ſicarii gladio confoſſus interierit. Intra finem anni 1357. ſeditio popularis contra patricios Tragurii concitata eſt, auctore potiſſimum Jacobo Archidiacono , primoſque impetus excepit domus patricia Cigarum , qua cum idem Archidiaconus inimicitias gerebat . Hanc ſeditioſi homines adorti expilarunt ; & cum inibi Stephanum Epiſcopum domi ſuæ quietum , ac nihil tale metuentem reperiſſent , Stephanus Braſize homo veſanus & furioſus , inſtigante Archidiacono , in Epiſcopum ſtricto mucrone invaſit , & multis vulneribus inflictis , ſemianimem reliquit . Hæc ex actis judicialibus contra ſeditioſos confectis , in quibus dicitur , *quod Stephanus percuſſit manu propria D. Epiſcopum Pharenſem pluribus percuſſionibus de præcepto ſibi facto per Archidiaconum Tragur. videri autem judicibus quod quia vilis perſona eſt , & malæ opinionis & famæ , pauca habens in bonis , pœna corporalis ei ſit inferenda , videlicet , quod manus illa , cum qua percuſſit præd. Dom. Epiſcopum , ei a brachio amputetur , &*

Ludovicus rex Hung. Phariam cum tota Dalmatia Venetis ademit.

Stephanus Ep. Tragurii domi ſuæ graviter vulneratus.

quod

quod perpetuo ſit bannitus de civit. & diſtrictu Trag. Eadem planius & diſtinctius in ſententia, quam in Archidiaconum tulit Bartholomæus Epiſcopus Tragurienſis: *Nam nocte S. Nicolai de menſe Decembris an.* 1357. *inſurgens populus civ. Tragur. Diabolo ſuggerente ad arma, idem Archidiaconus cum conſanguineis ſuis armatus, in platea publica hortatus domos plurium nobilium ſpoliari, mandavit Stephano Braſize conſobrino ſuo, cum quibuſdam aliis attinentibus complicibus ſuis, invadere domum, in qua habitat Rev. Pat. D. Stephanus Epiſcopus Faren. & eam bonis omnibus exſpoliari; ipſumque D. Epiſcopum, omni Dei timore poſtpoſito, omnique S. R. E. & pontificalis ordinis reverentia prætermiſſa, ferro multis vulneribus percuti in capite, & in membris; & ipſum Epiſcopum credentes extinguere abierunt, ſemivivo relicto; in cujus curatione vulnerum, 24. de craneo capitis per chirurgos oſſa fuere diſtracta, & in publico demonſtrata; propter quod ſcelus nepharium, & ſacrilegium ſceleratum, idem Stephanus percuſſor Epiſcopi prædicti captus &c.*

Ac Stephanus quidem diligenti ac diuturna curatione adhibita convaluit, & pontificatum ac vitam perduxit uſque ad octogeſimum quartum hujus ſæculi annum. Vincentius Maria Fontana in ſacro Theatro Dominicano his temporibus innexuit Epiſcopatum Leſinenſem (ideſt Pharienſem) P. Bartholomæi de Benevento ex ordine Prædicatorum: *Leſinenſis epiſcopalis ſedes in Sclavonia Antibar. metropolitanæ ſuffraganea, cui duos ex noſtris præfuiſſe comperimus. P. F. Bartholomæus de Benevento Leſinenſis Eccleſiæ demandatam ab Apoſtolica Sede ſibi curam pluribus annis geſſit, ex qua poſtmodum Idibus Maji ab Urbano V. an. ſui Pontific. 5. qui fuit humanæ ſalutis* 1367. *ad Turtibulenſem translatus eſt &c. P. F. Thomas de Venetiis Leſinenſem epiſcopalem Eccleſiam regendam obtinuit a Martino &c.* Hic poſterior retinendus eſt inter Epiſcopos Pharienſes, de quo ſuo loco ac tempore; prior autem ille omnino expungendus. Errandi cauſſam præbuit ſimilitudo vocabuli; ex qua factum eſt, ut Fontana Bartholomæum de Benevento ex Liſſenſi Leſinenſem Epiſcopum fecerit. Liſſus ſive Aliſſus eſt civitas epiſcopalis apud Drilonem fluvium in Epiro nova ſub Metropolita Dyrrhachienſi. Quare Epiſcopatus Bartholomæi neque in Slavonia fuit, neque metropoli Antibarenſi ſubjectus; in hoc etiam erravit Fontana, quod Eccleſiam Leſinenſem ſive Pharienſem ex Spalatenſi in Antibarenſem provinciam tranſtulerit. Præterea Stephanus Ciga Epiſcopatum Pharienſem adhuc retinebat anno octogeſimo hujus ſæculi decimi quarti, ut docent tabulæ Tragurienſes mox deſcribendæ; illum autem ſuſceperat ante annum 1358. hoc ſiquidem anno præſens ac teſtis nominatur in privilegio Ludovici regis Tragurienſibus conceſſo; ex quo fit, ut nihil loci ac temporis interjecti Bartholomæo relinquatur, quem Fontana ab Eccleſia Leſinenſi ad Turtibulenſem translatum anno 1367. affirmat. Cum ædibus familiæ Cigæ conjuncta erat turris S. Nicolai prope mœnia civitatis, quæ ad jus ejuſdem familiæ ſpectabat. Hanc multis locis labefactatam ac prope ſemirutam ut Stephanus reſtitueret, atque altius extolleret, aureos centum & octoginta mutuos a Communi Tragurienſium petierat & acceperat: ea ſiquidem ad munimentum, & defenſionem civitatis permagni intererat. Id Stephanus propter bellum, quod Veneti cum Hungaris geſſerunt, & propter varia incommoda & diſpendia, quæ ſubire coactus eſt, perficere non potuerat. Quare inter ipſum & Commune Tragurienſium ita convenit, pro nummis acceptis turrim ipſam in poteſtatem civitati traderet; id conſtat ex tabulis in hanc rem confectis.

F. Bartholomæus Dominicanus in catalogo Ep. Pharien. intruſus, & expungendus.

Stephanus pro pecunia mutuo accepta turrim domeſticam Tragurienſibus tradit.

Anno Domini 1380. *die* 19. *Aprilis. Cum hoc ſit, quod Commune Tragurienſe, & nomine, & vice ipſius communis, venerabili Patri Domino Stephano Farenſi & Brachienſi Epiſcopo, ex cauſa mutui ſolutæ fuerunt certæ pecuniarum quantitates, aſcendentes ad ſummam ducatorum in auro* 180. *vel circa, pro reparatione turris ipſius Domini Epiſcopi, poſitæ prope ripam maris, juxta viam & muros communis, & juxta plancam ipſius Domini Epiſcopi, & alios fines; poſtea vero cum propter multa incommoda & diſpendia multiplicia eidem occurrentia propter imminentem guerram habitam inter Dominum noſtrum Regem, & Venetos, circa reparationem ipſius turris, prout ſuæ erat intentionis, idem Dominus Stephanus minime vacare, & attendere potuiſſet: nunc autem ipſe D. Stephanus Epiſcopus parte ab una, & nobilis vir Ser Nicola Azolini, tamquam ſindicus & procurator communis Tragurienſis ad hoc ſpecialiter conſtitutus, prout de inſtrumento conſtat die* 18. *inſtantis, parte ex altera; volentes hujuſmodi negotio remedium adhibere, pro bono utriuſque partis, ad infraſcriptam tranſactionem ipſæ partes ambæ ſponte invicem devenerunt, videlicet, quod ipſe Dom. Stephanus Epiſcopus per ſe &c. dedit &c. tam locum ipſum turris, & lapides fabricatos in ipſa turri, quam etiam lapides omnes, qui reperientur fuiſſe & eſſe ipſius turris, ubicumque locorum, & omnia, & ſingula jura & act. &c. Addito, & expreſſe ſpecificato de partium voluntate, quod commune Tragurienſe neque ſingulares perſonæ nullum jus habere poſſint in planca, ſita juxta dictam turrim, neque in curia & domibus ipſius D. Stephani Epiſcopi ſupradicti, ſitis prope ipſam turrim, niſi tantum tempore neceſſitatis propter guerram, vel cuſtodiam faciendam. quo caſu liceat tantum & licitum ſit communi & regimini Tragurienſi de die & de nocte gentem deſtinare, & cuſtodes pro defenſione, & cuſtodia civitatis, per curiam ipſius D. Stephani Epiſcopi toties, quoties neceſſarium eſſet & opportunum; hoc inſuper addito, & ſpecificato, videlicet quod Commune Tragurienſe nullo modo &c. poſſit facere, ſeu fieri facere feneſtram aliquam a parte interiori ipſius turris, quæ reſpiciat ipſam plancam, vel ſupra plancam, niſi feneſtras parvas tantum pro argatis, & aliud non &c.*

Tabulæ compoſitionis inter Stephanum, & Commune Tragurien.

Nihil porro eſt, cur dubitemus hunc eumdem Stephanum Cigam Epiſc. Pharien. fuiſſe eum, qui quadriennio poſt præſens adfuit ac teſtis privilegio, quod Maria Hungariæ regina Spalatenſibus conceſſit. Idem Stephanus Ciga Ep. Pharienſis nominatur in tabulis cœnobii Iſſenſis anno 60. 64. 80. 84. hujus ſæculi decimi quarti confectis; itemque in regiis diplomatibus Ludovici regis Hungariæ an. 1373. & 1379. ex quibus ſatis apparet Bartholomæum, de quo Fontana, inter Epiſcopos Pharienſes recipi non poſſe. Porro Stephanus anno 1384. vel ſequenti e vivis deceſſit.

BENVENUTUS EP. PHARIENSIS XV.

Ab anno 1385. uſque ad decimum vel duodecimum ſæculi proximi hanc eccleſiam gubernavit ; ab eo ſiquidem anno ejus mentio frequens eſt in tabulis monaſterii S. Nicolai Iſſenſis : 1385. *Domina Maria rege , Benvenuto Epiſcopo , Marcus Abbas diviſit &c.* 1390. *Tempore Sigiſmundi regis , & Benvenuti Epiſcopi , Abbas Marcus &c.* 1400. *Sigiſmundo rege , Epiſcopo Benvenuto &c.* 1406. *Tempore Ladislai regis Hungariæ* (& Neapolis, ad quem a Sigiſmundo Dalmatæ defecerant) *Ervojæ ducis Spalati* (huic Ladislavus principatum urbis Spalatenſis cum Pharia & Brattia aliiſque inſulis donaverat) *Benvenuti Epiſcopi &c.* 1410. *Sub rege Sigiſmundo* (ad quem Hervoja, relicto Ladislavo, cum Dalmatis tranſierat) *Ervoja duce Spalati , Benvenuto Pharenſi Epiſcopo &c.* Rejiciendus itaque eſt ex catalogo Antiſtitum Pharienſium F. Vicboldus de Vindemia Franciſcanus , cum ejus proximo deceſſore Richardo ; utrumque intruſit Lucas Vadingus in additionibus ad Annales ordinis Franciſcani: *Anno* 1391. *fit Epiſcopus Pharenſis Illyrici in inſula in mari Adriatico ſub A. Spalaten. F. Vicboldus de Vindemia per ob. Richardi* 10. *Kal. Feb.* Benvenuti Epiſcopi Pharienſis unicum monumentum ſuperest , quod eſt ejuſmodi. *In Chriſti nomine amen. Anno ejuſdem nativit. milleſimo tercenteſimo octuageſimo ſexto , Indict. nona. Regnante Sereniſſima Domina noſtra Maria Dei gr. regina Hungariæ , Poloniæ , Dalmatiæque &c. temporibus quidem Reverendi in Chriſto Patris & Dom. D. Benvenuti eadem divina gratia Farenſis & Bracanenſis Epiſcopi , & magnifici & potentis viri Domini Matthai Nicolæ de Petrachis de Spalato , inſularum Faræ & Brachiæ Com. decorati judicibus ſuis in Fara exiſtentibus , providis viris ſer Suitano de Sommai , ſer Micxa Stephani , & ſer Nicolao Gazari die 27. menſis Septembris ; ibique exiſtens Rev. in Chriſto Pater & Dom. Dom. Benvenutus Dei gr. Epiſcopus Faren. & Brachien. per ſe ſuoſque ſucceſſores fecit inſtrumentum quietationis , tranſactionis , & pactum de ulterius non petendo Venerab. viro Fratre Matthæo Dei gratia Abbati mon. S. Nicolai in Liſſa de ducatis quinque auri , & tertio ducati , in quibus præfatus Dominus Fr. Matthæus Abbas nomine dicti monaſterii obligatus erat pro tertia parte cibi , & monaſterio ſuo tangente de ducatis ſexdecim auri pro præfatis . Dominus Epiſcopus perſolvit &c.*

Richardo & Vicholdo a Vadingo intruſis nec tempus, nec locus in catalogo Ep. Pharien. relinquitur.

Inſtrumentum compoſitionis inter Benvenutum & Matthæum Ab. S. Nicolai.

Benvenuto rebus humanis exempto poſt breve interregnum in ſedem epiſcopalem ſucceſſit anno 1412.

GEORGIUS EP. PHARIENSIS XVI.

De quo dictum eſt in hiſtoria Eccleſiæ Dumnenſis ; ex hac enim eccleſia ad Pharienſem regendam migravit . Hujus meminerunt tabulæ cœnobii Iſſenſis: 1412. 18. *Septembris . Regnante Sigiſmundo Hungariæ rege , Georgio Epiſcopo Pharen.* Anno fere octavo , quam ſuſceperat , hujus eccleſiæ regimen depoſuit, ad Scardonenſem translatus ex decreto Martini V. ut eſt in tabulis conſiſtorialibus Romanis: 18. *Kal. Feb.* 1420. *translatus Epiſcopus Pharenſis Georgius ad Eccleſiam Scardonen.* Idem vero Pontifex adminiſtrationem Eccleſiæ Pharienſis commendavit Domnio de Judicibus Archiepiſcopo Spalatenſi: *Eadem die commendata eſt ad beneplacitum Archiepiſcopo Spalaten. dicta Eccleſia Pharenſis .* Eodem anno, dum hæc eccleſia proprio Epiſcopo cerebat, Pharia, Brattia, ceteræque inſulæ cum Dalmatia propemodum tota ſub imperium Venetorum redierunt; quæ cauſſa fuit , ut Domnius Eccleſiæ Spalatenſi nuncio remiſſo , tum hujus , tum Pharienſis adminiſtrationem Petro X. ſibi in ſedem metropolitanam ſubrogato relinqueret.

Georgius primum Dumnen. deinde Pharien. poſtea Scardonenſis Epiſcop.

DODINUS ſive DOMNIUS EP. PHARIENSIS XVII.

Archipresbyter oppidi Nereſini in inſula Brattia ſiti contra Phariam , quem ſibi Pharienſes in Epiſcopum elegerunt, Martinus V. approbavit, ut docent tabulæ conſiſtoriales: 1421. *prid. Id. Martii proviſum eſt Eccleſiæ Pharen. vacanti per mortem , vel renunciationem commendæ , de perſona Dodini Archipresbyteri in Eccleſia Bracenſi .* Idem Pontifex eodem anno F. Chryſoſtomum , ſuprema præfectura cœnobii Benedictini Jadrenſis perfunctum , monachis Iſſenſibus S. Nicolai Abbatem præfecit: *Nonis Maji proviſum eſt monaſterio S. Nicolai extra muros Liſien. S. Benedicti vacanti per renunciationem factam per F. Martinum dicti monaſterii Abb. de perſona Fr. Chryſoſtomi olim Abbatis monaſterii S. Chryſogoni .* Sed Dominus ne annuum quidem pontificatum geſſit morte præreptus anno 1421. exeunte, vel ſub initium anni ſequentis.

GEORGIUS EP. PHARIENSIS iterum.

Mors Domnii Georgio ejuſdem deceſſori ſedis Pharienſis repetendæ cupiditatem injecit ; hujus enim cum Scardonenſi commutatæ illum pœnituerat . Itaque Romam ſe contulit , ſupplex a Pontifice petiit , ut ſibi ad Eccleſiam Pharienſem regredi liceret . Sed obſtabant variæ & ſane graves criminationes, ſeu veræ, ſeu falſæ eidem objectæ , delatæque ad Sedem Apoſtolicam; de quibus ut rite inquireret & cognoſceret, Martinus imperavit, & poteſtatem dedit Blaſio Molino Archiepiſcopo Jadrenſi; juſſitque ad hujuſmodi inquiſitionem adhibere Bogdanum Epiſcopum Sibenicenſem , & Nicolaum Abbatem S. Michaelis inſulæ Uliani , quæ non ita lato interjecto mari Jaderæ proxima eſt . Acta hujus quæſtionis extant in Tabulario Archiepiſcopali Jadertino , ex quibus particulas aliquot decerpſimus: *Hæc eſt quædam delatio facta Reverendiſſimo in Chriſto Patri & Dom. D. Blaſio miſeratione divina ſanctæ ſedis Jadrenſis Archiepiſcopo , & judici delegato , & commiſſario apoſtolico ſuper quibuſdam ad Eccleſiam Pharenſem ſpectantibus , facta per bonas & fide dignas perſonas non malevolas , neque ſuſpectas .*

Variæ in Georgium accuſationes Archiepiſcop. Jadrenſi delatæ , ut Commiſſario apoſt.

Et primo quod Georgius fuit intruſus in Epiſcopatum Pharenſis Eccleſiæ per infidum Boſnenſem Patarinum nomine Cheruce , qui tunc detinebatur in inſulis , & per magnum tempus ſtetit in Epiſcopatu , adminiſtrans bona dictæ eccleſiæ ; cum quibus bonis miſit ad obtinendas bullas & confirmationem a Domino Papa , prout a fide dignis clericis & laicis de veritate poteritis informari .

Item quod fuit contentus de ſua translatione non contradicendo tunc , quando reſignavit Epiſcopatum Pharen. per curiam Reverendiſs. P. D.

Petri

Petri Archiepiſcopi Spalaten. & ſtetit quietus per multum tempus, volens ſollicitare cauſam ſuam ſolum poſt mortem Dom. Domnii, & tunc quando vidit Epiſcopatum Scardonenſem occupatum a laicis, recordatus eſt redire ad Epiſcopatum Pharenſem contra veritatem, & contra voluntatem Domini noſtri.

Item quod intulit plura damna inſulæ Pharæ cum quodam NN. cujus erat confeſſor, & ſupra fidem ſuam recepit Brigantinum Pharenſem, ſacramentaliter jurando, quod deberet reſtitui; & nunquam fuit reſtitutum, & per conſequens non eſt amicus Dominii, quia tunc jam guerra fieri incipiebat.

Item quod cum pluribus fecit pacta & conventiones de Epiſcopatu Pharenſi præfato, cum Antonello de Veſtich hoc modo, ut ipſe Epiſcopus ſtare deberet in inſula Paſmani cum famulo, & habere ſingulis annis vivens ducatos aureos octoginta; & ipſe Antonellus pro parte ſua habet Epiſcopatum Pharenſem &c.

Nec vero teſtes idoneos & graves defuiſſe arbitror, qui a Georgio in judicium producti criminationes eidem illatas depellerent. Nam Blaſius, qui huic quæſtioni præerat, cum ex teſtimoniis inter ſe pugnantibus quid veri eſſet, elicere nequiviſſet, rem totam injudicatam reliquit, & acta totius quæſtionis cum teſtificationibus in utramque partem prolatis judicio Sedis Apoſtolicæ ſubjicienda eſſe cenſuit. Interea duos œconomos, ſive curatores bonorum ac proventuum Eccleſiæ Pharienſis conſtituit, Deodatum Abbatem S. Stephani de Pinnis, & Archipresbyterum ædis cathedralis Phariæ, tradita utrique poteſtate cenſuris pœniſque eccleſiaſticis in eos animadvertendi, qui bona reſque ejuſdem eccleſiæ interverterent, vel jam interverſa non reſtituerent: *Univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis Blaſius Molino diſpenſatione divina S. Sedis Jadren. Archiepiſcopus, judexque delegatus, commiſſarius, & executor a Sede Apoſtolica deputatus ſalutem &c. Noveritis nos litteras apoſtolicas recepiſſe &c. decernimus duos œconomos, qui &c. Datum Spalati ſub bulla noſtra, qua in Jadrenſi Eccleſia utimur, an. Domini 1422. Indict. 15. die 27. Octob. Pontific. SS. in Chriſto Patris & Domini noſtri Martini div. provid. Pp. V. an. 5.* Ceterum Georgius de quibus accuſatus fuerat, ſe Martino Pontifici purgavit; & omni culpa & pœna liberatus Sedem Scardonenſem reliquit, Pharienſem Domnii morte vacuam recepit, quam uſque ad annum 1428. retinuit, ut colligitur ex tabulis conſiſtorialibus.

THOMAS EP. PHARIENSIS XVIII.

Thomas Ep. Pharien. interfuit Concilio Florentino.

Quem Martinus V. Georgio vita functo ſubrogavit: 1428. 17. *Kal. Januarii proviſum eſt Eccleſiæ Leſinenſi, vacanti per obit. Georgii, de perſona F. Thomaſini de Venetiis ord. Prædicatorum magiſtri in Theologia.* Jamdudum Pharia vulgo appellari Leſina cœperat. Annum diemque Eccleſiæ Pharienſis illi decretæ variavit Vincentius Maria Fontana in ſacro Theatro Dominicano. *P. F. Thomas Thomaſinus de Venetiis Leſinenſem epiſcopalem Eccleſiam regendam obtinuit a Martino V. die 13. Kal. Junii, anno ſal. 1430. qui fuit tertius decimus Martini pontificatus annus. Paſtor bonus huic eccleſiæ cum ſumma laude præfuit, viditque tandem ipſe dierum ſuorum complementum.* Hunc diſtinguas oportet ab altero Thoma Thomaſino ejuſdem patriæ, ejuſdem ordinis, ejuſdem ætatis, de quo in Epiſcopis Tragurienſibus. Anno 1439. cum Bartholomæo Metropolita Spalatenſi, & Joanne Arbenſi Epiſcopo Concilio Florentino interfuit & ſubſcripſit. Quo in Concilio multa eximiæ doctrinæ & prudentiæ ſuæ documenta Eugenio IV. dederit oportet, qui eum deinde ad legationem apoſtolicam Boinenſem æque gravem ac difficilem obeundam delegit. Antequam Synodus abſolveretur, Thomas queſtus eſt apud Eugenium de paucitate Presbyterorum eccleſiæ & urbis Pharienſis, quippe cum clericis deeſſet patrimonium neceſſarium ad ſacros & majores ordines ſuſcipiendos; rogavitque Pontificem, ut proventus tum cujuſdam cœnobii Benedictini, quod ſitum erat in inſula Brattia, jam inde a plurimis annis carens Abbate & a monachis deſertum, tum eccleſiæ SS. Coſmæ ac Damiani in urbe vel inſula Phariæ, ad clericorum eccleſiæ ſervientium inopiam ſuſtentandam, & patrimonia conficienda convertere ſibi ac ſucceſſoribus ſuis liceret. Annuit perbenigne Pontifex, ut conſtat ex ejus diplomate, quod eſt ejuſmodi.

Ab Eugenio IV. poteſtate impetravit cujuſdam Abbatiæ & Sacerdotii transferendi ad clericos eccleſiæ ſervientes alendos.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Ven. Fratri Thomæ Epiſcopo Pharen. ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ad ea ex paternæ caritatis officio libenter intendimus, per quæ cum divini propagatione cultus, & eccleſiarum præſertim cathedralium decore, perſonis in eis obſequio Domini mancipatis de congruentis ſuſtentationis auxilio valeat ſalubriter provideri. Sane ſicut nobis nuper exponere curaviſti, licet olim tu conſiderans, quod tam tua major eccleſia, quam etiam civitas & tota diœceſis Pharen. clericorum nondum in Sacerdotio conſtitutorum, ſine quibus divinus cultus commode exerceri non poterat, ex eo potiſſime defectum maximum pateretur, quod in partibus iſtis portiones aut alii perpetui proventus eccleſiaſtici, qui eis antequam ad Sacerdotium pervenirent in titulum aſſignari poſſint, non habentur; & cupiens ex ſingulari devotionis ardore hujuſmodi cultum ſaltem in prædicta eccleſia augeri & celebrius obſervari, nonnullos ex hujuſmodi inferioribus clericis in ea inſtitueris, & aliquos alios inſtituere propoſueris; tamen ob carentiam portionum ſeu proventuum prædictorum hujuſmodi deſiderium tuum abſque Sedis Apoſtolicæ ſuffragio ad effectum perducere minime valeas; & ſi monaſterium S. Joannis de Pongle in inſula Brachien. ordinis S. Benedicti dictæ diœceſ. in quo a tanto tempore, citra quod de contrario memoria non habetur, nullus alius Abbas, quam quondam Benedictus dudum extra Romanam curiam defunctus, nullive religioſi fuerint, per hujuſmodi obitum dicti Benedicti Abbatis vacans; & capella SS. Coſmæ & Damiani Pharen. ad collationem & omnimodam diſpoſitionem Epiſcopi Pharen. pro tempore exiſtentis pertinens, ad opus & ſuſtentationem dictorum clericorum deputarentur & applicarentur, ex eorum reditibus & proventibus aliquæ perpetuæ portiones pro totidem clericis prædictis creari & exigi, ac propterea in ipſa eccleſia hujuſmodi cultus decentius & ſollemnius vigere utique poſſent; quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui cultum ipſum noſtris maxime temporibus augeri & conſervari intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ, de qua in his & aliis ſpecialem in Domino fiduciam habemus,

bemus, monaſterium, cujus viginti quatuor, nec non capellam, cujus quadraginta florenorum auri de camera fructus, reditus, & proventus, ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum ut aſſeris non excedunt; prædicta cum omnibus juribus & pertinentiis eorumdem ad opus & ſuſtentationem clericorum hujuſmodi auctoritate apoſtolica deputandi & applicandi, nec non ex illorum poſſeſſionibus & bonis, fructibuſque ac reditibus & proventibus perpetuas portiones, ſine cura animarum, de quo tibi rationabiliter videbitur poſſe, quæ ad hujuſmodi collationem & diſpoſitionem dicti Epiſcopi pro tempore exiſtentis dumtaxat debeant pertinere, pro ſimili numero clericorum nulla alia beneficia eccleſiaſtica obtinentium, in præfata eccleſia ſerviturorum, de novo creandi & erigendi, illarumque ſingulas ſic erectas & creatas ſingulis clericis prædictis, qui tamen idonei ſint, conferendi, & de illis etiam providendi, aliaque omnia & ſingula, quæ in præmiſſis & circa ea utilia & opportuna fore cognoveris, faciendi, ordinandi, & exequendi; monaſterii quoque, ut præfertur, vacantis, & capellæ prædictorum ex nunc, ſi illum quovis modo vacare repereris, alioquin cedente, vel decedente moderno illius rectore, nec non jurium & pertinentiarum prædictorum corporalem poſſeſſionem ex cauſa prædicta dumtaxat, per te vel alium ſeu alios auctoritate propria libere apprehendendi, ac hujuſmodi eorum poſſeſſiones, & bona fructuſque ac reditus, & proventus in prædictos uſus, ut præmittitur, convertendi, alicujus licentia ſuper hoc minime requiſita, plenam & liberam auctoritate apoſtolica tenore præſentium concedimus facultatem; non obſtantibus fundatione & dotatione dictæ capellæ, ac conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, nec non eccleſiæ, monaſterii, & ordinis prædictorum juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, conſuetudinibus contrariis quibuſcumque: aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales dictæ ſedis, vel legatorum ejus litteras impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem litteras & proceſſus habitos per eoſdem, & quæcumque inde ſecuta, ad dictam capellam volumus non extendi; ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, litteris apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, cujuſcumque tenoris exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis: proviſo quod dicta capella debitis propterea non fraudetur obſequiis, ſed congrue ſupportentur ejus onera conſueta. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attemptari. Dat. Florentiæ an. Incarn. Dom. 1439. VIII. Id. Maji Pontific. noſtri an. 9.

Legatus ab Eugenio IV. in Boſinam miſſus.

Eodem anno priuſquam Thomas Florentia diſcederet, eum in Boſinam de reducendis ad ſinum Eccleſiæ Patarenis hæreticis & ſchiſmaticis, quorum referta erat illa provincia, legatum miſit ampliſſimis privilegiis inſtructum, illudque ſingulare privilegium eidem conceſſit, ut tres milites creare poſſet, eoſdem militiæ inſignibus ornare, atque omnibus immunitatibus, honoribus, beneficiis impertire, quæ in hujuſmodi militarem ordinem adeptos conferri ſolent.

Epiſtolæ tres Eugenii ad Thomam.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Ven. Fratri Thomæ Epiſcopo Pharen. noſtro & Apoſtolicæ Sedis legato miſſo in regnis Croatiæ & Boſnæ, & omnibus terris ſubditis dilecto filio nobili viro Stephano magno Vaivodæ ſupradicti regni Boſnæ, ſal. & apoſtol. benedict. Cum te pro magnis & arduis noſtris, & S. Romanæ Eccleſiæ negotiis, ac pro exaltatione fidei catholicæ, ſalute animarum, & pace ac bono ſtatu partium earumdem, tamquam nuncium veritatis & pacis ad ſupradictas partes præſentialiter deſtinemus; Nos volentes tuam honorare perſonam, & illa tibi concedere, per quæ perſonis illarum partium te poſſis reddere gratioſum, fraternitati tuæ uſque numerum trium perſonarum, milites faciendi, eiſque omnia inſignia & honores dandi, quibus milites legitime facti utuntur & uti poſſunt, itaque ut ipſi, quos milites feceris, gaudeant & gaudere poſſint omnibus immunitatibus & honoribus, iiſque inſigniis uti & frui, quibus utuntur & fruuntur viri, qui ordinem militarem legitime acceperunt, auctoritate apoſtolica tenore præſentium plenam ac liberam concedimus facultatem. Dat. Florentiæ anno Incarnat. Dominicæ 1439. prid. Id. Septemb. Pontific. noſtri anno nono.

Idem Eugenius alteris litteris datis eodem die & loco id poteſtatis legato ſuo Boſnenſi largitur, ut ſiquos in provincia ſuæ legationis, macula aliqua, vitiove corporis canonico affectos invenerit; iiſdem & ſacros ordines & Sacerdotium quodlibet, etiam cum animarum cura conjunctum, conferre poſſit, modo idonei ſint, & illius impedimenti amovendi cauſſa ſubſit, ac denique leviori vitio laborent, quam ut populo offenſioni eſſe poſſent.

Tertiis litteris *concedit facultatem abſolvendi quamcumque perſonam utriuſque ſexus regnorum & partium prædictarum, quoties ei opportunum viſum fuerit, vel alteri per ipſum deputando in reſervatis ſemel tantum, in non reſervatis toties quoties &c.*

Cum Thomas legatus apoſtolicus in Boſinam venit, tunc in ea regione rerum potiebatur Stephanus Tuartkus cognomento Scurus, Tuartki ſenioris ex toro non legitimo filius, quem Pontifex in ſuis litteris *Stephanum magnum Vaivodam regni Boſnæ* appellat. Hic quamvis a catholica religione abhorreret, catholicis tamen ſe favere ſimulabat, propterea quod Pontificis & Principum chriſtianorum auxiliis ad repellendos arcendoſque Turcas indigebat. Anno 1443. extinctus, cum nullam ex ſe prolem legitimam reliquiſſet, Boſnenſes ſibi regem elegerunt Stephanum Thomam, vulgo Thomaſcum, Paulli filium, ex antiquiſſima & nobiliſſima gente Chriſtichia, ſive Jablanovichia; qui nondum baptiſmo ſuſcepto hærebat incertus, cui ſectæ ac diſciplinæ nomen daret. Ad catholicam religionem inclinatione quadam voluntatis propendere videbatur, Thomam legatum pontificium, quibus dignus erat, officiis & honoribus proſequebatur, multa atque illuſtria ſuæ adverſus Sedem Apoſtolicam obſervantiæ argumenta præbebat. Thomas in legationem Boſnenſem ſex ipſos annos inſumpſit, univerſam illam regionem ſæpius peragravit, multa ubique præclare conſtituit ad catholicam religionem amplificandam,

Stephanum Thomaſcum regem Boſinæ Thomas ad fidem catholicam convertit.

dam; & christianam atque ecclesiasticam disciplinam restituendam peropportuna; plurimos ab hæresi & schismate revocavit, & quibus erant irretiti, anathematum vinculis exsolvit. Cum Patribus Franciscanis suam, qua illi carebant, auctoritatem, itemque consilia communicabat; iique vicissim suam illi operam, seque ad rem bene gerendam strenuos adjutores præbebant. Illud singulari commendatione dignum effecit, quod Stephanum regem ab impura Manichæorum secta, itemque a Græcorum schismate sic prorsus abalienavit, ut baptismatis ritu catholico suscipiendi cupiditatem eidem injecerit. Raphael Volaterranus apud Marcum Orbinum & Carolum Dufresnium tradit regem sollemni pompa ac cærimonia baptizatum fuisse ab Joanne Carvajalo Cardin. tit. S. Angeli; sed Stephanus jam erat christianis sacris initiatus, ut colligitur ex epistola Eugenii anno 1445. scripta, cum nondum Carvajalus in collegium Cardinalium esset cooptatus. Post susceptum baptismum non omne cum Manichæis sive Patarenis commercium abrupit; quin immo cum illis & nimis familiariter versari, & officiis, usu, consuetudine conjunctissimus esse videbatur; quam ob caussam Patres Franciscani a sacra mensa, divinisque mysteriis regem arcebant. Misit ille ad Eugenium, qui rectam suam, sinceramque in Deum fidem exponeret ac profiteretur, simulque ab eo peteret, potestas ut sibi fieret sacramenta percipiendi, quorum accessu prohibebatur a Patribus Franciscanis, propterea quod Manichæis studere videretur; a quibus animo ille quidem ac reipsa longissime abhorrebat, sed quædam illis amicitiæ & honoris officia vel invitus in speciem tribuebat, ut eos in fide atque obsequio contineret, neve homines numero atque opibus præpollentes, seditione facta, vel Turcis evocatis, regnum sibi adimerent. Eugenius itaque per litteras mandavit Thomæ suo legato, ut in regis fidem ac mores æque diligenter ac dissimulanter inquireret; & si quidem illum ab omni Manichæorum labe intactum, ejusque in hæreticos indulgentiam non ex voluntate, sed ex necessitate profectam esse comperiat, Patribus Franciscanis imperet, regi poscenti utique impertiant divina mysteria. Ad hæc regem accurate edoceat de impia aut multiplici Manichæorum hæresi, quam rationi pariter ac divinis litteris adversari ostendat; eumque admoneat, ut statim atque oblata sit facultas, nullam illius nefariæ pestis comprimendæ eliminandæque occasionem prætermittat.

Eugenius jubet Stephanum, si vere & ex animo catholicus esse reperiatur, admitti ad divina mysteria,

litteris ad Thomam Ep. & legatum apostolicum scriptis.

Eugenius Episcopus servus servorum Dei Venerabili Fratri Thomæ Episcopo Pharen. in regno Bosnæ Apostolicæ Sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Carissimus in Christo filius noster Stephanus Thomas rex Bosnæ illustris suum ad nos nuncium destinavit, cui nonnulla commisit nobis viva voce referenda. Exposuit autem regem suum vere, & sincere de christiana religione sentire, in qua a tenera infantia fuerit educatus, & firmiter credere in illa sola verum Deum coli, & in illa sola perseverantes consequi posse vitam æternam; ceteras vero sectas hæreticorum, & præcipue Manichæam, diabolicæ iniquitatis & fraudis esse commenta. Itaque sicut vere catholicus ac sincere christianus cupiebat ecclesiæ Christi communicare sacramentis; verum quia in regno suo soli Fratres Minores erant veri catholici Sacerdotes, qui divina sacramenta conficerent, eaque fidelibus ministrarent, ipsos præfatum regem ad communionem non admittere, quod illum crederent excommunicationum sententiis irretitum, quæ jamdudum per singulos annos in hæreticorum receptatores, defensores, sive fautores per Sedem Apostolicam fulminantur, quia Manichæorum, qui in regno suo & numero & potentia excrevisse noscuntur, arbitrentur esse fautorem, cum videant eos secum continua conversatione misceri, eumque primariis illorum, quos electos vocant, reverentiam quandam honorificentiamque deferre. Quamvis autem secundum exteriorem apparentiam hæc ita se habere rex ipse fateatur, longe tamen asserit propositum cordis sui ab exteriori obstentatione differre, nam cum hæreticis illis in regno suo ut dictum est & multitudine & robore prævalentibus, ne regnum amittat, in quo primi Christiani vere Deum colunt, ad tempus dissimulare compellitur, ut oblata facultate, quod desiderat, possit explere; hoc est, ut vel ejus hæresis sectatores illa impietate damnata in catholicam fidem transire cogantur, aut si pertinaces persistant, exilio, vel morte damnentur. Itaque humiliter supplicabat, ut animi sui pia & religiosa voluntate perspecta, secum dispensare misericorditer dignaremur, ut præmissis reverentia & conversatione non obstantibus, posset sacris ecclesiæ catholicorum communicare sacramentis. Nos autem super iis plenam notitiam non habentes, fraternitati tuæ, quæ in regno Bosnæ fungitur apostolicæ legationis officio, præsentium auctoritate committimus, ut super his diligenter inquiras; & si præfatum regem vere catholicum esse compereris, nec hæresi aliqua maculatum, ac sacrilegos Manichæos, aliasque hæresum sectas ibidem existentes in tantum multitudine & potentia prævalere, ut nisi eum periculo perditionis regni per illum regem nequeant extirpari; quodque conversatio illa necessitatis sit, non voluntatis, & ea reverentia, quæ per ipsum Manichæorum primariis exhibetur, solum sit honor humanus, non adoratio, ex qua Dei contumelia subsequatur; Fratribus Minoribus in regno Bosnæ existentibus apostolica auctoritate committas, ut requirenti præfato regi ecclesiastica sacramenta non negent; quædam enim, inquit Beatus Gregorius, Sancta Ecclesia per fervorem corrigit, quædam per mansuetudinem tolerat, quædam per considerationem dissimulat, atque ita portat & dissimulat, ut sæpe malum quod adversatur, portando & dissimulando compescat. Volumus tamen, ut tuo, vel dictorum Fratrum ministerio rex ipse intelligat, quam detestanda sit hæresis Manichæa, quam damnanda, quamque ex hominum consortio gladiis, ignibus, mortibusque tollenda; excedit enim omnes impietates, omnia sacrilegia, & præcipue ex omnibus videtur electa, per quam Diabolus in orbem terrarum iniquitatis suæ venena diffunderet. Ipsi sunt, qui ministerium divinæ Incarnationis simulatorium fuisse contendunt, ita ut incarnatio Filii Dei, passio, resurrectio non vere sed apparenter credantur exhibita; de quibus dicit Joannes Apostolus solventibus verum ministerium Jesu Christi; Siquis venit ad vos, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis, qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis. Hi sunt qui Diabolo parem omnipotenti Deo exhibent principatum, duo ponentes prima principia, unum malorum, alterum bonorum: hi sunt damnatores veteris testamenti, mutilatores & corruptores novi; hi sunt qui nuptias damnant, qui cibos a Deo ad usum hominum creatos im-

mundos affirmant, de quibus ad Timotheum dicebat Apoſtolus Paullus, Spiritus autem manifeſte dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis Dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conſcientiam ſuam, prohibentium nubere, & abſtinere a cibis, quos Deus creavit, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, & hos devita. Intelligat ergo rex ipſe, quam deteſtandi ſunt Manichæi, qui tanta impietate & ſacrilegio polluuntur, quantamque ſuper ſe Dei provocent iram, qui illis aut familiaritate junguntur, de quibus ſcriptum eſt, Quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte, non ſolum qui faciunt ea, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Debet ergo, ſi ſincere & vere vult eſſe chriſtianus, omnem operam ſuam, ſtudiumque navare, ut oblata facultate cogendi Manichæi impietate damnata catholicam teneant veritatem, vel ſi pertinaciter errori ſuo voluerint inhærere, condigna ſceleribus ſuis morte mulctentur; nam niſi ita corde proponat, & cum poteſtas aderit exſequatur, ſe impietatis eorum oſtendit fore participem; vere enim a prædeceſſoribus noſtris ſcriptum eſt, Negligere, cum poſſis, deturbare perverſos, nihil eſt aliud quam fovere; nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui, cum poſſit, facinori deſinit obviare. Hæc ſunt, Venerabilis Frater, quæ te in præſentiarum agere convenit; ut rex ipſe verus eccleſiæ Dei filius habeatur, & tu pro laboribus tuis æternam gloriam conſequaris.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quinto, tertio Idus Novembris, Pontificatus noſtri anno quinto decimo.

Nec vero dubium eſt, quin Thomas mandata pontificia diligenter curaverit: Stephanum quidem certe ab omni Manichæa impietate alienum eſſe comperit, eumdemque divinorum myſteriorum participem fieri juſſit. Argumento eſt, quod anno proximo Manichæis bellum inferre cœpit; quippe quos vetuit nova templa impuræ illius ſectæ ædificare, aut vetera collabentia reſtituere. Anno ſiquidem 1446. VIII. Kalendas Julii tum Epiſcopos, tum proceres utriuſque regni Boſinæ ac Raſciæ Cognitium, quæ civitas eſt Boſinæ, convocavit, atque omnino decrevit, *ne Manichæi nova templa conſtruerent, nec vetera collabentia reſtaurarent*. In eo conventu, cujus acta & decreta in hiſtoria Eccleſiæ Boſnenſis deſcripſimus, primum, ſecundum regem, honoris & auctoritatis ſubſellium obtinuit *Thomas Epiſcopus Farenſis, Apoſtolicæ Sedis legatus;* qui paullo poſt Romam profectus, Eugenio legationis a ſe geſtæ rationem reddidit, ſimulque expoſuit Manichæos Boſnenſes in tantam multitudinem, in tantas opes & vires creviſſe, ut nulla ſit ſpes illius regni ab illa nefaria hæreſi purgandi, niſi ferro ignique exterminentur. Hæc Raynaldus in Annal.

Aliud mandatum ab Eugenio traditum Thomæ Ep. Pharienſi.

Thomas expeditione Boſnenſi egregie perfunctus, ad ſuam eccleſiam reverſus cum eſſet, alias ab Eugenio litteras accepit in hanc ſententiam: abſolvat, liberetque ab omni eccleſiaſtica cenſura Petrum Voislaulichium rectorem ac dominum caſtri Vyſucchii, cui Georgius Sibenicenſis Epiſcopus ſacris interdixerat, propterea quia parendum ſibi eſſe non putavit decreto, quod Georgius ſecundum Canonicos Tinninienſes fecerat: latam ab eodem Georgio ſententiam reſcindat; & jus percipiendi decimas e caſtro agroque Vyſucchienſi, quod idem Georgius Capitulo Tinninienſi adjudicaverat, Petro ejuſque hæredibus reſtituat, ſi tamen hoc veteri conſuetudine innixum eſſe compererit.

Epiſtola Eugenii.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Venerabili Fratri Thomæ Epiſcopo Pharenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Humilibus ſupplicum votis libenter annuimus, atque favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte nobilis viri Petri Voislaulich Domini caſtelli Vyſucchi in regno Boſnæ, ſive ejus confiniis conſiſtentis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet Domini, qui hactenus fuerunt dicti caſtelli, omnes & ſingulas decimas ex fructibus, ac animalibus, & aliis bonis infra caſtellum prædictum, ejuſque territorium pro tempore conſiſtentibus provenientes pro ipſius caſtelli, quod in finibus nonnullarum partium infidelium ſitum eſt, munimento & defenſione a tanto tempore, citra cujus contrarii memoria hominum non exiſtat, percipere conſueverint; ac ſucceſſive dictus Petrus in poſſeſſione pacifica, ſeu quaſi, juris percipiendi decimas hujuſmodi, ſalvis lite & aliis inde ſecutis infraſcriptis, fuerit, & hodie exiſtat; nihilominus dilecti filii Capitulum Tinien. falſo aſſerentes decimas prædictas ad ſe ſpectare, noſtras ad Venerabilem fratrem noſtrum Epiſcopum Sibenicen. ejus proprio nomine non expreſſo, in forma ſolita litteras deſuper impetrarunt, ac illarum vigore dictum Petrum coram Venerabili fratre noſtro Georgio Epiſcopo Sibenicen. fecerunt ad judicium evocari; idemque Georgius Epiſcopus in cauſa ejuſmodi minus rite procedens, diffinitivam, per quam interceptas decimas prædictas ac jus eas percipiendi Capitulo adjudicavit, & ſuper illis præfatis Petro perpetuum ſilentium impoſuit, ſententiam promulgavit cum condemnatione expenſarum per eoſdem capitulares cauſa ipſa legitime factarum, quæ nulla provocatione ſuſpenſa in rem tranſivit judicatam, ac ſuper ea noſtras etiam in forma ſolita executoriales litteras ut dicitur reportavit, nec non litterarum executorialium prædictarum, ac per illas habitorum proceſſuum prætextu, dictum Petrum pro eo, quia nonnullis monitis & mandatis ſibi factis in eiſdem proceſſibus contentis non paruit, neque obedivit, excommunicationis ſententia innodari ac excommunicatum publice nunciari fecit. Cum autem ſicut eadem petitio ſubjungebat, ab aliquibus aſſeratur, quod olim Domini ſupradicti ratione perceptionis decimarum hujuſmodi unum equum ad quindecim ducatos auri in ejus valore aſcendentem, ſeu ſummam quindecim ducatorum hujuſmodi præfatis Capitulo interdum tradiderunt & aſſignarunt, & alias dictus Petrus ſolus in illis Patarenorum partibus princeps catholicus habeatur, ac juris ignarus exiſtat; ſi conſtare poterit, quod olim Domini præfati ratione præmiſſa equum aut ſummam hujuſmodi, vel aliquid aliud dictis Capitulo aſſignare conſueverint, ipſe Petrus vel totum juxta conſuetudinem prædictam ſolvere & aſſignare paratus exiſtat, & ad id ex nunc ſe ſpecialiter offerat; pro parte ipſius Petri, qui etiam partium inferiorum Boſinæ Vaivoda exiſtit, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi, & ſtatui ſuo, ac ſucceſſorum ſuorum opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præfatum Petrum, videlicet poſtquam ipſe proprio juramento promiſerit,

ſerit, & ſe obligaverit, quod ratione decimarum ac perceptionis eorumdem præfatis Capitulo ſatisfactionem juxta obligationem per eum factam hujuſmodi infra terminum ſeu terminos, ei per te deſuper præfigendum ſeu præfigendos, realiter & effectualiter impenderet, a prædicta, ac aliis omnibus, & ſingulis excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti, ceteriſque ſententiis, cenſuris, & pœnis contra eum præmiſſorum occaſione latis, inflictis, ſeu promulgatis, & quibus irretitus exiſtit, auctoritate noſtra hac vice dumtaxat per te vel alium abſolvas in forma eccleſiæ conſueta, injunctis inde ſibi pro modo culpæ pœnitentia ſalutari; & nihilominus ſi vocatis Capitulo prædictis, & aliis qui fuerint evocandi, tibi de conſuetudine aliqua percipiendi decimas hujuſmodi legitime conſtiterit, ſententiam per Epiſcopum latam, ac priores & executoriales litteras, nec non ſuper illis habitos proceſſus prædictos, quorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent præſentibus, haberi volumus pro expreſſis, auctoritate noſtra prædicta caſſes, revoces, & annulles; nec non eundem Petrum, ac ejus filios hæredes, ſucceſſores dictum caſtellum pro tempore obtinentes, ut ipſi omnes & ſinguli ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus omnes & ſingulas decimas de caſtello ac ejus territorio prædictis ex quibuſcumque provenientes integre percipere, & habere, ac in munitionem & defenſionem caſtelli hujuſmodi, & alias in eorum uſum, & utilitatem convertere libere & licite perpetuo valeant . . . ratione perceptionis decimarum hujuſmodi ullo unquam tempore aliquid, niſi prout & ſecundum per te vigore præſentium olim Dominos prædictos aſſignare ſeu perſolvere conſueviſſe declaratum fuerit, Capitulo præfatis ſeu Epiſcopo Tinien. pro tempore exiſtenti, vel alicui alteri perſolvere, ſeu aſſignare teneantur; neque ad id a quoquam quavis auctoritate cogi, ſeu compelli poſſint; etiamſi conſtaret caſtellum ipſum in Tinien. diœceſi exiſtere, eadem auctoritate ſtatuas, decernas, atque concedas; ita quod omnes & ſingulos proceſſus quaſcumque excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti aliaſque ſententias, cenſuras, & pœnas in ſe continentes, ac omnia & ſingula, quæ contra ſtatutum decretum, & conceſſionem per te vigore præſentium tunc factam, hujuſmodi haberi, fieri, ſeu fulminari contigerit, nulla & invalida, nulliuſque roboris & momenti exiſtant, & eſſe debeant; non obſtantibus præmiſſis omnibus, ac fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri illis præſertim, quibus cavetur, ne quis extra ſuam civitatem, & diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam ad judicium evocetur, & de duabus dictis in Concilio generali, ac aliis apoſtolicis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadrigenteſimo quadrageſimo ſexto, quarto decimo Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri anno ſexto decimo.

Altera Boſnenſis legatio ab Nicoleo V. eidem Thomæ decreta.

Nicolaus V. anno 1447. ſuffectus eſt in locum Eugenii, qui poſt triennium alteram legationem Boſnenſem Thomæ Epiſcopo Pharienſi mandavit: quamvis autem Nicolaus in ſuis litteris legationem eidem ab Eugenio impoſitam, ab ſe confirmatam fuiſſe aſſerat, hanc tamen novam atque a priore diſtinctam eſſe illud argumento eſt, quod Eugenius in ſuis litteris poſterioribus modo deſcriptis illum non vocat legatum Sedis Apoſtolicæ; munus itaque prioris legationis abſolverit, ac titulum depoſuerit neceſſe eſt. Ac primum quidem Nicolaus Dynaſtæ cuidam viro in partibus illis catholico ac præpotenti ſuum legatum commendavit, ut eidem ad rem bene gerendam auxilio eſſet ac præſidio.

Epiſtola commendatitia Nicolai.

Nicolaus PP. V. &c. Dilecte fili ſal. & ap. benedict. Semper dum opus eſt, tuos, ac tuorum favores expoſcimus; & ad ea libentius facienda nobilitatem tuam excitamus, quæ in augmentum chriſtianæ religionis & exaltationem fidei catholicæ redundent, in quibus pro fide & devotione tua te paratum & promptum ipſa experientia cognovimus. Exhortamur itaque excellentiam tuam paterna charitate, & diſtricte inquirimus & rogamus, ut ſi Venerab. frater Thomas Epiſcopus Faren. in partibus Boſnæ nuncius & orator noſter pro negotio fidei & pro ſalute ac quiete illarum partium tuos fautores requiſierit, velis ob reverentiam chriſtiani nominis & noſtra conſideratione auxilia eidem exhiberi facere, ut res ipſa tuis ſuffragiis adjuta felices progreſſus aſſequatur. In qua cauſſa, quæ Dei ac fidei eſt, expectamus, ut ipſo effectu reſpondeas, prout de te confidimus, & ſperamus; rem enim omnipotenti Deo acceptam, te dignam, & nobis admodum gratam feceris. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris die 26. Januarii 1450. Pontific. noſtri anno 4.

Alia mandata Nicolai Pontificis ad Thomam.

Dum Thomas receptum legati apoſtolici officium ſedulo impigreque exſequebatur, ad eum delatæ ſunt litteræ Nicolai Pontificis, qui collaudat ejus fidem ac prudentiam, reſque præclaras commemorat, quas in ſuperiori legatione, tum ex dignitate Eccleſiæ Romanæ, tum e re publica chriſtiana geſſerat, præſertim vero Stephani Thomæ regis Boſinæ, ejuſque uxoris ad fidem catholicam converſionem. Legationis Boſnenſis eidem traditæ fines & poteſtatem amplificat. Curet omni ſtudio operaque, ut controverſias omnes componat, & pacem conciliet inter Raguſinos & Stephanum Ducem S. Sabbæ, Comitemque Drinienſem, qui illorum regiones infeſto exercitu invaſerat; ſed ab Epiſcopo Dulcinenſi admonitus, ſuis internunciis ad Sedem Apoſtolicam miſſis, ſe paratum eſſe oſtenderat tum ad concordiam ineundam cum Raguſinis, tum vero ad religionem catholicam amplectendam.

Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Ven. Fratri Thomæ Epiſcopo Farenſi in Boſnæ & Croatiæ regnis, ac in provincia Raguſina, illorumque Comitatibus & diœceſ. noſtro & Apoſtolicæ Sedis legato miſſo, ſalutem & apoſtol. benedictionem. Cum eximiæ fidelitatis, devotionis, & prudentiæ, ceterarumque a Domino tibi traditarum virtutum, ac fructuoſa & laudabilia, nec non Deo plurimum grata & accepta opera, quæ alias in Boſnæ & Croatiæ regnis noſter & dictæ Sedis legatus miſſus exiſtens, etiam cum ipſorum regnorum fidelium animarum ſalute hactenus impendiſti, ex quibus in præfatis regnis laudabiles fructus provenerunt, ac ut ſperamus, provenient in futurum, attendimus, & debita meditatione penſamus, ex iis profecto certa experientia nobis nota non immerito confidimus, & pro certo tenemus, quod in fidelitatis, devotionis, prudentiæ, & virtuoſorum operum hujuſmodi laudabili continuatione conſiſtens, ea, quæ etiam tibi denuo duxerimus committenda, curabis filialiter, ſollicite, & prudenter adimplere. Dudum ſiquidem

dem felicis recordationis Eugenius PP. IV. prædeceſſor noſter te in præfatis regnis legatum miſſum ſuum & dictæ ſedis fecit, conſtituit, & deputavit; & deinde præfato prædeceſſore, ſicut Domino placuit, ſublato de medio, divina favente clementia ad apicem ſummi apoſtolatus aſſumpti, conſtitutionem & deputationem prædictas approbavimus, & confirmavimus, ac nonnulla alia tunc expreſſa fecimus prout in diverſis prædicti prædeceſſoris ac noſtris inde confectis litteris, quarum tenores de verbo ad verbum præſentibus haberi volumus pro inſertis, plenius continetur. Cum autem nuper nobilis vir Stephanus Dux S. Sabbæ & Comes Drinien. poſtquam per nos accepto, quod ipſe cum copioſo peditum & equitum exercitu, nullo per eum indicto bello, civitatem Raguſinam ſeu illius territorium invaſerat, & innumeras clades & maxima detrimenta illi intulerat, nonnulla quoque gravia, & contra fidem catholicam moliendo, & in antedicta ſcelera tunc expreſſa etiam in maximam Chriſtiani nominis ignominiam, & fidei catholicæ opprobrium commiſerat, per Venerabilem fratrem noſtrum Pagaminum Epiſcopum Dulcinen. ut ab invaſionibus hujuſmodi penitus deſiſteret, moneri fecimus, quoſdam ad nos deſtinaverit oratores ſeu nuntios; ex quorum relationibus non ſolum inter præfatum ducem & dilectos filios Rectorem & Conſilium dictæ civitatis concordiam & pacem ſubſequi, ſed etiam ejuſdem ducis mortiferæ hæreſis hujuſmodi per eum depoſitis erroribus ad viam veritatis fidei reductionem, ſicque totalem dictæ hæreſis de præfato regno eliminationem, ac extirpationem ſubſequi poſſe ſperemus; ſicut olim, dum in dictis regnis legatus miſſus, ut præfertur, exiſteres, opera & induſtria tua mediantibus, ſicut experientiæ probatione didicimus, cariſſimus in Chriſto filius noſter Thomas Stephanus rex Boſnæ illuſtris ac ejus uxor, & etiam quamplures barones, nobiles, milites, & aliæ utriuſque ſexus perſonæ divinam illuſtrati gratia quoſcumque Patarenorum hæreſis deponentes errores, ac veritatis lumen recognoſcentes, quod mater omnium & magiſtra S. Rom. Eccleſia tenet & profitetur, profeſſi fuerint, profitentur, & tenent; quique in præfato regno Boſnæ quam plura alia ad Dei laudem, noſtrumque, & præfatæ ſedis honorem, nec non animarum ſalutem concernentia operatus fuiſti. Nos conſtitutionem, deputationem, conceſſionem, ac confirmationem, ac omnia alia & ſingula tam in noſtris, quam in prædeceſſoris litteris prædictis contenta, harum ſerie approbantes, & viribus ſubſiſtere decernentes, illaſque ad provinciam Raguſinam, ac civitates, & diœc. prædictas, & ipſarum quamlibet extendentes, te legatum miſſum in illis cum poteſtate legati de latere uſque ad noſtrum & dictæ ſedis beneplacitum, auctoritate apoſtolica facimus, conſtituimus, & deputamus, ut inibi omnia & ſingula geras, ordines, & diſponas, quæ ad illarum partium, nec non ducis, rectoris, & Conſilii prædictorum pacem & concordiam expedire cognoveris, & ſicut tibi Dominus miniſtrabit. Et inſuper cum ſummopere deſideremus ducem, rectorem, & Conſilium prædictos, ſi fieri poterit, ad pacem & concordiam reduci, alioquin abſque judiciorum ſtrepitu in præmiſſis juſtitiam habenti miniſtrari, fraternitati tuæ partes ipſas ad pacem & concordiam reducendi, ſeu auditis hinc inde per utramque partium prædictarum propoſitis, etiam ſummarie ſimiliter, & de plano ſine ſtrepitu & figura judicii ſola facti veritate inſpecta, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernendi, & quæ decreveris per cenſuram eccleſiaſticam & alia juris remedia prout opportunum fuerit obſervari faciendi: nec non ſuper hujuſmodi, ac univerſis, & ſingulis aliis negotiis hæreſis extirpationem, & alia fidei negotia, pacem quoque & concordiam ac tranquillitatem tum dicti ducis & aliorum incolarum præfati regni, quam rectoris & Conſilii civitatis & diœc. prædictorum illorumque ſtatuum concernentibus, prout tibi expediens videbitur, agendi, diſponendi, ſtatuendi, ordinandi, & præcipiendi, contradictores quoque & rebelles cujuslibet ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, per cenſuram, omni appellatione poſtpoſita, compeſcendi plenam & liberam auctoritate apoſtolica tenore præſentium concedimus facultatem. Non obſtantibus quibuſcumque conſtitutionibus ac privilegiis & indulgentiis apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus cujuſcumque tenoris, & quibuſvis perſonis, locis, & ordinibus conceſſis, per quæ, præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, hujuſmodi tuæ legationis & poteſtatis officium poſſet quomodolibet impediri aut etiam retardari; ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim a ſede prædicta ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicandum evocari non poſſint per litteras apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Dat. Romæ apud S. Petrum an. Incarn. Dominicæ 1452. Kal. Julii, Pontific. noſtri anno ſexto.

Nicolaus jubet inquiri & animadverti in eos, qui cœnobia quædam, & Sacerdotia invaſerant.

Idem Pontifex anno proximo alteram epiſtolam ad eumdem legatum Sedis Apoſtolicæ dedit, cujus ſententia hæc eſt. Nefarium & ſacrilegum facinus quorumdam clericorum & monachorum execratur, qui per ſummum dedecus Chriſtiani nominis ad Principes Teucrorum, ſeu Turcarum confugerant, ut ejus ope ac potentia freti ſacerdotia & cœnobia invaderent, juſtiſque poſſeſſoribus adimerent, quæ Georgii Caſtrioti viri fortiſſimi ditione atque imperio continentur. In hujuſmodi ſceleratos homines diligenter inquirat, ſevereque animadvertat; ac primum illos admoneat, ut intra diem, quam ipſe præſtituerit, male parta reſtituant. Quod ſi dictis audientes non fuerint, ſollemni ignominia notatos graviſſimis quibuſque pœnis ac cenſuris afficiat, quibus illos eximere præter Romanum Pontificem nemo poſſit.

Epiſtola Nicolai ad Thomam.

Nicolaus Epiſc. ſervus ſervorum Dei Venerab. Fr. Thomæ Epiſcopo Faren. & in partibus Boſnæ Apoſtolicæ Sedis nuncio ſal. & apoſt. bened. Ad gregis dominici curam diſponente Domino deputati, ſic invigilare debemus, ut noſtræ providentiæ miniſterio boni a malorum oppreſſionibus non conculcentur, malique in chriſtianæ etiam religionis offenſam peccare conſueti pœnis debitis afficiantur. Nuper ſiquidem non ſine gravi amaritudine cordis noſtri accepimus, quod nonnulli clerici & Presbyteri tam ſæculares, quam regulares, præſertim ordinis S. Benedicti profeſſores, partes tuæ legationi commiſſas, eique circumvicinas incolentes, diabolico ſpiritu inſtigati, Dei timore poſtpoſito, & clericali regularive honeſtate rejecta, quadam cupiditatis & ambitionis, ut præſumitur, cæcitate devicti, ad ſuperiorem Teucrorum Principem chriſtiani nominis inimicum recurrere, & illius favorem implorare, illoque freti nonnullas dictarum partium perſonas eccle-

ecclesiasticas earum beneficiis ecclesiasticis, quæ justis titulis possidebant, etiam & Abbates monasteriis, aliisque regularibus locis suis, in territorio dilecti filii nobilis viri Georgii Castriot nunc ibidem Domini consistentibus, quorum regiminibus in spiritualibus & temporalibus rite & canonice præsidebant, nequiter spoliare, in illisque se intrudere non sine proditoria deceptione & fraude, gravique jactura dicti Georgii continuo adversus eosdem Teucros propter eorum vicinitatem pro defensione catholicæ fidei viriliter pugnantis, qui ob ejusmodi fraudem a possessione supradicti territorii fuit ejectus, ausu temerario præsumpserunt illaque indebite occupata detinere, minime formidantes excommunicationes, & anathemata, & alias sententias ac censuras, & pœnas in tales a jure inflictas, etiam in litteris apostolicis in die Jovis Sancti publice legi solitis contentas, damnabiliter incurrere, in animarum suarum perniciem, catholicæ fidei opprobrium, dictarumque spoliatarum personarum contumeliam & præjudicium, ac exitiabile exemplum, & scandalum plurimorum. Nos igitur ne hujusmodi præsumptores in suis nequitiis glorientur, nec hujusmodi eorum excessus & delicta impunita remaneant, providere, dictarumque spoliatarum personarum indemnitatibus consulere salubriter cupientes, fraternitati tuæ, de qua in his & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus de omnibus & singulis præsumptoribus & occupatoribus prædictis inquisitionem auctoritate nostra faciens diligentem, eos, quos per inquisitionem hujusmodi culpabiles repereris in præmissis, sub similibus, ac etiam aliis, quas verisimiliter magis timebunt, pœnis eadem auctoritate moneas ac moneri facias, ut infra certum eis ad id per te præfigendum peremptorium terminum competentem, ab occupationibus ac detentionibus hujusmodi omnino desistentes, beneficia & monasteria prædicta cum omnibus juribus & pertinentiis suis, illorumque possessionem vacuam & expeditam simul cum eorum fructibus, reditibus, & proventibus universis per eos a tempore intrusionis & occupationis hujusmodi in antea perceptis, seu eorum valoribus, nec non expensis, damnis, & interesse per dictas spoliatas personas propterea factis & passis, personis eisdem, vel earum procuratoribus legitime, libere, & sine aliqua contradictione restituant, solvant, & assignent, de illisque satisfaciant integre & cum effectu. Alioquin dicto termino elapso, singulos eorum, qui hujusmodi monitionibus non paruerint, in prædictas sententias, censuras, & pœnas, a quibus donec restitutionem, solutionem, assignationem & satisfactionem prædictas non fecerint, per alium, præter Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constituti absolvi nequeant, incidisse auctoritate prafata declares; sicque declaratos in ecclesiis & locis aliis congruis coram populo facias sollemniter publicari; & nihilominus legitimis per te super his habendis servatis processibus eos, quoties expedierit, aggravare procures; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Ceterum si per summariam informationem per te super his habendam tibi constiterit, quod processus & monitiones hujusmodi, & pro ipsorum directione processuum faciendæ citationes, eisdem præsumptoribus & occupatoribus tute nequeant publicari, tu processus, monitiones, citationes hujusmodi per edictum locis publicis illis vicinioribus affigendum, de quibus fit verisimilis conjectura, quod ad notitiam præsumptorum & occupatorum eorumdem, ac aliorum, quos ipsi processus concernent, pervenire valeant, quoties opus fuerit, auctoritate publices antedicta. Volumus autem & auctoritate apostolica decernimus, quod processus, monitiones, & citationes hujusmodi perinde ipsos monitos & citatos arcent, ac si eis intimati & insinuati præsentialiter & personaliter extitissent; non obstantibus felicis recordationis Bonifacii PP. VIII. prædecessoris nostri & aliis apostolicis constitutionibus, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, & quibus in hac parte specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; seu si aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarn. Dominicæ 1453. *V. Idus Maji, Pontificatus nostri anno septimo.*

Callistus III. legationem Bosnensem Thomæ prorogavit.

Callistus III. qui anno 1455. Nicolao in sedem pontificiam successit, legationem Bosnensem Thomæ prorogavit; eidemque in Bosinam redeunti, comitibus, familiaribus, equis, ac rebus omnibus, fide publica & pontificia interposita cavet; simulque eum ab omnibus, per quos iter fecerit, honorifice ac liberaliter tractari jubet.

Callistus Episcopus servus servorum Dei universis, & singulis, ad quos præsentes nostræ litteræ pervenerint, sal. & apostol. benedict. Cum Ven. Fratrem nostrum Thomam Episcopum Pharensem legatum missum ad regnum Bosnæ & Croatiæ pro nonnullis nostris arduis, & Romanæ Ecclesiæ negotiis per nos sibi commissis, ad ipsa regna & nonnullas alias mundi partes destinemus; Nos optantes eumdem Episcopum cum ejus comitatu & familiaribus, in personis, equis, & bonis tam pedestribus, quam equestribus, usque ad numerum viginti quatuor personarum, nec non salvis valisiis, armis, arnasiis, libris, vasis argenteis & aureis, ac deauratis, pecuniis cujuscumque conii, & quorumcumque Dominorum tam ecclesiasticorum, quam sæcularium, rebus & bonis suis quibuscumque in eundo, stando, redeundo, plena securitate & immunitate, ac favorabili tractatione gaudeat; universitatem vestram requirimus & hortamur in Domino, subditis vero & officialibus nostris & Romanæ Ecclesiæ ubilibet constitutis Capitaneis, ac peditum conductoribus ad nostræ dictæ ecclesiæ stipendia ubicumque militantibus, districte præcipiendo mandamus, quatenus præfati Episcopi cum comitiva equitum & peditum &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1456. *&c.*

Abbatia S. Nicolai Idensis cōmendata Thomæ Episcopo,

Nec vero pro laboribus in expeditione Bosnensi susceptis, & rebus ad rei catholicæ amplificationem atque utilitatem prudenter ac strenue gestis, Thomæ remuneratio defuit. Cum enim Abbatia S. Nicolai Idensis propter obitum cœnobiarchæ vacaret; & quia deerant, qui in locum e vita decedentium admitti vellent, propter paucitatem monachorum disciplina monastica, divinique cultus dignitas obsoleteceret; illam Pontifex cum omnibus proventibus eidem annexis Thomæ Pharensi Episcopo commendavit.

vit. Verum ille ſuis rationibus & commodis Eccleſiæ ſuæ utilitati poſthabitis, rogavit Calliſtum, ut vellet juberetque eamdem Abbatiam, ejuſque annuos proventus ab ſe ad Eccleſiam Pharienſem transferri, cum eaque perpetuo conjungi. Pontifex igitur Tragurienſi & Scardonenſi Epiſcopis, itemque Archipresbytero Spalatenſi per litteras imperavit, ut vel omnes ſimul, vel unus, alterve eorum, cœnobium *S. Nicolai de Liſſa*, alias *S. Silveſtri de Scopulo Buſi*, ob mortem Abbatis vacuum, ejuſque reditus & vectigalia partim menſæ epiſcopali, partim Canonicis & clericis, partim ædi cathedrali inſulæ Phariæ in perpetuum poſſidenda & fruenda ex auctoritate apoſtolica iiſdem delegata attribuant.

qui ut eamdem Eccleſiæ Pharienſi in perpetuum attribueret, a Calliſto Papa petiit atque impetravit.

Calliſtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Venerabilibus FF. Tragurienſi, & Scardonenſi Epiſcopis, ac dilecto filio Archipresbytero Eccl. Spalaten. ſal. & apoſt. benedict. Ex injuncto nobis deſuper apoſtolicæ ſervitutis officio, curam eccleſiarum præſertim cathedralium & in illis divinis laudibus deditarum perſonarum quarumlibet &c. Sane ad noſtram notitiam deducto, quod Eccleſia Farenſis in reparationibus non parvo indiget auxilio, ac perſonis inibi in divinis ſervientibus, niſi de alicujus ſuſtentationis auxilio provide ſuccurratur, divinus cultus in illa futuris temporibus minuatur; & ob hoc Vener. Fr. noſter Thomas Epiſcopus Faren. qui monaſterium S. Nicolai de Liſſa, alias S. Silveſtri de Scopulo Buſi Faren. diœceſ. ord. S. Benedicti certo modo vacans apoſtolica auctoritate obtinet in commendam, attente conſiderans, quod fructus, reditus, & proventus tam epiſcopalis, quam capitularis menſæ Eccleſiæ Faren. adeo tenues ſunt, quod ad perferendum diverſa, quæ eiſdem pro tempore incumbunt onera, ac pro ipſius eccleſiæ prælatorum, Canonicorum, & beneficiatorum, qui plures numero ſunt, ſubſtentatione decenti nequaquam ſufficiant, quodque cujuslibet ipſius eccleſiæ præbendæ fructus, reditus, proventus ultra ſexdecim florenos auri de camera ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum non excedunt, ac propterea prælati, Canonici, & beneficiati prædicti, divinis in ipſa eccleſia, prout deberent, intereſſe non poſſint officiis; quibus ſi dictum monaſterium cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, ſuppreſſis in illo abbatiali dignitate & ordine prædicto, perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, eccleſia ipſa in ſuis opportunitatibus non modicum ſuſciperet relevamen, ac divinus cultus augeretur in illa: cum itaque deinde ſicut accepimus, præfatus Epiſcopus præmiſſis per eum attentis, ad hoc, quod dignum Dei devotione in dicta eccleſia peragatur officium, ipſique Canonici & beneficiati ut divinis hujuſmodi inibi congruentius intendere valeant, commendæ hujuſmodi monaſterii, ut illius fructus, reditus, & proventus, qui ducentorum florenorum auri ſimilium ſecundum communem æſtimationem valorem annuum non excedunt, ad opus quotidianæ diſtributionis inter illos, qui apud eamdem eccleſiam pro tempore reſederint & præmiſſis divinis officiis interfuerint, ac reparationis prædictæ eccleſiæ fiendæ dividantur, ſponte & libere cedere propoſuerit & proponat; Nos votis ejuſdem Epiſcopi in hac parte favorabiliter annuentes, ac fabricæ & reparationi, nec non divino cultui in ipſa eccleſia exhibendo intendentes, & dicti monaſterii veræ vacationis modum pro expreſſo habentes, & abbatialem dignitatem & ordinem antedictum in illo ſupprimentes & extinguentes, motu proprio, non ad alicujus ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſeu de noſtra liberalitate, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, vel unus veſtrum ab eodem Epiſcopo, vel procuratore ſuo ad hoc ab eo ſpecialiter conſtituto, ceſſionem hujuſmodi, ſi eam in manibus veſtris facere voluerit, ut præfertur, auctoritate noſtra, hac vice dumtaxat, recipiatis & admittatis; eaque per vos recepta & admiſſa, monaſterium prædictum, quod in loco ſilveſtri poſitum & ſine cura eſt, ſive per ceſſionem hujuſmodi nunc, ſive alias quovis modo, aut ex alterius cujuſcumque perſona vacet, & illius commenda expiret, aut quod generaliter aut ſpecialiter illius diſpoſitio ad Sedem Apoſtolicam pertineat cum omnibus juribus ſuis & pertinentiis ſuis, dummodo illi de Abbate canonice proviſum, aut illud alteri commendatum non fuerit, eidem eccleſiæ ſub infraſcriptis illius fructuum, redituum, & proventuum diviſionibus; videlicet, ut illorum quarta epiſcopali menſæ pro illius oneribus ſupportandis, ac duæ quotidianis diſtributionibus inter Canonicos & beneficiatos, ac alios clericos deſervientes & divinis intereſſentes in eiſdem eccleſia & monaſterio, juxta noſtram & ordinarii loci diſpoſitionem, & reliquæ partes pro fabrica & reparatione eccleſiæ & monaſterii prædictorum deputentur, applicentur, ac diſtribuantur; apoſtolica auctoritate perpetuo unire, annectere, incorporare, & illius fructus, ut præmittitur, appropriare & applicare curetis; ita quod liceat Epiſcopo, prælatis, Canonicis, beneficiatis, & aliis perſonis prædictis, poſtquam unionem, incorporationem, annexionem, appropriationem & applicationem hujuſmodi feceritis, ut præfertur, illius poſſeſſionem propria auctoritate libere apprehendere & perpetuo retinere, nec non fructus, reditus, proventus monaſterii hujuſmodi petere, exigere, & inter ſe, prout præmittitur, dividere & diſtribuere, ac in ſuos & eccleſiæ ac monaſterii prædictorum uſus convertere, dioceſani loci, & cujuslibet alterius ſuper hoc licentia minime requiſita. Non obſtantibus conſtitutionibus &c. Volumus autem, quod per unionem, annexionem, & incorporationem hujuſmodi, ſi illas vigore præſentium fieri & effectum ſortiri contingat, eccleſiæ & monaſterii hujuſmodi bona ſive mobilia, ſive immobilia exiſtant, ad profanos uſus, veluti hæreditas, minime redigantur, ſed eorum debite ſupportentur onera conſueta. Et inſuper irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attemptari. Dat. Romæ apud S. Petrum An. Incarn. Dominicæ 1458. XV. Calend. Jul. Pontific. noſtri an. IV.

Pius II. Calliſto ſublectus anno 1458. Thomam in legatione Boſnenſi retinendum eſſe cenſuit, quod ejus opera ad rem catholicam in illis partibus tuendam & amplificandam perutilis eſſet, ac neceſſaria. Sed per idem fere tempus Stephanus Thomaſcus rex Boſinæ a bene cœptis deſciſcens, regnum ac religionem in magnum diſcrimen adduxit; quippe clandeſtino fœdere cum Turcis inito, bellum Stephano duci S. Sabbæ ſocero ſuo intulit, Turcaſque in ejus ditionem evocavit. Quod cum nuntiatum eſſet Pontifici poſt dimiſſum conventum Mantuanum, ad quem ipſemet rex ſuos oratores miſerat, ad Thomam Epiſcopum Pharienſem anno 1460. xv. Kal. Februarii, antequam Mantua diſcederet, ſcri-

Pius II. legationem Boſnenſem Thomæ prorogavit.

ſcripſit in hanc ſententiam: graviter ſe, pro eo ac debuit, & peracerbe tuliſſe perverſitatem ac malitiam Stephani regis Boſinæ, quod pacem cum Stephano duce S. Sabbæ, interventu atque auctoritate legati pontificii firmatam, violaverit, atque ad ejuſdem ditionem populandam ac diripiendam Turcas adſciverit, qui chriſtianos quamplurimos in teterrimam ſervitutem abduxere: nunc vero id agere ac moliri, ut caſtrum Ciaſinæ, oppidum ejuſdem ducis, in Turcarum poteſtatem tradat, unde chriſtianis ex propinquo immineant, atque inſultent. Itaque legato ſuo præcipit, ut, ſi rem ita eſſe compererit, quemadmodum ſibi nuntiatum fuerat, ſtatim denuntiet Stephano regi, ceteriſque omnibus, qui eidem ad hujuſmodi flagitia conſilium & operam præbuerunt, piorum congreſſu, ſacriſque omnibus interdictum eſſe; atque adeo, ſi rei chriſtianæ opportunum eſſe duxerit, univerſas illius civitates atque oppida interdicto ſubjiciat. Sed inſcriptio epiſtolæ ad Thomam Epiſcopum Pharienſem carebat titulo *Legati Sedis Apoſtolicæ*, per errorem amanuenſis prætermiſſo; quem exprimi diſerteque addi oportuerat, ut Thomas tradita ſibi extraordinaria illa poteſtate uti poſſet ad pontificia mandata exſequenda, ſine qua irritum futurum erat quidquid ageret, vel decerneret. Ergo Pontifex Senis cum eſſet, eodem anno XVII. Kal. Maji litteras alteras dedit, quarum inſcriptio hæc erat: *Venerabili Fratri noſtro Thomæ Epiſcopo Pharenſi in partibus Boſnæ Apoſtolicæ Sedis legato*; eique imperavit, ut omnia & ſingula exſequeretur, quæ juſſerat ſuperioribus litteris, quas huic epiſtolæ inſeruit, quamquam in illis titulus *Legati Sedis Apoſtolicæ* deeſſet.

Pius excommunicatum declarari jubet regem Boſinæ.

Pii II. litteræ ad Thomam legatum.

Pius PP. II. Venerab. &c. Venerabilis frater, ſalutem & apoſt. benedict. Scripſimus alias fraternitati tuæ litteras in forma Brevis continentia ac tenoris infraſcripti, videlicet: Pius PP. II. &c. Venerab. frater, ſalutem & apoſt. benedict. Intelleximus non ſine præcipuo animi dolore cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Stephanum Thomam Boſnæ regem illuſtrem, violata pace inter eum & dilectum filium nobilem virum ducem Stephanum S. Sabbæ, interventu oratoris noſtri firmata ac ſtabilita, perfidiſſimis Turcis adhæſiſſe, illoſque in patriam ipſius ducis adducendo, maximis calamitatibus regiones illas ſubjeciſſe; ob quod quam plures animæ Chriſti fidelium in miſerrimam ſervitutem adductæ extiterunt. Nec contentus ſupradictis, idem rex quærit & procurat, ut caſtrum Ciaſinæ, quod ad dictum ducem ſpectare dignoſcitur, in Turcarum poteſtatem deveniat; quæ res ſi ſequatur, non modicum periculum chriſtianis finitimis immineret, cum caſtrum hujuſmodi non parvi momenti habeatur. Nos dolentes ab intimis hæc mala eveniſſe, & ut pax prædicta, tanto labore etiam ad dicti regis inſtantiam procurata, ita turbata fuerit; ac intendentes, ut ſuper his juſtitia miniſtretur, de prædictis certam notitiam non habentes, fraternitati tuæ per præſentes committimus & mandamus, ut ſuper præmiſſis omnibus ac eorum circumſtantiis univerſis te diligenter informes, & vocatis procuratoribus partium, ſi prædicta vera eſſe repereris, memoratum regem & quoſcumque alios excommunicationis ſententias incurriſſe declarare, ſicut de jure fuerit faciendum, & pro cauſa fidei videris expedire, poſſis & valeas; civitates & loca, ſi opus fuerit, etiam eccleſiaſtico interdicto ſubjiciendo: dictoſque excommunicatos ab omnibus evitari mandes, donec a præmiſſis ſe penitus retraxerint, & ad cor reverſi abſolutionis beneficium meruerint a Sede Apoſtolica obtinere. Super quibus plenam & liberam tibi harum ſerie concedimus facultatem. Datum Mantuæ ſub annulo piſcatoris, die 18. Januarii 1460. Pontificatus noſtri anno II. Volumus igitur ac tuæ fraternitati per præſentes iterum committimus, & mandamus, ut omnia & ſingula in dicto Brevi contenta diligenter exequi ſtudeas; non obſtante quod in ejus ſuperſcriptione poſita non ſint illa verba, Apoſtolicæ Sedis legato, *& aliis in contrarium facientibus quibuſcumque.*

Datum Senis ſub annulo piſcatoris, die 15. Aprilis 1460. Pontificatus noſtri anno II.

At Stephanus quidem rex Boſinæ intra paucos menſes perfidiæ ſuæ pœnas dedit, a fratre filioque interfectus, & poſt triennium Boſinenſes ſub imperium ditionemque Turcarum ceciderunt. Thomas ad ſuam eccleſiam reverſus eſt, quam identidem interviſere ſolebat, dum legatione Boſnenſi fungebatur. Cum annos fere quadraginta Epiſcopatum Pharienſem tenuiſſet, non magis de ſua, quam de univerſa eccleſia optime meritus, e vita migravit anno circiter 1466. Dum huic eccleſiæ præſidebat, an. 1461. rogatu Pharienſium & Pii Summi Pontificis conceſſu extructum eſt prope urbem cœnobium Patribus Franciſcanis rigidioris obſervantiæ, ut Vadingus ſcriptum reliquit Tomo VI. Annal. *In Phariæ, alias Faræ inſula maris Adriatici urbs eſt ejuſdem nominis, prope quam hoc tempore, annuente Pio, cives conſiderantes per centum milliaria nullum eſſe Minoritarum cœnobium, unum extruxerunt Fratrum obſervantium provinciæ Dalmatiæ, ſub appellatione S. Mariæ Gratiarum. A Turcis poſtea combuſtum, ſed melius refecerunt.*

Cœnobium Franciſcanum in ſuburbio conditum.

NICOLAUS III. EP. PHARIENSIS XIX.

Huic cognomentum fuit *a Crucibus*; cum Epiſcopatu Pharienſi duo Sacerdotia obtinebat ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ, alterum S. Joannis de Stivallo ordinis Benedictini in diœceſi Drivaſtenſi, alterum S. Nicolai Iſſenſis; ex hujus tamen reditibus ipſe ex decreto Calliſti III. unam tantummodo partem percipiebat, cum duæ ad Capitulum & clerum, quarta ad ædem cathedralem & eccleſiam S. Nicolai pertinerent. De fructibus eccleſiaſticis rite perceptis & acquiſitis, ad ſummam mille & quingentorum aureorum teſtandi & cui vellet relinquendi facultatem petiit & obtinuit a Sixto IV. Pontifice, ſalvo tamen jure tum creditorum, ſi quibus obnoxius eſſet, tum ædium & poſſeſſionum ſacrarum, ſi quid detrimenti ob ejus culpam & negligentiam cœpiſſent. Extat diploma pontificium in hæc verba. *Xiſtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Ven. Fr. Nicolao Epiſcopo Pharen. ſalutem & apoſtol. benedict. Quia præſentis vitæ conditio ſtatum habet inſtabilem, & ea, quæ viſibilem habent eſſentiam, inviſibiliter tendunt ad non eſſe; tu hoc ſalubri meditatione permeditans, diem peregrinationis tuæ extremum diſpoſitione teſtamentaria deſideras prævenire. Nos te, qui Eccleſiæ Pharenſi præeſſe dignoſceris, & ut aſſeris, S. Nicolai de Liſſa Pharen. ac S. Joannis de Stivallo ord. S. Benedicti Drivaſten. diœceſ. monaſteria ex conceſſione apoſtolica una cum dicta eccleſia obtines, gratioſo favore proſequi volentes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclina-*

Nicolaus Ep. poteſtatem condendi Teſtamenti a Sixto IV. impetravit.

clinati; uſque ad quantitatem mille & quingentorum ducatorum auri de Camera, de quibuſcumque bonis mobilibus etiam eccleſiaſticis, per te alias tamen licite acquiſitis, tuæ diſpoſitioni, ſeu adminiſtrationi conceſſis, quæ tamen non fuerint altarium, ſive eccleſiarum tibi commiſſarum miniſterio, ſeu alicui ſpirituali eorumdem eccleſiarum divino cultui ſeu uſui deputata, etiam pro decentibus & honeſtis expenſis tui funeris, & pro remuneratione illorum, qui tibi viventi ſervierunt, ſive ſint conſanguinei, ſive alii juxta ſervitutis meritum & tuum arbitrium, moderate tamen, & de illis teſtandi, ac de eis diſponendi, & ea erogandi, ac alias convertendi in pios & licitos uſus; prius tamen de omnibus prædictis, ære alieno & iis, quæ pro reparandis domibus, ſeu ædificiis conſiſtentibus in locis eccleſiarum & beneficiorum tuorum, culpa, vel negligentia tua, ſeu procuratorum tuorum diſtructis, ſeu deterioratis, nec non reſtaurandis aliis juribus earumdem eccleſiarum, vel beneficiorum deperditis ex culpa vel negligentia ſupradictis, fuerint opportuna, deductis; plenam & liberam fraternitati tuæ apoſtolica auctoritate concedimus facultatem. Volumus autem, ut in eorum eccleſiaſticorum diſpoſitione bonorum juxta quantitatem reſidui erga eccleſias, a quibus ea percepiſti, te liberalem exhibeas, prout conſcientia tibi dictaverit, & animæ tuæ ſaluti crederis expedire.

Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarn. Dominicæ 1471. *V. Id. Martii, Pontific. noſtri an. primo.*

Nicolaus igitur, cum ei longinquum iter ſuſcipiendum eſſet, teſtamentum fecit, & hæredes ſcripſit Chriſtophorum de Ubertis ſororis filium, & Gabrielem ejuſdem Chriſtophori filium; quibus an. 1473. poſt mortem Nicolai facta eſt poteſtas hæreditatis adeundæ a Dominico Epiſcopo Brixienſi, *Sanctiſſimi Domini Pp. in alma urbe & ejus diſtrictu Vicario generali;* ad quem hæredes ſupremas avunculi tabulas rite obſignatas detulerunt, ut eas reſerari, & executioni mandari juberet. Tabulas hic ſubjicio. *Ego Nicolaus a Crucibus Epiſcopus Phar. conſiderans varios eventus, & periculum mortis, & viarum diſcrimina, quæ ad præſentes facturus ſum verſus Cataloniam & Hiſpaniam, & brevitatem vitæ hominis, & incertitudinem diei mortis, & neceſſitatem ipſius mortis, habens facultatem libere teſtandi uſque ad ſummam mille quingentorum ducatorum, prout apparet per Bullam Domini Sixti Pp. quæ eſt penes Gabrielem nepotem meum, primo inſtituo & eſſe volo hæredes noſtros honorabilem virum Chriſtophorum de Ubertis nepotem meum, & Gabrielem ejus filium, & ſi alter eorum præmoreretur, alter eorum ſuperſtes hæres ſit, in plena poteſtate &c. Item dimitto Antonio de Ubertis ducatos centum auri; & ſi aliquid de dicta ſumma* 1500. *ducatorum ſupererit, illud relinquo eccleſiæ meæ . . . Uſque modo reſto exigere a debitoribus & affictualibus meis ducatos mille, & ultra. Et hanc volo eſſe meam ultimam voluntatem &c. & ſi ambo morerentur, ſubſtituo filios dicti Chriſtophori. Volo tamen quod familiaribus meis, qui tempore mortis reperientur, detur eis ſecundum laudabilem voluntatem aliorum Prælatorum.*

Ego Nicolaus ſupradictus manu mea ſcripſi.

Teſtamentum Nicolai Epiſc. Pharien.

LAURENTIUS EP. PHARIENSIS XX.

Laurentius Judex delegatus in quadam controverſia eccleſiaſtica.

Erat ex Michaelia nobiliſſima & patricia inter Venetos familia. Jam inde ab anno 1473. hujus eccleſiæ regimen ſuſceperat; nam F. Antonius de Bono ex ordine S. Dominici in quadam controverſia, quæ illi erat cum Joanne Presbytero Montis ſilicis, pertinebatque ad eccleſiam S. Martini, cum ex ſententia Andreæ Bembi Canonici Patavini cauſſa cecidiſſet, ab ejuſque judicio appellaſſet, judicem impetravit Laurentium Michaelium Epiſcopum; id quod ex tabulario S. Juſtinæ de Monte ſilicis tranſcripſit Abbas Brunatius, & nobiſcum communicavit. *Anno MCCCCLXXIII. In cauſa eccleſie parochialis S. Martini de Monteſilice; ſuper qua vertitur queſtio inter presbiterum Johannem Petrum de Spolatoribus de Monteſilice, & Fratrem Antonium Bono ord. Predicat. Dominus presbiter Johannes habuit primam ſententiam in favorem ſuum, que fuit lata per Dom. Andream Bembo Canonicum Paduanum anno* 1473. *die Jovis* 14. *Januarii, impetratum a dicto Fr. Antonio: & dictus Joh. Petrus poſt collationem eccleſie habuit poſſeſſionem ipſius, & etiam de preſenti eam poſſidet. Sed dictus Fr. Antonius in cauſa appellationis impetravit judicem delegatum D. Laurentium Michael Epiſcopum Farenſem, virum juris penitus ignarum, qui conſuevit ſemper facere ſententias pro eis, qui eum judicem impetrant.*

Collegium Virginum Brattienſe inſtituit.

Inſtituit collegium, ab S. Maria cognominatum, ſacrarum Virginum apud Nereſim oppidum inſulæ Brattiæ, primamque ejus loci Antiſtitam præfecit Thomizam lectiſſimam feminam, quæ collegium illum paternis ac dotalibus bonis inſtruxerat; huic autem poſt mortem in eam præfecturam ſuccedendi jus dedit Catharinæ Bilojevichiæ: quod quidem jus poſt obitum Laurentii Epiſcopi, itemque Thomizæ Antiſtitæ, confirmavit anno 1491. Vitus de Ruſchis Epiſcopus Dumnenſis & Bartholomæi Averoldi Archiepiſcopi Spalatenſis Vicarius generalis, ut conſtat ex ejus litteris, quæ ſunt ejuſmodi. *Vitus de Ruſchis Dei & Ap. Sedis gratia Epiſc. Dumnenſis, ac totius terræ Cumnen. Rever. in Chriſto Patris & Dom. Domini Bartholomæi Averoldi J.U.D. miſ. div. Archiep. Spalat. locumtenens & vic. gen. Catharinæ Bilojevich de Brachia moniali ſal. Expetitum nobis fuit ex parte tua, quod cum in eccleſia & monaſterio S. Mariæ de Nereſi diu devoteque Deo deſervieris, & in eodem perſeverare ad extremum uſque tuæ vitæ diem Domino concedente diſpoſueris; tibi a Rever. Patre D. Laurentio Michaele olim Epiſcopo Pharen. & Brachien. fuit de gratia ſpeciali conceſſum, quod poſt mortem Thomizæ dicti monaſterii fundatricis, in eodem principalis exiſtas . . . & alia multa, quæ in litteris confectis per prælibatum olim Rev. D. Epiſcopum ſuper tali conceſſione late continentur . . . . quæ quidem coram nobis productæ & præſentatæ fuerunt, imploratumque a nobis humiliter exiſtit, ut dictum privilegium, ſeu conceſſionem, ut ſupra tibi conceſſum & factum, auctoritate metropolitana ſolidare & confirmare dignaremur. Nos vero de tui vita, ac tuarum virtutum meritis optimam habentes relationem & notitiam, ut a nemine nobis inferiore contra dictæ conceſſionis formam valeat quoquo modo, vel ingenio moleſtari, utque ne propter alicujus moleſtiam tibi inferre volentis temeritatem poſſis litigiis a*

Dei

Dei ſervitio removeri, annuentes tuæ honeſtæ petitioni, dictam conceſſionem tibi, ut ſupra, factam, ceteraque omnia in præmiſſis litteris contenta, auctoritate metropolitica corroboramus, & confirmamus. In quorum &c. Dat. die 24. Septembr. 1491.

Tria Laurentii decreta.

Laurentius tria decreta condidit, quæ ad Capitulum, clerum, & chorum pertinent: ſunt autem hæc. *Nos Laurentius Michael Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Pharen. & Brachien. Quia pœnam pecuniariam non parvi pendit aliquis, ordinamus, quod nullus Presbyter cujuſque fuerit conditionis non audeat aut præſumat extra civitatem ad rus, ſive alio accedere, ſine licentia ſpeciali expetita & obtenta a nobis, aut Vicario noſtro ſub pœna ſolidi pro quolibet officio, quo ſteterit extra eccleſiam ſine licentia; quam pœnam infra terminum unius diei ſolvere debeat nobis, ſive Vicario noſtro, & vadat ad fabricam eccleſiæ noſtræ, ſub pœna ſuſpenſionis, niſi ſolverit in termino dictam pœnam.*

Ordinamus quod pecunia operæ & diſtributionum non poſſit per Capitulum, ſive aliquem alium expendi, accommodari, dari, aut aliquo modo malignari, præterquam in fabrica noſtræ eccleſiæ, & ad diſtributiones quotidianas, ſecundum formam litterarum apoſtolicarum, ſub pœna excommunicationis.

Item ordinamus & mandamus, quod omnes cujuſcumque conditionis exiſtant, choro interſint, & ſi quis infra primum pſalmum in choro cum cotta non fuerit inventus, qui ſtare debeat devote, non loquendo nec ridendo, ſed attendendo divino, prout tenetur, officio, puniatur pœna amittendi ſolidum illius officii.

Ab anno circiter 1473. uſque ad annum fere nonageſimum præfuit.

HIERONYMUS EP. PHARIENSIS XXI.

E gente Dieda itidem patricia apud Venetos. Hujus mentionem factam reperio ſemel anno 1490. in actis Viti Dumnenſis Epiſcopi & Vicarii gen. Averoldi Metropolitæ, ubi agitur de quadam controverſia matrimoniali Pharienſi, cujus cognitionem Sedes Apoſtolica, ad quam appellatum fuerat, eidem Vicario metropolitano delegaverat: *Coram vobis Reverendiſſimo in Chriſto Patri D. D. Hieronymo Diedo Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Pharen. & Bractien. benemerito comparuit &c. qui Rev. D. Epiſcopus audita appellatione &c. admiſit &c. anno* 1490. Anno itidem ſequenti ejus nomen inſcriptum eſt actis curiæ archiepiſcopalis *VI. Idus Auguſti*. Paullo poſt e vita migravit.

Poſt ejus obitum Nicolaus Sillevichius, viſitator atque adminiſtrator conſtitutus eſt a Vicario generali Metropol. Spalaten.

Cum ſive per incuriam, ſive per fraudem & malitiam Canonicorum creatio novi Epiſcopi non ſine detrimento rei chriſtianæ & eccleſiaſticæ protraheretur; Hieronymus de Cipicis Vicarius generalis Bartholomæi Averoldi Archiepiſcopi abſentis pro ſuo jure atque officio huic malo providendum cenſuit, & Nicolaum Sillevichium Primicerium Pharienſem huic eccleſiæ adminiſtratorem, & Proepiſcopum dedit, ut conſtat ex ejus litteris. *Hieronymus N. Alberti de Cipicis J. U. D. Canonicus Eccl. Spal. Rever. in Chriſto Patris D. D. Bartholomæi Averoldi Archiep. Spal. Vic. gen. Venerab. viro D. Nicolao Sillevich Primicerio Eccleſiæ Pharen. Cum propter iſtius Capituli malitiam & negligentiam in providendo iſti Pharen. Eccleſiæ, ſede vacante, Eccleſia ipſa incommodum quam maximum paſſa ſit & detrimentum, & magis patiatur in dies, in Capituli ipſius citati contumaciam declaravimus ad nos per officium noſtrum ſpectare de jure facultatem & juriſdictionem dandi & creandi viſitatorem & adminiſtratorem ſæpe dictæ Eccleſiæ in ſpiritualibus & temporalibus. Quam itaque creationem & electionem facere volentes, conſideranteſque ſufficientiam, maturitatem, morum probitatem, ac vitæ integritatem, quas te habere novimus & perſpeximus; in viſitatorem & adminiſtratorem te elegimus, & creavimus, ſtatuimuſque, in tali onere permanſurum, donec & quouſque per ſententiam Sedis Apoſtolicæ Eccleſiæ prædictæ aliter providcatur; dantes vobis & afferentes in ſpirit. & temporal. omnem auctoritatem, facultatem, juriſdictionem, atque poteſtatem a jure conceſſam. In quorum fidem &c. Dat. in Archiep. pal. die vero 13. m. Decemb.* 1491. Nicolaus id muneris geſſit retinuitque uſque ad menſem Junium an. 1492. ut docent litteræ ejuſdem Hieronymi Vic. metropolitani inſcriptæ *Ven. viro Nic. Sillevich viſit. & adminiſt. Eccl. Pharien.* quæ ſervantur in tabulario Arch. Spalaten.

BERNARDINUS EP. PHARIENSIS XXII.

De quo in actis conſiſtorialibus: 1492. *providit* (Innocentius VIII.) *motu proprio de perſona D. Bernardini de Fabiis Eccl. Farenſi vacanti per obitum b. m. D. . . . . ultimi Epiſcopi.* Anno ſequenti, menſe Auguſto, nondum ad ſuam eccleſiam acceſſerat, & Venetiis morabatur, ut colligitur ex epiſtola eodem anno & menſe ſcripta Viti de Ruſchis Vic. gen. Metropolitæ Spalatenſis ad Lurinum Archidiaconum Pharienſem, quem Bernardinus abſens Vicarium ſui muneris paſtoralis conſtituerat. Extant in tabulario Archiep. Spalaten. duæ epiſtolæ Hieronymi Mazzarelli Archipresb. Tragurien. & Vicarii gen. Bartholomæi Averoldi Metropolitæ Spalatenſis, altera an. 1496. altera an. 1498. inſcriptæ *Rever. in Chriſto Patri Dom. D. Bernardino de Fabiis J. U. D. Dei & Apoſticæ Sed. gratia Epiſcopo Pharen. & Brachien. &c.*

Lurinus Archidiac. Pharien. Vic. gen. Bernardini Ep.

Indulgentiis ædem cathedralē S. Stephani ditavit Julius II. P.

An. 1504. ineunte Julius II. Pontifex Max. rogatu Stephani civis Pharienſis ſuique familiaris cumulatiſſimam peccatorum omnium veniam impertivit omnibus & ſingulis, qui rite expiati eodem anno poſtridie Kalendas Auguſti ædem cathedralem S. Stephani Papæ martyris caſte pieque inviſerent, eique ad ornatum templi & ſacram ſupellectilem augendam aliquid contribuerent; in poſteros vero quinque & viginti annos eamdem eodem die viſentibus tantumdem remiſit de pœna cujuſque delictis debita, quantum ad eadem expianda ſufficerent opera pœnalia ſeptem annorum per Canones injuncta.

Julius &c. univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cupimus quod cathedralis eccleſia S. Stephani Papæ & martyris, prope, & extra muros civitatis Pharenſis, ad quam dilectus filius Stephanus Tocich laicus familiaris noſter ſingularem devotionem gerit, congruis frequentetur honoribus, ac libris, calicibus, veſtibus ſacerdotalibus, & aliis ornamentis decoretur, aliiſque neceſſariis exornetur, Chriſtique fideles libentius devotionis cauſa confluant, quo Chriſtiani dona cæleſtis gratiæ uberius conſequantur; de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri

tri & Paulli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus fidelibus antedictis vere pœnitentibus & confeſſis, qui dictam eccleſiam B. Stephani Papæ & martyris a primis uſque ad ſecundas veſperas incluſive, devote viſitaverint, & pro ædificiorum, ornamentorum . . . manus porrexerint adjutrices . . . , præſenti anno plenariam peccatorum ſuorum remiſſionem & indulgentiam elargimur ; ſequentibus vero ſeptem annos de injunctis eis pœnitentiis in forma eccleſiæ conſueta miſericorditer in Domino relaxamus ; præſentibus uſque ad annos viginti quinque dumtaxat valituris. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris 23. Januarii 1504. pontificatus noſtri anno primo.

Bernardus Zannius Metrop. Spalaten. inviſit Eccleſiam Pharien & ſalubberrimum decretum condidit.

Eodem anno ſub initium menſis Auguſti Bernardinus Epiſcopus cum clero populoque obviam proceſſit Bernardo Zanno metropolitæ provinciam Spalatenſem luſtranti, eumque perhonorifice excepit. Hic poſtquam diligenti inquiſitione adhibita de toto ſtatu rei chriſtianæ & eccleſiaſticæ cognoviſſet, decretum condidit, quod tum ad valvas eccleſiæ cathedralis affigi, ut notum eſſet omnibus, tum in codicem ſanctionum ſynodalium referri juſſit, ut in perpetuum vigeret ac valeret. In eo multa continentur, quæ ad diſciplinam cleri, frequentiam chori, dignitatem cultus divini reſtituendam pertinent. Illud ſingulari commemoratione dignum, quod cum multæ contra Epiſcopum criminationes oblatæ fuiſſent, quas poſt accuratam diſquiſitionem nullis neque rationibus, neque teſtibus ad fidem faciendam idoneis inniti compererat; eum non modo abſolvit verbis ampliſſimis, ſed etiam ejus doctrinam, integritatem, ſollicitam & aſſiduam chriſtianæ plebis erudiendæ regendæque curam debitis laudibus affecit.

Eiuſdem Conſtitutio.

Conſtitutio ſeu ordinatio tempore procurationis ſeu viſitationis facta per Rever. D. Archiepiſcopum Spalatenſem in eccleſia cathedrali Pharenſi, eidem in ſpiritualibus ſubjecta tam circa caput ejuſdem, quam circa membra.

Nos Bernardus Zane patricius Venetus, artium Doctor & Sacræ Theologiæ magiſter, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Spalatenſis, & Dalmatiæ Primas, omnibus hanc noſtram conſtitutionem legentibus ſalutem in Chriſto. Archiepiſcopalis dignitas, & metropolitana, qua nos Deus licet indignos decoravit, expoſtulat, ut non tam eccleſiæ noſtræ Spalatenſi metropolitanæ & ejus miniſtris, quam ceteris Dominorum Suffraganeorum noſtrorum conſulamus & provideamus. Quare ad eccleſiam cathedralem Pharenſem S. Stephani, nobis in ſpiritualibus ſubjectæ devenimus; ubi facta diligenti examinatione, inquiſitione, & ad populum proteſtatione, ut ſi quid eſſet nota dignum tam contra caput, quam contra membra, nobis inſinuaret, cum ea, quæ ſunt facti, probabiliter ignorentur; tandem conſiderantes eccleſiæ prædictæ ſtatu & ejus ſponſi ſcilicet Reverendi Patris juris utriuſque Doctoris Domini Bernardini de Fabiis conditionibus, Canonicorum, Presbyterorum, ac clericorum qualitatibus, annuente Altiſſimo, ad infraſcriptam ſanctionem & inviolabile decretum devenimus, non diſcedendo propterea a ſynodalibus conſtitutionibus prædeceſſorum noſtrorum, imo eas in omnibus & per omnia approbantes & ſuſcipientes; & quia quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio, addentes infraſcripta, quæ ſub excommunicationis pœna lata ſententiæ ceteris (ipſi vero D. Epiſcopo ob reverentiam pontificalis dignitatis ſub pœna ſuſpenſionis a divinis, & ab ingreſſu eccleſiæ) præcipimus inviolabiliter obſervanda. Primo igitur ſtatuimus, ut eccleſia ipſa Pharenſis debitis divinis non fraudetur obſequiis, & quod nullus quavis occaſione vel cauſa abſens participet quotidianas diſtributiones, niſi forſan ob eccleſiæ ipſius utilitatem eum contingeret abſentari, præcipientes ſacriſtæ, vel quovis alteri ad hoc deputato, ut nullo reſpectu, amore, vel odio debeat punctaturas annotare, ideſt nec plus, nec minus, ſed tot, quot fuerint in exiſtentia: & quod diximus in diſtributionibus, idem in funeralibus intelligimus, quod abſentes ea participare minime valeant. Inſuper decernimus, & mandamus, ut quilibet ſacriſta pro tempore exiſtens omnia bona ipſius eccleſiæ, quæcumque & qualiacumque fuerint, per inventarium recipere debeat; & in fine officii ſui, vel quandocumque ab ipſo Rever. Epiſcopo, ſive Capitulo fuerit requiſitus, teneatur omnium reddere bonorum computum & rationem; & ſi quæ forſan deficerent, nulla in contrarium excuſatio admittatur, quin ipſe ſolvat, quod per dictum Rever. Epiſcopum vel Capitulum fuerit judicatum. De ſolutione hujuſmodi . . . quam citius fieri poterit, reparetur, & redintegretur. Circa vero ipſum Rev. Epiſcopum, facta diligenti examinatione & inquiſitione, etſi multa contra perſonam ſuam fuerint objecta, quia tamen non probata, eum invenimus moribus, vitæ honeſtate, & excellenti doctrina inſignitum, & paſtoralem curam ſufficientem pro viribus populo ſuo tribuiſſe . . . autem plures contra dominationem ſuam reclamaſſe, ſe ſcilicet in quibuſdam affectibus ſuis, quos ſuſcipierant, oppreſſos fuiſſe . . . nunquam fuit ſuæ dominationis intentio; ut querelarum occaſio evitetur & ſua dominatio perperam in futurum non accuſetur, ſed ne ipſe, nec aliquis ſucceſſorum poſſit & valeat aliquem ex ſuis clericis, vel . . . tam in civitate, quam diœceſi Pharenſi conſtitutos aſtringere, vel cogere ad . . . introitus, ſive decimas in affectum ſuſcipiendos, & ipſe, vel ipſi libere ac licite . . . cenſura, vel pœna poſſint & valeant talem affectum pro libito ſuæ voluntatis . . . & tam ſuſceptum, ſi forſan ſe gravatos perſenſerint, derelinquere, facta . . . . fructuum ſeu decimarum perceptarum ſatisfactione, juxta locationem præteritam . . . vero eccleſiæ iſtius cathedralis principali, ac animarum eidem immediate ſubjectarum nobis . . . dignitatem, ſtatum, & ſalutem eidem in Domino condemnamus. Quo ad Capitulum, & clerum . . . & inviolabili ſanctione decernimus, ut tam Archidiaconus, Archipresbyter, Primicerius, quam ceteri Canonici, Presbyteri, & clerici in civitate & diœceſi Pharenſi conſtituti prædicto Domino Epiſcopo vel ejus Vicario ſint obſequentes & obedientes, ac eidem debitam exhibeant reverentiam. Omnes ſemper in habitu, & tonſura, ideſt nec comam, nec barbam quavis occaſione vel cauſſa nutrientes, & capuceum deferentes, & in choro zamphardas ſuum proprium & antiquum inſigne numquam relinquentes; ad quas una cum capuceis inveniendas omnibus & ſingulis terminum duorum menſium proxime futurorum ultimum & peremptorium ſub prædicta pœna aſſignamus. Ceteris omnibus & ſingulis prædictis ſub eadem pœna ac privatione omnium ſuorum beneficiorum injungimus, & mandamus, ne quovis colore vel cauſa in ſua domo detineant mulieres ſuſpectas, ſive affines in quovis gradu, ſive extraneas; quas ſi detinere præſumpſerint, ipſo facto excommuni-

municationem ſe noverint incurriſſe, ac a divinis ſuſpenſionem, a qua nec ab Epiſcopo ſuo, nec aliquo alio, niſi a nobis, aut ſuperiori noſtro abſolutionis munus valeant impetrare; adjungentes ne alicui prædictorum poſt ſecundam horam noctis, niſi cauſa legitima ſubſiſtente, per urbem, ſive burgum, & alienas domos liceat ambulare vel curſitare; præcipientes etiam, ut ordinem noſtrum metropoliticum in celebratione Miſſarum ſervare debeant, ſcilicet omnibus feſtivis diebus aliquis in dignitate conſtitutus, aut Canonicus majorem Miſſam celebret, & alter Canonicus Evangelium, prout in ſynodali conſtitutione XXI. continetur. Et quia omnium indifferenter eſt nobis cura & ſollicitudo, imo ſub eadem excommunicationis pœna latæ ſententiæ omnibus laicis Pharenſibus tam in urbe, quam in diœceſi conſtitutis præcipimus, & mandamus, ne concubinas detineant, & ſi habent, in termino trium dierum proxime futurorum eas dimittere non poſtponant. Quæ omnia & ſingula tam in capite, quam in membris obſervari decernimus; reſervantes nobis, aut ſuperiori noſtro prædictorum abſolutionem, ligantes manus ipſi Reverendo D. Epiſcopo, aut cuilibet alteri, ne tranſgreſſori, aut contrafacienti, niſi in mortis articulo, abſolutionis munus impendere poſſint, nec valeant. Statuentes demum hanc noſtram conſtitutionem & ordinationem ad futurorum memoriam in libro ſynodalium conſtitutionum, & etiam in valvis eccleſiæ cathedralis affigi; excommunicantes & ſuſpendentes omnes & ſingulos, qui eam in libro prædicto abradet, ſive obliterabit, ac in valvis eccleſiæ cathedralis prædictæ lacerare præſumpſerit. In quorum fidem has præſentes conſtitutiones per cancellarium & notarium noſtrum fieri fecimus, atque ſubſcribi mandavimus, noſtrique magni rotundi ſigilli juſſimus impreſſione communiri. Datum & actum Leſinæ in ædibus reſidentiæ noſtræ die quinta menſis Auguſti 1504. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri D. Julii divina providentia Papæ ſecundi anno primo.

Et ego Leonardus Fondoy notarius publicus, ac Curiæ Archiepiſcopalis Spalatenſis Cancellarius de ejuſdem Rever. Dom. Archiepiſcopi mandato ſubſcripſi.

Bernardinus Eccleſiæ Pharienſi præfuit uſque ad annum 1509. quo quidem anno ejuſdem eccleſiæ regimen ſuſcepit

FRANCISCUS EP. PHARIENSIS XXIII.

Cognomento Patricius, ex ordine Franciſcano ſeverioris diſciplinæ, ut tradit Auctor Viridarii Seraphici, qui ejuſdem initia epiſcopalia in annum nonum ſæculi decimi ſexti conjecit. Dum huic eccleſiæ præſidebat, rem viſu audituque mirabilem accidiſſe ferunt. Anno 1510. nobilium diſſenſio, & motus populi civitatem in duas factiones diſtraxerat, quæ primum inteſtinis diſcordiis exagitatæ, demum implacabili odio ferroque armatæ, in apertam ſeditionem eruperunt; cumque cædes civium inter ſe quotidie fierent, pia quædam effigies Chriſti in cruce ſuffixi, calamitatem illam, clademque veluti miſerata, copioſo, ut ferunt, ſanguine manavit. Id prodigium odia reſtinxit, diſcordiam ſedavit, urbi tranquillitatem reſtituit. Sanctiſſima illa effigies e domo privata cujuſdam civis translata eſt in ædem cathedralem, ac ſtatim Pharienſibus venerationi eſſe cœpit, quæ ab incolis etiamnum eximia religione colitur; & linei panniculi prodigioſo illo ſanguine imbuti, thecisque argenteis incluſi, adhuc ibidem aſſervantur. Talis vero ac tanti miraculi memoriam ne ulla umquam ex animis hominum deleret oblivio, ſingulis annis VIII. Id. Februarii, qui dies B. Dorotheæ virgini ac martyri ſacer eſt, idemque pretioſi illius ſanguinis divinitus effuſi anniverſarius, ſolebat inſtitui ſollemnis ſupplicatio, peragique per vias urbis celebriores, magna populi tum frequentia, tum pietate. Hanc ſuperiori ſæculo certis de cauſſis ab eo die dimoveri placuit, transferrique in Dominicum diem ſecundum poſt ſollemnia paſchalia, ut ſuo loco dicemus.

Inſigne prodigium.

JOANNES BAPTISTA EP. PHAR. XXIV.

Joannes Baptiſta Pallavicinus Ep. Pharien. idemque Cardinalis.

Ex antiquiſſima & nobiliſſima gente Pallavicina, quem Leo X. ob inſignes ejus virtutes in collegium Cardinalium cooptavit. Cum Epiſcopatu Cavallicenſi Pharienſem ſibi commendatum anno circiter 1522. conjunxit. Hujus nomen inſcriptum eſt in procœmio Statuti Pharienſis ex veteri & caduco in alium ac novum codicem translati: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti amen. Anno nativitatis 1524. Indict. 15. (12) die 15. men. Aprilis, tempore Sereniſſimi & ... Principis Dom. D. Andreæ Gritti D. gr. Inclyti Ducis Venetiarum &c. nec non temporibus Rev. in Chriſto Patris & D. D. Joannis Baptiſtæ Pallavicini, Cardinalis S. R. E. presbyteri, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia digniſſimi Epiſcopi Pharenſis & Br. nec non magnifici & clementiſſimi viri D. Petri Diedo digniſſimi Comitis & Proviſoris Pharæ, exiſtentibus judicibus &c. infraſcriptum Statutum fuit accopiatum de Statuto veteri ad futurorum memoriam, quia jam caducum erat, per me Joannem Aloyſium Neapolitanum Comitem ſub anno, menſe, & die ſupradictis.* Eodem anno Joannes Baptiſta Cardinalis Pallavicinus moriens Eccleſiam Pharienſem, quam nunquam viderat, novo Antiſtiti vacuam fecit: de quo Ubertus Folieta in elogiis clarorum Ligurum: *Joannes Baptiſta eximia Pontificii & Cæſariani juris ſcientia præditus, per omnes forenſium honorum gradus, in quibus ejus doctrina, ingenium, induſtria multos annos elaboravit, ad ampliſſimum ordinem pervenit; in quo cum haud diu fuiſſet, humanæ conditionis neceſſitate ſublatus eſt, ut ejus virtus minus in Cardinalatu eminuerit.* Obiit Idibus Auguſti anno 1524. Joannes Baptiſta & Babilanus fratres Pallavicini magno patruo Romæ monumentum poſuerunt in æde S. Mariæ de populo cum hoc elogio:

Ejus elogium & epitaphium.

D. O. M.
Jo: Baptiſtæ Pallavicino
Card. Cavallicenſi
Antonioti Card. S. Praxedis
Ex fratre nepoti
Eximia juris ſcientia
Et bonarum litterarum
Cognitione præſtanti
Per omnes forenſium
Dignitatum gradus
Ad Cardinalatum evecto
A Leone X. Hadriano VI. Clemente VII.
Ad ſummas res adhibito
In medio honorum curſu
Immatura morte prærepto
Jo: Bapt. Ut. Sign. Refer. &
Babi-

Babilanus Pallavicini fratres
Patruo magno
Bene de familia merito
Memoriæ cauſſa poſſ.
MDXCVI.
Vixit annos XLIIII.
Obiit anno ſal. MDXXIIII.
Idibus Auguſti.

ZACHARIAS EP. PHARIENSIS XXV.

Patricius Venetus e gente Triviſana, idemque Protonotarius apoſtolicus, quem Clemens VII. Epiſcopum Pharienſibus dedit, ut docent tabulæ conſiſtoriales: 1524. 24. *Auguſti providit Eccleſiæ Faren. per obitum Rev. D. Cardinalis . . . in Curia Romana defuncti, de perſona Zachariæ Triviſani protonotarii apoſtolici, cum retentione obtentorum &c.* Abſens hunc Epiſcopatum annos ipſos tredecim retinuit, quem poſtea permiſſu Sedis Apoſtolicæ voluntaria ceſſione dimiſit.

HIERONYMUS II. EP. PHARIEN. XXVI.

Cui cognomen fuit *Argentino*; eratque patria Venetus, & Canonicus eccleſiæ cathedralis Patavinæ, qui ab eodem Clemente VII. Epiſcopatum Pharienſem accepit. *Anno* 1537. 24. *Auguſti. Admiſit ceſſionem Zachariæ nobilis Veneti de Eccleſia Farenſi, & ei providit de perſona Hieronymi Argentini Canonici Patavini, cum retentione omnium &c.* An unquam eccleſiam ſibi commiſſam adierit, mihi non eſt compertum. Apud Iſpidam, vicum agri Patavini, inſigne monaſterium eſt Fratrum Eremitarum Congregationis B. Petri de Piſis, & baſilica ſub titulo *S. Mariæ Gratiarum*. Hanc anno 1538. ſollemni ritu ac cærimonia in honorem Deiparæ in cælum aſſumptæ conſecravit Hieronymus Argentinus Epiſcopus Pharienſis, ut declarat inſcriptio tabulæ marmoreæ inſcripta, atque in ſummo ſacello parieti affixa:

Anno Dom. MDXXXVIII. Die vero 18. *Novemb. hæc Eccleſia Deo conſecrata eſt in honorem Aſſumpt. B. V. per Rev. D. Hieronymum Argentinum Epiſcopum Pharenſem.*

Huic inſcriptioni hanc notam ſubjecit Joannes Baptiſta Sajanellus vir clariſ. in hiſtoricis monumentis Congregationis B. Petri de Piſis: *Præfatus Antiſtes erat de Cavaſio agri Tarviſini, ac noſtris fratribus benevolus, ut Patavina noſtra diaria œconomica teſtantur. Patavii diu commoratus eſt, diemque clauſit extremum anno milleſ. quingenteſ. quadrageſimo nono, die ſeptima Martii ex iiſdem diariis.* Obiit Patavii anno 1549. Sepulcrum, & elogium ſepulcrale obtinuit in templo S. Benedicti Patrum Congregationis Olivetanæ, ut docet Jacobus Salmonius in eo libro, cui titulus eſt: *Inſcriptiones Patavinæ: Jacet in hoc templo Hieronymus Argentinus Venetus, Epiſcopus Pharenſis, olim cubicularius & a ſecretis Julii II. Pont. Max.* Adde epitaphium magiſtri Deſiderii Lignaminei ord. Prædic.

Epitaphium Hieronymi.

Argentinus Epiſc. ad ſuos Pharenſes in Illyria.

Per me Pharenſis quid tantum pectora pubes
Uſque adeo plangis, dilaniata comas?
Paſtorem me forte tuum miſeranda requiris,
Et revocas tantis vocibus orba patrem.
Interii (fateor), fatum revocabile nulli eſt,
Et ſorte incerta mors ſua quemque rapit.
Ne tantum doleas, noſtri promiſſa latoris
Stat requies; alius mox tibi paſtor erit.

MARCUS EP. PHARIENSIS XXVII.

Marcus e Corcyrenſi Ep. Pharienſis.

Ortus ex Maripetra vetuſtiſſima & patricia apud Venetos familia, quem Paullus III. a Corcyrenſi ad Sedem Pharienſem tranſtulit, ut notatum invenio in actis conſiſtorialibus: 1549. 26. *Julii. Abſolvit R. Marcum Maripetrum Epiſcopum Corzulenſem a vinculo &c. & eum tranſtulit ad Eccleſiam Farenſem, tunc per obitum b. m. Hieronymi Argentini olim Epiſcopi Faren. extra Rom. curiam defuncti vacantem, ſalvis remanentibus penſionibus antiquis. Taxa florenorum . . .* Vicarium generalem habuit Franciſcum Promaſcevum, ut eſt in tabulis archivi epiſcopalis, qui abſentis Epiſcopi partes ageret, & officia præſtaret. Anno quarto, quam Epiſcopatum inierat, e vita migravit.

ZACHARIAS II. EP. PHARIEN. XXVIII.

Vir haud majorum ſuorum nobilitate & gloria, quam ſua virtute & acumine ingenii ad publica quælibet negotia gerenda expediti clarior. Natus eſt Venetiis an. 1527. IV. Kal. Junii e gente patricia Delphina, virorum vel toga, vel ſago illuſtrium fecunda. In Gymnaſio Patavino tum politioribus litteris, tum Philoſophiæ ac juriſprudentiæ ſtuduit. Ampliſſimis magiſtratibus & honoribus, quos ultro patria offerebat, poſthabitis, clericali militiæ nomen dedit, Romamque commigravit. Inter præſules & aulicos familiares Julii III. adſcriptus Venetam prudentiam cum Romana gravitate conjunxit, & protonotarii apoſtolici titulum munuſque obtinuit. Per omnes ſacrorum ordinum gradus ad Epiſcopatum Pharienſem pervenit, quem idem Julius III. ei contulit, ut ſcriptum eſt in tabulis conſiſtorialibus: 1553. 5. *Maji providit Eccleſiæ Farenſi vacanti per obitum Marci Maripetri, de perſona D. Zachariæ Delphini clerici Venetiarum ſuæ Sanctitatis familiaris, cum retentione omnium & clauſulis &c. Taxa florenorum* 400. Sed cum in Delphino eluceret eximia quædam & intelligendi perſpicacia & agendi induſtria, Pontifex ejus operam & ſollertiam intra anguſtos unius eccleſiæ fines contineri noluit, ſed latius explicandam, atque ad communem totius eccleſiæ utilitatem adhibendam cenſuit. Itaque eodem anno ad exitum vergente legatum de graviſſimis negotiis expediendis miſit ad Ferdinandum regem Hungariæ & Romanorum. Poſt biennium in urbem reverſo Paullus IV. deinde anno 1560. Pius IV. eamdem legationem injunxere ad Ferdinandum Imperatorem. Ex mandato ejuſdem Pii præcipuas Germaniæ urbes obivit, omnemque operam, & qua plurimum valebat, doctrinam & eloquentiam adhibuit, ut principes viri ac Dynaſtæ, qui ad hæreticos defecerant, ſuos internuncios & procuratores mitterent ad Concilium Tridentinum; ubique Pontificis perſonam, quam gerebat, pro dignitate ſuſtinuit, catholicæ religionis cauſſam egregie defendit, & multa, quæ in illis locis eidem ab hæreticis imminebant, detrimenta prohibuit. Idem auctor fuit Joanni Cardinali Morono præſidi, ut Concilio Tridentino quam celerrime fieri poſſet, finem imponendum curaret. His legationibus, itineribus, & aliis deinde Sedis Apoſtolicæ & chriſtianæ

Zacharias Ep. multas & illuſtres pro Sede Apoſtolica legationes geſſit.

rei-

reipublicæ difficillimis & graviſſimis negotiis diſtentus, ad gubernacula Eccleſiæ Pharienſis ſtabili commoratione ſedere non potuit, eamque per ſuos Vicarios gubernavit; an aliquando illam interviſeret, mihi non conſtat. Vel abſens tamen ac longe disjunctus, partem aliquam curarum & cogitationum ſuarum in clerum ac populum ſibi concreditum derivavit. Cum in regione ſuperiore hujus inſulæ a ſeptemtrione ad ortum paullulum deflexa creviſſet numerus incolarum, qui e Turcica ditione illuc perfugerant; duos ibidem parochos conſtitui juſſit anno 1564. eiſdemque decimarum, quas menſa epiſcopalis percipiebat, partem dimidiam attribuit. Ob multa & inſignia in rempublicam chriſtianam merita ad collegium Cardinalium a Pio IV. aggregatus, Romana purpura ipſe quoque Eccleſiam Pharienſem nobilitavit, quæ duos Epiſcopos Cardinales ſe habuiſſe gloriatur, Joannem Baptiſtam Pallavicinum, & Zachariam Delphinum.

Cardinalis a Pio IV. creatus.

Cum bello Cyprio Dalmatia quoque arderet, claſſis Turcarum in ſinum Adriaticum invecta an. 1571. Phariam inſulam ferro & igne vaſtavit. Urbem diripuit & incendit, domum epiſcopalem cum aliis publicis ac privatis ædificiis evertit, ædem cathedralem ſacris theſauris & omnibus ornamentis ſpoliavit, magnaque ex parte diruit; cives ſane multi, quos fuga in tempore crudelitati barbaricæ non ſubtraxit, partim cæſi, partim in ſervitutem abducti. Pharienſem calamitatem breviter expoſuit Abrahamus Bzovius Tomo poſthumo ad an. 1571. *Turcæ Leſinam petierunt; egreſſi in terram omnem inſulam pervaſtarunt. Oppidum vi captum & direptum incendio abſumpſerunt, ac ſenibus & inutili turba occiſis, reliquos in ſervitutem abduxerunt.* Cladem Turcicam peſtilentia excepit, quæ haud exiguam incolarum ſtragem edidit. Triennio poſt Zacharias Eccleſiæ Pharienſi nuncium remiſit; & anno 1283. XIV. Kalend. Januarii Romæ diem obiit, natus annos ſeptem & quinquaginta. Sepultus eſt in æde Mariana ſupra Minervam ante gradus aræ maximæ. Caret titulo ſepulcrali.

Turcica urbis & inſulæ Phariæ vaſtatio ac direptio.

Zacharias pontificatum Pharienſem depoſuit.

MARTINUS II. EP. PHARIENSIS XXIX.

Oriundus e Brutiis, patria Aquilanus, cognomento de Martinis. In Societatem Jeſu nomen dederat, a qua certis ac legitimis de cauſſis miſſionem petiit atque impetravit. Hunc Gregorius XIII. Cardinali Delphino in ſedem epiſcopalem Pharienſem ſubſtituit, ut eſt in tabulis conſiſtorialibus: 1574. 22. *Martii providit Eccl. Farenſi per ceſſionem Rever. D. Card. Delphini in manibus ſuæ Sanctitatis ſponte factam, & per eam admiſſam vacanti, de perſona Dom. Martini de Martinis Presbyteri Aquilani habentis omnia a Sacr. Concil. Trident. requiſita, ipſumque dictæ eccleſiæ in Epiſcopum præfecit & paſtorem, diſpenſando, quatenus opus ſit, ſuper apoſtaſia, propterea quod diſceſſit a Societate Jeſu, habita tamen licentia ſuorum ſuperiorum; cum reſervatione penſionis annuæ 600. ſcutorum auri ſuper fructibus menſæ epiſcopalis Faren. cujus fructus ad annuum valorem ſcutorum* 1800. *aſcendere dicuntur, pro Rev. Cardin. cedente, cum facultate illos propria auctoritate recipiendi &c.* Erat excellenti doctrina & religione præditus, impiger, laborioſus, reique eccleſiaſticæ admodum peritus. Cum ad urbem acceſſit, Turcicæ cru-

delitatis veſtigia paſſim reperit; rudera ædificiorum, domum pontificiam everſam, ædem cathedralem ſemirutam, cives ab recenti adhuc memoria præteritæ cladis mœrentes & afflictos. Ille nullum boni paſtoris officium prætermittens, gregem ſibi commiſſum magna charitate complexus, omni qua potuit ope & ſolatio recreavit; & cum annua penſio, quam Cardinali Delphino ſolvere debebat, eccleſiaſtici proventus partem non exiguam alio diſtraheret; tenui victu ipſe contentus, multa ſibi ſuiſque commodis adimebat, quæ in ſubſidium egentium ac miſerorum erogaret. Auctor erat civibus, ut pro ſuis quiſque facultatibus publica & privata ædificia reficerent; ipſeque ut aliis exemplo eſſet, ſtatim domum epiſcopalem, ædemque cathedralem reædificare cœpit. Sed in primis illi curæ fuerunt, quæ ad ſalutem & utilitatem plebis chriſtianæ, atque ad ſplendorem ac dignitatem cultus divini pertinebant; omnemque operam adhibuit, ut cleri populique mores ad veterem ſanctimoniam & ſobrietatem revocaret, ac debitam choro & pſalmodiæ frequentiam reſtitueret. Cum eccleſiaſticæ diſciplinæ admodum tenax & vindex eſſet, apud Canonicos & clericos ſuboffendit, qui procul ab oculis conſpectuque ſuperiorum Antiſtitum abſentium, paullo liberius vivere aſſueti, moleſte ferebant præſentiam atque inſpectionem Epiſcopi, qui eorum vitam ad præſcriptum & formulam ſacrorum Canonum exigeret. Ipſe autem præibat omnibus exemplo virtutum omnium, quæ decent Epiſcopum, ac talem ſe in ſuo munere fungendo præbuit, ut factus forma gregis ex animo, præclarum hoc elogium ab Auguſtino Valerio Viſitatore apoſtolico retulerit. *Dominus Epiſcopus eſt vir probus & doctus; quos habet in familia, ſunt honeſtæ vitæ, & debitis temporibus ſacramenta ſuſcipiunt; ab ipſo exemplum vitæ quilibet poteſt petere; vir, a quo nihil niſi optimum diſci poteſt; etſi pauper, in pauperes liberalis eſt, & domui epiſcopali reparandæ intentus.*

Viſitatio apoſtolica Eccleſiæ ac diœceſis Pharienſis.

Lites habuit cum Capitulo, coactuſque eſt Venetias ſe conferre, & ſatis diu abeſſe ab eccleſia, ut jus ſuum obtineret. Reverſus cum eſſet, aliquot poſt reditum menſibus elapſis, ſub initium anni 1579. excepit Auguſtinum Valerium Epiſcopum Veronenſem, cui Gregorius XIII. viſitationem apoſtolicam Dalmatiæ Venetæ demandaverat. Hic luſtrandæ provinciæ initium fecit ab urbe & inſula Pharia. Extant Acta Valeriana viſitationis Pharienſis in dies ſingulos digeſta, quæ hic tranſcribenda cenſui; cum ex illis, quæ ſapienter a Valerio conſtituta fuerint, & quinam tunc eſſet ſtatus hujus eccleſiæ ac diœceſis, cognoſci poſſit.

Die 26. Januarii 1579.

Acta & decreta Auguſtini Valerii Ep. Veronen. & viſitatoris apoſtolici.

Reverendiſſimus Dominus movens e Jadra recta ad Aſcrivium urbem iter direxerat, ut ibi viſitationis initium ſumeret; & navigatio ad diem 28. *deducta fuerat: ſed cum mare tunc maxime agitatum, atque turbatum ſe oſtenderet, & præfectus triremis non ulterius eſſe procedendum, niſi cum manifeſto futuri naufragii diſcrimine, affirmaſſet; mutato conſilio ad Phariam deductus ibi deſcendit.*

Die 29. Januarii.

In cathedrali Phariæ Rev. D. ſacrum peregit. Rev. P. Ottellus Theologus Societatis Jeſu ſermonem habuit ad populum.

Die 29. & 30. Januarii, & 3. Febr.

R. P. Hieronymus Ottellus Theol. S. J. interrogavit ſingillatim omnes Presbyteros & clericos civit. Pharen. de eorum doctrina, & quemlibet pro ſuæ doctrinæ ratione dimiſit: eodem tempore P. Benedictus ſocius ejuſdem Societatis accurate edocuit pueros doctrinam chriſtianam publice in Eccleſia Pharenſi, cuilibet exhibendo doctrinam ipſam editam juſſu Rever. Dom. Viſitatoris, & in idiomate Illyrico; qua in re multum profecit.

Die 30. Jan.

Fuit conſtitutus coram Viſitatore apoſtolico Rever. Dominus de Martinis Aquilanus Sac. Theologiæ Doctor, Ep. Pharen. & Brach. ut ſcilicet ſuæ adminiſtrationis rationem redderet, ac de toto ſtatu rei eccleſiaſticæ & chriſtianæ Pharienſis Rever. Dominum doceret.

Die prima Februarii.

Rever. Dom. ſermonem habuit ad populum; eadem die audivit plures tum clericos, tum laicos Pharenſes, prout quemlibet ſua intentio conducebat.

Die 3. Februarii.

Rever. Dom. propoſuit eſſe neceſſarium, quod aliquis interpretetur catechiſmum & caſus conſcientiæ in eccleſia; plurimus enim fructus ex hac lectione percipietur, præcipue ad continendos clericos in diſciplina. Addidit quod ſaltem ſex clerici eligantur, qui eccleſiæ ſerviant; & bonos mores atque grammaticam ab aliquo viro eccleſiaſtico doceantur; quia non convenit, ut clerici paſſim cum laicis ad communem ludum litterarium concedant.

Die Jovis 5. Februarii.

In videndis, & audiendis multorum juribus, & inimicitiarum fundamentis tollendis, & pacis fundamentis jactandis totus dies conſumptus eſt.

Die Veneris 6. Februarii.

Sermo pro inſtituenda ſocietate ſanctiſſimæ Charitatis. Rev. Dom. Viſitator poſt actum ſacrum in cathedrali, cuncto populo audiente, pluribus verbis prudenter & ſapienter habitis docuit vim & naturam charitatis, quæ omnium virtutum radix eſt; quid fructus ad pauperes ſublevandos, inimicitias tollendas, & chriſtianam religionem conſervandam ex ipſa percipi poteſt; & poſtea acto deſuper accurate cum Rev. Dom. Epiſcopo, clariſſimo Comite, & ſpectabili Communitate, de ipſa inſtituenda convenerunt.

Die Dominica 8. Februarii 1579.

Rever. Dom. Viſitator maximo applauſu & concurſu totius populi inſtituit in Dei nomine ſocietatem SS. Charitatis in Eccleſia Pharen. ſub Capitulis inferius regiſtratis, & facta ſollemni proceſſione, ſuſcepta fuit a cunctis oblatio, quæ ſuſcepta ad viginti quinque aureos aſcendit; cui Illuſtriſſim. Dom. Viſitator largas manus effudit.

Et cum obſervaſſet idem Rever. Epiſcopus Viſitator, quod nudius tertius, qua die feſtum Divæ Dorotheæ celebratum, ſollemnis proceſſio facta eſt in hac urbe, ipſamque quotannis ipſa die fieri conſuevit; propterea quod ante multos annos, concertantibus adverſis animis nobilibus & popularibus Pharenſibus, & re ad dimicationem adducta, populo in nobiles ſæviente, ad ſexdecim in ea nobiles ceciderunt, dictum fuit imaginem Sanctiſs. Crucifixi, domi cujuſdam popularis in conjuratione principalis, guttulas ſanguinis effudiſſe, & tunc compoſitis rebus ſeditionem non ulterius proceſſiſſe; & hinc ejuſmodi proceſſionis celebrandæ ordinem fuiſſe deſumptum, & ſequentibus temporibus obſervatum; cumque Rever. Dom. Viſitator hac re diligenti inquiſitione ſcrutata, nihil pro concludenti veritate comperiſſet, ideo ad hunc catholicum populum in pia conſuetudine conſervandum, mandavit quod deinceps proceſſio, quæ die ipſa S. Dorotheæ fieri ſolet, fiat ſimiliter quotannis, & vocetur proceſſio Sanctiſſimæ Charitatis; qua die & fiat & ſuſcipiatur oblatio pro ejuſdem ſocietate juxta regulas, & ordines illius.

Die 9. Februarii anno 1579.

Celebratio Synodi diœceſanæ.

Deſumpto prandio convenerunt omnes diœceſani Presbyteri ad Rever. D. Viſitatorem; & ibi ſingillatim a R. P. Hieronymo Ottello Jeſuita antedicto de uniuſcujuſque doctrina, præmiſſo examine, facta experientia fuit, & quilibet pro ſua conſcientiæ & morum ratione expeditus.

Conſtitutiones Synodales.

Paucas has conſtitutiones Rev. Dom. Viſitator judicat neceſſarias, donec conſtitutiones antiquæ hujus eccleſiæ ab ipſo examinentur, & editæ ad Rever. Epiſcopum & R. clerum Pharen. remittantur.

Debitus honor Rev. Epiſcopo tribuatur a clero. Quod ſi quis Epiſcopum contumeliis affecerit, aut minacibus verbis irritaverit, ſitque duobus teſtibus convictus, per tres menſes ſtatim intelligatur ſuſpenſus, & graviore pœna arbitrio Vicarii puniatur.

Si quis ordinem perverterit in choro, & non habens titulum legitimum Canonicis ſe ipſe præferat, per duos menſes ſit ſuſpenſus; & ſi deinde contumax fuerit, puniatur a Rev. Epiſcopo graviori pœna.

Proceſſio SS. Charitatis die S. Dorotheæ, quo die Spiritu ſancto cooperante fuit inſtituta, quotannis fiat.

Det operam Rev. D. Epiſcopus, quod dimidia ſaltem Sacerdotum pars ſingulis diebus celebrent, quod officium præſtare maxime debent.

Singulis annis (ut S. Synodus Tridentina ſtatuit) diœceſana Synodus celebretur die Jovis poſt octavam SS. Reſurrectionis D. N. J. C.

Rever. Dom. Viſitator monet Rev. Canonicos, Confeſſores, Sacerdotes in viſceribus D. N. J. C. ut doctrinam chriſtianam edoceant, ut animas pretioſiſſimo ejus ſanguine redemptas lucrari ſtudeant; quod ſi neglexerint, ſciant ſe eumdem D. J. C. qui hanc doctrinam maxime commendavit, offendere, & moniti a Rev. Epiſcopo hac de re, ſi operam ſuam denegaverint, niſi legitima cauſa impediti, aliqua etiam pœna puniantur.

In hac magiſtrorum penuria pie & prudenter fecit Rev. Epiſcopus, qui non recuſavit onus ſuſcipere interpretandi catechiſmum in cathedrali eccleſia, ſicut etiam in propriis ædibus: cujus interpretationi qui non interfuerit, maxime reprehendendus & pœna aliqua afficiendus, cum ſcriptum ſit: Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam.

Magiſter deputatus ad docendum clericos in grammatica, & primis artibus, eos diligenter inſtituet. Quod ſi clerici ſcholæ non interfuerint, debitamque diligentiam non adhibuerint, a Rever. Epiſcopo, ſeu ejus Vicario (aſſumptis aliis) expellantur.

Nullus clericus audeat divinis, aut funeralibus intereſſe ſine cotta & bireto ſub pœna duarum librarum ſingulis vicibus.

Clericus & Sacerdos pertranſiens ante altare SS. Sacramenti, quod in altari majori collocari

Rev.

Rev. Episcopus decens judicat, genuflectat. Quod si facere neglexerit, per quindecim dies sit suspensus, & hoc toties quoties; cum nullus sit tantus honor, qui sanctissimo illi Sacramento non debeatur.

In choro nemini liceat litteras legere, neque donec officium absolvatur. Quod si quis, nisi urgentissima de causa fecerit, sit illico per mensem suspensus.

Benedicente Rev. Episcopo, Canonici & clerici reverenter genuflexi benedictionem accipiant.

Magistro cærimoniarum omnes in choro pareant in his, quæ ad cærimonias pertinent; & si quis contumax fuerit, arbitrio Rever. Dom. Episcopi statim puniatur.

Cum cura animarum videatur annexa esse Capitulo, quo quidem impedito Archipresbytero, ceteris incumbat onus administrandorum Sacramentorum.

Ad ordinem Sacerdotii quilibet Canonicus promoveatur. Quod si in termino octo mensium facere neglexerit, a perceptione fructuum arceatur, aut aliqua pœna puniatur.

Puniantur etiam aliqua pœna, qui promoti non celebrant.

Canonici, & Sacerdotes singulis diebus dominicis celebrent, nisi legitima de causa sint impediti. Quod si neglexerint, aliqua pœna puniantur arbitrio Rev. Episcopi aut ejus Vicarii.

Duo Interrogata Episcopi, & totidem Responsa Visitatoris.

I. Cum munus sit Capituli de sua medietate decimarum solvere portionem competentem parochis & curatis in tota insula Pharo, prout ab initio institutum fuit, & observatum esse videtur ex eo, quod Capitulum de prædicta ejus dimidietate decimarum semper mercedem curatis omnibus contribuerit, quotquot a principio requisiti & necessarii fuerunt in hac insula; in qua postea cum crevisset animarum numerus, alii parochi requisiti sunt, & jam fere sunt quindecim anni, quod incolis & habitatoribus in superiori parte insulæ in loco Plamæ concessi fuerunt duo Sacerdotes ad exercendam curam animarum habitantium in illis villis; pro quorum mercede placuit Episcopo tunc existenti & absenti a sua diœcesi, nec propterea percipienti præjudicium, quod successoribus inferebat, contribuere & solvere de sua medietate decimarum portionem aliquam; ex quo non solum præjudicium illatum videtur medietati decimarum episcopalium, quæ a principio semper libera & immunis fuit ab omni onere contribuendi in parochiis hujusmodi, sed quod majus est, obligatum esse jam Episcopum curæ & administrationis Sacramentorum ruris, & specialis loci suæ diœcesis; quia procul dubio si suis pecuniis sunt conducendi, qui curam inibi exercent animarum, consequens est, quod in defectum aliorum Sacerdotum ipsemet Episcopus personaliter teneretur curam ibi exercere, & sic speciali loco suæ diœcesis Sacramenta administrare, quod & absurdum & inopinabile esse videtur. Nam Episcopus pastor universalis, & cui cura incumbit totius suæ diœcesis, non est obligandus, nec relegandus ruri, & in villa aliqua speciali, relicta civitate, & aliis locis omnibus. Quare decernat & mandet Dominatio vestra Illustrissima, prout juris est, & observantia existit ante suprascriptos annos quindecim. Ergo Capitulum solum solvat de sua medietate decimarum totum id, quod pro antedictis duobus Sacerdotibus necessarium fuerit, relicta medietate, ad Episcopum spectante, libera & immuni ab omni onere, ut antea semper fuerat.

Responsio: Non intendit aliquid statuere contra ordinata ab Illustrissimo Cardinali Delphino tunc Episcopo Pharensi, qui contribuerat.

II. Medietas omnium fructuum & redituum Abbatiæ S. Nicolai de Issa a Rev. P. Dom. Thoma Thomasino olim Episcopo Pharensi assignata, & per Sedem Apostolicam perpetuo applicata fuit pro fabrica & distributionibus quotidianis ecclesiæ cathedralis; & hoc quibusdam conditionibus & obligationibus, & inter alia, ut distributionum, præter Canonicos, qui nunquam omnes residere & ecclesiæ inservire soliti sunt, octo alii Sacerdotes participes fierent, & diaconi, vel subdiaconi quatuor, & clerici ad minus quatuor, ad hoc ut cultus divinus in antedicta ecclesia conservaretur & augeretur magis. Modo quibusdam Dæmonis artibus, & quorumdam avaritiæ prætextu prætendunt quidam, quod admitti non debeant in parte antedictarum distributionum externi, quamvis alioquin idonei & parati essent ecclesiæ inservire. Sic impeditur divinus cultus, & maximum detrimentum patitur Ecclesia Pharensis. Quare decernat D. V. Illustris. quod Ordinarius ad hoc, ut cultus divinus neglectus & fere extinctus in ecclesia prædicta excitetur, & in dies magis augeatur, debeat Sacerdotes octo præter Canonicos, quos idoneos nunc pro temporis qualitate invenire poterit, sive illi diœcesani sint, sive non, dummodo alias apti & boni nominis ac famæ, judicio & arbitrio ejusdem Ordinarii sint; item diaconos, vel subdiaconos quatuor, & clericos quotquot poterit ad celebrandum divinum officium in ecclesia cathedrali assumere, & eos in libro distributionum Canonicis assignari faciat, & hoc juxta mentem & dispositionem suprascripti Rev. Patris, & formam & tenorem apostolicarum litterarum superinde emanatarum.

Responsio: Admittantur, modo sint approbati ab Ordinario, & habeant titulum saltem distributionum in ecclesia.

De statu Ecclesiæ ac Diœcesis Phariensis.

Pharia, vulgo Lesina nuncupata, posita est supra sinum quemdam maris; nunc in majori, & speciosiori parte diruta pene & deserta conspicitur, præcipue ædes episcopalis in foro exposita. Classis enim Turcarum proxime præterito bello in hunc sinum delata, improviso repentinoque incursu maximam ejus partem delevit; pretiosiora bona sacra pariter & profana diripuit; viros passim & feminas, qui in barbarorum manus ceciderunt, abegit; demum sævientem feritatem in ipsis muris & parietibus evomuit. Habet hæc civitas in totum mille animas a communione, nam Turcarum direptionem secuta pestis majorem habitantium partem consumpsit. Præest huic ecclesiæ Dom. Martinus de Martinis Aquilanus vir quadraginta octo annos natus, Comiti & provisori insulæ viro integerrimo probatus, probatus & nobilibus & populo; majori parti Capituli Canonicorum invisus, quia illi Episcopum residentem habere non consueverunt. Hac tamen visitatione eorum animi sunt conciliati. Est vir probus & doctus; quos habet in familia, sunt honestæ vitæ, & debitis temporibus Sacramenta suscipiunt. Fuit absens Venetiis, ubi litem egit contra Capitulum. Ab ipso exemplum vitæ quilibet potest petere: vir, a quo nihil nisi optimum disci potest, & idem dici potest de ejus familia: etsi

etsi pauper, est in pauperes liberalis, & domui episcopali reparandæ intentus. Nam ædes episcopales (ut dictum est) Turcarum incursione pene dirutæ incommodam & miserabilem habitationem reddunt. Unus ex Canonicis Vicarius in aliquorum odium incurrit, cum Episcopi æmuli & inimici ea ratione fiant & Vicarii æmuli & inimici. Ex reditibus episcopalibus affirmat in manus suas non venire tercentos aureos, cum pensionem sexcentorum aureorum solvat Illustrissimo Cardinali Delphino; quamobrem de relinquenda ecclesia cogitat, & affert quasdam causas, quæ minime admittendæ esse videntur. Nemo enim, aut pauciſſimi pastores cum Dei gloria sic pro ejus gregis salute possent præesse, sicut ille; ejus potius paupertati ut subveniatur, Illustriss. Domini apud SS. Dom. N. possunt procurare.

Cathedralis ecclesia est sub invocatione B. Stephani P. & M. In ea sunt 12. Canonici, ac inter eos tres dignitates, Archidiaconus, Archipresbyter, Primicerius. Præbendæ canonicales sunt æquales; ascendunt singulæ ad ducatos aureos 24. Est in hac ecclesia societas Corporis Christi. Est in eadem Fabrica beneficio ecclesiæ dedita, quam vocant operam. Illius reditus annui sunt ducatorum quinquaginta, & administrantur per duos, quos dicunt operarios, approbatos in Rev. Capitulo Canonicorum, ex quatuor nobilibus electis in Consilio Communitatis. Serviunt in biennium. Hi reditus expenduntur in fabrica ecclesiæ, in paramentis, luminariis, & similibus. In fine sui officii reddunt rationes coram Illustrissimo Episcopo & operariis novis.

Cura animarum, & sacramentorum administratio habitatoribus in hac urbe redditur ab hac ecclesia cathedrali, quia nulla alia est ecclesia parochialis in hac civitate. Præcipuus curatus est Archipresbyter. Aliquando Episcopus concionatur ad populum. Constituit duos Vicarios foraneos, alterum in civitate veteri insulæ Phariæ, alterum in Brachia. Nondum statuit pœnitentiarium, sed de ipso statuendo cogitat. Nullus est in hac diœcesi monasterium monialium. Sunt tria monasteria, S. Marci ord. Prædicatorum, S. Nicolai ord. Eremitarum, & S. Francisci de observ. in monasterio B. M. V. Bullam Cœnæ Domini nuncupatam bis publicari fecit. Habet lectionem Sacræ Theologiæ, quia erexit unam præbendam canonicalem in theologalem, & eam contulit Presbytero Petro Ciclineo, qui est Religiosus ordinis Prædic. S. Dominici, sed affirmat habere facultatem permanendi extra claustra. Habuit Synodum diœcesan. in qua electi fuerunt judices & examinatores juxta decreta Concilii Tridentini. Quilibet Canonicus habitat domum particularem.

In civitate ecclesia est sub invocatione Spiritus Sancti, in qua est societas disciplinatorum; hanc ipsi ecclesiam regunt. Hi consueverunt diebus festis Apostolorum, & in prima quoque Dominica mensis, ac aliis mobilibus festis processionaliter visitare omnes ecclesias decantando Litanias, & nullo alio utuntur orandi modo, præterquam certis orationibus in idiomate Illyrico, visis, ut asserunt, ab Ordinario, & ab eo approbatis.

In civitate est etiam ecclesia S. Joannis Baptistæ, S. Rocchi, quam dicunt esse FF. S. Dominici. Est ibi societas S. Rosarii, in qua describuntur viri tantum. Ecclesia SS. Cosmæ & Damiani, S. Mariæ Incoronatæ apud arcem campestris, S. Mariæ in Burgo, ecclesia omnium Sanctorum, cujus rector est Episcopus Nonæ.

Civitas vetus olim, ut fertur, urbs florens, nunc vicus satis magnus insulæ Phariæ positus in planitie ad littus maris ex opposito insulæ Brachiæ cum pluribus quondam elegantibus ædibus & templis & quadringentis in circa habitatoribus. In qua ædes parochialis S. Mariæ.

In civitate veteri est ecclesia S. Petri FF. ord. Prædic. ibi monasterium habentium, & fuit tempore belli a Turcis combusta, quæ in præsentiarum reparatur. Apud ecclesiam S. Nicolai confraternitatis ejusdem tituli, parietibus undique circumsepta vivit eremiticam & cælibem vitam mulier quædam Brachiensis nomine Lucretia annos nata 45. quæ se in hoc loco abhinc annos 20. conclusit. Vocatur Monacha murata, & vivit ex ea, quæ sibi affertur eleemosyna. Item ecclesia S. Vincentii erecta a quodam cognominato Colochiza in honorem dicti Sancti cum domo adjacente & horto pro habitatione monialium ord. S. Dominici, quæ hic ad numerum quinque degere solebant, sed omnes tempore belli fuerunt barbarica sævitie necatæ. Nunc incolunt hunc locum duæ mulieres optimæ famæ, quæ licet nullam professæ sint religionem, nec alicujus ordinis amictum induerint, religiose ibi, sancteque vivunt, & volunt assumere habitum S. Dominici, & illius profiteri religionem: hic duo altaria.

Ecclesia campestris sub vocabulo S. Venerandæ a Græcis ædificata, regitur a quodam Sacerdote Græco nomine Basilio, qui Græco more celebrat, & vivit ex eleemosyna, cum nullos habeat ecclesia reditus; celebrandi sibi datam esse facultatem asseruit a Reverendissimo Patriarcha Venetiarum, ut patuit ex ejus indultis. Unicum est altare ornatum satis honorifice.

Ordinata.

Teneatur ecclesia bene clausa. Hic Sacerdos non teneat in ipsa ecclesia sacramentum, prout antea teneri solebat. In celebratione Missæ dum recitat articulos fidei, dicat Spiritum sanctum a Patre & Filio procedere.

Ecclesia S. Stephani alias cathedralis, dum locus esset civitas, est diruta, omni ornamento viduata. Habet circum circa multa sepulcra, & ædes episcopales contiguas, quæ nihil aliud sunt, nisi nudi parietes. Hic nunquam celebratur non sine magno dolore populi, qui illius ecclesiæ antiquæ celebritatis reminiscens conqueritur eam in præsentia squalescere, & mallet ut hic, quam alibi, sibi sacramenta ministrarentur.

Circa duo millia passuum ultra civitatem veterem extat Cicaldolus villa alias S. Petri subjecta parochiæ civitatis veteris.

Ecclesia S. Doimi campestris & diruta est collationis Ordinarii, cum aliquo proventu annuo; estque prope civitatem veterem.

Ad Reverend. Canonicos spectat jus deputandi omnes curatos hujus insulæ, cum approbatione tamen Ordinarii.

Varbosca pagus distans per tria millia passuum a villa Barbagno habet quingentas in circa animas. Ecclesia paroch. Sancti Laurentii elegans & ampla.

Villa Gelsæ ab urbe per decem octo millia passuum est admodum populosa mille & ultra animarum Eucharistiam sumentium. Ecclesia parochialis sub vocabulo Assumptæ Virginis, quæ habet arcem substructam, ubi tempore belli convenerunt omnes homines dicti loci, & bona sua comportarunt; atque ita sese a Turcarum sævitie & rapinis tutati sunt.

Gdignum est villa distans ab urbe millia passuum

ſuum triginta ſex; ibi eccleſia parochialis S. Georgii conſecrata cum cœmeterio ab Epiſcopo Samandrienſi, eidem traditis pro hac conſecratione decem & octo ducatis ex relatione hominum.

Liſſa ſive Iſſa inſula, cujus ambitus eſt 24. m. p. admodum ferax generoſiſſimi vini, claretque piſcatione ſardellarum. In ea unica parochialis, cujus parochus miniſtrat ſacramenta tribus villis inibi exiſtentibus, quarum duæ ſunt in angulis latiſſimi portus e regione Phariæ, & alia ad littus maris in alia parte inſulæ; habent omnes circa octingentas animas a Communione.

In hac inſula eſt eccleſia imperfecta S. Franciſci, duo Fratres hic habitant, habet altare unicum cum magno Crucifixo.

Comiſa abeſt a duobus villis prædictis per ſex millia paſſuum, & eſt in littore maris. Ibi Abbatia S. Nicolai habens annuos reditus ducatorum ducentorum in circa, quorum dimidium ſpectat ad Rev. D. Andream Delphinum modernum Abbatem. Ibi eſt eccleſia cum monaſterio diruto, in qua celebrat unus Presbyter ex Abbatis ſtipendio, atque adjutor parochi.

In Brachia inſula Portita villa cum eccleſia S. Mariæ, quæ eſt collationis Archiepiſcopi Spalatenſis.

Villa & eccleſia Nereſis, cui proxima eſt quædam domus a majoribus D. Eliſabethæ de Gurdellis fabricata; vocatur monaſterium, in qua permiſſu ejuſdem Eliſabethæ habitant duæ ſorores juvenes annum trigeſimum non excedentes, cum juniori ancilla, indutæ veſtibus nigris cum velis albis, quæ cælibem vitam agunt, & vocantur moniales; ſed tamen nullam profeſſionem emittunt, neſciunt legere, clauſæ non permanent, quinimmo domo egrediuntur, & opus, quo ſibi victum comparant, faciunt. Hæc domus habet quoſdam agellos, illi a fundatoribus addictos.

In ea parte inſulæ, quæ ſpectat verſus civitatem veterem inſulæ Phariæ, longe a mari per mille paſſus eſt quidam ſeceſſus inter ſilvas vocatus Antrum vallis ſpinæ; ubi ſunt ædes quædam humiles certe, ſed non ſordidæ, in quibus habitant quinque virgines indutæ tunicis coloris ruſi, & caput, atque mentum albo linteamine obvolutæ, quarum ſenior nominata Juſtina Spalatenſis ſeptuagenaria ceteras regit.

Hæ vocantur Pizzocheræ, & nulli addictæ ſunt regulæ, & nulla faciunt vota; perſolvunt quotidie officium B. Mariæ, & cælibem eremiticamque vivunt vitam, perpetuo in hac ſolitudine deliteſcentes, & ſeſe hominum oculis occultantes. Ipſa Juſtina pro neceſſitate domus ad pagos hujus inſulæ contendit. Vivunt ex laboribus manuum ſuarum nentes & texentes, atque ex oleribus hortulorum domui adjacentium, & fructibus vineolarum in radice montis exiſtentium.

Habent ſacellum prope domum cum altari ornato pala, duobus Angelis inauratis, multis icunculis, mappis, pallio ex corio, & cum altari portatili amovendo. In eo ſunt calix cum cuppa argentea, & paramentum cum planeta ex velluto. Ibi celebrat quandoque ipſis Pizzocheris Presbyter Joannes Craſſovich, vir bonus, ſed cui propter inſcitiam nuperrime adempta fuit facultas audiendi confeſſiones. Et propterea ipſæ virgines petierunt a Domino Ordinario alium confeſſarium, qui ut ſibi conſtituatur expectant.

Hujus loci auctor fuit Presbyter Marinus de Capitaneis Sacerdos Spalatenſis, qui abhinc annos ſexaginta ſolitudinis cupidus huc Spalato ſeceſſit, ſecum adductis ſorore & nepote; cœpit has rupes & cautes excolere, ingeſta propriis humeris terra, & jacere habitationis fundamenta. Ipſo autem & ſorore vita functis, Juſtina neptis utrumque opus perfecit, admiſitque alias virgines, quæ aliqua bona pro victu attulerunt.

Ordinata.

In oratorio tollatur altare portatile, & provideatur aliud ad menſuram præſcriptam. Dent dictæ mulieres ſua officia B. M. omnia videnda & corrigenda D. Epiſcopo Pharenſi.

Locus hominum eremitarum.

Diſtat per jactum ſaxi a ſupraſcripta, alia domus ædificata ab anteſcripto Presbytero Marino, in qua habitant tres homines penitus rudes & ruſticis veſtibus induti, qui cælibem & eremiticam vitam ducunt, dicentes orationem dominicam, & ſalutationem angelicam, & ſæpe peccata ſua confitentes, & ſanctiſſimam aſſumentes Euchariſtiam. Hi vivunt ex fructibus quarumdam vinearum dicti eremi. Habent in quodam antro, pariete anteriore clauſo inſtar ſacelli, altare ornatum pala, candelabris ex aurichalco, mappis & pallio: ubi ſunt calix ex ſtamno, patena ex ramo inaurato, duo corporalia & purificatorium ſordida, atque paramentum ex tela. Hic celebrat quandoque Presbyter ſupradictus.

Ordinata.

Oratorium fiat decens, vel ubi nunc eſt, vel alibi, & altare fiat, & ornetur, ut in regulis; viſiteturque a D. Epiſcopo Pharenſi, antequam in eo celebrari faciant; & habeant ad celebrandum neceſſaria munda & nitida.

Alius locus Pizzocherarum.

Mille paſſus ultra ſupraſcriptum locum eſt antrum vocatum draconis, & prope id domus, in qua habitant ſex virgines Pizzocheræ fere omnes Spalatenſes, ejuſdem habitus & inſtituti, cujus ſunt ſupraſcriptæ. Senior vocatur ſoror Victoria Andrivichia. Vivunt ex laboribus, ex fructibus hortorum & vineæ, nec non ex elee-moſynis ſibi erogari ſolitis per agnatos & affines.

Hic eſt ſacellum cum altari ornato parva pala, multis icunculis, duobus candelabris ex aurichalco, mappis, & pallio ex panno rubeo, cum altari portatili amovendo. Adſunt & calix cum patena ex argento, & paramentum ex tela.

Prope hanc domum eſt ſpecus ingens, intra quem conſtructæ ſunt aliquæ cellulæ, & ſacellum cum altari ornato icuncula, Crucifixo, candelabris ex aurichalco, mappis & pallio, & cum paramento ex tela, miſſali, & multa copia librorum. Hic ſolet habitare Capellanus ipſarum Pizzocherarum, quo in præſentia carent. Abhinc 120. annos loca hæc omnia condidit Presbyter Georgius Dubravius eremita; & ea moriens teſtamento ſuo reliquit ipſis Pizzocheris.

Tertius locus Pizzocherarum.

Per jactum arcus longe a ſupradicto ſpecu eſt domus ſive monaſterium, in quo habitant ſex Pizzocheræ virgines qualitatis ſupraſcriptarum; quarum ſenior ceteras regens eſt Thomaſina Jurincovich annorum 65. Vivunt & ipſæ ex laboribus & fructibus vineolæ. Habent ſacellum elegans, cum altari ornato pala; mappis, &c. ædificatum propriis manibus a Presbytero Stephano Jurincovich fratre dictæ Thomaſinæ, qui in loco ſacello adhærente jam annos 46. inhabitat. Hæ mulieres accedunt ad alias, cum volunt Miſſas audire, & ſacramenta percipere.

Eccleſia parochialis villæ Boli S. Joannis non con-

continet Sacramentum, quia cura parochialis exercetur in ecclesia S. Mariæ Fratrum S. Dominici; & in hac tantummodo baptizatur, & sepelitur interdum, quia adest sanctuarium, & cœmeterium. Est de jure eligendi hominum villæ. Rector est Prior S. Mariæ, apud quos Fratres post hominum memoriam semper fuit regimen dictæ parochiæ. Reditus sunt ducatorum 25. in circa, & percipiuntur ab ipso Priore. Habet ecclesia unicum altare.

Ecclesia S. Mariæ Fratrum ordinis S. Dominici, adhærens monasterio illorum, fornicata & elegans, & in ea ministrantur sacramenta. Homines honorificum præbuerunt testimonium de omnibus FF. hic degentibus, & præcipue de honestate vitæ Prioris eorum parochi, qui est bonus Theologus.

Martinus Ep. interfuit Conc. Nationali Jadertino.

Augustinus Valerius post apostolicam totius Dalmatiæ Venetæ peragrationem confectam, Episcopos Jaderam ad Concilium convocavit, cui Martinus Phariensis Antistes interfuit, & quæ Visitator apostolicus in eo decreta sapientissime constituit, rite approbavit. Duos adhuc annos regimen hujus ecclesiæ retinuit, eamque anno 1581. cum Ecclesia S. Severi in provincia Beneventana commutavit, facta sibi potestate a Gregorio XIII. in hanc ab illa transeundi, ut constat ex tabulis consistorialibus: 1581. 20. *Februarii absolvit ab Ecclesia Pharensi Martinum, & transtulit ad Ecclesiam S. Severi, a sua prima erectione vacantem.*

A Phariensi ad Eccles. S. Severi transivit.

PETRUS EP. PHARIENSIS XXX.

Petrus e Nonensi Ep. Phariensis duas Synodos celebravit.

Ex domo Cedulina patricia Jadrensi, de quo in historia Ecclesiæ Nonensis, unde ad Phariensem regendam accessit ex auctoritate Gregorii XIII. ut scriptum est in actis consistorialibus. 1581. 20. *Februarii. Absolvit Petrum Episcopum Nonensem, & transtulit ad Ecclesiam Farensem per Martini translationem vacantem; salvo remanente indulto circa collationem beneficiorum ipsius Ecclesiæ Faren. pro Cardin. Delphino alias reservatam, & salva remanente translatione pensionis facta per eumdem Dominum Cardinalem de pensione scutorum 600. auri super fructibus ipsius ecclesiæ in persona Zachariæ Delphini junioris, & cum reservatione pro eodem Cardinali omnium fructuum alias sibi præfati Episcopi & Ecclesiæ Faren. nomine cessorum super repetitione terminorum medietatis eorumdem fructuum Ecclesiæ Farensis, per ipsum Martinum Episcopum in eadem Ecclesia Farensi prædecessorem Francisco Card. Pisano b. m. solutæ, juxta formam cessionis; & hujusmodi tenorem pro expresso haberi voluit, nullo dicti Petri electi consensu requisito.* Sed biennio post potestas conferendi Sacerdotia Ecclesiæ Phariensis, & quidquid juris præterea sibi retinuerat Cardinalis Delphinus, hujus morte ad Petrum transivit; onus tamen pensionis ab eodem in Zachariam fratris filium translatæ satis diu sustinuit. Hanc ecclesiam annos quatuor & quinquaginta ad extremam usque senectutem gubernavit. In pontificatu tam diuturno multa & præclara gessit, sed singulari commemoratione digna sunt duo Concilia diœcesana sapientissimis legibus ac decretis saluberrimis referta; alterum anno 1586. XI. Kal. Aprilis, alterum an. 1596. IX. Kal. Maji habitum fuit. Utrumque Sacra Romana Congregatio Episcoporum & Regularium, cum exceptionibus quibusdam per Capitulum appositis, laudavit & approbavit XV. Kal. Julii an. 1600.

Concilio provinciali Spalaten. interfuit.

Anno proximo post Synodum superiorem, idest 1587. ipse quoque interfuit Concilio provinciali, quod Joannes Dominicus Foconius Archiepisc. Spalatensis ad diem Kalendarum Aprilium Episcopis provincialibus indixit; itemque inventioni S. Felicis Episcopi martyris, de qua dictum est in Foconio Archiepiscopo. Palatium episcopale magna ex parte reædificavit. In disciplina & immunitate ecclesiastica tuenda haud paullo severior fuit, quam mores illorum temporum pati possent; cujus quidem vindicandæ caussa, ut erat ingenio fervidus, non prudentiæ solum, sed etiam æquitatis limites aliquando prætergressus, supremum Dalmatiæ magistratum anathemate confixit; & Jaderam profectus, alienoque habitu indutus, ne agnosceretur, prætorium ingredi, & sententiam in eum latam loco omnibus conspicuo affigere non dubitavit. Deinde celeri fuga se proripiens, naviculam ad id paratam conscendit, Anconam trajecit, inde Romam se contulit. Nemo fuit, quin audax factum improbaret. Romæ ac deinde Venetiis admonitus, ne quid tale in posterum auderet, atque animi effervescentis impetus moderatione ac prudentia regeret, ad suam ecclesiam rediit; veniam facile impetravit, cum satis appareret quidquid peccasset, non malitiæ, sed imprudentiæ attribuendum esse.

Congregationem doctrinæ christianæ instituit,

In ecclesia cathedrali Congregationem scholæ & catecheseos christianæ instituit, & sanctissimis legibus instruxit; eamdem ad Romanam Archiconfraternitatem doctrinæ christianæ aggregandam, & quibus illa prædita est, privilegiis atque indulgentiis donandam curavit, ut constat ex Romano diplomate.

quæ aggregata fuit ad Romanam Archiconfraternitatem.

Martius tit. S. Mariæ Novæ Diaconus Cardinalis Ginettus SS. D. N. Papæ Vicarius, & Venerab. Archiconfraternitatis doctrinæ christianæ, in celeberrima basilica Principis Apostolorum de urbe canonice institutæ, perpetuus administrator & protector; Hieronymus Lanuvius utriusque Sig. SS. D. N. Papæ Referendarius præses, Angelus Baldus assistens, Carolus Fontanellius, Joannes Petrus Marchesius, Horatius Manilius, & Ascanius Serdonatus Consiliarii.

Dilectis in Christo confratribus doctrinæ christianæ in ecclesia cathed. Farensi auctoritate ordinaria erectæ &c. sal. in Domino sempiternam. Nos qui juxta officii nostri debitum, fidelium salutem, pietatisque incrementum procurare debemus, libenter nostræ archiconfraternitati alias ejusdem instituti adjungimus & aggregamus; illisque sic aggregatis, indulgentias, facultates, & alias spirituales gratias & indulta juxta facultatem nobis a Summis Pontificibus concessam impertimur: qua de re cum Illustris Dominus Joannes Franciscus Montagna ejusdem confraternitatis procurator aggregationem hujusmodi & indulgentiarum communicationem enixe postulaverit; nos protector, & administrator, & officiales præfati totam ipsam archiconfraternitatem repræsentantes, felic. record. Clementis PP. VIII. Constitutioni super hujusmodi aggregatione & cæleſt. thesauri communicatione, & moderationi nuper additæ inhærentes, his nostris libris solo Dei amore, & pietatis ac religionis christianæ augendæ zelo ducti, confraternitatem prædictam canonice erectam, attentis Ordinarii loci consensu & litteris testimonialibus, quibus ejus institutum, pietas, & religio commendatur, nostræ archi-

archiconfraternitati, dummodo ſimilis gratia per nos prius alteri confraternitati in dicta civitate, vel oppido conceſſa, & tempore hujus conceſſionis alteri archiconfraternitati aggregata non fuerit, juxta facultatem apoſtolicam nobis conceſſam, adjungimus, aggregamus, atque illi ejuſque confratribus indulgentias & ſpirituales gratias infra ſingillatim deſcriptas, ac noſtræ archiconfraternitati litteris pontificiis nominatim, præciſe, & expreſſe conceſſas, largimur & communicamus, quarum litterarum tenor eſt hujuſmodi: Paullus PP. V. ad perp. rei memor. Ex credito nobis paſtoralis officii munere &c. Quibus omnibus indulgentiis, ac ſpiritualibus gratiis ſupra ſingillatim deſcriptis, prædicta confraternitas ejuſque confratres uti, potiri, ac gaudere poſſint &c.

Datum Romæ in loco ſolito noſtræ Congregationis anno a Nativ. D. N. J. C. 1630. &c.

Viſitatio apoſtolica Octaviani Garzadori Archiep. Jadren.

Anno 1626. cum Octavianus Garzadorus Archiep. Jadrenſis, cui viſitationem apoſtolicam Dalmatiæ Urbanus VIII. imperaverat, Eccleſiam Pharienſem inviſeret, nunquam ab ejus latere diſceſſit; eique ad cleri ac populi mores corrigendos, ac reformandos, aſſiduam diligentemque operam navavit: quæ vero ille ſapienter monuit ac decrevit, ut vim ſuam obtinerent, nihil ſtudii atque induſtriæ prætermiſit. Cum

Petrus Ep. oculis orbatus.

ad ſenectutem prope extremam vergeret, utrumque lumen amiſit; quæ cauſſa fuit, ut ipſe per ſe diœceſim annis ſuperioribus iterum ac ſæpius luſtratam obire non poſſet, multaque ad alios delegare cogeretur, quæ non ſolum mentis acie, ſed etiam oculorum uſu indigebant. Ipſe igitur veluti clavum tenens, quæ gerenda eſſent, Vicario ſuo præcipiebat; & aliorum etiam miniſterio utebatur; nec vero prætermittebat, quin rerum geſtarum rationem ab illis, quibus imperatæ fuerant, accurate repoſceret, admoneret ſi quid deliquiſſent, corrigeret ſi quid peccatum eſſet. Domi ſedens per ſe ipſe cognoſcere ſolebat de graviſſimis quibuslibet negotiis, inquirere, decernere, animo ita libero & experrecto, ut vim aciemque ingenii ipſa cæcitas acuere videretur. Bis teſtamentum fecit, primum

Ejus teſtamenta & epitaphium.

Jaderæ anno 1622. v. Nonas Octobris, deinde Phariæ anno 1633. III. Nonas Decembris. Prioribus abrogatis, poſtremis tabulis hæredem ſcripſit Eccleſiam Pharienſem. Quidquid pecuniæ & ſupellectilis ſacræ ac domeſticæ argenteæ, ſericæ, lineæ habebat, tripartito diviſit, & partim ædi cathedrali, partim aliis ſacris vel piis locis, partim pauperibus reliquit; nec vero oblitus eſt antiquæ ſuæ ſponſæ Eccleſiæ Nonenſis, cui duo candelabra argentea legavit. Anno 1634. cum ad ſummam ſenectutem perveniſſet, meritorum tamen, quam annorum plenior Phariæ diem obiit; ac ne mortuus quidem ab ſua eccleſia divelli voluit, atque ibidem ſe in æde cathedrali ſepeliri juſſit. Ceterum ante annos quatuor & triginta Jaderæ ſepulcrum ſibi paraverat in templo Patrum S. Franciſci ante ſummum altare. In lapide ſepulcrali ſtemma Cedulinæ gentis inciſum viſitur cum hac brevi inſcriptione:

Petrus Cedulinus
Epiſcopus Pharenſis
Avitum Familiæ
Sepulcrum
Sibi P. Q. S. reſtituit
MDC.

NICOLAUS IV. EP. PHARIENSIS XXXI.

Ex urbe Spalatenſi, & familia de Georgiis, quem Urbanus VIII. huic eccleſiæ Epiſcopum dedit: 1635. 12. *Februarii providit Eccl. Pharenſi vacanti per obitum Petri Cedulini de perſona Nicolai Georgii, cum diſpenſatione ſuper defectu gradus, & decreto reparandi eccleſiam, & inſtruendi ſacrarium.* Utrumquene, an neutrum perfecerit, mihi non eſt compertum. Sollemnem ſupplicationem, quæ ſingulis annis fieri ſolebat VIII. Id. Februarii, quo die ante annos centum ac viginti effigies ſacroſancti Crucifixi ſanguineas guttas effuderat; de ſententia Capituli & magiſtratus in ſecundam poſt feſta Paſchalia diem dominicam tranſtulit, propterea quod hyberna tempeſtas clero & populo admodum incommoda eſſet. Ad cultum vero ſanctiſſimi Redemptoris, ejuſque ſacratiſſimæ imaginis augendum, ſub ejus titulo ac patrocinio ſodalitatem ex viris & mulieribus conflatam inſtituit; iiſque ab Urbano VIII. ampliſſimam delictorum omnium veniam impetravit, modo ſacra confeſſione expiati ac divina menſa refecti eodem die dominico ædem cathedralem, & aram ejuſdem ſanctiſſimi Crucifixi ſupplices adirent, religioſeque inviſerent. Semel diœceſim luſtravit anno 1637. Obiit an. 1644.

VINCENTIUS EP. PHARIENSIS XXXII.

Civis Venetus ortus ex familia Milana. Hunc Innocentius X. anno 1644. XIV. Kalendas Januarii a Caprulana ad Pharienſem Eccleſiam tranſtulit. Diœceſim epiſcopali luſtratione peragravit an. 1645. Prope ab ædibus pontificiis ſeminarium clericorum inſtituit an. 1654. eique duplex ſacerdotium, cui nulla animarum procuratio annexa erat, attribuit; ſed cum hinc reditus admodum tenues ſuppeterent, pulcherrima hæc atque utiliſſima inſtitutio progreſſum non habuit. Cum a quibuſdam bona eccleſiaſtica repeteret, hi veriti ne in judicium vocati dimittere cogerentur quæ injuſte detinebant, confictas in eum criminationes, tum Venetias, tum Romam detulerunt. Ille ſua fretus innocentia, illatas ſibi calumnias utrobique diluit, omnemque vel tenuem ſuſpicionis nebulam diſcuſſit. Quod Pharienſes ante annos centum ac viginti decreverant, & moliri jamdudum cœperant, demum ſub Epiſcopatu Vincentii perfectum & abſolutum eſt, videlicet collegium Virginum ordinis Benedictini; cujus inſtituendi poteſtatem anno 1534. a Paullo III. impetraverant. Extat diploma & mandatum pontificium, cujus exſequendi curam & facultatem Pontifex commiſit Epiſcopis Caſtelli maris, & Vigevani, itemque Vicario Epiſcopi Pharienſis, litteris ad eos datis, quibus ipſum diploma inſertum eſt.

Vincentius Milanus e Caprulenti Ep. Pharien.

Cœnobium pro Virginibus Pharienſibus jamdiu decretum approbatumque a Paullo III.

Paullus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Venerab. Fratribus Caſtellimaris & Vigevanen. Epiſcopis, ac dilecto filio Vicario Ven. Fratris noſtri Epiſcopi Pharenſis in ſpiritualibus & temporalibus generali ſal. & apoſt. benedict. Hodie a nobis emanarunt litteræ tenoris ſubſequentis. Paullus Epiſcopus ſerv. ſervor. Dei ad perpetuam rei memoriam. Animas lucrifacere Creatori earum totis viribus procurantes &c. Sane pro parte dilectorum filiorum, Patriciorum, & Conſilii civitatis Pharenſis nobis exhibita petitio continebat, quod

quod ipſi pia devotione ducti ſummopere cupiunt ad Omnipotentis Dei laudem & gloriam, & ad divini cultus & religionis augmentum, in dicta civitate in loco ad id apto & idoneo, unum monaſterium monialium ordinis S. Benedicti ſub invocatione S. Antonii, eorum propriis expenſis conſtrui facere, illudque pro una Abbatiſſa & monialibus dicti ordinis inibi Altiſſimo famulaturis debite dotare; quare pro parte dilectorum Patriciorum & Conſilii nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune providere, & benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus augmentum & religionis propagationem ſinceris deſideriis exoptamus, quemlibet ex Patriciis & Conſilio prædictis a quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes; hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate apoſtolica, tenore præſentium, Patriciis & Conſilio prædictis in prædicta civitate & loco ad id condecenti & idoneo unum monaſterium cum eccleſia, campanili, campana, cimiterio, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis conſtrui & ædificari licentiam concedimus; ipſumque monaſterium, poſtquam ſufficienti clauſura munitum fuerit, in monaſterium monialium dicti ordinis ſub invocatione prædicta pro una Abbatiſſa & monialibus ejuſdem ordinis, quæ in ipſo monaſterio ſub regulari obſervantia in ſpiritu humilitatis & perpetua clauſura Altiſſimo famulatum exhibeant ſine alicujus præjudicio, erigimus & inſtituimus; ac illi ſic erecto pro ejus dote omnia & ſingula bona per ipſos Patricios & Conſilium ad id pro tempore concedenda & aſſignanda, ex nunc, prout cum conceſſa & aſſignata fuerint, perpetuo applicamus, & appropriamus. Et ut in dicto monaſterio diſcordia ac diſſenſiones, quæ ut ipſi Patricii & Conſilium aſſerunt, alias de facili oriri poſſent, ſubmoveantur, & ipſius monaſterii Abbatiſſa pro tempore exiſtens accuratius in ejus regimine ſe gerere ſtudeat, & ipſius monaſterii bona ſolertius gubernentur, & adminiſtrentur; volumus quod in dicto monaſterio non niſi filiæ Patriciorum dictæ civitatis pro tempore exiſtentium, ex legitimo matrimonio procreatæ, ac de conſenſu & voluntate dicti Conſilii ad hoc legitime convocati ac requiſiti, & cum competenti dote, prout ejuſdem monaſterii vires requirunt, recipi vel admitti aliquatenus poſſint; ac Abbatiſſa dicti monaſterii ex monialibus ejuſdem monaſterii more ſolito, dum tamen grata & accepta Conſilio ejuſmodi exiſtat, eligi debeat, ac in officio Abbatiſſatus hujuſmodi ultra triennium continuare, & poſt triennium ad officium hujuſmodi niſi lapſo alio triennio reaſſumi. Conſilium hujuſmodi, ſeu procuratores ipſius monaſterii per Conſilium annuatim ex numero ipſorum Patriciorum pro tempore deputati, capellanum bonæ conditionis & famæ, etiamſi dicti ordinis, cum in civitate prædicta ac dioceſi Pharenſi aliquod monaſterium dicti ordinis, ut ipſi Patricii & Conſilium etiam aſſerunt, non exiſtat, profeſſor non fuerit, qui monialibus prædictis in divinis ſuis debitis horis & locis inſerviat, deputare, ac bona & proventus ipſius monaſterii ad illius utilitatem & commodum gubernare poſſint ac debeant, & rationem ſuæ adminiſtrationis reddere teneantur, perpetuo ſtatuimus & ordinamus. Ac eidem monaſterio, Abbatiſſæ, & monialibus pro tempore exiſtentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, indulgentiis, eſſentialibus indultis, facultatibus, & gratiis aliis monaſteriis dicti ordinis, illorumque Abbatiſſis, monialibus, & perſonis pro tempore exiſtentibus quomodolibet in genere conceſſis, & quibus illa vel illæ juxta hujuſmodi privilegia ſeu de jure, ſeu de conſuetudine quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ae uti, potiri, gaudere poterunt in futurum; monaſterium S. Antonii, illiuſque Abbatiſſæ & moniales pro tempore hujuſmodi uti quoque, potiri, & gaudere libere & licite valeant, de ſpeciali gratia indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis & monaſteriorum & ordinis prædictorum ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, conceſſionis, erectionis &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnat. Dominicæ 1534. IV. Id. Martii, Pontific. noſtri anno primo. Quocirca dilectioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos vel alium, ſeu alios, auctoritate noſtra faciatis præinſertas litteras, & in eis contenta quæcumque plenum effectum ſortiri, illiſque omnes & ſingulos, quos quomodolibet concernunt, pacifice frui & gaudere; nec permittatis quempiam contra illarum tenorem quomodolibet moleſtari, contradictores quoslibet & rebelles etiam per cenſuras & pœnas eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis; non obſtantibus omnibus ſupradictis &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarn. Dominicæ 1534. IV. Id. Martii, Pontific. noſtri anno primo.

Verum Pharienſibus efficiendi quod cupiebant, quodque Pontifex conceſſerat, facultas tunc defuit; neque enim aut ſatis pecuniæ ad ædificandum, aut vectigalia idonea ad cœnobium dotandum ſuppetebant. Conſecuta deinde clades urbis ab Turcis illata, hanc vero peſtilentia, aliaque ex aliis impedimenta, præclari operis perficiundi conſilium ac ſpem fere omnem everterunt. Intra finem ſæculi decimi ſexti Nicolaus Colombinus, & Julia Lucia, cives Pharienſes in primis inter ſuos copioſi ac nobiles, omnia ſua bona ſupremis tabulis impendi juſſerunt in ædificationem ac dotem cœnobii jamdudum deſignati ac decreti. Reditus annui utriuſque hæreditatis in fœnore collocati cum ad eam ſummam creviſſent, quæ ad opus inchoandum & perficiendum ſufficere videbatur; conceſſu Senatus Veneti an. 1636. ædes exſtrui cœperunt; quæ cum abſolutæ fuiſſent, rebuſque omnibus ad uſus communis religioſæque vitæ neceſſariis ornatæ, anno 1652. Senatus juſſit in eos recipi non ſolum e cœtu nobilium, ſed etiam ex inferioribus civitatis ordinibus Virgines ingenuas, quæ admitti cuperent, atque ad illud inſtitutum idoneæ viderentur. Anno demum 1664. Vincentius Epiſcopus permiſſu Sedis Apoſtolicæ ac Senatus Veneti duas e cœnobio Benedictino Arbenſi monachas ætate provectas, ſpectatæ virtutis ac prudentiæ, juris monaſtici peritas eduxit; & eadem navi ſecum devectas ad novum cœnobium tranſtulit; quæ Virginibus Pharienſibus diſciplinæ monaſticæ præcepta

tra-

traderent ; earumque vitam ad normam ab S. Patre Benedicto traditam , ejuſque ſanctiſſimas leges inſtituerent ac dirigerent . Crevit deinde præclara hæc inſtitutio, nec magis numero Virginum , quam omni genere virtutum floruit . Biennio poſt Vincentius e vita migravit; & cum ex præſcripto Sacrorum Canonum adminiſtratio Eccleſiæ Pharienſis devoluta eſſet ad collegium Canonicorum, ex eo delectus eſt Vicarius Capitularis Franciſcus Pierotichius Canonicus idem & Archipresbyter , qui per annum fere integrum Epiſcopi locum tenuit , & rem chriſtianam adminiſtravit,

JOANNES II. EP. PHARIENSIS XXXIII.

E domo Tragurienſi patricia de Andreis , cui Alexander VII. Eccleſiam Pharienſem decrevit : 1667. 16. *Martii providit Eccleſiæ Farenſi vacanti per obitum Vincentii de perſona Joannis Andreis Presbyteri Tragurienſis , cum reſervatione penſionis ſcutorum* 400. Fuit vindex acerrimus immunitatis eccleſiaſticæ, cujus cauſſa inimicitias & lites cum viris præpotentibus ſuſcipere non dubitavit . Diſciplinam ſacrorum rituum vel in minimis rebus, quæ ad divinam liturgiam pertinent , ut ipſe accuratiſſime ſervabat , ſic cuſtodiri ab omnibus volebat , ab eaque ne tranſverſum quidem unguem diſcedere quemquam patiebatur : id quod ſatis declarat quoddam ejus poſtulatum ad Sacram Congregationem per litteras miſſum. *Supplicavit humiliter EE. VV. Epiſcopus Pharenſis humillimus orator pro declaratione ſuper infraſcripto : Utrum Presbyter aſſiſtens, quicumque ille ſit , Epiſcopo ſollemniter celebranti, & intonanti antiphonam , hymnum, gloria, & cantanti orationem, debeat ipſemet actualiter & phyſice ſuſtinere librum ſupra caput, an vero aliquis alius id præſtare debeat; & ipſe Presbyter aſſiſtens tantummodo moraliter, nempe leviter tangendo. Et Sac. Congregatio Rit. referente Emin. D. Cardinali Gualterio , reſpondit : Ipſemet Presbyter actualiter debet retinere ſuper caput. Hac die 31. Maji* 1670. Nimirum in primis illi cordi erat majeſtas ac dignitas cultus divini; magnam ſiquidem de infinita & immenſa ſupremi Numinis excellentia opinionem cum eximia religione conjunctam , ex aſſiduo meditandi ſtudio, penitus animo conceptam atque comprehenſam habebat ; nihil ut in Dei famulatu ac miniſterio negligendum , aut parvi faciendum eſſe duceret. Nullum diem prætermittebat , quin ſtatum ac certum tempus aliis omnibus negotiis ereptum contemplationi rerum cæleſtium tribueret; maxime vero in Chriſti vitæ mortiſque meditatione acquieſcebat , ſatis gnarus ibi eximia omnia documenta in illuſtri poſita monumento intueri atque imitari licere . Ad hoc meditandi genus maxime ſalubre & frugiferum ut omnes invitaret atque alliceret , libellum illum, qui *Cibus animæ* inſcribitur , Chriſti patientis exemplis ac virtutibus refertum, & piis ſententiis ac præceptis abſe auctum & illuſtratum , Venetiis anno 1667. typis Hertzianis edendum curavit . In urbe ac diœceſi ſemel ſingulis menſibus clerum congregari juſſit ad dirimendas , quæ in uſu frequentiori verſantur , controverſias Thæologiæ moralis. In æde cathedrali aram marmoream exſtruxit , in qua corpus S. Proſperi martyris ligneo loculo pulcherrime cælato inauratoque incluſum collocavit ; ad ejuſque cultum augendum piam nobilium virorum ſodalitatem inſtituit , ut docet lapis inſcriptus, & tergo altaris inſertus.

Joannes Ep. aram D. Proſpero extruxit, in quam ejuſdem corpus inclusit.

D. O. M.
Joannes Andreis Epiſcopus Pharenſis
Corpus S. Proſperi Martyris dilectæ Sponſæ
ſuæ dono dedit. Piam Nobilium Confraternitatem
erexit , eamque altera Venerabilis Arcæ clave
condecoravit anno Domini 1676.

Eodem anno a Pharienſi ad Eccleſiam Tragurienſem migravit , ut eſt in tabulis conſiſtorialibus : 1676. *providit Eccleſiæ Tragurien. vacanti per obitum Joannis Garzonii de perſona Joannis Andreis Epiſcopi Farenſis.*

Ad Eccl. Tragurien. translatus.

HIERONYMUS III. EP. PHAR. XXXIV.

Patricius Venetus e nobiliſſima Priolorum gente , quæ cum ſemper maximis honoribus & rerum geſtarum gloria floruit , tum ſupremum civitatis ſuæ principatum iterum ac tertio obtinuit. Cave hunc confundas cum altero ejuſdem nominis, gentis, ætatis clariſſimo viro, de quo Jacobus Salmonius in additionibus ad inſcriptiones urbis Patavinæ : *Hieronymus Priuli S. R. Rotæ Auditor Archidiaconus Patavinus an. Dom.* 16.... Hunc noſtrum e Congregatione Somaſcha ob ejus eximiam doctrinam & probitatem Innocentius XI. ad regimen Eccleſiæ Pharienſis aſſumpſit : 1676. 22. *Junii providit Eccleſ. Faren. de perſona Hieronymi Prioli Presb. Congregationis Somaſchæ* . In æde cathedrali , cura ſuperiorum Antiſtitum ante aliquot annos reſtituta & egregie ornata , aram ex marmore perelegantem conſtruxit, ejuſque lateri dextero tabula lapidea infixa , nomina conditoris & Divorum, quibus condita fuit, inſcripta exhibet:

Aram marmoream in æde cathedrali ædificavit.

Deiparæ Virgini , Divoque Hieronymo
& Cajetano Patronis beneficentiſſimis
Hieronymus Priolus Epiſcopus Pharenſis
Aram hanc erexit
Anno Domini 1687.

Exemplum religioſiſſimi Antiſtitis incitamento fuit duobus civibus illuſtribus & opulentis, ut altaria duo itidem marmorea in eodem templo urbis primario ædificarent . Ex his unus fuit Hieronymus Vitalis , qui pro ſua pietate ſingulari erga effigiem Chriſti Domini Crucifixi miraculis inclytam ære ſuo nobiliſſimam eidem aram poſuit , & utrique ejuſdem lateri duplicem inſcriptionem incidi juſſit.

Alterum altare SS. Crucifixo exſtructum,

D. O. M.
Jeſu Chriſto Crucifixo
Qui iterato mortis miraculo
Sanguinem ex Imagine
effudit
Hieronymus Vitalis
Sacravit
Anno ſalutis
1692.

D. O. M.
Hieronymus Vitalis
Thomæ filius
Ut Sanctiſſimæ Chriſti Imagini
Cultum magis erigeret
Et divini miraculi monumentum
perenne firmaret
Anno a miraculo
182.

& sepulcrum sodalibus ejusdem Sanctiss. Crucifixi.

Post aliquot annos sodalitas ejusdem Sanctissimi Crucifixi, permissu Hieronymi, sive hujus hæredum, ante ipsam aram sepulcrum sibi condidit, & operculo lapideo hunc titulum insculpsit,

Venerabilis Confraternitatis
Sanctissimi Crucifixi
Confratrum & Sororum
ad humationem erecta
Lapidula ista anno Domini
1713.
Ut quos viventes
Pietas sociarat
mortuos etiam
Communis Urna exciperet.

Hieronymi Episc. epitaphium.

Hieronymus Priolus annos fere quindecim Ecclesiæ Phariensi sanctissime præfuit. An. 1691. cum Venetias valetudinis curandæ caussa se contulisset, in patria diem obiit supremum. Translatus Phariam, ut ipse jusserat, atque in æde cathedrali post sollemnes exsequias conditus est in eo sepulcro, quod sibi ac successoribus paraverat, ut docet titulus sepulcralis.

D. O. M.
Hieronymus Priolus Episcopus
Sibi & Successoribus.

Subter stemma gentilitium ibidem insculptum:

Obiit
Anno Domini
1692.

JOANNES THOMAS EP. PHAR. XXXV.

Brixiæ nobili loco natus e familia Roveta, fortasse Bergomensi, ab ineunte adolescentia in sanctissimam Divi Dominici familiam adscribi voluit; in eaque multa & illustria ingenii, doctrinæ, prudentiæ, omniumque virtutum documenta præbuit. In variis cœnobiis provinciæ Langobardæ Dominicanæ primum Philosophiæ, deinde Theologiæ scholas regere jussus, Fratribus junioribus sui ordinis, non magis doctrina, quam exemplis vitæ religiosissimæ profuit. Venetiis munus gravissimum inquirendi adversus hæreticam pravitatem summa cum laude ac prudentia gessit, & sacræ Inquisitionis ædes de suo multis commodis atque ornamentis auxit. Cum annum ætatis sexagesimum excederet, illum Innocentius XII. anno 1693. Episcopum Ecclesiæ Phariensi præfecit verbis amplissimis: *Te Presbyterum in legitimo matrimonio ex catholicis atque honestis parentibus in civitate Brixiensi natum, sexagenario majorem, a pluribus annis in sacro Presbyteratus ordine constitutum, in Theologia Magistrum, ordinis Prædicatorum professum, quippe munia lectoris Philosophiæ, Theologiæ, nec non Vicarii & Inquisitoris contra hæreticam pravitatem in civitate Venetiarum laudabiliter obivisti &c.* Ex diplomate pontificio.

Huic ecclesiæ undecim ipsos annos ita præfuit, ut nullum optimi Antistitis officium prætermitteret. Tertio quoque anno diœcesim lustravit; ubique pravas consuetudines, quæ in clerum populumque irrepserant, funditus evulsit; & multa egregie constituit, quæ ad splendorem divini cultus augendum, & christianam atque ecclesiasticam disciplinam restituendam pertinebant. Semel atque iterum curam lustrandæ insulæ Brattiensis delegavit Nicolao Blancovichio Episcopo Macarensi; quod is ab ea propius abesset, & linguam Slavonicam calleret; quin decreverat tercentos argenteos annuos eidem contribuere, ut altero quoque anno insulam illam populumque inviseret. Ut divinum ministerium in æde cathedrali pro dignitate, & qua par est religione, rituque, Canonici & clerici peragerent, certam & accuratam methodum ac rationem psallendi, sacrificandi, ceteraque sacras cærimonias obeundi eisdem præscripsit. Simulacrum S. Stephani Papæ & martyris ex argento solido mirabili arte perfectum, itemque lychnum argenteum non exigui ponderis, ædi cathedrali dono dedit; ejusque sacellum maximum Damascena veste ornavit. Virginibus Benedictinis ære suo locum idoneum exstruxit admittendis ad colloquium externis viris, femineisque, & ferreis cancellis munivit; quæ ceteris ætate, prudentia, virtute antecellerent, eas hujusmodi colloquiis interesse jussit, ut Virginum earum innocentiæ ac famæ consuleret. Unum itemque alterum annum supra septuagesimum expleverat, cum amisso uno, veritus ne alterum quoque oculum amitteret, Episcopatu Phariensi se abdicavit anno 1704. nulla sibi ex ejus vectigalibus pensione reservata. Brixiam secessit, atque in ædibus paternis aliquot annos, sepositā omni cura, sibi ac Deo vixit: quo tempore semel, iterum, ac tertio pecuniæ summam non exiguam distribuendam pauperibus Phariam transmisit. Cum sibi diem extremum imminere sensit, recepit se in cœnobium Dominicanum, ubi tranquille sancteque inter pias precationes Fratrum suorum decessit XVIII. Kalendas Maji an. 1719. Sacram omnem supellectilem argenteam, lineam, & sericam ædi cathedrali Phariensi supremis tabulis legavit.

Joannes deposito pontificatu in patriam secessit.

RAYMUNDUS EP. PHARIENSIS XXXVI.

Oriundus e Comitibus Bergomatibus de Aspertis. Ad præclarissimam D. Dominici sodalitatem aggregatus, ad normam hujus sanctissimi instituti vitam omnem suam exegit. Humanis divinisque disciplinis tradendis præpositus, excellentis ingenii & eximiæ eruditionis laude præcelluit. Munus in hæreticos inquirendi Venetiis aliquot annos egregie sustinuit. Clemens XI. Raymundum ob singulares ejus virtutes F. Joanni Roveto in Sedem Phariensem subrogavit: 1704. 28. *Aprilis providit Ecclesiæ Farensi vacanti per liberam dimissionem Joannis Thomæ Roveti de persona Raymundi Aspertī ord. Prædic. cum reservatione pensionis* 300. *scutorum monetæ Romanæ pro persona, seu personis nominandis.* Præcipuæ illi curæ fuit christiana puerilis ætatis institutio; nec solum dominicis, sed etiam singulis festis diebus, tum in urbe, tum in diœcesi scholas christianæ catecheseos haberi jussit, & pueros seorsum a puellis de præceptis ac mysteriis divinis erudiri. In urbe ædem cathedralem pontificiæ consecrationis adhuc expertem, itemque templum S. Stephani in urbe veteri, quod Turcæ diruerant, & Augustinus Valerius Visitator apostolicus reædificare jusserat, superiorum Antistitum cura & pia illarum gentium liberalitate magnificentius restitutum, sollemni ritu ac cærimonia consecravit: huic vero jus pristinum titulumque parochialem restituit, qui in proximam ædem S. Mariæ migraverat; hinc illuc divina Eucharistia, frequentissima cleri populique supplicatione, & ingenti ex omnibus insulæ locis hominum

Acta præclara Raymundi.

num ac mulierum concurſu, translata. Ædes parochiales fere omnes Iſſæ Brattiæque plurimis Divorum reliquiis nobilitavit, quas ex urbe detulerat. Cum ejus Pontificatus inciderit in ea periculoſiſſima tempora, quæ bello Turcico ardebant; quamvis civitas ac tota diœceſis Turcarum incurſionibus expoſita eſſet, nullo tamen ſeu vitæ, ſeu libertatis amittendæ periculo deterreri potuit, quin conſtanter perpetuoque ad gubernaculum eccleſiæ ſibi traditæ ſederet, aut initio ſuſceptam diœceſis tertio quoque anno luſtrandæ conſuetudinem intermitteret; quin imo occaſionem ex eo bello ſibi oblatam bene merendi de re chriſtiana cupidiſſime arripuit. Cum enim ſæpe ad portum Pharienſem aquationis, vel perfugii cauſſa naves Venetæ appellerent, in quibus erant tum captivi Turcæ, tum hæretici Venetorum ſtipendiis conducti; ex utriſque haud paucos ſive ad chriſtianam religionem, ſive ad catholicam rectamque in Deum fidem traduxit. Hoſpites ac peregrinos præſertim religioſos perhumaniter accipere ſolebat; & pro cujuſque conditione, liberaliter lauteque tractabat. In egentibus ac miſeris ſublevandis erat nimius & quaſi prodigus; parca menſa ac tenuiſſimo cultu contentus ipſe vivebat, ut nunquam ſibi deeſſet, quod in pauperes large effuſeque erogaret. Anno 1722. vel ſequenti pie obiit, & ſepultus eſt in æde cathedrali. De reliquis Epiſcopis, ſiqua digna eſſent ſingulari commemoratione, per litteras exquirere non omiſi; ſed præter nomen & annum ſuſcepti ac depoſiti Pontificatus, nihil fere nanciſci licuit.

DOMINICUS EP. PHARIENSIS XXXVII.

Domaicus ad Bellunenſem Eccleſiã translatus.

Patricius Venetus e gente Condulmeria. Anno 1723. ad Eccleſiam Pharienſem regendam acceſſit, quam anno 1736. cum Bellunenſi commutavit.

CÆSAR EP. PHARIENSIS XXXVIII.

Cæſar e Cephalenienſi Ep. Pharien.

Natus eſt Venetiis an. 1689. VI. Id. Martii: ei cognomen fuit Bonajuto. Duabus eccleſiis ſimul conjunctis Cephaleniæ & Zacynthi aliquot annos præfuerat, cum eum Clemens XII. ad Pharienſem tranſtulit an. 1736. tertio Kalendas Martii. Hanc ſedem epiſcopalem annos tres & viginti præclaris inſtitutis, ſuiſque virtutibus illuſtravit; morte ſublatus anno 1759. vacuam reliquit. In æde cathedrali commune deceſſoribus Epiſcopis ſepulcrum obtinuit.

ANTONIUS EP. PHARIENSIS XXXIX.

Antonius Becichius primum Nicopolitanus in Bulgaria, deinde Scardonen. demum Pharien. Epiſc.

Patria Butuanus, cognomento Becichius, de quo in Epiſcopis Scardonenſibus. Erat Romæ, cum eo de Cæſaris Epiſcopi morte allatum eſt. Clemens XIII. apoſtolicos Antonii labores in Bulgaria religionis cauſſa ſuſceptos remunerari cupiens, Epiſcopatum Pharienſem Scardonenſi opulentiorem eidem contulit an. 1759. plurimiſque pontificiæ largitatis muneribus ac beneficiis donatum ex urbe dimiſit. Multa & præclara optimus Præſul meditabatur ac moliri jam cœperat, quæ ad decus & ornamentum hujus eccleſiæ, atque utilitatem novi gregis ſibi concrediti pertinebant. Sed nondum alterum ab ejus regimine ſuſcepto annum compleverat, cum egregia illius cogitata & conſilia mors immatura intercepit. Romam adierat, in eaque urbe dum eccleſiæ ſuæ negotia ſedulo curabat, letali morbo extinctus eſt anno 1761.

JOACHIMUS MARIA EP. PHARIEN. XL.

Joachimus ſexto poſt anno Epiſcopatum dimiſit.

Civis Veronenſis natus anno 1709. cui Pontalto cognomen fuit, ex ordine Carmelitano, cujus ſupremam præfecturam ſumma cum laude & ſuorum approbatione geſſit, examinator apoſtolicus cleri Romani, quem ob ſingularem doctrinam & eximias virtutes Clemens XIII. ſtatim poſt obitum Antonii Epiſcopum Pharienſem renunciavit. Sex fere annos huic eccleſiæ præfuit; multa præclare ad cultum divinum augendum, ad diſciplinam eccleſiaſticam ſtabiliendam, ad mores chriſtianæ plebis corrigendos & pietatem excitandam inſtituit ac decrevit; nullumque ſeduli atque optimi Epiſcopi officium prætermiſit. Anno 1767. cum eſſet Romæ, Eccleſiam Pharienſem eidem, a quo acceperat, Pontifici reſignavit.

PETRUS II. EP. PHARIENSIS XLI.

Bonis parentibus & honeſto loco natus eſt Spalati; qua in urbe vetus eſt & honorata familia Ribola, unde cognomen traxit. Ab inſigni probitate & modeſtia, ſtudiiſque optimarum litterarum, quibus in Seminario Spalatenſi operam dedit, ineuntis atque adoleſcentis ætatis commendationes duxit. In Academia Maceratenſi Doctoris Theologici nomen & inſignia ſumpſit. In patriam cum rediiſſet, primum Philoſophiæ, deinde Theologiæ alumnis Seminarii tradendæ præpoſitus, ſumma tum perſpicacis ingenii, tum exquiſitæ doctrinæ laude, curſum utriuſque magiſterii confecit. Ad collegium Canonicorum aggregatus cum fuiſſet, locum illum ampliſſimum pro dignitate tenuit; nec vero ſe ſuamque operam ſic choro affixit, ſacriſque functionibus impendit, ut nullam partem curæ & cogitationis ſuæ in ſalutem animarum derivaret; nam cum in alia chriſtianæ caritatis officia ſedulo incubuit, tum præſertim Virgines Deo conſecratas, quarum confeſſionibus audiendis præeſſe jubebant, diligentiſſime excoluit, atque ad omne religioſæ diſciplinæ perfectioniſque munus accuratiſſime inſtruxit. Duobus Archiepiſcopis Vicarii generalis operam egregie navavit; & pro eximia, qua præditus eſt, prudentia ſcientiaque, onus illud longe graviſſimum ſine ullius offenſione & cum magna omnium approbatione ſuſtinuit. Anno demum 1767. VI. Id. Julii Clemens XIII. in auguſtiſſimo Purpuratorum Patrum conventu Petrum Ribolum Eccleſiæ Pharienſis Epiſcopum declaravit. Præſulem omnibus illis virtutibus, quæ in celſiſſimum epiſcopalem gradum maxime conveniunt, inſtructum ornatumque ſibi datum eſſe magnopere lætantur Pharienſes, & avidiſſime expectant.

EPISCOPI TINNINIENSES.

Tinninii, ejuſque territorii poſitio & deſcriptio.

TInninium civitas erat primaria unius ex illis quatuordecim Zupaniis, in quas Chrobati regionem, quam occuparunt inter Arſiam ac Tilurum, diviſerant; hanc *Inenam*, urbem vero principem hujus toparchiæ *Ienem* vocabant, quæ nunc Slavorum lingua *Knin* appellatur. Sunt qui exiſtimant Ardubam pervetus oppidum Dalmatiæ, quod Germanicus Cæſar, ut eſt apud Dionem lib. 56. poſtremo bello Illyrico cepit, illud idem eſſe, quod poſtea dictum eſt Tinninium, aut certe ibidem loci ſitum fuiſſe. Horum ſententiæ ſuffragatur ipſa loci natura & poſitio. Dio Caſſius Ardubam vocat *Caſtellum munitiſſimum, flumine rapido radices ejus alluente, totum fere circumdatum*, quod niſi deditione vix capi potuiſſet a Germanico, quamvis robore ac numero copiarum longe hoſtibus præſtaret. Tinninium quippe obliquo & prærupto colli inſidet, quem Titius rapido decurſu a ſeptemtrione ac meridie alluit, & ab occaſu Buſtinizza in Titium influens. Oppidum haud minus opere militari, quam naturali ſitu munitum eſt: ambit duplex murus cum crebris turribus, firmat arx loco alto & præcipiti; ſubjacet ſuburbium tectis ac domiciliis frequens, diſtat a mari millia paſſuum fere quadraginta. Territorium qua vineis agriſque, qua pratis ac nemoribus diſtinctum, amplius octoginta millia circuitu comprehendit. Villis ſane frequentibus habitatur omnino ad ſexaginta. Oppidum vero præter militare præſidium, ac præpoſitos rebus bellicis & civilibus, familias continet circiter ſex ac triginta. Sæculo ſeptimo Tinninium quoque cum reliqua citra Tilurum Dalmatia mediterranea, conceſſu Heraclii Imperatoris, in poteſtatem ducum ac deinde regum Chrobatiæ tranſivit. Intra finem ſæculi undecimi poſt regnum Chrobatorum extinctum ad reges Hungariæ pervenit. Anno 1520. ſub Turcarum tyrannidem cecidit. Turcis ereptum Veneti anno 1688. in poteſtatem redegerunt, ac novis operibus, munitionibuſque firmarunt.

Variis dominis paruit, nunc Venetis.

Creſimirus IV. rex Chrobatiæ conditor Epiſcopatus Tinniniensis.

Initia Epiſcopatus Tinninienſis non altius quam ab undecimo ſæculo repetenda cenſeo, cujuſque inſtituendi auctorem fuiſſe arbitror Creſimirum hoc nomine IV. inter duces ac reges Chrobatorum. A primo Slavorum baptiſmo, de quo in Joanne primo Spalatenſium Archiepiſcopo, Chrobati per aliquot ſæcula nullum, præter Nonenſem, ſui generis ſuæque linguæ Epiſcopum habuere: id quod docuit Joannes Lucius lib. 1. de Reg. cap. XIV. *Ex epiſtolis Joannis Papæ VIII. & privilegio Mucimiri Ducis, unicum tantum Nonenſem Epiſcopum in regno Croatorum fuiſſe, & Spalatenſem Metropolitam recognoviſſe conſtat;* & rurſus eodem cap. idem confirmat: *Croatiam unicum Epiſcopum a principio ſuæ converſionis uſque ad annum 900. vel circa habuiſſe conſtat.* Sed per annos adhuc centum & quinquaginta Chrobatos uno illo Nonenſi Antiſtite contentos fuiſſe illud argumento eſt, quod in antiquis vel ducum ac regum diplomatibus, vel Dalmatiæ monumentis, ante Creſimirum neque Tinninienſis, neque alterius, præterquam Nonenſis, Epiſcopi Chrobatici mentio reperitur. Creſimirus IV. hoc nomine, ut dictum eſt, anno 1050. rerum in Chrobatia potitus, imperii fines terra marique amplificavit: ſiquidem ad ſuam ditionem adjunxit Slavoniam fere omnem inter Savum ac Dravum, & præterea urbes aliquot maritimas, veluti Belgradum, & Sibenicum, inſulaſque nonnullas Dalmatiæ; ac proinde non Chrobatiæ ſolum, ſed etiam Dalmatiæ regem appellari ſe voluit, ut ex ejus diplomatibus conſtat, quibus inſcriptus eſt Creſimirus *Rex Croatiæ & Dalmatiæ*, vel *Croatorum & Dalmatinorum*. Creſimirus igitur, ut rem publicam apud Chrobatos propagatione finium, ſic rem eccleſiaſticam dignitate numeroque Epiſcoporum auxit. Ad Nonenſem Chrobatiæ Epiſcopum duos adjunxit, Belgradenſem, de quo jam dictum eſt, & Tinninienſem; hunc vero perhonorificis muneribus ac titulis decoravit, & tum magnitudine diœceſis, tum auctoritate, & honoris locique primatu, aliis duobus Chrobatiæ Epiſcopis antecedere voluit. Ejus ſedem apud Tinninium quidem in æde S. M. riæ conſtituit; huic tamen loco non eum affixum, ſed aulæ & curiæ regali ſic addictum eſſe decrevit, ut ubicumque hæc eſſet, ibidem manere, & quocumque ſe transferret, eam ſequi deberet, neque unquam a regis latere & comitatu diſcedere; niſi ſi quando diœceſeos ſibi commiſſæ, quæ ampliſſima fuit, neceſſitas atque utilitas poſtularet. Duces & reges Chrobatiæ regiam ſedem & curiam nulli civitati oppidove affixerant, ſed vaga quadam & mutabili ratione modo huc, modo illuc transferebant, ut præclare docet Joannes Lucius lib. 2. de Reg. cap. XV. *Curiam ducum & regum mobilem, non fixam fuiſſe ex Archidiacono & datis privilegiorum conſtat; & quamvis ex Creſimiri privilegio an. 1069. dato in ſuo Nonenſi cœnaculo, & ex Nonenſis cum Archiepiſcopo Spalatenſi contentione in privilegio Mucimiri memorata, Nonam reſidentiam ducum & regum dici deberet, Epiſcopumque Nonenſem ducalis procuratoris munere functum, quod neque etiam ex ſitus opportunitate incongruum fuit, præſertim donec duces Croatiæ regibus Italiæ paruerunt; tamen cum pauca privilegia Nonæ data reperiantur, multa autem in Sibenico, in Civitate nova, Ineno, Belgrado, ceteriſque locis Croatiæ, vel penes eccleſias, prope flumina, fonteſque in locis campeſtribus pro aulæ commoditate curias celebraſſe compertum eſt.* Epiſcopo Tinninienſi id muneris datum erat, ut regi ac proceribus curiæ aulicique ſacra faceret, divina myſteria impertiret, ceteriſque pontificalibus officiis in aula regia fungeretur; hinc vocari ſolebat Epiſcopus *Regius*, aut *Palatinus*; & perinde quaſi univerſalis eſſet Chrobatorum omnium Antiſtes, *Croatienſis*, & *Croatiæ*, & *Croatorum* Epiſcopus in antiquis fere ſemper, in poſterioribus vero alias *Croatienſis*, alias *Tinienſis* nominatur.

Epiſc. Tinniniens. aſſecla regalis aulæ.

Appellatus Regius ſive Palatinus Epiſc.

Cum Epiſcopatu Tinninienſi Creſimirus conjunxit dignitatem munuſque longe ampliſſimum & graviſſimum regii *Cancellarii*, eique perpetuum, & huic eccleſiæ ſic annexum eſſe voluit, ut deinceps ex uno in alium Epiſcopum jure veluti hæreditario tranſiret. Cancellarii officia ſummatim deſcripſit Ludovicus Thomaſſinus de Diſcipl. Eccl. in Indice: *Iſtius erat aſſervare Principis ſcrinia, leges, præcepta; item & Statuta Placitorum & Comitiorum regni.* His adde

Idem Cancellarius regni.

cuſto-

cuſtodiam ſigilli regalis, & decretorum ac diplomatum confectionem ac ſubſcriptionem. Hoc munus qui ſuſtinerent, initio quidem e laicis, poſtea ex ordine clericorum deligi ſolebant; denique in tantum honorem aſcendit, ut fere nemini, præterquam Abbatibus, Epiſcopis, & Archiepiſcopis, id officii ac dignitatis conferretur. Cujus rei hanc pulcherrimam rationem reddidit Ludovicus Thomaſſinus Part. III. lib. III. cap. 25. *Cancellariatus autem munus poſt tempora Caroli Magni Prælatis pene univerſim reſervatum, aut eorum etiam eccleſiis alligatum fuit, ea nempe de cauſa, quod ſumma quædam illa doctrina, fide, probitas, quæ eis præ ceteris officio adhibenda eſt, in Prælatis ſæpius & cumulatius inſit.* Ante Creſimirum Sacerdos ſecundi ordinis regio ſacello præpoſitus omnia, quæ poſtea præſtabat Epiſcopus Chrobatienſis, officia & munera exſequebatur, *Capellani Regii* titulo inſignitus, ut Joannes Lucius animadvertit lib. 2. cap. 14. de Reg. *Hunc* (Epiſcopum Chrobatienſem) *Cancellarii quoque regni Croatorum munere functum reperitur, primumque Stephani Bani privilegium ſcripſiſſe, deinde Creſimiri Petri regis; cum ante Capellani regum diplomata exſcribere ſolebant.*

Magnitudo diœceſis Tinninienſis.

Nec liberalior fuit Creſimirus in honoribus ac titulis Epiſcopo ſuo conferendis, quam in aſſignandis eidem copioſiſſimis proventibus, atque ejus diœceſi & juriſdictione amplificanda. Hujus ſiquidem epiſcopali poteſtati ſubjecit quidquid terrarum ac gentium in Dalmatia cis ultraque montes reges Chrobatorum poſſidebant, ſalva tamen & intacta diœceſi Spalatenſis, Nonenſis, & Belgradenſis Antiſtitum; ac præterea fere totam inter Savum ac Dravum Slavoniam, quam ipſe ad ſuum imperium adjunxerat, eidem attribuit. Thomas Archidiaconus cap. xv. hiſtor. Salonitanæ de inſtitutione Chrobatienſis Epiſcopatus hæc ſcripſit: *Voluerunt etiam Croatorum reges quaſi ſpecialem habere Pontificem, petieruntque ab Archiepiſcopo Spalatenſi, & fecerunt Epiſcopum, qui Croatienſis appellabatur, poſueruntque ſedem ejus in campo in eccleſia S. Mariæ Virginis juxta caſtrum Tinienſe. Hic multas obtinuit parochias, habuitque prædia & poſſeſſiones per totum pene regnum Croatiæ; quia regalis erat Epiſcopus, & regis curiam ſequebatur; eratque unus ex Principibus aulæ, & ſua juriſdictio uſque ad Dravum fluvium extendebatur.*

Capitulum Tinninienſe.

Idem Creſimirus collegium Canonicorum inſtituit, ac domicilium illis & Epiſcopo ſatis amplum & commodum paravit juxta ædem cathedralem S. Mariæ, in qua nocturnis ac diurnis precibus & ſacrificiis, cum clero inferioris ordinis, operam darent; idemque collegium idoneis ad Canonicos & clericos alendos vectigalibus inſtruxit. Extra urbem tum ædes Mariana, tum domicilia Canonicorum ſita erant *in Campo*, ut docet Archidiaconus; ideſt in quadam planitie, quæ haud longe ab colle, cui Tinninium inædificatum eſt, longe lateque ad meridiem explicatur, & *Campus* vulgo appellari ſolet. Prope ripam Titii fluminis adhuc viſuntur ingentes tectorum ruinæ, e quibus templi cathedralis, itemque ædificiorum eidem annexorum deſcriptio & magnitudo argui poteſt; hunc locum indigenæ, veteri vocabulo retento, *Capitulum* vocant. Eodem fere modo S. Ladislavus rex Hungariæ, cum Epiſcopatum Zagrabienſem fundavit, ſeorſum ab urbe, proxime tamen, ædem cathedralem, palatium epiſcopale, domos Canonicorum, aliaque ſacra ædificia conſtruxit, quæ loca nunc appellantur *Civitas Capituli*.

S. Bartholomæus Apoſtol. patronus Capituli Tinninien.

Canonici Tinninienſes patronum ſibi adoptarunt S. Bartholomæum Apoſtolum, cujus opulentum Sacerdotium, in terris Chrobaticis ſitum, Creſimirus menſæ capitulari attribuerat. Ejus Apoſtoli effigiem, quod inſigne erat Capituli, ſigno capitulari impreſſerant; idque ſignum uni de Canonicis cuſtodiendum tradebatur, qui ex eo nominatus fuit *Cuſtos ſigilli*. Magno in honore apud omnes erat ſigillum Capituli Tinninienſis, ſummamque obtinebat auctoritatem; eoque non ſolum acta capitularia, ſed interdum etiam regalia diplomata obſignari ſolebant, ac præterea cujuſque generis tabulæ publicæ ac privatæ, quarum aliquæ adhuc extant in archivo Tragurienſi ac Spalatenſi; quo ſcilicet fidei plus haberent ac perpetuitatis. Qui hujuſmodi nota capitulari ſuas chartas inſigniri vellet, aliquot nummos ſolvere debebat, qui *reditus ſigilli* vocabantur; redactam inde pecuniam Canonici ſub exitum anni pro rata portione inter ſe diſtribuebant. Dignitas & officium cuſtodis retentum eſt in collegio Canonicorum Tinninienſium, & ſua ſigillo capitulari auctoritas, ſuuſque honos permanſit, uſque ad initium ſæculi decimi ſexti, antequam Turcæ Tinninio potirentur. In actis cujuſdam quæſtionis cauſſæque eccleſiaſticæ, quam Sedes Apoſtolica Curiæ archiepiſcopali Jadrenſi an. 1494. delegavit, nominatur *Vitus Subichius Canonicus & cuſtos ſigilli Capituli Tinninienſis*. Anno 1514. Canonici Tinninienſes rogatu Franciſci Berislavi tutoris fratrum pupillorum domus Marnavichiæ, inſigne privilegium, quod Matthias rex Hungariæ genti Marnavichiæ conceſſerat anno 1458. accurate recognitum, inventumque nulla ex parte vitiatum, aut vetuſtate corroſum, tranſcribi juſſerunt; & apographum inde ſumptum, collatumque cum autographo, utrumque inter ſe congruere, ſigno capitulari impreſſo, confirmarunt: *Datum Tinninii in cathedrali noſtra eccleſia, Capitulo ſollemniter congregato, die feſto Sancti Uladislavi regis, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo, quingenteſimo, quarto decimo. Pendet ſigillum cereum ſimplex ex cordula duplici lineæ coloris diverſi flavi nimirum & viridis, impreſſa imagine S. Bartholomæi Apoſtoli.* Ex opuſculo Joannis Tomki Marnavitii Epiſcopi Boſnenſis, quod inſcribitur *De indiciis vetuſtatis & nobilitatis familiæ Marciæ, vulgo Marnavitiæ Niſſenſis*. Nunc deſcribenda eſt ſeries Epiſcoporum Tinninienſium, a ſæculo undecimo ad hanc uſque ætatem perducta.

Sigilli Capitularis, cui magna inerat auctoritas, cuſtos unus de Canonicis.

Series Epiſcoporum Tinninienſium.

I. Marcus an. circ. 1050.
II. Raynerius an. circ. 1059.
III. Anaſtaſius an. circ. 1069.
IV. Gregorius an. circ. 1073.
V. Petrus an. circ. 1080.
VI. Anaſtaſius II. an. circ. 1100.
VII. V. an. circ. 1140.
VIII. Deda an. circ. 1162.
IX. Flaſco an. circ. 1170.
X. Georgius an. circ. 1192.
XI. Micuſus an. circ. 1210.
XII. Ladislavus an. circ. 1260.
XIII. Nicolaus an. 1272.
XIV. Y. an. 1274.
XV. Petrus II. an. 1290.

XVI. Leonardus an. circ. 1300.
XVII. Nicolaus II. an. 1322.
XVIII. Archangelus an. circ. 1330.
XIX. Joannes an. circ. 1334.
XX. Thomas an. 1337.
XXI. Nicolaus III. an. circ. 1344.
XXII. Dionyſius an. circ. 1347.
XXIII. Blaſius an. circ. 1350.
XXIV. Joannes II. an. 1358.
XXV. Nicolaus IV. an. circ. 1366.
XXVI. Paullus an. circ. 1373.
Michael electus an. circ. 1390.
XXVII. Ladislavus II. an. circ. 1392.
Interregnum Epiſcopale.
XXVIII. Nicolaus V. an. 1418.
XXIX. Joannes III. an. 1428.
XXX. Demetrius an. circ. 1442.
XXXI. Franciſcus an. 1446.
XXXII. Marcus II. an. circ. 1462.
XXXIII. Nicolaus VI. an. 1469.
XXXIV. Nicolaus VII. an. 1490.
XXXV. Britius an. 1492.
XXXVI. Franciſcus II. an. circ. 1525.
XXXVII. Andreas an. 1539.
XXXVIII. Matthias an. 1550.
XXXIX. Paullus II. an. 1554.
XL. Joannes IV. an. 1558.
XLI. Andreas II. an. 1562.
XLII. Stephanus an. 1571.
XLIII. Zacharias an. 1573.
Interregnum Epiſcopale.
XLIV. Petrus III. an. 1584.
Interregnum Epiſcopale.
XLV. Joannes V. an. 1589.
XLVI. Matthias II. an. 1600.
XLVII. Georgius II. an. 1608.
XLVIII. Paullus III. an. 1610.
XLIX. Joannes VI. an. 1634.
L. Georgius III. an. 1648.
LI. Chriſtophorus an. 1668.
LII. Alexander an. 1687.
LIII. Blaſius II. an. 1688.
LIV. Nicolaus VIII. an. 1692.
LV. Franciſcus III. an. 1696.
LVI. Andreas III. an. 1708.
LVII. Georgius IV. an. 1714.
LVIII. Alexander II. an. 1728.
LIX. Joſephus Carolus an. 1755.

MARCUS EP. TINNINIENSIS I.

Marcus Judigus primus Epiſc. Tinninii donationem Stephani Bani factam cœnobio Benedictino Jadrenſi S. Chryſogoni confirmavit.

NOn aliunde notus, niſi ex tabulis cœnobii Benedictini Jadrenſis S. Chryſogoni, Stephanus Banus Chrobatiæ, idemque *Imperialis Protoſpatarius*, templum Deo Opt. Max. in honorem S. Nicolai, aliorumque Divorum ædificavit in agro Jadrenſi, & luculentis prædiis dotatum, copioſa item pretioſaque ſupellectili inſtructum Thraſoni Abbati S. Chryſogoni donavit. Hæc donatio ut valeret, rataque eſſet ac legitima, eam ab Epiſcopo regio Chrobatienſi confirmari oportuit. Quamvis enim templum illud, & is, cui traditum fuit, extra ditionem eſſet poteſtatemque regis Chrobatorum; huic tamen qui ſubditi erant, præſertim primores regni & proceres aulæ, ſiquid de ſuis rebus, ubicumque eſſent, etiam cum extraneis contrahere vellent, aut emendo, aut vendendo, aut donando; id ut firmum, legitimum, perpetuum foret, aſſenſus & approbatio Epiſcopi Chrobatienſis accederet neceſſe fuit: tantus huic honos, tantaque auctoritas tribuebatur; erat enim regius Epiſcopus, idemque regius Cancellarius: quapropter pleriſque actis illorum temporum ejus confirmatio & ſubſcriptio ſubjecta reperitur, Initium tabulis hujus donationis præfixum hoc eſt: *In nomine Domini N. J. X. Ego S. Banus fabricavi iſtam eccleſiam ad honorem S. Nicolai Confeſſoris Chriſti, & S. Petri Apoſtoli, & S. Stephani Pont. & B. Dimitri mart. & magni Griſogoni mart. nec non & BB. Genetricis Mariæ, atque omnium Sanctorum Chriſti cum conjuge mea Maria; fabricavi eam ſub temporibus B. Conſtantini Monomaci. Ego denique Stephanus Banus, Imperialis Protoſpatarius, complevi hæc omnia inſtante anno Domini mil. octabo decimo, Indict. XXII. incipiente anno X. de propria mea facultate laboravi eam &c.* Hic nominatim percenſet bona omnia tum mobilia, tum immobilia, ut vocant, quæ ſane liberaliter eidem eccleſiæ contulit. Duplex error chronologicus in notas arithmeticas irrepſit. Annus ſiquidem 1018. non cohæret cum ætate Conſtantini Monomachi Imperatoris, qui ab anno quadrageſimo ſecundo ad quinquageſimum quartum ſæculi undecimi imperium & vitam perduxit. Indictio autem viceſima ſecunda eſt perſpicue falſa; nam quælibet indictionum periodus quindecim ipſis annis definitur. Utrumque mendum corrigendum eſt ex nota ſequenti chronologica, *incipiente anno X.* ideſt imperii Conſtantini Monomachi, hic autem annus congruit cum anno quinquageſimo ſecundo ſupra milleſimum ære vulgaris, & cum indictione 6. quo quidem anno has tabulas confectas eſſe oportet, cum ante biennium Creſimirus apud Chrobatos regnare cœpiſſet. In extremis hujus donationis tabulis adjectum eſt: *Hæc omnia cum ipſa eccleſia trado in poteſtate D. meo Patri ſpirituali Traſoni Abbati, ut ſit in perpetuum cella S. Griſogoni, cujus ſanctiſſima membra Jadræ retinentur. Et ſi quis, quod abſit, auſus fuerit ſubtrahere ex meis, vel extraneis, moriat de Ramato, & habeat ſemen ſuper terram, & perſolvat auri libras XXX. Inſuper iratum habeat Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, & maledictionem a C.C.C. & VIII. Patres, & in noviſſimo Maranatha cum Diabolo, & ejus tetris Angelis, ac Juda Scariothe in inferno numeretur, & hæc Cartula volumus ut in ſua maneat firmitate.*

Et ego Marco Iudigo Epiſcopus Croatenſis collaudo, confirmo, corroboro, atque concedo.

Marcus Epiſcopus anno circit. 1058. vel ſub initium ſequentis e vita deceſſit.

RAYNERIUS EP. TINNINIENSIS II.

Raynerius Ep. Tinninien. tria regis Creſimiri privilegia laudavit.

Hujus nomen tribus Creſimiri regis privilegiis ſubſcriptum invenio. Anno 1059. cum Maynardus Abbas idemque Apocriſarius Nicolai II. Pont. Max. apud regem legatione apoſtolica fungebatur, Belgradi in urbe Chrobaticæ ditionis, atque in frequentiſſimo Epiſcoporum ac procerum conventu, Creſimirus monaſterium Benedictinum S. Joannis Evangeliſtæ ſitum in civitate Belgradenſi, verbis ampliſſimis liberum eſſe juſſit, & *præter debitam eccleſiaſticæ diſciplinæ reverentiam, nulli mortalium mundanæ poteſtati, ſive ſpirituali ſubjectum*, omnique tributo regio ſive Banali exemptum eſſe declaravit; eique præterea totam inſulam Surium, vulgo Zuri, cum omnibus fructibus & proventibus, qui ex ea undecumque percipi poſſint, in perpetuum poſſidendam tradidit. Habes hoc privile-

vilegium in Theodoſio I. Epiſcopo Belgradenſi, quod proxime poſt Laurentium Metropolitam Spalatenſem *Raynerius Croatinus Epiſcopus* laudavit & confirmavit : *His omnibus præſentibus & collaudantibus, & hæc omnia bona plene confirmantibus, in primis D Maynardo ſupradicto Apocriſario, Laurentio Archiepiſcopo, Raynerio Croatino Epiſcopo &c.* Initium eſt hujuſmodi : *In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, anno Incarn. Jeſu Chriſti omnium dominantis* 1059. *&c.*

Alterum diploma Creſimirus confecit *Anno Incarn. D. N. J. Chriſti* 1066. quo cœnobium Jadertinum S. Mariæ, ab Cicha regis ſorore Virginibus Benedictinis ædificatum, regia libertate donavit; quod quidem diploma approbavit, ſuoque chirographo confirmavit una cum Laurentio Archiep. Spalatenſi & Stephano Epiſc. Judren. *Raynerius Epiſcopus Croatiæ.*

Tertio itidem privilegio, quo Creſimirus Parthenonem Belgradenſem S. Thomæ, rogatu Dobrizæ antiſtitæ, ab omni tributo immunem eſſe decrevit, eique terras frugiferas ſane plures attribuit, teſtis adfuit approbatorque Raynerius cum Laurentio Archiep. Spalaten. & Theodoſio Epiſcopo Belgraden. Raynerius ſemel atque iterum, primum *Croaticus*, deinde *Croatinus* Epiſcopus ibidem nominatur : *In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, anno quoque Dominicæ Incarn.* 1069. *Indict.* 6. *menſe Octobri, Ego Chreſimer rex Croatinorum atque Dalmatinorum teſtimonium facio cum omnibus nobilibus meis, quod monaſterio S. Thomæ Apoſtoli ſub manu Dominæ Dobrizæ, ejuſdem monaſterii Matris, confero &c. L. Archiepiſcopo, R. Croatico Epiſcopo &c.*

Dum Raynerius apud Chrobatos rem chriſtianam regebat, interdictio linguæ ac liturgiæ Slavonicæ, quam Maynardus Sedis Apoſtolicæ internuncius cum Joanne Metropolita deceſſore Laurentii, ac Dalmatiæ Epiſcopis, ante aliquot annos edixerat, Chrobatos in apertum ſchiſma conjecit, auctore Ulfo Presbytero, qui ſuis technis ac fallaciis populares ſuos, fatui cujuſdam ac falſi Epiſcopi larva objecta, a legitimis Epiſcopis diſtraxit. His nullum neque Creſimirus rex, neque Raynerius Tinninienſis, neque duo alii Epiſcopi Chrobatorum Nonenſis ac Belgradenſis patrocinium aut favorem præbuerunt, præſertim poſt reſponſum Alexandri II. inſcriptum *Epiſcopis & Regi Dalmatinorum*, qui jubebat firma rataque eſſe, quæ Maynardus Legatus Apoſtolicus & Joannes Metropolita Spalatenſis decreverant, Nicolaus vero II. proximus ante Alexandrum in Synodo Romana confirmaverat. Itaque dubitari non poteſt, quin Raynerius cum ceteris Dalmatiæ Epiſcopis interfuerit utrique Concilio provinciali Spalatenſi, cui præfuit una cum Laurentio Archiepiſcopo Joannes Cardinalis legatus Sedis Apoſtolicæ. Alterum habitum eſt anno 1064. in quo Ulfus & Cededa Pſeudoepiſcopus iis, quibus digni erant, pœnis affecti ſunt, & uſus linguæ Slavonicæ in rebus ſacris, publiciſque religionis officiis rurſus omnium ſententiis damnatus eſt: alterum autem anno ſequenti, cum Epiſcopi & primores cleri, ex mandato Alexandri Pontificis, temerarium atque impium Cededam Pſeudoepiſcopum, cum a male cœptis non deſiſteret, diris omnibus execrati, una omnes voce ſemel, iterum, ac tertio in eum anathema dixerunt. De hoc ſchiſmate Chrobatico ſatis multa dicta ſunt in Joanne, & Laurentio Archiepiſcopis Spalatenſibus. Porro Raynerius intra finem anni 1069. diem obiit ſupremum, eique eodem anno ſucceſſit

Interfuit duobus Cōciliis provincialibus Spalatenſibus.

ANASTASIUS EP. TINNINIENSIS III.

Hic non ſolum ſubſcripſit confirmavitque, ſed etiam compoſuit & regio ſcribæ dictavit diploma Creſimiri regis, qui *anno Dominicæ Incarnationis* 1069. inſulam quamdam ditionis Chrobaticæ, cui nomen erat Mauni, cœnobio Jadertino S. Chryſogoni donavit : *Ego Anaſtaſius hujus chirographi dictator Crovatenſis Epiſcopus, & aulæ regiæ cancellarius, juſſu & voluntate prædicti Domini mei regis ſcripſi, & confirmavi feliciter in civitate Nona. Amen.* Eccleſiæ Tinninienſi ſive Chrobaticæ præfuit annos fere quatuor, & extinctus eſt iiſdem fere temporibus atque Creſimirus rex Chrobatiæ & Dalmatiæ, qui vel intra finem anni 1073. vel proximo ineunte præclare meritus æque de regno atque de re chriſtiana & monaſtica deceſſit; hanc ſiquidem multis proventibus ac beneficiis auxit, illud terra marique amplificavit. Poſt Creſimirum regni potitus eſt Slavizo, ut ex monumentis Dalmaticis colligitur.

GREGORIUS EP. TINNINIENSIS IV.

Anno 1074. Gerardus Archiepiſcopus Siponti-nus, cum juſſu miſſuque Gregorii Papæ VII. apoſtolica legatione in Dalmatia fungeretur, Synodus provincialis habita eſt Spalati, in qua *reſtauratum eſſe Epiſcopatum Nonenſem* ſcripſit Archidiaconus. Huic cum Laurentio Metropolita, aliiſque Epiſcopis provinciæ Spalatenſis interfuit *Gregorius Chroatenſis. Rege Slavizo a Northmannis capto*, ut eſt in tabulis Dalmaticis, regnum in Chrobatis obtinuit Svinimirus, ſive Zuonimirus, cui etiam Demetrio nomen fuit. Hic anno 1076. menſe Octobri a Gebizone Abbate SS. Alexii & Bonifacii in monte Aventino & a Fulcoino Epiſcopo Fori Sempronii legatis Gregorii VII. in baſilica S. Petri apud Salonam, & in frequentiſſimo Epiſcoporum & procerum conventu nomen regis, diadema, ſceptrum, ceteraque inſignia regalia ſolemni pompa magnoque apparatu ſuſcepit; ſeque ac regnum ſuum Sedi Apoſtolicæ, annui tributi lege, ac perpetuæ fidelitatis vinculo obſtrinxit; prætereaque templum ac cœnobium S. Gregorii in Aurana, cum omnibus prædiis ac proventibus eidem annexis, Eccleſiæ Romanæ donavit. Nec vero dubium eſt, quin omnibus, quæ acta & conſtituta ſunt in hoc auguſtiſſimo conventu, interfuerit Gregorius Epiſcopus Chrobatienſis, qui locum tenebat inter primarios aulæ proceres, & *Regii Cancellarii* munus ampliſſimum gerebat; præſertim cum paucis poſt diebus adfuerit teſtis approbatorque regii illius diplomatis, quo Svinimirus *Eccleſiam S. Georgii de Putalo*, cum toto ſuo territorio, juſſit permanere in ſtabili ac perpetua poſſeſſione Laurentii Archiepiſcopi & Eccleſiæ Spalatenſis. Anno 1078. idem Svinimirus alterum diploma confecit, quo diligenter cavetur prædiis terriſque omnibus frugiferis eccleſiæ SS. Domnii & Anaſtaſii, mulcta pecuniaria, præter horrendas execrationes, in eos conſtituta, qui vel quidquam ex illis detrahere, vel cultoribus illarum moleſtiam exhibere auderent. Huic diplomati teſtis adſcriptus eſt *Gregorius Venerabi-*

Gregorius Ep. interfuit concil. provinciali Spalatenſi, & Svinimiri regis Chrobatorum ſollemni inaugurationi.

rabilis Episcopus Chroatorum. Extat tertium diploma eodem anno conditum ejusdem Svinimiri regis, qui *Beatissimo Spalatensis Sedis Pontifici ac martyri Domnio, tempore videlicet Laurentii Reverendissimi Archiepiscopi una cum Gregorio Venerabili Chroatorum Episcopo . . . Juppam eam, quam Centenam ajunt, sine ulla contradictione omnium eorum, quicumque in regno successerint, affirmatione corroborat, corroboratione ab omni parte perenniter habendam concedit, sic ut &c.* Testes adhibentur *in primis quidem Helena glorioſissima regina, Gregorius Venerabilis Chroatorum Episcopus &c.* Hoc autem diploma, quod Tinninii datum fuisse auctor est Joannes Lucius, non solum Svinimiro regis, sed etiam *Gregorii Episcopi Regii jussu*, Theodorus Presbyter scriptis mandavit; tanti erat tum dignitas, tum auctoritas Episcopi Chrobatiensis: *Et ego Theodorus licet immeritus Sacerdos jussu mei Regis prænominati Svinimiri, qui & Demetrii, atque Domini Gregorii sui Episcopi, scriptor hujus decreti, & testis sum ibidem.* Nulla deinde in tabulis Dalmaticis subscriptio aut memoria reperitur Gregorii Episcopi; nisi quod Stephanus II. rex Chrobatiæ successor Svinimiri in quodam suo diplomate *Gregorium olim Episcopum Chrobatiæ*, jampridem vita functum, testem appellat anno 1089.

PETRUS EP. TINNINIENSIS V.

Post annum octogesimum sæculi undecimi regimen Ecclesiæ Chrobatiensis suscepit; & cum Svinimirus cœnobio sacrarum Virginum Spalatensium ordinis Benedictini territorium Pustizæ donasset, hanc donationem firmari voluit testimonio & chirographo Laurentii Archiepiscopi, itemque *Petri Croatensis Episcopi*, & aliorum eo ipso die, quo Laurentius cum Petro & duobus aliis Episcopis Stephano Jadrensi & Joanne Traguriensi, ædem S. Mariæ in villa regali positam, rogatu Svinimiri, ritu sollemni consecravit. Hoc diploma scripsit Theodorus Presbyter, qui se *Ecclesiæ S. Domnii & ejusdem Regis Cancellarium* vocat; idemque cum anno 1083. aliud Svinimiri decretum in publicas tabulas referret, se *Regium Scribam*, sive *Cancellarium* appellavit. *Plures erant*, ait Thomasinus P. 3. Disc. Eccl. *Cancellarii in Principis palatio; qui primus erat, dicebatur Archicancellarius*. Itaque in aula regum Chrobatiæ Episcopus Chrobatiensis alios habebat sui muneris adjutores; ipse omnibus præerat, & *Archicancellarii*, seu *Magni Cancellarii* locum tenebat. Anno 1087. habitus est Tinninii conventus frequentissimus Episcoporum & procerum Chrobatiæ, ac Dalmatiæ; in quo Svinimirus de communi consilio & sententia confirmavit omnes donationes, & immunitates, quas Cresimirus Petrus in cœnobium Jadrense Virginum S. Benedicti admodum liberaliter contulerat; idque testatum esse voluit litteris publicis eodem anno locoque datis, quarum Joannes Lucius lib. 2. cap. 15. & aliis locis mentionem fecit. Nec vero dubium est, quin actis omnibus decretisque Petrus Episcopus regius interfuerit & subscripserit.

Petrus Ep. interfuit actis decretisque conventus Tinniniensis celeberrimi.

Anno circiter 1088. Svinimirus sine prole virili moriens, Helenam, quam alii Lepam vocant, uxorem suam regni hæredem reliquit. Ab hac, cum soror esset Ladislavi regis Hungariæ, regnum illum in fratrem translatum fuisse tradunt Scriptores Hungarici. Sed Stephanus e stirpe ac familia regum Chrobatiæ oriundus regnum utrique præripuit. Extant privilegia ab eo confecta, alterum Sibenici sine ulla chronologica nota, unde annus dignosci queat, Virginibus Benedictinis Spalatensibus, alterum anno 1089. Monachis itidem Benedictinis Spalatensibus S. Stephani concessum. Neutrum subscripsit Episcopus Chrobatiensis, neque ullus Episcopus ditionis Chrobaticæ, nullus itidem Banus, unus solus Jupanus; quod argumento videtur esse eum a majori parte Chrobatorum fuisse destitutum, neque habitum esse regem legitimum.

Regnum Chrobatiæ ad Hungaros translatum.

Petrus nondum fortassis e vita & pontificatu decesserat, cum Ladislavus rex Hungariæ sive ab Helena sorore sua & vidua Svinimiri evocatus, ut sibi præsidio esset contra quosdam hostes intestinos, id quod tradunt Hungari Scriptores; sive accersitus a proceribus Chrobatiæ, qui tum inter se, ut docet Archidiaconus, tum etiam a Stephano rege dissidebant; cum exercitu in Dalmatiam venit anno circiter 1090. Slavoniam inter Dravum & Savum, Chrobatiam omnem transalpinam, & cisalpinæ Chrobatiæ oppida aliquot, atque in primis Tinninium sub potestatem redegit: ne ultra progredi, & urbes Chrobatorum maritimas aggredi posset, impedimento fuit irruptio Chunnorum, quæ regem in Hungariam revocavit. Stephano hujus nominis secundo mortuo, aut per vim expulso, Ladislavus regionibus, quas occupaverat, Almum fratris filium ducem, seu regem præfecit, quem anno 1093. etiam Hungarici regni hæredem instituit. Huic tamen post mortem patrui Colomanus frater regnum præripuit. Hic anno 1102. Chrobatiam, quæ a fide desciverat, per deditionem recepit; ac triennio post Dalmatiam maritimam Venetis ademit.

Dignitas & jurisdictio Episcoporum Tinniniensium diminuta est.

Jam vero sub regibus Hungariæ valde immiuta est tum dignitas, tum jurisdictio Episcopi Tinninienſis. Nam tum desiit esse appellarique Episcopus regius, sive aulæ regalis; eaque dignitas una cum officio *Cancellarii*, sive *Archicancellarii*, translata est ad Episcopos Hungaricos. Parœcias omnes, quas inter Savum ac Dravum possidebat, & sane multas citra Savum amisit, cum Ladislavus anno 1093. fundavit Zagrabiensem, & fortasse etiam Sirmiensem Episcopatum restituit.

ANASTASIUS II. EP. TINNINIEN. VI.

Anastasius II. Ep. interfuit Concil. provin.

Sub initium sæculi duodecimi Ecclesiæ Tininienſi præsidebat. Anno 1111. interfuit Concilio provinciali, quod Crescentius Archiepiscopus Spalatensis convocavit; & diplomati seu regio decreto, quod eodem anno Colomanus rex Hungariæ secundum Ecclesiam Arbensem fecit, proxime post Crescentium subscripsit *Anastasius Episcopus Tinninienſis*. Post Anastasium tabulæ Dalmaticæ nullum mihi suppeditant hujus Ecclesiæ Antistitem usque ad annum hujus sæculi duodecimi circiter quadragesimum. Itaque vel hic longissime vitam & pontificatum perduxit, vel si quis inter hujus & successoris ætatem Tinninienſi Ecclesiæ præfuit, ejus nomen ac memoriam vetustas abolevit.

V. EPI-

V. EP. TINNINIENSIS VII.

V. Episc. Tinninien. a censura Alexandri III immunis fuisse ostenditur.

Hujus nomen unica littera *V* expressit Alexander Papa III. in suis ad Petrum VI. Archiepiscopum Spalatensem litteris Ferentini datis VI. Non. Septembr. an. 1161. ab ea siquidem littera nomen hujus Episcopi ducebat initium. *Pater*, inquit, *& prædecessor noster piæ recordationis Eugenius PP. . . . .* (qui creatus fuit Pontifex an. 1145.) *in V. quemdam Chroatensem Episcopum, pro eo quod cum uno solo Archiepiscopo, nullo alio præsente contra sacros Canones alium præsumpsit, non dicimus consecrare, sed potius execrare, & in eum, qui ab eis est consecratus, depositionis sententiam promulgavit. Is videlicet V. contra ejusdem prædecessoris nostri mandata divina non veretur officia celebrare. Nos vero sententiam ipsam, sicut est rationabiliter promulgata, ratam & firmam habentes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus prædictum V. diligenter commoneas, ut de tanta præsumptione condignam satisfactionem exhibeat, & contra tenorem ejusdem sententiæ non præsumat aliquid attemptare. Si vero admonitioni tuæ parere contempserit, in ipsum excommunicationis sententiam proferas, & ecclesiam, cui incubare præsumit, interdicto supponas &c.* Ad hunc igitur V. Chrobatiensem pertinet quod Thomas Archidiaconus de imprudentia ac temeritate Gaudii Archiepiscopi scripsit cap. XIX. *Factum est autem ut Dessa Maccarelli Tragurienſi Ecclesiæ foret Episcopus consecrandus. Vocavit ergo Archiepiscopus ad consecrationem celebrandam secum unum dumtaxat Episcopum Chroatensem. Qui veniens, ut vidit processum Archiepiscopi contra canonicas institutiones fieri, prohibuit dicens: Non debet Archiepiscopus cum uno Episcopo solummodo electo consecrationis munus impendere. Gaudius vero tantæ simplicitatis, immo temeritatis erat, ut diceret, quia pallium mihi est loco alterius Episcopi. Tunc Episcopus Chroatensis, utpote vir discretus & cautus, volens honoris sui evitare periculum, ascendit in ambonem, & coram omni populo protestatus est, quod non voluntarius, sed invitus & coactus Metropolitano suo in hac parte parebat. Tandem consecratione hujusmodi celebrata, protinus apud Sedem Apostolicam factum Gaudii Archiepiscopi divulgatum est. Summus vero Pontifex misso Aprocisario jussit tam Archiepiscopum qui ordinaverat, quam Episcopum, qui ordinatus fuerat, ab administratione suorum ordinum perpetuo amoveri. Episcopum vero, qui protestationem fecerat, decrevit a culpa fuisse immunem.* Sed postrema particula hujus narrationis non congruit cum Alexandrina epistola, in qua diserte scriptum est *V.* Episcopum Chrobatiensem interdicto pontificio jussum fuisse in ordinem cogi, atque a muneribus episcopalibus, rebusque divinis abstinere. Huc revoca interpretationem huic epistolæ adhibitam in Petro VI. Archiep. Spalatensi §. 2. Nimirum Alexander ex falsa quorumdam delatione existimavit utrumque, non solum qui male consecratus fuerat, sed etiam qui malæ consecrationis administrum se præbuerat, canonica censura pro sua cujusque culpa inustum fuisse. Sed Petrus Alexandro rescribens hunc illi errorem exemit, docuitque Pontificem nihil pœnæ inflictum fuisse Chrobatiensi Episcopo, propterea quod is palam publiceque denunciaverat se invitum facere quod jubebatur, coactumque auctoritate sui Metropolitæ, cui pro potestate imperanti repugnare non poterat: quæ quidem denunciatio si non omni culpa, certe ex quadam indulgentia legati pontificii omni pœna illum liberavit. Ceterum in illa epistola Alexandrina sunt quædam fortasse non satis commode ad sensus pontificios explicandos ab imperito scriba exposita, quæ aliqua interpretatione vel explanatione indigent. Vide cap. 3. §. 3. in Gaudio, & §. 2. in Petro Archiepiscopis Spalatensibus. De hac epistola rursus sermonem repetere oportebit in historia Ecclesiæ Tragurienſis. Itaque V. Episcopus Chrobatiensis intactus ab omni censura, usque ad extremum vitæ suæ diem, episcopalia munia peregit. Obiit autem anno 1162. vel sequenti.

DEDA EP. TINNINIENSIS VIII.

In eo privilegio, quod Stephanus III. rex Hungariæ concessit Ecclesiæ Spalatensi anno 1163. subscriptum reperitur nomen *Dedæ Episcopi Chroatiensis*. Nihil præterea de illo memoriæ proditum est.

FLASCO EP. TINNINIENSIS IX.

Flasco Ep. interfuit Concilio Spal. nation.

Anno 1177. interfuit Concilio nationali, quod Raymundus de Capella subdiaconus pontificius ab Alexandro III. Venetiis in Dalmatiam legatus missus, idemque Cardinalis, Spalatum convocavit. Sub finem Concilii Raynerius Archiepiscopus Spalatensis *Flasconem Tinienſem* primo loco nominavit, adhibuitque testem receptæ ab legato epistolæ summi Pontificis, qui eidem significabat Raymundum ab se delegatum fuisse judicem illius controversiæ quæ Raynerio erat de Pharienſi Ecclesia cum Archiepiscopo Jadertino: *Ego Raynerius in præsentia Flasconis Tinien. . . . . recepi litteras a Domino Raymundo &c.* Extat epistola Raynerii ad Episcopos provinciales, inter quos nominatur *F. Tinienſis*, data sub initium anni 1179. vel superiore exeunte, quos ex mandato Alexandri ad Concilium Lateranense III. invitat. Sed Flasconi, quo minus adesset, satis justa excusatio fuerit oportet; ejus quippe nomen abest ab actis Concilii. Anno 1180. cum Rogerius dux Dalmatiæ & Chrobatiæ ex mandato Emmanuelis Imperatoris, qui regiones illas Hungaris ademerat, Raynerio potestatem dedisset recuperandi bona ecclesiastica ab iniquis ac præpotentibus viris, ac duos e sua cohorte satellites, quos Præstaldos vocabant, ut eidem auxilio essent ac præsidio; testem hujus potestatis sibi traditæ Raynerius voluit esse *Flasconem Tinienſem Episcopum* cum Miræo Senienſi, & aliis pluribus. Idem *Flasconus Tinien. Episcopus* Jaderæ testis approbatorque adfuit sollemnis judicii, quod Michael Scardonensis Antistes fecit secundum ecclesias Sanctorum Demetrii & Thomæ diœcesis Scardonensis, quibus adjudicavit quasdam terras frugiferas, *in loco qui dicitur Bubniani, quas moliebantur invadere Saracenus filius Bessiami, & Bruconia.*

Descriptio locorum diœcesis Tinninien. constituta in Concil. provinc. Spalat. I

Petrus VII. Archiepiscopus Spalatensis anno 1185. in Concilio provinciali de communi omnium sententia fines diœceseon descripsit, & suas cuique parœcias attribuit. Descriptio diœcesis Tinninienſis hæc fuit: *Tinienſis Episcopus habeat sedem suam in Tenin, & habeat has parochias* (1) *Tenin*, (2) *Campum*, (3) *Verchzeccam*, (4) *Pset.*

Notæ.

(1) Tinninium civitas episcopalis, & princeps totius diœceseos, a qua prope aberat tum ædes cathedralis, tum palatium Episcopi, tum domicilia Canonicorum.

(2) Planities ad radices collis, cui Tinninium insidet, longe lateque ad meridiem exporrecta, natura culturaque fertilis, & frequentibus vicis habitata, quam Titius interfluit.

(3) Idest Verlicca, quod est castellum arduo loco positum, haud ita longe a Tiluro seu Cetina fluvio distans in occasum, satis validum ac munitum; ab Tinninio millibus circiter quindecim in meridiem abest. Territorium habet sane amplum, atque incolis frequens, quod reges Hungariæ Dynastis de re publica benemeritis, simul cum oppido Verlicca, ac titulo Comitis, jure fiduciario possidendum tradere solebant.

(4) Idest *Pesenta*, quæ una erat ex Zupaniis Chrobatorum, *postea*, inquit Lucius, *in diœcesi Tinninienſi*, vel supra Tinninium ad septemtrionem, vel infra ad meridiem sita.

Ad diœcesim Tinninienſem, præter alia minora oppida, Dernisium pertinebat, castellum frequens ac validum, sublimi loco incumbens, & antiqui operis munitionibus septum, ab Tinninio passuum millibus fere duodecim, adjacens Cicolæ fluvio, qui cursu ad occasum obverso in Titium delabitur. Adde duos pagos non ignobiles in agro, sive ut in antiquis tabulis vocatur, *Comitatu* Tinninienſi, *Brusniche* & *Zacutchie*, quos olim proceres Hungariæ, concessu regum suorum, nomine ac jure fiduciario possidebant. Itaque hæc diœcesis post reges Chrobatorum extinctos ab septemtrione Bosnenſi, ab oriente Spalatenſi vel Tragurienſi, a meridie Scardonenſi, ab occasu Nonenſi & Jadertina definiebatur. Porro Flasco Tinninienſis tum descriptionem diœceseon, tum reliqua decreta Synodi provincialis approbavit, suoque chirographo firmavit. Idem biennio post, cum aliis quatuor Episcopis, quod in ea Synodo secundum Capitulum Spalatense judicatum fuerat, ne aliquando in dubium aut controversiam vocari posset, sua testificatione roboravit: *Flasco Tinien. Matthæus Nonen. &c.* Vide §. 2. in Petro VII. Archiep. Spalaten. Ædem metropolitanam S. Domnii non solum eximia religione, sed etiam muneribus coluit, ut scriptum reliquit Gaudentius Episcopus Arbensis in suis adversariis MSS. *Anno Domini* 1185. *Flasconius Episcopus Tinnienſis donavit ecclesiæ S. Domnii planetam de griffosis*. Anno circiter 1192. successor ei datus est

Concilio ejusque decretis Flasco subscripsit.

GEORGIUS EP. TINNINIENSIS X.

Georgius Ep. a Cælestino III. jussus dirimere controversiam, quæ Petro Archiepisc. erat cum Canonicis Spalaten.

Huic & Episcopo Scardonenſi Cælestinus III. delegavit potestatem cognoscendæ, dirimendæque cujusdam controversiæ, quæ Petro VIII. Archiepiscopo erat cum Canonicis Spalatenſibus, de qua in actis ejusdem Petri; estque ibidem descripta Pontificis ad utrumque epistola, tacito utriusque nomine: *Cælestinus Episcopus servus servorum Dei. Venerabilibus Fratribus Scardonen. & Tinien. Episcopis salutem & apostolicam benedictionem &c.* Data est *Laterani XVII. Kal. Jul. Pontificatus anno sexto*, ideſt æræ vulgaris 1196. Post Petri Archiepiscopi Spalatenſis decessum, annò 1197. cum aliis provincialibus Episcopis Spalatum se contulit ad comitia archiepiscopalia, ut e quibusdam tabulis Tragurienſibus cognosci potest. *In Christi nomine amen. Anno Incarnationis MCXCVII. Indictione vero XV. scilicet VII. Kalendas Maji hoc actum est. Cum Spalatenſis Archiepiscopatus vacaret, Episcopi scilicet M. Scardonenſis, M. Tragurienſis, G. Tinnienſis &c. ad suam matricem pro tractando de pastorali electione una convenirent &c.* Sed ob causas nescio quas dimisso conventu, re infecta discessum est. Andreas dux Dalmatiæ &c. frater Henrici regis Hungariæ, donationem duarum ecclesiarum S. Moysis & S. Stephani in veteri Salona, quas cum omnibus prædiis utrique annexis Ecclesiæ metropolitanæ S. Domnii Geysa & Stephanus reges itidem Hungariæ possidendas tradiderant, ratam habuit, atque in perpetuum valere jussit anno 1198. idque suo diplomate confirmavit, præsentibus ac testibus *Bano Andrea, Georgio Tinienſi Episcopo &c.* Innocentius III. Georgio per litteras imperavit, ut cum Episcopo Scardonenſi & Abbate Tragurienſi S. Joannis diligenter inquireret, utrum ex auctoritate & approbatione Sedis apostolicæ Nicolaus Manzavinus ab Ecclesia Pharienſi ad Metropolim Jadertinam transierit: *Innocentius Episcopus servus servorum Dei. Venerab. Fratribus Tinien. & Scardonen. Ep. & dilecto filio Abbati Tragur. salut. & apostolicam benedict. Constitutus in nostra præsentia &c. Discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus sublato appel. obstaculo inquiratis diligenter veritatem, si præfatus N. Faren. postulationem suam asseruit per Sedem Apostolicam approbatam, si ad Jadertinam Ecclesiam omnino transierit &c.* Integram epistolam reservandam esse censemus historiæ ecclesiasticæ Jadertinæ. Data est *Lat. IV. Id. Julii, Pontificat. anno* 2. ideſt 1199.

Ab Innoc. III. delegatus, ut inquireret, an Nicolaus Manzavinus a Pharienſi ad Jadertinam Ecclesiam rite transierit.

MICUSUS EP. TINNINIENSIS XI.

In catalogo sive *Memoria Archiep. Salonitanæ & Spalatenſis Ecclesiæ*, quam Joannes Lucius historiæ Acutheanæ subjecit, dicitur episcopali consecratione initiatus fuisse a Bernardo suo metropolita, qui ab anno 1200. usque ad annum decimum septimum ejusdem sæculi Sedem Archiepiscopalem tenuit: *Bernardus de civitate Perusia . . . . . consecravit istos suffraganeos, in primis Treguanum . . . & Micusum Tinien.* Hunc vero, itemque Grubcium Nonenſem electum, non in æde metropolitana, ne quid turbarum excitaretur a Canonicis, qui Nicolao alteri electo Nonenſi favebant; sed Auranæ apud Templarios in æde Gregoriana, sacris sollemnibus operatus, inter rem divinam episcopali consecratione impertivit, ut docet Archidiaconus cap. xxv. *Sed quia Canonici adversabantur ei* (Grubcio), *partem Nicolai faventes, non in Ecclesia metropolitana, ut mos est, voluit Grubcium consecrare; sed pergens Uranam apud ecclesiam Templariorum consecravit eum cum altero electo Tinienſi nomine Micuso.* Vide in Bernardo cap. II. §. IX. Anno 1226. adhuc Micusus Ecclesiæ Tinninienſi præsidebat; hoc siquidem anno & mense Augusto erat Spalati, & cum Archiepiscopo Guncello testis fuit laudatorque privilegii, quod Colomanus filius alter Andreæ regis Hungariæ & dux Dalmatiæ &c. Ecclesiæ Tragurienſi concessit. *Acta sunt hæc in*

præ-

præsentia horum testium Guncello Archiepiscopo Spalaten. Mikuso Tinien. Nicolao Scardonen. &c. Dat. Spalati in archiepiscopali palatio per manus magistri Barnabæ, aulæ regiæ V. Cancellarii. Anno Dom. Incarn. 1226. quartæ decimæ Indict. die Calendarum Augusti. Nihil præterea de Micuso memoriæ proditum invenio. Vitam & regimen episcopale ultra quinquagesimum hujus sæculi annum prorogavit, nisi quis alius inter hunc & eum, quem proxime subjicio, interjectus huic ecclesiæ præfuerit.

LADISLAVUS EP. TINNINIENSIS XII.

Rogerius anno 1250. Archiepiscopatum Spalatensem adeptus, quem retinuit usque ad annum ferme 66. hujus sæculi, Ladislavum episcopali consecratione inauguravit, ut Archidiaconus tradit: *Istos autem Episcopos, dum viveret, consecravit in provincia Spalatensi, videlicet Joannem Scardonensem, D. Ladislaum Tiniensem &c.* Anno circiter 1263. Ladislavus Episcopus cum universo clero & populo perhonorifice excepit Mariam reginam Hungariæ uxorem Belæ IV. quæ cum Bela filio juniori adhuc puerulo, designato duce Dalmatiæ & Chrobatiæ, Tinninium venit, ut huic regionis utriusque possessionem daret, ac gentium illarum fidem sollemni jurejurando obstringeret. Dum in ea civitate degebat, Spalatensibus, propter quasdam offensiones interpositas, vehementer iratam, Ladislavus Episcopus (ut sua eum charitas & pastoralis muneris ratio admonebat) omni officio placare studuit; & obsides adolescentulos, quos Spalatenses pro gratia reginæ sibi reconcilianda tradiderant, in custodiam Tinninienſem inclusos omni ope subsidioque adjuvit. Clemens IV. anno 1266. Archiepiscopum Jadertinum, & Ladislavum Episcopum Tinninienſem, cum Abbate S. Michaelis de monte in diœcesi Jadrensi, judices præfecit. controversiæ, quæ de jure decimarum erat Episcopo & Capitulo cum civitate & Communi Tragurienſi, ut est apud Joannem Lucium lib. 3. Monum. Tragurien. Excessit anno 1272. vel superiori.

NICOLAUS EP. TINNINIENSIS XIII.

Duo electi Ep. Tinninienses F. Simon ex ord. Prædic. & Nicolaus Archidiaconus.

Cum mors Ladislavi novo Episcopo sedem Tinninienſem vacuam feciſſet, nihil propius factum est, quam ut e suffragiorum ac voluntatum dissensione fœdum schisma oriretur, ecclesiamque illam in duas factiones distraheret. Alii siquidem Fratrem Simonem Tragurienſem ex Dominicana familia Episcopum nominarunt; alii autem Nicolao Archidiacono summum illius ecclesiæ Sacerdotium detulerunt. In eo studiorum dissidio & confusione orta est controversia, uter plures suffragatores habuisset; magnaque inter illos contentio fuit, cum neutri alteris cedere, suaque ab eo, cui dederant, suffragia revocare vellent. Ac Simon quidem simul atque intellexit se multorum suffragiis renunciatum esse Episcopum Tinninienſem, suæ causæ actorem & procuratorem ex juris formula riteque instituit Martinum Canonicum Ecclesiæ cathedralis Tragurienſis, qui Spalatum adiret, suoque nomine ab Joanne V. Metropolita Spalatensi peteret, ut Episcopatum sibi delatum approbaret; & siqui contradicerent, ac suæ petitioni adversarentur, contra illos actionem institueret, & nihil actorum judicialium prætermitteret, quod ad causam obtinendam necessarium esse videretur. Hujus procurationis Martino commissæ tabulas ex autographo MS. descriptas hic subjicio.

Ann. 1272. Indict. 15. die Lunæ 15. mensis Augusti. Frater Simon de Tragurio de ordine Fratrum Prædicatorum electus in Episcopum Ecclesiæ Tinienſis fecit, constituit, & ordinavit D. Martinum Canonicum S. Laurentii suum procuratorem, & nuncium specialem ad petendam confirmationem dictæ electionis, & ad confirmari faciendum ipsam electionem, & ad augendum, se tuendum, excipiendum, replicandum, allegandum, & appellandum, si necesse fuerit, & generaliter ad faciendum & exercendum omnia, quæ necesse fuerint in prædictis omnibus, & quod ipsemet Simon electus personaliter facere & exercere posset, coram Venerabili P. D. Archiepiscopo Spalati, & aliis quibuscumque personis, promittens dictus Frater Simon electus . . .

Actum Tragurii in capite scalarum palatii D. Comitis, præsentibus D. Casoto primicerio S. Laurentii, & Domino Martino de Casarezza, & Nicolao Longo testibus, & Matthæo Lucæ examinatore.

F. Simone repulso Nicolaus consecratur.

Dum Martinus Spalati omnem operam diligentiamque adhibebat, ut quæ habebat a Simone mandata expediret & conficeret, Canonici ac plerique tum Presbyteri, tum clerici Ecclesiæ Tinninienſis, cum primariis ejusdem oppidi civibus supervenere, ut Nicolaum Archidiaconum ejusdem ecclesiæ, quem ipsi ad Episcopatum elegerant, sisterent ante Joannem Metropolitam Spalatensem, ab eoque postularent, ut Nicolai electionem ratam haberet, eique manus imponeret, & consecrationem episcopalem impertiret. Joannes ne quid inconsulte ac temere in re tam gravi statueret, aut faceret, Capitulum Spalatense, & primores Presbyterorum, alioſque doctos & religiosos viros convocavit; & postquam diligenti inquisitione comperisset Nicolaum & pluribus suffragiis & juxta præscriptionem Canonum electum fuisse, iis insuper doctrinæ ac ceterarum virtutum præsidiis instructum esse, quæ ad sustinendum, obeundumque munus episcopale requiruntur; omnibus qui aderant consentientibus, hujus electionem approbavit, præsertim cum etiam Ladislavi regis, & Joachimi Bani Slavoniæ, Comitis Spalatensis, gratiosa commendatio eidem suffragaretur. Cum autem Nicolaus, quamvis Archidiaconi nomen gereret ac munere fungeretur, nondum tamen illius ordinis charactere insignitus esset, eum statutis e præscripto sacrorum Canonum diebus, idest sabbatho quatuor temporum septimi mensis diaconum consecravit; ac deinde altero sabbatho mensis decimi eumdem Saracenus Episcopus Corbavienſis concessu jussuque Joannis Metropolitæ ad Presbyterorum ordinem evexit, ut constat ex testificatione ejusdem Episcopi: *Nos Saracenus Dei gratia Episcopus Corbavienſis significamus universis præsentium per tenorem, quod nos sabbatho proximo post festum S. Luciæ, ex voluntate & mandato Domini Johannis Dei gratia Episcopi Spalatensis, in monasterio metropolitano* (videlicet in ecclesia S. Domnii) *Nicolaum electum Tynien. non aliqua sibi contradictione obstante, vel aliquo sibi contraveniente, vel allegante, promovimus ad sacrum Sacerdotis ordinem. Datum in Spaleto in crastino diei prænotati, anno MCC. septuagesimo II.*

Postea vero ipsomet Christi Domini die natali,

tali, Joannes Archiepiſcopus eumdem Nicolaum electum epiſcopali conſecratione initiavit, adminiſtris atque adjutoribus adhibitis Saraceno Corbavienſi & Dobronia Pharienſi Epiſcopis, qui cum Joanne eidem manus impoſuerunt. Hæc omnia rite teſtificati ſunt Canonici Spalatenſes, ac publicis tabulis conſignari juſſerunt, quarum autographum extat in archivo ejuſdem Capituli Spalatenſis.

Tabulæ conſecrationis eidem collatæ.

Nos Capitulum Eccleſiæ Spalaten. notum facimus univerſis præſentes litteras inſpecturis, veritatis teſtimonium perhibentes, quod defuncto bonæ memoriæ Ladislao Epiſcopo Tinien. Capitulum & plures Presbyteri & clerici Tinien. cum multis nobilibus viris ejuſdem Epiſcopatus, ſollemniter ad Sedem Spalatenſis Eccleſiæ acceſſerunt cum Nicolao ejuſdem eccleſiæ Archidiacono, & ſuo electo, & electionem de ipſo factam . . . Domino Johanni Spalatenſi Archiepiſcopo ſuo Metropolitano præſentaverunt in noſtri præſentia, & plurimorum Presbyterorum, & religioſorum virorum, ſupplicantes humiliter & devote eidem Domino Archiepiſcopo, ut ipſum confirmare dignaretur. Dominus vero Archiepiſcopus admiſſa ipſorum electione, & auditis illorum partibus, habito totius noſtri Capituli & plurimorum Presbyterorum & religioſorum virorum conſilio, & diligenter ipſam electionem & perſonam examinantes, & tam ipſam electionem, quam ipſam electam perſonam, legitimam, juſtam, & approbatam invenientes; invocata Spiritus ſancti gratia, ipſum electum ſollemniter & canonice confirmavit ad petitionem & Domini Regis, & Bani. Poſtmodum vero in ſabbato 4. temporum menſis ſeptimi ad ordinem diaconatus promovit; & in alio ſabbato 4. temporum decimi menſis eum (per miniſterium Epiſcopi Corbavienſis) *ordinavit; & die dominica Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſibi munus conſecrationis in eccleſia B. Domnii, in præſentia totius populi, aſſiſtentibus eum ibi Venerabilibus Patribus, ſcilicet Saraceno Corbavienſi Epiſcopo, & Dabrana Pharenſi, honorifice & cum omni diligentia eſt largitus. Datum Spalati anno Dom. MCCLXXII. die ſexto* . . . ideſt ante Calendas Januarii.

Teſtificationi Capituli Spalatenſis adjuncta eſt teſtificatio Epiſcoporum Corbavienſis, & Pharienſis, quorum miniſterio & manuum impoſitione uſus eſt Joannes ad Nicolaum electum Tinninienſem conſecrandum.

Teſtificatio Saraceni Corbavien. & Dobroniæ Phar. Antiſtitum.

Nos Sarrachenus Dei gratia Epiſcopus Corbavien. & Dobrona per eamdem Epiſcopus Pharen. tenore præſentium ſignificamus univerſis, quod in feſto Natalis Domini, vocante nos & præcipiente nobis Venerabili Patre & Domino noſtro Johanne Dei gratia Archiepiſcopo Spalaten. Metropolitano noſtro, in Spalatum accedentes interfuimus, ubi idem Dominus Archiepiſcopus Dominum Nicolaum legitime & canonice electum & confirmatum, ſollemniter & manifeſte, nullo contradicente, vel aliquo in contrarium allegante, vel aliquid . . . *exiſtente, per appoſitionem manuum noſtrarum in eccleſia ſua metropolitana cathedrali, videlicet in monaſterio Beati* . . . *jure canonico examinatione diligenti prælibata, in die Natali Domini in Epiſcopum Tinien. conſecravit. In cujus rei teſtimonium & evidentiam pleniorem, præſentes litteras noſtras conceſſimus, ſigillorum noſtrorum munimine roboratas. Datum ibidem anno ab Incarnatione Domini milleſimo, ducenteſimo, ſeptuageſimo ſecundo.*

Ita repulio competitore, Nicolaus hanc eccleſiam duos annos tranquille pieque adminiſtravit; e vita deceſſit anno 1274.

Y. EP. TINNINIENSIS XIV.

Y. Epiſc. Tinninien. idemque Banus maritimus.

Hoc monogrammate hujus Epiſcopi nomen deſignatur in tabulis Dalmaticis. Apud Slavos in uſu erant hæc vocabula, quæ ab ea Græcorum littera initium ducunt: *Yvanus*, *Yanica*, *Yula*, *Yurina*. Huic Ladislavus II. rex Hungariæ titulum munuſque *Bani maritimi* contulit; qui magiſtratus poteſtate ac dignitate inferior erat, quam Banus Dalmatiæ & Chrobatiæ; hic mediterraneis, ille maritimis civitatibus ac regionibus præſidebat. Cum Sibenicenſes ab ſuo Epiſcopo Tragurienſi defeciſſent, electumque ab eis Epiſcopum Joannes Metropolita Spalatenſis approbaſſet; Columbanus Epiſcopus Spalatum miſit Gervaſium Archidiaconum, qui nomine ſuo coram Archiepiſcopo denunciaret irritum eſſe quidquid actum fuiſſet, quod dignitati ac juriſdictioni Eccleſiæ Tragurienſis officeret, ſimulque Archipresbyterum & primores cleri atque oppidi Sibenicenſis anathemate percelleret. Sed aditu Archiepiſcopi, & ingreſſu Eccleſiæ metropolitanæ prohibitus, Salonam, qui tum vicus erat exiguus, ſe contulit; & illuc advocatis teſtibus, coram Y. Epiſcopo Tininienſi & Bano maritimo conceptis verbis edidit quæ ſibi a Columbano Epiſcopo mandata fuerant: *Anno 1274. die ſabbati exeunte Julii XI. Actum in Salona coram vobis Vener. Pater D. Y. D. G. Epiſcop. Tinien. & Bane maritime. Ego Gervaſius Archid. Tragurien. procurator & nuncius Ven. Patris D. Columbani divina miſeratione Epiſcopi Tragurienſis, ſicut apparet per publicum inſtrumentum, notum facio, quod cum Sibenicenſes &c.* Hunc eumdem Y. Epiſcopum Tinninienſem fuiſſe arbitror, quo præſente ac teſte Philippus Firmanus Epiſcopus, idemque legatus Sedis Apoſtolicæ, acta & decreta, quod Joannes Metropolita ſecundum Sibenicenſes fecerat, irrita fecit, & nullius eſſe auctoritatis declaravit; ut ipſemet Joannes Archiepiſcopus teſtatus eſt an. 1282. cum Tragurii in palatio epiſcopali coram teſtibus palam ac legitime revocavit, & pro infectis haberi juſſit omnia, quæ ante annos fere tredecim, non ſponte ſua, ſed alieno impulſu fecerat aut decreverat contra jus auctoritatemque Eccleſiæ Tragurienſis: *Quod negotium*, inquit, *taliter celebratum* (ideſt electionem Paulli Epiſcopi Sibenicenſis appellati) *Dom. Philippi Firmani Epiſcopi in partibus Ungariæ tunc temporis Apoſtolicæ Sedis legati aures, & auditum aurium taliter propulſavit, quod in noſtri præſentia, & duorum Epiſcoporum ſuffraganeorum noſtrorum DD. Tinienſis, & Nonenſis, id quod per nos tali compulſione factum fuerat, caſſum totaliter & irritum judicavit &c.* Anno 1275. titulum Bani maritimi depoſuerat, retento Epiſcopatu; nam in diplomate Ladislavi regis Hungariæ, quod eodem anno confectum fuit, nominatur *Nicolaus Banus maritimus*. Vivere deſiit anno circ. 1290.

Gervaſius Archidiac. Tragur. & legatus Sedis Apoſt. declararunt irritum eſſe quidquid Joannes Metrop. ſecundum Sibenicenſes decreverat.

PETRUS II. EP. TINNINIENSIS XV.

Erat natione Gallus, cognomine Boncherius, religioſæ vitæ inſtituto Dominicanus; cujus initia pontificalia Scriptores ordinis PP. Prædicatorum in annum circiter 1290. conjiciunt. Tum fortaſſe, cum electus eſt Epiſcopus, in vinea

do-

dominica vel Bosnensi, vel Dalmatica excolenda, cum suis ejusdem ordinis sodalibus strenue laborabat: nam Patres Dominicani ante plures annos in utramque regionem Evangelii causa missi, & ab incolis benigne recepti, ac necessariis ad victum cultumque subsidiis instructi, haud pauca vel cœnobia, vel domicilia utrobique habebant. De Petro Episcopo Tininiensi F. Vincentius Maria Fontana in Theatro Dominicano honorificam mentionem fecit: *F. P. Boncherius Gallus, Parisinus Doctor, Tiniensis Ecclesiæ in Sclavonia sub Metropolita Spalaten. Episcopus circa annum 1290. scripsit docta Commentaria super 4. lib. Magistri Sententiarum.* F. Antonius Senensis Lusitanus in Bibliotheca FF. ord. Prædic. hoc illum elogio exornavit: *F. Petrus Boncherius Doctor Parisiensis, qui fuit etiam Episcopus Tinensis, vir ingenio præstanti dotatus, gravitate morum, & doctrina varia excultus, & in scholasticis plane eruditus, posteritatem suis scriptis juvat non modicum. Scripsit super 4. libros Sententiarum Commentaria egregia.* Ejus mors referri potest vel ad finem hujus sæculi, vel ad initium sequentis.

LEONARDUS EP. TINNINIENSIS XVI.

De quo præter patriam, & annum emortualem, nihil memoriæ proditum est. Fuit autem Spalatensis, & mortuus est anno 1322. ut Micha Madius tradit in suis Commentariis de Gestis Rom. Imp. & Sum. Pontif. cap. 20. *Per idem tempus* (ideſt an. 1322. quem huic Capitulo præfixit) *in Croatia Leonardus de Spaleto Episcopus Tinien. obiit ad Christum.* Cum ob violentas opes, nimiamque potentiam Comitum Breberiensium, præsertim Mladini & Georgii fratrum, quæ in apertam tyrannidem desciverat, in Dalmatia & Chrobatia turbatum esset; Carolus rex Hungariæ, dum adhuc Leonardus Ecclesiæ Tininiensi præsidebat, Tininium venit, ut turbas illas componeret. Eum Leonardus Episcopus, & Neliptius Comes Tininii, quo dignum erat, honore exceperunt. Rex, ibi cum esset, Mladinum ad se cum muberibus venientem primo quidem perhumaniter accepit; sed cum postea diligenti perquisitione adhibita comperisset, hunc turbis omnibus ac seditionibus occasionem dedisse, quod avare crudeliterque imperaret; ut semen omne discordiarum extingueret, illum in vincula conjici jussit, vinctumque in Hungariam abduxit. Hæc fusius Micha Madius supra laudatus cap. 18. & 19. Sub discessum regis Leonardus e vita migravit anno, ut dictum est, 1322.

NICOLAUS II. EP. TINNINIENSIS XVII.

Hunc etiam, nisi esset unius Michæ Madii testimonio cognitus, vetustas oblivione obruisset. Erat cœnobiarcha S. Stephani de Pinnis, qui locus abest Spalato passus fere quingentos, in promontorio quodam in altum exporrecto, ubi adhuc perantiqui Benedictini cœnobii rudera ac vestigia visuntur. Regimen Ecclesiæ Tininiensis eodem anno suscepit, quo illud Leonardus morte sublatus deposuit; ut Micha Madius docet: *Frater Nicolaus Abbas S. Stephani de Pinnis de Spalato in Episcopum Tinien. consecratur.* Huic vita functo successit anno circiter tricesimo hujus sæculi

ARCHANGELUS EP. TINNINIEN. XVIII.

Hujus itidem nomen ac memoria vetustate prorsus interiisset, nisi ad nos pervenisset exemplar cujusdam privilegii ab rege Svinimiro Spalatensi Ecclesiæ concesso, quod Dominicus Luccarus Archiepiscopus ex autographo transcribi jussit, eique ad fidem & auctoritatem conciliandam nomen ac testimonium *Archangeli Episcopi Tinninienſis* apponi: *Ego Matthæus q. Gerardi de Panicho . . . . Bononiæ publicus imperiali auctoritate notarius, & nunc juratus Rever. in Christo Patris & D. D. Dominici miseratione divina & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopi Spalaten. prædictum privilegium cum orig. . . . D. Archiepiscopo & subjectis tabellionibus in præsentia Venerab. Patrum Dominorum Archangeli Dei gratia Tinnien. Episcopi, & Andreæ eadem gratia Scardonen. Episcopi, & Bernardi Segnen. diligentissime auscultavi; & quia . . . ginali, me subscripsi, signumque meum apposui consuetum, prædicto D. Archiepiscopo cum Reverendis Episcopis suam auctoritatem interponente &c.* Nulla huic subscriptioni vel præposita, vel subjecta est nota chronologica; sed cum idem Archiepiscopus plura hujusmodi regalia diplomata ex antiquis membranis describenda curaverit, eorumque apographis adscriptus sit annus 1333. ad hunc eumdem annum referenda esse videtur descriptio privilegii Svinimiri, quod Archangelus cum aliis Episcopis ibidem nominatis sua præsentia & auctoritate approbavit: ex quo fit ut hisce temporibus adhuc teneret Archangelus sedem episcopalem Tinninienſem. Neque primus, neque postremus ejus episcopalis regiminis annus satis certo compertus est.

JOANNES EP. TINNINIENSIS XIX.

Joannes Ep. Tinnien. ad Tiburtinam Ecclesiam translatus.

Oriundus erat e Gebenna urbe Allobrogum præstantissima. Ab ineunte adolescentia rebus mortalibus nuncio remisso, in Dominicanam familiam se adscribi voluit; ex cujus institutione ac disciplina, in omni doctrinarum ac virtutum genere admirabiles progressus fecit. Ad Episcopatum evectus anno circiter 1334. Ecclesiam Tinninienſem fere triennium gubernavit, cui & saluberrimis institutis & vitæ sanctissimæ exemplis mirifice profuit. Anno 1337. Benedictus XII. Joannem Tinninienſibus ademptum Tiburtinis Episcopum dedit; de quo F. Vincentius Fontana in sacro Diario Dominicano: *P. F. Joannes de Gebenna Tinnienſis Episcopus creatus est: ex qua Ecclesia Tiburtinam a Benedicto XII. an. 1337. Calendis Octobris suscepit . . . qui in provincia Franciæ ad ordinem receptus, litterisque ac pietate imbutus, Delphini Confessor effectus est. Commissam sibi ecclesiam sanctissime rexit usque ad annum 1342. quo, relicta cunctis sanctioris vitæ opinione, migravit in cælum; in pervetusta S. Blasii parva ecclesia nostra primo conditus, deinde in novam ampliorem translatus, cum lapidea tabula ejus effigiem in pontificalibus repræsentante, sequentibus circumcirca eidem insculptis notis:* ✠ *Hic requiescit Venerabilis Pater & Dominus Frat. Joannes Gebennenſis ordinis Prædic. prov. Franciæ, Episcopus Tiburtinus, Confessor Delphini, qui obiit anno Domini 1342. mense Augusti, cujus anima requiescat in pace. Amen.* Idem Fontana testis oculatus interfuit, cum post annos trecentos & viginti re-

pertum eſt integrum Joannis corpus, ac fere ab omni tabe intactum: id quod ipſemet ſcriptum reliquit.

THOMAS EP. TINNINIENSIS XX.

Non aliunde notus, niſi ex Tabulario Veneto Patrum Camaldulenſium S. Michaelis de Muriano. Extat ibidem diploma datum Avenione anno 1340. VI. Idus Aprilis. In eo Thomas Epiſcopus Tinninienſis cum aliis undecim Epiſcopis certam ac definitam delictorum veniam indulgent omnibus & ſingulis, qui ſollemnibus quibuſdam & feſtis diebus templum S. Michaelis Murianenſis pie caſteque inviſerent. Documenti hujus initium notaſque chronologicas hic apponere non inutile arbitramur. *Univerſis ſancte matris eccleſie filiis, ad quos preſentes litere pervenerint, Nos miſeratione divina Nermes Managardenſis Archiepiſcopus, Petrus Callienſis, Bernardus Banenſis, Petrus Montis-Marani, Petrus Acernenſis, Gratianus Dulcinenſis, Sergius Polenſis, Thomas Tinienſis, Salmanus Corphienſis, Jacobus Lubanenſis, Nicolaus Cathanienſis, Pinus Januenſis Epiſcopi ſalutem in Domino ſempiternam &c. Datum Avinioni die VIII. menſis Aprilis M. CCC. XL. Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Domini Benedicti Pape XII. anno VI.* Ex altero diplomate dato *Avenioni XVIII. die Januarii anno Domini M. CCC. XLI. Pontificatus Dom. Benedicti Pape XII. anno VI.* pariter innoteſcit, Thomam hunc una cum *Nerze Manaſgardenſe, Petro Callienſe, Petro Montis-Marani, Sergio Polenſe, Petro Acernenſe, Gratia Dulcinenſe, Bernardo Cannenſe, Nicolao Cathanienſe*, indulgentiam conceſſiſſe eccleſiæ SS. Chriſtinæ & Pariſii de Tarviſio. Unum alterumque diploma publici juris fecere eruditi editores Annalium Camaldulenſium tom. V. Hiſce igitur temporibus Thomas Avenione verſabatur; quam ad urbem ideirco ſe contulerat, opinor, ut a Benedicto XII. Epiſcopatus ſibi collati approbationem impetraret, ſimulque conſecrationem epiſcopalem ſuſciperet; niſi forte ipſemet Pontifex pro ſua poteſtate ſuprema, ut jampridem in uſu eſſe cœperat, Thomam Tinninienſibus Epiſcopum dedit. An unquam Tinninium ad eccleſiam ſibi traditam regendam adierit, compertum non eſt; nullum certe ſui nominis ac regiminis memoriam apud Tinninienſes reliquit. Ignota quoque eſt patria Thomæ, ignotum vitæ prioris inſtitutum, ex quo ad Chriſtiani Sacerdotii apicem evectus fuit, ignotus annus ſuſcepti ac depoſiti Pontificatus. Illud certum haberi debet, Thomam in ſerie epiſcopali collocandum eſſe inter Joannem, qui anno 1337. Sedem Tinninienſem cum Tiburtina commutavit, & Nicolaum III. qui proxime poſt Thomam huic eccleſiæ præfuit, eamque anno 1344. regebat.

NICOLAUS III. EP. TINNINIENSIS XXI.

F. Nicolaus Epiſc. interfuit Concilio provinc. Spalaten.

Hic vel e Dominicana, vel e Franciſcana, vel ex alia religioſa familia aſſumptus ad Eccleſiam Tinninienſem regendam acceſſit. Anno 1344. interfuit Concilio provinciali, quod Dominicus Archiepiſcopus Spalatum convocavit; idemque cum tribus aliis Epiſcopis ex auctoritate & decreto Concilii quæſtionem habuit de contumacia tum Valentini Epiſcopi Macarenſis, qui Metropolitæ imperium præfracte detrectavérat, cum Maldeorigi Comitis Almiſſæ, qui ſolutionem penſionis archiepiſcopalis pertinaciter abnuebat; & ſententiam in utrumque tulit, ut conſtat ex actis judicialibus: *Nos Frater Nicolaus Dei gratia Epiſcopus Tinienſis, Andreas Epiſcopus Scardonenſis &c. Judices ſynodales auctoritatibus, quibus infra, explicatis. Univerſis & ſingulis hanc declaratoriam ſententiam inſpecturis deveniat ad notitiam evidentem, quod congregata provinciali Synodo metropolitica Eccleſiæ Spalatenſis &c.*

Vigilantia Epiſcoporum Tinninienſium ad hæreſim Patarenam arcendam.

Hæreſis Patarena inde uſque a ſæculo duodecimo longe lateque dominabatur in Boſina, cui finitima erat civitas ac diœceſis Tinninienſis; neque ulla Antiſtitum vigilantia ac diligentia prohiberi potuerat, quin irreperet in Dalmatiam, & ſinceram fidem illarum gentium, præſertim Chelmenſium peſtilenti dogmatum pravitate corrumperet. Quocirca tum Nicolao, tum ejus deceſſoribus aſſidue vigilandum ac laborandum fuit, ut gregem ſibi concreditum ab hujuſmodi peſte intactum ſervarent. Extat apud Raynaldum ſub an. 1337. epiſtola Benedicti XII. ad Neliptium Comitem Tinninii & Cetinæ, atque ad alios dynaſtas Chrobatiæ, quos hortatur ac monet, ut quæſitores adverſus hæreticam pravitatem conſtitutos ſuo patrocinio tegerent, ſuaque opera juvarent, neve ſinerent populos ſibi ſubjectos Boſnenſi labe commaculari. Nec vero dubito, quin Neliptius, ut erat ſtudioſus catholicæ fidei cultor, pontificiis litteris ac mandatis paruerit. Poſt diminutam Comitum Breberienſium potentiam, inter omnes Chrobatiæ principes viros unus maxime Neliptius divitiis copiiſque pollebat. Hujus itaque præſidio ac potentia fretus Nicolaus ab eccleſia ſua omnes hæreticorum inſidias conatuſque propulſavit. Sed hunc præclarum religionis catholicæ propugnatorem anno 1344. amiſit. Neliptio in principatum Tinninienſem ſucceſſit Joannes filius admodum adoleſcens ſub tutela matris Uladislavæ, feminæ prudentiſſimæ, atque animi virilis. Ludovicus rex Hungariæ, Carolo parenti vita functo ante biennium ſuffectus, Nicolaum Banum Slavoniæ cum exercitu miſit, ut proceres ac dynaſtas Chrobatiæ ad fidem & officium revocaret; hi quippe inito fœdere cum civitatibus maritimis Venetæ ditionis imperium detrectabant. Tinninium obſedit; ſed oppidi potiundi, quod Uladislava validiſſimis præſidiis firmaverat, caſtellique natura & loco muniti expugnandi difficultate deterritus, copias ab obſidione abduxit. Anno ſequenti 1345. cum Ludovicus ingentem ac florentiſſimum exercitum in Chrobatiam duxiſſet, Uladislava vidua Neliptii, cum tantis viribus & copiis reſiſtendo non eſſet, prudenti uſa conſilio ſe una cum filio in regis poteſtatem tradidit. Ludovicus autem Tinninium ultro deditum, cum aliis quibuſdam in Cetina oppidis ac locis, quæ cœperat, utrique donatis ſatis liberaliter compenſavit. Nec vero eccleſia, reſque catholica Tinninienſis detrimentum fecit ſub imperio Ludovici, cui nihil antiquius fuit, quam hæreticos edictis atque interdictis perſequi, ac fidem orthodoxam in ſuo regno defendere & propagare. Quapropter Nicolao Epiſcopo ad Patarenos ab ſua diœceſi repellendos, vel arcendos, Ludovici auctoritas & auxilium non defuit. Illud perincommode accidit, quod Ludovicus Tinninio, aliiſque Chrobatiæ locis, quæ in ſuam poteſtatem redegerat, quoſdam Vicebanos præfecit,

Ludovicus rex Hungariæ Tinninio potitur.

qui

qui civitatibus maritimis Dalmatiæ, ſub Venetorum imperio conſtitutis, graves admodum erant ac moleſti. Hi ſiquidem modo pecuniam, modo veſtes, modo res alias ab illis, non tam poſtulabant, quam exigebant. Porro Dalmatæ nunc tergiverſando verba dabant, nunc aliquid contribuendo ſe ab eorum vexationibus atque injuriis eximebant. Anno 1347. Nicolaus Epiſcopus legationem, impoſitam ſibi a Vicebanis, ſane odioſam ſuſcipere coactus eſt, eorumque avara & iniqua poſtulata deferre ad civitates Dalmatiæ, ut notatum invenio in tabulis Conſilii publici Spalatenſis: 14. *Decemb.* 1347. *Epiſcopo Tinien. petente, quod Vicebani, qui ſunt potentes penes D. Banum, ſecundum antiquam & longævam conſuetudinem Ungarorum, feſtivitatibus Natalis Domini de aliquibus xeniis pro muneribus, per Communitatem Spalatenſem, ceteraſque civitates, & loca Dalmatiæ, ſint ſoliti provideri; captum quod pulchris verbis recuſetur.*

Dominicus Luccarus Archidiac. Spalat. fruſtra electus ad Epiſcopatum Tininien.

Poſt mortem Nicolai Dominicus Luccarus Archiepiſcop. Spalatenſis in ejus locum ſubſtituendum eligendumque curavit Dominicum fratris filium Archidiaconum Eccleſiæ Spalatenſis; ſed hujus electio ut a Senatu Veneto, & Romano Pontifice confirmaretur, impetrare non potuit.

DIONYSIUS EP. TINNINIENSIS XXII.

Hic nobis innotuit ex catalogis Epiſcoporum Eccleſiæ Zagrabienſis, ad quam translatus fuiſſe dicitur poſt obitum Jacobi III. Antiſtitis Zagrabiæ, anno 1349. XVII. Kalendas Novembris extincti: *Huic* (ideſt Jacobo) *ſucceſſit D. F. Dionyſius filius Lacz ejuſdem D. Clementis Papæ de Epiſcopatu Tinninienſi.* Ex albo capitulari. Ex ordine Dominicano vel Franciſcano aſſumptum fuiſſe argumento eſt prænomen Fratris eidem præpoſitum. Cum annus dieſque emortualis Nicolai III. proximi deceſſoris ignotus ſit, incertum itidem eſt cuinam anno initium Dionyſii Epiſcopi Tinninienſis affigi oporteat. Quæ ſupra diximus de legatione Nicolao III. a Vicebanis demandata, forte referenda ſunt ad Dionyſium, ne hujus pontificatum in anguſtias unius biennii conjicere cogamur; neque enim in tabulis Spalatenſibus proditum eſt nomen Epiſcopi, qui ea legatione functus eſſe traditur. Ceterum anno 1348. Dominicus Luccarus electus erat Epiſcopus Tinninienſis.

BLASIUS EP. TINNINIENSIS XXIII.

Poſt Dionyſium ad Sedem Zagrabienſem translatum intra finem anni 1349. vel ſub initium anni proximi Eccleſiæ Tinninienſis gubernacula ſuſcepit, cui adhuc præſidebat anno 1357. cum Ludovicus Dalmatiam Venetis ademit. Eo quippe anno Blaſii nomen poſtremo loco ſubſcriptum reperio privilegio ampliſſimo, quod Ludovicus III. Kalendas Septembris Spalatenſibus conceſſit, præſentibus ac teſtibus *Vener. in Chriſto Patribus & Dominis Nicolao Strigonienſi, & Ugolino Spalatenſi Archiepiſcopis, Nicolao Agrienſi . . . . Fratribus Stephano Nitrienſi, Thoma Sirmienſi, & Blaſio Tinien. Epiſcopis.* Prænomen *Fratris*, quod Blaſio, itemque duobus ante Blaſium Epiſcopis appoſitum, indicio eſt illum ex aliqua religioſa ſodalitate evocatum fuiſſe ad Eccleſiam Tinninienſem regendam. Litteras a Nicolao Bano totius Slavoniæ & Chrobatiæ impetravit, quibus tueretur ac vindicaret jus decimas eccleſiæ debitas exigendi.

Nicolaus Banus Siavoniæ jus exigendi decimas Blaſio Ep. confirmat.

Nos Nicolaus totius Sclavoniæ, & Croatiæ Banus . . . tenore præſentium ſignificamus quibus expedit univerſis. Qualiter cum in congregatione noſtra generali de mandato & præcepto Excellentis Principis Domini ſcilicet Dei gratia totius Sclavoniæ & Croatiæ atque Dalmatiæ Ducis Domini noſtri pro requirendis viribus ducalibus univerſitatis, univerſis nobilibus, ceteriſque cujuſvis ſtatus, conditionis, & præminentiæ hominibus in dicto regno etiam exiſtentibus, publica proclamatione feria ſecunda proxima poſt feſtum Nativitatis Beatæ Virginis Tyninio celebrata; Venerabilis in Chriſto Pater Frater Blaſius Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Tyninienſis inter alios cauſidicos nobiles conſurgens expreſſiſſet, quod nonnulli, & ſpecialiter cum armis, ſeu ſagittis ſervire conſueti nobiles, & alii in detrimentum animarum ſuarum decimas ſuas in omnibus rebus decimalibus ſibi & ſuæ eccleſiæ prædæ clare . . . . & ſic ipſe, & ſua eccleſia prædata in ſuis juribus & reditibus damnum & defectum non modicum patiuntur. Quibus auditis nobiles viri Comites Frangipani Tilius Curatii de Corbavia, & Budeslaus Ugrini in propriis & nobilium in dicto regno Croatiæ exiſtentium perſonis exurgentes ex adverſo retulerunt, quod prædictas decimas ſcilicet Tyninien. Eccleſiæ & ejus Epiſcopatus juxta conſuetudinem eorum modo infraſcripto dare & perſolvere tenerentur ſingulis annis videlicet nobilis, & poſſeſſionatus . . . qui decem, vel quoſcumque plures haberet jobagiones, ipſe & unus jobagio ſuus, non potior quam mediocris decimas dare non deberet, ceteri vero jobagiones ſui decimas conſuetas in rebus decimalibus dare & perſolvere tenerentur. Sic qui quinque jobagiones habent, ſolus ipſe eſſet exceptus de ſolutione decimæ prædictæ, jobagiones vero ſui per ordinem decimas ſuas dare tenentur, ſic nobiles, & poſſeſſionati homines infra quinque jobagiones hortorum una cum jobagionibus ſuis cum decimis conſuetis tenerentur Domino Epiſcopo antedicto . . . . de decimis agnorum, hœduum, apuum, porcellorum a ſeptenario numero uſque ad decimum numerum decimæ in ſpecie exigantur. Infra vero numerum ſeptenarium ſingulus unus bolanch de quolibet equo, & trunco apum. Sic de hœdo & porcello medius bolanch exigatur. De ſedecim vero agnis, & hœdis, & aliis rebus prædictis decimari ſolentibus duo mediocres in ſpecie exigantur. De viginti vero & ultra decimæ in ſpecie exigantur, & perſolvantur. Supanum vero in provincia ſua, ſeu diſtrictu Dominum, terreſtris eligendi & faciendi perpetuam habeat facultatem, quem ipſe voluerit, prout hoc item nobiles coram nobis dare & ſolvere ſpontanea aſſumpſerunt voluntate. In cujus rei teſtimonium perpetuamque ſtabilitatem præſentes eidem Domino Epiſcopo conceſſimus litteras noſtras privilegiales, pendentis, & authentici ſigilli noſtri munimine roboratas. Datum in Tyninio decima die tempore congregationis noſtræ prænotatæ, Anno Domini milleſimo tercenteſimo quinquageſimo tertio.

Anno 1357. vel huic proximo Sedem Tinninienſem vacuam ſucceſſori reliquit.

JOANNES II. EP. TINNINIENSIS XXIV.

Hujus nomen ac memoriam poſteritati ſervavit diploma Ludovici regis, qui privilegia regum Hungariæ conceſſa eccleſiæ cathedrali Tragurienſi S. Laurentii verbis ampliſſimis confirmavit,

navit, *datum per manus Venerab. in Chriſto Domini Nicolai Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiep. Colocen. poſtulati Strigonien. aulæ noſtræ Cancellarii dilecti & fidelis noſtri an. Domini* 1358. *3. non. menſ. Septemb. Venerabilibus Patribus Dom. Nicolao Jadrenſi, Ugolino Spalaten. . . . . Archiepiſcopis, Nicolao Agrienſi . . . . F. Johanne Tinienſi* . . . In alio ejuſdem Ludovici privilegio Virginibus S. Claræ conceſſo an. 1360. nominatur cum aliis Præſulibus idem *F. Joannes Tinien.*

NICOLAUS IV. EP. TINNINIENSIS XXV.

In ſanctuario Eccleſiæ Arbenſis extat diploma, quo Ludovicus rex Hungariæ immunitates ac privilegia Arbenſium auctoritate regia communivit an. 1367. Inter ceteros Archiepiſcopos & Epiſcopos ditionis Hungaricæ *Nicolaus Epiſcopus Tinien.* nominatur.

PAULLUS EP. TINNINIENSIS XXVI.

Eccleſiæ hujus regimen, quod Ludovico regnante ſuſcepit, uſque ad annum hujus ſæculi fere nonageſimum retinuit. In duobus privilegiis Ludovici regis an. 73. & 79. ſæculi decimi quarti nominatur *Paullus Tinninien.* Jaderæ cum eſſet anno 1382. v. Kalendas Julii, ut pignus aliquod daret ac monumentum eximiæ ſuæ beneficentiæ, gratique animi erga Patres Prædicatores, ac F. Simonem magiſtrum generalem totius ordinis vita functum, a quo & *Confratris* titulo ſe impertitum, & bonorum operum ac meritorum totius Dominicanæ ſodalitatis participem factum eſſe meminerat; Patribus Dominicanis Jadrenſibus cœnobii S. Platonis decimas omnium fructuum in perpetuum donavit, quos ſingulis annis menſa epiſcopalis ex villa quadam, cui nomen erat *Terebech*, percipere ſolebat. Id ſolum oneris impoſitum illis eſſe voluit, ut quotidie ante ſollemne ſacrificium breves quaſdam precationes pro ſe vivo ac mortuo Deo ac Deiparæ offerrent. Tabulæ donationis extant apud Patres Prædicatores Jadrenſes, quarum exemplar, quamvis aliqua ex parte mendoſum, hic ſubjicimus.

Paullus Patribus Dominicanis Jadrenſibus partem decimarum epiſcopalis donavit.

Nos Paulus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Eccleſiæ Tinien, ſignificamus tenore præſentium, quibus expedit univerſis. Quod quia peccata redimenda ſunt eleemoſynis & ſuffragia divinorum proſunt vivis & defunctis; ideo ob reverentiam B. Virginis glorioſæ, cujus pietatis ſacratiſſimum auxilium devotiſſime imploramus, ut ad honorem ipſius Virginis glorioſæ ſingulis diebus ante Miſſam conventualem cotidie Salve Regina cum orationibus B. Virginis pro rege, & pro præſule donante ſollemniter decantetur; & cum debitum carnis exoluimus, tunc oratio inter defunctos eadem ſollemnitate ſine intermiſſione decantari non obmittatur. Proinde decimam partem totius bladi & vini ſingulis annis, quantum permittente divina clementia, eccleſiæ, & dominio præfatæ noſtræ . . . ex parte jobagionum in villa Terebech provenire contingerit; Fratribus Prædicatoribus ordinis S. Dominici, & conventus S. Platonis de Jadra, quorum vir religioſus olim F. Simon fel. rec. magiſter religionis, mediantibus ſuis litteris nos in confratrem ipſius ordinis aſſumpſiſſe perhibetur, præfato conventui dictam eleemoſynam decimalem, modo & ordine ſupra expreſſis; licet enim par in parem poteſtatem non habeat, tamen ex confidentia inſtitutionis SS. PP. qua ad pias cauſas aliquid de menſa epiſcopali donare permittimur. Ideo quod nobis licere permittimur, etiam noſtris ſucceſſoribus indicamus, ſæpefatam decimam pie duximus offerendam, donandam . . . In cujus oblationis teſtimonium præſentes litteras privilegiales ſub appenſione noſtri autentici ſigilli duximus concedendas. Datum Jadræ in feſto B. Ladislai regis anno MCCCLXXXII.

Eodem anno pridie Idus Septembris Ludovicus rex Hungariæ moriens Mariam filiam, quam Sigiſmundo Marchioni Brandeburgenſi deſponderat, regnotum ſuorum hæredem reliquit, & Eliſabethæ ſuæ conjugis tutelæ, ſimul cum rerum publicarum adminiſtratione, commendavit. Initia fere ipſa muliebris imperii fœda diſcordiarum ac ſeditionum tempeſtas perturbavit. Utraque regina mater ac filia in Dalmatiam cum veniſſent anno 1383. Maria ex urbe Jadrenſi epiſtolam ſcripſit Kal. Novembris ad omnes magiſtratus Dalmatiæ, ac nominatim ad *Judices* & *Nobiles* civitatis Tinninii, de qua in Hugolino Archiepiſcopo Spalatenſi, ut eorum animos ſibi conciliaret; & anno ſequenti xv. Kalend. Maji omnia Spalatenſibus conceſſa ſuperiorum regum privilegia ampliſſimo diplomate confirmavit; præſentibus, & approbantibus quinque Archiepiſcopis Strigonienſi, Colocenſi, Jadrenſi, Spalatenſi, Raguſino, & Epiſcopis omnino viginti, inter quos nominatur *Paulus Tinien.* Hoc eodem anno conſpiratio quorumdam procerum Hungariæ & Dalmatiæ ex occultis machinationibus in apertum prodiit, Joanne de Palixna Priore Auranæ, & Paullo Epiſcopo Zagrabienſi, aliiſque auctoribus; quorum invitatu Carolus rex Neapolis in Hungariam profectus, Albæ inſignia regni Hungarici ſumpſit an. 1385. ſed anno ſequenti ex inſidiis ibidem periit. Poſt Caroli interitum, Eliſabetha & Maria ad fines Dalmatiæ cum veniſſent anno 1386. captæ ſunt a perduellibus, & Novigradi in cuſtodiam incluſæ; in qua Eliſabetha naturali, aut violenta morte extincta interiit anno proximo ineunte. Mariam vero Joannes Prior Auranæ obſeſſus copiis Venetorum, coactuſque liberam emiſit, quæ eodem anno Kalendis Julii Zagrabiæ cum Sigiſmundo Marchione Brandeburgenſi ſollemnia nuptiarum celebravit. Exinde Sigiſmundus regnum Hungariæ dotale obtinuit, cœpitque appellari rex Hungariæ, Dalmatiæ, &c. Hic itidem rata habuit, atque in perpetuum valere juſſit omnia privilegia, quæ Ludovicus & ſuperiores reges Spalatenſibus conceſſerant. Extat ejus diploma *datum per manus Rever. in Chriſto Patris Dom. Johannis Archielecti Strigonienſis, noſtræ & reginalis aulæ Cancellarii dilecti ac fidelis noſtri, anno Domini MCCCLXXXVIII. tercio ydus menſis Februarii, regni autem noſtri anno primo, Venerabilibus &c.* Sequuntur nomina Epiſcoporum, inter quos nominatus eſt *Paulus Tinienſis*; de quo nulla in poſterum mentio in monumentis illorum temporum reperitur.

Nominatus eſt in litteris Mariæ reginæ ad Judices Tinninii, itemque in privilegio Sigiſmundi Spalatenſibus conceſſo.

Vix Maria anno ſuperiori e Dalmatia diſceſſerat, cum Stephanus Tuartkus rex Boſinæ palam ad perduelles defecit, & cum Joanne perduellium anteſignano ſocietate inita, Cliſſam, Almiſſam, aliaque loca in Dalmatia Hungaris ademit. Paullus Epiſcopus Tinninii vel morte præreptus, vel oppido expulſus eſt, quod a fide & obſequio erga ſuos legitimos dominos Sigiſmundum & Mariam nullis neque minis, neque pollicitationibus abduci poſſet. Itaque Tuartkus

kus Michaelem quemdam patria Raguſinum Paullo in Sedem Tinninienſem ſubſtituendum curavit, eidemque titulum ac munus regii Cancellarii contulit.

MICHAEL EP. TINNINIENSIS electus.

Cum Spalatenſes neceſſariis Sigiſmundi ſubſidiis deſtituti, ac minacibus denunciationibus Tuartki regis Boſinæ conterriti, ſe in hujus fidem ac poteſtatem tradidiſſent; ab eo poſtularunt, ut Spalatenſe, Cliſſanum, & Almiſſenſe territoria ſuis quodque terminis definiret; quorum deſcriptio regali auctoritate conſtituta cauſſam omnem diſcordiarum præcideret, quæ iterum ac ſæpius Cliſſanos ac Spalatenſes in mutuam perniciem armaverat. Eorum poſtulatis rex cumulatiſſime ſatisfecit; & cum ex fide & auctoritate veterum tabularum tria illa territoria deſcripſiſſet, ſuis cuique terminis appoſitis, quatuor e proceribus aulæ regiæ delegit, quorum unus fuit *Michael de Raguſio electus Epiſcop. Tinien.* qui Spalatenſes in poſſeſſionem mitteret illarum terrarum, quæ intra fines a ſe præſcriptos continebantur. Extat compoſitum in hanc rem diploma regium, *datum*, ut ibi dicitur, *in noſtræ aulæ reſidentia Sutteſche, per manus prædicti diſcreti viri Dom. Michaelis de Raguſio electi Epiſcopi Tinien. & in hac parte Cancellarii noſtri, ſub noſtro duplici ſigillo pendente . . . . ſub anno Domini milleſimo, trecenteſimo, nonageſimo, Indictione XIII. a die ſegundo menſis Junii.* Itaque *Michael electus Epiſc. Tinien.* & reliqui tres proceres, quibus id a rege mandatum fuerat, cum in rem præſentem veniſſent, quatuor cives Spalatenſes, qui totius civitatis perſonam gerebant, vicemque præſtabant, ex juris formula induxerunt in poſſeſſionem illarum terrarum, quas Stephanus rex decreverat Spalatenſium eſſe; ac tribus in locis totidem columellas lapideas duabus litteris *S P.* Spalatum ſignificantibus inſcriptas collocarunt, quæ agrum Spalatenſem a Cliſſano & Almiſſenſi diſtinguerent. Quæ omnia teſtata eſſe voluerunt publicis litteris eodem anno Kalendis Auguſti confectis, & multorum, qui aderant, nomine, ac teſtimonio firmatis & ſubſcriptis; quarum initium eſt hujuſmodi: *In Chriſti nomine, amen. Anno Domini MCCCLXXXX. Indictione XIII. die primo Auguſti. Nos Triphon Boche de Cathero aulæ regiæ miles & Protoveſtiarius, Michael de Raguſio electus Epiſcopus Tinnien. . . . dictæ aulæ regiæ logotheti, executores, & commiſſarii, & in hac parte nuncii ſpeciales Sereniſſimi & excelſi Principis, & Domini noſtri Dom. Stephani Tuertchonis Dei gratia Raſciæ, Boſnæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Maritimæque &c. Regis incliti ad infraſcripta ſpecialiter deputati &c.*

Michael miſſus a Tuartko, ut Spalatenſes mitteret in poſſeſſionem terrarum intra fines ab rege præſcriptos.

Sigiſmundus fere omnibus civitatibus Dalmatiæ, præter Jaderam, amiſſis, ut eas recuperaret, miſit cum exercitu Detricum Rubechium Banum Slavoniæ, qui Tinninium obſidione cinxit; ut intelligi poteſt ex Epherimede Paulli de Paullo patricii Jadrenſis, quam Lucius ſuis de regno Dalm. & Croat. adjunctam evulgavit: 1390. *die Sabb. 10. Septembr. una cum Paulo milite de Georgiis creati Ambaſc. ad D. Detricum Rubech B. Sclavoniæ, exiſtentem cum exercitu ſub caſtro Tinini, receſſimus, & applicuimus die Jovis, 15. ejuſdem menſis, & die Veneris immediate ſequente, remanente ibi D. Paulo, inde receſſi, & Jaderam applicui die Lunæ Septemb. 18.* Verum Detricus re infecta diſceſſit, & copias in Slavoniam reduxit. Porro Michael electi nomen retinuit, quamdiu vixit Stephanus Tuartkus, qui anno 1392. ineunte diem obiit, eique ſucceſſit Stephanus Dabiſcia ejuſdem patruelis, qui Tuartko juniori, cui cognomen erat Scuro, Tuartki ex concubina filio, regnum præripuit. An vero Michael rite confirmatus, & epiſcopali conſecratione initiatus fuerit, mihi non liquet; cum ejus nomen abſit a catalogo Antiſtitum Tinninienſium, eum in illorum numero reponere non auſim.

Tinninium ab Hungaris fruſtra obſeſſum.

LADISLAVUS II. EP. TINNIN. XXVII.

Anno 1393. pax inter Sigiſmundum & Stephanum Dabiſciam regem Boſinæ ita convenit, ut hic Dalmatiæ & Chrobatiæ poſſeſſione decederet, Boſina vero poſt obitum Dabiſciæ in priſtinam regum Hungariæ fidem & clientelam rediret. Ita Tinninium rurſus ſub imperium Sigiſmundi conceſſit. Per hæc tempora Ladislavus Eccleſiæ Tinninienſis gubernacula ſuſcepit. Anno 1397. Sigiſmundus, poſt cladem apud Nicopolim anno ſuperiori a Turcis illatam, Tinninium venit; ibique aliquot dies commoratus legationes civitatum Dalmatiæ accepit. Eccleſiæ Tinninienſi tum præerat Ladislavus, qui nullum ſuæ adverſus regem obſervantiæ, ac benevolentiæ officium prætermiſit; & Nicopolitana clade graviter afflictum mœrentemque piis verbis conſolatus erexit, ac recreavit. Hujus fidem ac ſollertiam quanti faceret Sigiſmundus, ſatis declaravit, cum rogatus ab Andrea Archiepiſcopo Spalatenſi negotium eidem grave in primis ac laborioſum dedit, ut loca omnia diœceſis Spalatenſis luſtraret, & poſſeſſiones illius eccleſiæ ex fide veterum tabularum, ex traditione majorum, ex teſtimonio indigenarum, denique ex illis, quæ adhuc extabant, notis atque indiciis accurate recognoſceret, antiquos earum limites inveſtigaret, ac ſuos cuique fines reſtitueret ac deſcriberet. Ad hujuſmodi vero luſtrationem ac recognitionem duos treſve tum e Spalato, tum e caſtris regalibus Cliſſæ & Almiſſæ, tum e valle Politienſi ſocios ac teſtes juſſus eſt adhibere. Extat in hanc rem epiſtola Sigiſmundi ad Spalatenſes data *Tinini feria 2. poſt feſtum Purificationis Virginis glorioſæ, Anno Domini milleſimo, trecenteſimo, nonageſimo ſeptimo;* quam habes deſcriptam in actis Andreæ Archiep. Spalatenſis. Itaque Sigiſmundi mandata Ladislavus ſumma cum fide ac diligentia exſecutus, nihil eorum, quæ ille juſſerat, prætermiſit. Terrarum & locorum quod ſine ulla dubitatione comperit pertinere ad eccleſiam & menſam archiepiſcopalem, in codice ad id comparato deſcripſit, ac nominatim deſignavit, certiſque terminis definivit. Hanc deſcriptionem, quod *Reambulatorium* ex uſu loquendi illorum temporum dicitur, ad Sigiſmundum tranſmiſit cum ſua epiſtola inſcripta *Excellentiſſimo Principi & Domino meo naturali Sigiſmundo Dei gratia Illuſtriſſimo Regi Hungariæ, Dalmatiæ, & Croatiæ &c. Marchionique Brandenburgenſi &c. Ladislaus Epiſcopus Tinnienſis humiliter cum debito ac devoto orationum incremento &c.* Data eſt *Spaleti in vigilia B. Matthiæ Apoſtoli. Anno Domini ſupradicto*, ideſt 1397.

Ladislavus II. Ep. a Sigiſmundo rege juſſus inveſtigare, ac recognoſcere poſſeſſiones Eccleſiæ Spalatenſis.

Sed cum Ladislavus quædam, de quibus non ſatis conſtabat, ſacrine, an profani juris eſſent, injudicata reliquerit; Sigiſmundus rogatu ejuſdem

Altera earumdem poſſeſſionum recognitio

ac descriptio ab Sigismundo imperata Capitulo Tinninien.

dem Andreæ Archiepiscopi, alteram recognitionem ac recensionem terrarum Ecclesiæ Spalatensis demandavit Canonicis Ecclesiæ Tinninien-sis, quibus per litteras Budæ eodem anno datas *feria tertia ante festum Ascensionis Domini* imperavit, ut e Capitulo virum deligerent ea, qua opus erat fide, integritate, scientia præditum, qui cum uno alterove ex illis, quos ipse nominabat, circumiret, recognosceret, circumscriberet, ac sigillatim distincteque scriptis consignaret bona omnia, quæ ubicumque locorum, juris essent ecclesiastici. Delectus est de communi sententia Capituli Bartholomæus Canonicus, vir singularis probitatis, doctrinæ, ac prudentiæ, qui cum Petro filio Ratchi, altero e duobus illis, qui a rege ad id designati fuerant, regia mandata accuratissime confecit. Hunc itidem bonorum ecclesiasticorum catalogum Capitulum Tinninien*se* in suas ad Sigismundum litteras inclusit, datas *Tinninii 2. feria post festum Assumptionis B. Mariæ Virginis, sub appensione capitularis sigilli pro veritatis testimonio fide digno omnium. Anno Dom. MCCCXCVII.* Primam, itemque alteram descriptionem habes in actis Andreæ Archiepiscopi Spalatensis Cap. 11. ubi hæc omnia distinctius ac diligentius exposita invenies.

Indulgentiæ ab Andrea Metr. Spalat. concessæ Ecclesiæ S Mariæ de Sparaz diœcesis Tinninien.

Porro Andreas Archiepiscopus ut Ecclesiæ & Capitulo Tinninien*si* pro laboriosa illa peragratione ac descriptione gratiam aliquam referret, postulato nobilis viri Comitis *Volchi Uladislavichii* libenter indulsit, & *centum dierum Indulgentiam*, ex antiquo privilegio apostolico sibi & ecclesiæ suæ concesso, omnibus impertiit, qui certis ac statis diebus ab ipso designatis pie casteque viserent *Ecclesiam B. Mariæ Virginis de Sparaz diœces. Tinien.* ut constat ex ejus diplomate, quod huic loco innectendum censeo.

Universis S. M. Ecclesiæ filiis Andreas miseratione divina Archiep. Spalaten. & legum Doctor sal. &c. Splendor paternæ gloriæ, qui sua mundum claritate illuminat, & pia vota fidelium tunc præcipuo favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas Sanctorum precibus ac meritis adjuvatur; ut Christi fideles eo ferventius ad devotionem confluant, quo ibi majoris dono gratiæ noverint se refertos. Ad instantiam & supplicationem nobilis viri Comitis Volchi Uladislavich de Ciprianich, cupientes, ut ecclesia B. Mariæ Virginis de Sparaz diœcesis Tinien. a Christi fidelibus veneretur, & congruis honoribus frequentetur, universis Christianis, qui eamdem in festivitatibus Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis Domini, ac Pentecostes, & tribus sequentibus diebus; item singulis festivitatibus Dei genetricis V. Mariæ, Michaelis Archangeli, Joannis Baptistæ, duodecim Apostolorum, quatuor Evangelistarum, & quatuor Doctorum, Stephani, Laurentii, Georgii, Blasii, Vincentii, Fabiani & Sebastiani, Cosmæ & Damiani, ac Doimi & Anastasii Mm. Nicolai, Martini, Bricii, Antonii, Benedicti, Dominici, Francisci, & Leonardi Confessorum; Sanctarum Annæ matris Mariæ, M. Magdalenæ, Elenæ & Elisabethæ reginarum, Catharinæ, Margaritæ, Agnetis, Agathæ, Apolloniæ & Scholasticæ Virginum; nec non in festivitatibus omnium Sanctorum, & in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, singulis diebus Dominicis, & per octavas earumdem festivitatum octavam habentium, devote visitaverint, vel in serotina, vel matutina pulsatione campanæ, pro laudibus B. Virginis ter dixerint Ave Maria, vel eidem ecclesiæ, si necesse foret, ad luminaria, ornamenta, libros, calices, & alia opportuna manus porrexerint adjutrices, de omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex antiquo privilegio apostolico nobis & ecclesiæ nostræ concesso, centum dierum indulgentiam de injunctis eis pœnitentiis pie in Domino relaxamus, & misericorditer elargimur; dummodo diœcesanus loci ad ea suum præstet assensum. In cujus rei testimonium præsentes litteras nostro pontificali sigillo pendenti mandavimus communiri. Dat. Spalati in nostro archiep. palatio, sub an. Dom. 1399. Indict. 7. die 15. mens. Octobr. Pontificatus SS. in Christo Patris & Domini nostri D. Bonifacii divina providentia PP. noni anno decimo.

Cum plerique Dalmatarum fœdere inito cum Ostoja rege Bosinensium & Hervoja *supremo* Voyvoda regni Bosnæ, itemque cum Joanne Comite Cetinensi a Sigismundo defecissent, & Ladislavum regem Neapolitanum e stirpe regum Hungariæ oriundum evocassent; civitas quoque & Ecclesia Tinninien*sis* necessitate magis, quam voluntate in partes Ladislavi transivit. Itaque anno 1402. cum Jadrenses Ladislavo, qui postea in ea urbe regni Hungarici ac Dalmatici titulum & insignia sumpsit, suam fidem & obedientiam sollemni sacramento obstringerent, Ladislavus Episcopus Tinninien*sis* una cum Archiepiscopo Jadertino, Abbatibus, & primoribus cleri tunc interfuit, ut Paullus de Paullis in sua Ephemeride notatum reliquit sub anno 1402. *Die Dominica 3. Septembris, existentibus Rectoribus Dominis Jacobo de Radune, S. Antonio de Grisogonis, & Gabriele de Nosdrogna in Consil. gen. Jadræ, in quo fuerunt nobiles ultra septuaginta, præsentibus Dom. Archiepiscopo Jadren. Abbatibus S. Grisogoni & Rogovæ, Episcopo Tinien*si, *Archidiacono & Archipresbytero juravimus Dom. Aloysio Capitaneo supra descripto, ad sancta Dei Evangelia super missali in manu dicti Dom. Archiepiscopi, & D. Capitanei, fidelitatem & homagium prænominati D. Regis Lancislavi.* Sed anno 1408. vel sequenti Tinninium pariter cum universa Dalmatia, præter Jaderam, quam ab Ladislavo pretio redemptam Veneti receperunt, sub dominatum Sigismundi redivit. Porro Ladislavus Episcopus recuperato Sigismundi favore ac patrocinio lætus ecclesiam suam feliciter administravit usque ad annum hujus sæculi duodecimum: nam hoc anno exeunte Sedes Tinninien*sis* vacabat, ut constat ex privilegio Sigismundi in historia Ecclesiæ Corbavien*sis* descripto. Interregnum episcopale tenuit sex ipsos annos.

Interregnum epitc. sex annorum.

NICOLAUS V. EP. TINNINIEN. XXVIII.

Ex ordine Franciscano Patrum Minorum ad hanc ecclesiam regendam accessit, oriundus e Corcyra, ut censet auctor Viridarii Seraphici, vel potius e Corbavia, ut docet Octavius Spaderus in catalogo virorum illustrium provinciæ Dalmaticæ Franciscanæ. Hunc Tinninien*sibus* Episcopum dedit anno 1418. Martinus V. Pontifex Max. id quod testantur tabulæ consistoriales: 1418. *Nonis Decembris prov. Ecclesiæ Tinnien*si *vacanti per obitum Ladislai, de persona F. Nicolai de Corbavia ordin. Min.* Annos fere decem præfuit.

JOAN-

JOANNES III. EP. TINNINIEN. XXIX.

Erat præpoſitus eccleſiæ & Capituli Caſmenſis in diœceſi Zagrabienſi; quod quidem Sacerdotium in primis ejus regionis amplum & honorificum eſt, & copioſis vectigalibus inſtructum. Hunc Martinus V. anno 1428. Epiſcopum præfecit Eccleſiæ Tinninienſi, facta ei poteſtate retinendi ad tempus Sacerdotii Caſmenſis, ut eſſet, unde ſuppeterent ſumptus neceſſarii ad reædificandam ædem cathedralem, quæ vetuſtate, aut alio quopiam infortunio corruerat: 1428. 13. *Kal. Junii providit Eccleſiæ Tinnien. provinciæ Spalat. vacanti per ob. de perſona D. Joannis præpoſiti Eccleſiæ Caſmen. diœceſis Zagrabienſis; & conceſſum fuit ſibi, quod poſſit dictam præpoſituram tenere ad ipſius Domini noſtri beneplacitum propter deſtructionem Eccleſiæ Tinnienſis præfatæ.* Ex tabulis conſiſtorialibus. Vir fuit excellentis doctrinæ, eximiæ prudentiæ, & magnæ auctoritatis. De finibus, & juriſdictione controverſia erat Joanni Comiti Cetinæ & Cliſſæ cum Politienſibus. Ad eam dirimendam Sigiſmundus utrique parti arbitrum dedit Joannem Epiſcopum una cum Joanne Comite Verlicchæ; qui ex æquo & bono rem ita compoſuit, ut ejus ſententia neutris diſpliceret. Acta ſunt hæc apud Zarnunizam IX. Kal. Maji anno 1430. Hujus compoſitionis teſtes extant litteræ Canonicorum Tinninienſium quadriennio poſt datæ cum hac inſcriptione: *Teſtimoniales Capituli Tinninienſis ſuper conſtitutione confinium Comitis de Cetina, anno 1434. octava Corporis Chriſti.* Harum initium eſt hujuſmodi: *Nos Capitulum Eccleſiæ Tinien. memoriæ mandantes ſignificamus tenore præſentium quibus expedit univerſis, quod in noſtram perſonaliter venientes præſentiam viri nobiles Iguantius Slovocovich Vaivoda magnifici ac potentis viri Jovannis Cetinæ & Cliſſæ Comitis, nec non regnorum Dalmatiæ & Croatiæ pridem Bani, Jovannes Coſniſezach, & Franciſcus Svonar Cancellarius prædicti magnifici viri, nuncii, & familiares ipſius magnifici Domini Comitis Jovannis ex una parte &c.*

Dum Joannes huic eccleſiæ præſidebat, tres reges alium ex alio habuit Hungaria, quibus ille omnibus æque carus, & magni habitus fuit. Poſt deceſſum Sigiſmundi regis & Imperatoris anno 1437. extincti, Albertus Auſtriæ dux, cui nupſerat Eliſabetha filia Sigiſmundi, ſocero in regnum Hungariæ, atque in imperium ſucceſſit. Qui altero imperii & regni anno vita functus, uxorem ex ſe gravidam reliquit. Proceres Hungariæ legatos miſerunt ad Uladislavum ducem Lithuaniæ, fratrem Caſimiri regis Poloniæ, Ludovici regis Hungariæ ex Eduvige filia nepotem, quem ſibi in regem elegerunt. Hujus legationis princeps fuit Joannes Epiſcopus Tinninienſis, ut Maurus Orbinus & Bonfinius tradunt, qui Uladislavum in Hungariam cum deduceret, ejus gratiam & benevolentiam ſibi conciliavit. Nec multo poſt e vivis exceſſit, aut voluntaria abdicatione Epiſcopatum depoſuit.

DEMETRIUS EP. TINNINIENSIS XXX.

Demetrius Ep. ad Zagrabienſem Eccleſiam translatus.

Ex antiquiſſima & nobiliſſima familia Slavonica Cuporia ortus, anno circiter 1442. adminiſtrationem hujus eccleſiæ ſuſcepit. Sed ea non contentus ad illuſtriorem & opulentiorem aſpirabat. Cum Uladislavus rex Hungariæ Benedictum, quem Eugenius IV. Zagrabienſi Eccleſiæ præfecerat, recipere atque admittere nollet, quod jus regium eligendi nominandique Epiſcopi Zagrabienſis ſibi a Pontifice præreptum moleſtiſſime ferret; Demetrius ut ſibi Epiſcopatum illum traderet, ab rege impetravit, ſed ne ſtatim aſſequi poſſet, infelix Uladislavi interitus obſtitit. Anno ſiquidem 1444. ad Varnam oppidum prælio cum Turcis temere commiſſo, cum ingenti ſuorum clade occubuit. Secundum hanc calamitatem Ladislavus poſthumus Alberti filius ex Eliſabetha Sigiſmundi filia rex ab Hungaris eligitur quinquennis puer, addito curatore & gubernatore totius regni Joanne Corvino Hunniade; cujus inclyta virtus ob plurimas maximaſque victorias, quas ab Turcis reportavit, toto orbe celeberrima, rem chriſtianam ea tempeſtate in Hungaria ſuſtinuit. Hujus rogatu Eugenius IV. Demetrium a Tinninienſi ad Zagrabienſem, & Benedictum ab hac ad illam tranſtulit. Benedictus, tum Capitulo Zagrabienſi, tum aliis ejus fautoribus repugnantibus, ab ea ſede amoveri non potuit. Hanc demum poſt obitum Benedicti, & Balthaſaris, qui Benedicto proxime ſucceſſit, anno circiter 1460. Demetrius obtinuit, ſed triennio poſt ea relicta ad Eccleſiam Jaurinenſem regendam migravit. Plura de Demetrio in hiſtoria Antiſtitum Zagrabienſium.

FRANCISCUS EP. TINNINIENSIS XXXI.

Cognomento Speravichius Franciſcanæ Patrum Minorum diſciplinæ alumnus, æque doctrina ac religione præſtans, poſt Demetrium ad Eccleſiam Tinninienſem gubernandam acceſſit. Hujus epiſcopale initium auctor Viridarii Seraphici confert in annum 1459. ſed revocari oportet ad annum circiter 1446. cum ſcilicet Eugenius IV. Demetrium, ſoluto vinculo, quo huic eccleſiæ illigatus erat, ad Eccleſiam Zagrabienſem tranſtulit, niſi annorum ferme tredecim interregnum ſtatuere velis inter Demetrium & Franciſcum. Cum Mahometes rex Turcarum Boſinam finitimam, rege debellato & per ſummam perfidiam interfecto, ſubegiſſet anno 1463. civitas & Eccleſia Tinninienſis magno in periculo verſabatur. Utrique præſidio fuit, & barbaros a progreſſu arcuit Matthias Corvinus rex Hungariæ Hunniadis filius, nulla re parenti diſſimilis, qui Boſinam magna ex parte & Jaiczam urbem regionis primariam, victis & expulſis hoſtibus, recepit. Sub patrocinio ac tutela fortiſſimi regis, Franciſcus ſecurus ab omni periculo metuque, eccleſiam ſibi commiſſam annis fere ſexdecim adminiſtravit.

MARCUS II. EP. TINNINIENSIS XXXII.

A Matthia rege Hungariæ, cum de aliis graviſſimis rei publicæ & chriſtianæ negotiis, tum de cooptando in collegium Cardinalium Stephano Archiepiſcopo Colocenſi ad Sedem Apoſtolicam miſſus eſt orator anno 1468. ut ex Bonfinio docet Samuel Timon Soc. Jeſu in eo libro, qui inſcribitur *Purpura Pannonica, ſive Vitæ & res geſtæ Cardinalium S. R. E. qui aut in ditionibus ſacræ coronæ Hungariæ natis, aut regibus ſanguine conjuncti, aut Epiſcopatibus Hungaricis potiti fuerunt. Antonius Bonfinius memoriæ commendavit Marcum Tininienſem Epiſcopum a Mat-*

a Matthia rege Hungariæ oratorem missum Romam, cum ad alia negotia procuranda, tum ad sollicitandum Stephano Archiepiscopo Colocensi Cardinalatum. Rem e sententia gessit; nam eodem anno 1468. XIV. Kalen. Octobris Paullus II. Stephanum in ordinem Cardinalium Presbyterorum aggregavit, ac titulo SS. Nerei & Achillei insignivit. Hac legatione perfunctus, vel hoc ipso anno, vel proximo e vita decessit.

NICOLAUS VI. EP. TINNINIEN. XXXIII.

Nominatus est cum aliis Episcopis in privilegio regali, quod Matthias rex Hungariæ anno 1469. Kalendis Martii concessit *Magnifico Comiti Tomco Marnavich de Zuonich; & castrum Camengrad cum suo territorio in finibus regnorum Croatiæ Bosnæque existens*, quod idem Matthias ante quinquennium eidem Tomco ob ejus eximia in rempublicam merita hujusque filio Juvkardino, atque hæredibus, posterisque omnibus in perpetuum tradiderat, ampliſſima immunitate donavit, atque ex omni jurisdictione Bani Slavoniæ exemptum esse declaravit. *Datum per manus Reverendissimi in Christo Patris D. Stephani Cardinalis Colocen. & Bachien. ecclesiarum Archiepiscopi, locique ejusdem Colocen. Comitis perpetui, aulæ nostræ supremi Cancellarii fidelis nostri dilecti. Anno Domini* 1469. *Kalendas Martii, regni nostri anno duodecimo, coronationis vero quinto; Ven. in Christo PP. DD. Joanni Strigonien. eodem Stephano Colocen. Archiepiscopis, Joanne Varadien. postulato . . . . Nicolao Thininien., Segnien. sede vacante &c.* Ipse vero Nicolaus se Doctorem decretorum appellat in suis litteris ad Paullum Potacichium, quem in collegium Canonicorum Tinninienſium coopravit: *Nos Nicolaus decretorum Doctor, & Apost. Sedis gratia Episc. Ecclesiæ Tininien. dilecto nobis in Christo filio Paulo Potacich diœcesis nostræ sal. &c. Dat. Tininii in palat. nostro episc. anno Domini* 1487. Hæ litteræ servantur in tabulario curiæ archiepisc. Spalaten. itemque aliæ ejusdem generis cum eadem inscriptione, quarum postremæ datæ sunt anno 1489. Hoc eodem anno in diplomate Matthiæ regis Hungariæ *Nicolaum Tinnien.* nominatum invenio. Annos igitur circiter viginti huic ecclesiæ præfuit; nec vero ultra initium anni nonagesimi hujus sæculi vitam produxit. Hoc siquidem anno sedes episcopalis vacabat, ut colligitur ex litteris Hieronymi Cippici Vicarii generalis Bartholomæi Averoldi Archiep. Spalaten. eodem anno postridie Idus Februarii scriptis ad Andream custodem & Vicarium capitularem Ecclesiæ Tinninienſis. Hic siquidem cum proventus mensæ episcopalis tum ob graves communium temporum casus, tum ob alias calamitates peculiares plurimum detrimenti fecisset; singulis parochis certam pecuniæ summam imperaverat, quod subsidii nomine conferrent; ut qui futurus erat Episcopus, inveniret, unde sumptus faceret necessarios ad victum cultumque, atque ad rem domesticam, & pontificiam supellectilem comparandam. Visa est res nova atque inusitata rectoribus ecclesiarum; & Vicarium plus sibi potestatis ac licentiæ arrogare querebantur, quam quantum jura & Canones eidem permitterent. Itaque Gregorius Dirretovichius Zermagnæ, Vitus Buchajensis, & alii aliarum ecclesiarum præpositi, ac præsertim Archidiaconus Verlicchæ, a mandato Vicarii ad curiam metropolitanam appellarunt. Hujusmodi appellationem Bartholomæus Averoldus Archiepiscopus ad Hieronymum Cippicum Vicarium suum generalem rejecit; qui quod præter jus, præterque consuetudinem erat, fieri vetuit, & pecuniariam illam exactionem interdixit, epistola ad Vicarium Tinninienſem data anno & mense supra dicto, cujus initium hoc est: *Cum adhuc nec per Sedem Apostolicam, nec per jus habentes electus fuerit Episcopus in Ecclesia Tinninienſi vacante per obitum Episcopi nuperrime defuncti &c.*

Andreas Can. & Vicarius capitularis, Parochis diœcesis onus pecuniarium imposuit.

NICOLAUS VII. EP. TINNIN. XXXIV.

Nomen electi adhuc gerebat anno 1491. labente, ut constat ex tabulis actisque curiæ episcopalis *anno* 1491. 18. *Augusti coram R. Domino Nicolao electo Episcopo Tinien.* confectis. Sed post consecrationem vix annuum pontificatum gessit; atque intra finem anni sequentis sedem episcopalem ejus morte vacuam adeptus est

BRITIUS EP. TINNINIENSIS XXXV.

Alexander Papa VI. *anno* 1492. 19. *Novembris providit de persona D. Britii Tinnienſi Ecclesiæ vac. per ob. D. Nicolai illius ultimi Episcopi.* Unus ac fere alter annus interceſſit, antequam consecratione episcopali initiaretur. Itaque in actis quibusdam judicialibus curiæ episcopalis *electus* solum & *confirmatus* dicitur. *Acta sunt hæc anno* 1494. *die* 10. *Julii in castro episcopali Gazi, Pontificatus SS. in Christo Patris & Dom. D. nostri Alexandri VI. anno secundo, præsentibus Rever. in Christo Patri D. Britio de Egrivaca Dei & Apostolicæ Sedis gratia electo & confirmato Ecclesiæ Tinnienſis, Jacobo plebano ecclesiæ parochialis de castro Gazi, capellano ejusdem &c.* Templum perantiquum erat in suburbano, nomine *S. Stephani regis extra muros* consecratum, idemque opulentis vectigalibus instructum, & curam animarum annexam habebat. Cum ob mortem Bartholomæi ejusdem rectoris & parochi, ante triennium extincti, hoc Sacerdotium vacaret; Commune Tinninienſium, ad quos jus nominandi hujus parochi pertinebat, Paullum Potacichium Canonicum ecclesiæ cathedralis elegit, qui erat itidem Archidiaconus Sappatensis, & Archipresbyter oppidi Briberii. Nicolaus proximus ante Britium Episcopus, sive quod Paullum vitio electum criminaretur, sive quod quartum hoc Sacerdotium cum tribus illis, quæ jam Paullus obtinebat, e præscripto sacrorum Canonum conjungi non posse contenderet; rescissa ipsius electione, ejus templi ac parœciæ administrationem Thomæ Radovichio demandavit. Uterque autem erat Canonicus Tinninienſis. Hinc acerrima contentio inter Episcopum & Commune exarsit. Res delata fuit ad Sedem Apostolicam, quæ causſæ illius cognoscendæ ferendæque sententiæ potestatem Vito de Ruschis Episcopo Dumnensi, & tunc Vicario generali Bartholomæi Archiepiscopi Spalatensis delegavit. Interea Nicolaus e vita decedens litem injudicatam, suamque actionem Britio successori reliquit; qui suas partes esse duxit, ut causſam illam tueretur, æque suam ac decessoris, in cujus jura auctoritatemque succesſerat. Anno igitur 1493. Spalati ab judice delegato quæstiones haberi cœptæ sunt multiplices sane atque operosæ; nam acta hujusmo-

Controversia inter Commune Tinninienſe a quo Paullus, & Episcopum, a quo Thomas electus fuerat parochus Eccl. S. Stephani.

juſmodi quæſtionum, litteris conſignata, paginas implent omnino ad quinquaginta ſupra quadringentas. Ex his autem dignoſci poteſt, quanta olim fuerit, & vigeret adhuc amplitudo ac dignitas civitatis, eccleſiæ, diœceſeos Tininienſis: inde ſiquidem apparet cœtum nobilium diſtinctum fuiſſe, & ſegregatum a plebe, ceteriſque civibus ordinis inferioris. Ex illis deligi ſolebant judices ac primarii magiſtratus; quorum aliquot epiſtolæ latinæ inter illas quæſtiones recitatæ ſunt, ipſiſque actis inſertæ: in his *Nobiles* ſe ipſi appellant, ſibique alios perhonorificos titulos inſcribunt. Indidem etiam eminet nobilitas & præſtantia Capituli Tininienſis, quod neque numero Canonicorum, neque honorum ac dignitatum gradibus videtur inferius eſſe, quam cetera Capitula Eccleſiæ Dalmaticæ. Ibi nominatur *Archidiaconus Xhroatenſis*, quo quidem cognomine etiam Epiſcopus ex antiqua conſuetudine afficitur; *Primicerius*, & *Cuſtos*: quæ quidem poſtrema dignitas pleriſque Hungaricis Canonicorum collegiis communis fuit. Hic quæſtoris munere fungebatur; apud eum depoſita ſervabantur acta & privilegia Capituli, eique commiſſa erat tum curatio & adminiſtratio ſacri theſauri, tum in primis cuſtodia ſigilli capitularis; cujus tabulis publicis privatiſque imprimendi penes hunc unum poteſtas erat: quanta autem ſigillo Capituli Tininienſis ineſſet auctoritas ad fidem faciendam, alio loco declaratum eſt. Cuſtos, idemque Vicarius generalis erat per eos annos Andreas Bacharavichius, ad quem in tabulario curiæ archiepiſcopalis extat epiſtola Viti de Ruſchis ſupra laudati, quæ data eſt anno 1495. inſcriptaque *Andreæ Bacharavich, Canonico, & Vicario Eccleſiæ Tinien.* In iiſdem actis elucet nobilitas oppidorum, & eccleſiarum, quæ ſuberant Epiſcopo Tininienſi. Quædam ex his erant titulo ac dignitate Archidiaconi conſpicuæ. Inter alios Archidiaconos hujus diœceſis longe præſtabat Archidiaconus Verlicchæ munitiſſimi caſtelli prope a fontibus Tiluri, ſive Cetinæ fluminis, amplitudine juriſdictionis, numero tectorum, ac frequentia incolarum: hic ſiquidem parochos omnes Comitatus Verlicchenſis ſuæ poteſtati ſubjectos habebat. Idem confirmat epiſtola Thomæ Nigri, Vicarii generalis Bernardi Zannii Archiep. Spalatenſis, inſcripta *Venerabilibus & ſpectabilibus viris Archidiacono Verlecnenſi, cantori, cuſtodi, aliiſque Archidiaconis, & Canonicis Eccleſiæ Tinienſis; nec non plebanis ejuſdem diœceſis Tinienſis.* Servatur in tabulario curiæ archiep. Spalatenſis. Jam vero ut exitum illius controverſiæ, de qua dicebam, paucis ſubjungam, Vitus judex ab Sede Apoſtolica delegatus, poſt cauſſam illam accurate riteque cognitam, templum & Sacerdotium S. Stephani extra muros Thomæ Radovichio adjudicavit, cui electio, quam antea fecerat Nicolaus, & favor Britii Epiſcopi ſuffragabatur. Repulſam, ſive ſententiam contra ſe latam, ægerrime tulit Paullus Potacichius; & doloris ſui ulciſcendi cauſſa, tum novo parocho S. Stephani, tum ipſi Epiſcopo plurimas moleſtias exhibuit; neque antea utrumque quibuſcumque poterat modis vexare deſiit, quam vivendi finem fecit. In tabulario ſupra laudato extat epiſtola ejuſdem Viti Epiſcopi Dumnenſis ad Banum Chrobatiæ & Slavoniæ, atque ad Britium Epiſcopum Tininii cum hac inſcriptione: *Vitus de Ruſchis Dei & Apoſt. Sedis gratia Epiſcopus Dumnenſis, Rev. in Chriſto Patris & Dom. D. Bartholomæi Averoldi miſer. div. Archiepiſcopi Spalat. locumtenens & Vic. gen., judex & executor a S. Sede delegatus & deputatus, magnifico & potenti Domino Bano Croatiæ, & Sclavoniæ, cujus vitæ, bonis, & proſperitatibus augmentum; nec non Rev. in Chriſto Patri D. Britio Dei & Ap. Sedis gratia Epiſcopo Tinninien. &c. Dat. Spal.* 1495. Huic Eccleſiæ Britius præfuit uſque ad annum 25. ſæculi decimi ſexti; niſi quis alius inter hunc & Franciſcum, de quo mox dicturi ſumus, Epiſcopus interjectus fuerit, cujus nomen ac memoriam oblivio delevit.

Paroecia S. Stephani adjudicata Thomæ Radovichio.

Intra hos annos Tinninium a Turcis captum eſt, neque ante finem ſæculi ſuperioris Turcica ſervitute exemptum in poteſtatem Venetorum conceſſit. Anno 1520. Solimanus Turcarum Imperator Ludovico II. Hungariæ regi bellum intulit; & vel eodem anno, ut Szentivanius tradit, vel biennio poſt, ut alii docent, Hungaris Tininium eripuit. Nec vero deinde creari deſierunt Epiſcopi Tinninienſes; ſed cum illis ſub Turcarum imperio tuta non eſſet ſtatio Tininienſis, ſedes veluti precarias in alienis diœceſibus quærere, & domicilium ibidem collocare neceſſe habuerunt. Rerum vero ſacrarum adminiſtratio, & cura gregis Tinninienſis commiſſa fuit Patribus Franciſcanis, qui in illis locis Turcicæ ditionis reliquias chriſtianæ religionis tuentur, & gentes illas evangelicis præceptis erudiunt, ac divinis myſteriis impertiunt. In actis conſiſtorialibus invenio, *Titulum Eccleſiæ Croacenſis in partibus infidelium Matthiæ de Vado* collatum fuiſſe: 1512. 20. *Aprilis providit* (Leo X.) *in titulum D. Matthias de Vado de Eccleſia Croacenſi, in regno Raſſiæ, ſub Metrop. Spalaten. in partibus infidelium, conceſſitque licentiam exercendi pontificalia in civitate & diœceſi Boſnen. de conſenſu Epiſcopi, & quod non teneatur &c.* Utrum hæc pertineant ad Tinninienſem, ſive Chrobatienſem Eccleſiam, addubitare cogit ratio temporis, & loci poſitio. Anno ſiquidem 1517. nondum civitas & Eccleſia Tinninienſis dominatum Turcicum ſubierat, nec dici poterat conſtituta in partibus infidelium; longe vero aberat ab regno Raſciæ, in quo poſita eſſe dicitur. Verum ſi Metropolitæ Spalatenſi ſuberat, nullam intra fines provinciæ Spalatenſis Eccleſiam invenio præter Tinninienſem, in quam vocabulum *Croacenſis* convenire poſſit. Ad rationem temporis quod attinet, induciæ octo annorum, quas Hungari an. 1501. cum Turcis pepigerant, ac trium inſuper annorum, quæ anno 1509. additæ fuerunt, jampridem exierant, & rurſus bellum apparari, ac levibus præliis in Slavonia & Hungaria geri cœperat. Præterea quamvis nullum cum Turca juſtum eſſet ac legitimum bellum, ſæpe tamen ab Turcis finitimis in Dalmatiam excurſiones fieri, villæ diripi atque incendi, hominum pecudumque prædæ abduci ſolebant. Nec vero abſimile eſt ante annum 1517. inter has tumultuarias incurſiones Tinninium repentino barbarorum adventu impetuque captum fuiſſe; nam etiam Szentivanius tradit oppidum illud a Turcis *limitaneis*, non juſti more belli oppugnatum, ſed improviſo quodam aſſultu direptum eſſe. Ita fit ut Tinninium eo anno, cum Matthiæ collatus eſt titulus illius eccleſiæ, jam eſſet ſub poteſtate Turcarum, ideſt *in partibus infidelium*. Poſitio etiam loci Tinninio non inepte

Tinninium a Turcis captum.

Matthias de Vado an numerandus inter Epiſcopos Tininienſes?

epte accommodari poteſt. Raſcia quidem longe diſtabat; ſed Stephanus Tuartkus Raſciæ idem ac Boſinæ rex, Tinninio potitus, id oppidum, cum neque ad Boſinam, neque ad principatum Chelmenſem, neque ad partes maritimas pertineret, (quas omnes regiones ille poſſidebat) maluit regno Raſciæ adſcribere: ex quo factum eſt, ut inter urbes regni Raſciani locum habere ac nominari cœperit. Niſi hæc interpretatio, vel alia hujuſmodi adhibeatur ad explicandas tabulas conſiſtoriales ſupra laudatas, non reperio quid cauſſæ eſſe poſſit, cur eccleſia illa *Croacenſis* ſub metropoli Spalatenſi collocetur. Ceterum haſce meas conjecturas non tanti facio, ut *Matthiam de Vado* in catalogum Epiſcoporum Tinninienſium referre audeam.

FRANCISCUS II. EP. TINNIN. XXXVI.

De quo nihil memoriæ proditum eſt præter nomen, patriam, ac tempus ſuſcepti Epiſcopatus apud Auctorem Viridarii Seraphici in catalogo Antiſtitum ex ordine Minorum S. Franciſci: *Anno* 1525. *F. Franciſcus de Schio* (oppido agri Vicetini) *Epiſcopus Croatenſis* (ideſt Tinninienſis) *in Sclavonia*.

ANDREAS EP. TINNINIENSIS XXXVII.

Hic non aliunde nobis innotuit, niſi ex Martino Szentivanio, qui ejus initia epiſcopalia refert ad annum 1539. & ex tabulis conſiſtorialibus, in quibus Andreæ vita functo ſubrogatus eſt anno 1550.

MATTHIAS EP. TINNINIENSIS XXXVIII.

Matthias Ep. Tin. translatus ad Eccleſ. Varadinen.

Julius III. Pontifex Max. *anno* 1550. 4. *Julii*, ut eſt in tabulis modo laudatis, *providit Eccleſiæ Tinnienſi vacanti per obitum Andreæ de perſona D. Matthiæ Saberdini Presbyteri Zagrabien. diœceſis, ipſumque illi in Epiſcopum præfecit & paſtorem cum clauſulis &c. fructus centum floren. taxa* 150. Hos fructus Menſa epiſcopalis percipiebat ex quibuſdam prædiis ſitis fortaſſe extra Turcicam ditionem. Ad hanc ſcilicet redituum tenuitatem redacta fuerat eccleſia olim opulentiſſima, præſertim poſtquam ſub poteſtatem ac ſervitutem Turcarum ceciderat. Poſt quadriennium translatus eſt ad Eccleſiam Varadinenſem, ut eſt in iiſdem tabulis, anno 1554. 25. Junii. *Abſolvit Matthiam Saberdinum Epiſcopum Tinnienſem a vinculo, quo dictæ eccleſiæ tenebatur, & ad Varadienſem tranſtulit*.

PAULLUS II. EP. TINNINIEN. XXXIX.

Idem Pontifex, & eodem die, quo ſedem epiſcopalem Tinninienſem translatione Matthiæ vacuam fecit, in eadem collocavit Paullum, quem ex Archidiacono Eccleſiæ Zagrabienſis Epiſcopum creavit, facta eidem poteſtate priſtinæ dignitatis retinendæ cum annuis proventibus huic annexis, quibus compenſarentur tenues reditus Menſæ epiſcopalis: *Eodem die providit Eccleſiæ Tinnienſi vacanti per translationem Matthiæ ad Eccleſiam Varadienſem, de perſona D. Paulli de Churina Archidiaconi Eccleſiæ Zagrabien. ipſumque illi in Epiſcopum præfecit & paſtorem, cum retentione Canonicatus, & præbendæ, & Archidiaconatus dictæ eccleſiæ. cum clauſulis &c. fructus centum floren. taxa* 150. Idem Julius III. anno 1554. in ſuis litteris ad Zachariam Sedis Apoſtolicæ internuncium apud Ferdinandum Imp. confirmans Epiſcopos Hungariæ ab eodem Ferdinando nominatos, eum vocat *Paulum de Hutnya Tinienſ.* Præfuit annos circiter duos; nam anno 1556. in diplomate Ferdinandi regis Hungariæ Sedes Tinninien. vacare dicitur.

JOANNES IV. EP. TINNINIENSIS XL.

Joannes IV. Epiſc. Tin. translatus ad Vacienſem Eccleſiam.

Martinus Szentivanius in catalogo Epiſcoporum Tinninienſium Paullo Joannem proxime ſubrogatum eſſe ait anno 1558. & cognominatum fuiſſe *de Vyllach*, ab oppido fortaſſe, unde oriundus erat. Hunc Epiſcopatum anno tertio, quam ſuſceperat, cum Vacienſi commutavit.

ANDREAS II. EP. TINNINIENSIS XLI.

Andreas Ep. Tin. cleri Hungarici orator ad Concil. Trid.

Natione Hungarus, cognomento Duditius Sbardellatus, vir magno ingenio, multiplici doctrina & ſingulari eloquentia præditus, nec minus rerum gerendarum peritus. Erat præpoſitus S. Stephani, quod templum & ſacerdotium eſt eccleſiæ ac diœceſis Strigonienſis, copioſis vectigalibus dotatum. Anno 1562. v. Kalendas Februarii, ut Szentivanius tradit, renunciatus eſt Epiſcopus Tinninienſis; eodemque anno ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, & clero univerſo Hungariæ legatus, una cum Joanne Coloſvario Epiſcopo Chanadienſi, miſſus ad Concilium Tridentinum, VIII. Id. Aprilis in frequentiſſimo Patrum conventu orationem habuit, graviſſimis verbis ſententiiſque plenam; in qua cum multa de laudibus Pii IV. Pontificis Maximi, legatorum Sedis Apoſtolicæ, Olahi Archiepiſcopi & Primatis Strigonienſis, ac ceterorum Antiſtitum Hungariæ; item de ſtatu Eccleſiæ Hungaricæ, de religione ac pietate Hungarorum, ornate ac præclare dixiſſet, tum vero cauſſas diligenter expoſuit, quæ impedimento erant, quominus Concilio adeſſe poſſent Epiſcopi Hungariæ, quos ab ſuis eccleſiis diſcedere vetabat graviſſimum illud periculum, quod populis eorum fidei commiſſis non ſolum ab hæreticis, quorum regio univerſa erat referta, ſed etiam a Turcis finitimis imminebat. Hæc oratio quamvis longior eſſet, quam ferebat conſuetudo, & ceteris rebus, de quibus in eo congreſſu agendum erat, tempus præripuerit; tamen & audita eſt attentiſſime, & propter elegantiam & copiam latinæ dictionis, cum dignitate ac venuſtate actionis conjunctam, incredibili omnium voluptate & approbatione excepta fuit, ut præterlapſi temporis, ademptique aliis graviſſimis negotiis & conſultationibus neminem pœniteret: id quod Cardinales præſides Concilii in ſuis ad Pontificem litteris ſumma cum oratoris laude ſignificarunt. Alteram orationem habuit ſeſſione quinta ſub Pio IV. XVII. Kalendas Auguſti de diviniſſimo Euchariſtiæ Sacramento, doctam in primis & gravem, copioſiſſimam atque ornatiſſimam; in cujus extrema parte Patribus Tridentinis perſuadere ſtuduit, ut populis expetentibus uſum calicis ne denegarent. Hac legatione perfunctus, & poſt abſolutum Concilium, Tinninienſi depoſito, Epiſcopatum Quinqueccleſienſem ſuſcepit. A Maximiliano II. Imperatore legatus in Pannoniam miſſus ad Sigiſmundum regem, continentiæ ac reli-

Translatus ad Epiſcopat. Quinqueccleſien. a religione catholica deficit.

religionis naufragium fecit; & per ſummum dedecus epiſcopalis nominis atque ordinis a fide catholica deſcivit, ut cujuſdam puellæ, quam deperibat, ſacrilegis nuptiis potiretur. Nihil non egit Pius IV. ut ab illo turpiſſimo lapſu ac ſempiterno interitu hominem revocaret; obſtinatum & contumacem epiſcopali dignitate exutum, & graviſſimo anathemate percuſſum ab eccleſia ſegregavit. Ærumnoſam deinde, & conſcientiæ angoribus plenam vitam in magna egeſtate traduxit, æque catholicis, atque hæreticis, ſibique ipſe inviſus; demum ſubita apoplexia correptus miſere interiit.

STEPHANUS EP. TINNINIENSIS XLII.

Cum ampliſſimo Conſiliarii Cæſarei munere illuſtre ac princeps monaſterium S. Martini de ſacro monte in Pannonia ſibi commendatum obtinebat, ejuſque vectigalibus ſane opulentis fruebatur. Eidem Maximilianus Imperator, idemque rex Hungariæ, titulum Epiſcopatus Tinninienſis aliquot jam annos vacantem contulit, Pius vero V. confirmavit, ut docent tabulæ conſiſtoriales: *26. Januarii 1571. providit Eccleſiæ Thinnien. in Croatia provinciæ Spalatenſis ad præſentationem Cæſareæ majeſtatis regis Hungariæ, per translationem Andreæ Bardellat ad Eccleſiam Quinqueccleſien. alias factam vacanti, de perſona R. D. Stephani Fejerkovi majeſtatis ſuæ Conſiliarii, in ſacro Presbyteratus ordine conſtituti, & fidem catholicam rite profeſſi; ipſumque dictæ Eccleſiæ in Epiſcopum præfecit & paſtorem, cum retentione monaſterii Archiabbatiæ S. Martini ſacri montis Pannoniæ, quod in commenda obtinet, aliorumque compatibilium, ut commodius ſuſtentari poſſit, cum Epiſcopatus ipſe omni reditu & fructibus a Turcis ſit ſpoliatus; ipſi vero eccleſiæ ob eam cauſam providetur, ut ſi qui ſuperſunt chriſtiani ſub tyrannide immaniſſimi Turcæ, poſſint induciarum tempore aliqua ſpirituali conſolatione recreari; ſic etiam ut in comitiis, aliiſque negotiis Hungaricis, ordo eccleſiaſticus, qui penes Epiſcopos eſt, (omnis enim Hungaria in tres ordines diſtributa eſt, eccleſiaſticorum, baronum, & nobilium) uno ſuffragio juvetur; & cum diſpenſatione, eo quod dictus Stephanus electus non eſt Doctor, neque ab aliqua Univerſitate doctrinæ ſuæ teſtimonium habet, cum propter conſuetudinem illius provinciæ, in qua Doctores fieri non conſueverunt, tum vero quia conſtat ipſum virum eſſe eruditum, veterem Sacerdotem, & Cæſareæ Majeſtatis rerum Hungaricarum togatum Conſiliarium; & cum abſolutione &c.*

Sub imperio Turcarum Epiſc. Tinniniēſes lege reſidendi exempti.

Jampridem Epiſcopi Tinninienſes titulo tenus creari ſolebant, lege ſedendi ad gubernacula illius eccleſiæ exempti, ſolutique ab omni ferme cura & adminiſtratione epiſcopali; præſertim poſtquam Turcæ omnes eccleſiaſticos proventus interverterant, ne illis quidem relictis centum annuis argenteis, quos ſuperioribus annis menſa epiſcopalis percipiebat: id tamen oneris impoſitum illis fuit, ut dum eſſent cum Turcis induciæ, ſi per hos liceret, identidem inviſerent, curarentque quod in illis ſupererat gregis chriſtiani; & quidquid poſſent humani divinique ſubſidii ac ſolatii, eidem præberent. Jus nominandi Epiſcopos non ſolum Tinninii, ſed etiam aliarum civitatum, quæ olim ad ditionem regni Hungarici pertinebant, quamvis ſub aliorum dominatum tranſiiſſent, reges Hungariæ retinuerunt, atque etiamnum retinent; quamvis eorum pleriſque nihil aliud, niſi honorarios epiſcopales titulos ab omni actione & juriſdictione vacuos conferant: id autem regno pariter ac religioni perutile eſt. Plurimum enim rei publicæ, & catholicæ intereſt non imminui numerum Epiſcoporum, quibus jus eſt adeundi conventus generales Hungaricos, ſuffragia ferendi, ſententiæque dicendæ: in illis ſiquidem de ſumma rerum civilium & eccleſiaſticarum conſuli ac deliberari ſolet. Itaque in iiſdem ſua retinent ſubſellia fere omnes Dalmatiæ Epiſcopi, quorum vicem præſtant, ac perſonam gerunt umbratiles quidam Epiſcopi ab regibus Hungariæ nominati. Exinde igitur nunquam creari deſierunt Epiſcopi Tinninienſes, quos reges Hungariæ eligunt, Pontifices Romani confirmant. Horum autem abſentiam ſupplent præpoſiti parœciarum, ac Patres Franciſcani, qui rem chriſtianam in illis locis diligentiſſime curant, & populis illis tum divinæ legis præcepta tradunt, tum pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſacramenta miniſtrant. Jam ad Stephanum ut redeamus, cum annos duos, ac menſes fere quatuor titulum Epiſcopi Tinninienſis retinuiſſet, translatus eſt ad regendam Eccleſiam Veſprimienſem, eique ſuffectus

Stephanus ad Eccleſ. Veſprimienſem translatus.

ZACHARIAS EP. TINNINIENSIS XLIII.

Quem a Maximiliano II. Imperatore ac rege Hungariæ deſignatum, Gregorius XIII. huic eccleſiæ præfecit, ut eſt in tabulis conſiſtorialibus: 1573. 15. *Maji abſolvit Stephanum Epiſcopum Tinienſem a vinculo dictæ eccleſiæ, & tranſtulit ad Veſprimienſem; eodem die providit Eccleſiæ Tinien. in eodem regno per ſupradictam translationem vacanti, de perſona Dom. Zachariæ Moſſocz, ipſumque dictæ eccleſiæ in Epiſcopum præfecit, & paſtorem, cum diſpenſatione gradus doctoratus, & cum retentione beneficiorum, quæ obtinet.* Poſt quinquennium relicta Tinninienſi ad Vacienſem Eccleſiam tranſivit, ut eædem tabulæ docent. 1578. 29. *Octobris. Abſolvit Zachariam Moſſoczium Epiſcopum Tinienſem, & tranſtulit ad Eccleſiam Vacienſem.* Poſtea Tinninienſis Eccleſia ſex ipſos annos Epiſcopo caruit.

Zacharias Ep. Tin. ad Vacienſem Eccleſiam translatus.

Interregnū epiſcopale.

PETRUS III. EP. TINNINIENSIS XLIV.

Erat præpoſitus Eccleſiæ Zagrabienſis, idemque Abbas. Cum utroque Sacerdotio conjunxit Epiſcopatum Tinninienſem ex nominatione Rodulphi Cæſaris, regiſque Hungariæ, & auctoritate apoſtolica Gregorii Papæ XIII. 28. *Auguſti* 1584. *Ad nominationem Sereniſs. Cæſaris Ung. regis providit Eccleſiæ Tinienſi, ſub Turcarum tyrannide, per translationem Zachariæ Epiſcopi ad Eccleſiam Vacienſem vacanti, de perſona R. P. D. Petri Hereſſyuezii* (aliter *Hereſinzi*) *Præp. Zagrabien. & Abbatis in Giach, in ſacro Presbyteratus ordine jam a multis annis conſtituti, cum diſpenſatione gradus doctoratus, cum in ſtudiis ſit verſatus, & cum retentione dictarum Præpoſituræ, & Abbatiæ, & cum gratia expeditionis &c.* Sexto poſt menſe Tinninienſem cum Eccleſia Zagrabienſi commutavit: Interregnum epiſcopale annos quatuor & menſes circiter quinque tenuit.

Petrus III. Ep. Tinninien. translatus ad Eccl. Zagrabien.

Interregnū epiſcopale.

JOAN-

JOANNES V. EP. TINNINIENSIS XLV.

Huic Cherodio ſive *Eſerodi* cognomen fuit. Erat natione Hungarus, præclara eruditione atque doctrina ornatus, Canonicus idem ac præpoſitus Eccleſiæ Strigonienſis. Rodulphus Cæſar ei contulit Epiſcopatum Tinninienſem, collatum approbavit Sixtus V. Pontifex Maximus, 1589. 20. *Februarii. Ad nominationem Sereniſs. Cæſaris regis Hungariæ providit Eccl. Tinnien. in Croatia ſub Turcarum tyrannide exiſtenti, ac per translationem Petri ad Eccl. Zagrabien. vacanti, de perſona R. D. D. Cherodii natione Ungari, doctrina commendati, licet gradu aliquo inſignitus non ſit, ſupra quo ſua Sanctitas diſpenſavit, ipſumque cum retentione præpoſituræ S. Stephani, & Canonicatus, & duorum altarium in Eccleſia Strigonienſi, & cum integra jurium remiſſione.* Obiit an. 1600. Ceterum apud Nicolaum Schmitth *Sedes Tinnien.* vacaſſe dicitur an. 1593.

MATTHIAS II. EP. TINNINIEN. XLVI.

E nobiliſſima gente Draſcovitia oriundus erat, & Presbyter diœceſis Senienſis in Dalmatia, quem Rodulphus Imperator nominavit, Clemens VIII. Pontifex creavit Epiſcopum Tinninienſem: *Anno* 1600. 20. *Decembris ad nomin. Cæſar. Majeſt. providit Eccleſiæ Tinnienſi vacanti per obitum Joannis de perſona Matthiæ Draſchovicii Presb. diœc. Segnien. cum diſpenſatione ſuper defectu gradus &c.*

GEORGIUS II. EP. TINNINIEN. XLVII.

Cognomento Matthiſius; abeſt a tabulis conſiſtorialibus, ſed catalogo Epiſcoporum Tinninienſium infertus eſt a Szentivanio, qui primordia initi Epiſcopatus in annum 1608. confert.

PAULLUS III. EP. TINNINIEN. XLVIII.

Paullus translatus ad Eccleſ. Veſprimienſem.

Alterum ei nomen vel cognomen fuit *David*. Epiſcopatum Tinninienſem ſuſcepit anno 1610. ut docet Szentivanius, tenuit annos 24., depoſuit anno 1634. translatus ad Eccleſiam Veſprimienſem.

JOANNES VI. EP. TINNINIEN. XLIX.

Alias *Jovanczius*, alias *Juvanez* cognominatur. Præpoſitus erat & Canonicus Eccleſiæ Jaurinenſis, de quo in tabulis conſiſtorialibus: 1634. 26. *Junii providit* (Urbanus VIII.) *Eccleſiæ Tinnienſi vacanti per translationem Paulli David ad Epiſcopatum Veſprimienſem de perſona Joannis Juvanez, nominati a Cæſare* (Ferdinando II.) *cum retentione Canonicatus, & majoris præpoſituræ in Eccleſia Jaurinenſi, & cum condonatione jurium; ex eo quod bona illius Eccleſiæ a Turcis detineantur.* Præfuit annos fere quatuordecim.

GEORGIUS III. EP. TINNINIENSIS L.

Ex ordine Franciſcano ſeverioris obſervantiæ ad hunc Epiſcopatum aſſumptus, atque poſtulatus a Ferdinando III. Imperatore ac rege Hungariæ: vir eximiæ religionis ac doctrinæ, cui *Bcalovichio* cognomen fuit. Innocentius X. regiæ poſtulationi annuit, & penſionem annuam aſſignavit, unde illi ſuppeteret quod ſatis eſſet ad victum cultumque, dignitati epiſcopali congruentem: *Anno* 1648. 8. *Januarii providit Eccleſiæ Tinnienſi vacanti per obitum Joannis Juvanzii de perſona F. Georgii Bialovich, ordinis Min. S. Franciſci de obſervantia, nominante Cæſare, cum aſſignatione congrua, prout alias in decreto rerum conſiſtorialium continetur.* Optimo præſuli ſpes affulſit eccleſiæ ac ſedis ſuæ Tinninienſis recuperandæ. Anno ſiquidem 1648. cum Dalmatia quoque bello Cretico arderet, Leonardus Foſculus Veneti exercitus imperator copias ad Tinninium oppugnandum ducere ſtatuit. Quamvis civitas & arx natura & loco egregie munita eſſet, tamen ſimul eſt allatum Venetos adventare, Turcæ animo deficientes, effuſi portis, in proximos montes pavidi perfugerunt. Foſculum nullo certamine urbe atque arce potitum deliberatio dubia paullisper tenuit, utrum illam, velut clauſtrum provinciæ, inſideret præſidio, an excideret; ſed cum a finibus longe diſtaret, neque imminuendas copias conferet, tormentis atque aliis, quæ avehi in regione valde aſpera & prærupta ſine magno labore non poterant, corruptis, muros ac tecta ſolo æquavit, concremavitque. Tinninium a Venetis deſertum præfectus Boſinæ refecit, & novis operibus munitionibuſque ſepſit. Laurentius Delphinus, Foſculi ſucceſſor, an. 1654. cum copias ac duces Tinninium oppugnatum miſiſſet, Veneti repulſi ſunt, & prælio cum hoſtibus, qui ſubſidio venerant, commiſſo, damni non parum acceptum eſt. Ita Georgius Epiſcopus ſua ſpe deceptus neceſſe habuit ab eccleſia ſibi concredita, quoad vixit, perpetuo abeſſe: quippe dum bellum Cretenſe tenuit, omnem ad eam acceſſum hoſtes intercluſerant. Vivere deſiit anno 1667.

Tinninium captum a Venetis ac dirutum, quod recipiunt Turcæ.

CHRISTOPHORUS EP. TINNINIEN. LI.

F. Chriſtophorus Ep. Tin. Sibenici domicilium habuit.

De quo Martinus Szentivanius in catalogo: *F. Chriſtophorus de Rochas ordinis F. Franciſci de obſervantia, magiſter in Theologia, confirmatus 16. Januarii* 1668. Idem confirmant acta conſiſtorialia: 16. *Januarii* 1668. *providit* (Clemens IX.) *Eccleſiæ Tinnienſi in regno Boſinæ vacanti per obitum Georgii Bielavich, ad nominationem Cæſareæ Majeſtatis, uti regis Hungariæ,* (Leopoldi I.) *de perſona Fratris Chriſtophori de Rochas ord. S. Franciſci de obſervantia.* Romæ epiſcopali conſecratione inauguratus in Dalmatiam venit, & Sibenici domicilium ſibi ſtatuit; ex eaque urbe ſubmiſſis, quæcumque potuit, ſubſidiis gregem ſibi commiſſum juvare ſolarique non deſiit. Ibidem cum eſſet, aliquot Dalmatas adoleſcentes optima ſpe atque indole præditos delegit, quos ſacra doctrina erudiret, piiſque exercitationibus excoleret, ut apti evaderent idoneique ad Eccleſias Dalmatiæ regendas, & epiſcopalia munera obeunda. In horum numero fuit Joannes Vidovichius, qui cum e diſciplina doctiſſimi & ſanctiſſimi viri plurimum profeciſſet, electus eſt poſtea Epiſcopus Scardonenſis, ac deinde Eccleſiam Tragurienſem adminiſtravit; neque antea ab ejus latere & comitatu diſceſſit, quam Chriſtophorus, Viennæ cum eſſet, nominatus decretuſque fuit Epiſcopus Neoſtadienſis anno 1687.

E Tinninienſi Ep. Neoſtad.

ALE-

ALEXANDER EP. TINNINIENSIS LII.

Alexander Ep. Tin. translatus ad Zagrabien. Eccl. siam.

Alterum ei nomen fuit Ignatio, cognomen *Mikulichio;* eratque juris utriusque Doctor, ut Szentivanius tradit. Innocentius XI. Episcopatum Tinninienſem Alexandro ab Leopoldo Cæſare Hungariæ rege traditum approbavit: 24. *Novembris* 1687. *Providit Eccleſiæ Tinnienſi ad nominationem Cæſareæ Majeſtatis uti regis Hungariæ, vacanti per translationem Chriſtophori de Royas ad Eccleſiam Neoſtadien. de perſona Alexandri Mikulich, omnia prærequiſita habentis.* Vix integrum annum hujus Eccleſiæ Episcopatum retinuit, quem depoſuit, ut Zagrabienſem ſuſciperet.

BLASIUS II. EP. TINNINIENSIS LIII.

Cum eſſet præpoſitus major Eccleſiæ Strigonienſis, idemque Cancellarius regni Hungariæ, ab eodem, a quo deceſſor, Imperatore ac rege nominatus, eodemque Pontifice confirmatus eſt Episcopus Tinninienſis: 29. *Novembris* 1688. *Providit Eccleſiæ Tinnienſi vacanti per translationem Alexandri ad Eccleſiam Zagrabien. de perſona Blaſii Jacklin, omnia prærequiſita habentis.* Hoc eodem anno, qui fuit quartus belli Peloponneſiaci, Hieronymus Cornelius præfectus claſſis Venetæ, Tinninium adortus, tanta vi impetuque oppugnavit, ut intra paucos dies obſeſſos ad deditionem compelleret. Fama capti Tinninii tantum circa formidinis incuſſit, ut tum aliæ arces ſatis munitæ, tum pleraque loca diœceſis Tinninienſis, atque in primis Verlicca oppidum neque infrequens, neque invalidum, fere ſtatim ſine certamine in poteſtatem venirent. Ita demum Tinninium poſt Turcicam ſervitutem centum ac prope ſeptuaginta annorum ſub chriſtianum dominatum rediit, atque etiamnum feliciſſimo Venetorum imperio ſubeſt, quod ut ſibi perenne ſit atque perpetuum, votis omnibus exoptat. Ac tum quidem videbatur tempus eſſe opportunum reſtaurandi Episcopatus Tinninienſis, ſuæque Episcopo ſedis rurſus ibidem ſtabiliendæ. Sed cum civitas illa Turcarum illuvie ac ſordibus, cladibuſque bellicis deformata eſſet, ædes pontificiæ disjectæ, templum cathedrale ſubverſum; reditus epiſcopales alio diſtracti; nemo fuit, qui aut peteret, aut juberet ſuum Tinninienſibus Episcopum reſtitui. Quocirca penes reges Hungariæ permanſit poteſtas nominandi Episcopi Tinninienſis, qui titulum inanem, nudumque ab omni juriſdictione & functione gereret, ac tantum in conventibus & comitiis regni Hungariæ antiquum ſubſellium occuparet; quod vacuum eſſe, neque reipublicæ, neque religioni catholicæ conducebat. Omnis autem procuratio rei chriſtianæ tum in urbe, tum in diœceſi, in parochos & Patres Franciſcanos incubuit. Nunc hujus eccleſiæ ac diœceſis adminiſtratio commendari ſolet Episcopo Sibenicenſi. Blaſius Episcopi Tinninienſis perſonam ſuſtinuit annos fere quatuor, ad Eccleſiam Nitrienſem regendam acceſſit anno 1692.

Veneti Tinninium Turcis eripiunt.

Blaſius ad Nitrienſem Eccleſiam translatus.

NICOLAUS VIII. EP. TINNINIEN. LIV.

Vir haud divitiarum copia, quam generis nobilitate clarior; hunc ſiquidem e vetuſtiſſima atque opulentiſſima gente Eſtheraſia Leopoldus Imperator & rex Hungariæ delegit, deſignavitque Episcopum Tinninienſem, Innocentius vero XII. regiam electionem ac deſignationem approbavit: 6. *Octobris* 1692. *providit ad nominationem Cæſareæ Majeſtatis, uti regis Hungariæ, Eccleſiæ Tinnienſi vacanti per transl. Blaſii Jaklin ad Eccleſiam Nitrienſem de perſona D. Nicolai ex Comitibus Eſtharaſii Presbyt. cum diſpenſatione ſuper gradu &c.* Extinctus eſt anno 1696.

FRANCISCUS III. EP. TINNINIEN. LV.

E Presbytero diœceſis Ratisbonenſis, ut docet Szentivanius, quem Leopoldus nominaverat, Innocentius creavit Episcopum Eccleſiæ Tinninienſis: 11. *Aprilis* 1696. *providit Eccleſiæ Tinnienſi ad nominationem Cæſareæ Majeſtatis vacanti per obitum Nicolai Antonii Eſtheraſii, de perſona Franciſci Ferdinandi Rumel Presbyteri &c.* Anno circiter 1708. titulum Tinninienſis Eccleſiæ depoſuit, evectuſque eſt ad Sedem pontificiam Viennenſem.

Franciſcus III. Epiſc. Tinninien. deinde Viennenſis.

ANDREAS III. EP. TINNINIENSIS LVI.

De quo in tabulis conſiſtorialibus: 12. *Martii* 1708. *providit* (Clemens XI.) *Eccleſiæ Tinnien. vacanti per translationem Franciſci Ferdinandi Rumel ad Eccleſiam Viennenſem de perſona Andreæ Matuſſek Presbyteri Nitrienſis.* Obiit anno 1714.

GEORGIUS IV. EP. TINNINIEN. LVII.

Hunc e collegio Presbyterorum Eccleſiæ Strigonienſis Carolus VI. Imperator, idemque rex Hungariæ delegit, Clemens XI. confirmavit Episcopum Tinninienſem: 7. *Maji* 1714. *Ad nominationem Imperatoris, & regis Hungariæ, providit Eccleſiæ Tinnienſi vacanti per obitum Andreæ Matuſſek, de perſona Georgii Gyllany Presb. Strigonienſis.* De quo P. Nicolaus Schmitth Societatis noſtræ in ſuis ad me litteris pridie Id. Febr. anno 1762. Tyrnaviæ datis: *Georgius Ghilanye e vivis exceſſit Tyrnaviæ anno* 1728. *Erat natus e vetuſta nobilitate Hungarica. Multis annis fuit parochus & Canonicus Strigonienſis. Curam animarum in parochiis ſedulam geſſit. Vir meritis & ætate gravis moritur, Pater pauperum nominatus.* Idem P. Nicolaus vir præclara eruditione atque doctrina, qui ſeriem chronologicam & hiſtoricam Archiepiſcoporum Strigonienſium oppido laboriosam accuratamque contexuit, ac typis mandavit, nunc autem Agrienſium Antiſtitum nomina reſque geſtas deſcribere atque in ordinem temporum redigere molitur, duos reliquos honorario atque inani Episcopatus Tinninienſis titulo inſignitos perhumaniter mihi communicavit. Sunt autem hi:

ALEXANDER II. EP. TINNIN. LVIII.

Eodem anno 1728. *Tinninienſis Epiſcopus nominatur a Carolo VI. Imperatore* (*vel potius Carolo III. rege Hungariæ*) *Alexander Mariaſſy de Markusfalva. In comitiis regni anno* 1729. *& anno* 1741. *celebrati, ſubſcripſit cum reliquis Epiſcopis ac proceribus articulis ſeu conſtitutionibus in iis comitiis factis. Hic Alexander de Mariaſſy integritate vitæ, morum gravitate, ingentem nominis & ſanctimoniæ famam ſibi pepe-*

rit. Fuit Curio liberæ regiæque civitatis Caſſovienſis. Multos hæreticos ad ſinceram fidem traduxit. In foro Caſſovienſis urbis elegantem ſtatuam B. M. V. erexit. Fit Canonicus Agrienſis Eccleſiæ, dein Præpoſitus Scepuſienſis. Ejus titulus erat: Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus Alexander Mariaſſy de Maskusfalva Epiſcopus Tinninienſis, Præpoſitus inſignis collegiatæ eccleſiæ S. Martini de Scepuſio, Archiepiſcopatus Strigonienſis per diſtrictum Scepuſienſem in ſpiritualibus Vicarius, & cauſarum auditor generalis. Moritur anno 1755. die 19. Aprilis.

JOSEPHUS CAROLUS EP. TINNIN. LIX.

Joſephus Carolus Zbisko Ep. Tinninien. adhuc vivit.

Succeſſit eodem anno 1755. Alexandro Mariaſſy tum in Epiſcopatu Tinninienſi, tum in præpoſitura Scepuſienſi Joſephus Carolus Zbisko de Kis Kolacſin. Studia ſua in noſtra Univerſitate Tyrnavienſi, nempe Philoſophiæ ac Theologiæ abſolvit, ubi Doctor SS. Theologiæ renunciatus an. 1737. Fuit parochus oppidi Dioleg in archidiœceſi Strigonienſi. Fuit etiam ſecretarius ſive ab epiſtolis Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini Lib. B. Franciſci Xaverii Klobuſiczki archi-diœceſis Strigonienſis Vicarii generalis. Egit præterea parochum in oppido Eſſek-Vivar: ubique ardens promovendi cultus divini. Cooptatur ſubinde in numerum Canonicorum Strigonienſium, dein promotus ad præpoſituram inſignis collegiatæ Eccleſiæ Poſonienſis ad S. Martinum. Denique nominatur a Maria II. ſeu Maria Thereſia Epiſcopus Tinninienſis ac Præpoſitus Scepuſienſis. Ex titulo ejus plura erui poſſunt, qui eſt hujus tenoris: Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus D. Joſephus Carolus Zbisko de Kis Kolacſin, Epiſcopus Tinninienſis, præpoſitus inſignis collegiatæ eccleſiæ S. Martini de Scepuſio, Archiepiſcopatus Strigonienſis, per diſtrictum Scepuſienſem, in pontificalibus ſuffraganeus, in ſpiritualibus Vicarius, & cauſarum auditor generalis, Eccleſiæ Metrop. Strigonien. Canonicus, Archidiaconus Scepuſiens., S. C. & R. A. M. (Sacræ Cæſareæ & Regiæ Apoſtolicæ Majeſtatis) *Conſiliarius, & ad excelſam tabulam ſeptem-viralem aſſeſſor. Vivit etiamnum, & ſuis muneribus ſtrenue fungitur.*

Nunc Eccleſia Tinninienſis commendata eſt Ep. Sibenicenſi.

Hactenus P. Nicolaus Schmitth, qui *veriſſimum eſſe* ait, quod ſupra monui, reges Hungariæ *jus retinere nominandi Epiſcopos Tinninienſes, hoſque ad publica comitia vocari, legibus patriis ibi inſtitutis ſubſcribere*. Eccleſiæ vero ac diœceſis Tinninienſis adminiſtratio nunc commiſſa eſt Epiſcopo Sibenicenſi, ad quem pertinet parochos curatoreſque animarum Tinninio ceteriſque ejuſdem diœceſis locis præpoſitos confirmare, & quæ ſunt juris epiſcopalis munera & officia ibidem peragere; cum antiſtites illi Hungarici, præter titulum ab hac eccleſia mutuatum, nihil juriſdictionis ac poteſtatis ibidem habeant.

EPIS-

EPISCOPI TRAGURIENSES.

Regio ac positio Tragurii.

IN ea litoris Dalmatici regione, quæ post Hyllim peninſulam ad orientem vergit, ſeptem colles in modum hemicycli, primum quidem facili mollique aſcenſu, deinde arduo ac prærupto jugo aſſurgunt; pars ſuperior horrida atque aſpera omnem culturam reſpuit, inferior peramœna eſt, & vineis atque arboribus conſita. Duo colles extremi, alter ab occaſu ceteris ſublimius eminet, alter ab oriente paullo humilior in paludem deſinit, quam aquæ ex alto ſtagnantes efficiunt; alii longius, alii propius ab urbe & mari diſtant. Planities intermedia in ſolem meridianum obverſa paullulum declivis eſt, fructuum cujuſque generis & paſcuorum ferax. Huic inſidet Tragurium, civitas Dalmatiæ antiquiſſima, quam mari undique circumfuſam iſthmus peranguſtus continenti annectit. Strabo & Ptolemæus Tragurium inter inſulas, Plinius, Itinerarium Antonini, Tabulæ Peutingerianæ inter urbes oræ maritimæ annumerant. Pomponius Mela ſemel atque iterum Tragurium nominat, ac primum quidem civitatibus litoralibus, deinde vero inſulis interjecit. Straboni & Ptolemæo errorem præbuit, quod iſthmus ille, cum loci natura depreſſior eſſet, ob crebros æſtus maritimos aquis identidem ſuperfuſus non appareret, tranſitumque omnem ad litus continentis intercluderet; atque ut ex uno in alterum errorem proclivis eſt lapſus, videntur exiſtimaſſe Tragurium & Boam inſulam Tragurio proximam, ac ponte intermedio conjunctam, unam eſſe eamdemque inſulam; quippe hanc inſulam neuter nominavit. Tragurienſes ne ſibi acceſſum ad agros & colles obſtruerent hujuſmodi exundationes æquoreæ, quibus ſolum utrimque adjacens obducitur, limoque paluſtri oppletur, pontem lapideum iſthmo impoſitum ædificarunt, longum paſſus quadraginta, quem quindecim fornices ſulciebant. Hunc vero pontem cum anno 1648. ob bellum Turcicum dirui oportuerit, animadverſum eſt pilas illas, quibus fornices incumbunt, nulla palorum munitione ſuſtineri ac firmari, quod fieri aſſolet, cum in aquis aut locis limoſis fundamenta ædificiis ſubſtruuntur; ſed ſolo ſtabili & firmo inniti, ipſiſque defixas eſſe radicibus ſaxoſis & glareoſis, quas longe protendit collis urbi propinquior, cui ab *Cuſtodia* cognomen eſt; in ejus quippe vertice excubiæ ad cuſtodiam civitatis collocantur. Hinc vero ſatis perſpicue intelligitur iſthmum illum non manufactum, ſed ab ipſa natura fabricatum fuiſſe; ac proinde Tragurium non eſſe in inſula, ſed in peninſula ſitum. Conſtantinus Porphyrogenitus de adminiſt. Imp. cap. 29. inſulam quidem vocat Tragurium, fatetur tamen aggere quodam interjecto cum litore conjungi: *Urbs Tetragurium parva quædam in mari inſula eſt, anguſtiſſima cervice ponticuli inſtar ad terram uſque porrecta, qua oppidani in urbem tranſeunt.* Tragurio a meridie proxime objacet inſula Bua, quam Boam, & Bubuam veteres appellabant. Interpoſitus eſt pons verſatilis, qui ultro citroque commeantibus tranſitum præbet; hoc vero ſublato introitum aperit, qua naves erectis antennis trajicere, atque ad urbem adire poſſint. Inſulæ tergum urbi obverſum loco ſuburbii eſt, colitur enim & habitatur frequentiſſime. Ejuſdem inſulæ objectu portus efficitur, capax navigiorum cujuſque generis, ad quem ab occaſu & oriente duobus oſtiis aditus patet.

Bua inſula Tragurio objacens.

Iſſeiconditores Tragurii.

Strabo auctor eſt Tragurium ab Iſſeis conditum fuiſſe, anno ſcilicet ante Chriſtum fere tercenteſimo & octogeſimo quarto; ex quo fit, ut nulla ſit hodie in univerſa ora Dalmatica civitas, cujus ſit vetuſtior certiorque memoria. Iſſa eſt inſula Dalmatiæ paſſuum millia circiter viginti quinque a continente disjuncta. Celebre olim fuit Iſſeorum nomen, & cum ceteris opibus, belliciſque laudibus, tum præſertim rei navalis gloria ante florebant, quam Romani primum Illyricis bellum inferrent. Oriundi erant e Syracuſiis, quorum coloniam Dionyſius ſenior in eam inſulam deduxit. *Iſſa nomine inſula eſt*, ait Scyllax, *continens Syracuſiorum coloniam*. Joannes Lucius exiſtimat Tragurium eo tempore conditum fuiſſe, cum præfectus claſſis Dionyſianæ decem millia Illyriorum, ut eſt apud Diodorum, partim cepit, partim cecidit; hi ſiquidem Parios oppugnatum venerant, qui ex Paro inſula maris Ægæi profecti, invectique in Adriaticum mare, Dionyſio adjutore inſulam ejuſdem maris occupaverant, ibique urbem condiderant, quæ ab novis advenis Phariæ nomen accepit. Poſt devictos Illyrios cum idem præfectus partem illam continentis hoſtibus ademiſſet, unde hi pluribus lembis transvecti, ut Parios expellerent, inſulam atque urbem oppugnabant; Iſſeis Syracuſiis oppidum ibidem condendi poteſtatem fecit, quod *Tragurium* appellatur, vocabulo fortaſſe oriundo derivatoque ab *Trogylon*, qui locus fuit ac portus Siciliæ prope Syracuſas, teſte Livio lib. 25. apud Ortellium. *Troghir* vocatur a Slavis indigenis, quæ vox ad ſimilitudinem nominis primitivi propius accedit. Sub idem tempus Iſſei Epetium ædificarunt, paſſuum millia amplius viginti ab Tragurio; nam ut Epetium, ſic Tragurium Polybius Iſſeis attribuit. Illyriorum cladem a præfecto claſſis Siculæ illatam Diodorus lib. 5. illigavit anno primo Olympiadis 99. qui fuit ante epocham vulgarem 384. quare ad hunc annum, vel ſequentem ædificatio Tragurii referri poſſe videtur. Hæc Joannes Lucius lib. 1. cap. 2. Monum. Tragurien. quæ conjectura magis, ut ipſe fatetur, quam perſpicuis argumentis & auctoritatibus nituntur.

Tragurium primum utrique Dionyſio, deinde Iſſeis ſuis conditoribus paruit.

Quemadmodum Iſſei, ſic etiam Tragurienſes & Epetini, imperio utriuſque Dionyſii patris ac filii paruerunt. Poſt duos illos Siculos tyrannos, ſeniorem extinctum, juniorem expulſum anno ſecundo Olympiadis 109. ante Chriſtum 343. Iſſenſes libertatem adepti ſuis legibus ſuiſque magiſtratibus uti cœperunt; & quamdiu illorum Reſpublica ſtetit, utramque illam urbem Tragurium & Epetium in ſua poteſtate retinuerunt: exinde vero incredibile dictu eſt, quantas in opes copiaſque præſertim maritimas creverint. Celebrantur apud Livium lembi Iſſaici, genus navigiorum, quibus Iſſenſes ſive ad bellum, ſive ad mercaturam utebantur. In Romanorum clientelam ac ſocietatem recepti cum fuiſſent, primo bello Punico lembos Iſſeorum Romanæ claſſi ſubſidio veniſſe auctor eſt itidem Livius. His potiſſimum navibus, quæ liburnæ etiam vocabantur, adjuti Romani pri-

mo prælio maritimo cum Pœnis decertarunt conſule ac duce Duillio, anno ante Chriſtum 260., & egregiam ac primam victoriam navalem retulere, ut tradit Eutropius. Anno ante Virginis partum 156. adhuc ſuberant imperio Iſſenſium Tragurienſes & Epetini, quorum cauſſa, & rogatu Iſſæorum Romani primum contra Dalmatas bellum ſuſceperunt. Nam cum pars Illyriorum inter Naronem & Neſtum ab Gentio poſtremo Illyrici rege defeciſſent, ac libertatem adepta Rempublicam omni alieno dominatu exemptam fundaſſet; ab Delminio urbe mediterranea & montana, quæ totius gentis caput ac metropolis conſtituta eſt, Dalmatarum nomen ſibi adoptavit. Hi vero ſeu prædandi, ſeu fines propagandi cupiditate impulſi, crebris incurſionibus vaſtare cœperunt agros Tragurienſium & Epetinorum, ipſiſque urbibus Tragurio & Epetio, quæ ad ditionem Iſſeorum pertinebant, vaſtitatem atque exitium minabantur; nec vero a ceteris Illyriis ſociis Romanorum injurias abſtinebant. Romani ergo Iſſenſium querelis & vocibus exciti, Dalmatas bello perſequi, atque ulciſci ſociorum injurias decreverunt. Hoc bellum anno 156. ex auctoritate Senatus C. Marcius Figulus iterum conſul geſſit; & primum quidem parum proſpere, deinde feliciter cum hoſtibus pugnavit, eoſque ab infeſtandis Tragurienſibus & Epetinis cohibuit: *Poſteaquam Liſſii* (ideſt Iſſei) *& Daorſii ſæpius communi conſenſu legatos Romam miſiſſent, quibus ſignificabant Liſſii Dalmatas & agros & urbes ſuæ ditionis infeſtare; hæ autem ſunt Epetium & Tragurium . . . . propter has cauſas Dalmatis bellum indixerunt.* Polybius in excerptis legat. num. 124. Appianus vero ſcripſit Romanos id bellum gerendum dediſſe Marcio Figulo conſuli, qui ſecundum conſulatum geſſit cum C. Cornelio Lentulo anno ante Chriſtum 156. Amiſſo Delminio, urbe totius gentis principe, quam Scipio Naſica conſul anno ante chriſtianam epocham 138. mœnibus & propugnaculis disjectis, ædificiis publicis privatiſque dirutis, in exiguum oppidum redegit; cum Dalmatæ arcem ac ſedem imperii Salonam tranſtuliſſent, eamque urbem operibus præſidiiſque validiſſimis firmaſſent; tantumdem Tragurio & Epetio finitimis civitatibus, de numero civium, opibuſque terreſtribus, & maritimis diminui oportuit, quantum Salonæ accrevit, ut præclare animadvertit Joannes Lucius; quippe urbis dignitas & amplitudo, ſitus arte ac natura munitus, portus egregius capax quantælibet claſſis, tutus acceſſuque facilis frequentiam incolarum, & commercium propemodum omne ad ſe pellexit. Cn. Coſconius proconſul anno ante Chriſtum 70. Salonam Dalmatis in perpetuum ademit. Porro Dalmatæ ſociis ac provinciæ Illyricæ Romanorum infeſti eſſe non antea deſierunt, quam eos Tiberius plurimis maximiſque cladibus attritos nono æræ vulgaris anno penitus ſubegit. Sed multis ante annis jam Tragurienſes, Epetini, Iſſei, cum eorum reſpublica variis caſibus & incommodis debilitata ſuis viribus niti, ſeque contra Dalmatas tueri non poſſet, e ſociis vectigales ſe fecerant populo Romano, in ejuſque clientelam ac poteſtatem conceſſerant. Utraque civitas, Iſſa & Tragurium, ſive quod propter antiquam amicitiam & ſocietatem jure civium Romanorum donata fuerit, ſive quod colonias Romanas utroque deductas exceperit, inter urbes civium Romanorum annumerata fuit.

Romanorum bellum cum Dalmatis infeſtis Tragurienſibus.

Tragurienſes cum Iſſenſibus & Epetinis vectigales Romanorum.

Iſſa civium Romanorum, inquit Plinius, *Tragurium civium Romanorum, marmore notum*; ſiquidem territorium Tragurienſe, qua in colles & montes aſſurgit, fodinis marmoreis abundat. Quemadmodum Iſſa, ſic Tragurium & Epetium ad provinciam Illyricam Romanorum pertinebat, quæ ante initium Romanæ monarchiæ Iſtriam, Japidiam, Liburniam, Dalmatiam maritimam, & Illyricum proprium uſque ad fluvium Drilonem complectebatur. Poſt Iſtriam ab Illyrico avulſam, cum Romani provinciam univerſam inter Arſiam & Drilonem tres in partes diſtribuiſſent, totidem Conventus inſtituerunt, Scardonitanum, Salonitanum, & Naronianum ab tribus civitatibus denominatos, videlicet Scardona, Salona, Narona; in quibus prætor ſive magiſtratus regendæ provinciæ præpoſitus, alias ex aliis peragrando, conſiſtere, concilium populorum cujuſque conventus cogere, jus dicere, controverſias cognoſcere ac dirimere, res publicas ordinare, omnia denique perficere & componere ſolebat, quæ ad optimum totius conventus ſtatum pertinerent. Porro ut Iſſei, ſic etiam Tragurienſes & Epetini, teſte Livio ad Conventum Salonitanum adſcripta erant. Hæc fuſius & diſtinctius in Parte 1. & 2. Prolegom. Tom. I. Illyr. Sacri.

Tragurium civitas Romanorum.

Tragurium eaſdem ſubiit, quas ceteræ urbes Dalmatiæ, dominorum mutationes, ac rerum publicarum converſiones. Ergo primum Romanis, deinde Græcis Imperatoribus paruit. Sæculo quinto Herulis Græcis, Gothi Herulis Tragurium ademerunt; quod cum reliqua Dalmatia Juſtinianus Imperator ſæculo ſexto recuperavit. Sæculo nono ineunte ad breve tempus ſub imperio Francorum fuit; deinde ad Græcos Imperatores rediit, a quibus intra finem ejuſdem ſæculi deſcivit cum aliis Dalmatiæ civitatibus; & omni extraneo dominatu depulſo, more liberæ civitatis, ſuis legibus, ac magiſtratibus obtemperavit per annos fere quadraginta; deinde rurſus in fidem ſe retulit Imperatorum orientis. Sub initium ſæculi undecimi Petrus Urſeolus Dux Venetorum Tragurienſes ac Dalmatas, ultro venientes, in ſuam fidem & clientelam recepit; ſed poſt annum fere triceſimum ad Imperium Græcum rediere; anno autem ejuſdem ſæculi ſeptuageſimo iterum ſe Venetis tradiderunt. Anno quinto ſæculi duodecimi Colomanus rex Hungariæ Tragurium ac Dalmatiam Venetis eripuit; ſed poſt obitum Colomani Dalmatiam cum Tragurio Veneti recuperarunt. Exinde æque Tragurium ac reliquæ urbes Dalmatiæ, modo Venetis, modo Hungaris paruit, niſi quod Emmanuel Imperator Græcorum Hungaris ereptum, quamdiu vixit, in ſua poteſtate retinuit. Tandem anno 1420. clementiſſimo Venetorum imperio fide ſtabili & conſtanti adhæſit.

Poſt Romanos variis dominis paruit, demum Venetis.

Urbis Tragurii forma eſt fere quadrangula, plano in loco explicata; ſed longius ab oriente in occaſum, quam latius a ſeptemtrione in meridiem protenditur; paſſus ad ſeptingentos circuitu complectitur. Ab Jadera diſtat circiter ſeptuaginta, a Spalato amplius duodecim millia paſſuum. Bifariam diviſa eſt; quæ pars in ſolem orientem ſpectat, civitas vetus, quæ reſpicit ad occaſum, civitas nova appellatur; hæc ſiquidem poſterioribus temporibus adjecta fuit, ſed breviori & anguſtiori quam illa ambitu circumſcribitur; antea ſuburbium erat, quod ſæculo decimo tertio longius in occiden-

Deſcriptio Tragurii.

tem

tem producí & muro circumclaudi cœpit, ut Lucius docet. Utraque mœnibus & propugnaculis undique cingitur. In extremo angulo occidentali civitatis novæ, qui vergit ad mare & meridiem, arcem inædificarunt, turribus & munitionibus egregie ſeptam. Duæ præcipuæ ſunt urbis januæ; altera ad continentem, altera ad portum & mare præbet egreſſum: his aliæ minores interjectæ, inæquali ac fere exiguo ſpatio inter ſe disjunctæ. Ab ſeptemtrionali ad maritimam partem una via perpetua forum maximum interſecans & ferme recta deducit; in hanc pleræque confluunt ceteræ urbis viæ tranſverſæ, ac fere omnes anguſtæ, quæ vicos, & publica ac privata ædificia diſcriminant. Tragurienſes cælo utuntur neque incommodo, neque inſalubri; quamvis enim utrimque ora continentis paluſtris ſit & uliginoſa e crebris æſtuariis ibidem ſtagnantibus, noxios tamen halitus ac vapores, indidem emiſſos, venti ſalubres ab occidenti & ſeptemtrionibus extenuant, ac diſcutiunt. Civitas frequens eſt, & conferta ædificiis. Sunt ædes prætoriæ ſatis magnifice eleganterque deſcriptæ prope forum maximum, in loco totius urbis celeberrimo, quibus adjacet curia, ubi habentur comitia, ac de re publica conſuli ſolet. Sunt itidem ædes epiſcopales antiquæ ſtructuræ in regione urbis veteris ad orientem extrema, ejuſque mœnibus adnexæ, magis ad ſpeciem ac dignitatem, quam ad uſum atque habitationem accommodatæ; his inhæret, ac ſupereminet turris inſtar cujuſdam propugnaculi, unde proſpectus eſt in portum & mare, inſulamque adverſam ſane jucundus. Hinc paſſus circiter quadraginta diſtat in occaſum ædes cathedralis, jam ædes antiquitus ſub nomine & auſpiciis S. Laurentii martyris Deo conſecrata, de qua infra.

Rector & magiſtratus Tragurienſis.

Summa cum poteſtate urbi præeſt unus de nobilitate Veneta patricia, *Comes* idem & *Capitaneus* appellatus; cujus imperium tribus fere annis definitur. E primario Conſilio, quod e Tragurienſi nobilitate conflatur, quatuor judices, ſive ſyndici deliguntur, qui ad res publicas adminiſtrandas ſupremo Rectori, ſive Comiti operam navant, juſque ſuum & poteſtatem certis quibuſdam muneribus & negotiis circumſcriptum exercent. Sunt Tragurienſes præclara ad omnem virtutem indole præditi, æquitatis & juſtitiæ cultores, ab omni fraude & ſimulatione alieni, ſingularis in victu cultuque elegantiæ ſtudioſi, navi & induſtrii, rerumque ſuarum diligentiſſimi, liberales, benigni, perofficioſi, ad pietatem ac religionem propenſi; & quod omnibus Dalmatis commune eſt, armorum ſtudio dediti, rei bellicæ ſcientiſſimi, gloriæque militaris cupidiſſimi. Nec minus ingenio ad omnigenas doctrinas percipiendas, quam prudentia ad res maximas gerendas valent. Plures majorum ac patrum noſtrorum memoria utraque laude floruerunt; ex quibus paucos Joannes Lucius percenſuit lib. 6. cap. x. Monum. Tragurienſium. In his præcipui ſunt

Viri illuſtres Tragurienſes.

Fantinus de Valle Auditor Rotæ Romanæ, qui cum a Pio II. legatus miſſus eſſet ad Podibrachium regem Bohemiæ, quod apud hunc conſtanter libereque, pro eo ac decebat pontificium legatum, catholicæ religionis cauſſam ageret, in carcerem conjectus fuit; & poſt trimeſtrem cuſtodiam plurimis ærumnis & contumeliis exercitam, dux Bavariæ ab iniquo rege impetravit, ut eum vinculis exſolveret. Hic collegium Hieronymianum in urbe Illyricis ſuis popularibus partim ſuo, partim alieno ære fundavit. Sepultus eſt Romæ in baſilica S. Mariæ Majoris cum hoc epitaphio.

Fantino Tragurino ex Dalmatia
Jur. Conſulto Palatinarum Cauſar.
Diſceptatori graviſs. equiſsq.
Ex collegio Rotæ de R. Apoſtolica op. merito
Erumnis perpetuis
Quis vitam explevit ſenio exortem
Oliver. Carapha Card. Neapolitanus
P. C.
Ex pietate amicitiaque
Anno Jubilei VII. K. Novembris MCCCCLXXV.

Michael Claudius eximiis virtutibus atque honoribus floruit inter præſules Curiæ Romanæ ineunte ſæculo decimo ſexto, gubernator urbis, Epiſcopus Monopolitanus, legatus pontificius apud Venetos, rector Piſauri, qua in urbe diem ſupremum obiit an. 1512.

Joannes Statileus præpoſitus Urſienſis, Ludovico regi Hungariæ ab epiſtolis fuit, legatus de petendis auxiliis contra Turcas miſſus Venetias anno 1521. deinde Epiſcopus Tranſilvanus tres perhonorificas legationes nomine Joannis Sepuſii regis Poloniæ obivit apud Paullum III., apud Venetos, apud Franciſcum regem Gallorum.

Petrus Berislavus Epiſcopus Veſprimienſis in Hungaria, idemque Banus Dalmatiæ, Chrobatiæ, & Boſinæ, vir magni æque animi & conſilii. Obiit in prælio contra Turcas anno 1520.

Vincentius de Andreis ex ordine Prædicatorum, Epiſcopus Ottocienſis, haud doctrina, quam ſanctitate illuſtrior; de quo ſæpe a Petro Bembo in epiſtolis ad regem Ladislavum ac Petrum Berislavum nomine Leonis X. ſcriptis, & nunquam niſi honorifica mentio facta eſt.

Ex eadem Tragurienſi patricia familia Tranquillus de Andreis, qui Joanni regi Hungariæ operam ad ſcribendas epiſtolas navavit. Plura latine ſcripſit ſoluta & metrica oratione non ineleganter; in his dialogum de vita privata typis editum, in quem Syllam & Cæſarem colloquentes induxit.

Joannes Staphileus J. U. Doctor, Archidiaconus Tragurienſis, profeſſor in Gymnaſio Romano, Auditor Rotæ, Epiſcopus Sibenicenſis, qui ſcripſit egregium Commentarium *De Gratiis expectativis*. Obiit anno 1528.

Coriolanus Cippicus, de quo Palladius Fuſcus in opuſculo *de ſitu oræ Illyricæ*: *Illuſtratum eſt autem ætate noſtra Tragurium Coriolano Cepione oratore, hiſtoricoque eloquentiſſimo, qui cum ſub Petro Mocenico claſſis Venetæ imperatore trierarchus non ſine ingenti gloria ob res egregie geſtas militaret, quo tempore Turcæ Calcidem expugnarunt, confecto bello, de Petri ipſius geſtis librum luculentiſſime ſcriptum edidit; quem ipſe pluries legi, captus Cepionis tum copia elegantiaque, tum fide & gravitate*. Cujus quidem libri *de bello Aſiatico* ſumma cum laude meminit etiam Sabellicus in eo libello, quem ſcripſit *de antiquæ linguæ reparatione*. Coriolani filius fuit Aloyſius Cippicus Epiſcopus Famaguſtæ, frater Joannes Cippicus, quem ob ſingularem virtutem ingeniique præſtantiam Julius II. Archiepiſcopatu Jadrenſi donavit.

Jacobus Dragatius Epiſcopus Modruſſenſis, Auditor Rotæ Romanæ, qui eximiam doctri-

nam cum excellenti morum integritate ac vitæ ſanctimonia conjunxit.

Joannes Lucius nulla laude inferior fuit, quam illi, quos ipſemet laudavit. Multa typis publicis commiſſa, multa codicibus Mſs. conſignata reliquit. Sex libros latinos edidit *De Regno Dalmatiæ & Croatiæ*, doctos oppido & laborioſos, itemque *Monumenta hiſtorica Tragurii*, quibus omnem rerum patriæ ſuæ memoriam ſermone italico perdiligenter complexus eſt. De rebus Illyricis & Dalmaticis nemo gravius, nemo verius, nemo eruditius ſcripſit.

Deſcriptio territorii Tragurienſis.

Territorium Tragurienſe in continenti millia paſſuum circiter quinque & viginti protenditur in longitudinem ab occaſu in orientem, ab Hylli peninſula, ubi Sibenicenſe, ad caſtellum Victurium, ubi Spalatenſe territoria deſinunt; latitudo ejus varia eſt; qua maxime patet, octo aut decem milliaria comprehendit. A ſeptemtrione altiſſimis montibus clauditur, a meridie mari definitur. Vino, oleo, tritico, paſcuis, oleribus abundat; e piſcatu & mercatura uberrimos proventus incolæ percipiunt. Habitatur frequentibus pagis. Ad ditionem Tragurienſem pertinet magna ex parte Hyllis peninſula, in qua veſtigia *Prætorii*, quod Antoninus & Tabulæ Peutingerianæ commemorant; cui ſubeſt egregius portus *Mirara* vulgo dictus, idemque tutiſſimus objectu inſulæ S. Michaelis Archangeli; Stolpona ab occaſu, dirimens Sibenicenſe & Tragurienſe territorium, Buſſilina ab oriente hinc atque hinc iſthmo peninſulæ adjacent. Non eſt neceſſe omnia loca nominatim perſequi; pauca commemorare ſatis fuerit, quorum frequens eſt mentio in antiquis monumentis. *Drid* villa erat ex acclivi loco imminens mari, dives optimis prædiis ac latifundiis in peninſula Hyllina poſitis; nomen vetuſtate exſolevit, ac totus ille terrarum tractus nunc *Boſſilina* dicitur. *Campus parvus*, tectis agriſque fructiferis refertus, ſeptem illis collibus interjacet, quibus Tragurium ſubeſt. Ultra colles ab oriente longe lateque protenditur *Campus Magnus* uſque ad confinia territorii Spalatenſis; in quo hæc loco celebriora, de quibus multæ & acerrimæ contentiones inter Tragurienſes & Spalatenſes fuerunt, *Biach*, *Oſtrog*, *S. Vitalis*, Abbatia olim Benedictina *S. Petri de Clobuch*. Hic terrarum tractus vocari etiam ſolet *Podemorie*, propterea quod uſque ad mare pertingit; nam Lucio interprete *Podemorie* idem valet apud Slavos, quod apud Latinos *penes mare*; ejus quippe planities adjacet ad ſinum illum maritimum, quem efficit mare inter Buam & oram Spalatenſem anguſto freto irrumpens, hujuſque in extremo angulo Salona aſſidebat. Hic ſinus tergo in occaſum & ſeptemtrionem obverſo arcuatur; ejuſque dorſum inſident undecim caſtella ſtructuræ non admodum antiquæ, exiguæque magnitudinis, & æquali propemodum intervallo disjuncta, quæ ferme ad privatas familias pertinent. Ex his octo intra fines Tragurienſis territorii continentur, videlicet caſtrum *Dragazzum*, *Quarcum*, *Lodium*, *Staphileum*, *Novum*, *Vetus*, *Roſanum*, *Victurium*; reliqua tria *Cambium*, *Abbatiſſæ*, *Suſſuratium*, in territorio Spalatenſi, ſive Salonitano includuntur. Inſula *Bubua*, ſive *Bua* contra Tragurium, cui ponte, ut diximus, intermedio conjungitur, millia paſſuum fere duodecim in longitudinem porrigitur; qua Tragurium reſpicit, tectis atque incolis referta eſt, & ſuburbii inſtar obtinet; reliqua inſula raros habet vicos, pauciſque focis habitatos. Pars maxima Tragurienſi, extrema particula, quæ ad orientem vergit, Spalatenſi civitati & eccleſiæ ſubeſt. Ad jus quoque ac ditionem Tragurienſium ſpectat *Girona* inſula brevi ambitu circumſcripta, quam Scyllax *Proteradem* vocat, quæ a Bubua non ita lato interjecto mari in occaſum diſtat. His adde tres exiguas inſulas, ſive ſcopulos, *S. Euphemiæ*, *Craglievaz* prope Bubuam ab occaſu ſupra *Gironam*, quo Bela IV. rex Hungariæ, cum Tartaros inſequentes fugeret, ſe recepit; & *S. Michaelis Archangeli*, quæ Hyllinæ peninſulæ, ſive promontorio Diomedis adjacet a meridie.

Primordia Epiſcopatus Tragur. ignota.

Epiſcopatus Tragurienſis initia obſcura ſunt & ignota. Sæculo ſexto, cum Honorius III. Metropolita Salonitanus duo concilia provincialia, alterum anno triceſimo ejuſdem ſæculi, alterum biennio poſt convocavit, nullus ſubſcriptus reperitur Epiſcopus Tragurienſis. Joannes Lucius in hiſtoricis monumentis civitatis Tragurinæ exiſtimat primordia hujus Epiſcopatus referenda eſſe ad ſæculum ſeptimum; ejus conditorem fuiſſe putat Joannem patria & cognomento Ravennatem, qui poſt Salonam exciſam, ſedemque metropolitanam Spalatum translatam, fuit primus Epiſcopus Spalatenſium, de quo Archidiaconus cap. XI. *Per Dalmatiæ & Sclavoniæ regiones circumeundo reſtaurabat eccleſias, ordinabat Epiſcopos, parochias diſponebat &c.* ex quo videtur conjici poſſe non ſolum antiquas ab eo reſtitutas, ſed novas etiam ſedes epiſcopales fundatas fuiſſe; inter quas fortaſſe annumeranda eſt Tragurienſis. Sed hujus juriſdictio epiſcopalis ab initio, ut idem Lucius animadvertit, terminis admodum exiguis continebatur; quippe cum Epiſcopus Nonenſis Chrobatorum, per eadem tempora inſtitutus, jus ac poteſtatem ſuam in Chrobatia, ſive in Dalmatia mediterranea & montana, latiſſime protenderet. Cujus vero Epiſcopi nomen extet, & cujus acta ſint litteris conſignata, primus eſt S. Joannes Urſinus, qui poſt dimidium ſæculi undecimi regimen Tragurienſis Eccleſiæ ſuſcepit. Ante hunc alios atque alios Epiſcopos, quorum nomina & acta exciderunt, huic eccleſiæ præpoſitos fuiſſe confirmat tum auctor vitæ ejuſdem S. Joannis, qui mortem proximi ante illum Epiſcopi commemorat; tum vero Andreas Dandulus, qui Petrum II. Urſeolum Ducem, cum omnes ex ordine civitates Dalmatiæ inſtructa claſſe prætervectus ſæculo undecimo ineunte, ad ſingulas appelleret, eaſque voluntaria deditione venientes in fidem & clientelam reciperet, ab Epiſcopo, magiſtratu, populoque Tragurienſi perhonorifice acceptum fuiſſe ſcriptum reliquit: *Cumque dux Tragurienſem urbem peteret, ab Epiſcopo, civibuſque ſacramentis corroboratus eſt.*

Petrus Ep. Tragurienſis ſæculo octavo.

Ceterum tribus fere ſæculis antiquiorem nobis exhibent Epiſcopum Tragurii, nomine *Petrum*, ſchedæ Mſs. Joannis Lucii, qui ex vetuſto miſſali, quo utebatur ejus propatruus Joannes Lucius Primicerius & Canonicus Tragurienſis, hanc notationem deſumpſit: *Nota quod tempore D. Theodoſii Imperatoris, & ſemper Auguſti, & D. Petri Epiſcopi Tragurienſis . . . Comes Conſtantii filius, & magni Severi nepos reparavit a fundamento eccleſiam S. Mariæ de Platea, quæ a ſuis prædeceſſoribus conſtructa corruerat uſque ad ſolum; & fuerunt muratorii de Salina Iſidorus, Demetrius, Melota, & Theodorus &c. Et hoc fuit inventum Spaleti in quadam chronica*

ſcri-

ſcriptum; & ego Joannes Lucius Primicerius & Canonicus Tragurienſis, manu propria regiſtravi ad futuram rei memoriam. Hujus eccleſiæ in præſentiarum eſt rector D. Joannes Calius Canonicus Patavinus, ac protonotarius, an. MDXI. Comes ille filius Conſtantii, Petro Epiſcopo æqualis, nepos erat *Magni Severi*. Hic autem ſine controverſia videtur eſſe ille *Severus*, quem Archidiaconus itidem *Magnum* vocat: *Hic quia præ ceteris majori auctoritate pollebat, magnus Severus appellabatur;* fuitque auctor Salonitanis poſt urbis excidium profugis, *ut ad patriam redirent, & in ædificio Diocletiani ſe interiori reciperent*, ex quo Spalatum civitas conſtructa eſt. Id vero accidit anno circiter 647. nepos autem ille magni Severi vitam uſque ad initium ſæculi proximi, ultraque producere potuit. Hujus autem ætas optime cohæret cum imperio Theodoſii III. cognomento Adramytteni, qui anno 715. rerum potitus, biennio poſt, Leone Iſaurico militaribus ſuffragiis electo, auguſtalia inſignia ſponte depoſuit, & clericorum ordini adſcriptus, quod reliquum habuit ætatis, in otio tranſegit. Congruunt igitur inter ſe *Nepos Magni Severi, Petrus Epiſcopus Tragurienſis, & Theodoſius Imperator:* quæ quidem congruentia temporum & perſonarum Epiſcopatum Tragurienſem Petri confirmat, aut certe probabilem reddit, eumdemque ad initia ſæculi octavi revocandum eſſe demonſtrat. Epiſcopatus Tragurienſis memoriam hac vetuſtiorem nullam reperio.

Series chronologica Epiſcoporum Tragurienſium.

Poſt S. Joannem Urſinum Epiſcopi unius, qui eidem in ſedem pontificiam ſuffectus eſt, nomen reſque geſtas oblivio abolevit. A ſæculo duodecimo fere dimidio ſeries epiſcopalis integra deinceps, nulliſque lacunis interrupta ad hæc uſque tempora perducitur. Hæc autem eſt ex tabulis Eccleſiæ Tragurienſis.

I. S. Joannes Urſinus an. circ. 1062.
II. N. N. an. circ. 1112.
Interregnum Epiſcopale.
III. Deſſa an. circ. 1151.
IV. Michael an. circ. 1180.
V. Treguanus an. 1206.
VI. Columbanus an. circ. 1256.
VII. Joannes II. an. 1276.
VIII. Gregorius an. 1282.
Joannes electus an. 1297.
IX. Liberius eodem anno.
X. Lampridius an. 1320.
XI. Bartholomæus an. 1349.
XII. Nicolaus an. 1362.
XIII. Valentinus an. 1370.
XIV. Chryſogonus an. 1373.
XV. Simon an. 1403.
XVI. Marinus an. 1423.
XVII. Thomas an. 1424.
XVIII. Ludovicus an. 1435.
XIX. Joannes III. an. 1437.
XX. Angelus an. 1440.
XXI. Jacobus an. 1452.
XXII. Leonellus an. 1484.
XXIII. Franciſcus an. 1489.
XXIV. Thomas II. an. 1524.
XXV. Chriſtophorus an. 1525.
XXVI. Federicus an. 1560.
XXVII. Aloyſius an. 1561.
XXVIII. Thomas III. an. 1567.
XXIX. Antonius an. 1574.
XXX. Marcius an. 1604.
XXXI. Pax an. 1623.
Interregnum Epiſcopale.
XXXII. Franciſcus II. an. 1654.
XXXIII. Joannes Paullus an. 1663.
XXXIV. Joannes IV. an. 1676.
XXXV. Joannes V. an. 1684.
XXXVI. Simon an. 1695.
XXXVII. Stephanus an. 1699.
XXXVIII. Petrus Paullus an. 1708.
XXXIX. Michael Angelus an. 1713.
XL. Joannes VI. an. 1716.
XLI. Antonius II. an. 1722.
XLII. Joſeph an. 1731.
XLIII. Hieronymus an. 1738.
XLIV. Didacus an. 1755.
XLV. Antonius III. an. 1766.

Capitulum Tragurienſe.

Capitulum e Canonicis omnino duodecim conſtat. Tres ceteris loco ac dignitate antecedunt, Archidiaconus, Archipresbyter, Primicerius. Titulo & penſione Canonici *Pœnitentiarii* caret, non item *Canonici Theologalis*. Jus conferendi archidiaconatus eſt penes Sedem Apoſtolicam, nominandi eligendique reliquos Canonicos partim ad Pontificem, partim ad Epiſcopum pertinet; hic quatuor, ille octo menſes, in quos mors alicujus Canonici inciderit, alterne ſibi vindicant. Proventus annui menſæ capitularis ſuppeditant nummos argenteos ſexcentenos, qui Canonicis æqualiter, ac Presbyteris inferioris ſubſellii diſtribui ſolent; verum quotidianis diſtributionibus hi duplo minus, quam illi percipiunt. Quas *Dignitates* vocant, a Canonici ſejungi poſſent, plerumque tamen conjungi ſolent; iidemque ſunt Archidiaconus & Canonicus, Archipresbyter & Canonicus, Primicerius & Canonicus; nec vero qui utroque honore ac titulo præditus eſt, ex maſſa communi redituum, duplici, aut majori, quam reliqui Canonici, portione impertitur. Archidiaconus, quamvis Canonicus non eſſet, jus tamen obtineret tum adeundi capitularia concilia, atque adeo iiſdem præſidendi, tum etiam ferendi ſuffragii, ac ſententiæ dicendæ; utroque jure carent Archipresbyter ac Primicerius, niſi in collegium Canonicorum cooptati fuerint. Capituli Tragurienſis nulla in antiquis tabulis reperitur memoria ante Concilium provinciale Spalatenſe anni 1185. cui interfuiſſe legitur *Gaudius Archidiaconus Tragurienſis cum ſuis clericis*. In quadam ſententia Petri VIII. Archiep. Spalat. quæ lata fuit an. 1192. *Archidiaconus, Capitulum, Canonici* Tragurienſes diſerte nominantur. Sed dubitari nequit, quin ſimul atque conſtituta fuit ſedes epiſcopalis, Capituli etiam Tragurienſis ſi non perfectio, at rudimentum tamen aliquod atque adumbratio quædam extiterit. Unica eſt in urbe ac ſuburbiis parochia ſita in ipſamet æde cathedrali, cujus omnis adminiſtratio in unum incumbit Archipresbyterum Capituli Tragurienſis; nec deſunt illi adjutores ex clero inferioris ordinis, cujus opera ad rem chriſtianam curandam & ſuum munus recte fungendum utatur.

Ædis cathedralis ſub titulo S. Laurentii antiquitas.

Ædes cathedralis, ut ſupra dictum eſt, S. Laurentii martyris titulo ac patrocinio ſubeſt. Hujus tituli ac templi Laurentiani vetuſtatem declarant tabulæ teſtamentariæ Quirini viri principis Salonitani, ſexto ſæculo ineunte confectæ. Hic ſiquidem tum omnia bona, quæ ſibi jure hæreditario obvenerant, tum copioſam ſupellectilem auream, ſericam, argenteam, ad ædem S. Lau-

Tabulæ testamentariæ Quirini Principis Salonitani.

S. Laurentii, quàm magna ex parte collapsam ipse restituerat, dotandam atque ornandam legavit. Supremæ illius tabulæ sunt in hæc verba:

IC XC

In nomine Domini An. ab Incarn. Dom. nostri

DIII

Ego quidem Quirinus D. g. & nutu ejus unus de Principibus Salone, & prestantior ceteris, nec non & ditissimus in cunctis facultatibus meis pro omnibus. Jubeo fieri hoc testamentum pro redemptione anime mee, meorumque antecessorum, & successorum, de ecclesia B. Laurentii martiris, que olim pre vetustate maxima pars de ea ceciderat in loco, qui dicitur Tragurium, quam ego reedifico de propriis bonis meis, quia me hereditarium noveram tenere cunctorum, qui antea domum Dei construxerunt; quapropter omnibus sit notum presentibus & futuris, de rebus, que in predicta ecclesia offero quidquid in auro & argento, sive in sericis ornamentis, seu in terris, in pascuis, in agris, vel in vineis, tam in insulis, quam etiam in firma terra. In primis de auro cruces tres, de argento unam, calices de argento tres cum singulis patenis, coronas de auro quatuor cum singulis crucibus, coronas de argento, . . .

Joannes Lucius existimat has tabulas confectas fuisse, cum Theodoricus rex Gothorum in Italia & Dalmatia rerum potiebatur; sed illarum fidem, ut ipsemet Lucius scite animadvertit, in dubium vocat tum ratio numerandi annos *ab Incarnatione Domini nostri*, quæ sexto sæculo jam adulto primum usurpari cœpit, auctore Dionysio exiguo, qui Justiniano imperante floruit, tum etiam structura ipsa & forma orationis, quæ cum temporibus illis satis congruere non videtur. Ceterum Scriptor anonymus vitæ B. Joannis Ursini Episcopi Tragurienſis confirmat ædem Laurentianam donis plurimis & pretiosis cultam & locupletatam fuisse non solum a regibus Chrobatiæ, sed etiam a *Principibus Salonitanis*, in quorum numero Quirinus hic haberi potest ac debet. Ignotum non videtur fuisse Constantino Porphyrogenito, qui sæculo decimo imperium orientis obtinuit, templum Tragurienſe, S. Laurentii titulo cultuque consecratum, quamvis in hoc erravit, quod ejusdem martyris corpus ibidem conditum fuisse scripsit: *Tetragurium autem illa vocatur, quod parva sit, veluti cucumar. In eadem vero urbe depositus fuit S. M. Laurentius archidiaconus.* Cap. xxix. de admin. Anno circiter vicesimo sæculi duodecimi piratæ Saraceni Tragurium de improviso adorti urbem pariter ac templum Laurentianum funditus diruerunt. Hanc ædem cathedralem nomine itidem S. Laurentii insignitam, quæ nunc extat visiturque, Tragurienses in iisdem, in quibus antiqua steterat, vestigiis nova molitione & magnificentiore structura inædificarunt. Templi forma est fere rotunda; tectum concameratum, non e lateritiis lapidibus constat, sed e quadris marmoreis firmissima junctura compactis; quod duodecim pila ingentia, circa mediam templi aream locata, superimpositis arcubus sustinent: duæ veluti alæ hinc atque hinc adjectæ sunt, itidem fornicatæ, & solido marmore constructæ; his vero subsunt minora sacella, quæ intercolumniis respondent. In summo templi capite, pluribus sublata gradibus prominet ara maxima; ab cujus latere dextero, sed non exiguo intervallo disjunctum, in sublime attollitur altare & mausoleum S. Joannis Ursini Antistitis & patroni Tragurienſium, variis & lectissimis marmoribus, recenti & magnifico artificio conspicuum. Ante januam maximam ingens porticus existit opere concamerato & eleganti exstructa, cui præcelsa turris incumbit e lapidibus quadratis, quæ fastigio in mirandam altitudinem elato acutoque in modum pyramidis assurgit, undique marmoreis signis, columellis, aliisque cælatis operibus distincta & ornata: sive structuram, sive molem, sive pulchritudinem spectes, haud immerito cum turri Spalatensi ædis metropolitanæ comparari potest. Singulari commemoratione digna est opulentia templi Laurentiani; aliud nullum in tota Dalmatia invenies, quæ argenteis vasis, candelabris, lychnis, simulacris, ingentis æque ponderis ac pretii, & mira arte cælatis; itemque sacris vestibus argento vel auro contextis, ac cetera cujusque generis pretiosa supellectili magis abundet. Extat in sacrario templi armarium, in quo hæc omnia conduntur, ferreis claustris munitum, & multiplici sera occlusum, qui Thesaurus S. Laurentii appellatur; & Statutum Tragurienſe jubet unum e Concilio publico nobilium deligi perspectæ fidei atque integritatis virum, qui custos sit & curator Thesauri Laurentiani.

Opulentia templi Laurentiani.

E reliquis ecclesiis in urbe veteri sitis ante cladem Saracenicam, quatuor tantummodo sunt, quæ adhuc extant; nimirum ecclesia S. Joannis Baptistæ cum cœnobio perantiquo Benedictino haud longe ab ædibus episcopalibus disjuncto, quod deinde a cœnobiarchis ad Abbates, quos vocant *Commendatarios*, transivit; nunc ejus reditus attributi sunt Seminario Spalatensi clericorum; ecclesia S. Domnii, cui postea alter ab S. Nicolao titulus accessit, eique adjunctum est collegium Virginum ex ordine S. Benedicti, a S. Joanne Ursino Episcopo Tragurienſi fundatum sæculo undecimo exeunte, & luculentis prædiis instructum, quod etiamnum extat; ecclesia S. Leonis prope urbis januam, quæ transitum ad continentem ponte intermedio præbebat; hanc in usum militarem redigi, & operibus, munitionibusque ad urbis defensionem firmari placuit; ecclesia S. Mariæ de Platea in foro maximo sita, & obversa lateri ædis cathedralis, quæ mihi videtur eadem esse, quam nepos magni Severi collapsam refecit, ut supra dictum est ex notatione inscripta missali Luciano pervetusto. Post urbem reædificatam antiquiores sunt ædicula S. Martini adjacens tergo publici peristylii, & S. Sebastiani paullo ætate recentior. His adde Parthenonem Benedictinum Sancti Petri, quem conditum fuisse tradunt ante sæculum decimum quartum, & fortasse, ut ajunt, a B. Margarita filia Belæ IV. regis Hungariæ. In urbe nova tertium est cœnobium Virginum ex ordine S. Benedicti sub titulo S. Michaelis, sæculo superiori ineunte constructum. Itaque tria sunt in civitate collegia Virginum instituti Benedictini: primum & antiquissimum omnium illud S. Nicolai, secundum S. Petri; neutrum alias recipit, nisi Virgines patricias; tertium denique S. Michaelis, quod ingenuis adolescentulis e secundo civium ordine accessum præbet.

Ædes sacræ & cœnobia urbis Tragurien.

Cœnobia & cœtus religiosorum hominum, communione disciplinæ vitæque monachalis sociati, sunt quatuor. Unum in civitate nova S. Dominici, quod post dimidium sæculi decimi ter-

cli ædificatum fuit, traditumque Patribus Dominicanis, qui concionibus habendis & confessionibus audiendis perutilem rei christianæ operam navant. Tria reliqua sunt in proxima insula Bua, quam suburbii instar obtinere diximus, videlicet duo familiæ Franciscanæ; altetum uno fere milliario ab urbe disjunctum sub titulo S. Mariæ *de Drit*, cognominatæ ab eo loco Bussiliniæ, unde illuc Mariana effigies translata fuit, Patres Franciscani severioris disciplinæ incolunt; alterum propius ab urbe sub titulo S. Lazari possident Patres ejusdem ordinis S. Francisci, quos Conventuales vocant: quartum denique S. Crucis in eadem insula Bua, tria fere passuum millia distans a civitate, quod auctore venerabili viro Nicolao Milinovichio ex ordine Prædicatorum, Tragurienses sub dimidium sæculi decimi quinti ædificarunt, & Patribus Dominicanis tradiderunt. Æque Franciscani & Dominicani Patres in eorum insularium salutem, & christianam institutionem sedulo incumbunt; nec suam incolis operam in iis, quæ pertinent ad eluendas animorum labes, ac divina mysteria percipienda, deesse patiuntur. Omnia in urbe seu templa seu sacella sunt omnino quatuordecim; in his duo singulari commemoratione digna, alterum S. Mariæ de Carmelo, alterum omnium Sanctorum titulo insigne; utrumque festis diebus frequentari, religiosisque exercitationibus coli solet a duobus piorum hominum sodalitiis, ad quorum jus pertinent.

Diœcesis Tragurienſis deſcriptio.

Diœcesis Tragurienſis fere iisdem, quibus territorium terminis definitur. Sed antiquitus longius in occasum porrecta, castrum Sibenicense cum toto ejus territorio complectebatur; ademptum illi fuit sæculo decimo tertio exeunte, cum oppidum Sibenici Bonifacius VIII. sede ac jure episcopali donavit. Ante divulsum Sibenicum ab jurisdictione Episcopi Tragurienſis, Concilium provinciale Spalatense, quod habitum fuit anno 1185. sub Petro VII. Archiepiscopo, diœcesi Tragurienſi attribuit has parochias *Drit*, *Sibenicum*, *& totum Comitatum Zagoriæ*. Comitatus Zagoriæ vocabatur tractus ille montanus, qui orientem versus usque ad fluvium Cetinam protenditur: huc enim usque Thomas Archidiaconus ditionem ecclesiasticam Tragurienſem produxit, quam olim fuisse ampliſſimam scripsit cap. xv. *Tragurienſis Epiſcopatus, quia ſuæ metropoli vicinior, majorem diœceſim ſortitus eſt, videlicet caſtrum Sibenicenſe cum tota ſua jupa; protendebatur enim fere uſque ad fluvium Cetinenſe*. Nunc nihilo latius fere patet, quam territorium, ut dixi, Tragurienſe: ab occasu Sibenicenſi, ab septemtrione & ab ortu Spalatenſi diœcesi, a meridie mari definitur. Parœcias complectitur, præter urbanam, omnino ad duodeviginti, novem litoreas, totidem montanas. Litoreæ sunt quatuor castella ad fretum Salonitanum, quæ Tragurio propius absunt, videlicet *Caſtrum Staphileum*, *Caſtrum novum*, *Caſtrum vetus*, *Caſtrum Victurium*. Jus nominandi parochos & suum cuique designandi penes illos est, quorum jurisdictioni ea castra subsunt. Quatuor itidem litoreæ ab occasu, quæ sunt *Buſſilinia*, quæ in Tabula Peutingeriana Bullinia, *Seghetum*, *Ochrach*, & *Xednum*; quibus Episcopus curatores animarum præficit, quos digniores esse judicat. Nona est in insula & pago Gironæ, quam veteres Proteradem vocabant. Nominatio Presbyteri, qui christianæ insulārium illorum institutioni præsit, resque sacras administret, ad prætorem civitatis pertinet. In his locis, præter parochialem, aliæ quoque sunt minores ecclesiæ. Introrsus a mari in aspera illa & montosa regione, quam Morlacchiam vocant, novem sunt pagi & ecclesiæ majores, jure & titulo parochiali præditæ; singulis vero plures villæ & minores ecclesiæ subsunt, videlicet *Briſtivizza*, *Gliubitovizza*, *Pargonzèt*, *Sutadol*, *Neveſt*, *Kladgnize*, *Lichievizza*, *Barſtranovo*, & *Ogorie*. Cum pagi & villæ inter se plurimum distent, propter longinqui alpinique itineris difficultatem, ecclesiæ in his constitutæ, majores & minores, suum quæque habent fontem baptismalem, ad quem cujusque loci infantes salutari lavacro expiandi deferuntur; & incolæ illi montani, divinis mysteriis in sua quisque villa & ecclesia percipiendis, præcepto paschali satisfaciunt. Omnibus his pagis villisque novem curatores animarum reique christianæ præfici solent ex ordine Franciscano rigidioris disciplinæ, quos præses cœnobii castri & oppidi Singi deligit, Episcopus vero approbat, si quidem eos idoneos reperit. In diœcesi universa templa vel sacella, præter urbana, omnino ad sena & centena numerari ferunt. Harum pleræque in sacris liturgiis ritu quidem latino, sed Slavonica lingua utuntur.

S. JOANNES URSINUS
Episcopus Tragurienſis I.

JOannis Ursini; viri ad Tragurienſium totiusque Dalmatiæ salutem ac præsidium divinitus nati, vitam omnibus sanctimoniæ notis insignem litteris mandavit Scriptor anonymus eidem æqualis; quam post annos fere centum Treguanus Archidiaconus Tragurienſis Ecclesiæ ex antiquis codicibus summa cum fide descripsit ac reformavit. Quæ vero post mortem sanctissimi Antistitis contigerunt, videlicet inventionem ac translationem corporis, & miracula per eum edita, partim e tabulis illius ecclesiæ, partim ex traditione majorum, partim denique ex idoneis & gravissimis testibus accepta, ad vitam eamdem Treguanus adjecit. Hanc vitam cum additamentis Treguani sæculo decimo sexto Joannes Statileus Præpositus Ursienſis, idemque Ludovici regis Hungariæ ab epistolis & consiliarius intimus, suo sumptu typis edendam curavit, cum vetustioris editionis rara exempla, seu potius fragmenta supereſſent. Eamdem Joannes Lucius præclaris animadversionibus illustravit, & anno 1657. Romæ rursus e typographia Thomæ Colinii in lucem emisit. Hujus quoque pauca exempla cum suppetant, ac fere in vulgus ignota, facturum me operæ pretium censui, si eamdem huc transcriptam, denuo in publicum produxerim cum notis sive nostris, sive Lucianis, eidem explicationis causſa subjectis. Vitam S. Joannis italico sermone conscripsit Joannes Franciscus Lauretanus patricius Venetus, ac luce publica donavit anno 1679. Res ab eo sanctissime gestas, corporis inventionem, & quæ divinitus post mortem edidit miracula ex Treguano desumpsit, verborumque ac sententiarum ornamentis amplificavit. Eadem apud Antonium Bosium Venetum typographum recusa est anno 1693. Alteram ejusdem viri sanctissimi vitam plurimis rebus auctam italice composuit P. Philippus Riceputus, quam ne in publicum emitteret, ne-

scio

ſcio quid impedimenti interceſſerit. Ex hac non pauca decerpam, quibus nomen & acta S. Joannis magis magiſque illuſtrentur. Veterem illam latinam bipartito dividi oportet. Pars prior, quam ex iis, quæ ſcilicet aut ipſe vidiſſet, aut ab illis, qui viderant, accepit, Auctor anonymus, ſed ſynchronus contexuit, res ab eo ad divinæ gloriæ incrementum atque ad hominum ſalutem & exemplum laudabiliter geſtas complectitur; altera vero in iis rebus verſatur, quæ poſt ejus obitum divinitus contigerunt, quæque certis atque idoneis auctoribus comperta habuit de illius inventione, translatione, & miraculis, Treguanus Archidiaconus Tragurienſis.

VITA S. JOANNIS EP. TRAGURIENSIS

Auctore Anonymo.

PARS PRIMA.

Acta S. Joannis, & obitus;

Præfatio.

Vita S. Joannis Urſini, Auctore anonymo, quam reformavit & auxit Treguanus Archidiaconus Tragurienſis.

1 *COnditor (1) humani generis Dominus noſter volens eccleſiæ, quam filii ſui Jeſu Chriſti dormientis in cruce ſanguine dedicaverat, fundamenta ſtabilire in montibus Sanctorum, ad ipſius roboris firmitatem alios elegit Apoſtolos, quorum prædicationis ſonus in omnem terram exiret; alios quidem martyres, qui pro teſtimonio fidei ejus & lege ſervanda velut agoniſtæ fortiſſimi, uſque ad mortem certantes, ſanguinem proprium effuderunt: quoſdam vero confeſſores, qui licet non ſuccubuerint gladiis perſequentium, crucifigentes tamen carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis palmam martyrii nullatenus amiſerunt. De quorum conſortio Beatum Joannem Tragurienſis civitatis Antiſtitem fuiſſe credimus. Qui cujus vitæ, vel meriti fuerit, & qualiter ad apicem infulæ pontificalis pervenerit, ſequens textus edocet manifeſte.*

Nota.

(1) Hoc proœmium videtur eſſe attribuendum Treguano Archidiacono.

Caput I.

Joannes Cardinalis & legatus apoſtolicus rogatus a Tragurienſibus Joannem Urſinum, legationis comitem, Eccleſiæ Tragurienſi Epiſcopum præficit, quamvis invictum & reluctantem.

1 *Temporibus igitur Colomani (1) regis Hungariæ,*
2 *cum quidam legatus (2) ab urbe Roma miſſus ad partes Pannoniæ, intrans Dalmatiam, veniſſet in civitatem Jadratinam, occurrunt ei cives Tragurienſes orantes, ut per terram eorum iter faceret, quia civitas ſua crebris bellorum incurſibus*
3 *(3) diutiſſimaque civium diſſenſione agitata, deſtructioni proxima ferebatur: qui legationis injunctæ ſibi nulla potiora initia ſe poſſe dare conſiderans, quam in initio viarum ſuarum civilia bella pacare, petitioni condeſcendens illorum, cum illis navigavit ad urbem; ubi datis ſalutaribus monitis ſeditionem ſedavit, antiquam & civilem diſcordiam pacis concordia commutavit.*

Moram autem eo faciente in Tragurienſi civi-
4 *tate, contigit, ejuſdem urbis præſulem (4) de præſenti vita migrare, poſt cujus obitum clerus & populus univerſus ad legatum convenientes deprecabantur voto ſupplici, ut eis dignaretur providere paſtorem de his, quos in ſuo adduxerat (5) comitatu. Quod cum ſibi grave videretur admodum, tum propter patriæ longinquam diſtantiam, tum propter diverſos mores & inſtituta locorum, tum etiam quia difficulter ſperabat eſſe perſonam in ſuo comitatu ad hoc voluntariam, votis illorum acquieſcere recuſabat.* 5

Aſſiduis demum precibus fatigatus eorum, animadvertit inter clericos comitatus ſui quendam (6) juvenili adhuc ætate, tamen lenitate florentem, 6
genere (7) nobilem, (8) ſcientia plenum, 7 8
probatum moribus, Joannem nomine, quem his exhortationibus adoritur dicens: Non eſt tua diſcretioni ſecretum, fili cariſſime, quanta precum inſtantia me fatigare non ceſſat populus civitatis hujus, poſtulando de ſociis noſtris aliquem in eccleſiæ ſuæ futurum præſulem & rectorem. Et quia vox populi fertur eſſe divina, operæ pretium videtur nobis eorum debere condeſcendere poſtulationi. Nunc ergo confortare in Domino, & in potentia virtutis ejus, accingens te ipſum ad ſubeundum pondus oneris & honoris; cum præter te non ſit inter comites noſtros quiſpiam, de circumſpectione cujus poſſimus huic eccleſiæ providere.

Quibus auditis turbatus infremuit, & ut erat columbinæ ſimplicitatis, verecunda facie reſpondens ait: Quid in me, Pater & Domine, tuæ diſplicuit paternitati? Cur mibi perferre ſuades pondus, quod humeri potentes & fortes ad onera expavent; præſertim cum & corporis vires, & ſcientia deſit animo, nec vitæ (9) curſus con- 9
gruat gravitati? Sed & ſi mea tibi, Domine, videntur ingrata obſequia, licentia tua, nativitatis patriam repetam, de qua huc te proſecutus adveni, potius quam in hac parte cujuſpiam conſiliis acquieſcam.

Contradicente autem Joanne legati conſilio, adjiciente quoque ſe ſubiturum quodvis genus ſupplicii, priuſquam onus ſolicitudinis paſtoralis; egreditur ad plebem legatus, & expectationi ejus in hunc modum reſpondit. Fratres & filii, boneſtis, juſtiſque petitionibus veſtris, quantum cum Deo poteram, ſatisfacere propoſueram; ſed meo propoſito effectus operis contradicit. Eſt enim in comitatu legationis noſtræ quidam, quem quia ſcientiæ plenitudine ac morum gravitate juvenilem tranſcendit ætatem, veſtræ petitioni tradere ſatagebam. Sed quia ipſius animo ſuadere nequeo, quod vel meo conſilio acquieſcat, vel veſtræ voluntati conſentiat, ite & juxta beneplacitum veſtrum de provida perſona, & eccleſiæ veſtræ idonea, juſte & rationabiliter cogitate.

Qui ob hanc vocem mœrentes effecti ac triſtes clerus omnis ac populus (10) metuentes, ne ci- 10
vitas diſſoluta ſine paſtore dimiſſa, poſt legati receſſum in deteriora relapſa prioribus, ad irrevocabile præcipitium vergeret, pari voto ſe ipſos adſtringunt, a legati foribus non receſſuros, niſi prius per illum poſtulationis ſuæ finem conſequerentur optatum.

Cumque innotuiſſent ei vota populi, commotus iterato clamore plebis ad ſæpe dictum juvenem convertitur rurſus, & eum in hunc modum affatur, dicens: Fili cariſſime, non te latet, ut credo, & certus ſum, quod ſit bonum viro cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua, cum jugum enim ſuave ſit ad portandum, & leve onus ipſius, prout in Evangelio legimus, ad ferendum; ideoque ſcire te, frater, oportet, quia divinæ providentiæ ſententia te invitat per voces iſtius populi,

puli, ut reddas in hoc loco Domino vota tua, & ut ſacrificando laudis hoſtiam offeras Altiſſimo vitulum labiorum tuorum.

Acquieſcens demum juvenis legati ſermonibus, & conſiderans quod divina non poteſt mutari ſententia, reſpondens ait: Si proviſum eſt diſpoſitione Domini ſic, quod non poſſit aliter fieri, dummodo ipſi eccleſiæ labor meus poſſit proficere, voluntas Dei, Pater, & tua fiat.

Lætus itaque legatus ad plebem egreditur, & ejus deſideria completa eſſe revelat. Exultat clerus, congaudet populus, & gratiarum actiones Deo & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ pro tanta ſibi collata perſona ferentes, unanimiter depoſcunt, ut quantocyus in præſulem conſecretur. Legato
11 *ſuo proſequente legationis ſuæ iter, (11) conſecratur a Laurentio Salonitanæ ſedis Archipræſule, atque ad urbem Tragurienſem reverſus, cum gaudio plebis ſuſcipitur univerſæ.*

Notæ.

(1) B. Joannes annis amplius triginta ante regnum Hungaricum Colomani præſidebat Eccleſiæ Tragurienſi, Anno ſiquidem 1064. cœnobium Benedictinum Virginum Tragurienſium, Joanne potiſſimum auctore & *civit. Tragurii regente cathedram*, fundatum eſt, ut tabulæ eodem anno conſcriptæ declarant. Ejuſdem Joannis Epiſcopi nomen identidem occurrit an. 1066. 1075. 1076. & 1084. in tabulis Tragurienſibus, quarum exempla, vel mentionem invenies in actis Laurentii Archiepiſcopi Spalatenſis. Porro Colomanus Almo fratri natu minori, quem S. Ladislavus patruus hæredem reliquerat, regnum Hungariæ eripuit anno 1095. nec vero ante annum 1105. Jaderam ac deinde ceteras Dalmatiæ urbes ſub imperium redegit. Quare, ut Lucius præclare admonuit, expungendus eſt Colomanus, & in ejus locum ſubſtituendus Creſimirus IV. rex Chrobatiæ & Dalmatiæ, quocum præclare congruit adventus B. Joannis in hanc regionem cum legato pontificio: quippe Creſimirus ab anno circiter 1050. uſque ad annum 1075. regnum in Chrobatis obtinuit. Hunc enormem anachroniſmum haud equidem adſcripſerim Anonymo Biographo, qui Creſimiro regi & Joanni Epiſcopo æqualis fuit, aut paullo inferior ætate; ſed attribuendum puto ipſi Treguano, qui utpote homo alienigena, & ab ſuo ex Italia diſceſſu adhuc recens, hiſtoriam veterum regum ac rerum Dalmatiæ ignorabat. Hic ſiquidem natione Etruſcus, patria Florentinus, qui cum Bernardo Archiepiſcopo Spalatenſi gentili ſuo ineunte ſæculo decimo tertio primum in Dalmatiam venit, ut cum illuſtri aliqua epocha, quam Anonymus prætermiſerat, adventum legati pontificii & Joannis ejus ſocii copularet, ſua ignoratione deceptus, illam e regno Colomani deſumpſit. Quamvis enim antiquæ vitæ S. Joannis nihil ab ſe additum, nihil detractum teſtatur; eam reformaſſe tamen fatetur, quod ſine aliqua vel additione, vel mutatione, vel detractione fieri vix potuit. *Reformatio autem eſſe potuit*, inquit Lucius, *præter aliqua verba mutata, præfationis additio, & ipſius præfationis cum antiqua vita connexio in illis verbis: Temporibus igitur Colomani regis Hungariæ &c.* Atque ab hujuſmodi fere initiis veteres Hagiologi hiſtorias Divorum exordiri ſolent. Duas fuiſſe cauſſas cenſeo, quæ Treguanum in eum errorem induxerint; alteram quod in hac hiſtoria ſæpe nominatum inveniſſet Colomanum regem Hungariæ, iis ſcilicet locis ac temporibus, quæ cum regno Colomani optime congruunt; ipſe vero propter ignorationem chronologiæ atque hiſtoriæ, nomen & regnum Colomani id loci ac temporis locavit, quod cum Colomano cohærere nequit. Altera cauſſa eſſe potuit, quod in eadem B. Joannis vita nomen regis Creſimiri unica littera *C* expreſſum erat, quæ communis eſt utrique vocabulo tum *Creſimiri*, tum *Colomani*, exeſis reliquis verbis, quæ proxime ſequebantur, aut prætermiſſis ex more antiquo, cum ſolum prima littera nominum propriorum exſcribi ſoleret; nam eam Treguanus, ut ipſemet fatetur, deſcripſit *ex quibuſdam codicibus jam ex majori parte vetuſtate deletis*. Itaque cum Creſimirus ignotus illi eſſet, aut memoria excidiſſet, litteram C ſic interpretandam eſſe cenſuit, ut Colomanum ſignificaret; cetera vero cum deeſſent, vel ob litteras nimia vetuſtate corroſas intelligi nequirent, de ſuo ipſe ſupplevit, atque ad interpretationem prioris vocabuli per errorem adhibitam apte congruenterque *Hungariæ* vocabulum intruſit.

(2) Neque nomen legati, neque tempus legationis hiſce litteris proditum eſt. Joannes Lucius exiſtimat hunc fuiſſe Joannem Cardinalem, quem Alexander II. in Dalmatiam miſit anno circiter 1062. ut teterrimum quoddam ſchiſma extingueret, ortum e pertinacia Slavorum in uſurpanda adhibendaque ad ſacram liturgiam lingua Slavonica, contra quam Maynardus itidem legatus pontificius ante quadriennium vetuerat. Vide acta Laurentii Archiep. Spalatenſis. Quamvis autem Anonymus hunc legatum *miſſum ad partes Pannoniæ* tradat, Joanni tamen Cardinali duplex legatio demandari potuit, Dalmatica ſcilicet & Pannonica; iſque poſt turbas Dalmaticas compoſitas tranſivit in Pannoniam ad legationem alteram ſibi traditam obeundam.

(3) Extraneis ſcilicet bellis, ac domeſticis diſcordiis civitas ardebat. Oram Dalmaticam & Tragurienſem orientis imperio ſubjectam a Northmannis per ea tempora maritimis incurſionibus identidem vexatam fuiſſe Joannes Lucius exiſtimat; hi quippe Apuliam in ſuam poteſtatem redegerant, & cum Græcis bellum gerebant. Hinc civiles illæ inter Tragurienſes diſcordiæ ac ſeditiones, ut idem Lucius opinatur, cum alii conſtantem erga Imperatores orientis fidem retinendam eſſe cenſerent, ab illiſque auxilia poſtulanda, alii ad defectionem atque ad Northmannos ſpectarent, quos amicos, quam hoſtes, habere plus ſua & reipublicæ intereſſe putabant. Has, vel quæcumque aliæ fuerint, civiles diſſenſiones legatus apoſtolicus Tragurium evocatus compoſuit.

(4) Ut ſuperiorum, ſic hujus Tragurienſis Epiſcopi nomen oblivio ac vetuſtas poſteritati præripuit.

(5) Erat in ejus comitatu Joannes Urſinus.

(6) Tamen annum ætatis triceſimum attigerat; nemini enim per Canones licebat, aut licet epiſcopale munus ſuſcipere, qui annum triceſimum non attigerit, vel expleverit; cum autem legatus pontificius anno 1062. Jaderam appulerit, ac deinde Tragurium rogatu Tragurienſium ſe contulerit, ortus B. Joannis referri poteſt ad annum ſecundum & triceſimum ſæculi undecimi. *Juvenem fuiſſe Joannem, ait textus; tamen minorem 30. annis electum dicendum non eſt, cum Canones & antiquus Romanæ Eccleſiæ*

mos

mos talem ætatem requirant; 30. autem annorum ætatem tunc juvenem cenſitam fuiſſe, cum a clero & populo ut plurimum ſenes eligerentur, ſaltem majores quadragenariis, ut in chronico patriæ latius. Joannes Lucius in notis ad vitam S. Joannis.

(7) Quamvis nomen familiæ, ex qua Joannes ortus eſt, veterum ſcriptis proditum non ſit; vetus tamen eſt & communis opinio, multarum ætatum conſenſu firmata, & poſteriorum temporum monumentis innixa, eum ex antiquiſſima & nobiliſſima gente Urſina Romana oriundum fuiſſe; ut de illius genere addubitare non poſſit, niſi qui humanam fidem ex hominum animis eximere vellet. Patria Romanum fuiſſe pars poſterior ejus vitæ per Treguanum adjuncta declarat.

(8) Ab ineunte ætate ingenuis artibus operam dederat, ac præſertim eloquentiæ, quam cum ſcientia rerum humanarum ac divinarum conjunxerat, in eaque adeo excellebat, ut cognomento *Rhetoricus* vocitari ſoleret.

(9) Quamvis Joannes annum triceſimum ageret, vel etiam expleviſſet, ſibi tamen videbatur id ætatis non eſſe, ut graviſſimam Epiſcopi perſonam atque auctoritatem ſuſtinere ac tueri poſſet; nam temporibus illis cum jus eligendi Epiſcopos penes clerum & populum eſſet, plerumque majores natu ad Epiſcopatum provehi ſolebant, ut ſupra ex Joanne Lucio animadverſum eſt.

(10) Verebantur ſiquidem, ne poſt diſceſſum legati, cum clero populoque convocato epiſcopalia comitia haberentur, ſuffragiis in partes contrarias diſtractis, diſcordiæ ac ſeditiones jam ſopitæ recrudeſcerent.

(11) De conſecratione Joannis Archidiaconus hæc habet cap. XVI. *Per idem tempus vacante Eccleſia Tragurienſi, electus eſt quidam Joannes natione Italicus, & præſentatus Laurentio Archiepiſcopo munus ab eo conſecrationis accepit.* Ejus conſecratio videtur conferenda eſſe in eumdem annum 1064. quo legatus apoſtolicus in Dalmatiam venit, atque inde in Hungariam diſceſſit.

Caput II.

De ſtudio precandi, meditandique, & aſſidua præſertim corporis afflictatione, qua laude in primis Joannes floruit, ſeque omnibus ſuſpiciendum & admirandum præbuit.

Sublimatus igitur cathedra pontificali, non dedit ſe corrumpendum inertiæ, veluti plerique adepti cauſam deſidioſæ quietis ſolent; ſed jugi
1 *meditationi intentus totius vitæ ſuæ curſum* (1) *jejuniis, orationibus, vigiliis, & elecmoſynis adorſus eſt.*

Erat autem in oratione facundus, in ſapientia præcelſus, pietate affabilis, in ſermone verax, in judicio juſtus, & reddens quæ ſunt Dei Deo, humani favoris auram fugiens, in faciem hominum veſtiebat fulgidam veſtem & celebrem, ſuper nudo vero intrinſecus aſperrimo cilicio utebatur.

Nec ſecus quoque toto vitæ ſuæ curſu fuit uſus thalami proprio cubiculo, quod a cubicularis ejus egregie paratum ſpernebat, atque cubicularis eiſdem emiſſis, & admiſſo ſecretius paupere, eum in memorato cubili locabat, ipſe autem poſt longas noctis vigilias pavimento ſubſternens aſperſos aſparagos nudus deſuper, carnem
2 *crudelius* (2) *delicto macerans, pernoctabat.*

Notæ.

(1) Eadem breviter Archidiaconus: *Pro amore ſiquidem cæleſtis patriæ cuncta carnis blandimenta contemnens aſperrimam vitam ducebat, & ſicut aſſerunt, ad tantam virtutum gratiam excrevit, ut quædam in eo ſanctitatis inſignia eniterent;* ideſt miracula, quæ paullo poſt narrantur.

(2) Ideſt aſperius, quam ejus leviſſima delicta poſtulabant.

Caput III.

Ex paucis racemis ingentem vini copiam educit. Navim fluctibus illiſam atque obrutam naufragio eximit. Sicco, atque inoffenſo pede maria calcat.

Hæc & his ſimilia longo uſu temporum eo faciente, contigit quod anno quodam, tempore jam vindemiarum propinquante, grando ſuperveniens vineas contudit adeo, quod vinitores non uvas, ſed racemos variſſimos domum referrent. Epiſcopi autem (1) *vindemiarii, cum & ipſi* 1
ſimili ratione tam paucos reportarent racemos, juxta terræ conſuetudinem, ut vix tinam poſſent dimidiare, nunciant ei, quam modicum racemorum de ſuis vineis reportaſſent. Quibus ille: Potens eſt Deus, qui de ſicca rupe per Moyſen ſervum ſuum aquam toti populo Iſraeli ſufficientem eduxit, etiam nobis de racemis pauculis vini copiam clargiri. Ite, quod dederit Deus, cui deſervio, in ipſius nominis potentia eliquate.

Miniſtri autem euntes fecerunt, ſicut eis fuerat imperatum. Et cum eliquare cœpiſſent, tanta vini prorupit abundantia, quod de vaſe tam parvulo tria magna uſque ad ſummum ſunt repleta dolia, vini continua copia effluente. Quod cum viderent cum ſtupore & admiratione, ſtuduerunt beato viro nunciare dicentes: Domine, mira res & ſtupenda valde, de tanta paucitate uva-
rum tres majores replevimus jam (2) *vegetes,* 2
& quod eſt mirabilius, idem vini fluxus indeficiens pervenerat.

Quibus moderate reſpondens inquit: Miſereatur veſtri, Deus, filioli; quare Dei miſericordiam in
(3) invidiam convertitis? Ecce vere quod nunc 3
abundat, jam ceſſavit omnino; & vos reati hujus non modo nobis, verum etiam obnoxii eritis univerſæ plebi. Illi vero ad opus ſuum regreſſi, ſicut vir ſanctus prælocutus fuerat, invenerunt vinum jam penitus a fluxu quieviſſe.

Alio vero tempore cum navigaret ad oppidum, quod dicitur (4) *Sibenicum, & in navicula,* 4
qua vehebatur Sanctus, veheretur vini etiam dolium, & ventum eſſet ad locum, qui vulgo (5) 5
Plancha, latine aut Hyllis vel Promontorium Diomedis vocatur, motus vehemens factus eſt in mari. Et quia præfatus locus a terra fere præciſus, & quadam latitudine porrectus in mari, plerumque vero marinis cooperitur fluctibus, navigium memoratum (6) *incaute in idipſum ruens* 6
ſaxum, ſubmerſum eſt cum omnibus quæ ferebat. De quo navigio cum alii natando, alii tabulis hærentes, ſi quas obtuliſſet caſus, exirent, ſolus Antiſtes ſuper undas maris quaſi ſuper aridam illæſus exivit.

Ultimo autem eo jubente navigium ita illæſum cum rebus ſuis de profundis educitur, ut in ſuprafatum vini dolium ſtilla non ſubrepſerit aquæ.

Notæ.

(1) Ideſt cultores vinearum, & prædiorum epiſcopalium.

(2) Ge-

(2) Genus dolii.

(3) Vinitorum culpa divinæ hujus largitatis fontem obſtructum eſſe ſignificat, ſive quod rei tam novæ atque inuſitatæ admiratione defixi atque obſtupefacti, neque mentem, neque animum ad bonorum omnium largitorem converterant, eique pro beneficio tam ſingulari gratias agere neglexerant, ut Joannes Franciſcus Lauretanus interpretatur; ſive quod iniquo invidoque animo ferrent pauperes undique confluentes haurire ex inexhauſta illa ſcaturigine divinæ liberalitatis; ſive quod æſtu quodam avaritiæ perciti metuerent, ne vilitas vini ex nimia illa muſti exuberantis affluentia conſequeretur.

(4) Sibenicum oppidum frequens ac nobile, quod tunc Tragurienſis diœceſis finibus continebatur; & fortaſſe ut ſuum illum gregem reviſeret, & ritu epiſcopali luſtraret, illuc Joannes ſe conferebat.

(5) De Promontorio Diomedis, ſive Hylli peninſula ſatis multa diximus Tom. I. Illyric. Sac. Parte 2. Prolegom. cap. 5. §. 3.

(6) *Navicula utpote onerata dolio vini, vi tempeſtatis induſtriam remigum ſuperante, naufragium paſſa eſt; & cum in ceteris Dalmatiæ promontoriis talia non eveniant, ideo Planca adeo eſt naufragiis infamis, & nautis formidabilis, ut ex undarum agitatione etiam pacatiſſimo mari continuus circa eam fragor audiatur, & inter cavernoſos ſinus unda ſpumans varios & horribiles ſonos edat, æſtuſque & reciprocatio vortices efficiat, ita ut Scylla ſimul & Charybdis Dalmatica dici poſſit; nunc autem S. Joannis nuncupatur vel a miraculo naviculæ hic relato, vel ab eccleſia inibi prope in continenti in honorem ejuſdem Sancti condita.* Joannes Lucius in notis.

Caput IV.

Colomanus Hungarorum rex Jaderam obſidet, vehementerque oppugnat. Joannes bellicam machinam effuſis apud Deum precibus disjecit, urbem ab excidio prohibuit.

1 *Per idem tempus* (1) *Colomanum Pannoniorum regem contigit ad maritimas partes in manu potenti & brachio excelſo deſcendere, ut regnum ſuæ ditioni ſubjugaret Illyricum, Croatiæ*
2 (2) *gentibus jam ſubactis. Et quia civitas Jadratina munitior & potentior ferebatur ceteris civitatibus inferiorum partium Dalmatiæ tum natura loci, tum etiam multitudine populi bellicoſi,*
3 *quæ quondam ab Adrio* (3) *fratre Itali fertur fuiſſe conſtructa, contra illam primo direxit aciem exercitus univerſi, quam, cum ſibi nollet obtemperare, circumcinxit obſidione, & erectis adverſus illam propugnaculis & variis generibus tormentorum, non minimam ſtragem murorum urbis & turrium faciebat.*

Eodem modo & cives pro ſalute certantes adverſum exteriorem ſuam machinam, quæ vulgo
4 *T. Artaria* (4) *dicitur, erexerunt. Sed quodam præſagio contigit divino, ut quoſcumque lapides vibraret machina civium, aut ſuper ſuas crates, vel vineas, aut intra muros ſuos, retorti converterentur; unde perturbati, atque conterriti nullum aliud ſaluti ſuæ remedium expectabant, niſi aut præliando cruentum occaſum, aut ignominioſæ deditionis eventum.*

Quibus ſic dubitantibus occurrit beatus Joan-
5 *nes* (5) *Tragurienſis Antiſtes, more ſolito fatigatus, ut inter Jadratinos & regem exortum ſedaret tumultum, & ad pacis normam utriuſque populi revocaret errorem. Ad cujus adventum gaviſi cives, & ſupra quam dici poſſit gratulabundi effecti, veluti de ſuæ ſalutis auctore, ipſum adeunt gradu feſtino, conſulentes, quid facto ſit opus, quidve ſit factum pandunt per ordinem. Quos Sanctus blande, leniterque conſolatus eſt, dicens: Nolite turbari, nolite, filii, metuere, nam & me cauſa ſalutis veſtræ ad vos tranſmiſit Deus. Ite velociter, & machinam veſtram mihi nunciare ſtudete.*

Abeunt igitur ad locum feſtini, ubi regia machina tantam jam dederat ſtragem murorum, quod patebant hoſtibus intrinſeca civitatis, reparanteſque ſuam, velocius Epiſcopo quæ geſſerant nunciant abſque mora. Ille vero quantocyus pergit ad locum, & inter crepitantium ſaxorum turbines intrepidus perſeverans, elevatis in cælum manibus, fixiſque in terram genibus hanc orationem fertur fudiſſe ad Dominum: Omnipotens æterne Deus, cui cuncta famulantur elementa, reſpice propitius ad preces ſervi tui, & clementiam tuam exorantem pro ſalute populi tui civitatis iſtius, & illius, quorum princeps hunc expugnare nititur, exaudi, & præſta ut ſicut uterque populus gaudet unius deitatis cultura, & ejuſdem fidei claritate refulget, ita unius ejuſdemque terreni rectoris moderamine gubernetur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus in ſæcula ſæculorum.

Surgens autem ab oratione juſſit lapidem ſibi offerri: quem ponens in funda (6) *inquit: Do-* 6
mine Deus Sabaoth, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum, qui lapidem fundæ David in Philiſtæum direxit, ipſe te dirigat in exteriorem machinam, quæ abſque humani generis læſione ictibus attrita tuis ex toto corruat, & diſſipetur, ut nec alia loco illius valeat reparari. Et hæc dicens funes univerſos juſſit trahi potenter; & percuſſa eſt machina extranea, nec non ictibus ita contrita ſequentibus, quod ſicut vir orando impetraverat, nulla loco prioris potuit reparari.

Notæ.

(1) Colomanus, dum claſſis Venetorum longe aberat, ſacræ expeditionis cauſſa in Syriam profecta, immemor fœderis, quod cum Venetis pepigerat, Dalmatiam invaſit, ac ſociis fœderatis ademit anno 1105.

(2) Ante triennium Chrobatiam voluntaria procerum Chrobatorum deditione in ſuam poteſtatem redegerat.

(3) Univerſam Dalmatiam ab Adrio fratre Itali ex quorumdam opinione appellatam fuiſſe tradit Archidiaconus cap. 1. *Quidam dicunt, quod Adria dicitur a quodam Adrio fratre Itali, qui regnavit ibidem.* Vide Tom. I. Illyr. Sac. Parte 2. Prolegom. cap. 7. §. 4.

(4) *Genus machinæ, teſtudinem arietariam per abbreviationem T. Artariam ſcriptam, tunc uſitatam ſignificat.* Joannes Lucius in notis.

(5) *Solitos fuiſſe Epiſcopos pacem inter Principes Chriſtianos conciliare in ſcripturis antiquis apparet.* Joannes Lucius in notis. De hac obſidione Jadrenſi Andreas Dandulus: *Jadratinam urbem regionis eminentiorem obſedit, & intrinſecos machinis impugnare non diſtulit. Illi autem promiſſæ fidelitatis memores regiis inſultibus viriliter reſiſtebant, & meritis etiam B. Joannis Epiſcopi Tragurini eis aſſiſtentis conſervabantur illæſi.*

(6) *Fundam hanc fuiſſe unam ex machinis a Romanis olim uſurpatis, ſicut & teſtudinem arietariam ſupra nominatam, ex earum deſcriptione hic poſita, ex Vitruvio lib. 10. cap. 19. & Vegetio de re militari lib. 4. cap. 14. conſtat.* Joannes Lucius in notis.

Caput V.

Jadrenſium cauſam agit apud regem, qui divina hominis eloquentia delinitus, ac viri ſanctitate cognita, illius apud Deum precibus ſe commendat.

Videns autem rex, quia victoria prope adepta de manibus ejus eripiebatur, cœpit cogitare anxius, quo conſilio potiſſime niteretur: cedebat namque majeſtati regiæ ad ruborem abſque victoriæ triumpho ab incœptis deſiſtere, ad detrimentum vero totius ſui exercitus ibi potentes vires effundere, ubi caſſata fuerant jam effuſæ.

Cumque jam nulla ſpes ſupereſſet de obtinenda victoria, convertit mentis aciem ad partem conſilii ſanioris; & eos, quos armis non poterat, beneficiis aggreditur expugnare. Mittit itaque legatos cum hujuſcemodi mandatis ad cives: Quia ſi regiæ placet obtemperare clementiæ, ducam vos inter regni primos, & urbem quam incolitis, ut cognoſcatis me deſiderare magis voluntarios amicos aſciſcere, quam imperitare coactis.

1 2 *Satisfaciunt igitur cives juxta conſilium* (1) *ſancti Præſulis regiæ ditioni, & fit deditio* (2) *pro civium voluntate. Requirente vero rege, quibus eſſent auxiliis ab ipſius invaſione liberati, referunt ſeriatim ſe Sancti Joannis Tragurienſis Antiſtitis præſidio & munimine fuiſſe ab ejus impugnatione defenſos.*

Juſſit ergo rex eum præſentari ſibi, & ſciſcitans, cur tantum contra regis præſumpſiſſet potentiam, tale reſponſum ab eo recepit. Cauſa tuæ ſalutis, bona rex, tuique exercitus credas hæc omnia geſta, ne tu, cum ſis chriſtianitatis inſignitus ſtemmate, chriſtianorum cruentareris ſanguine, & exercitus tuæ clementiæ ſerenitatique ſubjectus, eodem cruore fœdatus, humanitatis exuto fræno, crudelitatis incurriſſet infamiam; ac per hoc iram Dei omnipotentis contra ſe tecum pariter excitaſſet, & ſic ſanguinem populorum pereuntium innocenter de manu regia requiſiſſet Deus. Nunc autem ſalvo regis imperio, ſalva ſunt omnia, & ex alto providit Dei clementia, ut & tuæ ditioni ſubjiceretur populus, & manus tuorum a ſanguine ipſius mundæ invenirentur.

3 *Miratus rex in eloquentia* (3) *ſapientiæ illius, factus de ejuſdem ſanctitate vitæ certior, pronus adoravit eum, & ait: Ut video, amicus Dei es, & verbum ejus in ore tuo verum: & ideo, ſancte pater, tuam depoſco gratiam, ut pro me famulo tuo ad regem regum preces digneris fundere, quatenus nos in pace cuſtodiens noſtri regni habenas dirigat, & poſt vitæ præſentis curſum cum electis ſuis regnum nobis indulgeat ſempiternum.*

Notæ.

(1) B. Joannes auctor fuit Jadrenſibus civitatis Colomano dedendæ, cum videret urbem in tanta propugnatorum paucitate contra tantas hoſtium copias diutius defendi non poſſe.

(2) Deditio facta eſt an. 1105. ut declarat inſcriptio inciſa in turre templi Benedictini S. Mariæ Virginum Jadrenſium; itemque tabulæ ejuſdem cœnobii S. Benedicti, quæ huic anno ingreſſum in urbem Colomani adſcribunt: *Anno Incarn. D. N. Jeſu Chriſti MCV. Ind. III. Regnante piiſſimo Calomagno Chroatiæ & Dalmatiæ primo anno, quo triumphaliter ingreſſus eſt.* At Veneti Scriptores Jadertinam deditionem in annos poſteriores conjiciunt.

(3) Colomani non amorem ſolum, ſed etiam admirationem ac venerationem Joanni conciliarunt hæc tria potiſſimum, eloquentia in qua plurimum excellebat, doctrina exquiſita, ſanctitas prorſus eximia; quibus ille rebus ſummum apud regem vel auctoritatis, vel gratiæ locum obtinuit, nihil ut ab eo peteret, quod non impetraret. Joannes, ut Lucius opinatur, in primis auctor fuit Colomano, ut libertatem eccleſiaſticam reſtitueret, & jus conferendi Sacerdotia dimitteret anno MCXI. in provinciali Synodo Dalmatica, quod quidem exemplo Henrici Imperatoris uſurpare jam cœperat, ut apparet ex regio diplomate dato Tragurii anno 1108.

Caput VI.

Sibenici dum ſacris operatur, columba cælo dimiſſa ejus capiti inſidet, ſpectante rege, qui ſancto Antiſtiti gratificaturus Tragurienſem Eccleſiam novis cumulat privilegiis.

Honoravit autem eum muneribus plurimis, & pariter cum illo gradiens pervenit ad oppidum Sibenicum, ubi eccleſia (1) *beati Archangeli Michaelis uſque ad præſens cernitur eſſe conſtructa; in qua dum ſacra Miſſarum celebraret myſteria, columba nive candidior, ſolo rege vidente, deſcendit ſuper caput ſancti Præſulis, & ei tandiu inſedit, donec initiata ſacrificia conſummarentur: quibus peractis elevata eſt ad cælos nuſquam ultro comparens. Quo viſo miraculo rex obſtupuit, & idipſum circumſtantibus revelans ait: Vere nunquam audivi talia, qualia de hoc viro viderunt oculi mei hodie.*

Poſt hæc vero rex ingreſſus Tragurium (2), 2
dona (3), *quæ eccleſia cathedralis illius loci a* 3
Croatiæ regibus, ſeu a Salonitanis principibus promeruerat, ampliavit, & privilegiorum munimine roboravit; & vale faciens Præſuli ſancto, accepta benedictione (4) *diſceſſit.* 4

Notæ.

(1) *Extat adhuc*, inquit Lucius in notis, *ipſa eccleſia S. Michaelis in vertice collis, ſuper quem eſt ſita civitas Sibenici, nunc intra aream caſtelli incluſa, antiquiſſimæ ſtructuræ; in qua B. Joannem celebraſſe conſtans Sibenicenſium eſt per traditionem opinio; ubi ſervatur imago Virginis Deiparæ vetuſtiſſima pictura in tabula expreſſa, ante quam Miſſam celebraſſe B. Joannem referunt; quæ a Sibenicenſibus totius populi concurſu in ſollemnitatibus & neceſſitatibus, argento, auro, & gemmis ornata proceſſionaliter per civitatem fertur, & in caſtro reponitur; ſed cum difficilis ibi pateat aditus multitudini, ad populi commoditatem extructa eſt eccleſia prope caſtrum, in qua ſingulis ſabbathis ſollemniter exponitur, maximoque concurſu colitur, ubi inter ornamenta ſupra ſacram imaginem candida columba alis expanſis ſculpta cernitur in memoriam miraculi a textu relati.*

(2) Tragurienſes exemplo Jadrenſium admoniti, maluerunt Colomano ſe ultro tradere, quam urbis oppugnationem & regis potentiam ſuſtinere.

(3) Neque quibus donis Eccleſiam Tragu-

rien-

rienſem cumulaverit ; neque quibus privilegiis ornaverit , memoriæ proditum eſt . *Mirabitur merito quiſque privilegia regum Croatorum , & Colomani confirmationem , Eccleſiæ Tragurienſi conceſſa non reperiri, cum fragmentum teſtamenti antiquiſſimi unius e principibus Salonæ a textu memorati extet , de quo in patriæ Chronico.* Joannes Lucius in notis. Id fragmentum teſtamenti Quiriniani ſupra deſcriptum eſt.

(4) In Hungariam rediit vel eodem anno 1105. vel ſequenti, poſtquam Spalatum & reliquam Dalmatiam occidentalem ſub poteſtatem redegerat.

Caput VII.

Morti jam proximus eos, qui ſibi aderant, ad chriſtianæ religionis pietatiſque ſtudium hortatur, & divino inſtinctus numine futura multa prædicit.

Non multis autem elapſis annorum curriculis
1 *(1) poſt regis, de quo præfati ſumus, receſſum, ſanta moleſtia corporis ſubſecuta eſt ſanctum virum, quod membrorum omnium diſſolutionem pati videretur . Cumque ſupernæ vocationis tempus ſibi cerneret imminere , convocatis clericorum & laicorum cœtibus in unum , dixit : Fratres , & filii, voluntas Dei fuit uſque modo, ut vobiſcum viverem peregrinus & advena ; nunc vero tempus incumbit, ut commendem terræ corpus , & reddam animam Creatori . Conſiderate igitur dilecti, animadvertite cariſſimi, quam fragilis , quam ſit labilis imago vitæ præſentis : Quæ cum incautis gaudium de præſenti, non ſpem offerat de futuro, nil aliud exercet, niſi ut cum repentino ſuperveniat interitu ; & quos incautos poſt ſe male illexerat, male faciat interire : & ita eſt , ut qui heſterna die quaſi flos vernans egrediebatur, hodie tanquam fœnum exeat arefactus . Neque ponatis ſpem in mundanis opibus , aut gloria , quam cum homo interierit , non ſumet aliquid , neque deſcendet cum illo gloria mundi. Nudi enim ſumus egreſſi de matris utero , nec dubium, quia nudi revertemur illuc , nihil nobiſcum præter virtutes , ſeu peccata portantes . Quæcumque enim ſeminaverit homo , hæc moriendo metet ; & ut dixi vobis , redemptor vitæ meæ Deus vocare me dignatur de mundi medio , cujus vocationem tam lætus mente concipio , quantum labori perituri ſæculi lætabundus finem impono . Vos autem , filii , pacem habete , & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum . Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus , & pereatis de via juſta.*

Poſt mortem vero meam de paſtoris deliberate ſucceſſione , cujus vita vobis proficiat , & doctri-
2 *na . Corpus meum intra corpus terræ (2) oc-*
3 *culite ; futurum (3) eſt enim, ut propter peccata poſt generationem hanc ſurgentium viſitet Deus in virga iræ ſuæ locum iſtum, & deſtructis mœnibus ejus univerſis , incolæ per aliena loca diſperſi tempore non modico exulabunt.*

Poſt hæc iterum redeuntes civitatem reædifica-
4 *bunt , quæ cultores (4) ſuos munimine fovebit perpetuæ fortitudinis , protegetque inſuperabiles ſemper.*

Notæ.

(1) A Colomani e Dalmatia diſceſſu, ideſt ab anno 1105. vel ſequenti, anni minimum ſex interceſſerint oportet, ante quam B. Joannes e vita migraret; nam anno 1111. adhuc ſuperſtes erat, ut conſtat ex privilegio Colomani Arbenſibus conceſſo , cui ſubſcriptus reperitur *Joannes Tragurienſis.*

(2) *Occultatio hæc corporis* , ut monet Lucius, *intelligenda eſt de ſepultura ordinaria ſubtus ſuperficiem terræ more epiſcopali ; non de occultatione reali, ita ut neſciretur ubi corpus tumulatum eſſet, propter deſtructionem futuram civitatis ab eo prænunciatam; cum & locus ſepulturæ deſcribatur paullo poſt, & miracula ad ejus ſepulchrum referantur ; ideo notum fuiſſe ſepulchri locum oportet.*

(3) Divino ſpiritu afflatus prænunciat cladem Saracenicam, & excidium civitatis, quam etiam ræedificatam iri prædixit.

(4) *Prophetia hæc* , inquit Lucius , *favente D. O. huc uſque verificata eſt ; nam quamvis Tragurium Venetorum & Ungarorum dominium mutaſſe hiſtorici ſcribant , tamen cum utroſque eodem tempore dominos cognoverit , totaliter dominium mutaſſe dici non poteſt , cum pro bono ſtatu civitatis mari circumdatæ conſervando Venetos maris dominos ſemper libenter recognoviſſe dici debeat ; neque ab alterutro vi capta fuit , ſed ad utroſque per temporum viciſſitudines deditione tranſiit ; & nunc per annos 237. ſub Venetorum tutela quieta & florens reperitur, deincepsque meliora ſperanda , cum a parte terreſtri validis nuper fulta propugnaculis , ab immani Turcarum vicinorum potentia , a ſancti Præſulis promiſſa in vaticinio protectione ſecurior redderetur , ſi operibus Sancto gratis cives incumbent.*

Caput VIII.

Sanctiſſime moritur. Ingens totius urbis luctus, maximique ad ejus funus celebrandum concurſus. Sepulcri locus , quem multis , illuſtribuſque Deus adornavit miraculis.

His dictis pacem ſibi dari ab univerſis expoſtulat ; & duobus familiaribus ſecum dumtaxat retentis, jubet ceteros pro foribus poſtulari , & ipſe palmas utraſque tendens ad ſydera , in hunc modum ultimas fudit preces ad cælos.

Domine Deus, in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina , ne mihi tenebrarum princeps occurrat, non me demergat tempeſtas aquæ, nec me abſorbeat profundum, neque urgeat ſuper me puteus os ſuum. Sed aperi mihi pulſanti januam beatitudinis tuæ , quam promiſit Jeſus Chriſtus filius tuus diligentibus nomen tuum benedictum in ſæcula . Recommendo tibi , paſtor bone, gregem , quem meæ ſolicitudini, dum viverem, commendaſti. Majeſtatem tuam pro illis ſuppliciter exorans, ut eos & in præſenti tuæ conformes gratiæ, & in futuro tuæ gloriæ attribuas eſſe participes , Salvator & Redemptor mundi , in cujus manus commendo ſpiritum meum.

Et proſternens ſe ſuper conſuetos aſparagos , ubi beatam vitam duxerat , precioſam ibidem (1) 1
animam reddidit Creatori. Vociferantibus iis, qui cum eo remanſerant , plangore luctuoſiſſimo flentes ; univerſi cives adveniunt , completur lamentis civitas omnis , non poterat aliquis abſtinere a fontibus lacrymarum . Idem dolor errabat pariter per omnem ſexum , ætatem , & conditionem. Dies illa tota ducitur luctu & mœrore confecta.

Tractantes denique ſacrum corpus ut ipſum ad tumulandum chriſtianitatis more componerent, ita plenum liventibus vibicibus inventum eſt , ut a planta pedis uſque ad verticem ſanitas in eo vix inveniretur. Etenim ſicut demum compertum eſt,

2 *referentibus veridicis* (2) *teſtibus, pluries viſus eſt intempeſtæ noctis ſilentio in mare, quod vicinum habebat tenus alvo, deſcendere, & ſemetipſum duris flagris, duriſque caſtigare cruciatibus.*

3 *Sepelitur* (3) *tandem, ſicut vivus mandaverat, cum hymnis & laudibus in corpore terræ, in majori baſilica, meridionali parte, contra altare Sanctorum martyrum Coſmæ & Damiani.*

4 *Ad ſepulcrum* (4) *ejus cæci ſunt illuminati, paralytici curati, ex obſeſſis corporibus, quod frequenter evenit, Dæmones ipſius interceſſionibus ac meritis effugati.*

Notæ.

(1) Nulla extant monumenta, ex quibus poſſit certo deſignari annus emortualis B. Joannis. Anno 1111. ſuperſtitem fuiſſe declarat privilegium Colomani Arbenſibus conceſſum: hoc quippe anno Colomanus cum Epiſcopis & proceribus Hungariæ in Dalmatiam rediit, atque in frequentiſſimo conventu, ſive Synodo provinciali, ad quam Epiſcopi Dalmatiæ cum Creſcentio Metropolita Spalatenſi convenerant, privilegium urbi & Eccleſiæ Arbenſi conceſſit, quod ſua teſtificatione, ſuoque chirographo firmavit & ſubſcripſit *Joannes Epiſcopus Tragurienſis*. Præterea Joannes Lucius ait extare apud ſe tabulas anno eodem 1111. confectas, teſtes collatæ cuidam Presbytero eccleſiæ urbanæ S. Leonis. In his autem invenitur ſubſcriptum nomen *Joannis Epiſcopi*. Poſt annum 1111. nullam ejus memoriam in Tabulis Tragurienſibus, ſive Dalmaticis reperiri licuit. Quare vel huic anno, vel ſequenti pia mors S. Joannis adſcribenda eſſe videtur, anno fere quarto antequam Colomanus e vita decederet; nam, ut eſt in ejus vita, *non multis elapſis annorum curriculis poſt regis receſſum*, ſuperſtes fuit. Cum igitur anno circiter 1062. Tragurienſis Epiſcopi nomen & inſignia ſumpſerit, eccleſiam illam annos circiter quinquaginta ſanctiſſime gubernavit: ſi vero natus eſt, ut ſupra diximus, anno 1034. ad annum fere octogeſimum vitam perduxit.

(2) *Hic obſervanda diligentia Scriptoris; nam relatis vibicibus, quæ in ſacro corpore apparebant, ex iis confirmabantur evidenter, quæ de corporis afflictione ſcripſerat: ſubdit deinde deſcenſum in mare; quod prout nocturnum & occultum, ideo non apparens, per veridicos teſtes comprobatum refert. Concludendum inde videtur, tunc relatione teſtium adhibita ritu eccleſiaſtico, hanc hiſtoriam in ſcriptis ab ipſo anonymo ad rei veritatis memoriam conſervandam poſteris relictam. Quod autem refert de proximo mari, ex eo cognoſcitur epiſcopium fuiſſe eo loco, quo nunc eſt; cum muros habuiſſe civitatem tunc etiam ex parte maritima, innuere videatur porta Dominica, nunc S. Nicolai dicta, in Scriptura 1064. memorata; epiſcopiumque ipſum portam habuiſſe in litore maris, vel in ipſo mari.* Joannes Lucius in notis.

(3) *In eodem angulo*, inquit Lucius, *B. Joannis ſepulturam extitiſſe, inſcriptio marmorea in pavimento poſita locum inventionis deſignans teſtatur.*

CORPUS D. JOANNIS
HIC INVENTUM.

Imagines autem altaris SS. Coſmæ & Damiani vetuſtate fatiſcentes, noſtris temporibus ablatæ fuerunt, & ſymbolum charitatis ſuper eodem altari nunc cernitur.

(4) *Concludit primus Scriptor cum miraculis poſt ſepulturam ſecutis, pro corroboratione relatorum de ſanctitate ejus, quæ cum tunc cunctis notiſſima fuiſſent, ideo in illis comprobandis nullam diligentiam adhibuit.* Joan. Luc. in notis.

PARS SECUNDA

Auctore Treguano Archidiacono Tragurienſi.

De inventione, itemque translatione corporis S. Joannis.

Caput I.

Tragurium a Saracenis direptum, ac funditus everſum. S. Joannes ſemel, iterum, ac tertio ſeſe videndum obtulit Theodoro cuidam eximiæ pietatis viro, eumque de loco ſui ſepulcri docuit, cujus ſcilicet memoria penitus interciderat.

UT (1) *autem ea, quæ prophetico ſpiritu prædixerat, implerentur, evolutis paucis annorum* (2) *circulis poſt ejus obitum, civitas a Saracenis non modo capta, verum etiam funditus eſt everſa; cujus* (3) *incolæ diverſi non paucis temporibus exulaverunt.* 1 2 3

Poſt multum (4) *vero temporis cum & civitatis reficiendæ tempus, & Confeſſoris eſſet gloria precanda profutura; nonnulli cives ſuperſtites ad propria redierunt, & intendentes propriis & publicis reædificationis uſibus, Confeſſoris memoriam oblivioni penitus tradiderunt. Cumque poſt reædificatam urbem nulla de ipſo vel fabula vulgaretur, eſſetque illo tempore in eadem civitate quidam pauper ſpiritu, nomine Theodorus, quam ob vitæ ejus innocentiam emancipaverat* (5) *dominus ſuus, ei per viſum Sanctus apparuit, dicens: Theodore frater. At ille in viſu reſpondens ait: Quis es Domine? Cui Sanctus. Ego ſum Joannes hujus civitatis quondam Epiſcopus. Surge, vade, dic Epiſcopo* (6) *Tragurienſi, ut meum educat corpus de loco illo, ubi jacet ſepulcro contectum, ut orem pro populo & civitate iſta. Quibus dictis repente diſparuit.* 4 5 6

Expergefactus homo ſurrexit eadem hora, & cœpit intra ſe viſionem tacitus retractare, cogitando non viſionem, ſed phantaſiam ſibi aliquam apparuiſſe, & conticuit.

Elapſis autem aliquot diebus, mediæ noctis tempore, præfato viro in hunc modum viſio iteratur. Vir veneranda canitie vexillum crucis geſtans manibus, fulgenti ſtola candida velatus, tetigit eum, dicens: Frater Theodore. Cui cum in viſu reſpondiſſet, Adſum; protinus ſubjunxit: Quare neglexiſti nunciare mandatum meum Epiſcopo? Surge, vide, conſidera diligenter, quoniam qui nuper per viſum tibi apparuit, ego ſum qui loquor tecum. Cave igitur ne admodum negligas nunciare quæ cernis; non phantaſtico quidem, ſed vero habitu loquor tibi.

Surgens homo in pavore mentis Epiſcopum adiit; & ei data copia loquendi, quæ ſibi revelata fuerant, patefecit omnia ſingillatim. Epiſcopus vero dictis illius fidem non facile faciens, paucis reſpondit dicens. Vade, fili, & ſuper viſiones hujuſmodi ne ſis ſolicitus ammodo; quoniam attendere ad ſomnia, tanquam ad viſa mendacia, voce prophetica prohibemur.

Abiit in domum ſuam homo, & ad Epiſcopi dehortationem de viſione diffidens, nullam deinde viſionem mente ſua conſtituit eſſe credendam.

Qua-

Quadam vero die, dum consueto more ligna referret solus, fessus onere, quem jam ætatis vetustæ gravarat imbecillitas, depositio fasce resedit; & cum more fatigatorum in cujusdam se nebulæ soporem dedisset, adest Sanctus cum immenso luminis fulgore, tangensque illum vexilli, quod gerebat, cuspide suscitavit dicens: Frater Theodore. Experrectus homo a somno, atque insolita luminis claritate perterritus, non poterat linguam resolvere in responso. Qui tenens ejus manum, blanda & leni allocutione confortavit eum, & ait: Noli timere, fili; non enim soleo percutere, sed sanare percussos; propera igitur, & Episcopo nuncia verum hominem non phantasticum apparuisse; & ei suggeras, ut corpus meum de subterraneo educat sepulcro; ab Omnipotente namque mandatum suscepi, ut pro salute populi civitatis illius coram illo sim medius & perpetuus intercessor.

Ille vero, quamvis formidine non adhuc omnino depositia, confisus, familiarius tamen, & domesticæ allocutionis humanitate in his verbis respondens, ait: Ecce, Domine, quod hortaris prosequar. Quærenti ubi sit loculus sepulturæ tuæ, quale dabo responsum? Et ille: In ecclesia martyris Laurentii quærat edicito, & ubi fustem laureum terræ affixum invenerit, ibi corpus meum cognoscat esse sepultum. Tu autem ne mea mandata negligas, diligenti cura observa; non enim, si ultra neglexeris, majoris discriminis pœnam evades. His dictis eadem luminis eum immensitate prosequente, discessit.

Abiens igitur homo in domum suam totus lutidus, & debiles jam artus sustentans baculo, Episcopum adiit, & linguam vix in hæc verba resolvens, ipsa ei visa referat pariter & audita.

Notæ.

(1) Hinc Treguanus suam narrationem orditur, quam cum superiori parte ab Anonymo descripta conjunxit. Quæ de vita & gestis B. Joannis Anonymus scripsit, ea Treguanus sic *reformavit de inventis nihil minuens, de suis nihil adjiciens*, ut suis verbis expresserit, ad suumque dicendi genus accommodaverit. Hinc fit, ut in utraque parte unus sit sonus orationis & idem stilus.

(2) Cladem Saracenicam & Tragurii eversionem censeo cum Joanne Lucio conferendam in annum 1123. qui ab obitu Joannis fere duodecimus erat; nam per ea tempora, cum Veneta classis abesset in Syria, ac Tyrum urbem opulentissimam conjunctis armis viribusque cum sociis sacri fœderis obsideret, mare Adriaticum aut nullis, aut paucis armatis Venetorum navigiis custoditum, non difficilem aditum præbebat Saracenis privatis, qui ad latrocinandum vel ex Hispania, vel ex Africa solverant: utraque enim illa regio Saracenorum dominatu premebatur. Hi ergo in Adriaticum mare penitus invecti, ac Tragurium de improviso adorti, tectis ac mœnibus incensis & eversis funditus diruerunt; & opulenta præda potiti abierunt. Hanc Tragurienſem calamitatem & eversionem nullus ex Historicis seu Venetis, sive Hungaris commemoravit, præter Treguanum, qui quamvis Saracenica vastatione annis fere octoginta posterior fuerit, tamen auctor est satis idoneus ad fidem faciendam; siquidem a parentibus filii, ab his Treguanus de urbe per Saracenos eversa doceri potuerunt. Præterea ejusdem eversionis fidem faciunt tabulæ cœnobii S. Nicolai Virginum Tragurienſium anno 1194. confectæ, in quibus hæc leguntur: *Cuncta prope olim captæ urbis desolatione penitus abolita & amissa*, quæ omnino congruunt cum illa prophetica B. Joannis prædictione: *Futurum est enim, ut propter peccata post generationem hanc surgentium visitet Deus in virga iræ suæ locum istum, & destructis mœnibus ejus universis &c.* neque referri possunt ad Venetos, qui anno 1171. urbem intactis ædificiis diripuerunt, sed ad Saracenos, qui fere omnia solo æquarunt. At, inquies, Joannes morti proximus, cum prænunciavit interitum civitatis, culpam omnem & tanti mali causſam contulit in *peccata hominum post hanc*, inquit, *generationem surgentium &c.* quæ quidem verba videntur præsignificare inter mortem S. Joannis & eversionem Tragurii longe plures, quam duodecim annos elabendos esse. *Sed hæc verba*, inquit Lucius, *non sunt accipienda eo sensu, ut post hanc generationem tunc viventem extinctam id evenire debuerit, sed significari destructionem futuram, tempus autem non definiri;* vel potius hominum jam tum senescentium *generationem*, sive ætatem intelligi voluit; flagitiis autem eorum, qui ab illis nati jam erant, quorumque pravæ cupiditates simul cum ætate magis in dies magisque accrescebant, urbis excidium attribuit.

(3) Plerique Tragurienſium, cum alii alio se recepissent, Spalatum confugerunt: id quod intelligi potest ex diplomate Stephani II. regis Hungariæ, qui Colomano parenti successit anno 1114. In eo siquidem immunitates a patre concessas simul Spalatensibus & Tragurienſibus confirmavit anno 1124. *cumque nullum aliud inter multa Tragurienſium privilegia*, inquit Lucius, *simul cum Spalatensibus confirmatum vel concessum reperiatur, ex hoc argui potest destructionem Tragurii tunc proxime antecessisse, scilicet anno præcedenti;* idque argumento est Tragurienſes, qui patria eversa Spalatum profugerant, simul cum Spalatensibus illud diploma petiisse a Stephano & impetrasse.

(4) Urbi reædificandæ nullum certum tempus præfinierat S. Joannes. Ante annum 1151. Tragurienſes in patriam reversos fuisse, & templa ac domicilia reædificasse conjici debet ex privilegio, quod Geysa II. rex Hungariæ eodem anno Tragurienſibus concessit: ex quo intelligi potest urbem tunc restitutam & habitatam fuisse, suosque habuisse magistratus, per quos regeretur. Post excidium Tragurienſe usque ad eum annum nihil peculiaris privilegii ab regibus Hungariæ speciatim Tragurienſibus concessum invenitur; quippe antea in id unum intenti cum essent, ut publica & privata ædificia exstruerent, atque urbem quoquo modo possent, communirent, nulla illorum animos regalia diplomata postulandi cura, vel cogitatio subierat.

(5) *Manumiserat*, inquit Lucius, *cum servilis conditionis Theodorum fuisse argui ex textu debeat; servosque tunc ex posteriorioribus temporibus in Dalmatia fuisse constat. Quem Theodorum eremiticam vitam duxisse in insula Bua prope ecclesiam antiquæ structuræ S. Andreæ Apostoli vulgaris autumat traditio.*

(6) Hujus quoque Episcopi Tragurienſis nomen, quod Treguanus tacitum prætermisit, vetustas & oblivio abolevit, nisi forte fuerit Dessa filius Maccarelli, qui hoc sæculo duodecimo præfuit Ecclesiæ Tragurienſi, idque admodum verisimile est.

Caput II.

Episcopus Tragurienſis indicatum ſibi a Theodoro locum diligenter explorat, & B. Joannis tumbam reperit.

Adhibuit tunc demum fidem dictis Epiſcopus, & ut in ore plurimorum verba recentia ſtarent, jubet ſæpefatum hominem pandere ſeriatim myſteria revelata. Qui cuncta per ordinem revolvens, præſentibus religioſis tam laicis, quam clericis ad hoc vocatis, ut rei geſtæ teſtimonium perhiberent, ne Epiſcopus narrationis præſumptuoſæ poſſet incurrere reprehenſionem, retulit quæ, qualiter, & quo ordine viderit univerſa.

Cœpit Epiſcopus exinde ſciſcitari ſolicite, utrum de Joanne Epiſcopo fama ſenior aliquid in-
1 *dicaret. Pauci* (1) *admodum grandævi jam ſenio de antiqua deſtructione ſuperſtites referre cœperunt, ſe a ſuis prioribus accepiſſe, quendam*
2 *Romanum, longe ante civitatis* (2) *excidium, in eadem civitate fuiſſe Epiſcopum, Joannem nomine, per quem Deus multa, dum adhuc viveret, mirabilia faciebat; ſed propter urbis occaſum oblitos fere omnium, quæ de illo primores ſuos recitantes audire ſolebant; relationem quorum libenter amplectens Epiſcopus, eo quod cum viri teſtimonio conveniebat, ad locum, quem vir prænarraverat, vadit, & ita inventum eſt, uti fuerat præmonſtratum.*

Quod ut vidit, grates omnipotenti Deo retulit; & ad elevandum corpus, ſacrum indixit jejunium triduanum. Quo puncto ſubſequentibus clericorum & laicorum turbis, acceſſit ad locum,
3 *& accepto foſſorio* (3) *cœpit fodere primo manibus ſuis, deinde ceteris, quouſque ad tumbam devenirent, qua tegebatur ſancta gleba.*

Ea vero reperta quanto plebs geſtivit tripudio, non eſt noſtræ linguæ retexere, nec eſt præſentis evolvere facultatis, cum ad ea proſequenda, quæ protinus ſunt ſubſecuta, e veſtigio properemus.

Notæ.

(1) Ex illis, qui inter incendia & ruinas captæ urbis profugerant, ac deinde multis poſt annis in patriam redierant, pauci omnino erant, iique jam ætate longe provecti: quæ vel ipſi memineranr, vel a parentibus fama & auditione acceperant de ſanctitate & miraculis B. Joannis, Epiſcopo retulerunt; ſed pleraque illis memoria exciderant. Interitus urbis, diſperſio incolarum, diuturnitas exilii mentes hominum oblivione rerum præteritarum ſic obruerat, vix ut de tali & tanto Antiſtite fama tenuis ſupereſſet.

(2) Hæc referri poſſunt ad priores annos Epiſcopatus B. Joannis, non vero ad ejus mortem, quæ vix duodecim annis excidium urbis anteceſſerat.

(3) *Ex his confirmantur*, inquit Lucius, *quæ de deſtructione & deſolatione civitatis ſupra relata ſunt, nam in ejus deſolatione, ſicuti eccleſiam cathedralem a Saracenis deſtructam cenſendum eſt, ita tunc cives aliquam partem ejus, puta tribunam majorem reſtauraſſe; & prout in ſimilibus evenire ſolet, purgando pavimentum, ruinarum cumulos aſportaſſe, & ruinis in meridionali angulo exiſtentibus, ubi erat ſepulcrum, hæc quoque purgamenta aggeſſiſſe, ita ut opus fuerit fodere.* Jacebat itaque ſacroſanctum illud corpus hiſce ruderibus alte obrutum, e quibus inter cetera virgulta enatus eminebat *fuſtis laureus*, quem B. Joannes ſui corporis ibidem ſepulti indicem eſſe Theodoro nunciaverat.

Caput III.

Inventio ſancti corporis cæleſtibus prodigiis celebratur.

Reperto igitur, ut diximus, mauſoleo tentant revolvere lapidem ſuperpoſitum, & non poſſunt; accedentes autem plures prioribus, adjectis ferreis palis & cuneis, ſubmovere illum nullatenus potuerunt. Acceſſit tandem & dictus Epiſcopus, atque id ipſum tentans, nil profecit; unde contigit, ut lætitiam, quam novum novæ inventionis miraculum repente pepererat, repentinus admirationis ſtupendæ pavor ſuperveniens reprimeret, & innata mentibus feſtina gaudia, deſperationis ſperati theſauri caſus anceps miſerabiliter & mirabiliter occuparet.

Inito demum, & reperto conſilio ſalutari, jubet Antiſtes accerſiri ſæpe dictum Theodorum, ſperans per nullum melius digniuſque, quam per ipſum poſſe tanta ſibi reſerari myſteria; ut qui dignus fuerat electus relationis ſacræ indicio, dignus etiam relevationis ejuſdem præſumeretur. Accerſitus igitur accedit ad tumulum, & lapidem, quem potentum multorum vires, multorumque argumentorum inſtrumenta ſubmovere non poterant, ipſe dumtaxat, cultelli, quem geſtabat, ſubmiſſa cuſpide, non ſecus quam levem paleam, ſuſtulit & erexit.

Aperta itaque ſacra tumba, tantus, tantæque ſuavitatis emanavit odor, ut non modo vicina, verum etiam longe diſtantia loca mirando fragrore compleret. Invenitur ſanctum corpus illæſum, & incorruptum, excepto cubito ſiniſtro, ubi lapidis humore ſummo-tenus tangebatur.

Tunc accedentes religioſi viri ſimul cum præfato Epiſcopo, elevantes corpus cum hymnis & laudibus poſuerunt illud in capſa cupreſſina, quam cum eodem ſacro corpore locaverunt in ſarcophago marmoreo in eadem eccleſia, ubi requievit, præſtando invocantibus adjutorium ejus in nomine Domini multa beneficia; cæcis viſum, ſurdis auditum, debilibus greſſum, obſeſſis immundorum ſpirituum curationem, uſque ad tempus, quo civitas a Venetis fuit percuſſa.

Caput IV.

Brachium S. Joannis a Venetis ſublatum fruſtra repetunt Tragurienſes.

Secundo (1) *Veneti namque cum irent in Romaniam contra Chium comparato exercitu, divertentes illuc cum triginta galeis ad Tragurienſium portum applicuerunt. Cumque civitas nec murorum eſſet freta circuitu, nec munitione vallata turrium, nec bellicis armis fulta, ſed ſolis ſparis ex quibuſdam maceriis circumſepta fragilibus; invadentes eam prædones, & manu furibunda cuncta ſubvertentes invertunt, ſcrutantes* (2) *abdita quæque pro theſauris, quos occultos putabant, inveniendis, violato ſepulcro, quo ſacrum corpus in capſa jacebat, dum theſauros eccleſiæ in ea ſperant eſſe reconditos, ipſum cum ceteris ornamentis tamquam lupi rapaces diripiunt, & ad mare irreverenter uſque deportant; ibique aperta capſa, in qua ſperaverant theſaurum reconditum, cum nihil præter corpus ſanctum invenirent, non pietate moti, non pœnitentia ducti, quod venerabile corpus tam impie, tamque irreligioſe tractaverant; ſed videntes ſe fraudatos deſiderio ſuo ipſum invertunt, & eum nihil præter annulum circa illud rapina di-*
1
2

gnum

gnum invenirent, ipſum extrabere tentant; quod cum pro cupita velocitate non poſſent educere, manum cum cubito truncantes evellunt, & truncum corpus in litore beſtiali feritate relinquunt.

O nefaria dextra, quæ tale, tantumque ſcelus perpetrare non horruiſti! O ſævientum inaudita crudelitas, quæ de Confeſſore mortuo martyrem facere non timuiſti! O ferina non humana ferocitas, quæ pro raptu tam vili & modico univerſum exercitum defœdaſti, ut illud hiſtoriographi contra te poſſet perſimiliter retorqueri: Nulla fides, pietaſque viris, qui caſtra ſequuntur; Venaleſque manus, ibi fas, ubi maxima merces.

Dimittunt itaque piratæ deteſtabiles memoratum corpus in litore, & cum cetera rapina ſanctum deferentes brachium, via qua cœperant, infauſto omine navigarunt. Divinæ namque animadverſionis contigit ultione, ut præfatæ galeæ Chium navigantes ex eis aliæ naufragium paterentur, aliæ quidem ab hoſtibus ſuperarentur; reliquæ autem aereæ peſtilentiæ (3) tanto ſint contagio tabefactæ, quod ex triginta vix ſex ſuperſtites Venetias remearunt. Quæ omnia propter piaculum, quod in Sanctum, & venerabile corpus commiſerant non eſt dubium accidiſſe. 3

Comperto denique de galearum dictarum regreſſu cives Tragurienſes, conſilio communicato, legatos (4) pro memorato brachio repetendo Venetias deſtinarunt. Qui licet ſatis honeſte eſſent recepti, & honorifice tractati, data publica juſſione, ut ubicumque res eorum invenirentur, eas abſque difficultate reſtituerent qui haberent; ſuper brachio repetito bujuſmodi reſponſum reportarunt: Nolite, *fratres, nolite fatigari, nolite incaſſum verba fundere, repetendo brachium illud ſanctum, quod de corpore illius reverendi viri ſublatum eſt, & apud nos reverentiſſime collocatum; has enim corporum ſanctorum reliquias conſuevimus vobis longe melius venerari. Et ſic principalis cauſæ legatione fruſtrati legati civium ad propria ſunt reverſi.* 4

Notæ.

(1) Vitalis Michael Dux Venetorum anno 1171. ingentem claſſem eduxit contra Emmanuelem Græcorum Imperatorem, qui Venetis atque univerſo nomini Latino aperte inimicum ſe atque infenſum præbebat. Præter Jaderam, quam Veneti retinebant, Tragurium & reliqua Dalmatia Hungaris erepta in Emmanuelis poteſtatem conceſſerat. Dux itaque in altum provectus ex univerſa claſſe triginta triremes emiſit, quæ Tragurienſes ad imperium redire cogerent. Cum mœnia civitatis poſt cladem Saracenicam nondum reſtituta eſſent, urbs facili negotio capta & direpta eſt; nam ut docet Treguanus, *ſolis ſparis, & quibuſdam maceriis circumſepta fragilibus erat. Contra Tragurinos*, ut Dandulus ſcripſit, *qui Emmanuelis ſubjecti erant*, xxx. *miſit galeas, quæ urbem belligere obtinentes, ut poſteris cederet ad exemplum, non ſolum pro parte eam diruit*, (ſcilicet aliquot domos, quos Tragurienſes poſt ſuum in patria reditum reædificaverant) *ſed etiam propriis theſauris expoliavit.* Blondus tradit civitatem injuſſu ducis direptam fuiſſe; Sabellicus vero, cum ait funditus a Venetis everſam eſſe, videtur hanc Venetam poſteriorem direptionem cum illa ſuperiori Saracenica everſione confundere, de qua tabulæ cœnobii S. Nicolai ſupra laudatæ. Treguanus bellum a Venetis Emmanueli illatum vocat *ſecundum Chienſe*. Nam tunc iterum a Venetis Chium receptum eſt, quod ab illis antea captum ſub imperium Græcorum redierat. *Exinde poſtea Chium navigavit, & urbem illam cum tota inſula per deditionem accepit.* Dandulus.

(2) Dum omnia ſcrutantur, expilant, diripiunt, arcam S. Joannis effodiunt, deferunt ad navem, ſua ſpe fruſtrati ab illo ſacro corpore brachium abſcindunt, quod deinde ex illa expeditione redeuntes, cum aliis Divorum exuviis, quas a Chienſibus acceperant, Venetias retulerunt.

(3) *Peſſima peſtis in tantum invaluit, ut paucis interjectis diebus fere mille hominum perempti ſunt.* Dandulus. *Concordat*, inquit Lucius, *cum hiſtoricis Venetis, qui ex tota centum triremium claſſe 17. tantum ſuperſtites Venetias peſtem tuliſſe ſcribunt.*

(4) Hæc legatio conferri poteſt in annum 1174. Hoc quippe anno Sebaſtianus Zianus Dux Venetorum diploma perhonorificum Tragurienſibus conceſſit; idem vero, ut ſcribit Treguanus, res illorum in direptione urbis ablatas reſtitui juſſit, ut hoc duplici beneficio fruſtratæ legationis dolorem & ſurrepti brachii deſiderium leniret.

Caput V.

Brachium Sancti Joannis haud dubio Angelorum miniſterio Tragurium Venetiis relatum. Ea de re Tragurienſes cæleſti ſigno oblato admonentur.

Paucis (1) poſtmodum temporibus evolutis cum Sancti Confeſſoris adeſſent ſollemnia, & plebs univerſa de more priſtino ad nocturnas ipſius ſollemnitatis celebrandas vigilias convenirent, ſubito facta eſt inter ipſa noctis prima crepundia tanti luminis (2) copia, ut videntium ſe cunctorum reverberaret acies oculorum, & veluti cometa crinitus, qui regum regnorumque mutationes ſolet portendere, longos tractus terræ ſcintillari ſcindens vibramine, totam Iſtriam, cunctaſque inferiores partes Dalmatiæ prætervolans, uſque ſuper Tragurienſem Eccleſiam viſum eſt coruſcis radiis reſplenduiſſe: unde & civitas omnis in admirationis ſtupore converſa perterrita & attonita pariter mirabatur, quid ſibi portenderet luminoſa lampas circumfuſi fulgoris. Cumque ſplendore in noctis caliginem reſoluto, ſacriſta more conſueto ad luminaria concinnanda ſacrarium & locum, in quo jacebat ſanctum corpus, introiſſet, invenit præter ſolitum ſupra capſa corporis precioſi quiddam munda ſindone involutum. 1 2

Perſcrutato igitur, & quidquid illud eſſet diligentius recenſito, clara luce deprehendit, hunc eſſe theſaurum deſideratum diutius; hoc eſſe beatas reliquias, hoc eſſe brachium ſanctum, abſque dubio angelicis miniſteriis reportatum, quod humanis manibus Veneti dudum non dederant referendum.

Ad cujus miraculi ſpectaculum glorioſum concurſus fuit populorum laudantium, & glorificantium Deum Salvatorem, qui cum in cunctis ſit mirabilis, mirabiliter in Sanctis ſuis non dedignatur, nec deſinit glorificari.

Exultat plebs univerſa ineffabili gaudio & immenſa lætitia, tanto certior effecta ſe poſſe obtinere per ſuffragia tanti patroni, quæ a Deo juſte poposcerit, quanto liquidius per iſtiuſmodi eſt reperta miraculum, quod apud Altiſſimum ipſius precibus & meritis valeat in ſuis neceſſitatibus exaudiri.

Depo-

Repoſitus (3) eſt autem, ſive translatus Beatus Joannes Confeſſor & Epiſcopus in civitate Tragurienſi die XVIII. Kalendarum Decembrium.

Notæ.

(1) Brachii divinitus Tragurium relati tempus ignotum eſt.

(2) *Sigillum civitatis Tragurii erat commune cum ceteris Dalmatici nominis civitatibus, in quorum ſingulis civitas apparebat, muris & turribus circumdata; diſtinguebanturque inter ſe tantum litteris circa ſigillum, quibus uniuſcujuſque Communis nomen edebatur. In Tragurienſium autem ſigillis antiquis ſupra civitatem ſtella crinita cernitur eccleſiam verſus crine inclinato, quam pro memoria relationis brachii B. Joannis tunc civitatem addidiſſe conſtat; quo ſigillo hodie quoque utitur Communitas Tragurii.* Joan. Lucius in notis.

(3) *Hæc translatio*, inquit Lucius, *ſive depoſitionis dies a Treguano de die inventionis ac repoſitionis ſacri corporis in ſarcophago marmoreo ſcripta videtur; tamen de die obitus B. Joannis intelligenda eſt, ut preces in Miſſa & officio ante Treguanum compoſitæ teſtantur.* Certe hunc diem Tragurienſes a cunctis operibus ſervilibus feriati ſumma cum religione, ritu-que ſollemni concelebrant. At P. Philippus Riceputus in Vita Italica B. Joannis Idibus Maji eum obiiſſe tradit; unde id acceperit, ignoro.

Caput VI.

Miracula S. Joannis antiquiſſima, ſexaginta virorum teſtimonio firmata, quæ ineunte ſæculo tertio decimo Treguanus litteris mandavit.

Præfatio.

Cum autem contingat ſæpius, ut incredulitate fides eluceſcat, & per dubitationem ſolidetur veritas, omnipotens Salvator noſter, cujus immenſa providentia Sanctum ſuum extollit, & velut ſydus rutilans ſplendere facit, incredulorum periculo voluit Sancti hujus beatitudinem comprobare.

Miraculum I.

Jordanus Abbas de Joannis ſanctitate dubitans male multatus reſipiſcit, beatiſſimi viri opem implorat, ſanitatem recipit.

1 *Jordanus (1) vir religioſus pater monaſterii ejuſdem civitatis, cum die quadam quoddam ambiguum lignum dolandum minus caute tractaret, ſubtilis feſtuca ex eodem ligno dexteræ ipſius indicem penetrando ſubrepſit, quam conans educere nulla potuit ratione vellere. Tumeſcente itaque cum feſtuca digito, cœpit dolor affligere patientem, manus creſcere, cruciatus exareſcere, uſque adeo vitam trahere languidus morte multimodis graviorem. Cumque nec unguentis, nec per plures dies appoſitis medicaminibus, crudelis aliquatenus manſueſceret cruciatus, irruerentque dolores graviores ſolito, ægro trahente tempore inſomni, & omnino irrequieto, ad cruciaminum levamen ſolius mortis ſolatium expectabat: hærebat quidem ejus animo, ut votum de recuperanda ſalute Beato Confeſſori emitteret: ſed obſtabat culpa conſcientiæ, quæ de ſanctitate beati viri, dum ſanus extiterat, dubitabat. Quid plura? in confinio mortis jam fere poſitus, votum vovit Domino, & Beato Confeſſori Joanni, ut ſi ejus meritis ac precibus ab inſtanti liberaretur periculo, ad honorem ejus digitum argenteum offerret corpori ſancto ſuo. Nocte vero e veſtigio ſubſecuta, dum aurora futuræ diei daret initium, & ſæpe fatus æger in cujuſdam nebulæ umbra ſe ſopori dediſſet, qui ab exordio ingruentis doloris ſomnum nequaquam noverat, vidit per ſomnum quendam nobilem ejuſdem civitatis virum Joannem (2) cognomine Caſolinum ad ſe viſitationis gratia ingredientem, qui quaſi condolens, & paſſioni ejus graviter compatiens, manum languidam cœpit leniter demulcere, ligamina medicamentorum evolvere, digitum, cui feſtucam impreſſam diximus, propriis manibus & digitis ſuaviter demulcere, acerbumque dolorem, quem per novem dies continuos irrequietus homo paſſus fuerat, mitigare.* 2

Expergefactus autem languidus leniorem ſenſit manum, & reſolutis ligaturis digitum læſum aſpiciens vidit feſtutam ad ſummum jam fere progreſſam, & ut eam educerent, quaſi oretenus proclamantem. Quam eductam ſecutus eſt ipſe paſſivus mœror (3), dolor & cruciamina ſunt omnino ſedata, & ut ab ejuſdem religioſi viri ore didicimus, modici temporis interjecto ſpatio priſtinæ redditur ſanitati. Qua recepta non ut prius incredulus, ſed in fide ſanctitatis Beati Confeſſoris ſolidatus & ſtabilis ad loculum, quo corpus venerabile jacebat, tam devote, quam reverenter acceſſit, votum quod in tribulatione ſua os ejus locutum fuerat, obtulit, benedicens & laudans Dominum, qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis. 3

Miraculum II.

Alter item, qui vocabat in dubium Joannis miracula & virtutes, repentina febri correptus cum ſanguinis profluvio, malo doctus veniam expoſcit, & oblata ſibi B. Joannis ſpecie mirifice recreatus ſtatim convaleſcit.

Nec fuit huic diſſimile quod alio quoque tempore contigit, ſicut quidam ejuſdem civitatis nobilis Duymus Galaderlus agnomine nobiſcum poſitus de ſe ipſo ſæpius referebat. Qui cum ſimiliter de virtutibus Sancti eſſet ambiguus, cœpit æſtivo tempore vi febrium laborare, & caloris ſenſim creſcente vi, magis cœpit totum corpus æſtuare, quaſi ardore ignium, atque in acutum morbum tranſire. Quem phyſici hemitritæum phyſico conſueverant vocabulo nuncupare. Cui cum per plures dies effuſum nullum proficeret medicamentum, expectarentque circumſedentes mortis illius eventum, quem quodam modo cernebant finitimum, ſubito per portas narium ſanguis ferveſcere, & tribus diebus, totidemque noctibus pariter effluere ſedula quantitate. Quo fluxu tanta debilitate laborare cœpit æger, ut aditu fere vocis intercluſo non modo de ſalute, verum etiam de vita penitus deſperaret.

Idem ipſe ad ſe rediens voce qua poterat Sanctum interpellat Joannem, & pœnitens incredulitatis, ſpondet mente pariter & animo, ſi ei dignaretur ſalutis præſtare remedium, quod de ſanctificatione illius ab inde nullatenus dubitaret.

Denique ſe ſequentis noctis, cujus die præcedenti Sancti opem advocaverat, inſtante medio, eo quoque in extaſi poſito, adeſt Chriſti Confeſſor, ut videbatur in ſomnis, & his ægrum vocibus increpat dicens: Ut quid duro corde, filii hominum, uſque adeo de miſericordia diffiditis Creatoris, quod ipſum non creditis precibus ſervorum ſuorum vobis ſalutaria commoda miniſtrare? Credite Omnipotenti nihil eſſe difficile, ipſumque nobis peccatoribus, dum adhuc miſera & cadu-

caduca vita in hoc ſolo mundi fungimur ad ipſius accincti obſequium, tantam conferre gratiam, ut evecti poſt corpus ad ſedes æthereas in exemplum vitæ melioris, incommoda tam corporum, quam etiam animarum veſtrarum in ipſius nomine relevemus pariter, & effugemus: nihilominus vero pro vobis fragilitati noſtræ ab Omnipotenti indulta nomina ſanctitatis, cum per gratiam nobis collatam gloria nec minui valeat, nec augeri; ſed ut vos credentes ad virtutum culmen erigatis animam, per quam ſalutem quoque corporum conſequi valeatis.

Et hæc dicens caput ejus per quatuor partes inter manus proprias aſtringens, & fluxum cohibuit ſanguinis, & ægrum reſtituit priſtinæ ſanitati. Evigilans autem languidus percunctari cœpit a circumſedentibus, quis ille fuerit qui ad ipſum intraverat viſitandum. Cumque reſpondiſſent neminem ſe vidiſſe, intellexit homo beatum Sanctum Dei fuiſſe virum, cujus ſe voverat devotioni heſterna die.

Gaviſus itaque de incolumitate ſibi reddita, gaviſus eſt multo magis de viſione tam mirabili, laudeſque magnificas cœpit exolvere Creatori. Exurgens autem ſanus & incolumis die tertia corpus ſanctum adiit, grates immenſas Deo & Sancto Joanni retulit; & ab illo tempore nomen ſanctum ejus, & diem feſtivitatis ipſius quoad vixit, ſumma coluit ſemper & vigili devotione.

Hæc omnia, ſicut ſuperius leguntur, idem nobilis nobiſcum poſitus ſemper cum lacrymis referebat.

Miraculum III.

Quemdam ab ortu, oculorum uſu penitus deſtitutum, videndi facultate impertit.

Mencogna vero ejuſdem civitatis accola cum haberet unicum filium a nativitate cæcum, ipſum domi fovebat, utpote quem cæcitas non ſinebat exterius pervagari. Tempore autem, quo gloria Domini fuerat in puero revelanda, cœpit oculorum doloribus affligi, & cruciari adeo, quod ſtridore ululatus continui non modo domum propriam, verum etiam diebus pluribus viciniam vexaverat univerſam.

Quid faceret homo, cui humanum conſilium nullum poterat remedii ſolatium adhibere? Quadam nocte puerum accipiens, & ipſum ad oratorium, quo ſanctum jacebat corpus, deferens, ante
4 *januas projecit, nam & oſtia (4) ſera ſolidata prohibebant ingreſſum, cum quarta jam dicta noctis vigilia præteriſſet; commendans autem pater filium Deo & Beato Joanni, cœpit ibidem pernoctare.*

Mane vero adveniente cœpit puer ſilere, & qui per plures dies ſomnum non cœperat, nec viderat, dormivit. Pater vero rem tacitus conſiderans, pro quiete illius Creatori rependens gratiam, intellexit dolorem pueri mitigatum.

Evigilans denique puer cœpit aperire oculos, trepidare rerum, quas nunquam viderat, novitate, quæ omnia ei ſtupenda & mirabilia, ſicuti qui nunquam oculos aperuerat, videbantur. Retulit ſiquidem domum pater videntem pariter & ſanum meritis S. Joannis in ſimul & virtute, qui eum cæcum attulerat ſcientibus omnibus & infirmum, pro tantis collatis ſibi beneficiis gratiarum actiones referens Creatori, quemadmodum divina tradunt volumina.

Notæ.

(1) Hic Abbas erat cœnobii Benedictini Tragurienſis cognominati ab S. Joanne Baptiſta, cujus tutelæ & patrocinio templum ac monaſterium ſuberat; nam ut ſcite animadvertit Joannes Lucius, *quando Treguanus ſcribebat, nondum erant monaſteria Fratrum Minorum, vel Prædicatorum, quæ nunc cernuntur, quæ poſtea ipſius Treguani Epiſcopatus tempore fundata fuerunt. Ideo Jordanus erat monachus monaſterii S. Joannis Baptiſtæ ordinis S. Benedicti; quod poſtquam Abbatia in commendam abiit, derelictum a monachis, nunc fere totum deſtructum jacet, eccleſia ſola ſuperſtite.*

(2) Nimirum S. Joannes Jordano per quietem ſe videndum obtulerat ſub ſpecie & figura Joannis Caſolini, patricii Tragurienſis, atque hominis noti familiariſque Jordano. *Hujus Joannis mentio reperitur*, inquit Lucius, *in notis Cancellariæ Tragurienſis anno 1286. die 9. Martii: Vojenze filii q. Joannis Caſolini.*

(3) Ideſt, cum feſtuca educta dolor prorſus omnis exceſſit.

(4) *Ex his plura oſtia oratorium, ſive ſacellum B. Joannis habuiſſe colligitur, eodemque loco, quo nunc eſt, fuiſſe cenſendum, ſcilicet in angulo boreali prope ſacrarium duobus oſtiis, quorum alterum in ipſum ſacrarium exit. Sed quia ſacellum ſupradictum ex columnis & epiſtyliis marmoreis, cancelliſque ferreis cum concameratione lapidea ſemicirculari non inconcinne pro illorum temporum more conſtructum, ſed nondum perfectum cernitur, & adinſtar eorum, quæ Spalati in Eccleſia metropolitana (a Diocletiano quondam Imperatore magnificentiſſimo opere ædificata) Sanctis Domnio & Anaſtaſio conſtructa ſunt, perficiendum in angulo apparens ſtatuarum ejuſdem operis incruſtatio demonſtrat; quod poſt Treguani tempora factum fuiſſe dignoſcitur; ideo illud antiquius memoraſſe dicendum eſt; & cum ſecundum quoque deſtrui deſtinetur, & in longe auguſtius ab avis noſtris conſtructum tertium vulgo novum dictum, ſculpturis & ſtatuis pulcherrimis exornatum, translationem corporis B. Joannis fieri, & ſuper altare novum ex variis marmoribus concinnatum reponi: ideo in latere occidentali, parte poſtica ejuſdem altaris inſertus eſt lapis dedicationem ſecundi ſacelli continens, pro memoria ejus ſervanda; prout in orientali latere quoque futuræ translationis memoria ponenda eſt, ne ſicuti deploramus antiquas excidiſſe, poſteri de nobis conquerantur, ſi præſentes omitteremus.* Joannes Lucius in notis.

Epilogus.

Auctor perbrevi epilogo hiſtoriam totius Vitæ S. Joannis concludit. Quid ſibi conſilii in ea ſcribenda, diligentiæque fuerit, paucis oſtendit.

Sicuti regis terreni ſecretum ſilentio tegere bonum eſt, ita cæleſtis regis occulta pandere dignum dicitur & honeſtum, evangelica tuba teſtante, qua dicitur: Quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.

Ideo ego Treguanus, humilis Lector, natione Tuſcus, patria Florentinus, licet indignus in eadem Tragurienſi Eccleſia gerens Archidiaconatus miniſterium, rogatus a fratribus, & a venerabili viro Domino meo Michaele (1) ejuſdem Ec- 1
cleſiæ præſule, ſicut de Vita Sancti Confeſſoris in quibuſdam codicibus jam ex majori parte vetuſtate deletis inveni, in præſens opus ad honorem Dei (2) Sanctæque Romanæ Eccleſiæ reformavi, 2
de inventis nihil minuens, de meis nihil adjiciens.

Quæ

Quæ autem de ipſius translatione, & brachii relatione ſcripta leguntur, ideo prænotavi diligenter, ne eſſent occulta de divinis miraculis,
3 *quæ ex* (3) *ſexaginta bonorum aſſertione virorum fuiſſe vera probatum eſt.*

Scripta ſunt hæc omnia anno Dominicæ Incarnationis MCCIII. tempore Domini Innocentii Papæ III. pontificatus ejus anno ſexto.

Notæ.

(1) Hic Deſſæ avunculo ſuo in ſedem epiſcopalem ſucceſſit.

(2) Vitam B. Joannis, ut dictum eſt, Anonymus quidam æqualis temporum illorum compoſuit, Treguanus ex antiquis codicibus deſumptam *reformavit*. Quæ vero poſt obitum ſanctiſſimi Antiſtitis conſecuta ſunt, ex tabulis ac teſtibus ad fidem faciendam idoneis accepit.

(3) *Hinc cognoſcitur diligentia Treguani, & cautela Eccleſiæ, quando addebatur aliquid vitis Sanctorum, probatione indiguiſſe, & probatam veritatem tantum ſcribi permiſſam; ſed cum hæ probationes non extent, neque cujus auctoritate factæ fuerint exprimatur; paucis annis ante Treguani adventum Tragurium ſecutas crediderim eo tempore, quo ſcilicet Gregorius de Sancto Apoſtolo Sanctæ Mariæ in Porticu Cardinalis de Creſcentio, Legatus Summi Pontificis in Ungariam deſtinatus, hiemis aſperitate detentus, Tragurii per totam quadrageſimam moram traxiſſe ab Archidiacono cap. 24. refertur; quod ex ejuſdem legati ſubſcriptione, in tabulario Capituli Tragurienſis exiſtenti, fuiſſe anno 1192. conſtat. Hinc conjectari poteſt, coram hoc legato ſexaginta virorum probationes a Treguano memoratas, factas fuiſſe; & cum in ſecunda antiphona officii B. Joannis ad veſperas legatur: Joannem Gregorius optans venerari, per Martinum pauperem juſſit prædicari; tunc ſecutis his probationibus a Martino quopiam ſuæ legationis comite officium B. Joannis componere feciſſe facile credi poteſt; cum adhuc reperiantur hymni & antiphonæ rudi verborum ſerie compoſiti, illorumque temporum antiquitatem redolentes, nunc autem a quopiam viro erudito in meliorem formam reducti, nihil tamen ſenſu mutato, quibus utitur Eccleſia Tragurienſis.* Joannes Lucius in notis.

De legatione Hungarica, & commoratione Dalmatica Gregorii Cardinalis de Creſcentio dictum eſt in Petro VIII. Archiepiſcopo Spalatenſi §. 1. Tum primum, videlicet anno 1192. ex auctoritate & decreto ipſius legati apoſtolici titulus Sancti attribui & publici ac ſollemnes honores Joanni Urſino Epiſcopo Tragurienſium rite haberi cœperunt; cum antea cultus eidem adhibitus populari quodam conſenſu, & Epiſcopi Tragurienſis permiſſu, vel etiam approbatione niteretur. Teſtimonia ſexaginta virorum, de quibus Treguanus, & ſiquæ præterea de ſanctitate & miraculis B. Joannis in publicas tabulas relata fuerunt, miſſa ſunt in Hungariam an. 1411. ad Sigiſmundum Imperatorem ac regem Hungariæ, ut ex ejus ad Tragurienſes epiſtola infra deſcribenda colligitur; neque poſtea Tragurienſibus eadem recuperare licuit.

Ad Vitam B. Joannis Tragurienſis Epiſcopi ADDITAMENTA.

I.

De ſancta amicitia & conjunctione Joannis Epiſcopi cum Laurentio Metropolita in re chriſtiana bene gerenda.

CUm Joannes Spalatum acceſſit, ut more majorum a ſuo Metropolita conſecrationem & inſignia epiſcopalia ſuſciperet, Laurentius pro magna opinione de illius eximia virtute & ſapientia, quam ex fama & auditione conceperat, electum Epiſcopum omni honore & benevolentia complexus, inter ſacra ſollemnia ſtatis & præſcriptis cærimoniis adhibitis conſecravit, inſolito quodam pietatis ac lætitiæ ſenſu, cum ſuperna luce perfuſus hunc ſibi ad res magnas & præclaras gerendas adjutorem divinitus datum eſſe intelligeret. Nec ſua illum prænotio ac ſpes fefellit. Ut primum ſe inter ſe propius cognoſcere cœperunt, & alter alterius mentem animumque introſpexit, celeriter eos ſumma familiaritate colligavit morum ſtudiorumque ſimilitudo; nihil enim unum uni tam ſimile, tam par omni genere virtutum, quam Joannes Laurentio fuit. Eximia in utroque & ingenii & animi magnitudo, juris divini & eccleſiaſtici exquiſita ſcientia, rerum humanarum generoſa contemptio, fervens in Deum & proximum charitas, incredibile ſtudium divini cultus amplificandi, & cleri ac populi ad normam eccleſiaſticæ diſciplinæ ac legis chriſtianæ reformandi. Quæ igitur in utroque elucebat vitæ ſanctimonia cum præclaris utriuſque ſenſibus ac ſtudiis congruens, eos inter ſe arctiſſimis neceſſitudinis & amoris vinculis conjunxit, ita prorſus, ut Joannes Laurentium loco parentis haberet, & coleret, Laurentius vero Joannem non ſecus ac filium diligeret amaretque. Neuter ſine alterius conſilio & auxilio quidquam decernere aut aggredi ſolebat; idem ſentiebat uterque, idem volebat, in id unum intenti conſpiranteſque, ut Dei cultus & gloria, plebis chriſtianæ religio ac pietas magis ſemper, magiſque augeretur. Itaque in monumentis illorum temporum Joannes fere ſemper cum Laurentio reperitur, hujuſque *Comitem perpetuum* vocat Joannes Lucius. Nullum hic Concilium provinciale convocavit, quin ille interfuerit; Creſimiri, Svinimiri, Stephani regum Chrobatiæ diplomata cum Laurentio approbavit, & ſubſcripſit. Hæc ferme Archidiaconus de Joannis cum Laurentio conjunctione cap. XVI. *Hic præ ceteris Epiſcopis apud Laurentium majoris dilectionis & familiaritatis prærogativa gaudebat, quia erat vir litteratus & bonus. Pro amore ſiquidem cæleſtis patriæ cuncta carnis blandimenta contemnens, aſperrimam vitam ducebat; & ſicut aſſerunt, ad tantam virtutum gratiam excrevit, ut quædam in eo ſanctitatis inſignia eniterent: unde & in vita, & poſt mortem in magna veneratione habitus eſt a civibus ſuis.*

II.

Cœnobium Virginibus Benedictinis inſtituit.

Nulli erant Tragurii cœtus ſacrarum Virginum jure communis & monaſticæ diſciplinæ ſociati, quæ ab hominum conſortio & victu ſegregatæ vitam religioſam, caſtam, Deoque acceptam perpetuo viverent. Id vero Joannes ad

Dei

Dei gloriam augendam, ad decus civitatis, ad præsidium divinum civibus conciliandum permagni interesse existimavit. Itaque partim hortando, partim rogando auctor fuit Tragurienſibus, ut cœnobio Virginum ordinis Benedictini ædificando areæ quod latis esset concederent proxime templum S. Domnii, quod nunc a S. Nicolao cognominatur; simulque hoc templum, quod jure patronatus ad Commune Tragurienſium pertinebat, & agros vineasque attribuerent, ex quibus annui proventus ad earum Virginum victum cultumque necessarii suppeterent. Piis hortationibus ac precibus optimi Antistitis mos gestus est, ut declarant tabulæ in eam rem confectæ.

Diploma conditi cœnobii Benedictini.

In nomine Domini noſtri Salvatoris Regis eterni, anno Domini Incarnationis 1064. *Indict.* 2. *regnante Domino noſtro ac piiſſimo Auguſto Conſtantino Duce, & magno Imperatore: civitatis vero Tragurienſis regente cathedram Joanne venerabili Epiſcopo rethorico, una cum Domno Dabrana inclito Priore, & cum fratre ſuo Andrea, omnibuſque nobilibus; ſub illorum namque temporibus hoc precepimus privilegium conſcribi nos omnes, videlicet Staligato, Georgius, Tridullo, Dabro, Sepelato, Calafato, nec non Vitaza; & hoc ſpontanea noſtra voluntate de hoc, quod ipſe jam dictus Epiſcopus nos perplurimum rogaverat, ut eccleſiam, què noſtra erat, ſcilicet domus Beati Domnii, ubi porta Dominica vocatur, ibi monaſterium ancillarum Domini concederemus conſtruere. Nos vero conſulto omnes, & quia noſter rector ac protector permanſerat, magiſque pro remedio noſtrarum animarum illum audivimus; ibidemque Domino annuente monaſterium eſſe affirmavimus; ubi & Abbatiſſa non poſt longum temporis ſpatium nomine Euſemia introducta fuit, ceteris cum ſororibus. Poſt hæc Domine Abbatiſſe ſimiliter terras & vineas judicavimus, ſueque poteſtati commiſimus, inſuper & litus juxta eandem eccleſiam ad obſequium ſui ibidem conceſſimus: ſed in tali pacto, & in tali tenore: ut jam dicta eccleſia, qua nos monaſterium fieri conceſſimus, alium dominum preter nos non haberet, etiam unus ut ibi advocatus mitteretur ex nobis ad regendum & gubernandum neceſſaria. Quod & affirmatum fuit ante notitiam prefati Joannis Epiſcopi, & Dabrane ejuſdem urbis Prioris, ac Mirce Bogoboyſe, ac Andree, nec non nobilium & ignobilium Tragurini caſtri, qui hujus rei teſtes fuerunt; unde ſi quis hanc noſtram definitionem diſrumpere temptaverit, trinum & unum Dominum habeat iratum, & CCCXVIII. Sanctorum Patrum conſequatur maledictionem, deglutiat eum terra, ſicut Dathan & Abiron, veniatque ſupra eum lepra Naaman Syri, & cum Juda proditore denodetur in infernum.*

Cœnobium Benedictinum S. Petri reditibus auctum.

Ejuſdem ſanctiſſimi præſulis impulſu, ut opinor, Brana pater Dragi prætoris Tragurii, civis æque pius atque opulentus, donavit cœnobio Benedictino S. Petri de Clobucaz, quod ſitum erat ab oriente intra fines diœceſis Tragurienſis, terras quaſdam frugiferas, ut docent tabulæ donationis: *Memoratorium facio ego Brana una cum filiis meis, videlicet Dragus Prior Tragurinus, nec non Ulcina, de terris, quæ ſunt a Stkyniza ſuptus Stibliza. Volumus, & confirmamus, ut ſit in monaſterio S. Petri Principis Apoſtolorum, pro remedio anime noſtre, nec non filiorum meorum. Quod ſi, quod abſit, aliquis preterquam precipimus, egerit, iratum habeat trinum & unum Deum, & noſtram maledictionem conſequatur.*

Hec oblata ſunt coram Duymo Priore, & Gregorio Uſdiſca, & omnes monachos S. Benedicti ✠

III.

Joannes ab rege Colomano beneficia & immunitates Tragurienſibus impetravit.

Ex vita B. Joannis ſupra deſcripta quivis percipere poteſt, quanta ille apud Colomanum auctoritate & gratia valuerit. Hujus igitur rogatu Colomanus, triennio poſt deditionem Tragurii & aliarum civitatum, hoc privilegium Tragurinis conceſſit.

Privilegium amplissimum conceſſum Tragurienſibus a Colomano.

Anno Dominice Incarnationis MCVIII. menſe V. die XXV. Anno XXI. regni mei. Ego Colomanus rex Hungarie, Chroatie, atque Dalmatie, juro ſuper ſanctam crucem vobis Tragurinis meis fidelibus civibus firmam pacem. Mihi, & filio meo, aut ſucceſſoribus meis tributarii ne ſitis; Epiſcopum vero, aut Comitem, quem clerus & populus elegerit, ordinabo, & lege antiquitus conſtituta vos uti permittam; preterquam introitus civitatis de extraneis duas partes rex habeat, tertiam vero Comes civitatis, decimam autem Epiſcopus. In civitate quoque veſtra neminem Hungarorum, vel alienigenarum habitare permittam, niſi quem voluntas veſtra expeticrit. Cum autem ad vos coronandus, aut vobiſcum regni negotia tractaturus advenero, nemini vis inferatur domorum ſuarum, niſi quem dilectio veſtra ſuſceperit. At ſi forte aliquando dominium meum aliquem aggravare videbitur, & alias ire voluerit, ſecure cum uxore & filiis & familia, & omnibus ſuis, quocumque ſibi placuerit, eat. Hoc autem ſacramentum a rege & Comitibus Hungarie confirmatum eſt. Ego Joannes Palat. Comes laudo & confirmo. Ego Appa Comes laudo & confirmo. Ego Thomas Albanenſis Comes laudo & confirmo. Ego Ugudi Waſuarien. Comes laudo & confirmo. Ego Slaviz Comes Novograden. laudo & confirmo.

Jus confirmandi Epiſcopi Tragurienſis eique inſignia epiſcopalia tradendi cum Colomanus ſibi vindicaſſet, viſus eſt læſiſſe immunitatem eccleſiaſticam, id quod illis temporibus nimis jam uſitatum erat, auctore potiſſimum Henrico III. Auguſto, qui peſſimum id exemplum juris eccleſiaſtici violandi ceteris præbuerat; cujus quidem flagitii contagione aliqua, ut Lucius animadvertit, reges ſuperiores Chrobatiæ afflati, plus ſibi licere volebant in Sacerdotes & Sacerdotia, quam leges divinæ & eccleſiaſticæ permittant. Verum triennio poſt in Synodo provinciali Dalmatica, cum ceterorum Antiſtitum, tum præſertim Joannis Tragurienſis Epiſcopi admonitu hortatuque Colomanus jus illud eccleſiæ libertati repugnans, quod uſurpare jam ceperat, omnino dimiſit. Eccleſias & clericos Dalmatiæ itemque Chrobatiæ eadem immunitate ac libertate frui voluit, qua eccleſiæ & clerici Hungariæ gaudebant, ita prorſus, ut neque hi, neque illæ ulli mortalium, præterquam præpoſitis eccleſiarum ſubeſſent: id quod Joannes Lucius in ſuis notis ad vitam B. Joannis recte animadvertit: *Colomani animum ad eccleſiaſticam libertatem reſtituendam B. Joannem flexiſſe credibile eſt; & ſicuti in Jadrenſi deditione pacem inter ſæculares compoſuerat, ita tunc in Synodo Eccleſiæ reſtituiſſe cenſendum eſt.* Hujus libertatis Eccleſiis Dalmaticis reſtitutæ locuples teſtimonium perhibet privilegium, quod

Jus confirmandi ordinandique Epiſcopos Colomanus dimiſit.

Colo-

Colomanus eodem anno 1111. Eccleſiæ Arbenſi conceſſit: *Decrevimus quoque ad honorem ac dignitatem illius eccleſiæ, inveſtituras tam eccleſiarum, quam Epiſcoporum & Abbatum abſque regis conſilio, quemadmodum fuiſſe probavimus, fieri debere: poſtea neceſſarium duximus cum utriuſque regni univerſo Conſilio, ut qua libertate fruuntur clerici Hungariæ, fruantur & clerici Dalmatiæ, ſcilicet ut qualiſcumque potentiæ ſigillo non conſtringantur; ſed ſolo Epiſcoporum, & Archidiaconorum ſuorum ſigillo, & judicio, lege Canonum cogantur, & judicentur.*

IV.

Compoſitio cujuſdam controverſiæ, quæ Joanni Epiſcopo & Capitulo erat de eccleſia S. Leonis cum nepotibus Vitalis ejuſdem eccleſiæ conditoris.

Hanc eccleſiam Vitalis civis Tragurienſis ædificaverat prope januam urbis continenti obverſam, eamque Biula vidua Vitalis cum agris eidem annexis eccleſiæ cathedrali S. Laurentii donaverat. Illam nepotes Vitalis, & filii Adaleni repetebant; Epiſcopus, & Canonici jura eccleſiæ Laurentianæ tuebantur. Controverſia hæc coram Creſcentio Metropolita Spalatenſi arbitro aut teſte ita compoſita fuit, ut ædem quidem Leoninam, aut ſaltem tria prædia, quibus erat dotata, retineret eccleſia S. Laurentii, tantumdem tamen terrarum de ſuis poſſeſſionibus contribueret filiis Adaleni, & penes hos eoſdem eſſet, eorumque poſteros jus nominandi rectorem ejuſdem eccleſiæ S. Leonis, ut ex monumentis poſteriorum temporum colligitur. Hæc explanatio videtur eſſe conſentanea tabulis hujus compoſitionis; quæ cum initio careant, & pluribus identidem lacunis interciſæ ſint, ſententia ſatis certa & perſpicua ex illis non ita facile elici poteſt.

Tabulæ compoſitionis.

. . . in q. eccleſia S. Leonis diutina controverſia inoleverat, ſuccedente concordia omnis . . . . tali fine ſopita eſt. Epiſcopus igitur Tr. cum clero conqueſtus eſt nobis, filios Ad . . . . Sancti Leonis B. Laurentio, cui eam donaverat Biula uxor Vitalis, qui illam ec. . . . . tenore, ut B. Laurentius eam poſſideret poſt obitum ejus. Unde utroſque vocavimus . . . . lati ſtatuto die ſe vobis pariter preſentarent. Ubi preſente Archipreſule Creſcentio ſtud. . . . . partis objectionibus hujuſmodi convenientiam inter eos debere fieri definivimus cum aſſe . . . . uſque partis, ſcilicet ut Epiſcopus & clerus Beati Laurentii poſſideant perpetuo jure tres p . . . . Balanzana, & aliam in Scalavaria cum olivis, & tertiam ad S. Stephanum contra partem Auſtri . . . . tem, quas predicta eccleſie S. Leonis contulerat. Filii autem Adaleni haberent ſolute . . . . illam, quam ſcilicet ſuus avus Vitalis fabricaverat; ita tamen ut nullatenus ph . . . . per manum Epiſcopi promiſerunt etiam nobis firmiter filii Adaleni, quod de propria poſſeſſione rece . . . . cleſie aliam terram, que equivaleret terris illis, quas conceſſerunt B. Laurentio Ha . . . daverunt concordiam Johannes Epiſcopus, & Abbas Damianus, clerici vero Mar . . . . . nis Diac. & Fuſcus Judex Spalati Gauzulo Scanacani filius Dra . . . . meſa Galine filius, Fuſcus Pace filius, Duymus electus, Dabro Diac. Johannes presbyter, Duymus Tule filius. Acta ſunt hec in palacio S. Domnii coram Archiepiſcopo Cr. . . . . anno ab Incarnat. Domini milieſimo centeſimo undecimo. Ind. tertia, preſidente in Romana Sede Papa Paſcali 2. Si quis hanc concordiam violaverit, iram Domini incurrat, & anathematis vinculo ſubjaceat.

Jus eligendi rectoris, qui eccleſiæ S. Leonis præeſſet, penes filios Adaleni, & nepotes Vitalis, horumque poſteros manſiſſe declarant tabulæ ſub Treguano Epiſcopo ſæculo decimo tertio confectæ, quibus priores inſertæ ſunt ac præpoſitæ. *Verum poſtquam prefata eccleſia per longa annorum ſpatia per manum Adaleni, ſeu nepotum, pluribus clericis ad regendum collata fuiſſet, poſt obitum tandem Pauli Archipresbyteri Tragurien. qui dictam eccleſiam per manum nepotum Adaleni habuerat, Marinus clericus Bodini nepotis Adaleni filius ab eodem patre ſuo & ipſius propinquis D. Treguano Epiſcopo & Capitul. Trag. fuit ad ejuſdem eccleſie beneficium preſentatus, & demum ab Epiſcopo & Capitulo confirmatus. Suſcepta igitur confirmatione, confeſtim verbo ad verbum reſcribi fecit tenore preſ. concordie, que in vetuſta pagina fere deleta ſcripta erat: terras ejuſdem eccleſie in preſenti forma hoc ordine faciens annotari. Eſt autem in Balanzana terra trium Uretenorum prope terram Dobre Maii. Ad pontem eundo ad laculum eſt terra trium Uret. prope. Apud terram rufam eſt terra quatuor Uretenorum. Apud Loquize eſt terra octo Uret. Et ego Gauſinna primic. rogatus a prefato Marino clerico preſens inſtrumentum ſcripſi anno Dominice Incarn. milleſimo ducenteſimo triceſimo ſexto menſe Februarii.*

V.

Quædam miracula per B. Joannem divinitus edita ſæculo decimo quinto, quæ juſſu Angeli Cavacii Epiſcopi Tragurienſis Scriptor æqualis temporum illorum litteris mandavit.

Ex Tabulis Tragurienſibus.

I. Mutilum eſt, & initio caret . . . *liberatione Miſſam facere celebrari. Ego autem . . . ad eccleſiam gradiens invento prius Archidiacono cum precatus ſum pro hujuſmodi Miſſa celebranda ad altare, ubi corpus ejuſdem Beatiſs. Antiſtitis eſt collocatum, quam cum cœpiſſet, flexis genibus me aſtante, ecce feſtinanter ad me acceſſit quidam natus meus mihi renuntians ejus genitricem eo inſtanti peperiſſe puellam, & ſic interceſſione SS. Præſulis tunc novi conſortem liberatam fore. Accidit inſuper quod natus meus major nomine Jacobus febribus acerrimis invaſus eſt, adeo ut de ejus vita ſpem nullam haberem; & cum diu laboraſſet in ea ægritudine in tantum, quod vix in eo halitus maneret, voto per me celebrato de offerendo cereo & Miſſis celebrandis ad ejuſdem Antiſtitis Sancti ſacrum altare mox reſpirare cœpit, ita ut deinde ad paucos dies fuit ſuæ valetudini reſtitutus. Hæc & alia plura meritis hujus devotiſſimi Præſulis Joannis Redemptor noſter dona mihi indigno condonari liberiſque meis contribuit, quæ enarrare prolixum foret. Verum, Rever. Domine mi, ut ad exhortationem monitionemque Rever. Dominationis veſtræ me conferam circa miracula deſcribenda, quæ hic Sanctiſs. Antiſtes noſter Joannes modernis temporibus ſummopere oſtendit, ecce quamquam me indignum noſcam atque ignarum tantæ operis exercitium ſumere, tamen promptiſſimum paratiſſimumque perjucunde ad id incommodum proſequendum, & quantum in me fuerit perficiendum humiliter devoteque me offero, eo frequentius quo non ſolum auctoritate atque hortaminibus veſtræ Reverendiſſimæ Dominationis excitatus, ſed etiam quam diutius divino ſpiramine tactus ob ejuſdem*

Bea-

Beatiſs. Pontificis reverentiam, licet negligens & tardus fuerim, id idem peragere mente concepe-ram. Ad opus itaque hujuſmodi devote me ſub-jiciens proficiſcar procul dubio ſperans, quod Al-tiſſimus in hoc glorioſiſſimo Præſule imbecillita-tis meæ defectum ſua clementia ſupplebit, im-partietque per ipſam præſtantiſſimæ Paternitatis veſtræ provocativam exhortationem & meam hu-juſmodi humilem exercitationem ſumendam ad ſu-blimationem honoris, laudem, & triumphum hujus Beatiſs. Pont. Joannis hujus almæ civit. Trag. protectoris eximii, mereamur æternæ felicitatis gaudia adipiſci, ad quæ capeſſenda ille Unigeni-tus Dei Filius nos perducere dignetur, quem fir-miter credimus cum Genitore & almo Flamine regnare æternaliter.

II. *Qualiter quædam venerabilis Abbatiſſa mo-naſterii monialium Sancti Petri de Tragurio a quadam infirmitate, quam per decennium paſſa fuerit, extitit liberata.*

Quædam religioſiſſima Abbatiſſa monaſterii mo-nialium S. Petri de Tragurio ordinis S. Bene-dicti nobilis genere & moribus nomine Dobra Trag. ſub regula obſervantiæ annis 30. uſque ad ejus obitum abbatialem dignitatem in ipſo mo-naſterio commendabiliter rexit, educans ſub ejus diſciplina & relevans plurimas ſanctimoniales, quæ in refragrantia floridæ virginitatis vitam ſan-ctam & mirabilem duxerunt, infra quod tem-pus ipſam invaſit quædam ægritudo in tibiis a genibus infra adeo gravis, quod genuflecti ne-quibat, nec recta in pedibus abſque paſſione non modica ſtare valebat, & cum ambulare volebat ſæpiſſime proſternebatur in terram, nec uti pro-fuit balneis, medelis, & aliis innumerabilibus experimentis. Quam quidem infirmitatem cum per annos decem continuos æquo animo paſſa fuiſ-ſet, Omnipotens Deus, qui non derelinquit ſperan-tes in ſe, gloriam ſuam manifeſtare decrevit glorioſo Confeſſore ſuo Joanne protectore noſtro Trag. Cum germanus ejuſdem D. Abbatiſſæ cauſa viſitationis ad eam acceſſiſſet, ipſa divinitus inſpirata ab eo requiſivit, ut licentiam ſumeret a venerabili Pa-tre D. Nicolao Abbate & tunc Vicario Epiſco-patus Trag. pro eundo cum aliquibus ſui mona-ſterii ad vigilias tribus noctibus cuſtodiend. & orandum in capella hujus SS. Confeſſoris Joan-nis annexam eccleſiæ majori Trag. Unde licentia obtenta quodam ſacro aſſociata cum aliquibus ſan-ctimonialibus ſui monaſterii & ducta a dicto ejus fratre, & quodam Dom. Daniele Ven. Capellano ipſius monaſterii, quia per ſe ſolam propter ejus ægritudinem proficiſci non poterat, ad dictam ca-pellam acceſſit; & dicta circa mediam noctem ipſa continuam orationem in capella ante ſacrum al-tare, ubi eſt tumulatum corpus ſacrum Beatiſſimi Præſulis, modicum ſoporata fuiſſet, quædam ex ſociabus monialibus nomine Thomaſina orando ex-tra capellam, ubi eſt SS. Euchariſtia, audivit in ſepulcro ubi eſt corpus S. Joannis certum ſtrepi-tum ac ſi moverentur oſſa per arcam, & ſtatim iens excitavit ipſam dicens: Domina, ſurge, ecce audivi ex arca oſſa moveri. Unde Abbatiſſa ex-pergefacta a ſomno ait eidem: Filia, Deus parcat tibi, quia me excitaſti; & ſtatim convalere cœpit & ſic læta & incolumis gratias agens omnium Salvatori & SS. Antiſtiti noſtro Joanni eo ma-ne in ſoſpitatem priſtinam reſtituta cum ſociabus ſuis ad ſuum rediit monaſterium diſcurrendo cir-cumquaque præ gaudio per ſcalas & monaſterium, quemadmodum ſi nunquam talem infirmitatem paſ-ſa fuiſſet. O res miranda & ſtupenda non otti-cenda, quod quædam chlamys, qua ipſa vene-rabilis Abbatiſſa circumdata erat ea nocte, qua in capella extitit liberata, per dies octo continuos ita redolentiam & fragrantiam reddebat, veluti reddere conſuevit brachium corporis ſacri ipſius Beatiſſimi Confeſſoris.

III. *Qualiter quædam Virgo ingreſſa monaſterium S. Petri monialium de Tragurio nondum pro-feſſa a quadam ejus infirmitate ſoluta fuit.*

Quædam virgo nomine Goyciça filia q. Nico-læ Cipriani nob. Trag. poſt ingreſſum monaſterii S. Petri monialium ſub regula S. Benedicti, an-tequam expreſſe profiteretur, per menſes ſex con-tinuos extitit tali ægritudine detenta; videl. quod quotieſcumque ambulare volebat, non poterat, ſed agitabatur perſonaliter hinc inde tamquam arundo a vento; & proinde a Deo inſpirata ſe converteus ad ſanctimoniam hujus glorioſi Anti-ſtitis Joannis, obtenta licentia a Domino Vicario dioceſano conſentiente ſua Abbatiſſa, cum eadem & quadam ſorore ipſius infirmæ tribus noctibus ſe-quentibus ſecundum morem infirmorum illuc eun-tium acceſſit ad vigilandum & orandum ad ſa-cram capellam ipſius præſtantiſſimi Præſulis. Un-de nocte 2. meritis ejuſdem fuit ab illa infirmi-tate libera, & ſic reddidit ex inde gloriam in B. Joanne altiſſimo Creatori.

IV. *Quomodo quædam alia Virgo ejuſdem mona-ſterii S. Petri in ordine novitiarum fuit de quadam terribili ægritudine ad priſtinam red-dita ſoſpitatem.*

Dum virgo quædam nomine Urſa ex nobili ci-ve Sibenici Ser Auguſtino Mixæ nata in mona-ſterio S. P. monialium reſidens pro novitia mor-bo peſtifero acerrime foret percuſſa, & hujuſmo-di infirmitate per menſem oppreſſa, quamquam denique necis periculum evaſiſſet, tamen remanſit in perſona & membris mortificata, & debilitate perdita, adeo ut manibus & pedibus nihil ope-rari valeret. Quamobrem ejus Abbatiſſa divini-tus inſpirata perſuadendo eidem infirmæ, ut ad hujus glorioſi Pontificis noſtri Joannis ſe totam ex-hiberet, ſuffragium implorari a Vicario loci, ipſam cum aliquibus ſororibus ipſius monaſterii aſſocia-tam deportari fecit ad orandum & vigilandum juxta conſuetudinem tribus noctibus in capella Beatiſs. Joannis, ex quo meritis ipſius Antiſti-tis & devota fide ipſius Urſæ nocte 2. reverſa fuit propriis pedibus ad ſuum monaſterium illæſa & incolumis, ſicut unquam per prius fuerit ma-gnificando & laudando Omnipotentem Creatorem noſtrum, qui in B. Joanne tot mirabilia demon-ſtravit.

V. *Qualiter alia Virgo dicti monaſt. S. Petri ab eliſatione, qua diu detenta extiterat, ſoluta fuit.*

Virgo venerabilis nominata Peruzia filia nobi-lis viri ſ. Petri de Cbiudis honorabilis Trag. præſtolans tempus ſuæ ſacræ profeſſionis, dum diutius moram traxiſſet in monaſterio prædicto, ecce quædam acerba ægritudo ipſam ſurripuit. Unde ejus genitrix opinans ipſam . . . . apud ſe in domo facilius tali morbo curari, quam in mo-naſterio, eam traxit ad domum paternam, ubi validis febribus invaſa fuit, ita ut exinde eliſa & incurvata efficeretur. Adeo quod non ſolum ambulare non poterat, ſed nec aliqualiter eri-gi vel moveri. Qua infirmitate cum ultra ſex

menſes laboraſſet ; & nullum remedium invenire poſſet , dirigit ſuæ mentis oculos ad merita & prodigia hujus SS. Præſulis noſtri Joannis , deſiderans ipſa & ejus mater , quod Venerab. Abbat. dicti monaſterii nomine Magdalena cum aliquibus ſanctimonialibus dicti monaſterii una cum ipſa genitrice prædictæ ægrotantis ad capellam dicti devotiſſimi Confeſſoris , ut eſt de more , ad vigilandum & orandum accederent ; & cum illud tunc obtinere non poſſet a dicta Abbatiſſa ex certis cauſis excuſante , ipſa ſola mater infirmantis cum aliquibus domniabus ſæcularibus una nocte illuc gradiens & ſecum deportari faciens filiam infirmam nil proficere valuit ſuper inde , nec perſeverare potuit aliis noctibus ad orandum , & deinde ad certum tempus ipſam . . . . ejus filiam ad dictum ſuum monaſterium ſic eliſam reportari fecit . Quo facto dicta Abbatiſſa cum licentia Vicarii ivit cum aliquibus ſororibus ſuis ad cuſtodiendum in dicta ſacra capella vigilias nocturnas & orandum pro dicta languida , quam ſecum portari fecit illuc . Unde nocte 2. porrectis tam per ipſam Abbatiſſam & ſorores , quam per ipſam eliſam orationibus efficaciter ante tumulum corporis ſacri Beatiſs. Confeſſoris , circa 6. horam noctis ipſa Peruzia in priſtinam ſoſpitatem redacta fuit , hoc modo , quod dicta ejus Abbatiſſa in Domino Jeſu Chriſto plurimam fiduciam obtinens & in glorioſo Confeſs. Joanne dixit ægrotæ : Peruzia , ſurge in nomine Jeſu Chriſti & S. Joannis , & vade ad altare ſuum , & oſculare ſanctum brachium ſuum quod eſt ſuper altare ; & ſic de lectulo ſuo ſurgens ſana & incolumis ad altare acceſſit . Quod quidem miraculum ſupervenientes Sacerdotes & clerici ad matutinum omnes viderunt . Ipſa enim Peruzia abſque alicujus adminiculo ſola ad ſuum monaſterium ſoſpes profecta eſt , & ſic ut nota omnibus foret gloria Dei in noſtro Sanctiſſimo Præſule Joanne , pulſatis præ jubilo & jucunditate undique campanis ſollemniter celebrata fuit Miſſa in dicta capella ad honorem Dei viventis , & ſui glorioſi Joannis Antiſtitis & protectoris noſtri Tragurienſis ,

VI. *Quomodo quædam Sanctimonialis monaſterii S. Petri de Tragurio extitit febribus teterrimis relaxata .*

Cum religioſa virgo ſoror Thomaſina filia ſ. Stephani Dragoevich nomine de genere nobili procreata profeſſa monialis dicti monaſterii S. Petri ordinis S. Benedicti incidiſſet in maximam ægritudinem plurimarum febrium , videlicet quotidianæ , tercianæ , & quartanæ , in tantum quod uſque ad vitæ ſuæ extremitatem perſæpe laborare videbatur , & dum ſemel eſſet in his terminis quodammodo mortalibus ſic oppreſſa , Domina ſoror Magdalena Ven. Abbatiſſa vocans eam dixit : Thomaſina , ſi tu habes devotionem & fidem in noſtrum glorioſum Conf. B. Joannem eundi ad orandum ad capellam ſui SS. Corporis , dic mihi , quia obtinebo licentiam & ibis ad orandum . Cui ead. languida dixit , Ita , mater , imo te ſumme obſecro perfice quod obtuliſti . Nam ſpem procul dubio gero in Deum Omnipotentem , & glorioſum Conf. noſtrum S. Joannem , quod ſi illuc ad orandum accedam incolumis permanebo . Unde licentia a ſuo ſuperiore prælato impetrata dum ſero ad capellam ſacram S. Pontificis a perſonis duabus duceretur per viam , in terram cecidit veluti mortua ; deinde reviviſcens ad capellam ducta fuit ut oraret , ubi ea prima nocte validior ægritudo ſolito paſſa fuit . Unde ipſa aliqualiter turbata cogitabat ex humilitate , quod B. Joannes abhorreret ejus acceſſum ad ipſam capellam . Nihilominus ipſa volens ſuæ diſpoſitionis propoſitum imitari , ſecunda nocte reverſa eſt ad eandem capellam , & dum noctis ſilentio ante ſacrum altare , ubi eſt B. Pontificis Joannis ſalvificum corpus , devote oraret , audivit moveri ſacra oſſa in ſepulcro Beatiſs. Joannis . Unde terrore compulſa non fuit auſa oculos levare , ſed ubi erat genuflexa , cecidit in faciem ſuam efficacius orando & dicendo : O Beate SS. Joannes , nunc noſco potentiam tuam , nunc ſanctitatem & pietatem , peto a te ſanitatem . Et ſtatim taliter orando ſenſit ſe alleviari & curari ab omni languore per modum , quod eo mane incolumis & læta Deum altiſſimum laudando & ipſum SS. Confeſſorem ſola abſque labore ad ſuum monaſterium regreſſa eſt .

VII. *Qualiter quidam Juvenculus nob. Trag. precibus SS. Conf. Joannis a quodam acerbiſſimo morbo ſanus effectus eſt .*

Dum adoleſcentulus quidam filius nobil. civis Trag. ſ. Nicolai Michaelis Silveſtri ægrotaret continuis febribus intenſiſſimis cum apoſtemate in gutture ſquinancia vocata ac etiam a doloribus punctarum ægritudines , ita cum ad extremum deducebatur & coegebant , nullatenus os aperire poterat , imo genæ ægroti in tantum arctatæ extiterant , quod gladii acies infra ejus dentes , ut nutrimentum acciperet , poni minime poterat . Unde ab omnibus cenſebatur exinde necis caſum evadere non poſſe . Accidit itaque , quod nocte Veneris ſancti ipſe infirmus aliqualiter reſpirans circa horam quintam noctis afferri ſibi fecit per Dom. Nicolaum Paulli ſacram Euchariſtiam & brachium Beatiſs. Confeſ. Joannis , quo oſculato per eum plurima cum devotione , & facta oblatione dictus ejus genitor deditiſſimus ejuſdem SS. Confeſ. ſibi votum emiſit de uno doplerio cereo longitudinis , cujus erit ſtatura filii infirmi , ejus ſoſpitate recuperanda . Sabato vero ſequenti nocte præcedente feſtum Dominicæ Reſurrectionis mater infirmi coadunari fecit in capella Sancti Pontificis noſtri aliquas devotas mulieres , ut ibidem pro languido orarent . Quæ cum cuſtodirent noctis vigilias & orarent ibidem eundo genibus flexis una poſt aliam circum circa altare , ubi eſt precioſum corpus ejuſdem Sancti Præſulis collocatum , pater infirmi ſupervenit etiam ad orandum ibidem , & dum orationem pro nato porrigeret & dictas devotas mulieres orare videret , ſtillando per oculos lacrymas in fervore ſpiritus tanta devotione , tanta ſuavitate & dulcedine cordis tactus fuit , quod quaſi ex ſe tractus ſuper morem felicitatem ſe guſtare videretur ; & dum in ea ſpiritus amœnitate perſiſteret circa horam quintam cum dimidia noctis , ecce pulſatum eſt matutinum paſchale , ex quo ab illa dulcedine ſemotus ivit ad domum ut filium videret , & invenit quod ea nocte quietius ſolito vigebat , quod accidiſſe arbitratus eſt propter orationes in ſacra capella Confeſſoris ut permittitur celebratas . Unde ipſe pater adoleſcentis infirmi dimiſſis in domo ad cuſtodiam nati uxore pariter & ſorore , & monitis per eum ut quieſcerent , iterum remeavit ad eccleſiam S. Laurentii , ubi reperit antedictas mulieres adhuc ut ſupra indeſinenter orantes , & eo inſtanti in camera infirmi apparuit quædam lux ita ſplendida & excellens , quod videbatur camera igne tremari : propter quod dicta ſoror ejuſdem patris infirmi atterrita effecta eſt ,

& re-

& removens curtinam ante lectum existentem, lux ipsa statim evanuit. Iterum vero facto modico intervallo eadem lux in camera resplenduit. Unde ipsa soror genitoris prædicti ægroti ..... rursus attonita est, & aperiens curtinam, ut intueretur quodnam hoc esset, vidit lucem extinctam; & sic eo mane dictus æger extitit semiliber ab omni languore, successiveque infra paucos dies sospes & lætus de domo exivit virtute Redemptoris nostri Jesu Christi, quam meritis & intercessione hujus Beatiss. Confessoris Joannis his & aliis innumerabilibus donis hanc suam urbem Tragurinam uberrime dotavit.

VIII. *Qualiter quidam Vener. Presbyter Zaninus primicerius ecclesiæ cathedralis Trag. juncturis ossium in genibus destructus fuit resanatus.*

Quidam Dominus Zaninus Stoysich Tragurien. Sacerdos venerabilis & primicerius ecclesiæ majoris Tragur. dum in sollemnitate omnium Sanctorum in dicta ecclesia celebraret divinum officium matutinale, & unus Presbyter inciperet errore unam lectionem pro alia legere, & ipse Presbyter Zaninus hoc audiens vellet ascendere pulpitum causa ostendendi lectori illi quam lectionem legere deberet; tunc ascendens calcando pedibus lignum lauri super scalas cecidit, & taliter se percussit cadendo, quod ossa amborum genuum ex suis juncturis exierunt, ita quod fractis nervis solum in fortia pellis tibiæ manserunt suspensæ, ex quo nullatenus potuit amplius pedes firmare, sed prostratus in terra remansit. Tandem fecit se deferri ad domum, ubi convocatis medicis & aliis personis aptis ad reponendum ossa in locum suum, non fuit remedium ossa in suum locum posse reduci, imo censebant omnes ipsum ægrotum nunquam posse suis pedibus ambulare. Unde quorundam consilio fecit se Spaletum conduci ad quemdam valde expertum & famosum virum circa ossa extra juncturas redigenda in suum pristinum locum, qui plurimis experimentis superinde factis sibi remedium aliquod minime præbere valuit. Unde dum ipse æger per plures dies Spaleti jaceret in loco Archidiaconi Spalaten. quodam sero in vigilia sollemnitatis hujus SS. Confessoris in solis occasu, videlicet hora qua incipiunt decantari vigiliæ matutinales glorioſi Præsulis Joannis in ecclesia cathedrali Trag. cœpit superinde in mente cordialiter meditari cum affectione & fervore vehementi lacrymas emittendo dicens: O glorioſe Confessor, utinam sospes essem, ut cum fratribus meis Canonicis Tragurinis hanc tuam sacram vigiliam sollemnizare valerem. Et dum sic suaves stillaret lacrymas, præ nimia devotione iterum exclamando ait: O Beatissime Pontifex, te suppliciter exoro, concede mihi peccatori indigno, ut propriis pedibus ad te valeam proficisci, ac apud sepulcrum, ubi est reconditum tuum SS. corpus, devotionem meam peragere. Ego enim voveo Deo ad honorem tuum SS. quod quousque vixero, singulis annis jejunabo in pane & aqua vigilia tuæ sacratissimæ festivitatis, præterea a modo usque ad unum annum omni die duplum officium tuæ sollemnitatis celebrabo; insuper sæpe in vigilia tuæ festivitatis singulis annis nudis pedibus ambulabo a domo meæ residentiæ usque ad tuum sacrum tumulum cum uno cereo longitudinis ad meam staturam in manu offerendo eidem. Quibus votis lacrymabiliter per eum emissis, nocte præcedente diem suæ sanctæ festivitatis post aliqualem dormitionem post mediam noctem ipse excitatus a somno tibias suas sic destructas, quas cum panibus inter cetera ligna involutas habebat, præ desiderio eundi ad dictam festivitatem cœpit ducere & movere unam post aliam per modum, quod statim sensit in tibiis adjumentum & melioramentum plurimum. Unde præ gaudio vocavit clericum suum nomine Bartholomeum Maytich dicens: Fili, ecce quod Omnipotens Deus virtute glorioſi Præsulis nostri S. Joannis ostendit mihi gratiam & misericordiam suam, quod meis pedibus incedere valebo; surge ergo velociter, & dissolve tibias meas. Quibus dissolutis ipse Presbyter Zaninus surgens sanus effectus ambulare cœpit absque eo, quod ossa dissoluta e genibus in locum suum repoſita fuissent, & nervi resanati essent. Eodemque mane sospes Tragurium rediens corpus SS. Pontificis Joannis devotissime visitavit referens gratias Altissimo Creatori, & eidem Confessori, & votum suum de tempore in tempus integerrime extitit prosecutus. Incedit igitur usque ad hodiernum ossibus tibiarum extra juncturas suas extractis absque aliquo juvamine & læsione personæ, prout omnibus eum intueri volentibus notissimum est.

IX. *Qualiter quidam Nobilis, qui ex quadam horribili infirmitate mutus effectus fuerat, postea in quadam visione Beatissimi Confessoris nostri Joannis mirabiliter loquelam recepit.*

Inter cetera mirabilia, quod Dominus noster Jesus Christus in suo SS. Confessore Joanne operatus est, hoc unum sollemne & singulare miraculum describere non omittam, videlicet quod cum quidam juvenis Jacobus Duymi Dessæ nuncupatus Tragurinus patria & nobilis genere detineretur febribus acerrimis frigidis & calidis continuis uno mense continuo in eis perseverando, infra quem mensem propter languoris intensitatem totaliter mutus effectus est, adeo ut minimum poterat proferre verbum, in qua amissione loquelæ per menses 3. & ultra perseveravit; tamen existens....sani interius, nam quando aliquid requirebat vel respondere volebat, per signa & actus, quemadmodum faciunt muti, intelligebatur; febribus tamen nunquam eum relinquentibus fuit denique requisitus per quemdam Angelum Gardilcich nominatum, ut faceret se deferri ad capellam SS. Conf. Joannis ad orandum tribus noctibus, qui postulans pugilare scripsit se semper gerere singularem devotionem erga ipsum pretiosum Antistitem, sed quod nondum videbatur sibi tempus ad ejus capellam accedere, sed præstolari usque ad tempus suæ festivitatis. Et cum appropinquaretur hujusmodi festum, per tres dies ante ipse infirmus fuit accensus vehementi devotionis & affectionis fervore cordiali faciendi se deferri ad vigilandum & orandum in dicta capella tribus noctibus, & sic scripsit circumstantibus hanc ejus devotionem, ut eum ducerent. Et dum prima nocte vigilasset & orasset in dicta S. capella cum aliquibus devotis mulieribus, quæ eum associaverant, somnus eum arripuit circa horam noctis, in quo somno audivit ex arca sacra, ubi dictum SS. corpus S. Joannis est collocatum, vocem dicentem sibi: Jacobe, credis tu, quod post cras est dies sanctus meæ sollemnitatis? Qua voce fuit expergefactus a somno, & vigilans audivit adhuc pluries ipsam vocem ex sepulcro, exprimentem ut supra. Cui voci statim dissoluta lingua eidem D. Jacobo respondit duplicando verbum, Credo, Credo, cum per antea non fuisset amplius locutus; & statim ipse D. Jacobus surrexit de loco, & genuflectens se ante altare, ubi

est tumulum Beatiſs. Pontificis Joannis, cœpit orare. Et poſtea proprio dixit circumſtantibus, Surgite, & vocate Dominum Gregorium ſacriſtam, ut mecum oret; & ſic veniens ipſe ſacriſta oravit ſecum, & dum ſic oraret, iterum loquelam amiſit. Mane vero tunc ſequenti fuit ductus ad domum. Et alia nocte ſubſequente, videlicet in vigilia ſollemnitatis hujus pretioſiſſimi S. Joannis iterato fecit ſe duci ad orandum in eadem capella aſſociatus cum aliquibus virginibus, & aliis devotis mulieribus. Unde dum circa horam tertiam noctis poſt ſuam orationem aliquantulum dormiret, audivit ſimiliter vocem ex tumulo corporis Beati Pontificis clamantem & dicentem: Jacobe, credis ne, quod cras ſit celeberrima dies meæ feſtivitatis? Et dum eo inſtanti excitaretur a dormitione, etiam audivit illam ſanctiſſimam vocem, ſurrexit repente reſpondendo abſque linguæ ſolutione: Credo, Credo, Domine; & proceſſit ante ſanctum altare flexis genibus orando, magnificando, & laudando Altiſſimum Deum, & ipſum glorioſum Confeſſorem Joannem; quo facto iterum loquelam perdidit, & ſic repoſitus fuit in ſuum priſtinum locum, ut quieſceret. Unde circa horam octavam noctis dum adhuc dormiret, rurſus vox de ſepulcro eum excitavit ſimiliter dicens; Jacobe, crediſne, quod cras ſit dies meæ ſollemnitatis? qui jam expergefactus reſpondit, ut ſupra, Credo, Credo, & iterum ivit ad altare prædictum, ubi genuflectendo ſe ferventius orabat, & orando vocem ipſam modo quo ſupra expreſſius audiebat, & ut ſupra ipſe ore proprio reſpondebat efficacius, Credo, Credo. Quo iterum pulſato ad matutinum, ſupervenerunt Presbyteri & clerici, & invenientes ipſum orantem & loquentem ſecum proprio ore, omnes una ſecum glorificaverunt & laudaverunt æternum Deum, & noſtrum Sanctiſſimum Paſtorem B. Joannem, propter tam grande & mirabile munus eidem D. Jacobo conceſſum. Die autem facto ipſe cum omnibus loquendo ivit domum, & iterum rediit in camiſia nudis pedibus cum uno doplerio in manibus ad vovendum in capella, viſitandumque & laudandum ipſum Beatiſſimum Præſulem Joannem, faciens celebrari ad ſuum altare ſacroſanctam Miſſam in ejus honorem; & iens poſtea cum dicto doplerio in proceſſione ſollemnitatis S. Joannis omnibus eum videntibus, & loqui audientibus, ac Deum & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum præ gaudio & jubilatione collaudantibus, & benedicentibus.

Explicit.

Miracula ſupra deſcripta contigerunt ſæculo decimo quinto.

Antonius Cadcichius Epiſcopus Tragurienſis hiſce miraculis hanc notam ſubjecit: *Contigerunt hæc, quæ ſupra ſcribuntur ſine chronologia, facta mirabilia circa tempus Eugenii IV. cum ſupra nominatorum Primicerii Zanini, ſeu Joannini Stoiſich, & Abbatis S. Benedicti Nicolai Vicarii generalis nomina notentur in quodam ex actis capitularibus 16. menſis Novembris 1442. Indict. V. Pontificatus SS. in Chriſto Patris & Domini Domini noſtri Eugenii divina providentia Papæ IV. anno XII. Temporibus pontificatus Rever. in Chriſto Patris ac Dom. Domini Angeli Dei & Apoſt. Sedis gratia Epiſcopi Tragurienſis digniſſimi, prout habetur in chartulario Capituli Tragurienſis. Scriptor vero fragmenti ſynchronus oſtenditur eidem Primicerio, ut clare conſtat ex deſcriptione recuperatæ ab ipſo valetudinis interceſſione B. Joannis.*

VI.

Eugenius IV. P. diem feſtum B. Joannis indulgentiis locupletavit.

Cum Deus per ea tempora tot tantiſque miraculis nomen cultumque B. Joannis illuſtraret, de his Eugenius IV. certior factus cum eſſet, ad ejuſdem celebritatem ac religionem augendam, aliquid ex theſauris eccleſiæ addendum putavit. Itaque ædem cathedralem S. Laurentii, in qua corpus B. Joannis conditum eſt, inſigni ac perpetuo indulgentiarum beneficio cumulavit; omnibus ſiquidem, qui ſacra confeſſione expiati, ſingulis annis XVIII. Kal. Decembris, ipſo die feſto ejuſdem S. Joannis templum Laurentianum pie riteque viſerent, atque aliquid ſubſidii ad ejus reparationem vel ornatum conferrent, certam delictorum veniam conceſſit. Extat diploma pontificium in hæc verba.

Diploma pontificis.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Licet is, de cujus munere venit, ut ſibi a ſuis fidelibus digne & laudabiliter ſerviatur, de abundantia ſuæ pietatis, quæ merita ſupplicum excedit & vota, bene ſervientibus ſibi multo majora retribuat, quam valeant promereri; nihilominus tamen deſiderantes nos populum reddere acceptabilem & bonorum operum ſectatorem; fideles ipſos ad complacendum ei, quaſi quibuſdam allectivis muneribus, indulgentiis videlicet, & remiſſionibus invitamus, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores; ita etiam ex commiſſi nobis gregis regimine myſticos diſpenſantes theſauros, quemadmodum Beatiſſimus martyr Laurentius terreſtres pauperibus divitias erogavit, ut & æternas ſibi in cælum atque immarceſcibiles præpararet, ex quo, & non ſolum propter ſacri palmam martyrii, ſpeciali venerationis prærogativa meruit a fidelibus inſigniri. Cum igitur, ſicut accepimus, ad eccleſiam Tragurienſem, quæ ſub vocabulo ejuſdem martyris fundata exiſtit, devotionis cauſa magna populi multitudo confluere conſueverit; nos cupientes, ut hujuſmodi devotio ferventius vigeat & augeatur, ipſaque eccleſia congruis honoribus frequentetur, ac in ſuis ſtructuris, ædificiis, & ornamentis conſervetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eamdem, ac ad conſervationem hujuſmodi manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc itidem dono cæleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos; de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui die quartodecimo menſis Novembris, in qua memoria B. Joannis Confeſſoris Tragurienſis Epiſcopi honorifice & cum maxima populi devotione inibi celebratur, a primis veſperis uſque ad ſecundas eccleſiam ipſam devote viſitaverint annuatim, & ad conſervationem, conſtructionem, & ornamenta hujuſmodi, manus porrexerint adjutrices, ſeptem annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus, præſentibus in perpetuum duraturis. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus eccleſiam, vel ad conſervationem, conſtructionem, & ornamenta hujuſmodi, adjutrices manus porrigentibus, ſeu inibi pias eleemoſynas erogantibus, aut alias aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapſum duratura per nos conceſſa fuerit, hujuſmodi præſentes litteræ nullius exiſtant roboris vel momenti. Datum Ferrariæ, Anno incarnationis Domini

minicæ M. CCCC. XXXVIII. tertio nonas Maji, pontificatus noſtri anno octavo.

VII.

Epiſtola Sigiſmundi regis Romanorum & Hungariæ ad Tragurienſes de B. Joanne.

Se accepiſſe ait vetera, quæ poſtulaverat, monumenta, ex quibus apparet B. Joannem ex nobiliſſima gente Urſina originem traxiſſe; quidquid præterea de hoc ſanctiſſimo Antiſtite, ejuſque illuſtri proſapia publicis litteris conſignatum extat, ad ſe tranſmitti jubet.

Epiſtola Sigiſmundi.

Nobilibus Comiti, Judicibus, & Conſilio noſtre civitatis Tragurien. fidelibus noſtris grate & ſincere dilectis Sigiſmundus Dei gratia Romanorum rex ſemper Auguſtus ac Hung. Dalmatiæ &c. rex. Nobiles fideles grate & ſincere dilecti. Accepimus quas nuper a Dominis baronibus de Roſenberg noſtris dilectis requiſiti, a ſinceritate fidelitatis veſtre, publicas memorias S. Joannis Epiſcopi olim veſtri ad nos tranſmitti poſtulavimus; ex quibus cum juxta eorumdem Dominorum placita idem Sanctus Epiſcopus ex ſuorum conſanguineorum Urſina pempe familia ortus non obſcure cognoſcatur, ideo rogamus fidelitatis veſtre promptitudinem, reliquas quoque ſcripturas, que de hoc facto apud vos extant, ad nos pro gloria ſancti viri, & ſplendore ejus familie opportuna occaſione dirigatis, brevi iterum illas recepturi. Datum in Voiſſigrad in die Nativitatis S. Mariæ Virginis milleſimo quadrageneſimo undecimo.

Tragurienſes regiis mandatis obſecuti, non ſolum quæ petierat Sigiſmundus ad confirmandam nobilitatem avitam S. Joannis ex gente Urſina propagatam, ſed etiam egregia illius facta & miracula per Gregorium Creſcentium Cardinalem & legatum Sedis Apoſtolicæ conquiſita, & ſexaginta virorum teſtimonio comprobata, ad Sigiſmundum miſerunt; quæ cum neque propter oblivionem remiſſa, neque propter incuriam repetita fuiſſent; interierintne, an alicubi lateant in archivis Hungaricis, non eſt compertum. His certe nunc Eccleſia Tragurienſis caret, eaque recuperandi ſpem omnem amiſit. Epiſtolæ Sigiſmundi ſubjicere libet animadverſionem Joannis Lucii, qui hanc jacturam jure ac merito deplorat: *Cum Sigiſmundus Imperator in ſupra citata epiſtola memoret ſe accepiſſe publicas memorias S. Joannis, has eaſdem probationes* (ſexaginta virorum teſtimonio roboratas) *Imperatori tunc miſſas argui poteſt; reliquas quoque ſcripturas ſecundo miſſas ex ejuſdem epiſtolæ verbis conjicitur; quibus in Ungaria aliquo caſu remanentibus, Eccleſiam Tragurienſem memoriis ad vitam B. Joannis pertinentibus ob id carere cenſendum eſt.*

N. N. EPISCOPUS TRAGURIENSIS II.

Epiſcopus Tragurienſis ſucceſſor S. Joannis anonymus.

ERgo poſt annum undecimum ſæculi undecimi, ut diximus, S. Joannes ad beatam immortalitatem migravit. Nullus dubito, quin Tragurienſes ſupremis viri ſanctiſſimi mandatis obtemperaverint; & poſt ſollemnes eidem exequias cum ingenti mœrore ac deſiderio talis ac tanti præſulis perſolutas, Epiſcopum elegerint, qui ceteris competitoribus ſimilior deceſſori, & ſibi utilior futurus eſſe videretur: *Poſt mortem meam*, inquit, *de paſtoris deliberate ſucceſſione, cujus vita vobis proficiat, & doctrina.* Sed hujus nomen, & quidquid geſſit laude dignum eadem, qua civitas, ruina oppreſſum interiit. Anno ſiquidem 1123. ut Joannes Lucius exiſtimat, dum claſſis Venetorum abeſſet, in Palæſtinam ad ſacram expeditionem tranſmiſſa, Saraceni ex Africa, vel Hiſpania in mare Adriaticum, Venetis navibus ac præſidiis deſtitutum, penitus invecti, Tragurium improviſa aggreſſione ceperunt. Urbs direpta eſt, mœnia funditus exciſa, publica & privata ædificia everſa, cives hac illac fuga diſperſi, quorum plerique Spalatum commigrarunt: quam quidem calamitatem B. Joannes paullo ante, quam e vita decederet, divino ſpiritu inſtinctus prædixerat. Per idem tempus Stephanus II. rex Hungariæ occaſionem recuperandæ Dalmatiæ, quam Ordelaphus Dux Venetorum poſt obitum Colomani Hungaris ademerat, ex abſentia Venetæ claſſis oblatam arripuit, collectoque exercitu in Dalmatiam venit, & præter Jaderam urbes pleraſque validis ad reſiſtendum præſidiis ſpoliatas aut vi, aut deditione recepit. De Stephani adventu in Dalmatiam hæc breviter Thuvoczius. *Nono anno regni ejus* (Chriſti 1124.) *intravit in Dalmatiam, & a Dalmaticenſibus honorifice receptus eſt.* Spalati cum eſſet, tum Spalatenſibus, tum Tragurinis, qui poſt patriam a Saracenis everſam Spalatum profugerant, immunitates & privilegia utriſque a Colomano patre ſuo conceſſa confirmavit: *Anno Incarn. Dom.* 1124. *indict. II. menſe Julio, nono anno regni &c. Eamdem*, inquit, *libertatem & pacem a patre meo vobis Tragurinis & Spalatinis civibus ſtabilitam .... confirmo, & corroboro.* Dominicus Michael Dux Venetorum Syriaca expeditione egregie perfunctus, biennio poſt Venetias cum claſſe regrediens urbes maritimas Dalmatiæ Hungaris expulſis recuperavit: *Poſtea Dalmatiam veniens*, inquit Dandulus, *Spalatum & Tragurium, quas ſummiſerat Hungarica rabies, hoſtibus bello fugatis, recuperavit, & ſibi ſolitam fidelitatem exhiberi fecit.* Sed ad Tragurium quod attinet, cum ob cladem Saracenicam nudatum mœnibus & incolis vacuum eſſet, hujus urbis nihil ſupererat, præter rudera & ſaxorum congeries; neque enim civitas illa intra unius triennii ſpatium reſtitui & frequentari potuit. In codice Ambroſiano ejuſdem Danduli adjectum eſt ad marginem, ſingulis civitatibus Dalmatiæ prætores præpoſitos fuiſſe, ac *Tragurio* quidem *Joannem Baduarium;* quod poſtremum non eſt veriſimile; nam tunc nulla erat civitas, cujus regimini ac defenſioni Joannes præeſſet, nulli cives, quibus imperaret ac jus diceret. Calamitas & everſio Tragurii a S. Joanne divinitus prænunciata Venetis & Hungaris Scriptoribus ignota fuerit oportet; cum illam utrique ſilentio præterierint. Sed cladis Tragurienſis auctor eſt idoneus & optimus Treguanus, qui eodem ſæculo vixit, longe propior a temporibus captæ dirutæque urbis, quam illi, quos dixi, Scriptores, qui duobus vel pluribus ſæculis poſteriores fuerunt. Eamdem Tragurii exciſionem confirmant tabulæ cœnobii Virginum S. Nicolai Tragurienſis, anno 1194. confectæ, in quibus Antiſtita queritur ac deplorat privilegia ejus cœnobii *cuncta prope olim captæ urbis deſolatione penitus abolita & amiſſa;* nec vero hæc verba referri poſſunt ad cladem Tragurio per Venetos illatam anno 1171. nam præterquam quod Treguanus hanc poſteriorem a priore diſtinxit, capta quidem civitas a Venetis fuit ac direpta, ſed non deſolata ac prorſus everſa.

Saracenica urbis everſio.

Dalmatiâ Venetis Stephanus rex Hung. ademit,

Veneti recuperarunt.

Itaque civitate per Saracenos exciſa, mœnibus

Interregnum episcopale.

bus solo æquatis, dirutis ædificiis, Episcopo & incolis vel interfectis, vel alio atque alio fugatis, Tragurium aliquandiu sine habitatoribus, sine templis, sine Sacerdotibus, sine Episcopo fuit: *Cujus incolæ*, ut scripsit Treguanus, *diversi non paucis temporibus exsulaverunt. Post multum vero temporis, cum & civitatis reficiendæ tempus, & Confessoris* (B. Joannis) *esset gloria precanda profutura, nonnulli cives superstites ad propria redierunt, & intendentes propriis & publicis reædificationis usibus, Confessoris memoriam oblivioni tradiderunt.* Quo temporis intervallo,

Dalmatia rursus sub imperio Hungarorum.

cum Dalmatia sub potestatem Hungarorum rediisset, Bela II. cognomento Cæcus, qui ab anno 1131. usque ad 1141. rerum in Hungaria potitus est, aliquot civitati & Ecclesiæ Spalatensi privilegia concessit, nullum vero Tragurienſibus; quod argumento est, nondum Tragurium in antiquum statum, justamque urbis formam restitutum fuisse. Post Dalmatiam ab Hungaris recuperatam, Geysa II. Belæ filius primum Tragurinis privilegium concessit anno 1151. quo quidem tempore Tragurium jam reædificatum & satis frequenter habitatum fuisse oportet, & nihil illi defuisse, quo minus civitas digna regalibus privilegiis esse &

Tragurium reædificatum.

haberi posset. Ergo post annos non ita paucos ab urbis excidio elapsos, qui Spalatum, quique ad alias urbes, insulasque profugerant, in patriam reversi, ut docet Treguanus, avitas & paternas domos, suas quisque recognoscere ac reædificare cœperunt; quibus absolutis, cura versa est ad curiam, forum, ædem cathedralem S. Laurentii restituendam. Ita factum est, ut renovatione ædificiorum, compositione magistratuum, quibus rei publicæ moderatio continetur, descriptione Capituli & cleri inferioris, cui sacrorum administratio commissa est, rursus in unius civitatis corpus Tragurini coaluerint. Suus quoque Tragurio Episcopus per idem tempus restitutus fuit; cujus eligendi quidem potestatem Capitulo & clero permisit Geysa, confirmandi vero jus, non autem *ordinandi*, quod jam Colomanus dimiserat, sibi reservavit. Hoc igitur diploma regium civitas, ab secunda veluti origine felicius renata, impetravit.

Anno Dominice Incarnationis MCLI. in anno regni mei II. Ego Geysa secundus rex secundi Bele regis filius, sceptra paterni regni, scilicet Hungarie, Dalmatie, Croatie, Rameque jure hereditario optinens, juro super sanctam crucem vobis Tragurinis fidelibus meis civibus firmam pacem, mihi & filiis meis, & successoribus tributarii ne sitis: Episcopum vero & Comitem, quem clerus, aut populus elegerit, confirmabo &c. Cetera ut in privilegio Colomani supra descripto; nisi quod quædam adjecit ad commoda utilitatemque Tragurienſium spectantia, quæ cum ad ecclesiasticam historiam non pertineant, omittenda censui.

Ab urbe per Saracenos excisa interregnum episcopale annos fere triginta tenuit, cui finem attulit

DESSA EP. TRAGURIENSIS III.

Dessa Ep. Tragurien-sis vitio consecratus.

Filius erat Maccarelli civis Tragurienſis, qui anno circiter 1151. vel sequenti Capituli clerique suffragiis electus cum esset, more majorum ad Metropolim Spalatensem accessit, ut a Gaudio Archiepiscopo pontificia consecratione initiaretur. Sed Gaudii inscitia & temeritas illius consecrationem vitio canonico infecit. Quid vitii fuerit, Thomas Archidiaconus cap. XIX. his verbis exposuit.

Factum est autem, ut Dessa Maccarelli Tragurienſi foret Ecclesiæ in Episcopum consecrandus. Vocavit ergo Archiepiscopus ad consecrationem celebrandam secum dumtaxat Episcopum Chroatensem. Qui veniens, & videns processum Archiepiscopi contra canonicas institutiones fieri, prohibuit dicens, Non debet Archiepiscopus cum uno Episcopo solummodo, electo consecrationis munus impendere. Gaudius vero tantæ simplicitatis, immo temeritatis erat, ut diceret, quia pallium mihi est loco alterius Episcopi. Tum Episcopus Chroatensis, utpote vir discretus & cautus, volens honoris sui evitare periculum, ascendit in ambonem, & coram omni populo protestatus est, quod non voluntarius, sed invitus, & coactus Metropolitano suo in hac parte parebat. Tandem consecratione hujusmodi celebrata, protinus apud Sedem Apostolicam factum Gaudii divulgatum est. Summus vero Pontifex misso Apocrisario, jussit tam Archiepiscopum, qui ordinaverat, quam Episcopum, qui ordinatus fuerat, ab administratione suorum Ordinum perpetuo amoveri. Episcopum vero, qui protestationem fecerat, decrevit a culpa immunem esse; quod & factum est.

Eugenius III. ab anno 1145. usque ad 1153. Pontifex Romanus ille fuit, ut colligitur ex epistola Alexandri ad Petrum VI. Metropolitam Spalatensem, ad quem de illa episcopali consecratione neque rite collata, neque rite suscepta, consecrantium & consecrati nomina delata fuerunt, Itaque censuit Eugenius in eos animadvertendum esse pro eo, ac jus canonicum postulabat. Legatum sive Apocrisarium mittere decrevit, qui eos in judicium vocaret, ac post diligentem inquisitionem adhibitam, pro sua quemque culpa puniret. Sed hanc legationem, decretamque in eos Eugenii animadversionem tum mors Pontificis haud multo post secuta, tum aliæ ex aliis causæ in longinquum tempus distulerant. Interea illis usque ad causam rite cognitam, & sententiam prolatam, episcopalia usurpare jura & obire munia impune licuit. Demum anno 1158. Adrianus IV. qui ante triennium Eugenio post brevem Anastasii IV. pontificatum successerat, quod idem Eugenius decreverat ac mandaverat, tandem aliquando exsequendum esse putavit, misitque in Dalmatiam legatum, qui reos illicitæ consecrationis, quibus digni erant, pœnis afficeret. Hic autem & Gaudium Spalatensi, & Dessam Tragurienſi Sacerdotio privavit. At Chrobatienſi, sive Tininienſi Episcopo sua obtestatio ac denunciatio profuit; quæ quidem illum si non omni culpa, certe ex indulgentia legati pontificii pœna omni liberavit. Huc revocanda sunt, quæ scripsimus tum in Gaudio Archiepiscopo cap. 3. §. 3. tum in Petro VI. Metropolita Spalaten. §. 2. ad quem extat epistola Alexandri III. Ferentini data anno 1161. VI. Nonas Septembris, quam actis ejusdem Petri inseruimus; atque ibidem quæ in hac epistola discrepant cum iis, quæ Archidiaconus scripsit, probabili explanatione adhibita, hæc & illa inter se conciliare conati sumus.

Cum igitur Dessa vitio consecratus fuisset, ob eamque causam gradu illo & dignitate dejectus; in sedem episcopalem Tragurienſem, quorumdam nobilium virorum potentia & factione

Intrusum quemdam loco Dessæ in sedem episcopa-

lem Alexander III. expelli jubet.

ctione quidam intrusus est, qui neque clericali tonsura initiatus, neque natus erat e legitimo toro, longe vero aberat ab ea matura ætate, quam sacri Canones requirunt, idoneumque ad munus episcopale gerendum esse declarant. Hunc ergo Alexander III. in illa epistola extrema ad Petrum Metrop. Spalaten. modo laudata amoveri ac detrudi jussit. *De cetero*, inquit, *sicut ex relatione dilecti filii nostri Petri S. Eustachii Diaconi Cardinalis, & quorundam aliorum accepimus, quidam P. nomine, necdum tonsuratus, cum adhuc esset duodennis, neque de legitimo natus conjugio, per laicorum potentiam Tragurienſem Episcopatum invasit, & in animæ suæ periculum eidem Episcopatui contra canonicas sanctiones incubare non cessat. Unde præsentium auctoritate litterarum tibi mandamus, ut hujus negotii veritatem diligenter inquirens, si ita esse contigerit, prout superius notatum est, omni excusatione & dilatione remota, prænominatum P. exinde amovere, & sub pœna ecclesiasticæ severitatis illum a sua præsumptione cessare compellas.*

Nec dubium esse potest, quin Petrus Archiepiscopus Alexandri mandata exsecutus fuerit, & Episcopum intrusum male parto Episcopatu detruserit. Ac Dessa quidem ob vitiosam consecrationem exauctoratus, sententiæ & interdicto pontificio paruerat, atque ad privatam vitam regressus ab omni jure ac functione episcopali abstinebat: qua quidem animi submissione atque obedientia dignum se præbuit, cui Pontifex Sedem Tragurienſem ademptam restitui jusserit. Nam deinde huic ecclesiæ plures annos præfuisse, neque ante annum circiter 1176. adjutorem, vel successorem ei datum esse, monumenta illorum temporum declarant. Sibenici, quod oppidum erat diœcesis Tragurienſis, cum Dessa unum alterumve templum consecrasset, ad sacram illam functionem peragendam adjutorem adhibuit Michaelem sororis suæ filium, futurum sibi successorem, ut docet Joannes Lucius ex tabulis Capituli Tragurienſis: *In ea scriptura*, inquit, *idem Episcopus* (Michael) *in consecrationibus Ecclesiarum Sibenicenſium suo avunculo Desæ filio Makarelli Tragur. Episcopo astitisse testatur, quem Desam ex Archid. cap. 19. electum circa annum* 1150. *elicitur*. Lucius in notis postremis ad Vitam B. Joannis. Tabulas illas, unde hæc Lucius desumpsit, proferemus in Episcopo Michaele. Eodem Lucio auInventio corporis S. Joannis.

ctore, inventionem corporis S. Joannis colligandam censeo cum Episcopatu Desiæ, qui sacras illas exuvias divino admonitu atque indicio repertas, duplici arca, altera cupressina, altera marmorea inclusit, & in locum honorificum sublatas publicæ venerationi exposuit: Vide nostras animadversiones in Cap. 1. Part. 2. vitæ S. Joannis.

Nondum Dessa e vivis excesserat, cum Tragurium a Venetis captum ac direptum, insignis, atque inauditi miraculi ad honorem cultumque B. Joannis divinitus editi occasionem præbuit. Emmanuel Imperator Orientis Tragurium aliasque urbes Hungaris eripuerat, idemque plurimis maximisque injuriis illatis Vene-

Urbis per Venetos captæ direptio.

tos irritaverat. Vitalis Michael Dux Venetorum classem centum triremium & viginti navium adornari jussit, quam, Emmanuelis fœdifragi jurisque gentium violatoris ulciscendi caussa, in Græciam duceret. In altum provectus, triginta triremes emisit adversus Tragurienſes, qui Emmanuelis imperio subjecti erant. Cum mœnia Tragurii post Saracenicam cladem nondum restituta essent, sed *solis sparis & quibusdam maceriis circumsepta fragilibus civitas esset*, ut tradit Treguanus in Vita S. Joannis, perfacile & nullo negotio Veneti urbem ceperunt, captam diripuerunt, ac fœdum in modum vastarunt. *Contra Tragurinos*, inquit Dandulus, *qui Emmanueli subjecti erant, triginta misit galeas, quæ urbem belligere obtinentes, ut posteris cederet ad exemplum, non solum pro parte eam diruit, sed etiam propriis thesauris expoliavit.* Id factum tradit *anno Ducis decimo sexto*, qui fuit æræ vulgaris 1171. Congruit cum epocha *secundi*, ut ait Treguanus, *belli contra Chium. Secundo*, inquit, *Veneti cum irent in Romaniam contra Chium comparato exercitu, divertentes illuc cum triginta galeis ad Tragurienſium portum applicuerunt.* In hac siquidem expeditione, ut Dandulus & alii Scriptores docent, Vitalis Chium urbem atque insulam, quæ ante aliquot annos a Venetis capta sub imperium Græcum redierat, ultro in fidem venientem recepit. Porro Veneti, cum abstulissent arcam S. Joannis, in qua thesauros conditos esse putabant, sua spe frustrati ab illo sacratissimo corpore brachium abscinderunt; quod deinde ex illa expeditione reduces cum aliis divorum exuviis Venetias transportarunt. De pestilentia, quæ classem Venetorum corripuit, illataque est Venetias, cum Treguano ceteri Scriptores consentiunt. Anno circiter 1174. legati Tragurienſium Venetias missi, ut brachium S. Joannis repeterent, ab Duce Sebastiano Ciano omnia quidem, quæ a militibus & classiariis ablata fuerant in urbis direptione, recuperarunt; non item vero sanctissimum illud brachium, quod Veneti apud se honorificentius, quam apud Tragurienſes, cultum iri ajebant. Extat privilegium immunitatis ab Ciano Duce Tragurienſibus concessum anno 1174. quo quidem anno, aut huic proximo accidit prodigiosa illa translatio ejusdem brachii haud dubio Angelorum ministerio Tragurium revecti, quam Treguanus fuse accurateque descripsit. Ut corporis inventionem, sic etiam brachii translationem censeo referendam esse ad Episcopatum Dessæ; qui ætate jam provectus, cum ob virium imbecillitatem videretur sibi non esse idoneus ad onus episcopale sustinendum, a clero populoque impetravit, ut Michaelem sororis filium, dum viveret, adjutorem sibi, post mortem successorem darent. Argumento est, quod Michael usque ad annum circiter octogesimum hujus sæculi nomen *Episcopi electi* retinuit.

Translatio brachii S. Joannis Venetiis Tragurium divinitus relati.

Dessæ Michael sororis filius adjutor & successor datus.

MICHAEL EP. TRAGURIENSIS IV.

Hujus frequens est mentio in antiquis monumentis. Extat epistola Alexandri III. anno 1177. Kal. Augusti data Venetiis ex Rivo alto, & inscripta *Venerabilibus Fratribus Spalatensi Archiepiscopo, & Michaeli Tragur. Episcopo*, in qua inscriptione per incuriam amanuensis pontificii nomen *Electi* prætermissum est. Utrique Pontifex mandat, ut quæ Sibenicenses piratæ Raymundo de Capella legato Sedis Apostolicæ, e Sicilia Venetias naviganti, per vim abstulerant, restitui jubeant &c. Habes hanc epistolam in actis Raynerii Archiep. Spalatensis. Sub idem fere tempus alteram Alexandri epistolam idem Raymundus in Dalmatiam attulit; quam quidem epistolam Raynerius fatetur se accepisse *in*

Electi nomen gessit usque ad obitū Dessæ avunculi sui.

præ-

præsentia Flasconis Tinien. Nonen. . . . . Episcoporum & Tragurien. electi . Raynerius an. 1179. cum ex mandato Alexandri Episcopos provinciales ad Concilium Lateranense III. per litteras encyclicas invitavit, Michaelem ultimo loco, & quidem *electum* nominat: *Nos Dei gr. Salonitanæ Ecclesiæ Archiepiscopus licet immeritus, Apostolicæ Sedis legatus, Venerabilibus Fratribus F. Tinien. . . . . & M. Tragurienſi electo* . Dessa e vivis exempto, electi nomen deposuit, & simpliciter atque absolute appellari cœpit *Episcopus Tragurienſis* .

Interfuit Concilio provinciali Spalatensi.

Anno 1185. interfuit Concilio provinciali Spalatensi sub Petro VII. Metropolita; in quo, ut ceteris diœcesibus, suæ cuique, sic etiam Tragurienſi suæ parochiæ assignatæ sunt : *Tragurienſis Episcopus habeat has parochias , Tragurium , Drid , Sibenicum , & totum Comitatum Zagoriæ*. Drid erat prædium regale, millia passuum circiter quinque Tragurio in occasum distans, quo quidem vocabulo, ut docet Lucius, Buffilinia , sive tota peninsula Hyllis continebatur , in cujus latere orientali situm erat, & quidquid terrarum & locorum in eadem erat peninsula , ad prædium illud regale pertinebat. Ab latere occidentali Buffiliniæ, jurisdictio Episcopi Tragurienſis ad quindecim millia passuum porrecta Sibenicum cum universo ejus territorio complectebatur. Comitatus *Zagoriæ* pars erat orientalis diœceseos Tragurienſis fere usque ad Cetinam sive Tilurum amnem, in qua propius ab urbe ad septemtrionem *Campus parvus*, itemque paullo remotius orientem versus *Campus magnus;* & hæc loca celebriora erant *Biach* territorium itidem regale, & *Ostroch*, una cum cœnobio Benedictino S. Petri *de Clobuc* . Actis Concilii post Flasconem Tinninienſem subscriptus est *Michael Tragurienſis* sine appositio *electi* vocabulo. Idem Michael biennio post cum aliis quatuor Episcopis, qui Synodo provinciali interfuerant, rogatu Capituli Spalatensis, quæ secundum Canonicos decreta fuerant in eadem Synodo , declaravit & approbavit , ut dictum est in actis Petri VII. Archiep. §. 2. Animadversione 3.

Descriptio diœceſis Tragurienſis.

Ædes S. Mariæ de Spilano condita.

Sub Michaele Episcopo quidam cives Tragurienses pii ac divites Spilani in eo loco , qui nunc Stomoria vulgo dicitur , ædem Sanctissimæ Dei Matri construxerunt; eamque cum luculentis prædiis donassent , horum catalogum confici, ac tabulis publicis mandari jusserunt.

In nomine Sancte & individue Trinitatis Amen. An. Incar. 1189. Indict. 7. regnante D. N. Bela rege Ungarie, Tragur. quippe Ecclesie Ven. Episcopo Michaeli , Comite scilicet Marino hoc actum est. Nos quidem fundatores ecclesie S. Marie de Spilano, Stance Orebina, Bratiza Matheye, Petrus scilicet, & Stephanus Podcupp , Strumbrada , Grubina , Drasechna. In primis namque est terra S. Marie sub via de Spilano sita in loco, quod dicitur Pocivala, ex aquilonari parte, cujus est terra S. Nicolai juxta terram ejusdem ecclesie ex parte orientali, cujus est terra S. Marie sub viam , que ducit ad Spilanum supra aquam , que appellatur Snnichen terra S. Marie ; sub eadem aqua est terra S. Marie in occidentali parte ecclesie, sub via est terra S. Marie ex orientali & occidentali parte, cujus sunt terre Branco supra viam , que ducit ad Ostroc; ex orientali parte eccl. est terra S. Marie . In eodem loco juxta ecclesiam subtus viam est terra S. Marie , ex occidentali parte; ejus est terra S. Joannis sub Stenizo ; in orientali parte ecclesie est terra S. Marie . In loco quod dicitur Sustic est terra S. Marie ex australi parte , cujus terra S. Joannis apud Stinizam , est terra S. Marie ex orient. part. cujus est terra S. Nicolai. In loco qui dicitur Sustic est terra S. Marie ex australi parte , cujus est terra Ponete . In orientali parte apud Pocrounicum est terra S. Marie ex aust. parte , cujus est terra S. Marie ex orien. parte , cujus est terra Branco . Avegete Maramide usque ad terram S. Joannis tota terra illa est S. Marie . In australi parte Bezize est terra Marie. In eodem loco est terra S. Marie ex orient. parte, cujus est terra Busali , & in aquilonari est terra S. Georgii de Mirano , ex aquilonari parte eccl. tota illa terra , in qua dividit aqua per medium usque ad Stenizam, est terra S. Marie ex orient. parte lacus , qui est prope viam , que vadit apud S. Georgium , est terra S. Marie. Dictis & numeratis nominibus terrarum, oportuit scribi nomina rerum ecclesie. In primis est unum missale continuum , unum ymnarium , & ymnarius mixtus cum psalterio , una cortina , & pannus unus super altare &c.

Legatio Hungarica Gregorii Card. de Crescentio.

Dum Michael Ecclesiæ Tragurienſi præsidebat, Bela III. rex Hungariæ supplici legatione ad Sedem Apostolicam missa Pontificem rogavit , ut e Cardinalium collegio virum perspectæ doctrinæ ac prudentiæ legatum in Hungariam mitteret , qui de virtutibus & miraculis Ladislavi primi hoc nomine regis Hungarorum quæstionem haberet ; quæ vero post diligentem inquisitionem adhibitam , ex idoneis testibus jurejurando adactis comperisset per eum sanctissimum regem in vita & post mortem vel laudabiliter gesta esse , vel patrata divinitus , ea in publicas tabulas referenda curaret , Romamque perferret ad Pontificem Maximum, ut ille , si ei videretur , regi optimo sanctimonia & miraculis inclyto cælestes honores rite decerneret. Hanc legationem susceptit Gregorius ex illustri & perantiqua Crescentiorum Romana familia , Cardinalis Diaconus S. Mariæ in Porticu , qui dictus est etiam *Gregorius de S. Apostolo* . Cum ad litora Dalmatiæ inita jam hyeme appulisset , propter incommodam tempestatem , viasque montanas nivibus obseptas , coactus est Tragurii subsistere , ac tempus sollemnis jejunii quadrageni apud Dalmatas transegit . Thomas Archidiaconus cap. 24. Belam cum Innocentio III. per suos legatos egisse de rege Ladislavo in Sanctos reponendo, & ab Innocentio III. legationem Hungaricam Gregorio Cardinali decretam fuisse falso existimavit ; anno siquidem 1192. ut est in tabulis Dalmaticis, Gregorius jam fungebatur munere legati apostolici in regno Hungariæ, anno scilicet sexto ante Pontificatum Innocentii ; & præterea ante biennium , quam Innocentius ad summum Sacerdotium eligeretur, Bela e vita migravit. Ac mihi quidem videtur Gregorius antea missus fuisse in Hungariam, quam Clemens anno 1191. mense Martio, vel Cælestinus eodem mense, sed anno sequenti diploma illud pontificium conderet, quod in Petro VIII. Archiepiscopo Spalatensi §. 1. descripsimus; nam inter subscriptiones Cardinalium eidem subjectas, neque nomen, neque chirographum Gregorii Cardinalis reperio, quod argumento est jam tum legationis Hungaricæ caussa ex urbe profectum fuisse . Hujus igitur in Dalmatiam adventus ad initium anni 1191. vel sequentis referri potest; eamque legationem

vel

vel a Clemente III. vel a Cæleſtino III. accepit. *Eo tempore*, iquit Archidiaconus cap. 24. *illuſtris vir Bela Hungariæ rex miſſis Apocriſariis ad Apoſtolicam Sedem, ſupplicavit Domino PP. Innocentio* (Clementi vel Cæleſtino) *ut juberet reliquias B. Uladislavi regis ſublevari, & in loco decentiori componi, ac ipſum in Sanctorum catalogo decerneret aſcribendum. Cujus petitioni Summus Pontifex annuit; & miſit quemdam virum Reverendiſſimum Gregorium de Creſcentio Cardinalem, ut voluntati regiæ ſatisfaceret condecenter. Tunc Cardinalis apoſtolica legatione ſuſcepta transfretavit, & venit in partes Dalmatiæ, applicavitque Tragurium; & quia byemis adhuc aſperitas imminebat, voluit ibidem per totam quadrageſimam commorari.*

Commoratio Dalmatica Gregorii Dalmatis, ac præſertim Tragurinis pertillis.

Nec vero Dalmatica commoratio aut otioſa Gregorio, aut inutilis Dalmatis, ac præſertim Tragurinis fuit; nam præter cetera ejus acta & decreta, quæ in rem illorum erant, Tragurii cum eſſet, vel civium rogatu, vel ex mandato Pontificis quæſtionem inſtituit, ut Joannes Lucius exiſtimat, de vita & moribus Joannis Urſini Epiſcopi Tragurienſis, deque rebus ab eodem ad hominum utilitatem, ſalutem, & exemplum præclare ac laudabiliter geſtis, tum vero de iis, quæ ſupra vim atque efficientiam naturæ divinitus ille vivus patravit & mortuus. Quæ vero ex idoneis auctoribus comperta fuerant, in tabulas referri juſſit, & ſexaginta teſtium chirographo ſubſcribi, ac jurejurando confirmari. Ex his tabulis Treguanus Archidiaconus, & poſtea Epiſcopus Tragurienſis, multa ſumpſit, quibus vitam S. Joannis, antiquitus ab anonymo auctore deſcriptam, ornaret atque augeret. Hinc videtur repetendum eſſe initium legitimi & univerſalis cultus B. Joanni a Tragurienſibus adhibiti, quorum adverſus ſuum, olim ſanctiſſimum Antiſtitem, ac deinde patronum beneficentiſſimum religio quotidie crevit, ac magis magiſque efloruit. Præterea Gregorius ritum ac formulam approbavit fauſtarum acclamationum cleri populique, concordi voce ab Deo optimo maximo ſalutem, pacem, felicitatem Pontifici, Regi, Epiſcopo, magiſtratibus, Capitulo, & inferioris ordinis clero, totique populo inter ſollemnia Miſſarum, ſtatis ac celeberrimis totius anni diebus precantium. Has vulgo laudes appellant; & duobus Canonicis, qui eas præcinerent, duos perperos, quod eſt genus argentei nummi, de publico perſolvi idem legatus juſſit. Ad hæc decrevit, ut Epiſcopus Tragurienſis die anniverſario S. Laurentii, cujus titulo & patrocinio ſubeſt ædes cathedralis, itemque feria quinta majoris hebdomadæ, prandium Canonicis præberet. His aliiſque in gratiam utilitatemque Tragurienſium, atque aliarum civitatum Dalmatiæ peractis & conſtitutis, ſub dies feſtos paſchales in Hungariam ad mandata pontificia exſequenda diſceſſit.

Controverſia inter Michaelem & Canonicos Tragurienſes.

Antiqua conſuetudine traditum ac receptum erat, ut Epiſcopi Tragurienſes trina ſingulis ſabbathis pocula ſuis Canonicis ſub veſperas propinarent; itemque ſingulis diebus dominicis prandium tribus e clero, qui per eam hebdomadam choro ac divinis officiis præfuiſſent, Presbytero ſcilicet, diacono, & ſubdiacono præberent. Id cum nimis grave & impendioſum ſibi eſſe duceret Michael Epiſcopus, hujuſmodi onere ac diſpendio ſe omnino eximere volebat. Contra vero Canonici jus antiquum ſeu lege, ſeu multorum annorum conſuetudine firmatum objiciebant, neque ab eo tuendo ulla ratione ſe abduci putabantur. Defertur res ad Metropolitam Spalatenſem, qui utriuſque partis teſtimoniis ac rationibus diligenter auditis, riteque cognitis, cauſſam Capitulo Tragurienſi adjudicavit. Hanc quidem controverſiam Petrus VIII. Archiep. inter initia ſui pontificatus diremerat; ſed ſententiam, quam tum dixerat ſecundum Canonicos, anno 1192. ut poſterorum memoriæ commendaret, in tabulas publicas, teſtium chirographo ſubſcriptas, referendam curavit. Præterea in hiſce tabulis extremis decreta Gregorii de Sancto Apoſtolo Cardinalis & legati pontificii approbavit, & rata eſſe atque in perpetuum valere juſſit. Hæc Petri ſententia in membranam tranſcripta extat in archivo Capituli Tragurienſis, cujus exemplar indidem ſumptum hic ſubjicimus.

Sententia Petri VIII. Archiep. Spalaten.

Quoniam inter fugas temporum, & viciſſitudines rerum cum ipſa, cui adhæret, humanæ imbecillitatis memoria defluente, nihil homini firmum, nihil immobile perſeverat; Ego Petrus Dei gratia Spalaten. Archiepiſcopus factum, quod inter ipſa mei Archiepiſcopatus initia diſcuſſi ordine judiciario, & decidi, ab oblivionis interitu volo defendere, & ad poſteritatis notitiam propagare. Dilectiſſimus ſiquidem frater noſter Michael Epiſcopus Tragurinus ab Archidiacono ejuſdem eccleſiæ, qui Gaudius nominatur, ſub noſtræ examinationis experientia lite pulſatus, quædam, quæ idem Archidiaconus nomine Capituli S. Laurentii tamquam ſindicus ratione conſuetudinis depoſcebat, ſe negabat debere perſolvere, & ad ea perſolvenda ſe nulla ratione teneri negatione pertinaciſſima aſtruebat. Nos auditis hinc inde rationibus, certitudinem de facto pleniſſimam colligentes, actionem Archidiaconi, & Canonicorum, qui in eum jus agendi pari conſenſu contulerunt, rationabilem eſſe novimus & honeſtam. Ideoque finem negotio juxta libram rationis & judicialem calculum imponentes, dilectiſſimo fratri noſtro ſæpe dicto Epiſcopo, juris ratione dictante, præcipimus poſt religionem jurisjurandi, quam in præſentia noſtra ad fidem faciendam veritati Archidiaconus ſubiit prætaxatus, in qualibet die ſabbati poſt veſperas ita communi Capitulo potum debitum & conſuetudinarium adminiſtret, quod non ſemel eis ciſum porrigi ſit contentus; ſed poſt trinam potationem, ei nulla imponatur neceſſitas propinandi. Nihilominus etiam in eumdem Epiſcopum ſententiam diffinitivam ſicut in anteriore caſu dictavimus, quod in qualibet dominica die tribus hebdomadariis ejuſdem eccleſiæ, Presbytero videlicet, diacono, & ſubdiacono prandium exhibeat competenter. Demum ut poſt deciſionem noſtram aliquis dubitationis ſcrupulus non emergat, qui litem ſopitam, immo potius ſepultam valeat ſuſcitare, omniſque improbitati calumniantium obtrudatur ingreſſus; hoc duximus adnotandum, ut ſi per abſentiam Epiſcopi, vel ob cujuſcumque caſus eventum, ſolutio ceſſaverit prædictorum, ita ut vel potationis debitæ vel prandii obnoxietas exhibendi diminutionem in aliquo patiatur, in Epiſcopi præſentia, quod ſubtractum fuit, pleniſſime reſtauretur. Præterea quod Venerabilis frater noſter G. de Sancto Apoſtolo Sanctæ Mariæ in Porticu Cardinalis ſuper duobus perperis laudum, uno in Paſcha, alio in Natali Domini perſolvendo; ſuper prandio in feſto Beati Laurentii; & ſuper cœna, & mandato in ſacratiſſima Jovis die, communi Capitulo exhibendis in

per-

perſona Epiſcopi & ſucceſſorum ejus conſtituit, ratum haberi volumus, & inconvulſæ ſtabilitatis robore decernimus eſſe ſubnixum. Ut autem hujus deciſionis pagina plenum ab auctoritatis noſtræ præſidio robur habeat & munimen, cum ſigilli noſtri charactere, ut ejus memoria extendatur in ævum, merito duximus roborandam; cui quicumque auſu temerario præſumpſerit obviare, vel quod recte judicatum eſt, calumnioſis inquietationibus attemptare, cæleſtes iracundias, & indignationem Beatiſſimi Domnii, & noſtram ſe noverit incurſurum. Teſtes autem, qui huic noſtro interfuerunt decreto, ii ſunt, Duimus primicerius eccleſiæ S. Domnii, Mirreus ſubdiaconus, Realdus Michael diaconus, Grupelius Rada Sacerdos, Vitta clericus, qui omnes in eccleſia glorioſiſſimi martyris Domnii glorioſum meruerunt canonicatus vocabulum obtinere. Datum Spalati Anno ab Incarnatione Domini MCLXXXXII. Indict. IV. 16. Kal. Maji, Apoſtolatus Cæleſtini III. anno ſecundo, Gregorio de Sancto Apoſtolo tunc fungente legationis officio in regno Hungariæ, ſereniſſimo rege Bela ejuſdem Hungariæ, nec non Croatiæ, Dalmatiæ, Ramæque feliciter imperante, per manum magiſtri Falconis, & ſignatum, & traditum.

Controverſia inter clericos Tragurienſes & Sibenicenſes ad Cap. Spalatenſe delata,

De donis & muneribus, quæ ab chriſtiana plebe offerri ſolebant, cum eccleſiæ urbis ac territorii Sibenicenſis conſecrabantur, orta eſt controverſia inter clericos Tragurienſes & Sibenicenſes; hi partem dimidiam, illi quidquid oblatum fuiſſet, ſibi vindicare volebant. Anno 1197. poſt obitum Petri VIII. Metropolitæ, provinciales Epiſcopi Spalatum ad comitia archiepiſcopalia convenerant. Ad hos igitur, atque ad Capitulum Spalatenſe controverſia illa delata fuit. Tres ex auguſtiſſimo illo conventu judices delecti ſunt Michael Scardonenſis, Gregorius Tinninienſis, & Matthæus Corbavienſis Epiſcopi; qui ſimul cum Capitulo Spalatenſi hac ſuper re Michaelem Epiſcopum Tragurienſem, in cujus ditione erat Sibenicum, interrogandum, ejuſque teſtimonio ſtandum eſſe cenſuerunt. Juſſus eſt Matthæus Corbavienſis de antiqua conſuetudine Michaelem percunctari, receptaque hujus teſtificatione, eidem totius con-

ejuſque dirimendæ arbitrium Michaeli Ep. permiſſum.

troverſiæ arbitrium relinquere. Hic cum pro rei veritate teſtimonium dixiſſet, litem hanc ita compoſuit, ut de rebus oblatis pars una Epiſcopo, altera Tragurienſibus, tertia Sibenicenſibus clericis obveniret; jus tamen ea, quæ offerri ſolebant, colligendi, cuſtodiendi, dividendi Tragurienſibus adjudicavit.

In Chriſti nomine. Anno Dominicæ Incarnationis 1197. Indict. vero 15. ſcilicet VII. Kal. Majas hoc actum eſt. Cum Spalaten. Archiepiſcopatus vacaret, Epiſcopi, ſcilicet M. Scardonen. M. Tragurien. G. Tinien. M. Corbonen. ad ſuam matricem pro tractando de paſtorali electione una convenirent; Tragurienſes itaque clerici eis, & Spalaten. Capitulo ſe conferentes, ſuper clericis de Sibenico de oblationibus conſecrationum eccleſiarum conqueſti ſunt, dicentes eos nullam ſecum habere partem, ſed omnes oblationes ſuæ cum eorum Epiſcopo debere eſſe. Clerici vero de Sibenico dicebant medietatem earum ſibi pertinere; & ſupra hoc Sacerdotes, & laicos, qui quando Deſa Tragurien. Epiſcopus filius Makarelli eccleſias conſecravit, ipſas oblationes tunc per medium dividere viderunt, teſtes introducebant. Tragurienſes autem clerici ſimiliter quoſdam Sacerdotes, qui cum idem Epiſcopus eccleſias conſecravit, omnes oblationes Tragurinos clericos ſibi integre ſuſcipere viderunt, teſtes introducebant, adjicientes etiam & introducentes ipſum ſuum Epiſcopum M. nepotem jam dicti Epiſcopi, qui cum ſuo avunculo in conſecrationibus eccleſiarum extiterat, exinde teſtem, dicentes eum vidiſſe Tragurienſes clericos aſſueta antiqua conſuetudine ipſas oblationes totas ſibi cum ſuo Epiſcopo ſuſcipere, & non eas cum Sibenicenſibus clericis dividere. Ipſis itaque inter ſe litigantibus, & pleniter intellectis eorum rationibus, quia Epiſcopus omnibus teſtibus major, ut utriuſque partis dominus erat, ejus teſtificationem ſuſcipiendam, & ab Archidiacono manu ſua juramento firmandam, prædicti Epiſcopi ſimul cum Capitulo judicaverunt; & ut ſuper hoc Tragurienſem Epiſcopum interrogaret, Corbonenſem Epiſcopum preſtaldum dederunt. Cum autem Corbonenſis Tragurienſem exinde interrogavit; Tragurienſis, acceptis utriuſque partis manibus, talem inter eos compoſuit concordiam, ut de oblationibus omnium eccleſiarum de Sibenico, de Campo Marine, & de Macro, Epiſcopus habeat tertiam partem, Tragurienſes clerici tertiam partem, & Sibenicenſes clerici tertiam partem, eo tamen tenore, quod Tragurienſes clerici eas colligant, & illorum voluntate ſuper eas cuſtodem & diviſorem ſtatuant.

Ego Matthæus D. g. Corbonen. Epiſcopus hujus cauſæ preſtaldus, ut firmius hoc habeatur, meo ſigillo muniri, & imprimi volui. Ego Sabacius ſubdiaconus S. Domnii Canonicus, & Comunis juratus notarius, præcepto Epiſcoporum & totius Capituli hoc ſcripſi & teſtor.

De Presbytero, qui lethargo oppreſſus habitu monachali indutus fuerat,

Cum P. Presbyter Tragurienſis graviſſimo morbo laboraret, gravique lethargo oppreſſus eſſet, a quodam Monacho indutus fuerat veſtitu monachali, dum ſuæ mentis compos non erat, atque ad cœnobium translatus; ubi diligenti curatione adhibita, demum convaluit. Recuperata valetudine, permiſſu Abbatis, habitum monaſticum depoſuit; rogavitque Epiſcopum & Canonicos, ut ſibi poteſtas fieret ad priſtina ſacerdotalia miniſteria redeundi, ſuiſque laboribus, uti antea, ſuam ſuæque familiæ egeſtatem ſuſtentandi. Dubitatum eſt, utrum ei licuiſſet habitum monachi ſemel ſuſceptum exuere, & reſumptum prioris vitæ inſtitutum retinere. Hac ſuper re Epiſcopus & Canonici Sedem Apoſtolicam conſulendam eſſe judicarunt. Reſponſum Innocentii III. anno 1198. redditum, hoc eſt.

Epiſtola Innocentii III. ad Ep. & Capit. Tragurienſe. De non cogendo ad monachatum, qui ab alio in gravi ægritudine habitu monachali indutus fuerat.

Reſponſum Innocentii Papæ III.

Sicut tenor veſtrarum litterarum nobis expoſuit, cum P. lator præſentium in ſacerdotali eſſet officio conſtitutus, & tanta rerum temporalium indigentia laboraret, quod nec ſibi, nec ſuis progenitoribus, ſeu fratribus, in neceſſitatibus propriis poſſet aliquatenus providere proprii corporis laboribus, & maris periculis multis ſe non dubitaret exponere, ut de ſuo labore & acquiſitione honeſta ſuam & ſuorum poſſet indigentiam relevare. Contigit autem poſt hæc, quod ipſe longe a veſtra civitate conſiſtens, tam gravi cœpit ægritudine laborare, quod extra ſe poſitus deſperaret de vita præſenti; & dum in tali eſſet articulo conſtitutus, a quodam ſimplici Monacho indutus fuit habitu monachali, & ad monaſterium deportatus. Deinde paucis diebus elapſis, cum jam eſſet in principio ſuæ convaleſcentiæ,

tiæ ; deposuit habitum , & de licentia ejusdem loci Abbatis monasterium dereliquit ; & cupiens progenitorum indigentiis subvenire , a vobis suppliciter postulavit , ut posset , sicut prius , in sacerdotali officio ministrare , & vobiscum pariter conversari . Quid autem super his vobis fuerit faciendum , sacro Apostolicæ Sedis oraculo humiliter petitis edoceri . Nos igitur vestræ consultationi taliter duximus respondendum , quod licet ista duo inter se repugnantia videantur , ut quisquam scilicet sit extra se positus , & de præsenti vita desperet ; si tamen eo tempore , quo positus extra mentem asseritur , indutus fuit habitu monachali , cum alienatus non sentiat , ac pro hoc non valeat consentire ; præfatum Presbyterum denunciatis ab observatione monastici ordinis absolutum ; nisi postquam mentis suæ factus est compos , voluntate spontanea professionem fecerit monachalem . Datum Laterani 6. Nonas Martii , pontificatus nostri anno primo .

Michael vitam & pontificatum perduxit usque ad annos priores sæculi decimi tertii ; anno quippe 1203. Treguanus Archidiaconus Ecclesiæ Tragurienſis, Michaelis hortatu jussuque, vitam B. Joannis Episcopi ex antiquis monumentis collectam descripsit, ut ipsemet fatetur: *Rogatus*, inquit, *a fratribus , & a venerabili viro Domino meo Michaele ejusdem ecclesiæ præsule , sicut de vita S. Confessoris in quibusdam codicibus jam ex majori parte vetustate deletis inveni , in præsens opus ad honorem Dei , Sanctæque Romanæ Ecclesiæ reformavi &c. Scripta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCCIII. Tempore Domini Innocentii Papæ III. pontificatus ejus anno sexto* . Posthac nulla Michaelis Episcopi mentio reperitur in tabulis Dalmaticis. Ejus mortem referendam censeo ad annum circiter sextum sæculi decimi tertii.

TREGUANUS EP. TRAGURIENSIS V.

Acta Treguani ante Episcopatum.

De quo Archidiaconus cap. xxv. Hist. Salonitanæ: *Eo tempore vacante Ecclesia Tragurienſi electus est Treguanus natione Tuscus , patria Florentinus . Hic quia Bernardo Archiepiscopo compatriota erat , duxit eum secum ab Hungariæ partibus ; mansitque cum eo aliquanto tempore docens clericos in grammatica facultate . Cum ergo esset ætate juvenis , & in iis , quæ ad litteraturæ peritiam pertinent , valde utilis haberetur ; cives Tragurienſes petierunt eum a Bernardo Archiepiscopo , ut pro eorum necessitatibus deberet cum eis aliquandiu commorari ; quorum postulatione a Bernardo concessa , abiit Tragurium ; ibique cum civibus conversando mutuum contraxit cum eis amorem , factusque est primo eorum tabellio , postea archidiaconus , deinde in Episcopum electus est .*

Bernardus cum Gregorio Crescentio Cardinali secunda apud regem Hungariæ legatione perfuncto rediit ex Hungaria anno 1198. & eodem anno electus est & postulatus Archiepiscopus a Spalatenſibus; biennio post consecratione episcopali suscepta Spalatum venit , eoque secum duxit Treguanum gentilem suum , quem iens & regrediens ex Hungaria itineris socium sibi adjunxerat . Vide acta Bernardi cap. 1. §. 3. Vix annum Treguanus Spalati commoratus præcepta Grammaticæ & latinas litteras clericis Spalatenſibus tradiderat ; cum eum Tragurienſes a Bernardo postularunt , ut ipsi quoque & clerus e singulari hominis doctrina , eruditione , probitate , ac prudentia fructuum atque utilitatem perciperent , ejusque consilio atque opera ad rem communem & familiarem bene gerendam uterentur . Ut quanti illum facerent , quantumque ejus integritati ac sapientiæ tribuerent , declararent; primum quidem Treguano munus scribæ , sive notarii publici detulerunt; quod sane munus longe olim , quam nunc , honorificentius erat , ac viris ferme ecclesiasticis demandari solebat ; nemoque ad id officium admittebatur , nisi honesto loco natus , fide ac industria cognita ; quod necesse est omnium publicorum consiliorum , & actorum eum esse participem . Deinde vero , cum sacris ordinibus initiatus jam esset , eumdem Canonici ecclesiæ cathedralis Archidiaconum , idest Capituli & cleri Tragurienſis præsidem constituerunt : quem quidem principem dignitatis & officii locum obtinebat anno 1203. cum vitam B. Joannis composuit : *Ego Treguanus* , inquit , *humilis lector , natione Tuscus , patria Florentinus , licet indignus in eadem Tragurienſi Ecclesia gerens Archidiaconatus ministerium , rogatus a fratribus , & a venerabili viro Domino meo Michaele , ejusdem ecclesiæ præsule , sicut de vita S. Confessoris in quibusdam codicibus jam ex majori parte vetustate deletis inveni , in præsens opus ad honorem Dei Sanctæque Romanæ Ecclesiæ reformavi . . . Scripta sunt hæc anno Dominicæ Incarnat.* 1203. Nec vero post susceptum Archidiaconatum notarii munus dimisit , quasi huic dignitati minus congrueret , illudque Episcopus electus cum esset , adhuc retinuit , ut Joannes Lucius scite animadvertit in quibusdam suis tabulis domesticis confectis anno 1206. VIII. Kalendas Januarii , quibus hanc subscriptionem appositam invenit : *Et ego magister Treguanus adhuc Tragurii notarius prædictæ venditioni testimonium perhibui , & rogante memorata D. Catharina instrumentum scripsi , & consueti signi munimine roboravi* . Ex his verbis , ut Lucius sapienter conjecit , colligi potest Treguanum , qui per aliquot annos Tragurii functus est munere *notarii publici* , jam tum electum fuisse Episcopum , cum tabulas modo laudatas confecit; idcirco autem se non appellasse Archidiaconum , quod alter in ejus locum suffectus eam dignitatem obtinebat; & modestiæ caussa *Episcopi electi* titulo abstinuit , notarii vero nomen ac munus *adhuc* retinuit.

Episcopus Tragurienſis consecratur a Bernardo Metropolita.

Ergo Treguanus intra finem anni 1206. renunciatus Episcopus more majorum Spalatum accessit , ut a suo Metropolita consecrationem episcopalem susciperet: *Præsentatus ergo* , ut scriptum reliquit Archidiaconus, *Bernardo Archiepiscopo munus ab eo consecrationis accepit* . Sub statas illas sollemnesque cærimonias suam eidem Metropolitæ Spalatenſi fidem & obedientiam in hæc verba obstrinxit. *In nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti . Amen . Ego Treguanus Tragurienſis Episcopus spondeo , polliceor , & promitto atque juro per signum vivificæ crucis , & sancta quatuor Evangelia , & has Sanctorum reliquias , quod ab hac die in antea obediens ero & fidelis Beato Domnio , & vobis , Domine Bernarde Archiepiscope , & omnibus successoribus vestris catholice intrantibus , secundum omnia , quæ continentur in Canone de forma fidelitatis ; & quod vocatus ad Synodum , vel ad consecrandos Episcopos veniam , nisi fuero impeditus canonico impedimento ; & quod in propria persona vel per proprium & honestum nuntium ecclesiam B. Domnii in festo ipsius annuatim visitabo ,*

& privilegia ejuſdem eccleſiæ, & omnia jura ſecundum poſſe meum defendam & manutenebo. Res vero, quæ pertinent ad menſam Eccleſiæ Tragurienſis, non niſi in caſibus conceſſis alienabo. Hæc omnia obſervabo bona fide, & ſine fraude. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta patrocinia.

Cum Tragurienſium rogatu, & Bernardi Archiepiſcopi permiſſu Tragurium venit anno circiter 1201. adhuc juvenis erat, teſte Archidiacono; & quinquennio poſt creatus Epiſcopus, vix fortaſſis tricesimum ætatis annum exceſſerat; ut mirum videri non debeat, ſi ad annum fere quartum & quinquageſimum hujus ſæculi vitam perduxit. In epiſcopatu tam diuturno neque tempus illi, neque facultas, neque voluntas egregie merendi de ſua eccleſia defuit. Et ſane ille ſtatim ab regimine ſuſcepto ad cleri diſciplinam reſtituendam, ad populi mores corrigendos, ad rem chriſtianam & eccleſiaſticam augendam ac ſtabiliendam omni ſtudio incubuit; & ſucceſſu quidem adeo felici, ut quaſi alter, poſt Saracenicam cladem, parens & conditor Eccleſiæ Tragurienſis haberi dicique potuerit. *Tunc demum*, ait Archidiaconus, *cœpit Tragurienſem Eccleſiam a rudimentis ſuæ vetuſtatis ad novam reformationis normam paullatim reducere, eamque eccleſiaſticis inſtituere diſciplinis. Erat enim vir litteratus, & eloquens, ſuaque vigilanti induſtria brevi tempore fecit clerum & populum in bonum ſtatum excreſcere illius civitatis.* A divino cultu exorſus primas curas & cogitationes contulit ad conſtructionem ædis cathedralis, quæ ſub Michaele reædificari jam cœperat; ſed cum opus lentius, quam vellet, propter tenuitatem redituum & magnitudinem ædificii progrederetur, a Communi Tragurienſium impetravit, ut territorium S. Vitalis in Campo magno luculenta ſane & frugifera prædia complectens aſſignaret, unde ſumptus neceſſarii ad templi ædificationem ſuppeterent: quo quidem abſoluto, idem territorium in poteſtatem civitatis, ejuſque fructus in ærarium publicum redirent. Hujus ſubſidii acceſſione, & Epiſcopi præſentia atque imperio urgente, Laurentianum templum ſub Michaele inchoatum, ſumma ope ac celeritate exſtrui cœpit; atque intra ſexennium, perductis ad ſummum uſque parietibus, tectoque impoſito, pæne abſolutum eſt; ut intelligi poteſt ex epigraphe circa crucem inſcripta ſupra januam templi ad meridiem obverſam.

Ædem cathedralem inchoatam ad faſtigium perduxit.

Hoc eſt factum poſt partum Virginis actum
Anno milleno, tredecim conjunge duceno,
Preſule Tuſcano genere preſidente Treguano
Proſapiaque pia Comite ſimul urbis Elia.

Hujus ædis cathedralis forma & deſcriptio eſt pulcherrima; e tribus partibus conſtat; media latius porrecta eſt veluti corpus baſilicæ, cui duo quaſi brachia hinc atque hinc adhærent, pilis intermediis utrimque a reliquo corpore dirempta; in his aptè diſpoſita ſunt ſacella minora, quæ intercolumniis reſpondent. In ipſo baſilicæ capite ſummum altare eminet in honorem B. Laurentii, cujus effigiem egregie pictam exhibet, Deo Optimo Maximo conſecratum. Poſt obitum Treguani ſuperinjectus eſt fornix opere concamerato, non lateritius, ſed ex quadratis lapidibus compactus, quem ingentes pilæ columnarum inſtar ſuſtentant. Poſterioribus ſæculis haud exiguum decus & ornamentum extrinſecus acceſſit, turris videlicet campanaria, figuræ quadrangulæ, quæ ante januam maximam fornici miræ craſſitudinis & firmitatis innixa in altitudinem magnam aſſurgit. Conſtat e pluribus ordinibus, quos faſciæ & corollæ marmoreæ diſtinguunt; quatuor angulos ex marmore itidem ſcite venuſteque compactos habet. Totum denique opus mirifica arte perfectum eſt; & poſt turrim Spalatenſem S. Domnii, nihil in eo genere molis & ſtructuræ pulchrius & elegantius in Dalmatia invenies.

Cum Bernardo metropolita ad Concilii Lateranenſe profectus eſt.

Anno 1215. Treguanus cum Bernardo Metropolita Romam profectus Concilio IV. Lateranenſi interfuit. Inde ut rediit, cum Bernardus gravem in morbum incidiſſet, ex quo poſt biennium interiit, juſſus eſt in æde metropolitana Spalatenſi aliquot decreta ejuſdem Concilii, quæ ſciri a populo intelligique neceſſe erat, promulgare & explicare, ut docet Archidiaconus. *Sed Treguanus Epiſcopus Tragurienſis uno & altero die aliquot Capitula ipſius Concilii perlegit, & expoſuit.* Bernardus vero per annos fere duos aut lecto affixus, aut domi ſedens, cum raro aut nunquam in publicum prodire potuerit, Treguano utpote finitimo & proximo Epiſcopo ſibi perfamiliari munera archiepiſcopalia obeundi poteſtatem delegavit.

Primum lapidem eccleſiæ S. Nicolai prope Spalatum ædificandæ conſecravit.

Dum Metropolis Spalatenſis propter obitum Bernardi vacaret, ejuſque adminiſtratio in Grubcium Archidiaconum incumberet, ab hoc Treguanus Spalatum accerſitus anno 1218. conſecravit lapidem jaciendum in fundamenta eccleſiæ S. Nicolai, quam Racca civis Spalatenſis cum Eliſabetha uxore prope a promontorio S. Stephani de Pinnis exſtruere, idoneis vectigalibus dotare, ac Deodato Abbati & cœnobio S. Stephani donare decreverat, ut conſtat ex tabulis ex italico in latinum converſis ejuſdem cœnobii. *In nomine Chriſti. Amen. Anno ejus Incarnationis 1218. 13. Januarii . . . Cum Eccleſia Spalatenſis Archiepiſcopo careret, Ego Treguanus Dei gratia Epiſcopus Tragurienſis, a Grupcio Archidiacono & Canonicis Eccleſiæ Spalatenſis, nec non a Deodato Abbate & Monachis S. Stephani accerſitus, ut ſacris precationibus initiarem primum lapidem ſubjiciendum fundamentis eccleſiæ S. Nicolai de Saranda, quam in honorem ejuſdem Divi ære ſuo ædificare conſtituerat Racca civis Spalati cum Eliſabetha ejus conjuge, ab illis percontatus ſum, quid & quantum in dotem atque adminiſtrationem ejuſdem eccleſiæ contribuere vellent. Uterque reſpondit palam aperteque coram clericis & laicis utriuſque ſexus, qui ſane frequentiſſimi convenerant, ſibi in animo eſſe locum illum, & quidquid agri circa erat, offerre ac tradere pro expiatione animæ ſuæ & ſuorum parentum, Deodato Abbati, & Monachis S. Stephani. Præterea ad eccleſiam dotandam aſſignabant terras omnes frugiferas, quas illi poſſidebant in Marnano, quibus quidem excolendis ſatis eſſe ajebant quatuor boves, quos item cum grege ducentarum ovium ac decem apiariis eidem eccleſiæ donabant: & decreviſſe etiam ciſternam ibidem fodere, unde ad uſus neceſſarios aquæ quod ſatis eſſet ſuppeteret. Quæ omnia ſe facturos polliciti ſunt ſub ea conditione, ut Monachi tres clericos, aut minimum duos conſtituerent, qui perpetuo eidem eccleſiæ tuendæ & cuſtodiendæ præeſſent, ſimulque divinis myſteriis ibidem operam darent. His auditis, implorata Spiritus ſancti gratia, ad Dei gloriam, & honorem S. Nicolai lapidem rite conſecravi, & ſta-*

tis

tis cærimoniis adhibitis in profundum locum ad ſubſtruenda fundamenta dimiſi. Teſtes fuerunt Andreas & Petrus diaconus.

Prædium Drid a Colomano conceſſum Eccleſiæ Tragurien.

Cum Colomanus filius Andreæ II. regis Hungariæ rex Ruthenorum, idemque dux Dalmatiæ & Chrobatiæ in Dalmatiam veniſſet anno 1226. Treguanus ab eo ſibi & eccleſiæ ſuæ petiit impetravitque prædium regale *Drid* appellatum in diœceſi Tragurienſi, de quo ſupra in Michaele Epiſcopo; & hanc donationem anno ſequenti confirmandam curavit ab Andrea rege, ut diploma regium utriuſque declarat.

Diploma Colomani.

In nomine ſancte & individue Trinitatis. Juſtis poſtulantium deſideriis equum eſt regiam condeſcendere majeſtatem, & ut eccleſiarum penuria regiis facultatibus ſublevetur a tramite non deviat equitatis. Cum itaque nos Colomanus D. g. Ruthenorum rex, & largitate glorioſi patris noſtri Andree Hungarorum regis, dux Dalmatie atque Croatie ad partes deſcendiſſemus maritimas, venerabilis vir, & idem fidelis noſter Treguanus Epiſcopus Tragurienſis a ſublimitatis noſtre culmine ſuppliciter poſtulavit, ut ob ſalutem anime noſtre, & ob requiem anime chariſſime quondam noſtre matris Gerdrude regine locum, qui dicitur Drid, Eccleſie Tragurienſi eleemoſyne intuitu largiremur; cujus poſtulationi grato concurrentes aſſenſu tum in ſalutem noſtram, tum in requiem anime glorioſe dicte noſtre matris ipſum locum prenominatum, ſcilicet Drid cum omnibus ſuis pertinentiis, & paſcuis ſibi adjacentibus, montibus, vallibus, & terris univerſis, que laborari poſſunt, ad eumdem locum ſpectantibus, regali donatione in eleemoſynam perpetue poſſeſſionis dicte Tragurienſi Eccleſie, & Epiſcopo memorato, & ejus catholicis ſucceſſoribus concedimus, largimur, & donamus; reducentes in irritum omnem actionem, omnemque juriſdictionem, quam Ulcinna Tragurii quondam Comes in eum locum ex commiſſione glorioſi patrui noſtri Henrici quondam regis Hungarie, vel Petrus de Chelmo ex conceſſione fratris noſtri regis Bele, ſeu alii quicumque ibidem dignoſcuntur habuiſſe. Predium autem ipſum iſte mete ab aliis locis dividunt, & diſtinguunt. Ab oriente maria, ab occidente Stelpona, ab aquilone terre Tragurii, que Mezlime appellantur, ab auſtro vero terre monaſterii Tragurien. terminant eumdem locum. Ac ne hujus noſtre donationis eleemoſyna retractari valeat in poſterum, vel reſolvi, ſicut ſuperiorem actionem, & juriſdictionem perſonarum, ita & omnium privilegiorum, omniumque ſcripturarum vires contra hoc undecumque apparentium extinguimus, & in perpetuum enervamus, ita ut nullius adverſarii voci contra preſens privilegium audientia tribuatur. Hanc autem donationem per executorem noſtrum Stefanum Comitem Epiſcopo & eccleſie memorate contulimus, & preſentis privilegii charactere fecimus communiri: ſtatuentes, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtre donationis & confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Contra quam ſi quis auſu temerario contraire preſumpſerit, triginta libras auri pena multetur: viginti quarum fiſco regio exolvantur, decem vero ad uſum eccleſie devolvantur, cui noſcitur injuria irrogata, & poſt hoc preſens privilegium in ſui roboris permaneat firmitate. Acta ſunt hec in preſentia horum teſtium, Guncello Archiepiſcopo Spalatenſi, Michuſſo Epiſcopo Tinienſi, Nicolao Epiſcopo Scardonenſi, Valeginno Bano, Solomone Dimico Comite, Joanne Comite, Vich Comite, Paulo Comite, Vidislao Comite, Gregorio Comite de Breberio. Datum Spalati in archiepiſcopali palatio per manus magiſtri Barnabe aule regie Vicecancellarii, Dominice Incarnationis MCCXXVI. XIV. Indict. die Kalend. Auguſti.

Diploma Andreæ regis Hungariæ.

In nomine ſancte Trinitatis, & individue unitatis. Andreas D. gr. Ungarie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Galitie, Lodomirieque rex in perpetuum. Inter cetera, que ad diſpoſitionem pertinent regie majeſtatis, juſte poſtulationes fidelium, & precipue rectorum eccleſiarum diligenti ſunt admittende affectu, & diligentiori effectui mancipande. Quia enim illuſtris filius noſter Colomanus D. gr. Ruthenorum rex, & liberalitate noſtra dux Dalmatie atque Croatie, ad poſtulationem dilecti & fidelis noſtri Treguani Tragurienſis Epiſcopi predium quod dicitur Drid prope civitatem Tragurii optulit in eleemoſynam perpetue poſſeſſionis eidem Epiſcopo & eccleſie Tragurii pro anima matris ſue chariſſime quondam noſtre conjugis regine Gertrudis, ſicut in ipſius privilegio continetur expreſſum. Nos quidem Andreas D. g. Ungarie rex ejuſdem loci oblationem cum omnibus ſuis pertinentiis dicto Epiſcopo, ſuiſque ſucceſſoribus, & Corone fidelibus, nec non eccleſie memorate in perpetuum confirmamus, & preſentis privilegii caractere roboravimus; caſſantes itaque omnem juriſdictionem & actionem, quam vel Vulcina quondam Tragurienſis Comes, vel Budislaus Gregorii Comitis conſobrinus, vel alius quiſpiam in eumdem locum dignoſcitur hactenus habuiſſe, in irritum reducentes omnem paginam privilegiorum, ſeu quarumcumque ſcripturarum preteritam, vel preſentem, aut etiam futuram, undecumque contra preſens privilegium apparentem: adeo ut nec ei audientia tribuatur. Statuimus inſuper, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem contra eam venire preſumpſerit, iratum ſentiat Deum omnipotentem, indignationemque regiam incurrat, & triginta librarum auri pena multetur, quarum viginti fiſco regio infiſcentur, decem vero ad uſum eccleſie devolvantur, cui fuerit injuria irrogata: poſthec quoque preſens privilegium in ſui roboris perpetua firmitate permaneat. Datum anno Incarnationis 1227. regni autem noſtri anno 24.

Treguanus dehortatur per litteras Guncellum Metropolitam a Romana profectione.

Anno circiter 1228. Guncellus Archiepiſcopus Spalatenſis Romam proficiſci decreverat, ſive ut ſacra Apoſtolorum limina religionis cauſſa inviſeret, ſive ut de rebus eccleſiaſticis Sedem Apoſtolicam conſuleret. Illum Treguanus admonendum cenſuit, ut antequam Romanum iter ſuſciperet, idoneos viros eligendos, & eccleſiis provinciæ Spalatenſis, quarum plures ſuis paſtoribus tunc carebant, præficiendos curaret. Sed cum ipſe propter incommodam valetudinem Spalatum adire non poſſet, has ad eum litteras dedit.

Venerabili Patri & Domino G. D. gr. Spalaten. Archiepiſcopo T. permiſſione divina Tragurienſis Eccleſiæ miniſter humilis cum inclinatione devotionem tam debitam, quam devotam. Si me non affixiſſet lecto corporis valetudo, longe ardentius inſpirarem lingua propria veſtris auribus voluntatem mei animi, quam committere linguæ officium voce carentibus litteris, & cartis mutis; ſed quia terrores Domini adverſum me militant, oportet, me flagellum ejus æquo animo tolerare. Sane cum per Dei gratiam ſitis vir diſcretus, &

providus, & ad omnia vobis ſufficiens, adeo ut nec indigeatis, nec inhæreatis conſiliis aliorum, non eſſet ſapientis exhibere conſilium non quæſitum; ſed ſi detur verbis audacia, reducerem coram oculis mentis veſtræ illud Salomonicum: Omnia fac cum conſilio tuo, & propter factum non pœnitebit. *Propoſuiſtis, Pater & Domine, viſitare curiam; & recte, ut cognoſcamini, & cognoſcatis, quod veſtræ, quod Romanæ curiæ poſtulant rationes, ut ſecundum Apoſtolum omnibus reddatis debita, cui honorem honorem, cui tributum tributum, ut nemini quidquam debeatis niſi debitum dilectionis, & debitæ ſubjectionis. Sed occurrit ex adverſo vacantium eccleſiarum inſtans cura, & ſollicitudo; vacant enim plures eccleſiæ Spalatenſis Archiepiſcopatus, ad ſubrogationem quarum vos oportet extendere ſollicitudinem, & in omnibus accuratam. Licet enim ſint eccleſiæ cathedrales, non tamen ſunt conventuales; & ubi per conventualem deliberationem ſubſtituendarum perſonarum electio non procedit, neceſſe eſt ut per venales laicorum manus, qui nec Dominum timent, nec homines reverentur, non perſonæ, ſed perſonarum ſimiæ ſubſtituantur; de quarum ſubſtitutione quanta prorumpant incommoda, experimento didiciſtis; de quibus non eſt modo per ſingula diſputare. Verum ſi recte velitis ad vacantes eccleſias debitæ ſollicitudinis extendere actionem, per nuncios, & litteras ſtudeatis efficere, ut ad vacantem ſedem nullus eligatur abſque veſtra conſcientia, & Capituli Spalatenſis. His rite peractis, & viam aggredi, & curiam poteritis abſque ambiguitatis ſcrupulo viſitare. Super cauſam vero, quam habetis cum concive veſtro Theodoro, cum ſanus fuero, reſponſalem ſufficientem inſtructum mittetis; in cujus & adverſarii præſentia id, volente Domino, dictabitur, quod de jure videbitur expedire. Bene valete.*

Profuit Guncello admonitio Treguani, & Romana profectione poſthabita, ad creationem Epiſcoporum, qui ſedes vacuas occuparent, animum cogitationemque convertit. Extat altera ejuſdem Treguani epiſtola commendatitia ad Archidiaconum & Capitulum Spalatenſe in hæc verba.

Epiſtola Treguani ad Capitulum Spalatenſe.

Viro Ven. & Amico Kariſſimo Domino C. Dei gratia Spalatenſi Archidiacono, & ejuſdem eccleſiæ Capitulo, Treguanus permiſſione divina Tragurienſis Eccleſiæ miniſter humilis, eorum ſubditus & amicus in vero Salutari ſalutem. Univerſitatem veſtram, de qua gero, & geſſi ſemper indubitatam fiduciam, rogandam duxi propenſius, & orandam, quatenus meorum obſequiorum intuitu, ſi qua ſunt, vel vobis aliqualiter neceſſaria eſſe poterunt, Prodanum ſervientem noſtrum filium & concanonicum in jure beneficiorum a benignitate veſtra ſibi miſericorditer collatorum, manutenere, fovere, & juvare dignemini; ut ipſe veſtro favore reſiſtentibus valeat contraire optinendo conceſſa; & ego in hoc qualiter me diligitis valeam cognoſcere, & univerſitati veſtræ ſerena ſemper voluntate gratiarum expendere rationes.

Guncellus Archiepiſcopus Spalatenſis, cum Nicolaum Ep. Scardonenſem conſecrandum curaret, veritus eſt, ne non ſatis eſſent duo Epiſcopi, quorum miniſterio ad novum Epiſcopum inaugurandum uteretur. Neceſſe itaque fuit ut hunc eidem ſcrupulum eximerent Treguanus Tragurienſis, Michael Pharienſis, & Capitulum Spalatenſe univerſum: quin immo quo res illa ſibi cautior eſſet, ab omnique periculo tutior, mandavit, ut ſuam quiſque ſententiam ac teſtificationem ſcriptis conſignarent, ſimulque profiterentur ſibi ipſis noxæ & fraudi fore, ſiquid in hujuſmodi re erroris eſſet & piaculi. Teſtificationem Treguani hic ſubjicere libet. *Et ego Treguanus Epiſcopus Tragurienſis ejuſdem eccleſiæ ſuffraganeus ad ejuſdem electi conſecrationem per Dominum G. meum Archiepiſcopum vocatus, id ipſum conſului, & modis omnibus ſuggeſſi, ut ipſe tertius nobiſcum in illius abſque dubio procederet conſecrationem; & ideo præſentem paginam in proprium mei præjudicium duxi ſubſcribendam.*

Anno 1232. x. Kal. Maji Treguanus domum emit a Stana uxore Petriſſæ, ut ex tabulis venditionis in tabulario Capituli Tragurienſis exiſtentibus colligitur.

Stana quædam domum vendidit Treguano Epiſcopo.

In Chriſti nomine amen. Anno Nativitatis ejus MCCXXXII. decimo Kal. Madii, Indict. vero V. exiſtente Tragurii Treguano venerabili Epiſcopo, Stephano inclito Comite, Judicibus Caſotto, & Luca Theodoſii, in preſentia teſtium inferius legendorum, actum eſt hoc. Ego ſiquidem Stana uxor Petriſſe .... pronomine cum filiis meis profiteor & proteſtor accepiſſe a te Dom. Epiſcopo memorato viginti perperos nomine pretii pro domo, quæ fuit nominati viri mei, quam tibi tuiſque ſucceſſoribus vendidi perpetuo poſſidendam cum omni introitu & exitu, atque cum omnibus pertinentiis, quas dicta domus circa ſe dignoſcitur habere. Sita eſt autem dicta domus juxta illam domum, quam Venna obtulit Beato Laurentio; nomine vero concambii unum paſſum de terra longum, & amplum apud pinum. Tali quidem tenore nominatam domum tibi tuiſque ſucceſſoribus vendidi, ut liberam habeas poteſtatem de ipſa juxta velle tuum faciendi, & ſi aliquis te de ipſa infeſtaverit, ego cum natis meis debrigare tenebor.

Hujus autem rei teſtes ſunt Urſo Archidiaconus, Innocentius Presbyter, Theodorus Rugia, & Helias filius Mathei.

Et ego Johanes Tragurien. juratus notarius, & Sancti Laurentii Canonicus vocatus ab utraque partium, & rogatus a prefata cum filiis Stana preſens inſtrumentum ſcripſi, & conſueti ſigni munimine roboravi.

Cœnobium Franciſcanũ in diœceſi Tragurienſi conditum a Deſa Lucio.

Anno circiter 1224. Treguanus egregios e familia Franciſcana, non ita pridem inſtituta, operarios evangelicos in ſuam diœceſim receperat. Deſa Lucius civis Tragurienſis opulentus ac pius in agro Tragurienſi templum ac domicilium ædificaverat Fratribus Minoribus Franciſcanis, dum adhuc ſanctiſſimi hujus Ordinis parens & conditor B. Franciſcus viveret, ut ibidem rebus divinis & animarum ſaluti operam darent. Ac decem poſt annos teſtamentum fecit, & cum liberis careret, omnium bonorum, quæ ſibi ex paterna hæreditate obtigerant, eoſdem Fratres hæredes inſtituit; cumque his per ſuas leges non liceret curare & adminiſtrare hujuſmodi bona, quatuor procuratores inſtituit, qui curam illorum & adminiſtrationem ſuſciperent, Petrum fratrem, Gregorium & Bivam alterius fratris vita functi filios, & Petrum e ſorore ſua genitum; hiſque demortuis in eamdem procurationem filios eorumdem natu maximos, & nepotes ſubſtituit. Hæc Joannes Lucius ex tabulis domeſticis. Teſtamenti Luciani particulam ſubjicio.

Ejus Teſtamentum.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Anno Incarnationis D. N. Jeſu Chriſti milleſimo ducenteſimo trigeſimo quarto, duodecimo Kal. Martii,

tii, Ind. vero 6. D. Gregorio Nono ſummo Pontifice ſacroſanctæ Eccleſiæ præſidente, D. Andrea Tertio Regnatori Hungariæ gubernante, nec non viro Ven. D. Treguano Epiſcopo, Stephano inclito Comite, Judicibus Ser Caſoto & Saladino Tragurii exiſtentibus, coram teſtibus inferius legendis hoc actum eſt. Omiſſis &c.

Ego Deſſa Luce q. filius præfatum periculum mihi imminere metuens, cum ſanus eſſem tam mente, quam corpore, aſſenſu D. Stanæ uxoris meæ requiſito, teſtamentum, quod poſt meum obitum volo irrefragabiliter obſervari, ſi, quod abſit, abſque linguæ propriæ loquela me obire contigerit, duxi præſenti pagina diligentiſſime ſubnotandum . . . Omiſſis &c. . . . Cum etiam veriſſime polliceatur Dominus ſe daturum centuplum & inſuper vitam æternam relinquentibus propter nomen ſuum vineas & agros, operæ pretium duxi eidem Domino inſervientibus univerſa, quæ poſſideo, largienda, adoptans loco carnalium filiorum, quibus careo, ſpirituales filios, imo patres, Fratres ſcilicet Minores, ad quorum receptaculum & utilitatem eccleſiam ad honorem Dei & glorioſæ V. M. cum murorum ambitu & domibus fabricavi prope civitatem Tragurienſem, & adhuc feliciter in carne vivente, qui Minorum Fratrum ordinis & religionis primus prælatus extitit & miniſter, per manum D. Treguani memorati Epiſcopi eamdem eccleſiam faciens conſecrari &c.

Thomæ Archidiacono Romæ cauſſam dicenti præſto fuit Treguanus cum ſuis litteris.

Thomæ Archidiacono Spalatenſi, qui Romam ſe contulerat, ut de quibus accuſatus fuerat, ſe apud Sedem Apoſtolicam purgaret, plurimum profuit altera Treguani epiſtola itidem commendatitia. Otto ſiquidem Cardinalis S. Nicolai in carcere, illius cauſſæ cognoſcendæ præeſſe juſſus, auctoritate & litteris Treguani, qui præclarum Thomæ integritati atque innocentiæ teſtimonium tribuebat, tantam fidem habuit, ut eum omni non modo culpa, ſed etiam culpæ ſuſpicione liberaverit; Guncellum vero Archiepiſcopum graviter admonitum, ſevereque increpitum dimiſit. Epiſtola Treguani non extat, ſed data fuerit oportet anno 1234.

Miſſus Anconam ad renovandam Tragurienſium cum Anconitanis amicitiam.

Cum Tragurienſium magni intereſſet amicos habere Anconitanos, ad quos commercii cauſſa ſæpe tranſmeabant, ad veterem cum illis amicitiam renovandam Treguanum Epiſcopum una cum Deſa Lucio internuncium miſerunt; cujus prudentiæ expertæque in quibuslibet negotiis tractandis ſollertiæ plurimum fidebant. Exceptus eſt ab Anconitanis eo maximo, quem poſtulabat viri dignitas ac virtus, honore, remque omnem haud facilius quam celerius e ſententia confecit; ut docent tabulæ ſocietatis & amicitiæ redintegratæ.

Epiſtola Anconitanorum ad Tragurienſes.

In nomine ſancte & individue Trinitatis amen. Quoniam ea pacta, que in pacis concordiam & unitatem civitatum geruntur, oblivioni decurrentibus temporibus tradi ſolent; idcirco volumus & eamdem perpetuam memorabili ſerie litterarum. Cum igitur antiquitus Tragurienſes cives, qui caſu accidente ad civitatem Ancone veniebant, vel ejus dictrictum recipiebantur, & honorabantur tamquam cives; opere pretium duximus nos Ugo Ugolini Latini Poteſtas Ancone voluntate conſilii generalis ejuſdem terre, more ſolito congregati, antiquam pacem & amicitiam inter Tragurienſes, & nos renovare; ad cujus amicitie fedus ſtabile renovandum D. Treguanus Tragurienſis Epiſcopus, & vir nobilis Deſſa Luce ad civitatem Ancone venere, qui de injuncto ſibi officio debitam curam gerentes, hoc pactum inter nos & Tragurienſes, & per dictos Dominos, nomine dicte civitatis Tragurienſis ſtatutum fuit, ut civis Tragurienſis nunc & ſemper in civitate Ancone, & in omni ejus diſtrictu, ſit ſecurus, & ſalvus, honoratus, & receptus, ſicut quilibet Anconitanus. Civis quoque Anconitanus in civitate Tragurii, & ejus diſtrictu habeat illud idem. Quod pactum nos Anconitani in poſterum firmum & ſtabile habere volentes, ut nunquam de cetero poſſit aliquatenus hec concordia defraudari; eamdem fecimus preſentium litterarum Communis Ancone ſigillo & teſtimonio annotandam, ſeu annotari, tradentes eam Carno filio Dant portandam & deferendam univerſis Tragurienſibus civibus, noſtre communitatis bulla Kaſavare roboratam.

Data Ancone ſub anno Domini 1236. die Veneris XI. intrante menſis Julii, temporibus D. G. PP. & D. Federici Romanorum Imperatoris, Indictione nona.

Controverſiæ eccleſiaſticæ inter Tragurienſes & Sibenicenſes.

Anno circiter 1239. eccleſiaſticæ illæ controverſiæ pullulare cœperunt inter Tragurienſes, & Sibenicenſes, de quibus etiam in hiſtoria Eccleſiæ Sibenicenſis: res multorum diſſidiorum ferax, quæ variis contentionibus jactata atque agitata per annos fere ſexaginta eum denique exitum habuit, quem optabant Sibenicenſes; id ſcilicet expetebant, ut civitatem & eccleſiam ſuam ex juriſdictione Epiſcopi Tragurienſis eximerent, & ſuum ipſi quoque ac proprium Epiſcopum haberent. Treguanus Archipresbyterum a Sibenicenſibus electum pro jure ſuo approbaverat, riteque ordinaverat. Illum ab ſe confirmatum fuiſſe, & inſtitutum præſidem & rectorem cleri Sibenicenſis teſtificatus eſt de more litteris publicis ſuo chirographo, ſuoque annulo obſignatis; ſed in hiſce litteris, cum eidem quædam præter conſuetudinem præſcripta & impoſita fuiſſent, quæ tum ipſi, tum clero nimis gravia & oneroſa videbantur; Sibenicenſes cum his litteris & conditionibus Archipresbyterum admittere noluerunt. Iterum ac ſæpius admoniti ſunt, atque etiam pro poteſtate imperatum eſt, ut illum reciperent. Cum obſtinate aperteque abnuerent, Treguanus urbem & eccleſiam interdicto ſuppoſuit. Illi nihilo ſecius, quam antea, patentibus eccleſiæ januis, & rem divinam facere, & ſacris myſteriis intereſſe pergebant. Huic peſſimo diſſidio & ſcandalo, quod in contemptum Epiſcopi, in perniciem illius cleri ac populi vergebat, ut finem aliquando imponerent; de conſenſu utriuſque partis res delata eſt ad Thomam Archidiaconum & Capitulum Spalatenſe, illorumque arbitrio permiſſa. Thomas igitur cum Canonicis, prius iis auditis & cognitis, quæ contra Sibenicenſes Epiſcopus, illi vero contra Epiſcopum afferebant; primum decrevit, ut Sibenicenſes Archipresbyterum reciperent; deinde litteras illas, unde orta eſt illa diſcordia, reſcidit, atque irritas eſſe juſſit; demum Archipresbytero, itemque clero Sibenicenſi imperavit, ut debitam Epiſcopo ſuo obedientiam, ac reverentiam, & omnia, quæ jus epiſcopale poſtulat, tributa & officia præſtarent. Interdicti autem contempti violatique veniam eiſdem ab Epiſcopo impetravit; quidquid tamen laboris & ſumptus in eam litem Epiſcopus impenderat, a clericis Sibenicenſibus ſolutione quinquaginta denariorum monetæ Spalatenſis, aut Venetæ, compenſari juſſit. Exemplum ſententiæ, quæ lata eſt *Spalati anno 1240. menſ. Febr.*

Febr. die tertio intrante, *Indict.* 14. (ſeu potius 13.) deſcriptum habes in hiſtoria Eccleſiæ Sibenicenſis.

Tartarorū in Hungariam & Dalmatiam irruptio.

Ab hujuſmodi litigiis & contentionibus per aliquot annos ceſſatum eſt; nam calamitas Tartarica de improviſo ſuperveniens omnium animos ingruentium malorum mole obrutos alio converterat. Tartari gens Scythica inter Ruſſiam & Perſidem immenſa locorum obtinens, poſt Ruſſos ſive Ruthenos ſubactos, multitudine propemodum innumerabili, infeſtiſque agminibus in Hungariam effuſa, cæſo ad internecionem Hungarorum exercitu, terrorem, cladem, vaſtitatem late circumtulit, & omnia vaſtando urendoque ad Dravum uſque pervenit. Tum rerum in Hungaria potiebatur Bela IV. Andreæ II. filius, qui poſt Colomanum fratrem a Tartaris interfectum Zagrabiam profugerat; ſed cum hoſtem appropinquare cognoviſſet, ad partes Dalmatiæ contendere properavit anno 1242. ineunte cum Epiſcopis, & proceribus regni, qui e prælio Tartarico evaſerant; univerſa propemodum nobilitate Hungarica, & infinita hominum multitudine regem proſequente. Spalatum ſe recepit. Verum ſive quod Spalatenſes non eam, quam rex optabat, celeritatem adhibuerint ad ornandam & inſtruendam triremem, qua ille ad fugam uti decreverat, ſi forte Tartari ingruerent, ſive quod Spalati non ſatis ſe tutum eſſe arbitraretur, cum Maria regina uxore ac liberis, gazaque omni tum regia tum ſacra Tragurium demigravit. Hæc civitas tutiorem receptum ac perfugium regi præbere videbatur, tum quia ejus mœnia, quæ ſæculo undecimo Saraceni diruerant, jam reſtituta fuerant, & firmiſſimis operibus ac propugnaculis munita, tum quia paludes, ſive aquæ ex alto ſtagnantes urbi circumfuſæ præſidio erant, tum denique quia inde brevior eſt & facilior ad inſulas tranſmiſſio. Regi Tragurium venienti Treguanus Epiſcopus, clerus populuſque ac tota obviam civitas proceſſit; eumque inter fauſtas precationes in urbem deduxit. Palatio publico magnifice adornato exceptus eſt, ac ceteri, qui in ejus erant comitatu, invitati hoſpitaliter per domos; & pro eo, ac decebat quemque, liberaliter habiti, lauteque tractati. Sed Treguani Epiſcopi eximium & ſingulare erga regem ſtudium & obſequium extitit; ejuſque exemplo & hortatu nullis ſumptibus parcitum eſt, nihilque a Tragurienſibus prætermiſſum, quod rex imperaret, aut gratum illi eſſe cognoſcerent. Interea Caydanus dux exercitus Tartarici Belam inſecutus, cum magno equitatu ac peditatu populabundus in Dalmatiam irrupit. Cliſſæ ac Tragurii oppugnationem fruſtra tentavit. Rex Bela cum uxore ac liberis ad inſulas transfugit, abdiditque ſe in quemdam ſcopulum longe ab litore disjunctum, qui ex eo Scopulus regis etiamnum nominatur, quod Belæ perfugium præbuerat. Haud multis poſt diebus, Barbaris abeuntibus, Bela Tragurium rediit; deinde vero reverſus eſt in Hungariam. Hæc Thomas Archidiaconus quatuor Capitulis Hiſt. Salonit. 37. 38. 39. 40. diligenter accurateque perſecutus eſt.

Bela rex in Dalmatiam profugiens primum Spalatum, deinde Tragurium ſe contulit.

Adventus Belæ, & Tragurienſium ſtudioſa erga regem & liberalis voluntas tum urbi, tum eccleſiæ illi perutilis fuit; nam antequam Tragurio diſcederet, primum quidem privilegia ſuperiorum regum conceſſa Tragurienſibus, non ſolum in perpetuum rata eſſe juſſit, ſed etiam amplificavit; deinde donationem regalis prædii *Drid*, quod eccleſiæ & menſæ epiſcopali Colomanus frater tribuerat, cum in ejus poſſeſſionem quidam invadere conarentur, diplomate ampliſſimo confirmavit xv. Kalend. Aprilis an. 1242.

Donationem prædii Drid confirmavit Tragurienſibus.

In nomine ſancte Trinitatis, & individue Unitatis. Bela Dei gratia Ungarie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Galitie, Lodomerie, Cumanie rex univerſis Chriſti fidelibus paginam hanc inſpecturis ſalutem & omne bonum. Juſta poſtulantium deſideria regiam debent provocare majeſtatem, ut ipſis favoribus opportunis impendere ſtudeat largitatem. Hinc eſt, quod ad notitiam univerſorum harum ſerie volumus pervenire, quod accedentes ad nos Vener. Pater Treguanus Tragurienſis Epiſcopus ſimul cum univerſo clero iſtius eccleſiæ, & Cerne Carb. . . . lector & judex, ac omnes cives Tragurienſis civitatis exhibuerunt nobis privilegium cariſſimi fratris noſtri Colomani regis & ducis . . . . quod idem frater noſter Eccleſie Tragurienſi in precipuam contulit eleemoſynam; quam etiam coliationem Andreas genitor noſter, quondam rex Hungarie illuſtris, ſuo privilegio confirmavit, poſtulantes ipſa privilegia noſtra auctoritate communiri. Nos igitur memorata privilegia juſta eſſe, & omni falſitatis vitio carere agnoſcentes, maxime gratiam volentes facere ſpecialem, cum memorati fideles noſtri, & omnes cives grata nobis & noſtris fidelitatis obſequia multipliciter impendiſſent, propter que favorem noſtrum ad plenum obtinuerunt, petitionem ipſorum benigne duximus admittendam; extinguentes omnem juriſdictionem, quam Comes Budislavus, ſeu alii quilibet contra tenorem privilegiorum antedictorum in ipſo predio temere uſurpaſſe dicebantur. Quia vero dicti predii poſſeſſio per quoſdam fuerat diſturbata, ipſam per dilectum & fidelem noſtrum Petrum Comitem . . . Magiſtrum Tavernicorum cariſſimi filii noſtri ducis Stephani, cum omnibus pertinentiis, & utilitatibus ſuis, montibus, vallibus, ſcopulis, & paſcuis univerſis, dicte eccleſie fecimus integre reſtitui, & ipſam eccleſiam per eumdem in eorum totalem poſſeſſionem, ſicuti decuit, introduci. Tenor autem privilegii antedicti fratris noſtri talis eſt. (Hic inſertum diploma Colomani ſupra deſcriptum).

Ut igitur tam donationis-, quam confirmationis . . . perpetuam firmitatem obtineant, preſentis privilegii caractere bulle noſtre auree communiri ipſam fecimus, & perenniter roborari. Dat. per manus Magiſtri Benedicti prepoſiti Albenſis aule noſtre Cancellarii & electi in Archiepiſc. Colocen. exiſtentibus Pr. Bartholomeo Quinqueccleſien. T. Zagrabien. . . . Vacien. Epiſcopis, Arnoldo Palatino & Comite Simigien. Dionyſio Bano totius Sclavonie, & maritimarum, Mattheo Magiſtro Tavarnicorum & Comite . . . Villermo Agazonum, Rolando Dapiferorum, Maurino Pincernarum Magiſtris in aula noſtra, Dominico Comite . . . . & ceteris quampluribus magiſtratus & comitatus regni noſtri honores tenentibus ſuo modo. Anno ab Incarnatione Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſecundo, quintodecimo Kal. April. regni autem noſtri anno ſeptimo.

Cum civitas maximos ſumptus in regem, ejuſque aulicos, & comitatum feciſſet, quorum cauſſa rex non ſolum civitati, ſed etiam eccleſiæ, quæ diximus privilegia conceſſit; æquum viſum eſt ex ipſis bonis eccleſiaſticis, quæ rogatu Epiſcopi & civium Bela regii diploma-

tis

tis auctoritate communierat, inopiam publici ærarii tot tantisque sumptibus exhausti compensari. Igitur post regis discessum, Episcopo & Capitulo cum magistratu & Communi Traguriensium ita convenit, ut de annuis proventibus prædii regalis Drid civitas partem dimidiam, tertiam Episcopus, quartam denique ecclesia cathedralis perciperet: dominium autem ejusdem prædii esset penes Episcopum; ad quem & ecclesiam fructus omnes redire oportebat, postquam Communi pro illis, quas dixi, impensis satisfactum fuisset; villici & cultores xenia consueta, quæ antea Jupano pendebant, & annuum tributum Episcopo persolverent; siquæ inter eos cædes, vel latrocinia, vel alia delicta fierent, ea subirent judicium curiæ sæcularis; mulctas vero pecuniarias pro hujusmodi criminibus impositas judices cum Episcopo partirentur. Hæc ex tabulis Tragurienſibus, quas Italice redditas Joannes Lucius monumentis Tragurii lib. 2. cap. 13. inseruit.

Mors Guillelmi filii Margaritæ sororis Belæ III.

Dum Bela post discessum Tartarorum Tragurii versaretur, Guillelmum lectissimum juvenem, filium Margaritæ Belę III. sororis quę nupserat Imperatori Græcorum, morte immatura præreptum amisit. Huic desponsata fuerat Margarita altera Belæ filia, quæ haud multis post obitum sponsi mensibus Clissiæ cum sorore sua Catharina mortua est, & utraque eodem loculo marmoreo inclusa, translataque Spalatum, supra januam ædis cathedralis collocata fuit. Margarita igitur sponsa superstes, ejus pium testamentum curavit; in quo ipse ingentem vim pecuniæ pauperibus, & chlamydem imperatoriam ex aureis paniculis inter se mirabili artificio junctis contextam, & acu insuper pictam ædi cathedrali Laurentianæ legavit; ex hac confectus est amictus sacerdotalis, quod Piviale vocant, extatque adhuc in sacrario ejusdem ædis; quo quidem nihil, in eo genere vestis ecclesiasticæ, reperitur in tota Dalmatia & materia & opere aut elegantius aut pretiosius. Hæc ex ipso elogio sepulcrali ejusdem Guillelmi; sepultus quippe est in æde cathedrali ante summum altare, & veteri operculo marmoreo hoc epitaphium inscriptum fuerat.

Sepulcrum & epitaphium in æde cathedrali.

Jacet sub hoc lapide Nobilis Gulielm{us
Jacet heros inclitus operit quem tel{us
Nepos Belle tertii Regis Ungaror{um
Margarite genitus Domine Grecor{um
Dicti regis filie Grecis Dominatr{ix
Constantinopoleos Sceptris Imperatr{ix
Arcente denique Barbaro perver{so
Infinitis Tartaris Marte sub adver{so
Quartum Bellam prosequens ejus consobrin{um
Ad mare pervenerat usque Dalmatin{um
Ubi ad comercia vite celsior{is
Mortis solvit debitum jussu Creator{is
Anni Christi fluxerant Mille cum ducent{is
Quadraginta duo plus computo legent{is
Aprilis vigesima die jam trasact{a
Qua Gulielmi spiritus reddidit ad astr{a
Heu accedit inclita Sponsa Margari{ta
Sanctum gerens spiritum moribus & vi{ta
Nam cuncta que moriens ita Vir legav{it
Dispergens pauperibus prorsus erogav{it
Qualia Ecclesie tulit ornamen{ta
Ex Imperialibus pannis vestimen{ta
Patent intuentibus lucem & supern{am.
Ejus postulent requiem etern{am.

Bela in Hungariam reversus, memor quæ a Tragurienſibus in eo periculo ac rerum discrimine acceperat, quæque ipse iisdem promisisset, deinde quo ad vixit, urbem & ecclesiam Tragurienſem quibuscumque potuit beneficiis perquam studiose ornavit atque defendit. Sub regis discessum multæ & acres contentiones fuerunt de finibus utriusque diœcesis ac territorii, præsertim de villa Ostroc, de oppido & agris Biachii, itemque S. Vitalis, quæ quidem loca intra *Campum magnum* contineri ajebant Tragurini. Campus autem magnus haud dubie pertinebat ad jurisdictionem ecclesiæ & urbis Tragurienſis. Hinc primum Tragurienſibus cum Spalatenſibus bellum exarsit. Sed peropportune supervaniens ex partibus Apuliæ Fr. Gerardus vir singularis prudentiæ & sanctitatis, ex Franciscana Minorum familia, cum duobus Fratribus ex eodem ordine, ea, qua valebat, auctoritate & eloquentia bellum jam geri cœptum sedavit, ut est apud Archidiaconum, legesque & conditiones pacis utrisque præscripsit in Bua insula contra Tragurium, ad quam Treguanus Episcopus Tragurii, & Thomas Archidiaconus Spalati, cum magistratibus & primoribus utriusque civitatis accesserant. Inter cetera hoc primum capitulum fuit scriptum in hanc fere sententiam: *Primum ergo volumus & jubemus villam Ostrog cum omnibus eidem adnexis, terrisque omnibus eidem adjacentibus esse in potestate S. Domnii, eamque ab Archiepiscopo jure proprietatis ita possideri, quemadmodum possessa fuit usque ad Belæ regis adventum; neque ullum ex ullo privilegio, sive diplomate regali præjudicium in hac re Ecclesiæ Spalatensi fieri posse aut debere. Cum autem de territorio Biachii & S. Vitalis antiqua sit Ecclesiæ Spalatensis cum urbe & Ecclesia Tragurienſi controversia, hanc injudicatam relinquimus.* Ex tabulis concordiæ apud Joannem Lucium italice redditis. Hoc capitulum ægerrime ac necessitate coacti Tragurienſes receperunt; quippe cum iniquo animo ferrent fines suæ diœcesis ac sui territorii contractos esse, & villas illas ademptas esse, quas Bela paullo ante ad Tragurienſem ditionem pertinere decreverat. De injuria sibi, ut putabant, facta graviter questi sunt apud regem, orantes obsecrantesque, ut regia decreta & beneficia tueri, ac perpetua esse vellet. Bela cum mirum in modum cuperet Tragurienſibus gratificari, a quibus longe honorificentius & liberalius, quam a Spalatenſibus, nuper se acceptum & habitum fuisse meminerat; quidquid erat in legibus & conditionibus pacis cum Spalatenſibus factæ, quod juri ac privilegiis Tragurienſium officeret, simulque promissa illa, quibus Tragurienses se obstrinxerant, regali auctoritate abrogavit, & irrita fecit; sua his privilegia & confinia restitui jussit; idque testatum esse voluit regiis litteris ad eos datis III. Non. Decembris an. 1243. Extant hæ litteræ in sermonem italicum conversæ apud Joannem Lucium lib. 2. cap. 15. Mon. Tragurien.

Belæ grata erga urbem & Ecclesiã Tragurienſem voluntas.

Cum ergo Tragurienses his litteris freti finium suorum quod detractum fuerat repeterent, atque invaderent, occasionem præbuerunt alterius belli, quod descripsit Archidiaconus cap. 46. & 47. Rex Bela, ad quem Tragurienses confugerant, cum duabus litteris ad eos amice ac benevole scriptis, quæ extant apud Lucium loco supra laudato, misit Dionysium Banum &

Bellum inter Tragurienses & Spalatenses.

ducem Slavoniæ cum exercitu Hungarorum & Slavorum, qui auxilio illis foret. Pugna conſerta eſt in ſuburbio Spalati; Spalatenſes cæſi ac repulſi; flammæ injectæ ædes ſuburbanas ad quingentas abſumpſerunt. Pax deinde convenit in eas conditiones, quas Dionyſius Banus anno 1244. XVI. Kal. Auguſti cum Bartholomæo Epiſcopo Quinqueccleſienſi ex regio mandato præſcripſit, & Bela rex comprobavit pridie idus Octobris. Extat regium diploma, cui leges pacis inſertæ ſunt, in tabulario curiæ Tragurienſis, cum aliis Belæ epiſtolis ad Tragurienſes; quæ quidem regis erga illos eximiam voluntatem & benevolentiam plane ſingularem declarant. Igitur terminus fixus ac ſtabilis, Spalatenſem a Tragurienſi territorio ac diœceſi disjungens, conſtituta eſt columna quædam intermedia, ab urbe utraque ſpatio propemodum æquali diſtans; propterea que tota villa Oſtroch, de qua multæ & cruentæ contentiones fuerant, cum inter Tragurium & columnam eſſet, Tragurienſibus adjudicata fuit; deinde quidquid agrorum & terrarum poſſidebant Spalatenſes quidem ultra columnam Tragurium verſus, Tragurienſibus, Tragurienſes vero trans eamdem columnam Spalatum verſus, Spalatenſibus tradi jubebantur. Ad hæc inſula quædam, ſive ſcopulus inter Gironam & Solitam interjectus, cui nomen fuit a S. Stephano, Spalatenſibus adempta, in ditionem Tragurienſium conceſſit. Ita eccleſia & civitas Tragurienſis priſtinos diœceſeos ac territorii ſui fines recuperavit.

Ne quid nimis Treguanus Sibenicenſibus indulgeat, Canonici Tragurienſes obſiſtunt.

His diſſidiis compoſitis Treguanus, ut Sibenicenſes ab rebus novis moliendis averteret, eoſque in fide atque officio contineret, illis quidquid poterat, ſalvo jure epiſcopali, indulgere, & quibuſcumque poſſet rebus gratificari ſtudebat. Nec vero exiſtimavit eccleſiæ ſuæ dignitati ac privilegiis detrimentum inferre, ſi quædam acta juriſdictionis ac muneris epiſcopalis Sibenici exerceret, veluti inſtitutionem Archipresbyteri, & Abbatis S. Nicolai, ordinationem clericorum, & creationem parochorum. Verum Canonici Tragurienſes veriti ne id præjudicio foret eccleſiæ cathedrali, ejuſque juribus officeret; ab Hugrino Metropolita electo & Comite Spalatenſi poſtularunt, ut decerneret ac juberet functiones hujuſmodi, non alibi, quam in æde cathedrali Tragurienſi peragi debere: quod decretum Treguanus recepit, approbavit, eique ſe obtemperaturum promiſit; idque ſuo ſcripto declaravit in hæc verba.

Declaratio Treguani Ep. Tragurien.

In Chriſti nomine amen. Anno Incarnationis ejus 1246. Indictione 4. menſis Auguſti die 5. intrante. Temporibus D. Treguani Ven. Epiſcopi, Stepconis Comitis, Petri Luce, & Nicolai Albertini judicum Tragurienſium, hoc actum eſt. Nos quidem Treguanus permiſſione divina memoratus Epiſcopus, vobis Capitulo Tragurienſi preſentem fieri fecimus cautionem; quia cum noſtre ſedis epiſcopalis honorem non debemus minuere aliquatenus, ſed augere; manifeſtius profitemur, quod ſententiam, quam dudum Venerabilis Dom. Ugolinus archielectus & Comes Spalatenſis ſuper inſtitutione, & deſtitutione Archipresbyteri, & Abbatis Sibenicenſis, quos in eodem oppido inſtitueramus, & deſtitueramus, minus provide abſque conſilio & aſſenſu veſtro promulgavit, & noſtro; veſtro voluntatis beneplacito ratam tenebimus in perpetuum, atque firmam, prout in ejuſdem ſententie literis plenius continetur expreſſum, obligantes nos, & promittentes firmiter ſub nomine juramenti, quod nullo unquam tempore in eccleſia, vel in caſtro Sibenicenſi clericos aliquos ad ordines promovebimus majores etiam, nec minores; Archipresbiteros autem, vel Abbates, qui fuerint eligendi pro tempore, ibidem non confirmabimus, neque munus conſecrationis impendemus eiſdem; vacantes vero eccleſias non conferemus in loco eodem rectoribus aliis, vel plebanis, neque ibi cauſas aliquas audiemus, aut litigia quorumcumque; ſed hec omnia in caſtro predicto facere omnimode recuſantes, ſecundum conſuetudinem antiquitus conſuetam in eccleſia, & ſede Tragurien. ea curabimus agere, ac velut predeceſſorem noſtrum olim meminimus, ſtudebimus ordinare. Confirmationem enim hujuſmodi, ſeu promotionem, vel cetera ſupradicta extra ſedem facta conſueverunt quandoque cedere in prejudicium eccleſie cathedralis. Teſtes ſunt Siſa Archipresbiter, Dragus, & Magiſter Georgeus Canonici Tragurien. Petrus, & Nicolaus predicti judices, atque Valentinus Caſarizze. Ego Joannes Caſioc. Examinator manum meam mitto. Et ego Guaſinna primicerius, & Tragurienſis juratus notarius, jubente Domino meo predicto Epiſcopo preſentem paginam ſcripſi, & conſueto ſigno communitam roboravi ipſam bulla ipſius . . . communivi.

Controverſiæ civiles inter Tragurienſ. & Sibenicenſes;

Hæc declaratio Treguani Epiſcopi mirum quantum Sibenicenſium animos exacerbavit; id quod etiam, ut opinor, civilibus inter utramque civitatem diſſidiis occaſionem præbuit; ac nihil propius tum factum eſt, quam ut inter Tragurienſes & Sibenicenſes bellum cruentum exardeſceret; ſed cum jam utrique ad arma ſpectarent, Vido Poteſtas Tragurii, & Daniel Comes Sibenici, quibuſdam capitulis propoſitis, quibus utrique aſſenſi ſunt, eos per compoſitionem ad concordiam revocarunt anno 1250. ut eſt apud Lucium lib. 3. cap. 2. Monum. Tragurien. De iis vero, quæ ad jus epiſcopale Tragurienſis Eccleſiæ pertinebant, controverſiæ multiplices & variæ cum eſſent, anno 1252. compoſitæ ſunt Spalati: qua in urbe Stanimirus Archipresbyter & primores clericorum ex mandato & nomine totius cleri Sibenicenſis coram Archidiacono & Capitulo Spalatenſi profeſſi & confeſſi ſunt ſuam Eccleſiam Tragurienſi ſubjectam eſſe: & ſigillatim ea perſequuntur, quæ ipſi Epiſcopo præſtare debent, quæque ab ipſis Epiſcopus officia exigere poteſt.

Eccleſiaſticæ vero biennio poſt compoſitæ.

Tabulæ compoſitionis.

In nomine D. N. Jeſu Chriſti amen. Anno Incarn. 1252. Indict. 11. temporibus D. Innocentii PP. 4. ac D. Bele Illuſtris R. Hung. hoc actum eſt. Cum prophetici ſermonis eulogium opus ſit juſtitiæ pax, que unicuique ſua jura ſervando, totius humane cohabitationis, & ſocietatis vinculum merito nuncupatur; neceſſe eſt omnibus legaliter vivere cupientibus hujus ſalutiferis connecti vinculis, & ab ejus cultu nullo tempore declinare: que denique juſtitie norma quaſi gemino calle procedens, jure videlicet ſcripto, ac conſuetudinibus approbatis ad veritatis tramitem cunctis mortalibus iter pandit. Quia vero in partibus Dalmatiæ conſuetudinis, uſuſque longevi auctoritas, quam maxime pro lege veneratur; idcirco ego Stanimirus Archipresbyter, una cum Tolone, Joanne, & Griſogono clericis, tam pleno mandato univerſi cleri Siben. ad Spalaten. Eccleſiam, tamquam ad Caput Metrop. accedentes, ibidem coram Ven. Thoma archidiacono & Ca-

pitulo

pitulo S. Domnii dicimus, profitemur, & recognoscimus nos omnimodam subjectionem debere D. Treg. Episcopo, & ejus successoribus, nec non Ecclesie Tragurien. & eidem sicut patri & diocesano nostro reverenter obedire; consuetudines antiquas, quas ab antecessoribus nostris observatas comperimus, per nos & nostros successores presentis scripti obligatione promittimus eidem ecclesie Trag. perpetuo observandas.

In primis videlicet quotiescumque Episcopus Sibenicum venerit, suscipiatur ab Archipresbytero, & clero ejusdem loci honorifice sicut decet: cui quidem Episcopo, & omnibus, qui eum e suis clericis comitantur, Archipresbyter in domo sua hospitium & procurationem exhibeat competentem; Episcopus vero quamdiu ibi moram fecerit, Archipresbyterum, Abbatem, & totum clerum Sibenici regat, & instruat secundum ecclesiasticam disciplinam. Et si aliquem clericorum repercrit excedere, vel deviare a tramite officii clericalis, tam officio, quam beneficio spoliabit; & alii conferet ad suum arbitrium voluntatis prebendas & ordinum dignitates, juris tamen in omnibus ordine observato. Eodem autem Episcopo Tragurii commorante, Archipresbyter per Episcopum institutus causas audiat; appellationes ad Episcopum transmittat, & sententiam ejusdem Episcopi obedienter, & humiliter susceturus. Idem quoque Episcopus apud Tragurium clericis Siben. ordines & ecclesias conferat; Archipresbyter namque & ceteri Sib. clerici maxime ecclesias possidentes, annis singulis visitent cum xeniis competentibus bis in sua sede Episcopum memoratum, in Nat. Domini, & in Pascha; citati etiam ab eodem Episcopo per litteras, vel sigillum, pro causa qualibet Trag. veniant: in festo vero S. Michaelis annuatim venientem Episcopum Siben. Archipresbyter per se ipsum semel procurabit; & clerici communiter procurationem alteram exhibebunt; de cujus festi oblationibus, scilicet panibus, denariis, candelis, quæ ad eamdem ecclesiam deferuntur, medietas dabitur Episcopo, medietatem alteram Sibenicen. clerici recepturi: vinum vero, quod ad vesperas apportatur, Episcopus recipi faciat, dato prius bis vel ter de ipso clericis & laicis ad bibendum. De oblationibus vero festis SS. Cosme & Damiani tertiam partem Episcopus recipiat. De decimis autem omnibus, que per totam parochiam Siben. a decimatoribus clericorum Siben. cum clerico Episcopi colliguntur, decima pars dabitur Comiti Sibenicen. nona pars Archipresbytero, & de octo residuis portionibus medietatem Episcopus plenarie recipiat; & quocumque voluerit, eam faciat libere asportari; medietatem vero alteram Sibenicen. clerici recipiant universi. De oblationibus, quæ fiunt in consecrationibus ecclesiarum in Siben. in campo Marine, & in .... tertiam partem Episcopus, tertiam clerici Tragurien. tertiam clerici Sibenicen. obtinebunt. Quas oblationes Trag. clerici colligent, divident, sicut superius est expressum. Archipresbyter vero, & Abbas Siben. in sue dignitatis officio per Episcopum instituti, Tragurium veniant, munus consecrationis, & confirmationis ab eodem Episcopo suscepturi. Hec omnia supradicta tam ex parte predicti D. Treguani Episcopi, quam ex parte Archipresbyteri Stanimiri, & totius cleri Sibenicen. acceptata sunt, & eorum beneplacito stabiliter & fideliter roborata, in presentia & testimonio Fratris Magsi, Fratris Jose de ordine Predic. Bive & Micha presbyterorum, Nob. V. Michaelis Comitis Castellani de Clissa, & quorumdam aliorum. Nos vero Thomas Archidiaconus, Prodanus Sacerdos, Petrosius, Radosius, Nicolaus Sacrista, Joannes Savinus, Jacobus, cum aliis Fratribus de Capitulo supradicto, rogati ab utraque parte his omnibus interfuimus, & ad robur perpetue firmitatis presentem paginam sigillo Capituli nostri fecimus communiri.

Sibenicenses a promissis deficiunt, & excommunicantur.

His promissis & conventis non diu steterunt Sibenicenses; ea siquidem ab illis necessitas extorserat, & metus, ne Belam regem offenderent, quem urbis & Ecclesiæ Tragurienſis dignitati favere cognoverant. Itaque haud multo post ad pristinam pertinaciam redierunt; & Episcopo Tragurienſi tum decimas, tum etiam, quæ debebant obsequia denegarunt. Semel, iterum, ac tertio admoniti cum nollent resipiscere; Treguanus Stanimirum Archipresbyterum, Tollium, Ragosium, Joannem Presbyteros, Stritumque Diaconum, ut est apud Lucium lib. 3. cap. 2. Monum. Tragur. quod ceteris cum dignitate & auctoritate antecederent, se ceteris tamen contumaciores præbebant, nominatim sacrorum omnium communione, & omni officio ac potestate privavit; nec vero illi propterea aut rem divinam facere, aut ecclesiasticis muneribus fungi desierunt. Scripsit præterea ad Innocentium IV. orans obtestansque, ut quæ Sibenicenses coram Archidiacono & Capitulo Spalatensi ex compositione utrinque approbata professi ac polliciti fuerant, auctoritate apostolica confirmaret, & a Sibenicensibus præstari servarique pro sua maxima & summa potestate juberet. Extat responsio Innocentii ad Episcopum Tragurienſem in hæc verba.

Epistola Innocentii ad Treg.

Innocentius &c. Ven. Fratri Episcopo Tragurienſi salutem & apostolicam benedictionem. Ea quæ judicio, vel concordia terminantur, firma debent & illibata persistere; & ne in recidivæ contentionis scrupulum relabantur, apostolico convenit præsidio communiri. Petitio siquidem tua nobis exhibita continebat, quod cum inter te ex una parte, & S. Archipresbyterum & clericos ecclesiæ de Sibenico Tragurien. diœcesis ex altera, super eo, quod ipsi a jurisdictione tua se subtrahere nitebantur, & diversis aliis articulis fuisset materia quæstionis exorta; tandem mediantibus dilectis filiis Archid. & Canonicis ecclesiæ metropolitanæ loci, amicabilis inter partes super his compositio intervenit, prout in patentibus litteris confectis exinde, ac sigillo Capituli Spalat. signatis, plenius dicitur contineri. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati compositionem ipsam, sicut rite sine pravitate provide facta est, & ab utraque parte sponte recepta, & hactenus pacifice observata, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Dat. Later. XI. Kal. Maji. Pont. nostri anno XI. idest 21. April. 1254.

Laurentius Archiep. Jadren. jussus a Pontifice adigere Sibenicenses ad promissa præstanda.

Idem Pontifex Laurentio Periandro Archiep. Jadren. per litteras eodem die ac loco datas imperavit, ut juberet cogeretque Sibenicenses, gravissimorum anathematum pœna interposita, illa omnia præstare, de quibus inter ipsos & Episcopum Tragurienſem convenerat. Itaque Laurentius ex apostolica auctoritate sibi delegata, clerum Sibenicenſem citari mandavit: adesse ad judicium cum noluisset, sententiam anathematis latam ab Episcopo in absentes renovavit, & confirmavit; atque ob neglectam decimarum biennii superioris & anni vertentis solutionem libras

bras ducentas & quinquaginta Episcopo numerari jussit, ut docet Joannes Lucius lib. 3. cap. 2. Acta in hac caussa & sententiam Laurentii Jadrensis Archiepiscopi ex tabulario Capituli Traguriensis hic subjicio.

Sententia Archiepiscopi Jadrensis contra Archipresbyterum, & clerum Sibenicen.

In nomine Domini Dei eterni. Anno ejusdem nativitatis millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto, Indict. XII. die XI. exeunte Novembris. Jadre in ecclesia cathedrali Sancte Anastasie, presentibus his testibus, scilicet D. Johane Delphino Comite Jadren. & D. Filipo Donao, & D. Jo. Aurio consiliariis ipsius D. Comitis, & D. Simeone Gerardo qui fuit de Venetiis, & Dom. Nicolao Fuscarino de Venetiis, & Dom. Comite Stinelta de Veglia, & D. Cosa Saladini, & D. Preste de Matofarro, & D. Andrea de Cotopania, & D. Rainerio filio Varicasi, & D. Cosa filio Petrogne, & Dom. Paulo de Lampredio, & D. Cando filio Ranei, & D. Georgio de Veglia, & D. Gregorio filio Comitis Elie, & D. Lospre Nicole, & D. Grisogono de Mauro, & D. Micha filio D. Formini, & Dom. Damiano filio Cerne de Carbone, & Vulcenna filio Pelegrini Engenani civibus Jadren. & Dom. Dessa Sacrista Sancte Anastasie, & D. Stepo Canonico ejusdem ecclesie, & aliis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen. Nos Laurentius miseratione divina Jadren. Archiepiscopus Dom. Pape receptis litteris in hanc formam:

Innocentius Episcopus servus servorum Dei Ven. Fr. Archiepiscopo Jadren. salutem & apostolicam benedictionem. Significavit nobis Ven. Fr. noster Episcopus Tragurien. quod ipse in S. Archipresbyterum & quosdam clericos ecclesie S. Jacobi de Sybinico sue diocesis, pro eo quod decimas & alia jura episcopalia sibi debita ei contra justitiam subtrahebant, & diligenter moniti de his satisfacere non curabant, excommunicationis sententiam auctoritate ordinaria exigente justitia promulgavit. Sed idem Archipresbyter & clerici hujusmodi sententia damnabiliter vilipensa, divina celebrare immo quantum in eis est potius profanare presumunt in animarum suarum periculum, plurimorum scandalum, ipsius Episcopi prejudicium, & ecclesiastice discipline contemptum. Quare pro parte dicti Episcopi humiliter petebatur a nobis, ut eamdem sententiam robur firmitatis debitum obtinere, ipsosque de presumptione hujusmodi puniri pena canonica faceremus. Quo circa fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus sententiam ipsam, sicut rationabiliter est prolata, faciatis auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari; super eo vero quod excommunicati dicuntur celebrare divina quod rationi tum fuerit appellatione remota decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Dat. Lateran. XI. Kal. Maji Pontificatus nostri anno XI.

Prefatum Archipresbyterum, & quosdam alios ecclesie S. Jacobi de Sybinico, scilicet Tolcum, & Rodinem, & Johanem de Viaco Presbyteros, & Stricum diaconum suo & ecclesie sue nomine juxta traditam nobis formam legitime & peremptorie citavimus coram nobis; quod comparentes in judicio personaliter in termino constituto, & petitioni, seu libello adverse partis jam dudum eis transmisso per litteras nostras citatorias porrecto postmodum & accepto, in judicio coram nobis advocatum suum de assensu eorundem expresso directe & legitime respondentes quibusdam frivolis exceptionibus interjectis, quas de consilio sapientum non admisimus, & excommunicationis exceptione contra Episcopum Tragurien. tantum verbotenus opposita, sed non probata ad cujusdam appellationis frustratorie diffugium contumaciter convolarunt. Tenor autem ipsius petitionis talis est. Ego magister Gregorius Canonicus Tragur. sindicus, actor, & procurator Dom. Treguani Dei gratia Episcopi Tragurien. sindicario, actorio, procuratorio nomine ipsius peto a vobis Domino L. miseratione divina Jadren. Archiepiscopo Dom. Pape judice delegato, quod compellatis Stanimirum Archipresbyterum, Tolcum, Rodinem, Jobanem de Viaco Presbyteros, & Stricum diaconum, & ceteros clericos de Sybinico inviolabiliter observare sententiam excommunicationis, quam dictus Episcopus Tragurii in eos auctoritate ordinaria exigente justitia promulgavit, pro eo quod decimas & jura episcopalia, videlicet obedientiam, subjectionem, & reverentiam, institutionem, & destitutionem, correptionem, & reformationem, ac censuram ecclesiasticam, Sacramentorum omnium, que ab Episcopo recipienda sunt, collationem, venire ad Synodum, visitationem quoque annuam, & quedam alia sibi debita contra justitiam subtrahebant, & diligenter moniti de his sibi satisfacere non curabant, & quod faciatis eandem sententiam robur firmitatis debitum obtinere. Item quod auctoritate qua fungimur compellatis supradictos Archipresbyterum & clericos solvere integraliter decimas subtractas, & non solutas de duobus annis preteritis, & anni presentis, reditus quarum decimarum & jurium de supradictis annis facio ducentas & quinquaginta libras, in quibus reditibus & juribus predictum Episcopum Tragur. spoliarunt, quare peto restitutionem de ipsis, & predictos Archipresbyterum & clericos Sybinicenses in predictis ducentis libris condempnare. Item peto in omnibus supradictis & petitis predictos Archipresbyterum, & ceteros Presbyteros, & clericos de Sybinico Tragur. dioces. & in expensis, quas fecit, seu facturus est supradictus Episcopus Tragurii occasione decimarum & aliorum jurium sibi subtractorum, & quas fecit, & facturus est pro supradictis decimis & juribus exigendis, & in expensis, quas fecit, & faciet in causa ista, seu propter causam istam, condempnari. Item eodem modo procuratorio nomine supradicti Episcopi, & ipse Episcopus Tragurii peto juxta traditam vobis formam, quod puniatis pena canonica Stanimirum Archipresbyterum de Sybinico, Rodinem, & Tolcum, & Johanem de Viaco Presbyteros, & Stricum diaconum, qui celebraverunt divina post sententiam excommunicationis in eos latam a dicto Episcopo Tragurii in animarum suarum periculum, scandalum plurimorum, ipsius Episcopi prejudicium, & ecclesiastice discipline contemptum, & adhuc celebrare non desistunt; hoc est, ut ipsos ab omni officio, & beneficio ecclesiastico propter irregularitatem sic contractam sententialiter deponatis, salvo jure addendi, vel minuendi. Super qua petitione lite legitime contestata, & exacto juramento de veritate dicenda, volentes in spiritu humilitatis eorum contumaciam superare, mandavimus Archipresbytero, & aliis omnibus clericis antedictis, ut quia eorum appellatio non tenebat, deberent accedere coram nobis in persona, vel dicta testium sicut eis placeret, quos pars altera ad probandum petita in libello introducere intendebat secundum juris ordinem objecturi: quod cum non per se, vel per responsalem aliquem in termino,

& post

& poſt terminum diutius expectati in judicio comparuerint, teſtes ſuper petitis recipi mandavimus & recepimus & examinavimus, aperuimus, & publicavimus ſollemniter juſtitia exigente. Teſtibus igitur diligenter examinatis, cum ea diligentia & cautela, que ſolet & debet in talibus adhiberi, & atteſtationibus ſollemniter publicatis, rationibus & allegationibus diligenter auditis, viſis etiam litteris papalibus, privilegiis, ac inſtrumentis pluribus ſuper hoc jamdudum confectis ſuper premiſſis deliberatione diu habita diligente, termino etiam hodie peremtorio conſtituto ad ſententiam proferendam. Quia nobis manifeſte conſtat tam per premiſſa, quam etiam fama publica & notoria deferente caſtrum & eccleſiam Sybinici a tempore, cujus non extat memoria, fuiſſe ac fore de dioceſ. Tragur. ſubfuiſſe, ac debere ſubeſſe Tragurien. Epiſcopo tanquam ſuo dioceſano. Communicato conſilio ſapientum, dicimus, & ſententialiter in ſcriptis pronunciamus auctoritate nobis tradita, & conceſſa, partis adverſe contumacia non obſtante, cujus abſentia Dei repleatur preſentia, caſtrum & eccleſiam Sybinicenſem fuiſſe, ac eſſe debere de dioceſi, ſeu territorio Tragurien. Eccleſie ſue tanquam matrici, & capiti in omnibus juribus epiſcopalibus, tam ad legem dioceſanam, quam ad legem juriſdictionis ſpectantibus, ſcilicet in obedientia, ſubjectione, ac reverentia, inſtitutione ac deſtitutione Archipresbyteri, & aliorum clericorum de Sybinico, correctione, reformatione, ac cenſura eccleſiaſtica & Sacramentorum omnium, que ab Epiſcopo ſunt recipienda, collatione, venire ad Sinodum, viſitatione quoque annua & quorundam exemniorum preſtatione, que in nativitate Domini, & in reſurrectione dominica ab antiquo ſolita ſunt preſtari, ſicut in inſtrumento tranſactionis facte inter dictum Epiſcopum Tragurii ex una parte, & S. Archipresbyterum & ceteros clericos Sybinici ex altera plenius dicitur contineri, & roborato auctoritate Capituli Spalatenſis Eccleſie Metropolitane. Et inſuper auctoritate Dom. Pape dicta tranſactione etiam confirmata legitime ſubjacere, & rationabiliter reſpondere ad reſtitutionem tam prefatarum decimarum, que fuerunt, & ſunt ducente & quinquaginta libre, quam jurium omnium aliorum temporalium & incorporalium Tragurien. Epiſcopo & eccleſie ſue per dictos Archipresbyterum, & Sybinicenſes Presbyteros & clericos ceteros ſubtractorum, ſeu etiam expenſarum hac occaſione in preſenti lite factarum, videlicet octingentorum librarum, de quibus judiciali taxatione prehabita, pars altera fecit fidem in judicio coram nobis, ſepe dictos Archipresbyterum, & Presbyteros, ac ceteros clericos de Sybinico ſuo, ſueque eccleſie nomine, magiſtro Georgio ſindico & procuratori Tragurien. Epiſcopi procuratorio nomine, & ipſi Epiſcopo, ſueque eccleſie nomine ſententialiter & in perpet. condemnantes. Et ut de cetero in futurum preſtent omnia ſupradicta, & ſingula dicto Epiſcopo Tragurien. & ſue eccleſie, ſupradictos S. Archipresbyterum, & Presbyteros, & ceteros clericos de Sybinico ſuo, ſueque eccleſie nomine nihilominus condemnamus de dictis ducentis & quinquaginta libris nomine decimarum & octingentis libris nomine expenſarum ad ſolvendum unius menſis ſpatium terminum aſſignantes. Et quia nobis manifeſte conſtat, quod Tragurien. Epiſcopus propter jura decimarum & alia jura epiſcopalia per dictos Archipresbyterum, Sacerdotes, & clericos de Sybinico indebite ſibi ſubtracta premiſſis legitimis admonitionibus juxta formam Concilii generalis, ipſos excommunicationis vinculo innodavit, prefatam ſententiam auctoritate apoſtolica confirmantes, ne de ſua contumacia valeant gloriari, quia humilitas nil prodeſſe humilibus videretur, ſi contemptus contumacibus non obeſſet, Stanimirum Archipresbyterum, Tolcum, & Rodinem, & Johanem de Viaco Presbyteros, & Stricum diaconum, qui poſtmodum ſententia hujuſmodi dampnabiliter vilipenſa divina celebrare, imo quantum in eis eſt potius prophanare preſumunt, & jam diutius preſumpſerunt in animarum ſuarum periculum, plurimorum ſcandalum, & eccleſiaſtice diſcipline contemptum, ab omni officio, & beneficio eccleſiaſtico juxta canonicas ſententias duximus ſententialiter deponendos.

Ego Candi de Ragno examinator manum meam miſi.

Ego Priamus S. Anaſtaſie primicerius, & Jadrenſis notarius huic ſententie audiende rogatus interfui, ſignoque meo, mandato D. Jadren. Archiepiſcopi roboravi etiam & ſubſcripſi.

Ego Arnaldus filius quondam Alberti Sartoris de Padua ſacri palatii notarius his omnibus interfui, & de mandato ſepedicti D. Archiepiſcopi hec omnia ſcripſi, & ſigno proprio & conſueto roborans hanc paginam ad majorem cautelam eam Archiepiſcop. ſigilli charactere communivi.

Procuratores a Treguano Spalatū miſſi, ut ab actis Metropolitæ ad Sedē Apoſtolicam appellarent.

Cum rumores percrebuiſſent, ſatis quidem conſtantes, ſine tamen certis auctoribus, ab Innocentio IV. litteras de inſtituendo Sibenici Epiſcopo impetratas fuiſſe, directaſque ad Rogerium Metropolitam Spalatenſem, qui Sibenicenſium cauſſæ favebat; Treguanus de conſilio totius Capituli duos procuratores Spalatum miſit, qui Metropolitæ denunciarent irritum fore quidquid ille aut fecerit, aut facere vellet, quod vergeret in detrimentum Eccleſiæ Tragurienſis; ab ejuſque actis & conſtitutis ad Sedem Apoſtolicam appellarent. Mandatum procuratoribus traditum eſt ejuſmodi.

In nomine Domini Dei æterni. Anno ejuſdem nativitatis MCCLIIII. Indictione XII. die IIII. exeunte Aprilis, in civitate Tragurii in camera D. T. Epiſcopi de Tragurio, preſentibus iis teſtibus, videlicet Deſa clerico filio Dragogne de Tragurio, & Bogode clerico filio quondam Mice de Marcho ejuſdem loci, & Johanne Bello, qui fuit de Traviſio, & aliis ibidem. D. T. D. G. Tragur. Epiſcopus de voluntate, & conſenſu ſui Capituli, D. Archidiaconi, & G. primicerii, & D. Dragi Canonici, & aliorum de ſuo Capitulo, ſuo & nomine Epiſcopatus, & Archidiaconatus, de voluntate, & conſenſu totius ſui Capituli nomine can. . . . T. . . . & Cap. . . . fecerunt, creaverunt, & conſtituerunt D. Petrum Calzam Doctorem legum de Traviſio, & D. Gauſinam primicerium S. Laurentii de Tragurio, ſuos nuntios, ſindicos, actores, & procuratores ad proteſtandum, dicendum, & appellandum, & appellationes faciendas ad D. Papam, ne D. R. Archiepiſcopus Spalatenſis de facto procedat ad electionem Epiſcopi, vel confirmationem, ſi eſſet facta, in Sibinico, & ad proteſtandum, dicendum, & opponendum, & excipiendum contra litteras impetratas ad dictum R. Archiepiſcopum Spalatenſem, ſi quæ litteræ eſſent ſuper dicto facto impetratæ; ad faciendas proteſtationes, & appellationes omnes, quas nomine dicti Epiſcopi . . . . canonice, & Capituli ſuo nomine & canonice facere poſſet, & ad omnia alia facienda, dicenda,

da, proteſtanda, quæ ipſi principales facere, dicere, proteſtari poſſent; promittentes dictus Epiſcopus & Capitulum quidquid dicti ſindici, actores, & procuratores fecerint, ſe firmum, & ratum habituros, & non contravenire.

Ego Arnaldinus filius quondam Alberti Sartoris ſacri palatii notarius interfui & ſcripſi.

Judices a Pontifice delegati, ut de cauſſa Tragurienſi & Sibenicenſi cognoſcerent.

Poſtquam duo illi procuratores, quæ juſſi fuerant Spalati peregerunt, Romam profecti ſunt; & cum Innocentium docuiſſent de contumacia, & arrogantia Sibenicenſium, qui ſe juriſdictioni Tragurienſis Eccleſiæ, cui ſemper ab antiquiſſimis uſque temporibus ſubjecti fuerant, ſubducere nitebantur; ab eo impetrarunt litteras ad Archiepiſcopum Jadrenſem, Epiſcopum Scardonenſem, Archidiaconum Nonenſem; quibus Pontifex poteſtatem delegavit, ut de quibus inter Tragurienſes & Sibenicenſes erant controverſiæ, rite cognoſcerent, ac ſententiam ferrent, cui ſi alterutra, vel utraque pars ſtare nollet, rem omnem ad Sedis Apoſtolicæ judicium remitterent. Epiſtolam Innocentii deſcriptam habes in hiſtoria Eccleſiæ Sibenicenſis.

Quæ præterea in hac controverſia utrinque acta ſunt, dum Treguanus huic eccleſiæ præſidebat, cum expoſita ſint in hiſtoria Eccleſiæ Sibenicenſis, inde ſi libeat repeti poſſunt. Extat epiſtola Belæ regis ad Tragurienſes, quos certiores fecit, quæ dederit mandata Stephano Bano totius Slavoniæ, a quo immunitatem agrorum ſuorum violatam eſſe querebantur, additque in extrema epiſtola eidem Bano ab ſe imperatum eſſe, ut Epiſcopo jus redderet, ac ſatisfieri juberet a Sibenicenſibus, qui decimas eidem debitas ſolvere nolebant: *De decimis etiam, quas Ven. Pater Epiſcopus veſter per Sibenicen. ſubtractas conqueritur, de mandato noſtro exhiberi faciat juſtitiæ complementum. Dat. Strigonii in craſtino S. Galli:* ideſt 17. Octob.

Treguani mors.

Anno 1254. vel ſequenti Treguanus, cum annos fere quinquaginta Eccleſiam Tragurienſem bene ac feliciter adminiſtraſſet, haud dierum, quam meritorum plenior deceſſit. Poſt Saracenicam cladem, ac Venetam direptionem, civitas & Eccleſia Tragurienſis ſub ejus Epiſcopatu propemodum renata, & felicioribus auſpiciis reſtituta eſt. Urbs tum mœnibus ac propugnaculis ſepta, tum vero ædificiorum & incolarum numero aucta; ædes cathedralis a fundamentis extrui cœpta ſub Michaele, ad faſtigium perducta, & ample ſplendideque ornata; territorii ac diœceſeos fines propagati, quibus rex Bela, cum anno 1251. in Dalmatiam veniſſet, Biſtrizam regale prædium e plurimis, agris, vineis, paſcuis conſtans adjecit; denique proventus eccleſiaſtici ex liberalitate regum Hungariæ amplificati. Ut eccleſiæ ſuæ jura tueretur ab inſidiis & conatibus Sibenicenſium, nihil vigilantiæ curæque prætermiſit optimus Antiſtes, cavitque ſedulo ne quid detrimenti caperet juriſdictio epiſcopalis. Sed efficere non potuit, ut lites & controverſias illas, quas habuit cum Sibenicenſibus, extinctas aut ſopitas relinqueret, ac Tragurienſem Eccleſiam quietam pacatamque ſucceſſori traderet.

COLUMBANUS EP. TRAGURIENSIS VI.

Hunc ex Arba inſula & civitate Sinus Flanatici oriundum, & ex familia Franciſcana ad epiſcopalem dignitatem aſſumptum ferunt. Romæ conſecratus fuit ab Alexandro IV. a quo itidem electum & Epiſcopum Tragurienſibus datum fuiſſe Joannes Lucius opinatur. Antequam eccleſiæ ſibi traditæ regimen ſuſciperet, Spalatum adiit, ut more majorum Rogerio Metropolitæ fidem atque obedientiam ſuam ſollemnis ſacramenti religione obſtringeret. *D. Columbanus*, ut ſcripſit Archidiaconus, *conſecratus eſt in Romana Curia; ſed veniens, ut moris eſt, metropolico jure ſibi* (Rogerio) *præſtitit juramentum.* Lucius lib. 3. cap. 2. Monum. Tragurien. tabulas citat confectas Tragurii anno 1256. XVIII. Kal. Aprilis, in quibus Columbanus Epiſcopus nominatur, ex quo colligi poteſt vel ſuperiori, vel hoc ipſo anno ineunte, ab eo eccleſiæ hujus gubernacula ſuſcepta eſſe.

Anno 1259. facta eſt emptio cujuſdam agri per Canonicos Tragurienſes a Paſculo & Helia fratribus, Beriſii Soldani filiis, ut ex tabulis conſtat, quas ex tabulario capitulari hic ſubjicio.

Agri emptio facta per Canonicos Tragurien.

In Chriſti nomine amen. Anno Incarnationis ejus milleſimo ducenteſimo quinquageſimo nono, Indictione 3. menſe Decembris die X. intrante. Temporibus D. Columbani Ven. Epiſcopi, Romani Stoche, & Duymi de Cega judicum Tragur. hoc actum eſt. Paſculus & Helias ambo fratres filii qu. Beriſii Soldani per hoc preſens inſtrumentum ſunt confeſſi & manifeſti ſe recepiſſe a Canonicis Tragur. quadraginta libras denariorum parvorum Venetorum, pro quibus nomine preciſe & irrevocabilis venditionis eiſdem Canonicis vendiderunt quandam terram ſibi jure hereditario pertinentem, ſitam ad Vicum, ſuper terra Stanne relicte Roſco, & juxta viam perpetuo poſſidendam, dantes eis plenam poteſtatem dictam terram tenendi, vendendi, donandi, & de ipſa omnem voluntatem ſuam faciendi. Quam terram promiſerunt ipſis Canonicis & ſuis ſucceſſoribus ab omni perſona diſcalumpniari cum ſuorum bonorum omnium obligatione, tam preſentium, quam futurorum, renunciantes omni exceptioni, & omni juri Capitularis pro eo quod non facta eſt mentio de Uret. quia ipſa terra nec augeri, nec minui poteſt, & pro cambio receperunt a Canonicis unum paſſum de terra per longum & amplum apud Blatta de Pantano. Teſtes ſunt Cerne Chualotte, Sabaciolus, & alii plures.

Ego Silveſter de Urſo examinator manum meam mitto.

Et ego Gervaſius Communis Tragur. juratus notarius a Paſculo cum Helia hanc cartam ſcripſi, & ſigno conſueto ſignavi.

Anno 1260. Archipresbyter & primores cleri Sibenicenſis adhuc conſtricti erant vinculis illius anathematis, quibus eos Treguanus illigaverat; ſed tandem aliquando ſuæ illos contumaciæ pœnituit, ſeque exitialibus illis nexis eximendi cupiditas inceſſit. Quare Columbanum ſupplices adierunt, & quam illi debebant, obedientiam profeſſi, tum præteritæ pervicaciæ veniam, tum cenſuræ pœnæque ſibi inflictæ liberationem poſtularunt. Ille a Sede Apoſtolica poteſtatem eos a culpa & pœna liberandi petendam eſſe cenſuit, quam Alexander IV. eidem benigne conceſſit.

Epiſtola Alexandri IV. qui facultatem abſolvendi Sibenicenſes Columbano conceſſit.

Alexander Epiſcopo Tragurienſi. Expoſuit nobis tua fraternitas, quod clerici caſtri de Sibenico tuæ dioceſis, lata in eos a bon. mem. Epiſcopo Tragurienſi prædeceſſore tuo, pro denegata ſibi ab ipſis obedientia, excommunicationis ſententia ſunt ligati; idemque prædeceſſor obſervari eamdem ſententiam uſque ad ſatisfactionem condignam obtinuit a Sede Apoſtolica demandari; quo-

quorum clericorum quidam ſuſceperunt ordines, & divina celebrarunt offitia ſic ligati. Quare ſuper iis eorum provideri ſaluti humiliter poſtulaſti; de tua itaque circumſpectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, præſentium tibi auctoritate concedimus, ut eoſdem excommunicatos abſolvas hac vice ab hujuſmodi excommunicationis ſententia, juxta formam eccleſiæ vice noſtra, injungens eis, quod de jure fuerit injungendum. Cum illis autem ex eis, qui juris ignari, vel immemores facti, abſolutionis benefitio non obtento, ſuſceperunt ordines, divina offitia celebrarunt, injuncta eis pro modo culpæ pœnitentia competenti, eaque peracta, liceat tibi de miſericordia, quæ ſuperexaltat judicio, prout eorum ſaluti videris expedire, diſpenſare. Si vero præfati excommunicati ſcienter, non tamen in contemptum clavium talia præſumpſerint, eis per biennium ab ordinum executione ſuſpenſis, & impoſita ipſis pœnitentia ſalutari, eos poſtmodum, ſi fuerint bonæ converſationis & vitæ, ad gratiam diſpenſationis admittas. Dat. Anagniæ VII. Kalend. Aprilis, Pontificatus noſtri anno ſexto, ideſt 1260.

Idem Pontifex eodem anno XII. Kalen. Maji confirmavit ſententiam Archiepiſcopi Jadertini in controverſia de decimis, quæ Epiſcopo Tragurienſi fuerat cum Sibenicenſibus, datis ad Archidiaconum Spalatenſem litteris, quas hic inſerere libet.

Confirmatio ſententiæ Archiepiſcopi Jadertini adverſus Sibenicenſes.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilecto filio . . . Archidiacono Eccleſie Spalaten. ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Expoſuit nobis Venerabilis frater noſter . . . . Epiſcopus Tragurien. quod cum inter bone memorie . . . . Tragurien. Epiſcopum predeceſſorem ſuum ex parte una, & . . . Archipresbyterum & clericos caſtri de Sybenico dioceſ. Tragurien. ex altera, ſuper eo quod ſibi ſubjectionem, obedientiam, & reverentiam ei debitas exhibere contra juſtitiam denegabant & de decimis ac aliis juribus epiſcopalibus, coram Ven. fratre noſtro . . . Archiepiſcopo Jadren. auctoritate apoſtolica queſtio verteretur, idem Archiepiſcopus cognitis cauſis, meritis, & juribus, ordine obſervato diffinitivam pro eodem Epiſcopo ſententiam promulgavit, quam ipſe apoſtolico petiit munimine roborari. Ideoque diſcretioni tue per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſententiam ipſam, ſicuti eſt juſta, auctoritate noſtra facias appellatione remota firmiter obſervari. Dat. Anagnie XII. Kal. Maji, Pontificatus noſtri anno ſexto.

Controverſia de decimis, quæ Epiſcopo & Canonicis erat cum Communi Trag. componitur.

Ita Sibenicenſes Eccleſiæ & Epiſcopo reconciliati ſatis diu quietos ſe obſequenteſque præbuerunt, & nullam ab illis Columbano moleſtiam per annos fere quatuordecim exhibitam invenio. Interea Columbanus litem habuit cum Communi Tragurienſium. Ex frugibus, leguminibus & ovillo grege decimas quidem eccleſiæ ſolvebant Tragurienſes; non item vero ex fructibus hortorum, & vineis, & molis frumentariis, id quod juri communi eccleſiaſtico adverſari videbatur; has quoque cum Epiſcopus & Capitulum repeterent, negabant illi moris fuiſſe majorum ſuorum, ut hujuſmodi rerum decumas darent. De hac re interrogatus & conſultus Alexander IV. reſpondit veterem uſum, quem allegabant Tragurienſes, abuſum eſſe, & chriſtianæ ac divinæ legis corruptelam. Itaque per litteras imperavit Thomæ Archidiacono Spalatenſi, ut auctoritate Sedis Apoſtolicæ interpoſita juberet cogeretque Tragurienſes id præſtare, quod ſine violatione juris divini & eccleſiaſtici denegare non poterant. Verum Archidiaconus ſive per incuriam, ſive aliam ob cauſſam, mandatum pontificium neglexit; liſque illa per annos quinque injudicata permanſit. Quinquennio poſt Epiſcopus cum Capitulo litteras a Clemente IV. impetravit ad eumdem Archidiaconum, cui Pontifex præcipiebat, ut quæ ab Alexandro acceperat, mandata intra menſes omnino tres exſequeretur: id niſi præſtaret, cauſſæ illius cognitionem & judicium in Epiſcopum Scardonenſem transferebat. Thomas igitur, auctoritate pontificia urgente, Commune Tragurienſium citari juſſit, a quo duo procuratores Marinus Amblaſius & Domnius Cica Spalatum miſſi ſunt, qui communem cauſſam defenderent. Ita demum res compoſita fuit anno 1266. IV. Id. Junias, ut Epiſcopus & Capitulum jus percipiendi decimas ex hortis, moletrinis, ac vineis remitterent; pro quarum compenſatione Tragurienſes donarent eiſdem territorium S. Vitalis, quod Treguanus poſt abſolutam templi Laurentiani ædificationem Communi reſtituerat. Eadem donatio renovata eſt ac tabulis conſignata coram Archiepiſcopo Jadrenſi, Epiſcopo Tinninienſi, & Abbati S. Michaelis diœceſis Jadertinæ judicibus delegatis a Sede Apoſtolica anno 1267. XI. Id. Jul. & in iiſdem tabulis additum eſt, ut ex annuis proventibus illius territorii tres Epiſcopo, quarta pars Canonicis obveniret. Hanc vero compoſitionem Laurentius Periander Archiepiſcopus Jadertinus confirmavit anno 1268. IV. Nonas Julii. Hæc Lucius lib. 3. cap. 3. Monum. Tragurien.

Cœnobium Fratrum S. Franciſci ab urbe remotum transfertur in ſuburbium.

Patres Franciſcani cum incommoda ſibi videretur ſtatio illa ab urbe remota, quam ante annos fere quadraginta Lucius Deſa iiſdem aſſignaverat, ab Urbano IV. poſtularunt, ut ſibi liceret domicilium ſuum alio transferre, & propius ab urbe collocare. Annuit Pontifex, & litteris ad Columbanum datis VI. Id. Januarii anno 1264. juſſit eis de habitatione accommodari, quæ urbi propinquior eſſet, ut ipſimet civitati utiliores eſſe poſſent, & operam ſuam civibus, illuc divini verbi audiendi & ſacra myſteria percipiendi cauſſa accedentibus, promptam, expoſitamque præberent. Paruit Columbanus mandatis pontificiis, ac de conſenſu curatorum hæreditatis Lucianæ, cum priſtinum locum ab Deſa Lucio Franciſcanis traditum ac bona eiſdem relicta vendidiſſet, libellis Venetis octingentis & quinquaginta emit locum ſuburbanum, ubi templum & cœnobium extrueretur. Acta venditionis & litteræ Urbani ad Treguanum iiſdem inſertæ ex tabulario Capituli Tragurienſis hic ſubjicio.

Facultas per Urbanū Columbano Epiſcopo Tragur. facta vendendi facultates Fr. Minorum illis legatas a Luca Deſa.

In Dei nomine amen. Anno ejuſdem a nativitate milleſimo ducenteſimo ſexageſimo quarto, Indict. VII. die mercurii 3. exeunte menſe Octobris. Tempore D. Columbani Vener. Tragurien. Epiſcopi, incliti viri D. Rolandi Comitis, & totius Sclavonie Bani, & D. Valentini de Kaſariz, & Luce Petri judicum Tragurii. Premiſſo primitus & appoſito tenore litterarum Sanctiſſimi Patris Dom. Urbani Summi Pontificis ſuper hac venditione facienda ſecundum tenorem ipſarum litterarum a nobis Fratre Columbano Epiſcopo Tragurien. de rebus, & vineis, ac poſſeſſionibus infraſcriptis bonorum quondam Deſa luce, quarum litterarum tenor hic eſt.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Ven. Fra-

Fratri . . . Episcopo Tragurien. salutem & apostolicam benedictionem . Sua nobis dilecti filii Guardianus, & Fratres de ordine Minorum Tragurien. petitione monstraverunt, quod qu. Desa Luce civis Tragurien. terrena pro celestibus cupiens feliciter commutare, dictis Guardiano & fratribus, quos in necessariis magnum consideravit sustinere defectum, terras, possessiones, & omnia bona sua in ultima voluntate legavit, & quia Fratres ipsius ordinis de possessionibus se nullatenus intromittunt, nec eis licet possessiones habere, quatuor procuratores constituit, qui terras & possessiones hujusmodi procurarent, & redditus & proventus eorum in necessitates Guardiani & fratrum converterent eorundem, ita quod redditum, & proventuum predictorum residuum si quid esset, juxta consilium provincialis ministri, & aliorum fratrum ipsius ordinis de partibus illis fluderent aliis fratribus ejusdem ordinis alibi commorantibus impertiri. Quare pro parte dictorum Guardiani & fratrum humiliter petebatur a nobis, ut cum eis premissa terrarum, & possessionum, seu redditum & proventuum predictorum dispositio pro ipsius ordinis honestate non competat, & locus in quo hactenus morati sunt pro eo precipue habitationi non congruat eorundem, quia a civitate Tragurii nimium est remotus, providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque hujusmodi necessitati dictorum Guardiani & fratrum consulere cupientes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus sit ita, terras & possessiones predictas de consilio & assensu predictorum procuratorum per te, vel per alium auctoritate vestra vendere studeas, & de precio, quod ex eis provenerit, aliquem locum dictis Guardiano & fratribus aptum emes, sine juris prejudicio alieni, ac in ipso ecclesiam, domos, & officinas construi ad opus facias eorundem. Talem super his diligentiam habiturus, quod exinde digna laudibus apud nos tua sinceritas habeatur . Dat. apud Urbem veterem VI. Idus Januarii, Pontificatus nostri anno tertio.

Et viso, & considerato a nobis tenore dictarum litterarum, & viso etiam tenore testamenti dicti Dese de consensu & assensu procuratorum, seu comissariorum bonorum dicti Dese ad hec presentium, & etiam de consensu fratris Rainerii Guardiani dicti loci Tragurien. dicti ordinis Minorum ad hoc presentis, Nos frater Columbanus Episcopus dictus, auctoritate dicta a Sede Apostolica vobis data, vobis Valentino & Cebbri filii q. Petri Luce pro duabus partibus, & Luce Mathei Luce pro tertia parte ementibus pro vobis, vestrisque beredibus infrascriptas res, terras, vineas, & possessiones mobiles & immobiles bonorum qu. dicti Dese, cum omnibus earum omnium & singularum immobilium pertinentiis & juribus & actionibus & introitibus & exitibus ipsarum rerum immobilium, & cum omni jure & actione, usu, seu requisitione ex eis, vel pro eis Guardiano & fratribus dicti loci Tragurien. vel nobis pro eis competenti, & competituro nomine dictorum Guardiani & fratrum dictorum dicti loci, vendimus, largimur, damus, atque tradimus ad habendum, tenendum, utendum, possidendum, vendendum, vel alteri permutandum, dandum, vel concedendum, aut quidquid vobis, vestrisque liberis, & beredibus placuerit perpetuo faciendum. Sunt enim res & possessiones, terre & vinee iste.

In primis terra & vinea Vulcotta, que est quatuordecim Ureten. posita supra Sanctam Martam prope terram beredum D. Marie de Cegha. Item terra ad arcam, que est septem Ureten. & tertium prope terram D. Stane Munnii ab occidente; & terra de Crisize, que est viginti duo Ureten. & tertium prope terram Marini ab austro. Item terra septem Ureten. & tertii ad Crisize prope terram Ivi Valentini; & terra ad terminos que est sedecim Ureten. prope terram D. Helene Deveritticis, que est viginti Ureten. prope terram Comitis Marini . Item terra ad Sanctam Mariam de Spiliano, que est decem & octo Ureten. prope terram Georgii Ucegha; & terra posita ad murum, que est novem Ureten. prope viam publicam. Et terra ad Reciza, que est viginti Ureten. prope terram qu. D. Bersaccie. Item terra, que dicitur Stanize in tribus locis, que est decem Ureten. Et terra, que est trium Ureten. posita prope Sanctam Martam . Et terra ad Sabize; & terra ad Sanctum Georgium, que sunt sex Ureten. inter ambas . Et terra posita prope S. Stephanum de Campo, que est sex Ureten. Et quedam terra, que est prope S. Laurentium de Campo, que est duorum Ureten. & medii. Item terra ad Carban, que est septem Ureten. prope terram monasterii S. Johannis. Et terra ad S. Stephanum super S. Stephanum prope terram Bastiani, que est duo Ureten. Et terra de valli S. Danielis, que est undecim Ureten. prope terram S. Barbare. Et terra ad S. Mariam de Esverize prope terram Petri Gracie, que est duo Ureten. Et terra super Balenzane prope terram Sabbazoli, que est quatuor Ureten. Et terra ad Kertinum prope terram qu. Nusmari, que nunc est Nuvalentini, & est quinque Ureten. & tercii. Et alia terra ad Kertine prope terram Dabromiri Sechene, que est quatuor Urenen. Et terra ad Belanzana, que est quatuor Ureten. & medii prope terram Comitis Marini . Et alia terra ad Belanzane prope hortum Tuiluce, que est trium Ureten. & tercii. Item due pecie terre, una prope eccleſiam S. Danielis, & alia prope terram uxoris Roschi, que sunt inter ambas octo Ureten. & inter proindiviso de terra posita ad caput deumeis, & aliam medietatem habet D. Romanus. Item medietas proindiviso de terra, que est cum Comite Marino, posita ad Divulie, que medietas est sex Ureten. Et terra posita ad Turci, que est duo Ureten. prope terram D. Marislave Thome. Et medietas terre proindiviso posite ad Sckernipoli, que terra est cum Elia Cebbri de Kasarize, que medietas est trium Ureten. Item pastinus ad Reciza, quem tenet filius Stanosii prope vineam Nicole Kalende, que est viginti Ureten. Et alius pastinus, quem tenet Dragossius cum qualenne positus ad Reciza prope vineam dicti Nicole, & est quadraginta Ureten. Et alius pastinus, quem tenet Marintius, positus ad Lecchovin prope vineam Cerni Colocte, qui est viginti Ureten. Et alius pastinus, quem tenet Dragossius, positus subtus S. Mariam de Spiliano prope viam publicam & est sedecim Ureten. Item vinea ad Loquize prope vineam Elie Cebbri de Kasarize, & est novem Ureten. Item vinea de monticulo prope vineam Comitis Marini, & est viginti Ureten. Item domus in Tragurio prope domum uxoris Georgii de Cegha. Item locus, sive Paratinea in Tragurio prope domum Crome. Item ducento & octoginta pecudes . Que quidem omnia precio mille & sexcentarum librarum Venetorum parvulorum, quod precium totum confitentur, & protestantur esse a vobis emptoribus bene & integre solutum, & numeratum, & receptum, atque conversum in utilitatem dictorum

Guar-

Guardiani, & fratrum, & dicti loci, ſecundum tenorem dictarum litterarum D. Pape; & in his omnibus renunciamus omni exceptioni non numerate, & non ſoluti, & non habiti precii dicti ac non li . . . verſi in utilitatem predictam, omnibuſque aliis auxiliis, & juribus legum, & decretorum, & conditioni ex lege, & ſine cauſa, & in facto, & omnibus aliis quibuſcunque nobis pro ipſis Guardiano & fratribus dicti loci, & ipſis guardiano, & fratribus, & loco dicto competentibus & competituris. Quas res omnes & ſingulos nomine virorum emptorum conſtituimus nos precario poſſidere, donec poſſeſſionem earum intraveritis corporalem, in quam intrandi licentiam & poteſtatem vobis omnimodam noſtra auctoritate tribuimus, atque damus, & etiam damus, concedimus, atque cedimus vobis omne jus, omnemque actionem realem & perſonalem, utilem vel directam dictis Guardiano & fratribus, & loco dicto, & nobis pro eis in dictis omnibus, & ſingulis competentem, vel competituram, vos omnes procuratores in rem veſtram conſtituendo, ut poſſitis adverſus quemquam poſſidentem ex dictis rebus & poſſeſſionibus experiri, agere, petere, exigere, & omnia, & ſingula queque facere, que neceſſaria & expedire videbuntur. Quam quidem venditionem, & omnia, & ſingula ſupraſcripta promittimus per nos, noſtroſque ſucceſſores nomine dictorum Guardiani & fratrum & loci dicti perpetuo rata habere, & obſervare, nec venire contra aliqua ratione, vel occaſione, nec ipſorum occaſione litem aliquam, vel moleſtiam vobis movere, nec alteri pro vobis, vel facere de dictis omnibus rebus, neque de aliqua eorum vobis dictis emptoribus pro vobis veſtriſque liberis, & heredibus recipientibus, promittendo; & ſi quid plus dicto precio res dicte valent, vel valere poſſent, vobis inter vivos, & inrevocabiliter concedimus, & donamus, facta ſubaſtacione per civitatem per preconem Communis de dictis bonis & poſſeſſionibus dicti Deſe vendendis. Verumtamen actum eſt inter dictum Dom. Epiſcopum, & dictos emptores, & adjectum eſt huic venditioni de communi omnium emptorum voluntate coram me notario, & teſtibus, qui quidem Dom. Epiſcopus, aut aliquis pro dictis Guardiano & fratribus, ſive etiam ipſi Guardianus & fratres minime teneantur, nec debeant in aliquo ipſis emptoribus dictas res & poſſeſſiones, ab aliquo defendere, vel diſcamlumpniari; immo dicti emptores remiſerunt ipſi D. Epiſcopo omnem jus competens eis in dicta, & pro dicta evictione, ſeu defenſione. Actum Tragurii in domo dicti Epiſcopi preſentibus his teſtibus ad hec, videlicet D. Jacobo archidiacono, Dom. Gervaſio primicerio Tragurii, D. Jannicha Caſiocti, Dom. Dujmo de Cegha, Donato Saladini, Nicola Jacobi, & Bertanno Marini.

Ego Silveſter de Urſo examinator manum meam mitto.

Et ego Bonaventura Petri civis Ancon. auctoritate D. Pape notarius, & nunc notarius Communis Tragurii, his omnibus interfui, & rogatus a dicto D. Epiſcopo, & a dictis Guardiano, & procuratoribus ſcripſi & publicavi &c.

Fundamenta templi & cœnobii jacta ſunt anno 1265. ac primos lapides ſacris precationibus initiatos ipſemet Columbanus ſollemni ritu demiſit, ſuppoſuitque templo ædificando in honorem cultumque Deiparæ Virginis IV. Id. Auguſti, ut tabulæ Tragurienſes fidem faciunt.

D. Columbanus Ven. Epiſcopus Tragurienſis,

poſt Miſſarum ſolemnia, ab eo ſolemniter celebrata in burgo civitatis Tragurii, ad honorem Dei omnipotentis, & B. M. Virginis, cauſa ædificandi ibi in burgo eccleſiam & locum Fratribus Minoribus de Tragurio, ad quem locum dicti Fratres ſe transferre proponunt, in quodam loco burgi, ubi eſt eccleſia ædificanda, immiſit & immitti fecit primos lapides quatuor; rogante me notario Bonaventura, ut inde facerem publicum inſtrumentum.

Columbanus Patribus Dominicanis facelli eiſdē traditi poſſeſſionem dare jubetur a Clemente Papa IV.

Idem Columbanus, qui Patribus Franciſcanis impenſe favebat, non ita facilem ſe præbuit in admittendis Patribus Dominicanis. Nicolaus Albertinus civis Tragurienſis ſacram ædiculam, quam ipſe jure patronatus poſſidebat, & aviti ſoli quod circa illam erat, ad domicilium extruendum præpoſito cœnobii Dominicani Spalatenſis, ejuſque Fratribus donaverat; quam quidem donationem Urbanus IV. auctoritate apoſtolica confirmaverat. Cum autem iidem Patres traditi ſibi loci poſſeſſionem adire vellent, obſtabat Columbanus ob eam cauſſam fortaſſis, quod ſacellum illud S. Franciſci nomine conſecratum Fratribus Franciſcanis attribui cupiebat; idemque aliis traditum vel deſtinatum eſſe ajebat. Itaque cœnobiarcha & ejus fratres adverſus Epiſcopum implorarunt opem auctoritatemque Clementis IV. qui ſuis ad Columbanum litteris datis anno 1265. v. Id. Julii, eum admonuit, ut ne prohiberet, quominus Patres illi eccleſiam ſibi donatam obtinerent, & quiete poſſiderent, ibique domicilium ſibi conſtruerent; ſi obſtare pergat, poteſtatem ab ſe delegatam eſſe Epiſcopo & Archipresbytero Scardonenſi, ut pro imperio jubeant, & cogant eum ab omni moleſtia Fratribus Dominicanis exhibenda omnino abſtinere.

Epiſtola Clementis ad Columbanum.

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Ven. Fratri . . . Epiſcopo Tragurienſi ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Ex parte dilectorum filiorum . . . Prioris, & fratrum ordinis Prædicatorum Spalatenſium fuit propoſitum coram nobis, quod Nicolaus Albertini civis Tragurii quemdam fundum ſuum ſitum in civitate Tragurii, & jus patronatus, quod habebat in capella conſtituta in eodem fundo, quæ nulli fuerat in benefitium aſſignata, quæque nullos habebat reditus, eis contulit intuitu pietatis; & felicis quoque recordationis Urbanus Papa prædeceſſor noſter eidem Priori & fratribus capellam ipſam pro habitatione ipſorum, & quod juxta eam in eodem fundo poſſint conſtruere domos, & officinas ſuis uſibus opportunas, de gratia ſpeciali conceſſit. Verum cum dicti Prior & fratres vellent juxta conceſſionem hujuſmodi prædeceſſoris ipſius domos & officinas conſtruere in eis, ſuper hoc te opponens non permittis ipſos dictam capellam pacifice poſſidere proponens, quod poſtquam dictus civis hujuſmodi juspatronatus ipſius capellæ Priori & fratribus donavit, iſdem quibuſdam aliis capellam donaverat ſupradictam. Quare præfati Prior, & fratres nobis humiliter ſupplicarunt, ut, cum hujuſmodi donatio facta per ſe de dicta capella memoratis Priori ac fratribus, patronis ipſius inrequiſitis, nullum robur obtineat firmitatis, providere ſibi ſuper hoc paterna ſollicitudine curaremus. Quocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus, ſi eſt ita, prædictos Priorem & fratres permittas dictam capellam pacifice poſſidere, ac prope illam, juxta dictam conceſſionem prædeceſſoris ejuſdem, conſtruere domos & officinas

nas ſuis uſibus opportunas . Alioquin Ven. Fratri noſtro . . . Epiſcopo, & dilecto filio Archipresbytero Scardonenſi damus noſtris litteris in mandatis, ut a moleſtatione prædictorum Prioris & fratrum ſuper iis omnino te ceſſare, monitione præmiſſa, auctoritate noſtra, appellatione remota, prævia ratione compellant ; non obſtante ſi tibi a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſis per litteras apoſtolicas, quæ de indulto hujuſmodi plenam, & expreſſam non fecerint mentionem. Dat. Peruſii 5. Idus Julii, Pontificatus noſtri anno primo, ideſt 1265.

Ceterum cœnobii Dominicani Tragurienſis conditi nulla extat memoria ante initium ſæculi proximi, cum Patres illi, ut aream templo ædificando laxarent, ſoli quod contiguum erat cœmeterio emerunt ; id docet Lucius ex tabulis domeſticis 1304. *die 16. Julii . D.D. Matheus Greg. & Deſſa fratres filii q. D. Lucii, & D. D. Trana, & Stana eorum ſorores, filiæ olim ipſius D. Lucii vendiderunt, & tradiderunt jure proprio in perpetuum pro ſe &c. Fratri Michaeli de Duratio ordinis Predicator. priori, ſimul cum omnibus in conventu Trag. nomine ipſius conventus, & pro ſe &c. ementibus totam parazineam eorum, in qua ſunt tres Kamarde, poſitam in burgo Trag. juxta paratineam Deſſe, juxta cimiterium ipſorum fratrum, juxta viam publicam, juxta domum ſive palatium olim D.m. Innocentii.*

Columbanus a Clemente IV. eccleſiam ſuam ampliſſimo diplomate muniendam curavit.

Illud vero in primis ſibi curandum cenſuit Columbanus, ut eccleſiam ſuam contra quoslibet, & quorumcumque conatus, præſidio & auctoritate Sedis Apoſtolicæ communiret. Itaque a Clemente IV. qui tum Viterbii commorabatur, ampliſſimum diploma impetravit, quo privilegiis & juriſdictioni eccleſiæ & Epiſcopi Tragurienſis cavetur, graviſſima pœnarum ac dirarum obnuntiatione interpoſita. Pontifex igitur Eccleſiam Tragurienſem in fidem & clientelam Sedis Apoſtolicæ recipit ; hujus poteſtati ſubeſſe jubet nominatim oppidum Sibenici cum ejus æde primaria S. Jacobi, itemque S. Michaelis, & cœnobio S. Nicolai in litore : jus percipiendi decimas tum ex oppido illo, tum ex illius territorio, & ex his villis, quas numerando percenſet, videlicet *Drid, Guſterna, Dubroviza &c.* & *Oſtroch*, & *S. Petri* ad Epiſcopum Tragurienſem pertinere declarat : in his locis nulli fas eſſe juriſdictionem uſurpare, præterquam legatis Sedis Apoſtolicæ, aut Metropolitæ Spalatenſi, quoad huic per Canones licet.

Clementis epiſtola ad Columbanum.

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ven. Fratri Epiſcopo Tragurien. ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum. In eminenti Apoſtolicæ Sedis ſpecula, licet immeriti, diſponente Domino, conſtituti, fratres noſtros Epiſcopos, tam propinquos, quam longe poſitos, fraterna debemus charitate diligere, & eccleſiis ſibi a Deo commiſſis paſtorali ſollicitudine providere. Quocirca Ven. in Chriſto Frater Epiſcope, juſtis poſtulationibus tuis clementer annuentes, & eccleſiam S. Laurentii Tragurien. cui, auctore Deo, præeſſe dinoſceris, ſub Beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus, ſtatuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona eadem eccleſia in præſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum, in quo præfata eccleſia ſita eſt cum omnibus pertinentiis ſuis, monaſterium S. Nicolai, S. Michaelis, ac S. Jacobi eccleſias in caſtro de Sibenico cum omnibus pertinentiis eorundem, decimas, & quidquid juris habet ibidem Eccleſia Tragurienſis, eccleſias cum decimis, parochiis, & pertinentiis ſuis ſitas in locis, quæ Drid, Guſterna, & Dubrovaz vulgariter nuncupantur, ac juriſdictionem temporalem, quam eccleſia præfata in locis præfatis noſcitur obtinere. Eccleſias cum pertinentiis ſuis, terras, poſſeſſiones, & decimas in villis de Neveſte, Radoſich, Gradaz, Oſtroc, Spellan, & Sancti Petri vulgariter appellatis, decimas, & quidquid juris Eccleſia Tragurienſis obtinet in Comitatu Zagorjæ cum terris, pratis, vineis, nemoribus, uſvagiis, & paſcuis, in boſco, & plano, in aquis, & molendinis, in viis, & ſemitis, & omnibus aliis libertatibus, & immunitatibus ſuis. Ad hæc cimiteria eccleſiarum, & eccleſiaſtica beneficia nullus hæreditario jure poſſideat, quod ſi quis facere præſumpſerit, cenſura canonica compeſcatur. Præterea quod communi aſſenſu Capituli tui, vel partis conſilii ſanioris in tua diœceſi per te, vel ſucceſſores tuos fuerit canonice inſtitutum, ratum, & firmum volumus permanere. Prohibemus inſuper ne excommunicatos, vel interdictos tuos ad officium, vel communionem eccleſiaſticam ſine conſcientia & aſſenſu tuo quiſquam admittat, aut contra ſententiam tuam canonice promulgatam aliquis venire præſumat, niſi forte periculum mortis immineat, aut dum preſentiam tuam habere nequiverit, per alium ſecundum formam eccleſiæ, ſatisfactione præmiſſa, oporteat ligatum abſolvi. Sacrorum quoque Canonum auctoritatem ſequentes, ſtatuimus, ut nullus Epiſcopus, vel Archiepiſcopus abſque tuo aſſenſu conventus celebrare, cauſas etiam, & eccleſiaſtica negotia in Tragurienſi diœceſi, niſi per Romanum Pontificem, vel ejus legatum fuerit eidem injunctum, tractare præſumat, niſi forſan Metropolitanus ejus aliquod præmiſſorum fecerit in caſibus ſibi a jure conceſſis. In eccleſiis quoque Tragurien. diœceſis, quæ ad alios pleno jure non pertinent, nullus clericum inſtituere, vel deſtituere, aut Sacerdotem præficere ſine conſenſu diœceſani præſumat. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam eccleſiam tenere, perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia integre conſerventur eorum, pro quorum gubernatione, ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate, & in prædictis decimis moderatione Concilii generalis. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundo, tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honoriſque ſui careat dignitate, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei, & Dom. Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ſubjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen amen amen. L. S.

Ego

Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Odo Tuſculanus Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Stephanus Prene. Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Fr. Jo. Port. & S. Ruſinæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Henricus Oſtienſis & Velletrenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Ancherus tituli S. Praxedis Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Guillemus tituli S. Marci Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Ricardus S. Angeli diacon. Cardin. ſubſcripſi.

Ego Jacobus S. Mariæ in Coſmedin diac. Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Gottifredus S. Georgii ad velum aureum diac. Card. ſubſcripſi.

Ego Ubertus S. Euſtachii diac. Card. ſubſcripſi.

Datum Viterbii per manum magiſtri Michaelis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarii Idibus Junii, Indictione IX. Incarnationis Dominicæ anno MCCLXVI. Pontificatus Domini Clementis IIII. anno ſecundo.

Anno ſequenti Tragurienſes pro remiſſione decimarum terris, quæ erant *in puncta S. Vitalis*, donarunt Columbanum Epiſcopum & Capitulum Tragurienſe, ut ſupra diximus, & ex tabulis, quas hic ſubjicio, videre eſt.

Donatio terrarum in punctа S. Vitalis pro remiſſione decimarum, facta Epiſcopo, & Capitulo a Tragurienſibus.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti amen. Anno a nativitate ejuſdem milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Ind. X. Tragurii die lune X. intrante Octobris. Regnante Domino noſtro Bela Sereniſſimo rege Ungarie. Temporibus Dom. Columbani Ven. Epiſcopi, D. Rolandi egregii Comitis, Dominorum Valentini Kaſarizze, Deſe Amblaſii, & Luce Petri Judicum. Cum procuratores, ſeu ſindici, vel actores Tragurien. Capituli, & Communitatis Tragurii forent coram Vener. Patre D. Columbano Dei & apoſtolica gratia Tragurien. Epiſcopo apud Jadram conſtituti, cujus procurationis, ſeu ſindicarie ipſius Capituli tenor per omnia dignoſcitur eſſe talis.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti amen. Anno nativitatis ejuſdem milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Indict. X. Tragurii die Mercurii V. intrante Octobris. Regnante Dom. noſtro Bela Sereniſs. rege Ungarie, temporibus Domini Columbani Ven. Tragurien. Epiſcopi, Dom. Rolandi egregii Comitis, Dominor. Valentini Kaſarizze, Deſe Amblaſii, & Luce Petri Judicum. Dom. Jacobus Archidiaconus, Gervaſius primicerius, & univerſum Capitulum Tragurien. Eccleſie conſtituerunt & ordinaverunt Dompnos Kaſioctum Zaniche, & Bodinum Concanonicos ſuos preſentes ſuos procuratores, ſindicos, & nuncios ſpeciales ad tractandum & ordinandum una cum Dom. Epiſcopo ſupradicto, vel per ſe diviſim, & ſeparatim pacem & concordium in civitate Jadre coram Dom. Archiepiſcopo Jadren. vel alio quocumque cum ſindicis & procuratoribus civium, judicum, conſiliariorum, & Communis, ſeu Communitatis civitatis Tragurii ſuper facto, ſeu queſtione decimarum, ortorum, molendinorum, & vini, quod adverſus dictos cives, judices, conſiliarios, & Commune Tragurii, dicti Epiſcopus, archidiaconus, primicerius, & Capitulum Tragurien. ſimul promoverunt. Dantes ipſi archidiaconus, primicerius, & Capitulum jam dictum prenominatis ſindicis ſuis & procuratoribus generale mandatum, plenam licentiam, & omnimodam poteſtatem concordandi, quietandi, paciſcendi, compromittendi, tranſactionem & permutationem faciendi, liti, & queſtioni predicte cedendi, renunciandi, refutandi, donationem faciendi, litteram, vel litteras per ſe, vel cum dicto Epiſcopo ſimul concordii, quietationis, pacis, compromiſſionis, tranſactionis, permutationis, ceſſionis, renunciationis, refutationis, donationis faciendi, & ſuſcipiendi, & generaliter omnia & ſingula faciendi, & concordandi, que ad pacem & concordium faciendum & percomplendum fuerint modo aliquo opportuna, & que circa ea ipſi iidem archidiaconus, primicerius, & Capitulum, ſi omnes perſonaliter preſentes eſſent, facere poſſent, & deberent aliquo jure, vel aliqua ratione, ratum & firmum perpetuo habere, atque tenere promittentes quidquid in predictis, & quolibet predictorum per prenominatos ſindicos ſuos & procuratores factum fuerit, vel aliquatenus procuratum, & in nullo contrafacere, vel venire, neque obicem ſuis attemptare de jure, vel de facto cum bonorum omnium dicti Capituli mobilium & immobilium, habitorum, & habendorum obligatione. Actum in eccleſia B. Laurentii, preſentibus Jacobo Totille, Nicolao Kaſocti teſtibus, & aliis. Et ego Bertanne Marini examinator manum meam miſi.

Ego Magiſter Franciſcus Anconitanus Imp. auct. Not. & nunc autenticus civitatis Tragurii his omnibus interfui, & a predictis archid. primic. & Capitulo rogatus eorum voluntate ſcripſi & roboravi.

Forma autem ſindicarie Communis Tragurii talis eſſe dignoſcitur.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti amen. Anno a nativitate ejuſdem milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Indict. X. Tragurii, die Martis 4. exeunte Septembris. Regnante Domino noſtro Bela Sereniſs. rege Ungarie, temporibus D. Columbani Ven. Tragurien. Epiſcopi, Dom. Rolandi egregii Comitis, Dom. Valentini Kaſarizze, Deſe Amblaſii, & Luce Petri judicum. Judices ſupradicti Deſa Amblaſii, & Lucas Petri in Conſilio civitatis apud eccleſiam S. Marie more ſolito congregato de omnium Conſiliariorum ſuorum conſenſu & voluntate, vice, & nomine civium, & ſuimet judicum, & Conſiliariorum, atque totius Communitatis & univerſitatis civitatis Tragurii, & per eis conſtituerunt, & ordinaverunt nobiles viros Dom. Zanicham Caſocti, Comitem Marinum Amblaſii, Valentinum Kaſarizze conſocium ſuum, & Doymum de Cega preſentes, ſuos, & dicte Communitatis, & univerſitatis, ac civium ſindicos, procuratores, actores, & nuncios ſpeciales in cauſa & cauſis, quam & quas habeant, & habere ſperant coram D. Archiepiſcopo Jadren. Epiſcopo Tininien. & Abbate S. Michaelis de monte Jadren. dieceſis, omnibus tribus, vel aliquibus eorum D. Pape judicibus delegatis cum Dom. Epiſcopo Tragurien. predicto & Capitulo Eccleſie Tragur. ſuper cauſa, ſeu queſtione decimarum, quam adverſus concives, ſeu judices, & conſiliarios, & Commune Tragurien. ipſi Epiſcopus & Capitulum moverunt. Nec non & ſuper ſententia contra ipſos concives, judices, conſiliarios, & Commune Tragurien. omnes vel ſingulos pro dictis Epiſcopo & Capitulo a D. Thoma Spalaten. archid. data. Dantes prenominatis ſindicis & procuratoribus ſuis nomine & vice civium, judicum, conſiliariorum, & Communis civitatis predicte, & cuilibet eorum, omnibus communiter & cuilibet eorum in ſolidum, ita quod occupan-

tis negotium non ſit melior conditio; plenam virtutem & omnimodam poteſtatem agendi, conveniendi, reconveniendi, proponendi, reſpondendi, excipiendi, opponendi, contradicendi, allegandi, advocatum, vel advocatos tollendi, defendendi, litem conteſtandi, ſententiam, vel ſententias interloquutorias, & diffinitivam audiendi, & appellandi, appellationem proſequendi, terminum, vel terminos petendi, & ſuſcipiendi, ſuper eorum animabus de calumpniis jurandi & ſubeundi alias cujuſcumque alterius generis, juramentum quandocumque & quotieſcumque fuerit opportunum, tranſigendi, compromittendi, concordandi, componendi, paciſcendi, de rebus & bonis Communis vendendi, donandi, obligandi, permutandi, diſtrictam tenutam, & poſſeſſionem petendi, & intrandi, atque dandi litteram, vel litteras compromiſſionis, concordii, compoſitionis, pacificationis, venditionis, donationis, obligationis, & permutationis faciendi, & ſuſcipiendi, & generaliter omnia, & ſingula, tam in judicio, quam extra faciendi, & exercendi, que quilibet verus & legiptimus ſindicus, & procurator, unus, vel plures facere poſſunt in generali, & ſpeciali, & que ipſi iidem cives, judices, conſiliarii, & Commune, ſi omnes perſonaliter preſentes eſſent, facere poſſent & deberent aliquo jure, vel aliqua ratione; ratum & firmum perpetuo habere & tenere promittentes quidquid per dictos ſindicos & procuratores omnes, vel pro majori parte eorum ſeu per aliquam eorum factum fuerit, vel aliquatenus procuratum, & in nullo aliquando contrafacere vel venire, cum bonorum omnium ſepedicte Communitatis Tragurii mobilium & immobilium obligatione. Actum in eccleſia S. Marie in conſilio congregato, preſentibus Martino Kaſarizze, Jacobo Totille, Lucha Mathei teſtibus, & aliis. Ego Deſa Doymi examinator manum meam miſi.

Ego Magiſter Franciſcus Anconitanus Imp. auct. not. & nunc autenticus civitatis Tragurii his omnibus rogatus interfui & mandato judicum predictorum & conſiliariorum omnium civitatis Tragurii ſcripſi & roboravi.

Predictus D. Epiſcopus Columbanus pronunciavit in ſcriptis, ſic dicens.

Nos Fr. Columbanus Dei & apoſtolica gratia Tragurien. Epiſcopus una cum noſtris archidiacono, primicerio, & Tragurien. Capitulo univerſo jura eccleſie noſtre prout cura paſtoralis exigit & requirit, a quibuſcumque perſonis cum Deo & juſtitia requirentes decimas de vino, ſicut ſolvunt & exhibent Epiſcopis ſuis alie civitates Dalmatie adjacentes, & ortorum fructibus atque molendinis a parochianis noſtris omnibus cupimus cum diligentia & juſtitia poſtulare. Quas ipſi denegaverunt dicentes, quod nullo unquam tempore decimas hujuſmodi exhibuerant, vel a ſuis majoribus audierant, quod Epiſcopis, & Capitulo Tragurienſibus, qui fuerint pro tempore, tales decime in civitate Tragurii fuerint perſolute, & a tempore cujus non extat memoria inter Epiſcopos & Capitulum atque cives Tragurii pacifice & quiete ſic extitit obſervatum. Nobis autem credentibus, quod in hujuſmodi negotio erga nos minus inhumaniter ſe haberent, ad Sedem Apoſtolicam acceſſimus, ad virum Ven. Archidiaconum Spalaten. ſuper hujuſmodi queſtione litteras apoſtolicas obtinentes, qui cum ſuper hoc contra cives aliquos & Commune quandam ſententiam protuliſſet, judices, & conſiliarii, totuque Communitas civitatis ejuſdem ſentientes indebite ſe gravari, ſuo, ſuique Communis nomine Sedem Apoſtolicam appellarunt, & ſuper appellatione ſua ad Ven. Patrem Archiepiſcopum Jadren. & ejus collegas litteras appellationis impetrarunt. Cumque ſuper eadem queſtione coram judicibus antedictis longo tempore hinc & inde forent objecta & allegata varia & diverſa, nec poſſet eadem queſtio fine laudabili terminari, placuit tandem Altiſſimo Creatori, quod prefati judices & conſiliarii ſuo, ſuique Communis nomine ſuper hujuſmodi queſtione amicabiliter & voluntarie tanquam obedientie filii ſe in noſtris manibus commiſerint. Renunciantes ſuper hoc litteris omnibus impetratis & impetrandis. Nos autem Epiſcopus & Capitulum videntes tante humanitatis inditia in eiſdem veritatem . . . . meram & exquiſitam, iterato ſuper hoc adhibita omni diligentia, & cautela, propter periculum animarum cepimus inquirere diligenter teſtes parochie noſtre antiquos tam clericos, quam laicos omni exceptione majores, aliaſque perſonas multas laudabiles & honeſtas ad noſtram preſentiam convocatas, & eos jurisjurandi religione, ſicut fieri ſolet, acriter aſtringentes, ſub debito preſtiti juramenti queſivimus ab eiſdem, quid ſcirent, vel crederent, ſeu audiſſent, aut percepiſſent a ſuis majoribus de hujuſmodi queſtione, qui jurati ſub animarum ſuarum periculo ſic dixerunt, quod nunquam viderunt, vel ſciverunt, aut a ſuis majoribus audiverunt, quod in civitate Tragurii, vel ejus diſtrictu, Epiſcopis & Capitulo Tragurien. qui fuerunt pro tempore, decime de fructibus antedictis ullo unquam tempore fuerint perſolute & ſic ſemper ibidem extitit obſervatum. Quare nos ſepedicti Epiſcopus & Capitulum viſis, & auditis, & cum diligentia inquiſitis rationibus & atteſtationibus noſtrorum civium predictorum, deliberatione inter nos habita diligenti, communicatoque multorum tam religioſorum, quam aliorum conſilio ſapientum, prefatis judicibus & conſiliariis ſuo, ſuorumque civium omnium, & Communis nomine, ac civibus univerſis de Tragurio & ejus diſtrictu, ac eorum heredibus & ſucceſſoribus, exceptis decimis de Sebenico ad nos Epiſcopum tantum ſpectantibus aliiſque etiam villis ſeu terris ad civitatem Tragurii non ſpectantibus, prefatas decimas cum noſtris ſucceſſoribus univerſis, cum nullum jus habeamus, penitus in eiſdem remittimus & in perpetuum refutamus, & quietamus, & eorum heredes & ſucceſſores ab impetitione prefatarum decimarum & aliarum rerum omnium, exceptis decimis illarum rerum, que in civitate Tragurii exhibentur, ſcilicet de blavis, leguminibus, & agnis, in perpetuum per diſinitivam ſententiam abſolventes. Ipſi autem judices & conſiliarii, totaque Tragurien. Communitas tenuitatem & ſummam pauperiem Tragurien. Eccleſiæ miſerationis oculo intuentes, & ob ſuorum remedia peccatorum, gratis, & amicabiliter terram S. Vitalis Tragurien. dieceſis ſic poſitam, videlicet incipiendo ab aqua, que dicitur Reſnics, ſicut vadit via publica verſus Tragurium, uſque ad Rivum, qui dicitur ſalſus & ſicut vadit ſecus cum ripa uſque ad mare juxta predictam eccleſiam S. Vitalis, quantum videlicet infra ipſos dictos confines ſpectat & pertinet ad jus & proprietatem Communitatis predicte civitatis Tragurii, cum omni jure ſuo, atque pertinentiis nobis Epiſcopo tantum, noſtriſque ſucceſſoribus univerſis, atque Tragurien. Capitulo in perpetuam helemoſinam donationis titulo libere contulerunt. Promittentes enim diſcalumpniare,

re ; atque defenſare a quacumque perſona ſuis cunctis laboribus, & expenſis, nobis ſuper eadem terra moleſtiam aliquam inferente, niſi ab Illuſtr. Dom. Rege Ungarie per violentum dominium violentia fuerit irrogata ; ut eandem terram paſtinare poſſimus , ac dare aliis ad paſtinandum & de ipſa quicquid nobis placuerit faciendum, civitatis Tragurii ſtatuto quolibet contrario non obſtante ; & hec predicta omnia & ſingula nobis obſervare & attendere promiſerunt ſacramento corporali adjurantes . De qua quidem terra , ſeu ipſius fructibus nos Epiſcopus cum noſtris ſucceſſoribus univerſis habere debemus tres partes, & quartam vero partem tantum & non amplius percipere debetur Capitulum memoratum , ſicut inter nos extitit ordinatum. Quam vero ſententiam juſte & canonice promulgatam , prefati ſindici , & procuratores omnes ibidem preſentes & conſentientes pro ſe , ſuoque Capitulo , & vice , ac nomine totius civitatis Tragurii preſentes & conſentientes acceptaverunt , rectificaverunt , & ratam in omnibus , & per omnia habuerunt. In cujus etiam ſententie perpetuam firmitatem , nos predictus Columbanus Tragurien. Epiſcopus preſentem ſententiam ſigillis noſtro noſtrique Capituli jam dicti , atque civitatis Tragurii , nec non & Dom. Archiepiſcopi Jadren. Abbatis S. Criſogoni , Cuſtodibus Fratrum Minorum , & conventus Fratrum Predicatorum de Jadra fieri fecimus communiri. Actum Jadre in palatio D. Archiepiſcopi Jadren. preſentibus ipſo Dom. Archiepiſcopo , D. Abbate Nicolao S. Criſogoni de Jadra , Fratre Johanne cuſtode Fratrum Minorum , Fr. Rombaldo ejuſdem ſocio , Fr. Andrea ſuperiore Fratrum Predicatorum de Jadra , Fratre Vincentio ejus ſocio , Proſto Cotoparico , Gregorio Comitis Elie , Vulcina Puçinane , Sabbo Miſmaro , Vita Sine de Viergna , Petrogna Pape , Mauro Marini Calcine , Yvanne Slovine , Joſepho Stephani Maurecle , Andrea Marini Grubogne civibus nobilibus Jadre teſtibus , & aliis.

Ego magiſter Franciſcus Anconitanus imperiali auct. not. & nunc autenticus civitatis Tragurii his omnibus interfui , quoniam ſuper hoc de voluntate & mandato predictorum Dom. Epiſcopi , Capituli , Judicum , atque Communitatis civitatis Tragurii proprie & principaliter Jadram acceſſeram , & ab eiſdem rogatus , eorum omnium mandato & voluntate cuilibet predictorum , videlicet Communitati Tragurii , & Capitulo ſimile faciens inſtrumentum , ſcripſi , & roboravi.

Ad clerum Sibenicenſem reformandum rogatu Columbani Joannes metropolita Spalatenſis acceſſit.

Præter multiplices lites & contentiones, quæ annis præteritis inter Epiſcopum & clerum Sibenicenſem identidem oriebantur, jamdudum Sibenicenſes Epiſcopi ſui luſtratione, præſentia, & inſpectione caruerant ; eamque ob cauſſam plurimæ corruptelæ , ac turpiſſimæ labes tum monachalem , tum præſertim eccleſiaſticum ordinem deformaverant . Tranquillatis utrumque rebus Sibenicenſibus, ut ſupra diximus, Columbanus epiſcopalem illius oppidi luſtrationem diutius differendam non eſſe cenſuit ; ſed verebatur ne ſopita diſſidia rurſus excitarentur, ſi quæ poſtulabat gravitas flagitiorum , acriora remedia ad ſanandos & corrigendos depravatos Presbyterorum & clericorum mores adhiberet. Itaque anno 1267. Joannem Archiepiſcopum Spalatenſem rogavit , ut pro ſuo jure metropolitico illius oppidi luſtrandi corrigendique curam ſuſciperet : ita enim fore exiſtimabat , ut ſi quid aſperius decernendum eſſet , ejus invidiam ab ſe rejiceret ; & ſi quæ acerbiores pœnæ infligendæ pro gravitate delictorum eſſent , ad eas ſubeundas Metropolitæ auctoritas reos compelleret . Ipſe vero cum duobus Epiſcopis Pharienſi & Scardonenſi comitem ſe ac ſocium Joanni adjunxit . Res e ſententia geſta eſt. Archipresbyter, aliique in ordinibus ſacris conſtituti , cum rei comperti fuiſſent ſacrilegæ incontinentiæ , quibus digni erant pœnis affecti , ac cenſuris inuſti ſunt. Juſtam quoque meritamque animadverſionem ſubierunt duo cœnobiarchæ , alter S. Nicolai in litore portuque Sibenicenſi , alter S. Mariæ in inſula Surio . Cetera quæ ad hanc luſtrationem metropoliticam pertinent, habes in Joanne V. Metropolita Spalatenſi , itemque in hiſtoria Eccleſiæ Sibenicenſis. Inſuper anno ſequenti 1268. ut magis atque magis Sibenicenſes in officio contineret, impetravit a Clemente IV. confirmationem compoſitionis, quam inter ipſum Epiſcopum & Sibenicenſes faciendam curaverat Archidiaconus Spalatenſis . Epiſtola Clementis ad Columbanum, quam ex tabulario Capituli Tragurienſis deprompſi , eſt hujuſmodi.

Confirmatio compoſitionis factæ per Archiep. Spalaten. inter Ep. Tragurien. & clerum Sibenicen.

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Vener. Fratri . . . Epiſcopo Tragurien. ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ea que judicio, vel concordia terminantur , firma debent & illibata perſiſtere , & ne in recidive contentionis ſcrupulum relabantur , apoſtolico convenit preſidio communiri . Sane petitio tua nobis exhibita continebat , quod cum olim inter te ex parte una , & . . . . Archipresbyterum & clericos eccleſiarum de Sibinico tue dioceſ. ſuper eo quod ipſi tibi canonicam obedientiam & reverentiam debitam preſtare , ac de aliis juribus epiſcopalibus reſpondere contra juſtitiam denegabant , ex altera queſtio verteretur , demum mediantibus . . . Archidiacono & Capitulo Spalaten. amicabilis ſuper his compoſitio inter partes intervenit , quam apoſtolico petiſti munimine roborari . Nos itaque tuis ſupplicationibus inclinati , compoſitionem ipſam ſicut rite ſine pravitate provide facta eſt , & ab utraque parte ſponte recepta & hactenus pacifice obſervata , & in alicujus prejudicium non redundat , ratam & gratam habentes , eam auctoritate apoſtolica confirmamus & preſentis ſcripti patrocinio communimus . Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis infringere , vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit , indignationem Omnipotentis , & Beatorum Petri , & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. Viterbii VI. Kal. Martii , Pont. noſtri anno 4.

Diſſidia Sibenicenſia recrudeſcunt.

Sed quamvis optimus antiſtes ſummam cautionem adhiberet , ne quid ſtatueret ageretve , unde Sibenicenſes vetera diſſidia ſuſcitandi occaſionem arriperent , omnia tamen cavere , omnemque offenſionem effugere non potuit. Mors Archipresbyteri , præter Columbani opinionem & voluntatem , novarum diſſenſionum ac turbarum cauſſam attulit . Clerus populuſque Sibenicenſis in locum demortui Stantium ſubrogarunt anno 1273. deductumque Tragurium coram Columbano ſtatuerunt rogantes , ut collatum illi Sacerdotium approbaret . Sed Michael diaconus Sibenicenſis , qui eamdem eccleſiaſticam præfecturam petebat , Stantium ſibi prælatum iniquo animo ferens , ejuſdem electionem calumniari cœpit , perinde quaſi vitio aliquo canonico laboraret. Quod cum ad Columbanum antea delatum fuiſſet , hujuſmodi approbatione tamdiu ſuperſedendum cenſuit , dum Michael , qui tum aberat , in judicium vocatus , riteque

interrogatus cauſſas exponeret, cur electio Stantii habenda non eſſet legitima. Tum Sibenicenſes dilationem approbationis ſecus, quam oportuerat, interpretati, gravem & non ferendam injuriam factam ſibi eſſe exiſtimarunt; quaſi vero aut largitione corrupti, aut ſtudio partium abrepti, in hominem eo loco & munere indignum ſua ſuffragia contuliſſent. Itaque exulceratis animis Tragurio diſcedunt, reverſique Sibenicum, de communi ſententia Joannem Metropolitam appellarunt; qui non ſua ſponte & voluntate, ſed alieno impulſu & coactu, non ſolum appellationem recepit, ſed etiam quem elegerant, Archipresbyterum confirmavit. Exinde Epiſcopi Tragurienſis imperium abnuere, nullum debitæ adverſus illum fidei, atque obedientiæ officium præſtare, non ſacrum chriſma ab illo petere, non ejus mandatis obtemperare, non decumas dare; quin immo clericum, quem ad decimas exigendas miſerat, verberibus cæſum repulerunt. Stantius vero Archipresbyter electus, & primores cleri duces ac principes hujus ſchiſmaticæ coitionis ſe præbebant; & quamvis iterum ac ſæpius admoniti, ut contumacia depoſita ad fidem & obſequium redirent, admonitiones omnes contempſerant. Ergo Columbanus poſtquam omnia tentaſſet, ut Sibenicenſes ad officium revocaret, & rebelles animos ſua patientia ac lenitate ſibi reconciliaret; demum tantam pervicaciam diutius ferendam non eſſe cenſuit. Spalatum miſit Gervaſium Archidiaconum, qui coram Metropolita injurias ſibi & eccleſiæ ſuæ illatas exponeret, atque in æde metropolitana, ipſius Epiſcopi nomine & auctoritate, nominatim Archipresbyterum & quoſdam e clero nefariæ illius conſpirationis fautores, itemque judices & magiſtratus illius oppidi ſollemni anathemate feriret. Gervaſius neque ad Metropolitam admiſſus, & ab æde metropolitana repulſus Salonam ſe contulit; & coram Yula Epiſcopo Tinnienſi, eodemque Bano maritimo, atque aliis teſtibus, quæ ſibi a Columbano mandata fuerunt, conceptis verbis edidit ac pronunciavit.

Gervaſius Archidiaconus Trag. Sibenicenſes Ep. ſui nomine anathemate percuſſit.

1274. *die Sabbati exeunte Julii XI. Actum in Salona coram vobis Venerabili Patre D. Y. Dei gratia Epiſc. Tinien. & Bane marittime. Ego Gervaſius Archidiaconus Tragurienſis procurator, & nuntius Venerabilis Patris Dom. Columbani divina miſeratione Epiſcopi Tragurienſis, ſicut apparet per publicum inſtrumentum, notum facio, quod cum Sibenicenſes ſupradicto D. Epiſcopo Tragurienſi, a tempore cujus non extat memoria, ſint, & fuerunt lege dioceſana ſubjecti, & ejus legitimis monitis inobedientes exiſtant, & ſanctum Criſma ab ipſo, ut tenentur petere, & recipere, contra ſacrorum Canonum inſtituta hoc anno renuerint, & alia jura epiſcopalia ſibi debita poſt multiplicem amonitionem perſolvere contempſerunt; quodque deterius eſt, cum miſiſſet clericum ſuum ad predicta jura exigenda, verberaverunt, & rebus propriis expoliaverunt eumdem; per hec omnia ſupradicta S. Archipresbyterum, Vulconem, Diniacum, Caſarinum, Radovanum Sacerdotes, Michaelem diaconum, & Ditum ſubdiaconum Sibenicenſem, exigente eorum contumacia, in ſcriptis auctoritate & nomine ſupradicti Dom. Epiſcopi Tragurienſis excommunico, & vobis eoſdem excommunicatos denuncio. Verum quia judices Sibenicenſes, videlicet Dobrogna Juanci filio Martini, Stefano Braſlovaniz, & conſiliarii Ser Dragovanus Bariz, Frater Vulcepta, Elias Radovani, Georgius Dragozay, Fellone Nicolai, & alii conſiliarii eorumdem Communitatis predicte ſupradicto Domino Epiſcopo Tragurienſi decimas debitas dare denegant: idcirco ego procurator auctoritate & nomine ſupradicti Epiſcopi Tragurienſis, in ſcriptis excommunico, & vobis eoſdem denuncio excommunicatos. Predicta omnia dicta, & facta fuere coram fratre Martino, fratre Joanne de ordine Predicatorum, fratre Zubriano, & fratre Joanne de ordine Minorum, Luca Sacerdote, & Canon. Spalaten. Joanne filio C. Jacobi de Breberio, Scliſſa filio Jupani Maladeni de . . . . . Privoslau Dobrolli de Spalato, Deſſa Amblaſii, Simone Comitis Marini teſtibus, & Duimo Domiche examinatore.*

Deinde Gervaſius adiit Saracenum Epiſcopum Corbavienſem; & poſtquam eo præſente atque audiente tum in Archipresbyterum & Presbyteros atque diaconos ſupra nominatos, tum in judices & conſiliarios oppidi Sibenicenſis, anathema iiſdem paullo ante inflictum renovavit; itemque ab omnibus decretis actiſque Joannis Metropolitæ, quæ juriſdictioni Eccleſiæ Tragurienſis officerent, ad Sedem Apoſtolicam appellavit: inſuper ab eodem Epiſcopo Corbavienſi petiit, ut hæc omnia publicis litteris teſtata, ſuoque annulo obſignata relinqueret; quibus in litteris Saracenus ignarus, qua neceſſitate ac vi propemodum impulſus decreviſſet ac feciſſet Joannes, quæ decreverat, quæque fecerat, quamdam in Joanne acerbitatem animi Columbano infenſi verbis ſane aſperis caſtigavit; ſe vero *Exactorem*, ideſt everſorem Epiſcopatus Sibenicenſis nominat, quod ejuſdem inſtitutioni adverſaretur.

Idem anathema Saraceni Ep. Corbavienſis litteris teſtatum eſſe voluit.

In nomine Domini Amen. Saracenus Dei gratia Epiſcopus Corbavien. & exactor Epiſcopatus Sibenicenſis, univerſis Chriſti fidelibus preſentes litteras inſpecturis ſalutem, & pacem in domino ſempiternam. Lamentabilem Venerabilis Patris Columbani Epiſcopi Tragurienſis querelam & proteſtationem recepimus, quod Venerabilis Pater Joannes Archiepiſcopus Spalatenſis cibaret eum pane anguſtie, atque tribulationis, immo potum daret ſibi aquam fellis, deſtruere volens eccleſiæ ſuæ ſtatum, & dividere intendens Epiſcopatum ſuum in duas partes, contra omnia jura, inrequiſito Domini Pape aſſenſu, contra ſtatutum Concilii generalis; & cum propter hec & multa alia gravamina miſiſſet virum probum & diſcretum nuncium ſuum & procuratorem Gervaſium Archidiaconum eccleſie ſue ad appellandum; idem Archiepiſcopus ſibi aditum ſue preſentie denegaſſet, & cum voluiſſet in eccleſia cathedrali appellare, inde feciſſet eum, non ut decuit, vel debuit, ſed ut voluit, & valuit, expelli indecenter; qui Archidiaconus ad noſtram preſentiam accedens coram nobis, & multis aliis nobilibus, qui nobiſcum fuerant, appellationem ſuam viva voce, ſicut faciendam canonice ſanctiones edocent, in ſcriptis renovavit, & predictum Epiſcopum Dominum ſuum & eccleſiam ſuam protectioni Sedis Apoſtolice commendavit. Ad hoc Archipresbyterum, Tolconem, Duymum Martini judices, & Dragovanum Vatiz Volchetan fratrem, Georgeum Dragzal, Eliam Raduani, Tolenum Nicole conſiliarios & cives de Sybenico pro, & quod Archipresbyter & clerici ſupradicti ſanctum

Etum chrisma hoc anno ab eodem Episcopo suo dioceſano recipere renuiſſent, & neglexiſſent, ac alia epiſcopalia ſibi debita denegaſſent exhibere, dictos etiam judices, & conſiliarios, qui requiſiti pluries decimas ſibi ſolvere contumaciter denegaſſent; & quod deterius eſſet, nuncium ſuum, & capellanum, cum ad decimas & ſua jura deſtinaſſet exigendas, in ipſum manus violentas injeciſſent, & rebus ſuis ſpoliaſſent; propter quæ ſuperius dicta ſunt, exigente juſtitia dictus Archidiaconus in ſcriptis, auctoritate dicti Domini Epiſcopi, nobis, & teſtibus quampluribus ad hoc ſpecialiter vocatis, excommunicatos denunciavit. Hujus rei teſtes ſumus, & ad hec preſentes litteras noſtras conceſſimus, ſigillis noſtris pendentibus munimine roboratas.

Sibenicenſes Paullum Eritium ſibi Epiſcopum eligunt.

Interea Sibenicenſes cupiditas ſedis epiſcopalis apud ſe conſtituendæ, quæ jamdiu eorum animis penitus inſederat, ex occultis molitionibus in apertum ſchiſma conjecit. Sine auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ſuo ipſi arbitratu, Paullum Eritium Venetum, Canonicum Strigonienſem, in Epiſcopum ſibi elegerunt; utque illius approbationem ab Joanne Metropolita extorquerent, ſummam illam, quæ tum dominabatur in Dalmatia, potentiam Comitum Breberienſium interpoſuerunt, quorum favorem ac patrocinium ſibi jampridem conciliaverant. His igitur, & præſertim Paullo de Breberio Comite, ſeu rectore urbis Spalatenſis, quibus nemo obſiſtere, vel adverſari audebat, jubentibus, ſeu potius cogentibus, Joannes Metropolita Paullum electum Sibenicenſem vel invitus approbare debuit, eumdemque epiſcopali conſecratione impertiri: id quod poſtea ipſemet Joannes in quadam ſua declaratione juridica teſtatus eſt, cum ait, *favore & auxilio dominorum temporalium obtento, clerum Sibenicenſem auſum eſſe quemdam Ungarum Paullum ſibi præfeciſſe in paſtorem, cui nunquam prælatus aliquis præfuit, niſi Tragur. Epiſcopus verus & merus paſtor: quem nobis*, inquit, *cum dominorum potentia, non cum jurium monumentis, nec electum canonice, cum epiſcopalem electionem & ſedem numquam habuerint, potentiſſime præſentarunt, ut ſibi manus imponeremus, & munus conſecrationis demum donaremus, quod prorſus per Dominum abjurantes publice diximus ſolius ſummi Pontificis eſſe & Curiæ Romanæ novum Epiſcopum, & Epiſcopatum formare, facere, & creare. Tandem ipſorum inſultus ferre non valentes, & periculum non rerum tantummodo, ſed quod gravius erat, perſonæ noſtræ veraciter formidantes, eoſdem ſumus taliter allocuti, Nihil valet quod facimus, & propter hoc Romanæ curiæ, nec volumus, nec poſſumus derogare; & ſuper hoc publicum inſtrumentum nobis fieri præcipimus, & habemus. Sed valeat quantum valere poteſt. Quod negotium taliter celebratum D. Philippi Firmani Epiſcopi, in partibus Ungariæ tunc temporis Apoſtolicæ Sedis legati, aures & auditum aurium taliter propulſavit, quod in noſtri præſentia, & duorum Epiſcoporum ſuffraganeorum noſtrorum, DD. Tinienſis & Nonenſis, id quod per nos tali compulſione factum fuerat, caſſum totaliter & irritum judicavit, & tanquam indebite actum decrevit carere juribus & robore firmitatis, eidem Paulo ſub pœna excommunicationis præcipiens atque mandans, ut ultra non electus, ſed Paulus ſuo puro nomine vocaretur, &c.*

Columbanus Paulli electum & Sibenicenſes anathemate confixit.

Eodem anno 1274. VII. Idus Auguſti Columbanus Epiſcopus in æde cathedrali S. Laurentii, & frequentiſſimo cleri populique conventu, ſollemni anathemate confixit tum Paullum intruſum Sibenicenſem, tum magiſtratus ac primores illius oppidi, tum demum Archipresbyterum, & reliquos de clero, qui in electione Paulli conſenſerunt; eoſque declaravit ſegregatos eſſe ab eccleſia, & rerum divinarum communione privatos; oppidumque ipſum interdicto ſubjecit.

In Dei nomine amen. Anno Domini 1274. Indictione ſecunda, die ſexta exeunte Auguſti hoc actum fuit Tragurii in eccleſia Sancti Laurentii temporibus Dom. Ladisl. Sereniſſimi Regis Ungarie, Venerabilis Patris Dom. Columbani Epiſcopi, & nobb. VV. DD. Joannis de Breberio Tragurii Comitis, & Preſte Cotopagna Poteſtatis.

Frater Columbanus divina miſeratione Epiſcopus Tragurienſis univerſis Chriſti fidelibus ſalutem in vero ſalutari. Novi flagitii noviter acerbitate percuſſi per evidentiam patrati, ſceleris commemoratione lugubri cogimur ſingulorum auribus conculcare, ut nec per ſilentium in oblivionem commiſſum facinus tranſeat, nec per obmiſſionem vindicte ceteris tranſeat in exemplum; nuper ſiquidem clerus & populus Sibenzanus, in audaciam, & patris offenſam filii proſilire degeneres, & in matrem, ſcilicet Eccleſ. Tragurienſ. inopinatum opprobrium prorumperunt ſalaces, & calumpni continuaverunt dolum adverſus Eccleſiam Tragurienſem ſubditi peſtilentes; ex eo quod, cum a tempore, cujus non extat memoria, caſtrum Sybenicenſem limitibus dioceſis Eccleſie Tragurienſis ſemper fuit ſitum, & fundatum; & Epiſcopus Tragurii pro tempore conſtitutus juriſdictione, & dioceſana lege, tanquam in ſua dioceſe, libere uſus fuerit, atque poteſtate; hi idem auſu temerario Eccleſiam Tragurienſem matrem ſuam monſtrum facere moliverunt, in uno corpore duo capita erigendo. Eligere ſi quidem ſibi volunt nec nominandum Epiſcopum, in noſtri, & Eccleſie Tragurienſis prejuditium, & gravamen. Unde cum nos ipſos paternaliter vice pluries repetita monuiſſemus, ut de hujuſmodi preſumptionibus & inſolentiis abſtinerent, iiſdem pejora pejoribus continuantes, ad emendam, & ſatisfactionem venire non curarunt. Quare intruſum ipſorum, qui ſe in Epiſcopum electum appellat, Paolum Presbyterum Canonicum Strigonienſem, Poteſtatem Juriſſam, & majores de caſtro Sibenicenſi, videlicet Dobrinam, Stefanum Johannem Martini judices, Dragovanum Baniz Vulcettam fratrem, Georgeum Dragozaiz, Sya Radovani Tollone Nicole; S. Archipresbyterum, Tholeonem diaconum, Stroinium, Radouanum Sacerdotes, Michula diaconum, Dominicum ſubdiaconum in ſcriptis excommunicamus, a modo ab omnibus evitandos ſententiando decernimus, & pronunciamus omnes illos eſſe excommunicatos, qui conſilio, auxilio, vel favore hujuſmodi facinoris fuerunt participes; terram Sibenicenſem nihilominus eccleſiaſtico ſubjicimus interdicto. Lata fuit hec ſententia preſentibus Dom. Ludoviſio ſocio nobilis viri de Preſte de Cotopagne Poteſtatis Tragurienſis, Mag. Ralto Medico, D. D. Yanicha Caſocti, Valentino Caſariza, Luce Matthei teſtibus, & Dom. Deſſa Duymi examinatore.

Ego

Ego Deſſa Duymi examinator conſcius examinavi.

Ego Franciſcus Benvenuti de Cingulo, & nunc Tragurii juratus notarius, predictis interfui & a dicto D. Epiſcopo rogatus ſcripſi, & publicavi, & ſignavi.

Diploma, quod octo abhinc annis a Clemente IV. Columbanus impetraverat, ſibi confirmandum a Gregorio X. curavit anno 1274. qui præter titulum & ſubſcriptionem per ſingula verba a Clementino tranſcriptum eſt.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Ven. Fratri Epiſcopo Tragurienſi, ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum &c.

Datum Lugduni per manum magiſtri Lanfranchi Archidiaconi Pergamenſis S. R. E. V. Cancellarii, 3. Id. Sept. Indictione 3. Incarnationis Dominicæ Anno 1274. *pontificatus vero D. Gregorii Papæ X. Anno III.*

De villa Oſtroch Spalatenſes junctis ſibi Sibenicenſibus armis contendunt cum Tragurienſibus.

Dum Columbanus omni ope operaque enitebatur, ut Sibenicenſes ad fidem & obſequium revocaret, aliunde objectum eſt illi periculum ſuæ diœceſeos diminuendæ. Spalatenſes ægerrime ferebant villam Oſtroch, & alias terras ac poſſeſſiones tum eccleſiaſtici, tum communis, ac privati juris, auctoritate Belæ IV. & ſententia Dionyſii Bani, eccleſiæ, urbi, civibus Spalati ademptas, & Tragurienſibus adjudicatas fuiſſe: quam ſententiam confirmaverat Stephanus IV. Belæ filius, qui anno 1270. parenti ſuffectus, & biennio poſt extinctus, regnum Ladislavo II. filio reliquit. Illas itaque Spalatenſes verbis amicis cum ſæpius & fruſtra repetiiſſent, jus ſuum armis perſequi decreverunt, & Sibenicenſibus in ſocietatem adſcitis, multa damna Tragurienſibus inferre, in eorumque territorio prædas agere, agros ferro & igni vaſtare cœperunt. Utriſque animos addebant & audaciam duo fratres, viri præpotentes e familia Breberienſi, Paullus Comes Spalati, & Georgius Comes Sibenici. Porro Tragurini inter duas civitates inimicas interjecti, cum hinc a Spalatenſibus, illinc a Sibenicenſibus aſſidue premerentur, & utriſque ſe haudquaquam pares eſſe viderent, opem auxiliumque Ladislavi regis ſuppliciter petierunt, graviter queſti damna, quæ terris ſuis utrinque inferebantur. Ladislavus memor quæ & quanta Tragurienſes, luctuoſis illis temporibus Tartaricæ cladis, Belæ avo ſuo præſtitiſſent, tum Sibenicenſibus, tum Paullo Bano & Spalatenſibus ſevere interdixit, ne quid injuriæ aut moleſtiæ inferre auderent Tragurienſibus, quos, inquit, *in noſtram recepimus gratiam & protectionem ſpecialem &c.* Scripſit itidem ad Tragurienſes litteras benevolentiæ plenas, ſuumque illis patrocinium & auxilium policetur. Has regias epiſtolas anno 1274. menſe Aprili & Auguſto datas Joannes Lucius inſeruit Monumentis Tragurienſibus lib. 3. cap. 5. Anno ſequenti miſit Nicolaum fratrem Paulli & Georgii Comitum Breberienſium, Banum totius Dalmatiæ & Chrobatiæ, qui lites illas dirimeret, & pacem inter Tragurienſes, & Spalatenſes conciliaret. Hic Oſtroch, S. Petrum de Clobucich, & ceteras terras, de quibus controverſia erat, eccleſiæ & urbi Tragurienſi adjudicavit; ſed ejus ſententiæ cum Spalatenſes interceſſiſſent, ille rem integram reſervandam eſſe cenſuit judicio regis Ladislavi; & utriſque mandavit, ut procuratores ſuos ad curiam regiam mitterent cum tabulis ac monumentis, ex quibus unde jus ſtaret, rex pro ſua ſapientia cognoſceret, ac pro ſua æquitate ſententiam ferret. Decretum Nicolai ſecundum Tragurienſes, itemque hoc mandatum extat apud Lucium loco ſupra laudato.

Nicolaus Banus ſecundo Tragurienſes judicavit.

Spalatenſes Tragurienſibus abſentibus apud Ladislavum cauſſam obtinent.

Ac Spalatenſes quidem mittere ad curiam præoccuparunt Joannem metropolitam & procuratores ſuos, qui cauſſam communem eccleſiæ atque civitatis agerent. Hi ergo civium ſuorum querelis expoſitis & tabulis productis, monumentiſque prolatis, quæ ſibi favebant, & gratioſa inſuper procerum, quorum patrocinia ſibi conciliaverant, commendatione interpoſita, quod volebant, facile impetrarunt. Ladislavus itaque abſentibus, & inauditis Tragurienſibus, ſecundum Spalatenſes judicavit, acta & decreta Belæ avi ſui reſcidit, atque irrita fecit, villam Oſtroch, aliaſque poſſeſſiones, quæ in diſceptationem vocabantur, Eccleſiæ metropolitanæ S. Domnii, & civibus Spalatenſibus reſtitui juſſit. Decretum & ſententiam Ladislavi habes in Joanne Metropolita Spalatenſi cap. 1. §. 9. *Dat. fuit anno* 1275. *Ind.* 3. *regni ejus anno* 4. poſt menſem Auguſtum, ut Joannes Lucius ex anno regni Ladislavi oſtendit.

Incredibile eſt quanto mœrore, quantaque conſternatione animos Tragurienſium perculerit decretum Ladislavi; cujus vim auctoritatemque ut eluderent, aut fictum & commentitium, aut certe dolo & fraude ſurreptum eſſe contendebant: id quod intelligi poteſt ex litteris *Magiſtri Romani Archidiaconi Barſien. & Magiſtri Fulci;* qui cum a Tragurienſibus honorifico lautoque hoſpitio accepti fuiſſent, ut gratiam referrent, eorum cauſſam impenſe commendarunt *Magiſtro Benedicto miſeratione divina S. Strigonienſis Eccleſie electo, Prepoſito Budenſi, & aule Dom. regis V. Cancellario;* ei ſcilicet, qui iiſdem titulis inſignitus nominatur in decreto Ladislavi, quod *per ejus manus datum eſſe* dicitur. Hæc epiſtola ſcripta eſt apud Trag. *in octava Epiphaniæ*, ideſt idibus Januarii an. 1276. cujus extremam particulam huic loco intexere libet: *Noviſſime vero cives Spalati dicunt ſe obtinuiſſe privil. D. N. R. Ladisl. quod revocare aſſerunt avi, patris, ac ſuum privil. indultum civibus Trag. quod non credimus nec eſſe veriſimile, ut ſine cauſe cognitione debuiſſent dicta privil. revocari; imo per veri ſuppreſſionem, & falſi ſuggeſtionem circumveniſſe regiam majeſtatem, & quod non ad ipſorum commodum, ſed diſpendium debet potius redundare, quod ſicut mendaces precatores deberent carere impetratis, & ultionem regiam poſſunt, nec immerito formidare; occaſione vero ipſius privilegii dicti Spalatenſes ipſos Tragurienſes magnis injuriis & dapnis gravibus afflixerunt, & affligere non verentur. Quocirca veſtram reverentiam verbis fidelibus inducimus, & hortamur, quatenus propter Deum & juſtitiam, ac veſtram honeſtatem dictos cives Tragurien. in ſuis juribus ſic velitis adjuvare apud regiam majeſtatem, regni Barones, &c.*

Tragurienſes litteras commendatitias ad Ben. electum Archiep. Strigonien. ab Archidiacono Barſienſi impetrant.

Huc pertinere arbitror epiſtolam Tragurienſium ad eumdem B. ideſt Benedictum Archiep. electum Strigonienſem, cujus patrocinium implorant, præſertim adverſus Joannem Metropolitam Spalaten. qui cum *in poſſeſſiones civitatis & eccleſiæ dudum jam ſopitas ſuſcitaſſet calumnioſas & arduas queſtiones*, decretum illud Ladislavi ſecundum eccleſiam & urbem Spalatenſem impetraverat, ſeu potius extorſerat. Hæc epiſtola caret notis chronologicis, ſed uno alterove menſe poſt ſuperiores litteras ad eumdem

dem electum Archiepiſcopum datas fuiſſe, illud argumento eſt, quod ab inſcriptione nomen *Electi* abſit, cum jam ille poſſeſſionem Eccleſiæ Strigonienſis adiiſſet.

Litteræ Tragurienſium ad Archiep. Strigonien.

Reverendo Patri & ſpeciali ſuo Domino B. Dei gratia ſancte Strigonien. Eccleſie Archiepiſcopo Judices, & Populus Tragurienſis, ejus devoti fideles, cum inclinatione, promptum famulatum. Venerabilis Pater, & Domine, a veſtre celſitudinis preſentia tam obſequiis, quam facie remoti ſumus, & incogniti; & idcirco in noſtre neceſſitatis articulo flagitare tanti patris patrocinium videtur abſurdum: laudabilis tamen fama, que benedictam perſonam veſtram per orbem terrarum celebrat, & extollit, qua ſine perſonarum acceptione extraneos pariter & domeſticos benignitatis oculo reſpicitis, & fovetis, ſuaſit nobis auſum ſollicitandi veſtram excellentiam ad ferendum preſidium civitati, & eccleſie noſtre, que veſtra eſt, contra quam J. Dei gratia Spalatenſis Archiepiſcopus ad ſuggeſtionem emulorum noſtrorum, quod eum minime decuit, in poſſeſſiones civitatis & eccleſie dudum jam ſopitas ſuſcitavit calumnioſas, & arduas queſtiones: hinc eſt quod . . . Epiſcopum, & eundem ſervientem veſtrum ad curiam acceſſurum, qui anno preterito de curia . . . rediens, ex parte veſtra ſalutis vota & benedictionis gratiam nobis auro & topatio gratiora retulit, ad dominationis veſtre preſentiam deſtinamus, modis quibus poſſumus exorantes, quatenus divine retributionis intuitu, & noſtre fidelitatis interventu, conſilium nobis & auxilium conferre dignemini, quod ex diſpoſitione negotiorum veſtra circumſpectio intellexerit expedire. Valeat nunc, & ſemper veſtre clementie celſitudo.

Tragurienſes, jubente Nicolao Bano, vel inviti jure ſuo decedunt.

Eccleſiæ & urbis Tragurienſis patrocinium ſuſceperat Nicolaus Banus Chrobatiæ & Dalmatiæ, ſed cum a Spalatenſibus & Sibenicenſibus, niſi utrorumque poſtulatis Tragurienſes aſſentirentur, haud dubium & proximum quidem excidium urbi immineret, auctor fuit Tragurienſibus, ut tempori cederent, ac neceſſitati parerent. Hi ergo quamvis extrema omnia perpeti potius, quam de jure ſuo quidquam remittere ſtatuiſſent; illos tamen ejuſdem Bani auctoritas & imperium impulit, ut vel inviti pollicerentur, quæ hoſtes volebant, ſe præſtituros; ut intelligi poteſt ex litteris Nicolai ad regem Ladislavum. *Verum*, inquit, *predicti Spalaten. & Sybenzani nobilibus omnibus & potentioribus Sclav. ſociati contra predictam civit. Trag. hoſtiliter proceſſerant; & non ſolum bona, ſed etiam civitatem deſtruere conabantur; niſi ipſius civit. Trag. Epiſcopus, Capitulum, & cives univerſi permitterent, & penitus conſentirent, quod pred. Com. Syben. que a tempore, cujus non extat memoria, fuit de dioceſi predicte civ. Trag. Epiſcopum haberet proprium, & paſtorem in Syben. reſidentiam facientem; & niſi ipſi Spalatenſibus integre reſtituerent quaſdam terras & poſſeſſiones per privil. fel. rec. D. Bele Ser. Ung. R. eidem Commun. Trag. pro ſua fidelitate de ipſorum Spalaten. voluntate conceſſis, & per priv. bon. mem. D. Stefani Illuſtr. R. poſtmodum confirmatas, prout per ipſa privilegia a me viſa evidenter apparet: prohibitionibus & mandatis per me eis ex regia parte factis, ne contra predictam accederent civit. privilegiis vilipenſis. Cumque videretur ipſam civitatem ad deſtructionem perſonarum & rerum eſſe totaliter precipitatam, ſuperbia & potentia predictorum, & eis propter modicam meam ſocietatem reſiſtere non audebam, ad predictam deſtructionem evitandam, licet adrogantia maxima videatur, ſi ſubditi mandata & privilegia Domini preſumpſerint in aliquo violare, eiſdem Trag. precepi, & mandavi, quod petitiones predictorum deberent penitus percomplere, ipſis vero reſpondentibus, quod ante patientur eorum civitatem deſtrui, quam conſentiant petitionibus ſupra dictis, & DD. Regum privilegia frangerentur abſque majeſtatis regie conſcientia & voluntate. Demum cum aliud non potuerim eis de jure, ſed predictorum potentia, ipſos Trag. coegi ad predictas petitiones in omnibus admittendas, qui licet inviti, & pro deſtructione predicta evitanda, meis preceptis & predictorum petitionibus totaliter paruere: que omnia majeſtati veſtre, ut in poſterum reprehendi non poſſim, cum non voluntate, ſed coactus fieri fecerim, per preſentes teſtifico totaliter facta eſſe, ut veſtra excellentia videre poſſit, quod facere debeat in predictis.*

Ita urbis quidem periculum diſcuſſum eſt; at non item pax compoſita & firmata fuit, ſive quod Tragurienſes promiſſis, quæ metus extorſerat, ſtare nollent, ſive quod expectanda eſſent regis reſponſa, quæ pacta illa & promiſſa vel reſcinderent, vel approbarent. Interea Tragurienſes ut hoſtibus eriperent, ſibi conciliarent favorem & auxilium Comitum Breberienſium, Mladinum tertium e quinque fratribus Breberienſibus Poteſtatem, ſive rectorem urbis elegerunt anno 1276. exeunte, qui & ſuum illis, & fratrum duorum Georgii Comitis, Sibenici, & Paulli Comitis Spalati patrocinium pollicitus eſt; ut docet Joannes Lucius lib. 5. Monum. Tragurienſium.

Columbanus Eccleſiæ Tragurienſis dimittendæ facultatem a Pontifice petit.

Interea Columbanus Epiſcopus cum bellicis turbis ac tumultibus juncta miſceri videret & regio præſidio deſtitutus, eccleſiæ ſuæ jura contra Spalatenſes & Sibenicenſes tueri ſe poſſe diffideret; pertæſus rerum ac temporum, epiſcopale munus deponere ſtatuit; præſertim quod propter incommodam valetudinem, ac devexam in ſenium ætatem, ſe tanto oneri ferendo non eſſe cognoſceret. Itaque Romam miſit Gervaſium Archidiaconum, & Oliverium Monachum Benedictinum, qui ab Innocentio V. facultatem illius eccleſiæ dimittendæ ſibi poſtularent. Annuit Pontifex; & ne quid detrimenti caperet Tragurienſis Eccleſia ſuo viduata paſtore, Joannem præpoſitum eccleſiæ de Grigoriſſa diœceſis Zagrabienſis, eumdemque Canonicum Hieroſolymitanum, Tragurienſibus Epiſcopum dedit.

Annuit Pontifex, & Joannem Canonicum Hieroſolymitanum Columbano ſucceſſorem dedit.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis clero & dioceſi Tragurienſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Venerabilis frater noſter Columbanus Epiſcopus quondam Tragurii, longa ſupportatione pontificalis ſarcinæ fatigatus, & ad eam ulterius ſufferendam debilitate multa ex incurabili infirmitate proprii corporis, quam incurrit, ac ex ſenio, ad quod jam devenit, ſpecialiter procedente gravatus, ad regimen præſulatus officii ſe non poſſe ſufficere aſſeverans, ex zelo, quo erga Eccleſiam Tragurienſem commiſſumque ſibi dominicum gregem fervebat, dimittere hujuſmodi officium pontificatus elegit, ne per ejus impotentiam vel defectum, ipſius gregis, aut eccleſiæ poſſet profectibus quomodolibet deperire, attente poſtulans ceſſionem ejus a nobis recipi, ſibique ſic lapſo quietis locum, quem ſua requirebat conditio, benignius indulgeri volenti præmiſſa de cauſa regimini eccleſiæ cedere

præ-

prælibatæ ; cujus ceſſionem ſponte oblatam , poſt multiplicis tamen ſupplicationis inſtantiam , a dilecto filio Gervaſio Archidiacono Tragurienſi , & Oliverio Monacho ordinis S. Benedicti , Capellano ipſius Columbani Epiſcopi , habentibus ab eo ad cedendum hujuſmodi regimini ſufficiens & ſpeciale mandatum , duximus admittendam ; ſicque proviſione eccleſiæ prædictæ , quæ ob id paſtoris carebat ſolatio , in diſpoſitionis noſtræ arbitrio conſiſtente , nos felici ordinationi ejuſdem eccleſiæ , quam paterno aſpicimus oculo pietatis , & gerimus etiam in viſceribus caritatis , diligentius inſiſtentes , operam dedimus feſtinatam , ut ipſi eccleſiæ perſona juxta cor noſtrum ydonea præficietur , ne illam viduitatis incommodum diutius pati contingeret in ſuum ſpiritualiter , vel temporaliter periculum , & diſcrimen . Unde ad perſonam dilecti filii Johannis electi Tragurienſis , tunc præpoſiti eccleſiæ de Grigoriſſa Zagrabienſis dioceſis , & Canonici Jeroſolimitani , fide ac devotione probatam , quam charitativum affectum habere non ambigimus erga plebem ſuo regimini commendatam , apoſtolicæ conſiderationis intuitum dirigentes , ipſum virum multiplicium decoratum varietate virtutum , enitentium redimitum inſigniis meritorum , in ſpiritualibus quoque & temporalibus circumſpectum , pro ut fide dignorum aſſertio nos inſtruxit , de fratrum noſtrorum conſilio , & apoſtolicæ plenitudine poteſtatis , eidem Eccleſiæ Tragurienſi in Dei nomine in Epiſcopum præfecimus , & paſtorem ; illius curam in ſpiritualibus & temporalibus eidem Joanni plenarie committentes ſpe firma concepta , quod eccleſia ipſa divina comitante gratia per ſuam induſtriam , & perſpicacem prudentiam , grata in utriſque felicitatis ſuſcipiat incrementa . Quocirca univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus , quatenus eundem Joannem electum ad commiſſam ſibi eccleſiam cum benedictionis noſtræ gratia venientem , condigno ſuſcipientes honore , & tanquam patri & paſtori animarum veſtrarum humiliter intendatis , ac illi exhibentes obedientiam , & reverentiam debitam , & devotam , ſalubria ejus monita & mandata ſtudeatis devote ſuſcipere ac efficaciter adimplere . Alioquin ſententiam , quam ipſe propter hoc rite tulerit in rebelles , ratam habebimus , & faciemus auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam , appellatione remota , inviolabiliter obſervari .

Datum Laterani IIII. Nonas Maji , Pontificatus noſtri anno primo: ideſt anno 1276.

Columbanus virum de ſe benemeritum remuneratur.

Antequam Columbanus ſedem epiſcopalem relinqueret , remunerari ſtatuerat egregia erga ſe merita Nicolai Caſotti patricii Tragurienſis , & plurima ab illo ſibi præſtita & maxima beneficia . Itaque jus exigendæ pecuniæ , Raphaeli Bertramo Veneto ab ſe creditæ , in eum tranſtulit ; idque publicis litteris teſtatum eſſe voluit .

In Chriſti nomine amen . Anno Domini 1276. Indict. 4. temporibus Dom. Ladislai Sereniſs. Regis Ungarie , Venerab. Patris Columbani Epiſcopi , nobilium virorum DD. Johannis de Briberio Trag. Com., Mich. . . , Poteſtatis , DD. Valentini Caſarizze , Deſſe Amblaſii Trag. Conſil. die Martis , 7. Januarii . Actum eſt Trag. in curia infra dicti Dom. Epiſcopi . Predictus Ven. Pater Dom. Epiſcopus Columbanus conſiderans magna , & ardua , & placabilia ſervitia longo tempore recepiſſe , & que recepit in preſenti a Domino Nicolao Caſotti abſque remuneratione aliqua , que ſecundum Deum , & bonam conſuetudinem licet , nec in totum irremunerata eſſe voluit ; idcirco jure donationis pure & libere , ſimpliciter & irrevocabiliter inter vivos dedit , & ceſſit , & conceſſit eidem D. Nicolao pro ſe , ſuiſque heredibus ſtipulatis , omne jus , omnemque actionem realem , & perſonalem , & totaliter ei directam , quod , & quam habet , & habere poteſt contra Dominum Raphaelem Bertramum de Venetiis , & ejus bona , pro centum & viginti libris Venetorum parvorum , quas idem Dominus Raphael eidem Domino Epiſcopo dare & ſolvere tenetur &c. Preſentibus Dom. Duimo Bertolo , Nicole Caleorde , & Deſa q. Duimi Decega teſtibus .

Columbanus poſt abdicationem Epiſcopatus tres annos vitam privatam & quietam exegit , ſibique uni , ac Deo vacavit . Deceſſit an. 1279.

JOANNES II. EP. TRAGURIEN. VII.

Antequam conſecrationem epiſcopalem ſuſciperet , ac præfecturam Eccleſiæ Grigoriſſenſis deponeret , cum Petro Comite inſularum Bractiæ & Phariæ , arbiter adhibitus eſt ad paciſcendas inducias duorum fere menſium inter Spalatenſes , & Tragurienſes , quæ ad pacem ſtabiliendam viam munirent , ut eſt in tabulis Tragurienſibus *an. 1277. die Dominico 8. exeunte Junii . Actum Tragurii in eccleſia S. Mariæ . Cum per honeſtum ac probum virum Dominum Joannem præpoſitum de Glegoreza , & Dom. nob. virum Domin. Petrum Comitem inſularum Phare & Braze , eſſet inter Spalat. Communit. & Trag. hinc per totum menſem Julium tregua compoſita & ordinata ſecundum formam articulorum inferius denotatam &c.* Nondum primus induciarum menſis exierat , cum de partis utriuſque conſenſu delecti ſunt arbitri Georgius de Breberio , Comes Breberienſis & Sibenici , & Preſte de Cotopagna , atque Domaldus de Zadulinis cives Jadræ , qui controverſiis omnibus ex æquo & bono compoſitis pacem inter Spalatenſes & Tragurienſes firmam & ſtabilem conciliarunt anno Incarnat. Dom. 1277. *menſe Junii , die ultima* . Ad hujuſmodi compoſitionem ac pacem , quo minus accederent Sibenicenſes illud obſtitiſſe arbitror , quod in propoſito ſuſceptoque conſilio Epiſcopi proprii , quem jam elegerant , retinendi obſtinate perſtabant . Ad rem eccleſiaſticam quod attinet , *Archiepiſcopo , Capitulo , monaſteriis , ſeu Eccleſ. Spalat.* reſtitui jubentur fundi & agri omnes , quos ante bellum Tartaricum poſſidebant in territorio Tragurienſi , ideſt *intra columnam Tragurium verſus* , quæ quidem columna erat confinium dirimens utrumque territorium . Cetera intra eamdem columnam , quæ antiquitus erant privatorum hominum Spalatenſium , Commune & privati homines Tragurienſes retineant . De villa Oſtroch ita decretum eſt , ut cum omnibus ſilvis , agris , pratis , aquarum divortiis , quæ in ea olim poſſidebant *Didigi* , ſive Tragurii , ſive Spalati commorantes , iiſdem *Didigis* antiquis dominis redderentur . *Didigi* autem , interprete Lucio iidem ſunt , ac *poſſeſſores antiqui e genere Chrobatorum* . Utrum vero Tragurienſi , an Spalatenſi dioeceſi eadem villa adjudicata ſit , diſerte expreſſum non eſt . Scopulum autem ſive inſulam S. Stephani ad jus ditionemque Communis & Eccleſiæ Spalatenſis pertinere declaratum eſt . De S. Petro in *Clobucich* , itemque de

Pax inter Tragurien. & Spalaten. ad quam accedere noluerunt Sibenicen.

Ri-

Biſtriza prædiò olim regali nihil decretum fuit, reſque integra regis arbitrio relicta ; qui anno ſequenti, ut eſt apud Lucium, eccleſiæ atque urbi Tragurienſi locum utrumque adjudicavit.

Dubitari poteſt, an Joannem Ep. ab Innocentio deſignatum Tragurienſes receperint.

In his tabulis nominatur quidem Archiepiſcopus Spalatenſis, non item Epiſcopus Tragurienſis ; quod argumento eſt Joannem nondum conſecratum fuiſſe, aut traditam eidem fuiſſe hujus eccleſiæ poſſeſſionem. Cum autem ab omnibus monumentis ac tabulis Tragurienſibus illorum temporum abſit nomen Joannis Epiſcopi, vereor ne Tragurienſes illum non receperint, ejuſque pontificiam nominationem ratam habere noluerint, quæ videbatur officere privilegiis Canonicorum Tragurienſium, penes quos tunc erat jus eligendi Epiſcopi: ex quo factum eſt, ut in tabulis induciarum anno 1277. confectis *Electi* nomine careat ; niſi forte Joannes ille *Præpoſitus de Glegorezza* in his tabulis nominatus alius fuerit ac diverſus ab *Joanne præpoſito eccleſiæ de Grigoriſſa*, quem Innocentius V. Epiſcopum Tragurienſem deſignavit.

Philippus Ep. Firmi, & Legatus Apoſt. decreta & acta Joannis Metropolitæ ſecundum Sibenicenſes reprobavit.

Anno 1279. Philippus Epiſcopus Firmi & legatus Sedis Apoſtolicæ miſſus ad Ladislavum regem Hungariæ, cum Spalati eſſet, rogatu cleri populique Tragurienſis, quidquid Joannes Metropolita Spalatenſis non ſua ſponte, ſed impulſu Comitum Breberienſium decreverat & fecerat, ut Sibenicenſium poſtulatis obſequeretur, ipſomet Joanne præſente & audiente cum duobus Epiſcopis Tinninienſi, & Nonenſi, irritum fecit, & abrogavit; itemque propoſita anathematis pœna, interdixit Paullo Eritio, quem Sibenicenſes in Epiſcopum ſibi elegerant, ne ſibi nomen *Epiſcopi electi* arrogaret ; idque conſtat ex ipſa Joannis Archiepiſcopi teſtificatione: *Quod negotium* (electionis Paulli ab Joanne approbati) *taliter celebratum Dom. Philippi Firmani Epiſcopi, in partibus Ungarie Apoſtolice Sedis legati, aures & auditum aurium taliter propulſavit, quod in noſtri præſentia, & duorum Epiſcoporum ſuffraganeorum noſtrorum DD. Tinienſis, & Nonenſis, id quod per nos tali compulſione factum fuerat, caſſum totaliter & irritum judicavit, & tamquam indebite actum decrevit carere juribus, & robore firmitatis; eidem Paulo ſub pœna excommunicationis præcipiens atque mandans, ut ultra non electus, ſed Paulus ſuo puro nomine vocaretur.*

Cum Joannes ab Innocentio deſignatus, & electus Epiſcopus Tragurienſis, vel a clero, & populo receptus non fuiſſet, vel poſt ſexennium a ſuſcepto Epiſcopatu e vita migraſſet ; Canonici Tragurienſes convenerunt in ædem cathedralem S. Laurentii, ut de novo creando Epiſcopo conſultarent. Electus eſt cunctis ſuffragiis anno 1282. pridie Kalendas Junias

GREGORIUS EP. TRAGURIENSIS VIII.

Erat ex ordine Fratrum Minorum S. Franciſci, natus Tragurii, ex familia perantiqua & illuſtri, cui *Machinaturæ* cognomen fuit, ut Joannes Lucius opinatur ; & Gregorium fuiſſe cenſet ſtirpem ultimam hujus nobiliſſimæ proſapiæ, ad quam pertinebat juspatronatus ædis S. Martini ; quod proinde ad ejus conſanguineos anno 1267. translatum eſt, ut docent tabulæ archivi publici Tragur. apud eumdem Lucium lib. 3. cap. 6. Monum. Tragurien. Acta comitiorum, & electionis Gregorianæ ex eodem tabulario deprompta hæc ſunt.

Acta Comitiorum & electionis Gregorii Epiſcopi.

In Dei nomine amen. Anno ejuſdem 1282. *Indictione X. tempore D. Martini Pape & Ladislai Sereniſſimi Regis Ungarie, die Dominico, ultimo Madii. Cum eccleſia S. Laurentii Epiſcopatus Tragurienſis proprio paſtore vacaret ; ideoque ad honorem, & reverentiam Altiſſimi Dei, glorioſe Virginis Marie, Beatorum S. Laurentii & S. Joannis congregatis, & vocatis . . . Canonicis d ..... vocandi, & congregandi ad electionem celebrandam de paſtore & Epiſcopo eccleſie S. Laurentii nominate, videlicet omnes infraſcripti Canonici congregaverunt ſe in prefata eccleſia cauſa eligendi Epiſcopum, & paſtorem Epiſcopatus, & eccleſie nominate, qui deliberaverunt concorditer electionem hujuſmodi per ſcrutinium fieri debere, quorum Canonicorum nomina ſunt hec, Gervaſius filius Zanci . . . Archidiaconus ejuſdem Epiſcopatus, D. Caſioctus filius D. Zaniche Primicerius Canonicus diaconus, D. Marcus Canonicus Sacerdos filius Bod, D. Michael Canonicus Presbyter filius Stoiſe, D. Deſſa Sacerdos filius Nadini, D. Natalis Sacerdos filius Muſinne, D. Firminus diaconus filius Vitalis, Laurentius ſubdiaconus filius Priville, Bogdanus ſubdiaconus filius Miche, Michael ſubdiaconus filius Cerni, Kaſaricius ſubdiaconus filius Yurine; omnes ſupradicti Canonici his peractis elegerunt unanimiter & concorditer univerſi de ipſorum concordia communi & voluntate ad preſcrutandum . . . vota ſingulorum ſeorſum in quem volunt & conſentiunt, quod ſit, & eſſe debeat Epiſcopus, & paſtor Epiſcopatus ſupradicti, D. Gervaſium Archidiaconum, D. Caſioctum primicerium, Dom. Marcum; qui tres diſquiſit. vocavere ad ſe quemlibet infraſcriptorum ſeorſum, & ſingillatim, ut ſuam eis voluntatem exprimeret ; unde accedens D. Michael Canonicus dicte eccleſie eligendo & poſtulando aſſenſit in fratrem Gregorium filium Mächii de Tragurio de ordine Minorum; D. Deſſa eligendo & poſtulando conſenſit in eundem fratrem Gregorium, D. Natalis eligendo & poſtulando conſenſit in eumdem fratrem Gregorium, D. Forminus eligendo & poſtulando conſenſit in eumdem, Laurentius eligendo & poſtulando conſenſit in eumdem, Bogdanus eligendo & poſtulando conſenſit in eumdem, Michael eligendo & poſtulando conſenſit in eumdem, Caſaricius eligendo & poſtulando conſenſit in eumdem, L. Dom. Marcus eligendo & poſtulando conſenſit in eumdem, D. Caſioctus Primicerius eligendo & poſtulando conſenſit in eumdem, D. Gervaſius Archidiaconus eligendo & poſtulando conſenſit in eumdem. Preſentatis ipſorum voluntatibus, ut ſupra ſcriptum eſt, ſtatim fuit dicta electio, & poſtulatio, & aſſenſus, publicata, & divulgata inter eos ; unde diligenti deliberatione habita, quum ipſe frater Gregorius eſt nobilis homo de dicta civitate, & in etate legitima conſtitutus, prefatus D. Gervaſius ſuo nomine, & nomine & voluntate omnium predictorum Canonicorum, & Capituli, & ipſis preſentibus, invocato Chriſti nomine mox elegerunt, poſtularunt, & poſtulando elegerunt honeſtum & ſapientem virum Dom. ſupradictum fratrem Gregorium in paſtorem & Epiſcopum Epiſcopatus ſuperius ſepefati. Actum in eccleſia ſupradicta S. Laurentii Epiſcopatus Tragurienſis preſentibus D. Jacobo Ruſtichu, Poteſtate Tragurienſe, D. Benevento ejus milite, D. Deſſa, & Cervocta Amblaſii, Silveſtro, Mingacii, Chreſte Alberti, Toma D. Zaniche, Guymo Dumiche, & aliis multis teſtibus, & D. Deſſa Duymi de Murſiza examinatore.*

Ab

Spalatenſes & Sibenicenſes rurſus Tragurienſibus infeſti.

Ab illis pactis & conventis, quibus pax inter Spalatenſes & Tragurienſes reconciliata fuerat anno 1277. ſecluſi fuerant Sibenicenſes, ſeu potius ipſi noluerunt includi, quod ſub poteſtatem Eccleſiæ Tragurienſis redire nolebant. Itaque non deſtiterant quæcumque poſſent damna inferre Tragurienſibus. Spalatenſes anno fere ſexto poſt redintegratam cum Tragurinis concordiam, ſeu de communi ſententia, ſeu privatorum quorumdam hominum inſtigatione, cum Sibenicenſibus conſilia clandeſtina & arma conſociare, junctaque cum illis piratica quadam ſocietate, moleſti Tragurienſibus, atque infeſti eſſe denuo cœperunt. Anno 1283. Gregorius olim Abbas cœnobii Benedictini S. Joannis Baptiſtæ, miſſus eſt ad *S. Petrum de Clobuſich in pertinentiis Tragurii*, quo convenerant Paullus Comes de Breberio Banus maritimus, cum fratribus ſuis Georgio Comite Sibenici & Almiſſi, itemque Mladino, quem Tragurienſi adminiſtratione functum Spalatenſes ſibi Comitem & rectorem adſciverant, aliique plures de proceribus Slavoniæ, ut in eo conventu de injuriis Spalatenſium & Sibenicenſium expoſtularet; illoſque admoneret, ut ſervarent pacta & promiſſa, in quæ ante ſex annos pax utrinque convenerat. Aderant internuncii duarum civitatum Spalati & Sibenici, qui, cum reſpondiſſent nullis pactis aut promiſſis ſe velle teneri, inimicitias Tragurinis & bellum aperte denunciarunt: *nullam pacem*, ajebant, *neque pactum appoſitum attendere, nec obſervare volumus, immo odium & guerram*. Has minaces & atroces denunciationes hoſtilia facta paullo poſt conſecuta ſunt; & Tragurienſe territorium ferro & igni vaſtarunt.

Pax rurſus convenit, ſed Sibenicenſibus excluſis.

Pacem inter Spalatenſes & Tragurienſes (excluſis Sibenicenſibus) reconciliatam fuiſſe anno proximo illud argumento eſt, quod Paullo Bano maritimo ſexaginta pedites, quibus ad bellum contra Spalatenſes uteretur, pro poteſtate imperanti cum Tragurienſes repugnare non poſſent; palam & aperte profeſſi ſunt ſe non ſua ſponte & voluntate, ſed juſſu Bani, ac vi propemodum adhibita coactos id copiarum & ſubſidii mittere & contribuere; idque teſtatum eſſe voluerunt, *præſentibus Ven. P. D. Gregorio Ep. Trag. D. Gervaſio Archidiacono Trag. D. Paulo Ab. Mon. S. Joban. de Trag. &c.* Duo ſcilicet ſpectabant, alterum ne Spalatenſibus amicitiæ haud ita pridem reconciliatæ rurſus disjungendæ cauſſam præberent, alterum vero ne Paullum ejuſque fratres offenderent, quorum patrocinium & favorem propenſum in Sibenicenſes, ut horum conatus reprimerent, ad ſe convertere cupiebant: quæ cauſſa eos impulit, ut Georgium de Breberio Paulli & Mladini fratrem, qui tum erat Comes Sibenici & Almiſſi, ſibi quoque in urbis Comitem & rectorem eligerent.

Rebus externis utcumque tranquillatis, de ſolutione decimarum Gregorio Epiſcopo aliqua controverſia fuit cum Communi Tragurienſi, quæ ſub exitum anni 1285. compoſita eſt ad hunc modum.

Tabulæ compoſitionis inter Epiſcopum & Commune Tragurienſe in controverſia de decimis.

In Dei nomine amen. Anno Domini 1285. *die Dominico* 30. *Decembris; temporibus D. Ladislai Dei gratia Sereniſſimi Regis Ungarie, Venerabilis Patris D. Gregorii miſeratione divina Epiſcopi Tragurienſis, magni viri D. Gregorii Comitis Tragurienſis, & nobilis viri D. Palmerii Dom. Falci de Firmo civitatis Tragurii Poteſtatis. Ad honorem, & reverentiam Dei omnipotentis, & Beate Marie Virginis, nec non & B. Laurentii martiris, & S. Joannis Confeſſoris. Predictus venerabilis Pater D. Gregorius Tragurienſis Epiſcopus una cum D. Gervaſio Archidiacono, Primicerio Caſiotto, & toto Capitulo ſue dicte eccleſie S. Laurentii, Epiſcopatus Tragurienſis nomine, & vice dicti Capituli ex una parte; & nobilis viri D. Palmerii Dom. Falci de Firmo predicte civitatis Tragurienſis Poteſtatis, de voluntate generalis conſilii dicti Communis ex altera, unanimiter & concorditer ſuper decimis dandis, ad talem concordiam devenerunt, ſcilicet: Quod quilibet Tragurienſis civis teneatur, & debeat exibere decimam hoc modo, pro quolibet bove arante unum modium bladi, ſcilicet medium modium grani, & medium ordei pro omnibus decimis debito exibendis, exceptis decimis agnorum. Illi vero qui terram propriis manibus colunt, vel boves alienos conducunt, decimam conſuetam dare teneantur, ſicut hactenus perſolverunt: & ſi blave devaſtarentur caſu fortuito temporibus guerrarum, vel tempeſtatum, quod ſit in voluntate laborantis de dando, vel decimam de eo quod recolligeret ille, qui laboraret, vel ipſum modium pro quolibet bove. Quam decimam quilibet dare teneatur qualibet anno uſque ad Kalendas Auguſti; & ſi quis non daret uſque ad dictum terminum, ſolvat Communi Tragurienſi pro banno X. lib. Ven. par. & nihilominus dictam decimam dare teneatur; & Poteſtas, Conſules, & Judices Communis Tragurienſis, qui pro tempore fuerint, teneantur predicta facere obſervari, & operam efficacem dare, ut obſerventur; & ſi aliquis, vel aliqui non dabunt ipſas decimas, ut ſupra dictum eſt, Poteſtas, Conſules, & Judices, qui pro tempore fuerint, faciant publice bandiri, & inhibeant, ut nullus laboret de terris & poſſeſſionibus illius, qui non daret decimam, ad bannum predictum, & ipſa banna teneantur exigere pro Communi, de quo concordio duo ſunt ſcripta conſimilia inſtrumenta, videlicet unum pro qualibet parte. Actum Tragurii in palatio predicti D. Epiſcopi, preſentibus ſapientiſſimis VV. DD. Deſſa de Amblaſio, Gregorio de Cega, Thoma Janiche, Matheo de Paſcha, Amblaſio Deſſe, Gregorio Gualimerii, & Deſſa Duymi de Merſita examinat. teſtibus.*

Ego Deſſa Duymi examinator conſcius examinavi. Et ego Jacobus de Firmo Com. Trag. & predicti D. Poteſtatis jurat. not. rog. ſcripſi & publicavi.

Anno ſequenti de conſilio Canonicorum decretum fecit, quo vetuit natos ex toro non legitimo, nexu alienæ ſervitutis obſtrictos, itemque pœnitentiæ publicæ obnoxios, quamdiu humi ſtrati ad pedes jacent, in clericorum, vel Canonicorum collegium admitti.

Conſtitutiones Gregorii Epiſcopi.

Frater Gregorius miſeratione divina Epiſcopus Tragurii univerſis in Jeſu Chriſto filiis præſentes litteras inſpecturis ſalutem, & gloriam paradiſi. Quoniam paſtoralis cura regiminis hoc depoſcit, ut ſtatera veri ſimus libraminis, & juſtitiæ ſectatores; ideo ad ipſius obſervantiam opere, niſibus, & doctrina aſſurgimus incunctanter, ne immemores illius Prophetæ oraculi diceremur a poſteris, per quod dicitur, Juſtitiam tuam non abſcondi in corde meo, & jurium legis veteris ſanxit auctoritas; ne januæ aulæ Dei paterent illis, qui non gauderent tori legitimi junctione, ut ſunt ſpurii, manzeres, & c. nothi; qui omnes, culpa interveniente parentum, prohibentur ſanctione ſanctorum Canonum divinis miniſteriis præſentari. Igitur pati ſubpeditari eccleſiam ſanctam

ctam Dei, culpæ eſt & reprehenſionis immanis, cum ea, quæ ingenuitate virere debeat, exponatur morſibus, & tractatibus immundorum; ſiquidem emergunt inde deſpectiones rerum nobilium, & ſanctarum, & ad vilitatem vergunt, quæ pretio extiterant valde cara; hinc ergo utriuſque legis ſanctio debet non immerito obſervari, obſervantia cujus pro merito gratiam hic meretur, & gloriam in patria ſupernorum.

Die autem veneris tertio exeunte Martio, cum de voluntate D. Gervaſii Archidiaconi, & Canonicorum omnium ibidem præſentium, a nobis in noſtro palatio coram negotia tractarentur, nobis ab eiſdem noſtris Canonicis petitio eſt porrecta, quæ in ſe fomentum juſtitiæ continebat, & obſervantiam eccleſiaſticæ diſciplinæ, ut ſcilicet inlegitime natis & conditionis ſervilis nunquam admittantur in clericum & Canonicum eccleſiæ prælibatæ, & quod nullus promoveretur ad ſacros, quamdiu eſt ad pedes; jura ſuper hoc introducentes, & conſuetudinem noſtræ metropolis longis temporibus obſervatam; petitioni quorum juribus innitenti duximus adnuendum, ut dignitas eccleſiæ conſervetur, & ovilis dominici ager in amplam ſegetem pullularet; eapropter ipſorum voluntates ſingulorum in omnibus approbamus, & approbando confirmamus, ordinamus, volumus, & præcipiendo mandamus, ut de cetero tales non recipiantur in clericos & Canonicos eccleſiæ cathedralis, niſi ſint ingenuitate præditi, & tori maritalis habeant fulcimentum, & a noxa ſervitutis ſint penitus alieni.

De illis autem, qui ad pedes ſunt, per omnia obſervetur mos & conſuetudo Eccleſiæ Spalatenſis. Siquis autem contra hanc conſtitutionem, ordinationem, voluntatem communem, & confirmationem noſtram præſumpſerit attentare, indignationem Dei omnipotentis, Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, nec non B. Laurentii martyris, & B. Joannis confeſſoris, quorum patrociniis communimur, & noſtram ſe noverit incurſurum; & a communione Canonicorum omnium per menſes quatuor fiat penitus alienus; & ut carta præſentis decreti robur obtineat firmitatis, & futuris faciat plenam fidem, ſubſcriptionibus Canonicorum, & omnium, & ſigillis noſtro & ejuſdem Capituli duximus muniendam.

Actum & celebratum eſt hoc in epiſcopali palatio ſub anno Domini MCCLXXXVI. Indictione XIIII. die & menſe quo ſupra, quam ego Dopnus Stephanus ejuſdem eccleſiæ Canonicus de mandato D. Epiſcopi, & voluntate Canonicorum omnium ſcripſi, & meum ſolitum ſignum appoſui & placet ✠

Ego Gervaſius Archidiaconus conſentio.
Ego Kaſoctus Primicerius conſentio.
Ego Marinus Canonicus conſentio.
Ego Michat. Presbyter ✠
Ego Kalen. de ✠
Ego Diaconus Bogdanus Canonicus conſentio.
Ego Diaconus Michael Canonicus conſentio.
Ego Dragus Canonicus conſentio, aliena manu me ſcripſi.
Ego Kaſarezza Canonicus conſentio, aliena manu me ſcripſi.
Ego Natalis neſciens ſcribere Canonicus conſentio, & de voluntate manu Stephani Canonici ſcripſi.

Joannes Metropolita Spal revocat, quæ ſecundum

Interea Sibenicenſes in ejus, quem ſibi elegerant, Epiſcopi retinendi voluntate conſtantiſſime perſtabant; cum Joannes Metropolita Spalatenſis, memor quid & quantum præjudicii ante annos fere tredecim attuliſſet Eccleſiæ Tragurienſi, quod Epiſcopatum Paullo Canonico Strigonienſi a Sibenicenſibus collatum approbaſſet, eumque epiſcopali conſecratione impertiiſſet, ſive ſua ſponte, ſive Gregorio Epiſcopo Tragurienſi monente atque hortante, pœnitens facti Tragurium ſe contulit; atque in palatio epiſcopali XIII. Kal. Aprilis an. 1287. palam ac teſtibus adhibitis declaravit, quidquid fecerat aut decreverat ſecundum Sibenicenſes, id ſibi per metum ac vim extortum fuiſſe, ac proinde irritum eſſe, & factum pro infecto haberi juſſit. Hanc retractationem litteris publicis conſignari voluit, quarum exemplum in ejus actis exhibuimus. Alterum etiam ſexennio poſt documentum dedit, quam ſibi cordi eſſet jura Eccleſiæ Tragurienſis ſarta tecta tueri, cum Nicolaum Epiſcopum Scardonenſem graviſſimis verbis reprehendit, quod rogatus a Sibenicenſibus functiones quaſdam epiſcopales, injuſſu legitimi Epiſcopi, in eotum civitate peregiſſet. Epiſtola objurgatoria Joannis deſcripta eſt in ejuſdem actis cap. 2. §. 4. Sibenicenſes decreverat.

Sibenicenſes, Paullo mortuo, Leonardū ſibi eligunt in Epiſcopum.

Nec vero Sibenicenſes, quamvis auctoritate ac præſidio Metropolitæ deſtituti eſſent, deſponderunt animos; ſed freti patrocinio & favore Comitum Breberienſium, cum Paullus Eritius e vita migraſſet, elegerunt ſibi in Epiſcopum Leonardum Faletrum civem Venetum, præpoſitum eccleſiæ S. Angeli in urbe Venetiarum. Ut Nicolao IV. Pontifici decretum ſurriperent, cujus auctoritate & ſedes epiſcopalis Sibenici conſtitueretur, & Epiſcopatus in Leonardum collatus approbaretur, quid excogitaverint, quidve confinxerint, a nobis expoſitum eſt in hiſtoria Eccleſiæ Sibenicenſis. Sed omnia illorum artificioſa commenta fruſtra fuerunt. Porro Tragurienſes, ut conatus Sibenicenſium eluderent, Gregorium Epiſcopum Romam mittere decreverunt, qui apud Sedem Apoſtolicam eccleſiæ ſuæ cauſſam ageret, eique de publico ſumptus neceſſarios ſuppeditari juſſerunt. Decreta profectio Epiſcopi diſplicuit Comitibus Breberienſibus, qui Sibenicenſium cauſſæ favebant; & propterea Georgius, qui tum erat Sibenici idem, & Tragurii Comes ſive Prætor, internuncium ſuum miſit, qui ſuo nomine Comitatum ſive præturam Tragurienſem dimitteret, moneretque Tragurienſes ne quid auxilii ab Georgio contra Sibenicenſes expectarent, ſuis ipſi rebus conſulerent ac providerent; id quod notatum invenio in tabulis Tragurienſium anno 1287. VIII. Kal. Aprilis confectis: *Item partito facto ſuper Ambaxiata retracta in præſenti Conſilio per Joardum ex parte D. Comitis, qui retraxit, & dixit, quod quia D. Epiſcopus dicit ſe velle ire ad Curiam Romanam contra Sibenicenſes, ipſe D. Comes remiſit pacem & Comitatum, ſeu offitium Comitis, & quod deinde non habeant in eum ſpem, imo cuſtodiant ſe.* Paullus vero Banus maritimus pro imperio vetuit Gregorium ex urbe diſcedere, & Curiam Romanam adire. Ita conſilium quidem Romanæ profectionis, quod ſuſceperat Gregorius, effectu caruit; nihil tamen Sibenicenſes, dum ille Eccleſiæ Tragurienſi præfuit, ab Sede Apoſtolica impetrare potuerunt. Mortuus eſt Gregorius anno 1297. eique Joannem hujus nominis tertium ſuffectum fuiſſe tradit Joannes Lucius; ſiquidem in tabulis Tragurienſibus ejuſdem anni V. Kal. Octobr. *Electus* nominatur; ſed aut paullo poſt obierit, aut ejus electio ad

Joannes Ep. Trag. electus.

irritum ceciderit neceſſe eſt; cum in tabulis eodem anno x. Kal. Novembris nominetur Gregorii ſucceſſor, qui fuit

LIBERIUS EP. TRAGURIENSIS IX.

Quæ cauſſa impulit Tragurienſes, ut rectores urbis ex Italia & Piceno peterent, id quod *in generali Conſilio* de communi ſententia decreverunt anno 1287. VIII. Kal. Aprilis, eadem fortaſſe fuit, cur ſibi ex eadem regione Antiſtitem adſciſcendum putarent. Liberium ſiquidem e Piceno oriundum, & patria Anconitanum fuiſſe tradunt. Sed propius vero eſt civem Tragurienſem fuiſſe; certe quidem e cœnobio Benedictino Tragurienſi ad regimen hujus eccleſiæ aſſumptum eſſe declarat epiſtola Joannis Papæ XXII. infra deſcribenda, qui Liberium olim Abbatem S. Benedicti fuiſſe docet. Vix Epiſcopatum inierat, cum præcipuam & nobiliorem diœceſeos partem in perpetuum amiſit: anno ſiquidem 1298. Sibenicenſes, quem jamdudum expetebant, Epiſcopum poſt acerrimas ac diuturnas contentiones obtinuerunt. Bonifacius VIII. rogatu Mariæ Reginæ Neapolitanæ, & Georgii Breberienſis præfecti civitatum maritimarum Dalmatiæ, qui Neapolim ſe contulerat, ut Carolum Robertum Mariæ ex Carolo Martello ejus filio nepotem, Hungariæ regem deſignatum in Dalmatiam traduceret, per litteras mandavit Henrico Jadertino & Petro IX. electo Spalatenſi Metropolitis, ut Sibenicum auctoritate apoſtolica jure ac ſede epiſcopali donarent, & primum eidem Epiſcopum præficerent. Hæc paullo diſtinctius & accuratius expoſita ſunt in hiſtoria Eccleſiæ Sibenicenſis, itemque in Petro IX. Archiepiſcopo Spalatenſi cap. 1. §. 1.

Sibenicenſes demum Epiſcopum impetrant a ſede Apoſtolica.

Nec vero Liberius & Tragurienſes Bonifacii voluntati ac ſententiæ repugnarunt, & quando Pontifex ſic volebat, & jubebat, inſignem illam diœceſis ſuæ diminutionem æquo ſubmiſſoque animo ferendam eſſe cenſuerunt, id quod ſingularis Tragurienſium erga Sedem Apoſtolicam fidei atque obedientiæ argumentum fuit. Ita diœceſis & juriſdictio epiſcopalis ſuos ab occaſu fines contraxit; & quidquid antea ultra peninſulam Hyllim obtinebat, cum parte occidentali ejuſdem peninſulæ, in jus poteſtatemque novi Epiſcopi Sibenicenſis conceſſit.

Controverſiæ de juriſdictione inter Epiſcopum & Cõmune Trag. compoſitæ.

Jamdudum erat controverſia inter Epiſcopum & Commune Tragurienſium de villicis & cultoribus agrorum epiſcopalium, quos Epiſcopus judiciali poteſtati curiæ civilis omnino exemptos eſſe, ac de capitalibus illorum criminibus quærere, cognoſcere, & judicare ad tribunal curiæ epiſcopalis pertinere contendebat. Anno 1305. cum Paullus de Breberio filius Paulli Bani Dalmatiæ & Chrobatiæ ſupremam urbis præfecturam gereret, ac Dalmatia univerſa Caroli Roberti Regis Hungariæ deſignati imperium accepiſſet, de conſenſu utriuſque partis res ita convenit; ut ſiqua graviora flagitia perpetrata eſſent a villicis epiſcopalibus, ea inquiſitioni ac judicio ſæcularis curiæ ſubjicerentur; multæ vero pecuniariæ eiſdem impoſitæ dimidia pars Epiſcopo, pars altera Communi Tragurienſi obveniret; ſalva juriſdictione epiſcopali in ceteris rebus, quæ vel ad regimen civile eorumdem villicorum, vel ad punitionem leviorum noxarum ſpectarent.

Tabulæ compoſitionis.

In nomine individue Trinitatis, amen. Anno Domini a nativitate 1305. Indictione tertia, Reg. D. Karulo Sereniſſimo Rege Ungarie, & temporibus Venerabilis Patris D. Liberii Epiſcopi, egregii V. D. Pauli de Briberio Comitis & nobilis viri D. Andalo de Peſco Capit. civitatis Tragurii, die 15. Januarii. Cum diſcordia orta fuerit temporibus retroactis inter ſupradictum D. Epiſcopum ex una parte, & Commune Tragurienſe ex altera, ſuper juriſdictione criminalium queſtionum villanorum ipſius D. Epiſcopi; idcirco, ne inter ipſum D. Epiſcopum, preſertim tempore ſuo, tanquam patrem, & dictum Commune tanquam ſuos filios, jurgia nutriantur, ſed procul repellantur penitus, divino ſubſidio permittente; ipſe Dominus Epiſcopus pro ſe & Epiſcopatu ſuo, ſcilicet ſuo tempore tantum, ex una parte, & dictum D. Cap. DD. Deſſa Amblaſii, Nicola Kaſotti, Duymus Dopniche, Deſa Morſice, Mattheus D. Lucii, Petrus D. Duymi de Cega nomine & vice d. Communis Tragurienſis, pro ipſo Communi ex altera, auctoritate reformationis conſilii generalis d. Communis ſcripte, ut dicitur manu Magiſtri Coronis not. d. D. Cap. ad tale inter ſe pactum, & concordiam pervenerunt, videlicet:

Quod D. Capit. ſive rector, vel rectores, ſeu Judices, vel Conſules, vel alius ſeu alii rectores quocumque nomine cenſeantur, qui pro temporibus erunt ad regimen dicte civitatis Tragurienſis, cognoſcant, & cognoſcere debeant de infraſcriptis exceſſibus, tam commiſſis, quam committendis per villanos ipſius D. Epiſcopi, S. Guſterne, Dobrovize, & per omnes habitatores, vel habituros in terrenis ipſius D. Epiſcopi, S. Guſterne, Dobrovize, & per omnes habitatores, vel habituros in terreno ipſius D. Epiſcopi, utcumque commiſſis, videlicet de homicidio, de vulnere ſanguinolento, de latrocinio, de robaria, de ſtupro, de violentia mulierum, de adulterio, de furto, de invectione armorum, & de omnibus inſultibus, & rixis commiſſis & committendis, tam cum armis, quam ſine armis per villanos predictos, utcumque committerentur; & medietas condepnationum pecunialium, que fient ex predictis exceſſibus, & quolibet ipſorum, & occaſione ipſorum, & cujuslibet eorum, ſit, & eſſe debeat dicti D. Epiſcopi; & alia medietas ſit, & eſſe debeat dicti Communis Tragurienſis, & exacta pecunia ipſarum condepnationum, ſtatim rector ſive rectores, vel Conſules, qui erunt ad dictum regimen Communis Tragurienſis, teneantur, & debeant dare & aſſignare dicto D. Epiſcopo medietatem dictam condepnationum predictarum, ita quod nulla mora faciat in camera Communis dicta medietas condepnationum dicti D. Epiſcopi, ſed eidem ſtatim exacta, ut dictum eſt, debeat integraliter aſſignari. In omnibus vero & ſingulis aliis eidem D. Epiſcopo plena juriſdictio debeat remanere; & predicta omnia & ſingula ſupradictus D. Epiſcopus promiſit predicto D. Cap. & ſapp. nomine & vice d. Communis recipien. & ſtipulan. fieri & exerceri, ut dictum eſt, per d. Commune Trag. ſeu rectorem ipſius Communis, quocumque nomine cenſeatur, tempore ſui D. Epiſcopi, & non ultra. Quæ omnia &c.

Actum in palatio dicti D. Epiſcopi, preſentibus Donato D. Nicole Kaſotti, Baſtico Zori, Urina Petri Zanini, Magiſtro Ottone notario S. D. Cap. Pribe Idrenia, Zubriano Bubulo, & Vidalucio Zamberti teſtibus rog. & D. Matthæo D. Lucii examinatore.

F. Gentilis Presbyter Cardinalis tit. S. Martini in Montibus a Clemente V. miſſus eſt Legatus apoſtolicus in Dalmatiam & Hungariam,

F. Gentilis Presb. Cardin. Legat. Apoſt. in

tum

Dalmatia & Hungaria arbiter delectus ad controversiam dirimendam, quæ de prædio Drid Episcopo erat cum Canonicis.

tum ut ecclesias illarum regionum obiret, ac reformaret; tum præsertim ut gentes illas studio partium distractas in concordiam reduceret, omnesque sub imperium Caroli Roberti subjungeret; huic vero regale diadema sollemni cærimonia rituque imponeret. Anno 1308. mense Majo exeunte in Dalmatiam appulit. Spalati cum esset, Tragurienses perhonorifica legatione miserunt ipsum Prætorem urbis, & magistratum primarium, qui eum Tragurium invitarent atque adducerent; exceptusque est, quo dignum erat, honore apparatuque. Ejus adventus opportunus visus est ad controversias quasdam ecclesiasticas dirimendas. De prædio *Drid*, quod ex donatione Regum Hungariæ Episcopus & Ecclesia Tragurienſis possidebant, Liberio litem intenderunt Canonici, qui ex annuis proventibus ejusdem prædii quartam partem impendi debere contendebant ad sarta tecta tuenda, & resarciendam augendamque sacram supellectilem ædis cathedralis; cum Liberius omnes illos reditus sibi, ac Mensæ episcopali vendicaret. Antequam Gentilis Spalato discederet, Liberius & procuratores Capituli cum Legatis Tragurienſibus ad eum adierunt; eumdemque compromisso facto arbitrum sumpserunt, polliciti se illius judicio staturos. Acta hujus controversiæ Joannes Lucius ex codice Vaticano, in quo constituta decretaque omnia, quæ fecit Cardinalis Gentilis in legatione Hungarica continentur, retulit in suos codices MSS.

Acta hujus controversiæ.

Spaleti anno 1308. die 14. men. Junii constitutus coram supraſcripto D. Fratre Gentile Card. Apoſtolice Sedis Legato Ven. in Chriſto Pater D. Liberius Epiſcopus Tragurienſis pro ſe ipſo & Epiſcopatu &c. ex parte una, ac Dominis Lampridio Primicerio Procuratore & Syndico Capituli Tragurien., & Caſeriza Archidiacono nomine ſuo, & procuratorio nomine Marini ejus nepotis pro dicto Capitulo & Eccleſia Tragurien. ex parte altera. Eedem partes .... & communiter & concorditer in ipſum D. Legatum tamquam in arbitrum & arbitratorem compromiſerunt de queſtione, quam inter ſe habebant nomine eccleſie cum dicto Epiſcopo ſuper poſſeſſione predii Dryd; compromiſſum factum per eos in ipſum D. Legatum, publicum, ut prima facie apparebat, ſcriptum & publicatum per me Phylippum Compagnonem de Cingulo pub. Ap. & Imp. auctoritate notarium, preſentarunt ipſi D. Legato, petentes dictam cauſam expediri. Produxit etiam idem Primicerius quoddam inſtrumentum procurationis facte per nonnullos Canonicos de Dopno Johanne Diacono Canonico Tragurienſi ſcriptum & publicatum manu Syrochi Petri pub. Imp. auct. notarii, & quoddam aliud inſtrumentum ſubſtitutionis de ipſo Primicerio facte virtute ſupraſcripti alterius inſtrumenti procurationis ſcriptum & publicatum per me Phyl. de Cingulo not. ſupraſcriptum ſub ſupraſcripto milleſimo, die 13. preſentis men. Junii. Dictus vero Archidiac. produxit inſtrumentum procurationis facte de & per ſupraſcriptum Dopnum Marinum ſcriptum & publicatum per ſupraſcriptum Syrochium die 11. pred. men. Junii. Quod quidem compromiſſum D. Legatus ad ſe recepit, & procurationes productas, mandans ipſis partibus ut ſtuderent facere eorum allegationes, & eas dare ſibi, ſeu ejus auditori apud Tragur. Actum Spaleti in palatio Communis, preſentibus Ven. Fratre Thoma Epiſcopo Veglen., Oliverio de Ancona Poteſtate Tragurien., ac magnifico viro D. Georgio filio Pauli Comite Dalmatie, teſtibus, & aliis pluribus.

Item die 14. ſupradicti men. Junii apud palatium Communis Spaleti in camera ipſius D. Legati, preſentibus ſupraſcriptis D. Epiſcopo, & Primicerio, & Archidiacono, D. Fr. Petrus Archiepiſcopus Spalaten. tamquam Archiep. & Metropolita compromiſſum factum per ipſas partes in D. Legatum predictum, alte & baſſe de queſtione predicta predii Drid ratificavit, approbavit, & quantum in ſe erat confirmavit. Actum Spal. ut ſupra preſ. D. Oliverio Poteſtate Tragurii, Gregor. D. Luce, & Franciſco Valentini de Trag. ac D. Boninſegna de Peruſio camerario ſupraſcripti D. Legati, teſtibus; & ego Phylip. Compagnonus de Cingulo rogatus ſcribere, ſcripſi.

Legatus Tragurium venit, & cauſſam Tragurienſem cognoſcendam dedit Philippo Auditori ſuo.

Postera die Legatus Tragurium se contulit; & xv. Kalendas Julii iterum coram ipso steterunt Episcopus & procuratores supra laudati, compromissum renovarunt, regalia & pontificia diplomata obtulerunt, quorum auctoritate suam utrique causſam fulciebant. Legatus Philippum de Sardinia auditorem suum illis quæsitorem dedit, qui causſam illam cognosceret, & quæ utrinque afferebantur privilegia, & rationum momenta perpenderet; quæque comperisset alterutri parti vel prodesse, vel obesse, ad Legatum referret.

Tragurii, die Lune 17. ſupraſcripti men. Junii apud palat. Communis Trag. coram ſupraſcripto D. Legato comparuerunt ſupraſcripti D. Epiſcopus ex parte una, & D. Lampridius Primicerius, & D. Caſariza Archidiaconus, Syndici & Procuratores predicti ex parte altera; & petierunt in dicta cauſa compromiſſi procedi, & eam expediri; & produxerunt dicte partes quoddam privileg. regale cum bulla aurea pendenti bullatum, factum & datum ſuper conceſſione dicti predii Drid, & quoddam aliud privil. ſive litteras, duobus ſigillis pendentibus ſigillatum, ſcriptum per Gauſignam Primic. Tragurien. Et idem D. Legatus ad dandum eorum allegationes omnes, quaſcumque voluerint dare verbo & ſcriptis, ad cras terminum peremptorium aſſignavit, committens idem D. Legatus in preſentia ſupradict. partium D. Phylippo de Sardinia Auditori ſuo, ut dictas partes, & cauſam audiret uſque ad ejus deciſionem, & faceret ea, que fuerint facienda ad indagandum melius veritatem in predictis.

Item die Martis 18. ſup. men. Junii apud majorem Eccleſiam Trag. coram prefato D. Phylippo Auditore pro tribunali ſedente poſt nonas ad cauſas audiendas comparuerunt ſupradicte partes; quibus idem D. Auditor ad producendum omnia eorum jura, privilegia, & juſtitium, quibus uti intendebant ſuper dicta cauſa, & ad dandam eorum allegationes ad cauſam pertinentes, terminum aſſignavit. Et dictus D. Epiſcopus tunc quamdam ejus petitionem exhibuit in ſcriptis, de qua eidem Syndico & Procuratori copia facta fuit; cujus petitionis tenor talis eſt.

Coram vobis Ven. Pater, D. F. Gentilis, tit. S. Martini in Montibus Presbytero Cardinali, Apoſtolice Sedis Legato, compromiſſario & amicabili compoſitore ſuper queſtione, que vertitur inter Liberium Epiſcopum Trag. ex una parte, & Capit. dicte eccleſie ex altera ſuper fundo Drid, veſtroque Auditore & curia, dictus Epiſcopus petit & ſupplicat quod dignemini, impoſito perpetuo ſilentio, dicto Epiſcopo ſuper fundo prefato pronunciare & laudare, D. Epiſcopum nomine ſuo & menſe epiſcopalis Tragurien. non debere per dictum, vel aliquam aliam perſonam,

vel universitatem nunc, vel aliquo tempore molestari vel turbari in proprietate sive in possessione fundi, vel alicujus partis ejusdem, sed debere ipsum gaudere pacifica & quieta possessione totius dicti fundi, ut aliorum bonorum ad dict. mensam spectantium; quod autem ita sit pronunciandum, & laudandum de jure, patet pluribus juribus, rationibus, & concurrentibus pluribus argumentis, inter que, ne ipsorum pluralitate gravemini, salvis tamen aliis suo loco & tempore si expedierit producendis, unum ad presens allegat dict. Episcopus, legitimam scilicet prescriptionem illius partis dicti fundi, de qua sibi per dictum Capitulum controversia nata est; dicit enim predictum fundum, de qua est questio, per predecessores suos & se suo nomine & mense prefate, eo modo & ordine esse prescriptum, quam prescriptionem jura permittunt; de qua prescriptione paratum se offert vobis eam fidem facere, que sufficiat ad victoriam sue cause, dato sibi per paternitatem vestram ad hoc termino competente.

Item allegat preterea dict. D. Episcopus, quod dum dictum fundum esset occupatum per quemdam nobilem de Trag., tunc Episcopus Tragurien. redimendo vexationem suam, dedit & solvit eidem de bonis Episcopi & mense lib. 300., ad hoc ut dict. nob. dictum fundum eidem Episcopo restitueret, & ipsum ulterius non molestaret super ipso.

Die Mercurii 19. suprascripti men. Junii coram prefato D. Phylippo Auditore pro tribunali sedente in Ecclesia Tragurien. comparuerunt suprad. partes, & utraque allegationes in scriptis dedit, dicentes quod privilegia superius producta pro parte dicti Procur. & Capituli . . . . ipsi Syndici producebant; dictus vero Episcopus prescriptionem allegavit, offerens se eam probare paratum infra terminum competentem, dicens etiam quod privilegium regale pro eo faciebat, & quod aliud privilegium seu instrumentum non erat autenticum, nec sibi prejudicabat, & produxit idem Episcopus quoddam privilegium papale bullatum Bulla PP. Clementis IV. ad victoriam sue cause: quibus partibus satis hinc inde verbo & in scriptis allegantibus, statuit idem D. Auditor terminum peremptorium ad recipiendam copiam predictarum allegationum ad . . . per totam diem, & ad dicendum super ipsis contra quidquid habuerint hinc inde, ac dicere voluerint verbo & in scriptis, ad diem Veneris proxime nunc venturum terminum peremptorium assignavit.

Die Veneris 21. Juprascripti men. Junii comparuerunt eedem partes coram dicto D. Phylippo Auditore, parati in dicta causa procedere, ac petentes dictum negotium expediri, dicentes unus contra alterum, quod objecta per alteram partem non obstabant; & dictus D. Phylippus dixit quod volebat omnia producta & allegationes videre & examinare, & de ipsis D. Legatum informare; dictus vero D. Episcopus semper dictam prescriptionem allegando, petiit terminum competentem ad probandum eamdem; pars vero dicti Capituli contra D. Episcopum objiciendo proposuit & dixit, quod ipse Episcopus non poterat prescribere jus ecclesiæ, & quod talis etiam prescriptio interrupta fuerat, offerens se illud, si necesse fuerit, legitime probare.

Gentilis Scardonam discessit, quem secuti sunt Episcopus & Procuratores Capituli, ut est in actis.

Procuratores Capituli.

Scardone die 26. men. Junii pred. apud Scardonam comparentibus coram Juprascripto D. Legato, & D. Phylippo ejus Auditore eisdem partibus, D. Episcopus petiit sibi competentem terminum exhiberi ad probandam prescriptionem allegatam per eum; Procuratores vero dicti Capituli allegantes contrarium proposuerunt, & dixerunt, quod D. Episcopus ad dictam prescript. allegatam probandam audiendus & admittendus non erat, cum si eam probare posset, quod negarunt, ipsum non relevaret, cum non posset bona ecclesie ipso Episcopo existente, pro se, & in ejus utilitatem prescribere; & si prescripsisset, pro eadem ecclesia, & ejus fabrica prescripsit, sed si admittendus esset, vel admitteretur per D. Legatum, dixerunt ipsam prescriptionem interruptam fuisse, & illam offerebant se paratos probare; dictus vero D. Legatus non præjudicando juri dict. partium, statuit terminum unius mensis dict. partibus & ipsarum cuilibet ad probandam prescriptionem, & interruptionem predictam; & de predictorum partium voluntate, examinationem testium faciendam in predictis commisit idem D. Legatus religiosis viris Fratri . . . Priori conventus Fratrum Predicatorum de Spaleto, & Fratri Duymo de Spaleto Ord. Minorum secundum formam litterarum ipsius D. Legati, quas eisdem Fratribus super dicta receptione testium concessit.

Testimonia in utramque partem collecta & exhibita Legato.

Qui juffi fuerant ex viris cordatis, atque ad faciendam fidem idoneis testimonia in utramque partem colligere, post mensem integrum elapsum hujusmodi testificationes suo chirographo subscriptas, annuloque obsignatas miserunt ad Cardinalem Gentilem, qui eas Philippo auditori suo recognoscendas & examinandas tradidit.

Item die Dominico 28. men. Julii quidam clericus nuncius Prioris Predicatorum, & Fratris Duymi de ordine Minorum, judicum super examinatione testium in suprascriptam causam recipiendorum, quasdam scripturas & dicta testium sigill. supradict. Fratrum examinatorum in presentia Episcopi & Procurat. Capituli representavit, una cum litteris ipsorum Prioris, & Fratris Duymi, que omnia aperienda, discutienda, & alia persequenda idem D. Legatus tradidit, & commisit D. Phylippo de Sardinia Audit. suo ibidem presenti, usque ad dicte cause decisionem.

Sententia Legati secundum Canonicos.

Demum Legatus Apostolicus, Seniæ cum esset, x. Kal. Septemb. sententiam dixit secundum Canonicos; & quartam partem redituum Dridensis prædii ecclesiæ cathedrali S. Laurentii adjudicavit.

Segnie die Veneris 23. men. Augusti ante Missam apud civit. Segnienſem supraſcriptus D. Legatus commisit, & mandavit D. Gratiolo de Luca nuncio & cursori suo ibidem presenti, quod statim iret & citaret Vagnolum de Meccania Procuratorem Episcopi Tragurien., ac D. Casariam Archid. & Lampridium Primicerium procuratorem Ecclesie Tragurien., ut ipso die & mane statim post Missam coram & legitime & peremptorie comparerent audituri sententiam & laudum, seu arbitrium, quam & quod idem D. Legatus supraſcriptus .... super causa, que inter ipsos vertebat super predio Drid; alioquin ipsam sententiam, laudum, sive arbitrium feret, eorumdem absentia non obstante. Qui cursor iens & rediens statim retulit dicto D. Legato, & mihi Phylippo de Cingulo notario suo, & dicte cause

se,

ſe, ſe citaſſe omnes perſonaliter inventos, ſecundum formam dicte commiſſionis ſibi date.

Eodem die poſt Miſſam in publica ſala, & publice, preſentibus ſupradictis partibus, prefatus D. Legatus pro tribunali ſedens in ſcriptis ſuper dicta cauſa ſententiam, ſeu laudum tulit, adjudicando dicte eccleſie quartam partem dicti predii pro fabrica ipſius eccleſiæ; & dicti Procuratores hujuſmodi ſententiam & laudum ratificaverunt, & approbaverunt, preſentibus DD. Fratre T. Veglen., Fratre Nicolao Segnien. Epiſcopis, ac DD. Phylippo de Sardinia, Vanne de Aretio auditoribus, & Boninſegna de Peruſio Can. & Magiſtro Albertino de Parma not. & Capellanis ſuis &c. Ego Phylippus de Cingulo not. ſcripſi.

Alteram controverſiam inter Metropol. & Tragurienſes diremit.

Altera controverſia fuit clero & Communi Tragurienſi cum Petro Metropolita, qui cum ſæpe Tragurium adire conſueſſet, quotieſcumque illuc accederet, ſollemni pompa & apparatu, occurſatione & frequentia cleri ac populi excipi, deducique ad ædem cathedralem volebat; id cum ſibi moleſtum atque oneroſum eſſet, queſti ſunt Tragurienſes apud Gentilem Legatum, qui decrevit ac declaravit nulla lege Tragurienſes, nullaque conſuetudine obſtrictos teneri ad præſtandum hujuſmodi honorem atque officium Metropolitæ; niſi quando ille archiepiſcopalis viſitationis cauſſa Tragurium ſe conferret. Decretum Gentilis deſcriptum eſt in Petro IX. Archiepiſcopo Spalatenſi, quod datum fuit Scardonæ v. Kal. Julii.

Jaderę cum eſſet, ædem cathedralem Laurentianam indulgentiis locupletavit.

Scardonam Legatus diſceſſit, & Jaderam pervenit XVI. Kal. Auguſti: qua in urbe plures dies commoratus eſt, invitis atque obnitentibus Jadertinis, qui cum ſubjecti tunc eſſent imperio Venetorum, negabant urbem ſuam intra fines legationis Hungaricæ Gentili Cardinali traditæ contineri; de qua re plura in hiſtoria Eccleſiæ Jadrenſis. In hac igitur civitate cum verſaretur, rogatu Liberii, cleri, populique Tragurienſis, quadraginta dierum indulgentiam ædi cathedrali Laurentianæ impertivit, quam ſingulis annis perciperent quicumque illam certis ac ſtatis diebus rite confeſſi & expiati pie caſteque viſitarent.

Frater Gentilis miſeratione divina tit. S. Martini Presb. Card. Ap. Sedis Legatus. Univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Loca Sanctorum omnium pia & prompta devotione ſunt a Chriſti fidelibus veneranda, ut dum Dei honoramus amicos, ipſi nos amabiles Deo reddant, & illorum nobis vendicantes quodammodo patrocinium, apud ipſum, quod merita noſtra non optinent, eorum mereamur interceſſionibus optinere. Cupientes itaque, ut eccleſia major Sancti Laurentii Tragurien. congruis honoribus frequentetur, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui eccleſiam ipſam 14. die Novembis, & anniverſario conſecrationis die altaris Sanctorum Coſmæ & Damiani, nec non in omnibus Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum ipſorum, ac Beati Laurentii feſtivitatibus, & per octo dies feſtivitates ipſas immediate ſequentes cauſa devotionis venerabiliter viſitarint, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus meritis confidentes auctoritate apoſtolica nobis in hac parte commiſſa, 40. dies de injunctis eis pœnitentiis, annis ſingulis miſericorditer relaxamus. Datum Jadræ 6. Idus Auguſti, Pontificatus Domini Clementis Papæ V. anno tertio, ideſt 1307.

Sæculo ſuperiori cum templum cathedrale ædificatum fuit, duo procuratores ſive operarii conſtitui ſolebant, alter ex Capitulo, alter ex ordine patriciorum, qui annuos ejuſdem templi proventus colligerent, cuſtodirent, adminiſtrarent. Anno 1247. dum Treguanus huic eccleſiæ præſidebat, hac procuratione fungebantur Gervaſius Canonicus Archidiaconus, & Deſa Kaſarze, a quibus cum Gregorius Abbas cœnobii Benedictini S. Mariæ apud Melitam inſulam Sinus Flanatici, in diœceſi Jadertina, pecuniam ex ærario ejuſdem eccleſiæ mutuam ſumpſiſſet, qua indigebat ad vineas ejuſdem monaſterii reſtaurandas & excolendas; codicem Sacrorum Bibliorum apud eos pignoris loco depoſuit, quos tamdiu retinerent, quoad nummi crediti reſtituerentur. Receptæ pecuniæ tabulas conſcribi juſſit in hæc verba: *Anno 1247. Indict. VI. menſ. Febr. die tertio. Tempore Ven. D. Epiſcopi Treguani, Stepconis Comitis, Pauli, Nicolai Albertini, & Joannis Judicum Trag. hoc actum eſt. Ego quidem Gregorius Abbas mon. S. Marie de Melita, confiteor quia accepi a Rev. Gervaſio Arch. & Deſa Kaſarze procuratoribus operis eccleſie S. Laurentii de Tragurio 40. libras denariorum parvorum Venetorum mutuo, pro quibus portionem unam biblie ejuſdem mon. memorate eccl. S. Laurentii tali tenore pignoris nomine obbligo & aſſigno, ut quovis pretextu pecunia per me, vel ſucceſſores meos eidem operi plene non fuerit perſoluta, predicta eccleſia memoratum librum in ſua teneat poteſtate. Dictam namque pecuniam, teſte Deo, expendi in reparatione vinearum obedientie de Jadra, quæ hujus temporibus inculte relicte fuerant, diſcordia inter Jadratinos & Venetos imminente. Teſtes ſunt Thomas Archid. Spalatenſis, Presbyter Vitus, & Savinus Diaconus & ejuſdem eccleſie Can. Trag. Ego Joannes Caſioto examinator manum meam mitto; & ego Gauſinna Primicerius, & Trag. juratus notarius verbo pred. Gregorii Ab. hanc cartam ſcripſi, & ſigno conſueto ſignavi.*

Duo curatores ædis cathedralis.

Cum ab hujuſmodi procuratoribus bona Eccleſiæ Laurentianæ, & pia legata non recte adminiſtrari, & interdum in privatam utilitatem, vel alienos uſus converti compertum fuiſſet; poſtulatum eſt a Legato, ut pro ſua ſapientia & auctoritate huic malo remedium afferret, procuratorem e cœtu nobilium eligendi modum ac formulam præſcriberet; hunc vero tum Epiſcopo & Capitulo, tum Rectori & Conſilio nobilium reddere rationem ſuæ adminiſtrationis juberet; itemque decerneret, ad quem pia teſtamenta & legata curare & exſequi ſpectaret. Sed Legatus cum Scardonam proficiſci maturaret, quo illum Paullus Comes Breberienſis, Banus Dalmatiæ & Chrobatiæ invitaverat, rem omnem ad ſuum in illam urbem adventum reſervavit, Itaque Scardonæ anno 1307. v. Kal. Julii hoc decretum fecit.

Tragurienſes a Gentili Legato poſtulant, ut rectæ adminiſtrationi bonorum Eccleſiæ Laurentianæ provideat.

F. Gentilis &c. Ad futurorum memoriam. Si diligenter attenderet humana mortalitas ſe, quod largitori omnium digne retribueret, non habere, cum apud ſe nullum bonum inveniat, quod non ſit liberalis gratie Dei, nimis erubeſceret utique, imo paveſceret cum ingenti ingratitudinis ſue nota, ac tremendo animadverſionis divine periculo, temporalia bona ſive ad eccleſiarum fabricas, ſive ad uſus pauperum a Chriſti fidelibus pie oblationis munere juribus adſcripta divinis, ut pro his bona offerentibus compenſentur eterna, improbe ablationis auſibus contrectare ſacrilegis, & inique fraudis, aut violente preſumptionis injuria

Decretum Legati.

temerare; ſane dilectis in Chriſto filiis Poteſtate, Conſ. Com. civit. Trag. referentibus, ad audientiam noſtram pervenit, quod nonnulli executores teſtamentorum, ſeu ultime voluntatis illorum, qui de hac luce migrarunt civit. & dioc. Trag. delegata ab eiſdem defunctis eccleſiarum, & locorum piorum dicte civit. fabricis, aut in pauperum uſum, aliter quam diſpoſitio defunctorum ipſorum habeat, diſtribuunt, vel non plene. Quidam autem quoſdam redditus ſeu proventus ad eccleſiarum ipſarum fabricas ſpecialiter deputatos in uſus proprios, ac alios illicitos convertere non verentur. Alii vero, quorum fidei ab eiſdem defunctis vel executoribus eorum bona committuntur expendenda, & ponenda in fabricis, & uſu pauperum ſupradictis, avaritie vitium incurrentes, de bonis ipſis non diſponunt juxta ipſorum decedentium ultimas voluntates. Quare dicti Pot. Conſ. & Com. nobis humiliter ſupplicarunt, ut providere ſuper his paterna ſollicitudine dignaremur. Nos itaque paterne charitatis affectu volentes eccleſiarum ipſarum, & pauperum eorumdem indemnitatibus, & animarum periculis ſalutaribus ſtudiis obviare, cum nil magis rebus debeatur humanis, quam quod voluntates ultime fidelium firmiter obſerventur; auctoritate, qua fungimur, preſentium tenore ſtatuimus & ordinamus, ut quatuor viri dicte civit. fidelitate ac diſcretione precipui, per Poteſt. Conſ. & Com. predictos eligantur, & nominentur Epiſcopo & Capit. Trag. qui pro tempore fuerint, de quibus iidem Epiſc. & Capit. infra tres dies poſt electionem & nominationem hujuſmodi, ab eiſdem Pot. Conſil. & Com. ut premittitur faciendam, unum quem maluerint aſſumere, ac eligere teneantur, qui ſolerter exigat, recolligat, & recipiat, ac fideliter conſervet fructus, redditus, proventus, ac legata omnia ſupradicta ad dictas fabricas deputata ponenda poſtmodum & expendenda in iiſdem fabricis ſine diminutione qualibet per eumdem. Si vero infra dictos tres dies prefati Epiſc. & Capit. unum de dictis quatuor per Pot. Conſ. & Com. pred. ut premittitur, eligendis, aſſumere vel in eum conſentire neglexerint, tunc liberum ſit eidem Pot. Conſ. & Com. abſque ipſorum Epiſc. & Capit. contradictione, aſſumere & ponere unum de ipſis quatuor, quem maluerint, ad fabricas ſupradictas: qui etiam de acceptis & expenſis, prefatis Epiſc. & Capit. Pot. Conſ. & Com. vel ei, vel illis, quem vel quos ipſi communiter ad hoc deputandum, vel deputandos duxerint, exactam teneantur & debitam ſub excommunicationis pœna, quam ipſo facto eum incurrere volumus, ſi ſecus fecerit, reddere rationem. De legatis vero & relictis pauperibus pref. Epiſcopus per ſe, vel per alium diſponat & ordinet juxta decedentium ultimas voluntates; decernentes, ſi ſecus factum fuerit, irritum & inane. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtri ſtatuti, ordinationis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus noverit ſe incurſurum. In cujus rei teſtimonium preſentes litteras fieri juſſimus, & ſigilli noſtri munimine roborari. Dat. Scard. 5. Kal. Julii. Anno Domini 1307. Pontificatus D. Clementis Pape 5. an. 3.

Ex præſcripto & imperio Legati poſt diem ſextum Conſilium generale convocatum eſt ad ferenda ſuffragia, ut docent Tabulæ Tragurienſes. *An. 1308. die 3. menſ. Julii. Congregato Conſilio generali, & ſpeciali civit. Trag. in pal. d. Comitis, mandato nob. & pot. viri D. Oliverii de Rubeis de Ancona hon. Poteſt. d. civit. de conſenſu & voluntate 8. Conſiliariorum civitatis predicte, ſono campane, & voce preconis, ut moris eſt; in quo quidem Conſ. pred. D. Poteſtas proponit, & dicit, quod placeat dicto Conſ. providere, conſiliare, deliberare ſuper operario faciendo in eccleſia S. Laurentii, ſecundum formam privilegii conceſs. per D. Legatum.*

In reformatione cujus Conſilii facto & miſſo diligenter partito per ipſum D. Poteſtatem de ſedendo ad levandum, ſecundum formam ſtatuti, placuit majori parti de d. Conſilio, quod quatuor homines eligantur in preſenti Conſilio ad ſcrutinium, qui ſint & eſſe debeant operarii eccl. S. Laurentii, qui debeant recipere introitus, fructus, & proventus dict. eccl. & omnia & ſingula facere & exercere, quod ad utilitatem d. eccleſie pertinet; & quod electi preſententur D. Epiſcopo Trag. ut unum, vel duos ex ipſis eligat nominatis ſecundum formam privil. infra tertium diem; nomina quorum electorum ad predicta ſunt hec.

Ceteros numero ſuffragiorum ſuperarunt *Gregorius D. Lucii, Franciſcus Valentini, Zubrianus Marini, Gregorius Salinguerra.*

Die 8. menſ. Julii.

Preſentati fuerunt ſupraſcripti operarii D. Epiſcopo Trag. & Capitulo per Poteſtatem & ſapientes ſecundum formam privilegii D. Legati in reclaſto dict. D. Epiſcopi preſent. D. Deſſa Amblaſii, & Deſſa Morſice.

Die 8. Julii.

Antedictus D. Epiſcopus approbavit de predictis quatuor D. Gregorium Salinguerre operarium, qui jurare debet coram D. Poteſtate, & 8. Sapient. & d. D. Epiſcopo & Capitulo facere dictum officium bona fide, ſine fraude, ut in privilegio D. Legati continetur.

At vero Gregorius Salinguerra procurator ædis Laurentianæ, poteſtatis atque adminiſtrationis ſuæ limites prætergreſſus, quartam vini & frugum ceterarum partem exigere volebat ex territorio S. Vitalis, quod ex donatione Communis Tragurienſis ad menſam Epiſcopi & Capituli pertinebat; idque ex mandato Oliverii prætoris, & Conſilii generalis; qui per præconem tum illi niſi exigeret, tum villicis niſi partem quartam illorum fructuum penderent, mulctam pecuniariam indixerunt. Liberius prætorem & conſiliarios admonendos curavit, ut mandatum illud revocarent, itemque Gregorium, ut ab hujuſmodi exactione abſtineret. Cum privata & amicabilis admonitio iterum ac tertio repetita nihil proficeret, in æde cathedrali, ſedens in ſolio pontificio, trina eodem tempore admonitione publica adhibita, primum Prætori & Conſilio, tum eidem Gregorio anathema denunciavit, niſi intra diem tertium illi mandatum Gregorio impoſitum reſcinderent, hic vero ab exigendis quibuſcumque fructibus ex territorio S. Vitalis abſtineret.

Sententia Liberii Ep. anathema denuncians Poteſtati & Conſilio.

Nos Liberius miſerat. div. Tragurienſis Epiſcopus monemus pro primo, ſecundo, & tertio termino, & peremptorio, & ſub pena excommunicationis, D. Oliverium Poteſtatem civit. Trag. Conſilium generale, & Sapientes electos & deputatos per dict. Conſilium civit. Trag. quod omne preceptum ſive bannum factum Gregorio Salinguerre operario eccleſie S. Laurentii de Trag. ſub pena 50. lib. denar. Venet. par. quod dict. Gregorius debeat petere & recipere omnia, que ſpectare noſcuntur ad fabricam eccleſie S. Laurentii,

tii , qui Gregorius tamquam operarius dicte eccleſie , & vigore dicti precepti ſibi facti , petit a laboratoribus noſtris puncte S. Vitalis ſibi dari & aſſignari quartam partem vini , ſive muſti dict. puncte , ſicut per Joannem Rivarium Communis Trag. banditum fuit in una maceria exiſtente in dicta puncta , ex parte ejuſdem Poteſtatis , quod omnes laboratores ipſius puncte deberent dare & aſſignare dicto Gregorio Salinguerra operario S. Laurentii quartam partem muſti dicte puncte ſub pena 50. lib. quod quidem preceptum ſeu mandatum factum dicto Gregorio , & bannum factum per Rivarium Communis laboratoribus pred. puncte , dict. Poteſtas revocare , caſſare , & annullare debeat infra tres dies ; cum factum fuerit in non modicum noſtre menſe dampnum , prejudicium , & gravamen , ex eo quod nos pro tribus partibus , Capitulum pro quarta parte fuimus & ſumus in pacifica & quieta poſſeſſione de dicta puncta , & fructibus , ſicut patet per publica inſtrumenta manu publica confecta . Alioquin ſi infra predict. terminum non duxerit dict. Pot. revocandum dict. preceptum ſeu mandatum , factum dict. Gregorio operario , & bannum factum per dict. Rivarium ex parte dict. Poteſt. dictis laboratoribus ; in his ſcriptis ſententiam excommunicationis ipſum D. Oliverium Poteſt. ſuumque Conſil. atque Sapient. ex nunc prout ex tunc , incurrere ipſo facto volumus . Lata & pronunciata fuit hec ſententia in eccleſia cathedrali B. Laurentii per d. D. Epiſcopum ſedentem in ſede ſua , preſente Fr. Lazaro Guardiano Fr. Min. de Trag. Fr. Petro Theotonico ord. Minor. Fr. Theodoro Priore Fr. Predicat. Fr. Dominico de Veglia ord. Predic. Dompno Lampridio Primicerio eccleſie S. Laurentii de Trag. Dompno Caſaricza Canon. Fr. Savino monacho S. Joan. de Trag. Fr. Bernardo monacho ejuſdem mon. D. Daniele Presb. & D. Zepregna Presbyt. teſtibus vocatis & rogatis ad hec ſpecial. die 16. menſ. Septemb.

Altera ſententia excommunicationis in Gregorium Salinguerram.

Nos Liberius miſer. div. Ep. Trag. monemus pro primo 2. & 3. termino peremptorio Gregorium Salinguerram oper. eccleſie S. Laurentii de Trag. & ſub pena excommunicationis , quod ipſe non debet per ſe nobis auferre , vel per interpoſitam perſonam facere auferri quartam partem vini ſive muſti puncte S. Vitalis , nec precipere laboratoribus noſtris pred. puncte S. Vitalis , quod ei debeant dare & aſſignare dictam quartam partem vini ſive muſti : quod quidem vinum ſive muſtum ad nos de jure ſpectare dignoſcitur , & non ad eum , ſicut apparet per publica inſtrumenta manu publica confecta , ex eo quia tam proprietatem , quam poſſeſſionem dicte puncte tenuimus , poſſedimus , & fructus ex ea percepimus pacifice & quiete ſine aliqua contradictione ; & nunc tenemus & poſſidemus pacifice , & quiete , & de dicta quarta parte vini ſive muſti puncte pred. non debet nos expoliare , nec expoliari facere ſine cauſe cognitione ; alioquin ſi ſecus fecerit , in his ſcriptis ſententiam excommun. volumus ipſo facto incurrere . Lata & pronunciata fuit hec ſententia in eccleſia cath. S. Laurentii &c. ut ſupra .

Prætor , Conſil. Præfectus fabricæ Laurentianæ appellant ad Gentilem Legatum ,

A priori denunciatione & ſententia Nicolaus Caſoctus ſyndicus nomine Prætoris & Conſilii Tragurienſis , a ſecunda vero Gregorius Salinguerra per ſe ipſe ad Gentilem Card. Legatum apoſtolicum appellarunt , qui e Dalmatia in Hungariam diſceſſerat . Liberius ad eum Budam ſe contulit , & multa de Oliverio Prætore , de magiſtratu , cœtuque nobilium , de Gregorio præfecto fabricæ Laurentianæ queſtus , eumdem oravit , ut confirmaret decretum , quod Scardonæ fecerat ; ſimulque in eo condendo quid ſuæ ſententiæ ac voluntatis fuiſſet , declararet . Annuit Legatus , & poteſtatem atque adminiſtrationem procuratoris Eccleſiæ Laurentianæ quatenus extendi voluerit explicavit , eamque in illis tantummodo rebus verſari juſſit , quæ vel ex teſtamentis , vel ex donatione piorum hominum eidem fabricæ & eccleſiæ obvenirent .

qui rogatu Liberii Ep. decretum antea factũ explicat , & confirmat .

F. Gentilis &c. Ad futuram rei memoriam . Pridem in legationis noſtre primordio affectantes juxta officii noſtri debitum quibuslibet cure noſtre commiſſis exhibere juſtitie complementum , ut per eam in caritatis dilectione , ac pacis dulcedine vitam quietius ducerent , ac fraterna degerent unitate . Volentes quoque eccleſiarum , & pauperum civit. Tragur. indemnitatibus , & animarum periculis ſalubribus ſtudiis obviare , ad petitionem & inſtantiam dilectorum in Chriſto filiorum Poteſt. Conſil. & Com. civit. ejuſdem auctoritate , qua fungimur , per noſtras litteras ſtatuimus , diximus , & etiam ordinavimus , ut quatuor viri ejuſdem civit. fidelitate , & dilectione precipui , per Poteſt. Conſil. & Com. pred. eligantur , & nominentur Epiſcopo & Capitulo Trag. qui pro tempore fuerint , de quibus idem Epiſcopus & Capitul. infra tres dies poſt electionem & nominationem hujuſmodi unum teneantur aſſumere & eligere , quem maluerint , qui ſolerter exigat , recolligat , & recipiat , ac fideliter conſervet fructus , redditus , & proventus , & legata quelibet ad Trag. Eccleſie fabricas deputata , ponenda poſtmodum & expendenda in eiſdem fabricis , ſine diminutione qualibet per eumdem . Si vero infra tres dictos dies prefati Epiſcopus & Capit. unum de dictis 4. per Pot. Conſ. & Com. pred. eligendis , ut premittitur , aſſumere , vel in eum conſentire neglexerint , ex tunc liberum ſit eidem Pot. Conſ. & Com. abſque ipſorum Epiſcopi & Capituli contradictione , aſſumere , ac ponere unum de ipſis quatuor , quem maluerint , ad fabricas ſupradictas , qui etiam de receptis & expenſis predictis Epiſcopo & Capitulo , nec non Pot. Conſ. Com. aut ei , vel illis , quem & quos ipſi communiter ad hoc deputandum , vel deputandos duxerint , exacte teneatur , & debite , ſub excommunicationis pena , quam eum incurrere ipſo facto volumus , ſi ſecus egerit , reddere rationem . Volumus inſuper quod de legatis pauperibus relict. pred. Epiſcopus per ſe , vel per alium diſponat , & ordinet juxta decedentium ultimas voluntates , decernentes ex tunc , ſi ſecus actum foret , irritum & inane . Nuper autem Ven. in Chriſto Pat. D.D. Trag. Epiſcopi , non ſine turbatione mentis , porrecta nobis petitio patefecit , quod pred. Pot. Conſ. Com. pure intentionis noſtre propoſitum pervertentes comminantur , & dicunt ſe velle , quod electus pred. operarius vulgariter nominatus , qui nunc eſt , & pro tempore fuerit , ſub pretextu dicte fabrice , exigat , recolligat , & amminiſtret fructus predii Drid ; nec non decimationum , oblationum , ac reddituum omnium bonorum Tragur. Epiſcopatus quartam partem , & legata omnia pro quocumque miniſterio eidem eccleſie , etiam non pro ipſis fabricis deputata ; dictiſque comminationibus non contenti , etiam in parte proruperunt ad actum , faciendo videlicet Gregorium operarium d. eccleſie ſecundum formam conſtitutionis & ordinationis noſtrarum deputatum , exigere ac recipere a laboratoribus puncte S.

Vita-

Vitalis, cujus tres partes ad epiſcopalem menſam, quarta ad Capitul. Tragurien. pertinere noſcuntur, ſex menſuras & dimidium muſti pro quarta parte dictarum fabricarum, ac precipiendo laboratoribus dicte puncte, quod eidem operario quartam partem vini puncte ipſius debeant aſſignare, ad hanc ſuam preſumptionem excuſandam, ſeu verius colorandam, prefati Pot. Conſ. & Commune inaniter pretendentes, quod & virtute conſtitutionis & ordinationis ipſarum, hujuſmodi operario exigenti & amminiſtranti relicta pro fabricis memoratis, competit etiam amminiſtratio bonorum omnium tam dicti Epiſcopatus, quam aliorum, que ad ſupradictas fabricas quocumque modo extiterint deputata. Ne igitur ſub contentioſe dubietatis involucro, ac verborum ambagibus intentionis noſtre puritas, rectumque propoſitum involvantur; tenore preſentium declaramus fuiſſe intentionis noſtre, ac nunc eſſe, ut electus vel operarius ſupradictus, ſecundum preſcriptam formam ab Epiſcopo & Capitulo memoratis electus & aſſumptus, de nullis aliis fructibus, redditibus, & proventibus ad eaſdem fabricas per eumdem Epiſcopum amminiſtrandis, ſeu relictis aliis ad pias cauſas, vel ad quoslibet alios eorumdem Epiſcopi & eccleſie uſus ſe intromittere poſſit quomodolibet, vel etiam teneatur, niſi tantum de his, que relinquentur in teſtamentis, aut voluntatibus ultimis defunctorum, vel etiam a viventibus nominatim & expreſſe ad fabricas ſupradictas, decernentes ſi ſecus actum, vel preſumptum fuerit, irritum & inane. Cetera vero ad ipſas fabricas alias quoquo modo ſpectantia diſpoſitioni & amminiſtrationi ejuſdem Epiſcopi, & ſucceſſorum ejus, qui pro tempore ipſi eccleſie prefuerint, relinquantur; ut ipſa juxta ſanctiones canonicas in virtute obedientie utilitati fabricarum ipſarum, prout tenentur, ſtudeant fideliter deputare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre declarationis & conſtitut. infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beat. Petri & Pauli Apoſt. ejus ſe noverit incurſurum. Datum Bude 4. men. Novemb. Pontif. D. Clem. PP. 5. anno 3. ideſt 1307.

Philippum auditorem ſuum Gentilis Legatus judicem Liberio, & ejus adverſariis dedit.

Reliqua controverſia erat de ſententia excommunicationis, quam injuſtam & irritam eſſe prætor, ceterique adverſariæ partis affirmabant, ac de horum appellatione, quam inutilem & inanem fuiſſe Liberius contendebat. Hujus autem controverſiæ cognoſcendæ ac dirimendæ poteſtatem Philippo de Sardinia auditori ſuo Gentilis delegavit. Pars utraque ſuos procuratores, Liberius Vagnolum de Meccania, qui pro ſe, magiſtratus & Conſilium Tragurienſe, itemque Gregorius Salinguerra Deſſam Amblaſium, qui pro ſe cauſſam dicerent, conſtituerunt; verum Deſſa ſibi ſubſtituit Bartholomæum de Pignatorio. Ac Liberius quidem ex Hungaria Tragurium reverſus ſententiam ſuam ratam, appellationem irritam fuiſſe oſtendebat in ſuo quoddam ad Gentilem ſcripto. *Cui appellationi*, ajebat, *non detuli, tamquam frivole & inani iſtis de cauſis; primo videlicet, quod ad dictum D. Poteſtatem civit. Trag. & ad ſuum officium non pertinet precipere dicto Gregorio Salinguerra, ut reciperet redditus, & proventus, & fructus puncte S. Vitalis, quia in privil. veſtro facto & conceſſo operar. eccleſ. S. Laurentii non continetur, quod eſſet exactor poſſeſſionis & reddituum puncte S. Vitalis, nec ipſe Pot. eſt meus judex in predictis, nec in aliis, cum dicta puncta S. Vitalis fuit data cum omnibus pertinentiis ſuis & fructibus predeceſſoribus noſtris, & mihi & Capitulo per Commune dicte civitatis Trag. ſicut patet per publica documenta ſcripta manu publica; quam punctam tenui & poſſedi una cum dicto Capitulo pacifice & quiete uſque in diem dicti precepti facti D. Gregorio per dict. Poteſt. & ex vigore dicti precepti facti D. Gregorius recepit, & recipi fecit quartam partem fructuum, e reddit. dict. puncte ad me pertinentium & expectantium, & non ad dict. fabricam; & fructibus dicte puncte dict. Gregor. me expoliavit metu pene & banni ſibi facti de 50. lib. per dict. D. Poteſt. prout ipſe Gregorius confeſſus fuit coram me, & dict. Capitulo, ſine cauſe cognitione. Item non detuli ex eo, quia dictus Poteſt. dicit, quod d. ammonitio, ſeu preceptum facta vel factum a me fuit eis irrequiſitis, quod falſum eſt, ex eo quia ego proceſſi juris ordine ſervato; primo quia proteſtatus fui ipſi D. Poteſt. & ſuis ſapientibus, qui gerebant, & gerunt vicem totius Conſil. generalis, ut patet, per publicum precept. ſcriptum manu Mag. Thomaſii notarii; in quo quidem precepto continetur, quod dictus Poteſt. una cum ſuis ſapientibus deberet annullare, caſſare, & revocare preceptum factum Gregor. Salinguerra ſub pena 50. libr. & etiam bannum factum per Rivarium Communis laboratoribus noſtris d. puncte S. Vitalis ſub eadem pena 50. libr. quod ipſi deberent reſpondere dict. Gregorio de quarta parte fruct. ſcilicet muſti, Item non detuli ex eo, quia ego proceſſi juris ordine ſervato, in eo videlicet quod trina ammonitione premiſſa, ſcilicet trium dierum, tuli ſententiam excom. in pred. Pot. ſap. & Conſil. quod deberent caſſare, annullare, & revocare dict. precept. factum d. Gregorio, & bandimentum factum per dict. Rivarium dictis laboratoribus infra tertium diem, quod quidem minime fecerant; ſicut patet in mea ſententia manu publica ſcripta, quam ſententiam tuli in ſcriptis in eccleſia noſtra cathedrali, ſedendo in ſede noſtra pro tribunali, preſent. religioſis perſonis, & aliis, prout in dicta ſententia continetur; & ipſam ſententiam non tuli contra privil. veſtrum, quia in ipſo privilegio non continetur, quod operar. debeat recipere quartam partem fructuum dicte puncte S. Vitalis, cum ipſa puncta ad nos pertineat, & non ad fabricam, nec per ipſum privileg. potuit me expoliare: quia tamen dicit ſyndicus & proc. Poteſt. & Communis Trag. . . , inſtanter petiit a me . . . . . exhiberi, non quod appellationi ipſius ſyndici deferam, ut dictum eſt, ſibi & nomine ſuo, & illorum, quorum intereſt, preſentes dedi . . . ſigillatas noſtro ſigillo, eis prius in actis meis regiſtratis, & prefixi eidem ſyndico . . . . ut tertia die poſt feſtum omnium SS. . . . cum eiſdem coram veſtra Rev. Paternitate legitime & peremptorie ſe preſentet ad proſequendam dictam appellationem, proteſtans expenſas factas & faciendas, dampna, & inter. que ex cauſa pred. me ſubſtinere contingeret in futurum. Dat. Trag. die 27. menſ. Septemb.*

Refutatio appellationis.

Eodem modo & iiſdem fere ſententiis ac verbis Liberius rejecit ac refutavit appellationem Gregorii Salinguerræ præfecti fabricæ Laurentianæ. Utramque appellationem ſcriptis traditam & apud Epiſcopum relictam, cum Nicolaus Caſoctus ſyndicus, & Gregorius Salinguerra poſtulaſſent, ad Legatum Gentilem deferendam; Liberius cum utriuſque refutatione ac ſententia

ex-

excommunicationis duabus litteris, alteram alteris incluſit. Prioribus hunc titulum fecit: *Reverendiſſimo in Chriſto Patri D. & D. Fratri Gentili tit. S. Martini in montibus Presb. Card. Apoſt. Sed. Leg. in regno Ungar. Liberius miſerat. divina Epiſcopus Tragur. civit. indignus ſeipſum cum reverentia tam debita, quam devota. Veſtre Reverende Paternitati facio harum litterarum ſerie fore notum, me ſedente pro tribunali in ſede mea in majori eccleſia cathedrali quamdam ſententiam excommunicationis tuliſſe contra Poteſtatem, Conſilium, Sapientes civit. Trag. cujus tenor talis eſt per omnia. Nos Liberius miſerat. divina Tragurien. Epiſcopus monemus pro primo &c.* ut ſupra pag. 366. Sententiæ ſubjicitur appellatio Nicolai Caſocti Syndici cum refutatione Liberii.

Alteri epiſtolæ hunc titulum præpoſuit: *Reverendiſſimo in Chriſto Pat. D. & D. Fratri Gentili tit. S. Martini in montibus Card. Apoſt. Sed. Leg. in regno Ungar. Liberius &c. Veſtre Reverende Paternitati facio harum litterarum ſerie fore notum, me ſedente pro tribunali in ſede noſtra in maj. eccl. cathed. quamdam ſententiam excommun. tuliſſe in ſcriptis contra Greg. Salinguerram operar. eccl. S. Laurentii; cujus tenor talis eſt. Nos Liberius &c.* ut ſupra pag. 367. Sententiæ ſubjicitur appellatio Gregorii Salinguerræ cum refutatione Liberii.

Deſſa Amblaſius procurator Prætoris, Conſilii, & Communis Tragurienſis, itemque Gregorii Salinguerræ, qui poſtea ſibi in eam procurationem ſubſtituit Bartholomæum de Pignatorio, utramque epiſtolam cum incluſis in eadem ſententia Epiſcopi, appellatione utraque, & refutatione utriuſque, Budam detulit ad Gentilem Legatum anno 1308. die ab Liberio præſtituta, ideſt pridie Nonas Novembris, ut eſt in actis hujus controverſiæ. Adfuit quoque Liberius Epiſcopus, pro ſe ſuaque eccleſia cauſſam dicturus, cujus deinde defenſionem commiſit Vangnolo ſuo procuratori.

Legatus cauſſam cognoſcendã dedit Philippo de Sardinia Auditori ſuo,

In Dei nom. Anno Dom. 1308. Ind. 6. temp. D. Clem. PP. 5. die Lune, 4. menſ. Novembr. actum Bude in loco Fratrum Predicat. de Caſtro coram Rev. in Chriſto Pat. & D.D. Fr. Gentili D. gr. tit. S. Martini in Montibus Presb. Card. Ap. Sed. Leg. Deſſa Amblaſius de Trag. Proc. & ſyndic. D. Oliverii Poteſt. Conſiliariorum Conſilii, & Com. civit. Trag. nec non Gregorii Salinguerre, operarii eccleſie S. Laurentii de Trag. ex parte una; ac Ven. Pat. Liberius Epiſcopus Tragurien. pro ſe ipſo, & eccleſia ſua ex parte altera in juditio comparuerunt; & dictus Deſſa duas litteras ſigilla ipſius D. Epiſcopi ſigillatas continentes quaſdam appellationes ... clauſas repreſentavit, offerens ſe paratum procedere in dicta cauſa: quibus quidem litteris per eumdem D. Legatum receptis, pref. D. Legatus tradidit eas Ven. viro D. Philippo de Sardinia Canonico Arborenſi, capellano & auditori ſuo, mandans ſibi, ut cauſam, ſive cauſas in dictis litteris contentas ab eiſdem audiret, & fine debito terminaret.

qui ſecundum Epiſc. judicavit.

Ergò Philippus judex delegatus huic controverſiæ dirimendæ, cum partem utramque iterum ac ſæpius audiviſſet, & momenta rationum ſcripto tradita, quæ utrinque afferebantur, accurate perpendiſſet, demum anno 1309. XVI. Kal. Maji ſententiam tulit ſecundum Epiſcopum, a qua rurſus Bartholomæus de Pignatorio procurator partis adverſariæ appellavit.

In Dei nomine amen. Olim cauſam appellationis, ſeu appell. que vertitur inter Ven. Pat. D. Liberium Epiſcopum Tragurien. ſeu Vangnolum de Meccania procur. ſuum ex parte una, & D. Oliverium Poteſt. Trag. Conſil. Sapient. & Commune, ac Gregorium Salinguerre operarium eccleſie S. Laurentii de Tragurio, ſeu Bartholomeum procuratorem ſubſtitutum eorum ex altera, interpoſitam . . . ad Rev. Pat. & D. D. Fr. Gentilem tit. &c. a quibuſdam monitionibus, preceptis, & proceſ. factis contra ipſum Pot. Conſil. Sapient. & Gregorium operarium ſupraſcriptos, per ſupradict. Epiſcop. Tragurienſem, prefatus Rever. Pater nobis Mag. Philippo de Sardinia Canonico Arboren. Auditore ſuo audiendam commiſit ſpecialiter, & fine debito terminandam. Tandem a Barthol. proc. ſive ſyndico ſubſtituto ſup. Pot. Conſil. Com. & Sapien. ac Greg. oper. contra dict. Epiſcopum & Vangn. ejus procur. libellos in judicio exhibitos recepimus, quorum tenores per ordinem tales ſunt.

Coram vobis Ven. Viro D. Phil. de Sardinia Can. Arboren. & Auditore generali Rev. Pat. D. Fr. Gentil. &c. propono ego Barth. ſubſtitutus a Deſſa proc. Gregor. Salinguerre operarii eccl. S. Laurentii de Trag. contra &c.

Coram vobis &c. propono ego Barthol. ſubſtitutus a Deſſa ſyndicus & procur. Comitis Dom. Oliverii de Bubeis de Ancona Poteſt. Conſil. & Com. Trag. nomine eorumdem contra Ven. Pat. D. Liberium Epiſcopum Trag. &c.

Lite igitur coram nobis ſuper dictis libellis legitime conteſtata per procur. predict. preſtitoque hinc inde de calumpnia & veritate dicenda corporali juramento, factis quoque poſitionibus, & ad eas reſponſionibus ſubſecutis, datis articulis, & termino peremptorio ad probandum eoſdem per nos aſſignato, inſtrumentis quibuſdam hinc inde in cauſa ipſa productis, & probationibus in & per eadem factas, tandem a procur. ſuprad. aliis omnibus probationibus renunciatum, & in cauſa ipſa voluntarie concluſum, in qua nos etiam habuimus pro concluſo. Nos itaque auditis legationibus hinc inde factis, viſis diligenter, diſcuſſis, ac etiam examinatis juribus, rationibus, & probationibus utriuſque partis, inveſtigatis quoque ad plenum & cognitis ipſius cauſe meritis, & equa juſtitie lance diſcuſſis, factaque per nos pred. D. Legato de ipſis relatione fideli; deliberatione inſuper nobiſcum, & cum peritis habita diligenti; Chriſti nomine invocato, procuratoribus partium earumdem . . . propter hoc in preſentia noſtra conſtitutis, & ſententiam ferri poſtulantibus, & per ea, que vidimus & videmus, cognovimus & nunc cognoſcimus, pro tribun. ſedentes, pronunciamus ſententialiter in his ſcriptis D. Oliverium Pot. civit. Trag. Conſil. Com. & Sapientes ſupradictos perperam appellaſſe, & pred. Epiſcopum Trag. legitime proceſſiſſe; & ipſius Epiſcopi proceſſus ſimiliter confirmamus; prefatum D. Oliver. Pot. & Com. civit. pred. Conſil. & Sapientes ſuos, & Gregor. operar. ſupradictum ad Epiſcopum remittendos eſſe dicimus & remittimus; condempnantes eos ſeu Barth. procurator. ſubſtitutum nomine eorumdem, ſententialiter in his ſcriptis in expenſis legitimis, quas ſuper appellat. hujuſmodi pars altera ſe feciſſe docuerit, ipſarum taxatione nobis in poſterum reſervata. A qua quidem ſententia & condempnatione prefatus Bart. ſyndicus & proc. n. q. ſ. ſtatim viva voce appellavit, & Apoſtolos cum inſtantia petiit. Lata, lecta, & in ſcriptis pervulgata fuit ſupradicta ſen-

ſententia per ſupradict. D. Philippum Aud. pro tribunali ſedentem in caſtro Bude, in loco, ubi judicialiter ſedere conſuevit, preſentibus Vangnolo & Bart. proc. ſupradictis, quolibet pro ſe parte ſua ſententiam ferri poſtulantibus, & partem adverſam in expenſis condempnari petentibus &c. ſcripta & publicata per me Philip. Compagnon de Cingulo notar. ſupraſcr. D. Legati & d. cauſe ſub anno D. 1309. Ind. 7. die mercurii, 16. menſ. April. in veſperis, Pontif. Dom. Clemen. PP. 5. an. 4. preſentibus Vener. & diſcretis DD. Vanne de Aretio, & Gaſparro de Monteſia pref. D. Legati Capell. D. Gregorio Lucio de Tragurio, & Dunco alias Damiano famulo ipſius, teſtibus ad pred. voc. ſpecialiter & rogatis.

Die Lune 20. pred. men. April. ſuprad. Mag. Barthol. ſyndicus & procurator citatus per Zuiticum curſorem ad petitionem ſupradicti Vangnoli procur. D. Epiſcopi ibidem preſen. ad recipien. Apoſtolos, & ad audiendam reſponſionem ſuprad. D. Auditor. ſuper appellatione ipſius, comparuit coram eodem D. Auditore paratus ipſos recipere; & tunc dict. Auditor appellat. D. Barthol. interpoſite detulit, ac ſibi ad proſequendam eamdem coram D. Legato ſupradicto decem dierum tunc proxime futurorum terminum peremptorium aſſignavit.

Admonitio Gentilis Legati ad Prætt. Conſil. &c. Trag.

Poſt interpoſitam a ſententia Philippi Audit. appellationem, de progreſſu exituque hujus controverſiæ nihil notatum eſt in Codice Vaticano ſupra laudato; eidem tamen duæ ſchedulæ innexæ ſunt, altera ſeorſum ab altera, quæ ad eamdem controverſiam ſpectant; ſed mutilas eſſe apparet. In his quædam mandata Gentilis legati perſcripta ſunt, quæ notis chronologicis carent. Admoneri jubentur Prætor, Conſilium, Commune Tragurienſium, ut reſtituant privilegia, quæ Epiſcopo & Capitulo abſtulerant; ac niſi intra tempus præfinitum reſtituerint, & priori decreto apud Scardonam, itemque alteri apud Budam facto obtemperaverint, vinculo anathematis, quo illos Liberius illigaverat, exſolvi prohibentur. Cui vero hujuſmodi mandata exſequenda dederit, eum nominatum ibidem non invenio.

Quia tamen, ſicut veridica relatione percepimus . . . Poteſt. officiales, Conſil. & Com. ac operarius ſuprad. privilegium per nos conceſſum eiſdem, ultra noſtram declarationem ipſius excedunt, & hactenus exceſſerunt, quodque iidem Poteſt. offic. Conſil. & Com. privilegia & inſtrumenta Epiſcopi & Eccl. Tragurien. abſtulerunt, & ea in noſtrum, Epiſcopi & eccleſie gravamen, & prejuditium non modicum detinent occupata; & vobis tenore preſentium diſtricte precipiendo mandamus, quatenus ſi infra præfigendum per vos eidem Poteſt. offic. Conſil. & Communi terminum, pred. privilegia & inſtrumenta Epiſcopo & Capitulo ejuſdem eccleſie reſtituere non curaverint, & nihilominus quod hactenus contra illa fecerunt, infra dictum terminum non revocaverint, & ad priſtinum ſtatum reduxerint, ad receptionem predictorum teſtium, ac abſolutionem ipſorum, & ad alia facienda ulterius, que in eiſdem noſtris litteris continentur, pro eiſdem Pot. Conſil. Com. ac oper. & ad ipſorum inſtantiam nullatenus procedatis. Datum Bude.

Licet nobis per vn. dedimus in mandatis per alias noſtras litteras, ut teſtes, quos ſyndicus Comitis Trag. ex una, & Ven. Pat. D. Liberius Epiſcopus Tragur. ex parte altera ſup. articulis eorumdem, quos dilect. in Chriſto fil. Mag. Phil. de Sard. decretorum Doctor cum . . . Capel. & Auditor noſter, cui cauſam appellationis interpoſite pro parte & nomine d. Com. a ſententia lata contra Poteſt. offic. Conſ. & Com. Trag. ac Greg. Saling. oper. eccl. S. Laur. de Trag. per d. Epiſc. duximus committendam, vobis incluſos ſub ejus ſigillo tranſmittit, coram vobis produxerint, recipere in 30. dierum ſpatium, & cum diligentia examinare curetis; quodque ante omnia decem perſonas de Sapientibus vel Conſilio ejuſdem Com. quos ſynd. pred. in teſtes producere intendebat, ab excommunicat. ſententia lata contra eos per Epiſcopum memoratum auctoritate noſtra abſolvere, & alia que in eiſdem litteris continebantur facere deberetis: quia tamen ſicut veridica relatione percepimus, Poteſt. Conſil. & Com. ac operar. ſuper privileg. per nos conceſſum eiſdem, ultra noſtram declarationem exceſſerunt, ac etiam excedunt, quandoque iidem Pot. offic. & Com. privilegia & inſtrumenta dicti Epiſcopi & Eccl. Tragur. abſtulerunt, & ea detinent occupata in grave ipſius Epiſcopi & eccl. dampnum, & non modicum prejud. Quare volumus, & tenore preſent. vobis diſtricte precipiendo mandamus, quatenus ſi infra prefigendum per vos eidem Pot. offic. & Com. pred.... privil. & inſtrum. Epiſcopo & Capitulo ejuſdem eccleſie libera reſtituere non curaverint; & ipſi iidem & operar. privileg. & declarationem noſtram pred. non ſervaverint, & que hactenus contra eamdem pred. declaration. attentarunt, non revocaverint, & ad priſtinum ſtatum reduxerint, ad receptionem pred. teſtium, vel abſolutionem eorumdem, & alia facienda ulterius, que in eiſdem litteris noſtris continentur, nullatenus ... & ad ipſorum inſtantiam procedatis.

Mladinus II. Breberienſis ſuperbe vel potius tyrannice imperat.

Opes violentæ & nimia illa, quæ dominabatur in Dalmatia, Comitum Breberienſium potentia in apertam tyrannidem deſciverat. Mladini II. *Croatorum Bani, Comitis Jadre, Principis Dalmatie, & ſecundi Bani Boſne*, ſuperbia, temeritas, & arrogantia eo creverat, ut jus conferendi Epiſcopatus & Sacerdotia ſibi vindicaret. Tragurienſibus vero cum plurima & graviſſima onera ac tributa impoſuiſſet, tum vero imperaverat, ut civitatem in ſuum arbitratum ac poteſtatem permitterent: *Banus petit, ut ei detur carta alba, & facere & ſcribere poſſit quidquid vult de dicta civitate.* Ita ſcriptum eſt in tabulis Conſilii Tragurienſis. Imperata facere cum noluiſſent, Mladinus urbem terra marique oppugnare decrevit. Appropinquanti cum terreſtribus & maritimis copiis obviam miſſus eſt Liberius Epiſcopus cum Daniele Victurio, qui hominem iratum placaret, & a propoſito ſuſceptoque conſilio averteret. Interea x. Kal. Junii anno 1315. in Conſilio generali *deliberatum de deruinando loco Fratrum Minorum pro bono ſtatu civitatis, & defenſione.* Erat quippe hoc cœnobium in ſuburbio; ac ne hoſtes loco illo capto munitoque ad urbem oppugnandam uterentur, a fundamentis dirutum fuit. *Interim venit Mladinus*, ut eſt in quadam teſtificatione Nicolai Epiſcopi Scardonenſis, *cum exercitu contra Tragurium; cujus metu miſerunt Tragurienſes Epiſcopum & Danielem Jacobi, ne occuparet monaſterium Fratrum Minorum; ſed antequam reverterunt, Tragurienſes deſtruxerunt monaſterium.* Mladinus agris pervaſtatis, urbem aliquot dies obſeſſam tenuit; ſed cum eam expugnari poſſe diffideret, ac ſibi a Venetis metueret, ad quos poſtu-

poſtulatum auxilia miſerant Tragurienſes; facile ſe adduci paſſus eſt ad hanc pactionem, ut ſibi Tragurienſes pro redimenda urbis obſidione decem millia librarum perſolverent.

Cœnobium urbanum S. Joannis Baptiſtæ Fr. Franciſcanis traditum, Monachis Benedictinis in Parthenonem S. Nicolai migrantibus.

Hoſte ſubmoto, eodem anno 1315. Kalendis Junii in Conſilio generali civitatis deliberatum fuit de urbana habitatione Fratribus Minoribus accommodanda pro ſuburbana, quam amiſerant. Tria erant in urbe cœnobia Ordinis Benedictini, unum virorum religioſorum S. Joannis Baptiſtæ, reliqua duo ſacrarum virginum, alterum a S. Nicolao, olim a S. Domnio, alterum a S. Petro, quorum titulo ac patrocinio ſuberant, cognominata. Itaque conceſſu Liberii Epiſcopi, Capitulo cleroque conſentiente, Virgines S. Nicolai ad S. Petri migrarunt, in earumque monaſterium ſubierunt Abbas & Monachi, relicto cœnobio S. Joannis Baptiſtæ, quod Fratribus Minoribus traditum eſt, ut explicatius docent tabulæ Tragurienſes.

In Chriſti nomine amen, anno nativitatis ejuſdem 1315. indictione 13. Reg. D. Karulo Sereniſſimo Rege Ungarie, & temporibus quidem Venerabilis Patris D. Liberii Epiſcopi, egregii viri D. Pauli de Breberio Comitis, & nobilis viri D. Matthei Zori Poteſtatis & Capit. populi, & Communis civitatis Tragurii, die primo Junii. Cum nobilis & potens vir D. Mladinus Banus Croatorum & Boſne pararet ſe cum exercitu tam per mare, quam per terram ad veniendum contra civitatem Tragurienſem ad impugnandum, offendendum, & capiendum eam, ſicuti tandem hoc fecit, videlicet quod venit, offendit, impugnavit non quidem de jure, ſed per libitum voluntatis; nobilis vir D. Mattheus Zori Poteſtas & Capit. civitatis predicte, cum judicibus, & Conſilio generali ejuſdem civitatis, per quos dicta civitas regitur, congregato in palatio ejuſdem civitatis more ſolito, & de jure debito, volentes precavare ſibi, & ſue civitati, & civibus periculum & prejudicium, quod minatum eſt, & evenire poterat civitati, pro eo quod quidam locus, ſeu monaſterium Fratrum Minorum cum eccleſia, officinis, & orto, curia, & aliis, erat prope civitatem predictam, ante portas, & pontem ipſius civitatis; qui locus ſi ad manus hoſtium deveniret, poterat de levi capi dicta civitas, aut enormiter impugnari; cœperunt, voluerunt, & deliberaverunt pro ſalute dicte civitatis, & defenſione, nemine diſcordante, quod deſtrueretur dictus locus, ſeu monaſterium, quod quidem fecerunt projiciendo ipſum monaſterium uſque ad terram, & ipſum totaliter deſtruendo; & quod darent ipſis fratribus alium locum in civitate, predicta terra loci deſtructi ſemper remanente dictorum fratrum, & ſtructura eccleſie jam deſtructe: Sane Venerabilis Pater D. Liberius Dei gratia Epiſcopus Tragurienſis, cum Capitulo ſuo, ſcilicet P. Puſillo Theodoſii, Joanne Cavaluccio, Andriolo Manerii de Ancona, & Joanne Stepi Duymi Canonicis Tragurienſibus, nec non univerſo clero ſuo, qui preſentes erant congregati in eccleſiam S. Joannis de Trag. de ipſius Capituli voluntate, conſilio, & adſenſu, ad inſtantiam, & lacrimoſam petitionem prefati D. Poteſtatis, & Capituli, totiuſque Conſilii generalis dicte civitatis, & univerſitatis populi dicte civitatis; nec non de voluntate, & aſſenſu fratris Primi Abbatis monaſterii S. Joannis de Tragurio ordinis S. Benedicti, & conventus ipſius monachorum; ſcilicet fratris Radovani, fratris Sabini Gregorii, fratris Franciſci, fratris Deſſe, fratris Petri Guvo, & fratris Leonardi, monachorum dicti monaſterii S. Joannis ibidem preſentium congregatorum more ſolito, & debito; ac etiam de voluntate, & aſſenſu ſororis Draghe Abbatiſſe monaſterii S. Nicolai de Tragurio ordinis S. Benedicti, & totius conventus, & dict. mon. nec non de voluntate, & aſſenſu ſororis Anaſtaſie Abbatiſſe monaſterii S. Petri de Tragurio ordinis S. Benedicti, & totius ſui conventus, & dict. mon. propter predictam cauſam, ut ſupra daretur locus conveniens dictis fratribus Minoribus pro predicto loco eorum deſtructo pro liberatione defenſionis dicte civitatis; & etiam quia dicta tria monaſteria S. Benedicti conſideratis circumſtantiis civitatis predicte, & neceſſitate predicta, ſuperflua videbantur, & erant in ipſa civitate: tractatu itaque & deliberatione diligenti prehabitis, primo univit dicta duo monaſteria monialium hoc modo, ponendo ſcilicet moniales & perſonas dicti monaſterii S. Nicolai in dicto monaſterio S. Petri, & dando omni modo & jure, quo melius potuit, bona, & poſſeſſiones, actiones, & jura dicti monaſterii S. Nicolai integraliter dicto monaſterio S. Petri, & monialibus ipſius, & ſucceſſoribus ejus in perpetuum, predictum locum, ſeu monaſterium ipſius S. Nicolai, quem locum dedit ut infra ſequitur: per modum vero tranſtulit, dedit, & conceſſit, quocumque modo melius potuit, ſeu dici debet, & poteſt, dictum locum, ſeu monaſterium S. Nicolai, prefato Abbati Primo, & monachis predictis S. Joannis, & eos, & conventum dict. monach. S. Joannis tranſtulit ad dictum locum, ſeu monaſterium S. Nicolai in perpetuum, cum ſucceſſoribus ſuis, & dando eis, & ſucceſſoribus eorum, ſeu transferendo, aut quocumque modo, ut melius fieri potuit, bona, poſſeſſiones, jura, & actiones monaſterii prefati S. Joannis integraliter, & in perpetuum; predictum locum, ſeu predictum monaſterium S. Joannis cum domibus, ſtationibus, orto, & aliis juxta ipſum monaſterium poſitis, & ad dictum monaſterium pertinentibus; de quibus diſpoſuit in hunc modum, videlicet quod dedit, donavit, & tranſtulit, ſeu quocumque alio nomine, & modo melius dici poteſt, & debet, fratri Antonio de Polla miniſtro ordinis fratrum Minorum provincie Sclavonie, & fratri Mattheo de Arbo Vardiano fratrum Minorum de Tragurio, preſente D. Mattheo Poteſtate & Capit. recipiente nom. dict. fratrum Minorum, & pro ipſis fratribus dictum locum, ſeu monaſterium S. Joannis, cum predictis domibus, ſtationibus, orto, & aliis juxta dictum monaſterium poſitis, & ad dictum monaſterium pertinentibus, de voluntate, & aſſenſu predicti fratris Primi, & predict. monachorum monaſterii S. Joannis ibidem preſentium, & Capituli Can. predict. ſcilicet Poxille, Joannis Cavalucii, Andrioli Marini de Ancona, & Joannis Stepi Duymi predicti: predict. bona, poſſeſſiones, jura, & actiones datas dicto fratri Primo Abbati, & dictis monachis eximen. predictus Epiſcopus, conſentien. dictis Canonicis, & Capitulo predicto, conſentiente dicto D. Epiſcopo, a ſe, & a ſucceſſoribus ſuis, & a juriſdictione Tragurienſis Eccleſiæ, & Epiſcopatus, dictum monaſterium & locum S. Joannis generaliter, & ſpecialiter & nominatim a correctione, viſitatione, & procuratione debita ratione viſitationis, & cathedratico, ſcilicet quod habere debeat in dicto loco, ſeu monaſterio Tragurien. Eccleſie, & Epiſcopatus.

F. Mi-

Joannes XXII. rogatus, ut translationem Fr. Minorum ad mon. S. Joan. Bapt. confirmet.

F. Michael miniſter generalis Fratrum Minorum ab Joanne XXII. poſtulavit, ut poſſeſſionem cœnobii Benedictini Tragurienſis ſuis Fratribus traditam apoſtolica auctoritate confirmaret. Pontifex antequam ejus poſtulata faceret, de hujuſmodi traditione edoceri voluit, litteris datis ad Epiſcopum Pharienſem, & ad Præpoſitum eccleſiæ S. Petri Jadrenſis, ut diligenti inquiſitione adhibita ad ſe perſcriberent, an ita res ſe haberet, quemadmodum ſibi expoſita fuerat.

Epiſtola pontificia.

Joannes Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Ven. Fr. Epiſcopo Pharenſi, & Plebano eccleſiæ S. Petri Novi Jadrenſis.

Dilectus filius Frater Michael miniſter generalis Fratrum ordinis Minorum in noſtram propoſuit præſentiam conſtitutus, quod cum Mladinus princeps Croatorum & Boſnæ in provincia Sclavoniæ pararet ſe cum exercitu ſuo tam per mare, quam per terram ad veniendum contra civitatem Tragurii, cives Tragurii timentes, ne per locum Fr. Minorum ſitum extra dictam civitatem, ſed vicinum tamen mœnibus civitatis ejuſdem, dicta civitas expugnaretur facilius, & etiam caperetur, locum ipſum occaſione hujuſmodi funditus deſtruxerunt; ad quorum civium preces Ven. frater noſter Epiſcopus Tragurienſis ordinis S. Benedicti quondam Abbas Conventus ejuſdem monaſterii, qui dictum monaſterium monachi quondam volebant dimittere, ſicut poſtmodum dimiſerunt, ſiquidem Abbas & conventus ejuſdem monaſterii ad quoddam aliud eis conceſſum monaſterium ſe tranſtuliſſe dicuntur; duxit auctoritate ordinaria concedendum Fratribus Minoribus, prout in inſtrumento publico inde confecto plenius dicunt contineri. Nos igitur volentes ſuper præmiſſis plenius informari, ac de circumſpectione veſtra plenam in Deo fiduciam obtinentes, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum vocatis qui fuerint evocandi, de præmiſſis omnibus, & ſingulis ſimpliciter, & de plano abſque ſtrepitu, & figura judicii vos plenarie informetis, & quidquid ſuper his inveneritis, nobis per veſtras patentes litteras harum ſeriem continentes, fideliter intimetis; ut ex relatione veſtra inſtructi quid ſuper his faciendum fuerit ſecurius agere valeamus.

Dat. Avenione 13. Kal. Septemb. anno ſecundo, ideſt 1318.

Sed priſtinæ ſtationis deſertæ monachos Benedictinos pœnituit; eam ſiquidem deſeruerant non tam voluntate, quam metu & coactu Matthæi Zori Poteſtatis, ſeu Prætoris Tragurii, quem Tragurienſes expulerunt, quod nimis ſuperbe & arroganter imperare videretur. Illo igitur expulſo, cœnobium S. Joannis Baptiſtæ monachis illud repetentibus reſtitui oportuit. Fratribus Franciſcanis, ne locus in urbe deeſſet, attributum eſt cœnobium S. Petri, Virginibus Benedictinis, quæ ad ſummam paucitatem redactæ fuerant, migrare juſſis in ædes proximas S. Stephani. Fratres igitur, cum ſæpius mutare locum, & ex alio in alium migrare coacti fuiſſent, ut demum ſedes illa apud S. Petrum ſtabilis ac perpetua ſibi eſſet, ab Joanne XXII. impetrarunt. Extat diploma pontificium in hæc verba.

Joannes Papa jubet poſſeſſionē cœnobii S. Petri Fratribus Franciſcanis traditam, auctoritate apoſtolica confirmari.

Joannes Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Vener. Fratri Epiſcopo Farenſi ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Sacræ religionis ſinceritas, ſub qua dilecti filii Provincialis provinciæ Dalmatiæ Fratrum Minorum, & Guardianus, ac Fratres domus S. Franciſci extra muros Tragurii dicti ordinis, ſub voluntariæ paupertatis habitu militantes, in humilitatis ſpiritu devotum ac ſedulum impendunt Domino famulatum; ac vitæ regularis, ſub qua degunt, promeretur honeſtas, ut illa, quæ ipſorum quietis ſtatum reſpiciunt, ipſis quantum cum Deo poſſumus favorabiliter concedamus. Sane petitio pro parte dictorum Provincialis, Guardiani, & Fratrum nobis nuper exhibita continebat, quod olim nob. vir Paſqualinus de Raguſio Comes, nec non Judices, & Conſilium civitatis Tragurii pro bono ſtatu civitatis ejuſdem, ut dicebant, dictam domum, in qua tunc multi Fratres ejuſdem ordinis reſidebant, cum ejus eccleſia, ædificiis, & aliis officinis funditus dirui & exterminari fecerunt; nec non dilectas in Chriſto filias Abbatiſſam, & tres moniales monaſterii S. Petri Tragurii ordinis S. Benedicti, quæ dumtaxat tunc in eodem monaſterio reſidebant, ad monaſterium S. Stephani Tragurii prædicti ordinis, utpote locum ad id utilem & idoneum ſuper eorumdem Abbatiſſæ, & trium monialium habitatione habili & capaci, auctoritate ordinaria transferri procurarunt, & quibus quidem Abbatiſſæ, & monialibus translatis etiam aſſignari fecerunt pro earum ſubſtentatione omnes poſſeſſiones ad præfatum monaſterium S. Petri quomodolibet pertinentes; ac ſucceſſive dictis Guardiano, & Fratribus, ne extra dictum locum pro eorum habitatione idoneum vagarentur, dictum monaſterium S. Petri, ut in eodem divinis vacarent officiis, & tamdiu illic degerent, ſive moram traherent, quouſque de alio loco habili pro hujuſmodi eorum habitatione proviſum foret, eiſdem procuraverant aſſignari. Cum autem ſicut eadem petitio ſubjungebat, prædicti Guardianus, & Fratres, qui ut aſſerunt ſexies de domo ad domum, ſeu de loco ad locum ſuæ habitationis hactenus translati, & hujuſmodi domus eorum etiam miſere ſubverſæ fuerunt, timeant iterum de prædicto monaſterio S. Petri ad alium locum ſe transferri; & quia alter locus congruus & honeſtus propter ejus ſtrictitudinem, in qua novæ domus pro habitatione ipſorum cum eccleſia, nec non ædificiis, & aliis officinis hujuſmodi conſtrui poſſit, non habetur; pro parte ipſorum Provincialis, Guardiani, & Fratrum fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut ad hoc, quod Guardianus & Fratres dictæ domus exiſtentes pro tempore quietius, nec non devotius poſſint deinceps Domino famulari, dictum monaſterium S. Petri pro hujuſmodi eorum habitatione in perpetuum eis concedere, & alias in præmiſſis ſalubriter providere de benignitate apoſtolica dignaremus. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, præfatis Guardiano & Fratribus dictum monaſterium S. Petri pro eorum habitatione ſæpe dicta pro tempore, cum ejus eccleſia, & cimiterio, nec non domibus, & ædificiis, ortis, & ortalibus infra ... dicti monaſterii conſiſtentibus; ac etiam ipſis Guardiano & Fratribus, quod oſſa Fratrum dicti ordinis, quorum corpora in cimiterio prædictæ domus noviter dirutæ ſepulta fuerunt, ſi commode diſcerni poſſint, ad eccleſiam, ſeu cimiterium dicti monaſterii S. Petri transferri, & in illa, vel illo ſepeliri valeant, auctoritate noſtra licentiam largiatis, non obſtante conſtitutione felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri prohibente domos, vel loca quæcumque a religioſis mendicantibus de novo recipi, vel jam recepta mutari abſque

absque Sedis Apostolicæ licentia specialiter non faciente plenam & expressam de prohibitione hujusmodi mentionem, & aliis constitutionibus apostolicis contrariis non obstantibus quibuscumque; & nihilominus eisdem Guardiano, & Fratribus, qui apud præfatum monasterium S. Petri residebunt pro tempore, auctoritate præfata concedas, quod omnibus privilegiis, indulgentiis, & immunitatibus uti & gaudere valeant, quibus in præfata domo diruta, antequam dirueretur, uti poterant & gaudere.

Datum Romæ apud S. Petrum 4. Kal. April. Pontific. nostri anno tertio, ideſt 1319.

Fratres Franciſcani ab S. Petri cœnobio in palatium quoddam vetus tranſlati,

Sed neque apud S. Petrum licuit Patribus Franciſcanis ſedem ſtabilem, ac diuturnum domicilium habere. Nam cum Virgines Benedictinæ, aliis atque aliis puellis ad ſuum inſtitutum aggregandis, numeroſiores in dies fierent; utrumque S. Nicolai & S. Petri cœnobium ut ſibi redderetur poſtularunt: nec vero negari potuit, quod pro jure ſuo repetebant. Itaque magiſtratus, & Commune Tragurii, cum Patres illos ad chriſtianam plebem excolendam in urbe retinere vellet; iiſdem habitandum dedit vetus quoddam ac deſertum palatium cum turri annexa prope mœnia civitatis. Sed hæc quoque ſtatio brevis fuit; cum enim ædificium illud nimis amplum & magnificum videretur, nimiſque abhorrens a ſeraphica paupertate ac modeſtia, F. Antonius de Pola præſes provinciæ Slavonicæ Franciſcanæ, de ſententia & conſenſu Fratrum ſuorum, dimittendum, ac renunciandum cenſuit; idque legitima & juridica ceſſione præſtitit, litteris publicis conſignata.

quod illi deferendo cenſent.

Fr. Antonius de Pola miniſter ordinis Fratrum Minorum provincie Sclavonie de conſenſu, voluntate, & diligenti deliberatione fratris Matthei de Arbo Guardiani Conventus Fratrum Minorum de Tragurio, nec non ipſius conventus, ſcilicet fratris Nicolai de Jadra, fratris Viti de Jadra, fratris Thome de Venetiis, fratris Coſme de Pago, & aliorum de dicto conventu Tragurii, videntes & conſiderantes & animadvertentes debitam honeſtatem & puram vitam, quam ipſi fratres, ſecundum eorum regulam & bonam equitatem facere & obſervare debent, & poſſunt; decernentes, quod ſua non intereſt in locis eorum habere turres, palatia, ſive domus ad habitandum pro venuſtate, ſed ſolum pro neceſſitate; & penſantes, quod locus eorum de Tragurio, ad quem nuper translati fuere neceſſitate urgente, propter guerram, quam habuit Commune Tragurii cum D. Bano, cujus occaſione, & pro ſalute dicte civitatis locus dictorum fratrum poſitus extra dictam civitatem fuit deſtructus, penſata qualitate & quantitate fratrum dicti ordinis debentium in dicta terra reſidentiam facere, ſit ſuperfluus & ſuperabundans in domibus, precipue in turri poſita juxta murum civitatis, & juxta dictum locum, & in palatio, ſive domo dicti loci juxta predictum palatium Communis, & viam publicam, & eccleſiam S. Joannis dicti loci, & alia latera, & quod dicta turris & palatium pro fortitudine & manutentione dicte civitatis, ſoli Communi convenit, & quod dictum Commune pro manutenendo & gubernando fratres dicti loci Tragurii de tempore, multa varia, & diverſa expendia ſubſtinuit, & fecit; memores beneficiorum receptorum unanimiter & concorditer dederunt, tradiderunt, ceſſerunt, & conceſſerunt, & donarunt pure, libere, & irrevocabiliter inter vivos D. . . . . Poteſtati & Capitaneo dicte terre pro dicto Communi Tragurii ſtipulanti, & recipienti dictam turrim & palatium cum ſolo, & edificio toto, & cum omnibus que ſupra ſe, ſeu in ſe ſunt, in integrum cum omni jure, & actione, uſu, ſeu requiſitione dictis turri & palatio modo aliquo pertinentibus, ſive expectantibus de jure, vel de facto, ad habendum, tenendum, & poſſidendum, & quidquid dicto Communi de dictis turri & palatio deinceps placuerit, perpetuo faciendum, promittentes per ſe, ſuoſque ſucceſſores dicto D.... Poteſtati predicto, Communi, & in dicto Communi facere ſtipulare pot.... ceſ. ... & conceſ. ... & donare, perpetuo firma & rata habere, & tenere, & non revocare aliqua ratione, vel occaſione, & non contrafacere, vel venire ... occaſione, vel cauſa de jure, vel de facto ut ... dicti loci.

Actum Tragurii in monaſterio S. Johannis preſentibus D. Cipriano Marini, D. Deſſa Baſtiani, D. Franciſco Valentini. Deſſa ... Marco Cebriani Bubule, & Jacobo Marini teſtibus rogatis, & aliis . . .

Cum nulla his tabulis appoſita ſit nota chronologica, dubitari poteſt ſtatimne poſt dirutum cœnobium ſuburbanum, an poſt relictum monaſterium S. Petri hoc palatium traditum fuerit Patribus Franciſcanis. Illud ſatis conſtat, priſtinum, quod Tragurienſes demoliti fuerant, cœnobium reædificatum fuiſſe, & poſſeſſoribus antiquis reſtitutum; in quo Patres illi annos fere centum habitarunt, antequam rurſus bellorum cauſſa illud dirui oportuit. Intra finem anni 1319. vel ſub initium ſequentis e vita deceſſit Liberius Epiſcopus, eique ſuffectus eſt

LAMPRIDIUS EP. TRAGURIENSIS X.

Gens Victuria, ex qua ortus eſt, in primis inter patricias Venetorum ac Tragurienſium domos, honoribus copiiſque floruit. In duas familias diviſa cum eſſet, alii Venetiis, alii Tragurii, nomen genuſque propagarunt. Jacobus Victurius civis Venetus ac nobilis Tragurienſis Bonam Cegam pari ſplendore ac nobilitate virginem ſibi matrimonio junxit. Ex ea duos filios habuit, Lampridium & Danielem; hic ſoboli propagandæ operam dedit; ille vero clericali militiæ adſcribi voluit, ac deinde in collegium Canonicorum eccleſiæ cathedralis cooptatus, primicerii dignitatem ac ſubſellium obtinuit. Anno 1304. cum Eccleſia Pharienſis ob mortem Duimi Epiſcopo careret, Pharienſes Lampridium in Epiſcopum ſibi elegerunt, quem Petrus Metropolita Spalatenſis neque approbare, neque conſecrare voluit. Sed biennio poſt, ut illius eccleſiæ diuturnæ orbitati conſuleret, Laurentium Canonicum Spalatenſem Epiſcopum Pharienſibus dedit, quem inſulares illi recipere noluerunt. Epiſcopatum illum, cum uterque ſibi vindicaret, neuter obtinuit; ſiquidem utriuſque electionem anno 1308. Gentilis Cardinalis Legatus apoſtolicus irritam fecit, aut certe legitimam non fuiſſe declaravit. Huc revoca, quæ ſcripta ſunt in Duimo Epiſcopo Pharienſi, & Petro Metropolita Spalatenſi.

Lampridius primus electus Ep. Pharienſis,

Liberio igitur e vivis ſublato, cum Canonici Tragurienſes conveniſſent ad comitia epiſcopalia, tres e Capitulo viros integerrimæ fidei, Lampridium primicerium, Marinum, & Cepregnam delegerunt, qui ſchedulas, quibus commiſſa erant ſuffragia, explicarent, & recogno-

deinde Ep. Tragurienſis, & ab Joanne Papa XXII approbatus.

ſcerent; in quem vero plurium voluntates conſenſiſſent, eum renunciarent Epiſcopum. Cunctis fere ſuffragiis electus fuit, & renunciatus Epiſcopus Lampridius, qui cum internunciis Capituli more majorum acceſſit ad Petrum Metropolitam Spalatenſem, ad quem jus electionis confirmandæ, & novi Antiſtitis conſecrandi pertinebat. Sed cum compertum eſſet duplici anathemati eumdem Petrum ſubeſſe, quo illum confixerant, omnique officio & poteſtate epiſcopali privaverant Gentilis & Arnaldus Cardinales, Legatique Sedis Apoſtolicæ; neceſſe fuit, ut Lampridius cum procuratoribus Capituli Avenionem ſe conferret ad Joannem XXII. qui poſtquam ex diligenti inquiſitione per tres Cardinales adhibita comperiſſet eum legitime electum fuiſſe, & ea virtute ac doctrina præditum, quam ordo epiſcopalis requirit, electionem approbavit, & pontificio teſtimonio commendatum ad Tragurienſes remiſit. Hæc ex epiſtola Joannis Papæ, quam hic ſubjicio.

Epiſtola Pontificia ad Tragurienſes.

Johannes Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Populo civitatis & diœceſis Tragurii ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Militanti eccleſiæ licet immeriti diſponente Domino præſidentes, ſolicita nos pulſat inſtantia, ut circa ſtatum eccleſiarum omnium, & illarum præſertim, quæ vacationis incommodis ſubjacere noſcuntur, attentæ conſiderationis aciem dirigentes operoſæ ſolicitudinis ſtudium impendamus, ut vitatis diſpendiis, quæ ſolent ipſis ex vacatione diutina provenire, optatis divina favente clementia proficiant incrementis. Dudum ſiquidem Eccleſia Tragurienſis per obitum bonæ memoriæ Liberii Epiſcopi Tragurienſis paſtoris ſolatio deſtituta, dilecti filii Capitulum ejuſdem eccleſiæ vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt, & potuerunt commode intereſſe, die ad eligendum præfixa pro futuri ſubſtitutione paſtoris, ut moris eſt, convenientes in unum, ac poſt diverſos tractatus inter ſe habitos deliberantes ad id fore per viam ſcrutinii procedendum, tres ex ipſis fide dignis, videlicet dilectos filios Lampredium electum Tragurii Primicerium, Marinum Amblaſii, ac Cepregnam Gregorii ejuſdem eccleſiæ Canonicos ſcrutatores votorum ſuorum, ac omnium, & ſingulorum dictæ eccleſiæ Canonicorum tunc ibidem præſentium concorditer aſſumpſerunt, dantes eis plenariam poteſtatem ſcrutandi ſecreto & ſingillatim, primo ſua, & deinde omnium, & ſingulorum prædictorum Canonicorum vota, & eis fideliter in ſcriptis redactis, & publicatis illico in communi, illum in Tragurienſem Epiſcopum eligendi, in quem collatione prius inter eos habita diligenti invenirent omnes, vel majorem & ſaniorem partem ejuſdem Capituli conſenſiſſe; adjiciendo etiam quod unus ex dictis collegis dumtaxat, de conſenſu tamen, & voluntate aliorum duorum, electionem hujuſmodi ſolemniter publicaret. Cumque ipſi hujuſmodi poteſtate recepta ſecedentes in partem primo ſua & deinde omnium & ſingulorum prædictorum Canonicorum ibidem præſentium vota fuiſſent cum diligentia perſcrutati, ac votis eiſdem fideliter in ſcriptis redactis, & in communi illico publicatis, collationeque inter eos habita diligenti; quia compertum extitit, quod dicti collegæ Lampredii, & omnes alii, & ſinguli prædicti Canonici, qui pro hujuſmodi electione convenerant, in eumdem Lampredium direxerunt unanimiter vota ſua; dictus Marinus ex poteſtate ab eiſdem Capitulo, ut præmittitur, tradita, vice ſua & collegarum ipſorum, & aliorum Canonicorum prædictorum; de ipſorum & aliorum omnium voluntate & expreſſo mandato, eumdem Lampredium in Sacerdotio conſtitutum in Epiſcopum Tragurienſem elegit, & electionem hujuſmodi ſolemniter publicatam præfati Capitulum acceptarunt. Idem Lampredius ... ad ipſorum Capituli inſtantiam, hujuſmodi electionis ſibi præſentato decreto infra tempus legitimum, electioni hujuſmodi conſenſit. Porro cum idem Lampredius, dictique Capitulum per eorum certos procuratores & nuntios infra tempus debitum per Venerabilem Fratrem noſtrum Petrum Archiepiſcopum Spalatenſem loci Metropolitam confirmari electionem hujuſmodi, pro ut alias de jure tenebantur, petiiſſent; quia electionis ejuſdem coram Archiepiſcopo ipſo ſic pendente negotio, compertum extitit eundem Archiepiſcopum fore, ſicut adhuc eſſe dicitur, excommunicationis, & ſuſpenſionis ab adminiſtratione ſpiritualium & temporalium Eccleſiæ Spalatenſis ſententiis, per bonæ memoriæ Gentilem titulo S. Martini in Montibus Presbyterum primo, & ſubſequenter per dilectum filium noſtrum Arnaldum Sanctæ Mariæ in Porticu diaconum Cardinalem, Apoſtolicæ Sedis legatos latis in eum, dum in illis partibus legationis officio fungebantur, publice innodatum; & quod propter hoc hujuſmodi confirmatio, ſi ad eam impendendam proceſſiſſet præfatus Archiepiſcopus, de jure ſubſiſtere non valebat; idem Lampredius perſonaliter, dictique Capitulum per eorum certos procuratores & nuntios ad Sedem accedentes eandem, confirmari per nos electionem prædictam, ejus nobis præſentato decreto, petierunt humiliter & inſtanter, in præmiſſis omnibus & ſingulis ſtatutis a jure temporibus obſervatis. Nos igitur electionem eandem, ſuamque perſonam per Ven. Fratrem Arnaldum Epiſcopum Albanenſem, & dilectos filios noſtros Guillielmum titulo S. Cyriaci in Termis Presbyterum, & Lucam S. Mariæ in via lata diaconum, Cardinales, examinari fecimus diligenter, & facta nobis ſuper iis ab eiſdem Epiſcopo & Cardinalibus relatione fideli, quia invenimus electionem eandem de dicto Lampredio perſona idonea, viro utpote, cui vitæ ac morum honeſtas, litterarum ſcientia, & alia virtutum merita, pro ut teſtimoniis fide dignis accepimus, ſuffragantur, canonice celebratam; illam de Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate apoſtolica confirmamus, ipſumque ipſi Eccleſiæ Tragurienſi præfecimus in Epiſcopum, & paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius ſibi tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, firmam ſpem, fiduciamque tenentes, quod eadem eccleſia per ſuæ circumſpectionis induſtriam Deo propitio proſpere dirigetur, ac ſalubria dante Domino ſuſcipiet incrementa. Quocirca univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attente, per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus præfatum electum devote recipientes, & honeſte tractantes, ejus ſalubribus mandatis & monitis humiliter intendatis. Ita quod ipſe in vobis devotionis filios reperiſſe lætetur, voſque in eo patrem habeatis aſſidue gratioſum.

Datum Avenione XV. Kal. Martii, Pontificatus noſtri anno quarto, id eſt 1320.

Idem Pontifex Nicolao Caſocto Canonico Tragurienſi contulit munus primicerii, & duo Sacerdotia, quæ Lampridius obtinebat, ut eſt in tabulis conſiſtorialibus: *Collatio primiceriatus majoris Eccleſiæ Tragurienſis, & eccleſiarum*

rum B. Mariæ de Platea Tragurien. & S. Joannis Baptiſtæ de Campo Biach antiquitus S. Marthæ vocatæ, Tragurienſis diœceſis ſine cura, per promotionem Lampridii ad Epiſcopatum Tragurienſem apud Sedem Apoſtolicam vacantia, pro Nicolao filio Donati de Caſocto civis Tragurien. dictæ majoris Eccleſiæ Canonico. Datum Avenione 4. Idus Maji, anno Joannis Papæ XXII. 4.

Marcus Victurius Patricius Venetus adſcitus ad urbē regendam.

Tragurienſes ut novo Epiſcopo gratificarentur, Marcum Victurium patricium Venetum Lampridii gentilem Venetiis adſciverunt, eique anno 1320. xv. Kal. Maji urbis præturam detulerunt; cujus opera civiles diſcordiæ ſedatæ ſunt, & in patriam revocati, quos adverſaria factio præpollens expulerat. Idem Marcus anno ſequenti urbis præturam geſſit; & Tragurienſibus auctorem fuiſſe arbitror, ut ſe in fidem & clientelam Venetorum conferrent. Nam ad depellendam tyrannidem Comitum Breberienſium, præſertim Mladini & Georgii fratrum, qua magis magiſque in dies opprimebantur, nuſquam validius præſidium niſi a Venetis ſuppeditari poſſe ajebat; quid enim auxilii ſperarent a Carolo Hungariæ Rege, cum is Hungaricis copiis ad firmandum ſibi regnum, hoſteſque inteſtinos coercendos indigeret; ac præterea Breberienſibus ſummam rerum omnium gerendarum in Dalmatia poteſtatem permittebat; propterea que in tot tantiſque illorum ſceleribus & factis tyrannicis connivebat, aut ea ſe neſcire diſſimulabat. Itaque anno 1322. una cum Sibenicenſibus Venetorum opem implorarunt, ſeque in eorum fidem ac poteſtatem tradiderunt; ſic tamen, ut de honore ac reverentia erga regem Hungariæ nihil detractum eſſe vellent, *obſervando*, ut Micha Madius ſcripſit, *honorem Regis Hungariæ;* quem honoraria quadam præpoſitione ante Ducem Venetorum in actis & tabulis publicis nominandum eſſe decreverunt, in quibus itidem poſt Ducem Venetiarum nominatum invenio Lampridium Epiſcopum ad hunc modum: *Anno Nativ. Domini 1329. Regnante D. Carolo Roberto Rege Ungarie, & Domino noſtro Domino Franciſco Dandulo Duce Venet. temporibus Ven. Patris D. Lampridii Tragur. Epiſc. nob. & ſapientis viri D. Joannis Gradonico bonorandi Comitis &c.*

Lampridius Capitulum ad Canonicos duodenos redegit.

Superioribus ætatibus nullus erat certus ac definitus numerus Canonicorum; alias plures, alias pauciores creari ſolebant. Gregorius Epiſcopus omnino ad quatuordecim eſſe voluerat; ſed cum reditus menſæ capitularis decreviſſent, anno 1329. viſum eſt Lampridio & Capitulo duos detrahere, ac decernere, ut ne in poſterum plures eſſent, quam duodecim. Ex ſchedis Mſs. Baſilei Primicerii. Savinus monachus ex ordine Benedictino, cum toro non legitimo natus eſſet, ne hoc ſibi impedimento foret ad monaſticas dignitates obtinendas, privilegium a Gentili Cardinali & Legato Sedis Apoſtolicæ impetravit. Itaque anno 1329. electus eſt Abbas cœnobii Tragurienſis S. Joannis Baptiſtæ; non defuerunt, qui natalium maculam illi objicerent, ob quam eidem non licebat per ſacros Canones id honoris & muneris recipere ac ſuſtinere. Supplicatum eſt Joanni XXII. ut vel privilegium Legati apoſtolici Savino collatum confirmaret, vel ipſemet pro ſua poteſtate impedimentum illud amoveret. Pontifex reſcripſit, & mandavit *Epiſcopo Tragurienſi, quatenus de facultate olim per bonæ memoriæ Fratrem Presbyterum Cardinalem, tunc in partibus Apoſtolicæ Sedis Legatum, Savino Abbati, tunc ſimplici monacho monaſterii S. Joannis Baptiſtæ ordin. S. Benedicti, conceſſa, ut ad omnes dignitates etiam Abbatiales dicti ordinis non obſtante natalium defectu eligi poſſet, nec non de electione, & confirmatione ipſius in Abbatem dicti monaſterii, ſe informet & reſcribat. Si vero dictus Savinus in curia præſens plene probare nequiverit ſupradicta, cum ipſo ſuper eodem defectu diſpenſet, & in Abbatem eum præficiat monaſterii memorati, inſtantibus Epiſcopo ac univerſitate civium Tragurienſium. Datum Avenione 2. Idus Julii, Joannis XXII. anno 15.* ideſt 1329.

Idem Savinus cœnobiarcha monachorum S. Joannis Baptiſtæ, Capitulo monachali conſentiente, domum quamdam juris monaſtici rurſus locavit Communi Tragurienſium ad annos undetriginta. Tabulæ locationis hæ ſunt.

Tabulæ locationis, quibus cœnobiarcha monachorū S. Jo. Baptiſtæ domum quamdam locavit Comm. Tragurienſium.

Dominus Fr. Savinus monaſterii S. Joannis Baptiſtæ de Tragurio ordinis S. Benedicti Ven. Abbas, congregatis monachis dicti monaſterii ad Capitulum ſono campanæ, ut moris eſt, in quo Capitulo interfuerunt Frater Franciſcus Prior dicti monaſterii & conventus, Frater Gregorius, Frater Vollechus, Frater Marinus Petri Concilize, Frater Marinus filius Obrauli, monachi dicti monaſterii & conventus, abſente Fratre Rodovano monacho, qui jacet propter ſenectutem in lecto, qui ante dicti Capituli congregationem, & poſt, & ante inſcriptam locationem, & in continenti ſine aliquo intervallo poſt dictam locationem conſenſit dictæ locationi, propoſuit dictis monachis & dicto Capitulo, quod cum domus ipſius monaſterii ſita in civitate Tragurii juxta viam publicam & juxta cimiterium dicti monaſterii, & juxta palatium & juxta eccleſiam S. Johannis prædicti, quam Commune Tragurii tenuit jam pluribus annis elapſis, ſit ipſi monaſterio per dictum nobilem & ſapientem virum Dom. Marinum Mauroceno honorandum Comitem Tragurii & ſuum generale Conſilium integraliter reſtituta, & expediat pro ſubſtentatione monachorum & loci prædicti pro certa penſione locari, provideant & deliberent ſuper inde cognoſcentes quod dictus D. Comes & dictum generale Conſilium intendit, ſi ipſi D. Abbati & monachis placet, & expedit ipſam domum ad ſpatium 29. annorum conducere pro penſione, & mercede lib. 24. . . . in anno.

Igitur monachis prædictis tractantibus, & deliberantibus, diligenter tandem communi conſenſu firmarunt, quod dicta domus pro dictis tempore & pretio dicto Communi debeat affitari credentes dictam locationem dicto monaſterio eſſe utilem, & ei quamplurimum expedire, nam conſueverunt multoties ſtationes dictæ domus & etiam pavimentum ſine penſione vacuæ remanere, & per iſtam locationem per dictum tempus 29. annorum dictum monaſterium penſionem habebit continuam dictæ domus, & omnium ſtationum.

Poſt vero tractatum & deliberationem prædictas, in continenti in dicto Capitulo exiſtente, ut ſupra dicitur, congregato, & præſentibus dictis teſtibus, & examinatore, dictus Dom. Abbas & monachi vocaverunt in dicto Capitulo dictum D. Comitem, & nobiles viros DD. Deſſa Baſtiani, & Federicum Matthæi Judices, Baronum Silveſtri, Vitalem Martini, & Maure quondam Mirce, & Petrum Jacobi, & Gregorium Salinguerræ, maſſarios civitatis prædicti Tragurii, quam ſpecialem bayliam & poteſtatem habent a Conſilio generali dicti Communis Tragurii condu-

cendi dictam domum cum ſtationibus, & ſuper ipſa conductione tam de tempore, quam de pretio, & quodcumque aliud pactum & concordium faciendi, & ſuper inde cum pœnis & obligationibus bonorum Communis & aliis clauſulis opportunis conficiendi publica inſtrumenta ſecundum formam reformationis dicti Conſilii generalis externa die factæ & ſcriptæ per me Conradum de Seregnanis Notarium infraſcriptum; & ibidem præſentibus dictis teſtibus, & examinatore, habita licentia dictorum monachorum, & habito ſolemni tractatu ſuper infraſcripta locatione per Capitulum antedictum, & ab ipſis monachis plena deliberatione, proviſo; dictus D. Savinus ipſius monaſterii Ven. Abbas pro ſe ipſo, & ejus ſucceſſoribus, nomine & vice ipſius monaſterii præſentibus & conſentientibus monachis antedictis conceſſit, & locavit dictis Dominis Comiti Deſſæ Baſtiani, & Federico Matthæi Judicibus, Barono Silveſtri, Vitali Martini, & Maure quondam Mirce Conſiliariis, & Petro quondam Jacobi, & Gregorio Salinguerræ maſſariis civitatis & Communis Tragurii, recipientibus, & conducentibus nomine & vice dictæ civitatis & Communis Tragurii ad penſionem annuatim perſolvendam dictam domum totam cum omnibus ſtationibus dictæ domus poſitam in civitate Tragurii, cujus cohærentiæ hæ ſunt: ante viam publicam de retro eſt cimiterium dicti monaſterii, ab uno capite verſus meridiem eſt dicta eccleſia S. Joannis Baptiſtæ, ab alio capite eſt palatium Communis, & ſi quæ aliæ ſunt cohærentiæ veriores, hinc ad 29. annos . . . ad habendum, tenendum, & poſſidendum, & quidquid dicto Communi deinceps uſque ad dictum tempus 29. annorum placuerit faciendum, ſalvo ſemper jure dominii & proprietatis dicti monaſterii & ſalvis conditionibus, & pactis infraſcriptis. Promittens dictus D. Abbas pro ſe & ſuis ſucceſſoribus & nomine & vice dicti monaſterii de conſenſu dictorum monachorum ibidem præſentium ſolemniter ſine aliqua exceptione juris, vel facti, ſe, & dictum monaſterium, & dicti monaſterii bona obligando ipſis DD. Comiti, Judicibus, Conſiliariis, & maſſariis prædicti Communis ſtipulantibus dictam domum & ſtationes uſque ad dictum tempus 29. annorum in colmo & conzo tenere & meliorare, & non deteriorare, & etiam facere expenſis dicti monaſterii, quod portæ, feneſtræ, ſeraturæ; & claves utiles & neceſſariæ dictæ domui & ſtationibus per dictum tempus non deficiant, & etiam dictam locationem firmam, gratam, & ratam habere, & tenere, & pro ſuo uſu non accipere, & prædictis non contrafacere vel venire, ſed prædictam rem locatam ipſi Communi hinc ad dictum tempus legitime defendere, auctorizare, & deſtrigare, ac diſcalumniare contra omnes homines & perſonas, & de ipſa, vel ejus occaſione aliquam non facere dationem, datam, obligationem, vel contractum, cujus prætextu ipſi Communi aliquod damnum, vel præjuditium contingere poſſit, vel quo minus dictum Commune dictam totam domum cum dictis ſtationibus habere ad dictum terminum per ſe vel alium quem voluerit uti valeat, & tenere. Quapropter dictus D. Comes, Judices, Conſiliarii, & maſſarii ex vigore ſupradictæ reformationis nomine & vice dicti Communis ſolepniter promiſerunt dicto Dom. Abbati pro dicto monaſterio ſtipulanti ſolvere & dare ſibi nomine penſionis & mercedis dictæ domus & ſtationum quolibet anno in feſto nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti lib. 24. de, . . . par. . . . Hoc acto quod ſi rectores, vel Commune Tragurii facerent aliquas cameras, vel aliquod laborerium pro ipſorum rectorum & Communis utilitate, & commodo, quod quidem opus, ſive laborerium mutaret ſolitam ſive præſentem formam ædificii, dictum Commune ſuis expenſis prædictas cameras & laborerium facere teneatur. Quæ omnia, & ſingula ſupradicta promiſerunt dictæ partes viciſſim, ſcilicet una pars alteri ad invicem ſolemnibus ſtipulationibus hinc inde intervenientibus firma, & rata habere, & tenere, & non contrafacere vel venire per ſe, vel alium aliqua ratione, vel cauſa, quæ dici, vel cogitari poſſit de jure, vel de facto ſub pœna quarti æſtimationis dictæ domus & ſtationum ad invicem inter ipſos ſtipulatione præmiſſa. Qua ſoluta, vel non, rata, & firma maneant omnia, & ſingula ſupradicta. Item refacere, & reſtituere una pars alteri ad invicem omnia & ſingula damna intereſſe, & expenſas, quæ & quas una pars occaſione alterius ſive culpa contra prædicta venientis fecerit, vel ſuſtinuerit in judicium vel extra judicium. Pro quibus omnibus, & ſingulis ſupradictis firmiter obſervandis obligavit dict. D. Abbas, prædictis D. Comiti, Judicibus, Conſiliariis, & maſſariis recipientibus pro dicto Communi omnia bona dicti monaſterii; & ipſe D. Comes, Judices, Conſiliarii, & maſſarii obligaverunt dicto Dom. Abbati pro dicto monaſterio recipienti omnia bona dicti Communis. Pro qua locatione taliter facta, & etiam quia dicti D. Abbas de conſenſu ſupradictorum monachorum in dicto pleno Capitulo congregatorum, & ipſi monachi, & Capitulum contenti, & confeſſi fuerunt ſe habuiſſe, & recepiſſe integraliter penſionem, ſive mercedem dictæ domus & ſtationum de toto tempore, quo hactenus ipſam domum & ſtationes Commune tenuit uſque in præſentem diem; dicti D. Abbas cum conſenſu dictorum monachorum, & Capituli, & ipſi monachi, & Capitulum cum ipſo D. Abbate fecerunt dictis Dom. Comiti, Judicibus, Conſiliariis, & maſſariis recipientibus & ſtipulantibus pro dicto D. Communi, finem, remiſſionem, quietationem, & refutationem, & pactum de amplius non petendo de dicta penſione dictarum domus & ſtationum dicti præteriti temporis uſque in præſentem, ipſum Commune liberantes & abſolventes per acceptilationem, & Aquilianam ſtipulationem legitime interpoſitam, renunciantes etiam exceptioni non ſibi datæ, & non ſolutæ penſionis prædictæ, ſpeique futuræ dationis & ſolutionis, exceptioni doli mali, in factum actioni, beneficio reſtitutionis in integrum, & omni alii exceptioni, & defenſioni, quibus poſſent contra dictum finem & remiſſionem venire. Quam finem, & remiſſionem, & pactum de non petendo dicti D. Abbas pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus, & monachi, & Capitulum prædictum nomine dicti monaſterii promiſerunt dicto D. Comiti, Conſiliariis, & maſſariis ſtipulantibus pro dicto Communi habere firmas & ratas, & non contrafacere, vel venire aliqua ratione, vel cauſa, quæ dici, vel cogitari poſſit de jure, vel de facto ſub pœna dupli ejus quod petetur ſolvendi, rata & firma manente dictis fine & remiſſione, obligat. . . . dicti D. Abbas, & monachi, & Capitulum ejuſdem D. Comiti, Judicibus, Conſiliariis, & maſſariis reſpondentibus pro Communi pro prædictis attendendis omnia bona dicti monaſterii.

Annos fere duodecim Lampridius tranquillum

ſine

ſine ulla offenſione epiſcopatum geſſit, haud magis Capitulo & clero, quam civibus cujuſque ordinis carus acceptuſque. Civitas etiam ſub imperio Veneto quietis pacatiſque temporibus uſa eſt; præſertim poſtquam Carolus Rex Hungariæ Mladinum Banatu amovit, atque in Hungariam abduxit; & Georgium Mladini fratrem, a Dynaſtis Chrobatiæ ac fœderatis civitatibus victum captumque apud Tinninium anno 1324., Neliptius Comes Tinninii in arctam cuſtodiam incluſit. Sed epiſcopatum bonis initiis ortus, triſtes poſtea progreſſus, moleſtiſque contentionibus implicitos, pejores etiam exitus habuit. Ac primum quidem neſcio quid litigiorum illi fuit cum ſuo Metropolita Dominico Luccaro Archiepiſcopo Spalatenſi, cujus mandatis cum obſequi nollet, anathemate perculſus, ab rebus ſacris, & functionibus epiſcopalibus aliquamdiu abſtinere debuit. Poſt multas contentiones Metropolitæ reconciliatus, & anathematis vinculo exſolutus, ad priſtina officia & munera exſequenda rediit anno 1334. ut docet Joannes Lucius lib. 4. cap. 4. Monument. Tragurien. De his contentionibus extat etiam monumentum in conventione, quam ex tabulario Capituli Tragurienſis hic ſubjicio; anno ſiquidem 1336. menſe Majo antiquam in funeribus conſuetudinem non prætergredi Fratres Minores S. Franciſci polliciti ſunt Lampridio Epiſcopo in ſynodo Spalatenſi.

Conventio inter Epiſc. & Fratres Minores de obſervantia conſuetudinis in eundo ad funera cum clero, & ſine.

In Dei nomine amen. Anno Domini milleſimo trecenteſimo trigeſimo ſexto, Indict. IV. die 14. Madii. Per preſens inſtrumentum publicum pateat evidenter, quod in ſancta Synodo Spalaten. congregata in majori Eccleſia Spalatenſi poſt Miſſarum ſolemnia, in ea conſtitutis, & exiſtentibus diſcretis, & ſapientibus viris Domino Stephano Michaelis Canonico Tragurien. & Syndico, ac Procuratore Tragurien. Capituli, prout conſtitit in notis ... prius eo viſo per publ. inſtrumentum, ſcriptum manu Stoyani Simonis Canonici Tragurien. Imp. auctoritate Notarii, & Fratre Sylveſtro de Tragurio Ordinis Minorum Lectore. Cum quedam controverſia exorta eſſet in predicta Synodo inter in Chriſto Patrem Dominum Lampredium Dei gratia Epiſc. Tragurien. & ipſum Fratrem Sylveſtrum nomine ..... de qua per Dei, & ſancte Synodi gratiam ad concordiam devenerunt, prout de ipſa concordia conſtat publico inſtrumento ſcripto manu mei infraſcripti Notarii; in quo ipſe Frater Sylveſter inter alia ad obſervationem conſuetudinum antiquarum, ſe, & ſuum Ordinem obligabat, videlicet de non eundo proceſſionaliter cum funere aliquo, nec ad funus, niſi quantum conſuetudines ſe extendunt cum Clero, vel ſine Clero, de qua & circa quam, ſive quas conſuetudines obſervandas, ut ſupra, ſe obligavit per Reverendiſſimum Patrem Dom. Archiepiſcopum ſupradictum ... ſibi factum fuit mandatum expreſſum. De quibus omnibus ... pactis expreſſis rogatus ego infraſcriptus Notarius per .... dictum meum Tabelionatus officium in Sacramenti virtute .... de ſcientia, & voluntate totius Synodi, & precepto .... Fratre Sylveſtro preſente, & audiente ....

Actum Spalati in majori Eccleſia Spalaten.... poſt Miſſarum ſolemnia preſentibus ex. Synodum Dompno .... Bononia, & Marino .... Domini Archiepiſcopi predicti teſtibus vocatis, & rogatis, & aliis pluribus &c.

L.S. Ego Mattheus q. Gerardi de Panicho civis Bononie pub. Imp. auct. Not. & nunc juratus Reverendi in Chriſto Patris Domini Domini Dei gr. Archiepiſcopi ſupradicti, predictis omnibus cum prenominatis teſtibus preſens fui, & rogatus ſcripſi per Stephanum predictum, & in hanc formam redegi, ſignumque meum appoſui conſuetum &c.

Sed contentiones longe graviores cum Magiſtratu & Communi Tragurienſium ſuſcepit, quæ non ſolum civium animos ab eo alienarunt, ſed eidem damno ac dedecori fuerunt. Ac prima quidem diſcordiarum cauſſa hæc fuit. Cum Boſina hæreticorum referta eſſet, ne hujuſmodi contagio in urbem vel territorium Tragurienſe irreperet, Boſnenſibus hæreticis omnibus aqua & igni interdictum fuerat, ac ſtatutum, ut ſi quis deprehenſus foret ea labe infectus, flammis comburendus traderetur: *Ut autem hæreticæ pravitatis zizaniam nequeant infideles in catholico ſolo ſeminare, diſtricta auctoritate ſancimus, ut hæretici & Patareni, vel alio quoque nomine conſtent, in civitate Tragurii, vel ejus diſtrictu non audeant apparere; & ſi qui repertus fuerit, dummodo judicio eccleſiæ ſit denunciatus, vel per ſe confeſſus, aut teſtibus convictus, ſive perfecta evidentia detectus fuerit hæreticus manifeſtus, flammis tradatur uſque ad pulverem exurendus abſque dilatione. Bona vero ipſius ad Commune devolvantur &c.* Forte evenit anno 1338., ut exercitus Boſnenſis magna ex parte conflatus ex hæreticis, Oſtoja & Bogdano ducibus, ad Cliſſam oppugnandam miſſus, iter habiturus eſſet per fines Tragurienſium. Quocirca Lampridius convocato Capitulo XVIII. Kal. Septembris, anathematis pœna interpoſita, clericis pariter ac laicis omni congreſſu & colloquio cum ducibus & militibus Boſnenſibus interdixit. Verum in Conſilio generali civitatis decretum fuit, ut quando Boſnenſes tranſitu prohiberi non poterant, tres legati mitterentur, Philippus Molinus Comes civitatis, Petraca & Stephanus Cega fratres, itemque Gauſius Stoche, qui ad duces & milites munera & commeatus deferrent, ut his deliniti ab omni maleficio & injuria temperarent. Reverſos ſtatim Lampridius, quod cum hæreticis, contra quam ipſe vetuerat, commercium habuiſſent, nominatim anathemate feriit; generatim vero univerſum Conſilium civitatis, a quo miſſi fuerant, eidem pœnæ ſubjecit. Id neque rite, neque legitime factum pleriſque, ac fere omnibus viſum eſt; & vel ipſis Canonicis diſplicuit, qui Lampridio nequidquam auctores fuerunt, ut antequam anathematis ſententiam pronunciaret, hac ſuper re conſuleret Archiepiſcopum Spalatenſem. Quocirca Gauſius Stoche Epiſcopum adiit, ac nomine totius Conſilii generalis & Communis, ſuperos hominesque conteſtans, declaravit legationem ad duces & exercitum Boſnenſes non voluntate, ſed neceſſitate decretam & ſuſceptam fuiſſe, ut donis ac muneribus eos delinirent, ne quid damni ac maleficii Tragurienſium agris afferrent; eamdem ob cauſſam Antiſtites Spalatenſem & Scardonitanum ad eoſdem acceſſiſſe, ut ab illorum tranſitu territorium utrumque innoxium redderent; nec vero utriuſque cum hæreticis congreſſum illis crimini datum eſſe, aut fraudi fuiſſe. Ad hæc culpam pœnamque in Tragurienſes collatam, in ipſum Epiſcopum regeſſit; quippe haud multis ante menſibus Cliſſæ Helenam filiam Georgii Comitis Breberienſis matrimonio junxerat, ſacris ritibus adhibitis, cum Uladislavo fratre Stephani Bani Boſnenſis,

Lampridius Magiſtratum & Conſilium Tragurienſe ſacrorum communione privavit.

Duo crimina Lampridio objecta, ob quæ in excommunicationem ipſe inciderat.

hæretica, aut ſchiſmatica labe infecto; & cum hic Helenam tertio cognationis gradu attingeret, hujus canonici impedimenti amovendi poteſtate, quam peti oportuerat a Romano Pontifice, carebat. Sententiam igitur anathematis Tragurienſibus inflicti nullam eſſe atque irritam, non ſolum quia injuſta erat, ſed etiam quia Lampridius, cum duplici anathemati ſubeſſet propter commercium in re ſacra cum homine ſchiſmatico, & propter hujus cum Helena conſanguinea nuptias inceſtas copulatas, ejus ſententiæ ferendæ, omniſque actus judicialis exercendi poteſtatem amiſerat. Ad extremum ab Epiſcopi ſententia ad Sedem Apoſtolicam appellavit. Deinde nonis Septembris habitum eſt Conſilium generale, in quo decretum fuit, perinde agendum eſſe cum Lampridio, ac ſi Epiſcopus non eſſet; cum enim ſe ipſe in laqueos duplicis excommunicationis induxerit, omni juriſdictione & poteſtate epiſcopali exſutus erat; ac propterea in actis ac tabulis publicis exinde nominandum non eſſe, in quibus antea Regi Hungariæ ac Duci Venetorum, honoris cauſſa, Epiſcopi nomen ſubjici ſolebat. Hæc Joannes Lucius lib. 4. cap. 4. Monum. Tragurienſium.

De quibuſdam bonis & redditibus eccleſiaſticis alio averſis litem Tragurienſibus Lampridius intendit.

Exacerbati ſemel hominum animi tantum abeſt, ut quidquam de ſuſceptis contentionibus remittere velint, ut potius alias ex aliis dividendi occaſiones arripiant. Quædam loca, & vectigalia, quæ antea juris ecclesiaſtici fuerant, ſive emptione, ſive permutatione in poteſtatem Communis Tragurienſis tranſierant. De his Lampridius litem Tragurienſibus intendit, & fretus privilegio pontificio Gregorii X., qui an. 1274. Eccleſiam ac diœceſim Tragurienſem cum omnibus oppidis, villis, agris, lociſque ad eam pertinentibus in fidem & clientelam Sedis Apoſtolicæ receperat, ac prohibuerat ne quis quidquam ex illis interverteret (quod quidem privilegium in Columbano deſcriptum habes), Magiſtratibus & Communi præcepit ac denunciavit, ut illa omnia eccleſiis, unde alienata fuerant, ſua quibuſque reſtituerent, interpoſita interdicti pœna, niſi huic præcepto ac denunciationi ſtatim obtemperarent. Miſſi ſunt ad Epiſcopum qui nomine civitatis orarent, atque obſecrarent, ut denunciationem illam revocaret; ſe ad probandum legitimam eſſe poſſeſſionem locorum illorum, de quibus litem intulerat, paratos eſſe; tantum ab eo ſuppliciter petere, uti rem omnem uſque ad cauſſam cognitam pro ſua ſapientia & æquitate ſuſpenderet. Cum eos neque audire neque admittere voluiſſet, Sedem

Ad Sedem Apoſtolicam appellatum.

Apoſtolicam appellarunt. Lampridius vero hujuſce appellationis nulla ratione habita, extemplo ſententiam interdicti pronunciavit, a qua illi rurſus ad Summum Pontificem appellarunt.

Cum itaque Tragurienſes decreviſſent ad tribunal pontificium deferre utramque controverſiam, alteram criminoſam, in qua illi crimina ſibi objecta, pœnamque illatam in Epiſcopum retorquebant; alteram civilem, in qua de jure & bonis eccleſiaſticis agebatur; duos procuratores inſtituerunt, Joannem Canonicum, & Gauſium Stoche, qui Avenionem ad Benedictum XII. ſe conferrent, & contra Epiſcopum utramque cauſſam civitatis defenderent. His duobus jam ex urbe profectis ſub initium anni 1339. tertium adjungendum putarunt, Stephanum civem ac patricium Tragurienſem; ut conſtat ex decreto Conſilii generalis, in quo patricii omnes, qui interfuerunt, in id, quod decretum fuerat, una voce & mente conſenſerunt:

Decretum Tragurienſe.

In Chriſti nomine amen. Anno Domini 1339. Reg. D. Kar. Sereniſſimo Reg. Hungarie, & magnifico & excelſo D. noſtro D. D. Franciſco Dandulo D. G. Ven. inclito Duce, & tempore regiminis nob. & ſap. viri D. Philippi de Molino hon. Com. Trag., ſuorumque judicum nob. DD. Nicole Mathei Dobre, Doymi Stephani, Doymi Marini Andree, & Andree Greg. Lucii, omiſſo nomine Epiſcopi cauſam dantis ſecundum reform. Communis Trag., die Dominico quinto Septembris. In pleno & generali Conſilio Communis, univerſitatis, & hominum, ac ſingularium perſonarum de Tragur., ad ſonum campane, vocibuſque preconum, more ſolito congregato, mandato dicti Comitis & ſue curie de octo, vid. Jud. & Conſil. Communis Trag., in quo conſilio fuerunt infraſcripti, qui fuerunt, & ſunt ultra numerum deputatum, & deliberatum, ſecundum formam ſtatuti Communis Trag., vid. Domini Nicola Mathei Dobre, Doymus Stephani, Doymus Martini Andree, & Andreas Gregorii Judices, & Maurus Menſe Conſiliarius, vacantibus duobus Conſiliariis, & alio quarto abſente, & Caſoptus Nicole, Gregorius Salinguerre, Antonius Doymi, Nicola Simonis, Deſſa Joannis Lucii, Vicentius Ampleuxi, Michael Stephani, Deſſe Palmote, Gregorius Mathei, Elias Menxe, Gauſius Stoyſce, Nicola Cipriani, Gauſius Deſſe, Dobrolus Mathei, Petrus Suſi, Marcus Georgii, Georgius Bivize, Petrus Mathei, Thoma Stephani, Grubeſſa Canoci, Luce Mathei Lucii, Doymus Michael, Deſſa Marini, Doymus Paſque, Micoe Mathei Lucii, Matheus Doymi, Meze Julle, Jaxa Ivanche, Petracha Stephani, Lompre Corteſie, Fredericus Mathei Lucii, Joannes Doymi, Nicola Starez, Joannis Marini Gauſegne, Gauſegna Caſtrafoci, Damianus Deſſe Viſchi, Micoe Mathei Cludi, & Luxa Joannis Lucii, & Joannis Deſſe, qui repreſentant totum corpus civitatis; dictus D. Comes una cum ſua curia de octo, & dictis conſiliariis in dicto Conſilio exiſtentibus, & ipſi conſiliarii una cum dicto Comite, & dicta curia pred. unanimiter & concorditer nemine diſcrepante, facientes pro ſe & nomine, & vice dicti Communis, univerſitatis, & hominum, ac ſingularum perſonarum de Trag., non intendentes propter hoc revocare nobiles viros Dominos Joannem D. Petri Canonicum Trag. & Gauſium D. Stoyſe Svazich cives Trag. Sindicos & procuratores conſtitutos per ipſos Commune, & homines in Romana curia, contra infraſcriptum Epiſcopum Trag., nec alterum ipſorum, nec mandatum ipſorum, nec aliquos alios ſuos, & dicte univerſitatis, & hominum, ac ſingularum perſonarum de Trag. Sindicos & procuratores, ſed potius refirmando eos, & quemlibet ipſorum in totum, & ſuum mandatum, & omnia, que per ipſos proc. & Sind., & per alterum ipſorum facta & dicta ſunt hucuſque in curia Romana & alibi contra D. Epiſcopum infraſcriptum; fecerunt, conſtituerunt, & ordinaverunt nobilem virum Stephanum, filium nobilis viri D. Michaelis Stephani de Trag. abſentem tamquam preſentem, ſuum & d. Communis, univerſit. hominum, ac ſingul. perſon. de Trag. inſimul cum predictis Dominis Joanne & Gauſio certum nuncium, miſſum, procur. & Sind. & actorem ſpecialiter in cauſa vel cauſis, quam vel quas habent, vel habituri ſunt cum quacumque perſona eccleſiaſtica vel ſeculari, coram quocumque Judice eccleſiaſtico vel ſeculari, & ſpecia-

cialiter in cauſa vel cauſis, quam vel quas habent, vel habituri ſunt cum Vener. Patre Lampridio Epiſcopo Trag. ſuper quadam appellatione nuper eorum nomine per nobilem virum D. Fredericum q. D. Mathei Lucii interjecta coram ipſo Domino Epiſcopo ad Dominum noſtrum Papam, procuratorio & ſind. nomine pred. Communis, univerſ. hominum, ac ſingularum perſon. de Trag. ad proſequen. omnium appellat. hujuſmodi, & omnia & ſingula contenta in ea coram dicto D. noſtro Papa, vel ejus auditore, vel auditoribus, ſeu judicibus datis, vel delegandis, ſeu deputatis, vel deputandis ab ipſo, ad libellum offerendum, dandum, ſeu recipiendum ſuper premiſſis & aliis quibuſcumque, ad agendum & defendendum pro prædictis excipien. & replican. litem conteſt. dilata &c. Promitt. &c. Actum in palatio Comm. Trag. preſentibus teſtibus magiſtro Jacobo medico de Padua ſalariato Comm. Trag. Superantio Raynalducii de Cingulo notario ſalariato Com. Trag. Alberto apotecario q. Franciſci de Mediolano ſalariato Comm. Trag. Benvenuto filio magiſtri Nicolai doctoris Gramatice de Vincentia ſalariati Com. Trag. Sigifredi Cerdone q. Henrici de Vincentia, & Statian. Trag. & Puſtreco precone Com. Trag. omnibus habitatoribus civit. Trag. ad hoc ſpecialiter vocatis & rogatis, & Petro Mathei Lucii examinat. Ego Guil. &c.

Procuratores Tragurienſium Pontifex perbenigne audiit, ac de ſtatu utriuſque controverſiæ ab illis diligenter edoctus, ipſum Lampridium Avenionem ad curiam pontificiam per Judices Tragurienſes citari juſſit, ut eſt in tabulis Avenionenſibus: *Mandatum Judicibus Tragurienſibus, ut Lampridium Epiſcopum citent, ut apoſtolico conſpectui ſe præſentet*. At ille uſus excuſatione ætatis in ſenium devexæ maleque affectæ valetudinis, Jacobum Piſtorium procuratorem ſuum delegavit, qui cauſſam abſentis Epiſcopi apud Pontificem ageret, ejuſque acta & jura tueretur. Ac Benedictus quidem controverſiam illam civilem de locis & bonis eccleſiaſticis, quæ per Tragurienſes interverſa & inique uſurpata Epiſcopus ajebat, cognoſcendam ac dirimendam dedit Cœnobiarchæ S. Nicolai diœc. Sibenicenſis, Primicerio, & Petro Canonico Eccleſiæ Sibenicenſis, ut ejuſdem epiſtola docet,

Pontifex controverſiam de bonis eccleſiaſticis cognoſcendam ac dirimendã dedit Abbati S. Nicolai, Primicerio, & Canonico Sibenicenſibus.

Benedictus &c. dilectis filiis Abbati S. Nicolai Siben. dioceſ. & Primicerio, ac Petro Sumſich Canonico Eccleſiæ Sibenicen. ſal. & apoſtol. bened. Sane nobis dilecti filii nobilis vir Philippus Comes, Gregorius Salinguerre, Gauſius Deſſe, Joſeph Stephani, & Jacobus Danielis judices, nec non conſiliarii, & Comm. civit. Trag. ſua petitione monſtrarunt, quod licet gabella portæ civit. Trag. Uratarina vulgariter nuncupata, nec non quædam platea contigua Eccleſiæ Trag. ac hortus poſitus in inſula Boe, nec non campus S. Petri de Clobucez, ac palatium Comitatus, & pedagium Barchan, vulgariter nuncupata, & inſulæ ac ſcopuli maris, in civitate, & diſtrictu Trag. conſiſtentia, juris & propriet. Comm. dictæ civitatis fuerint, & exiſtant; & tam ipſi Com. quam prædeceſſores eorum gabellam, plateam, hortum, campum, palatium, & inſulas prædictas tamquam juris & proprietatis eorum exiſtentia tenuerint, & poſſederint pacifice & quiete a tempore, cujus contrarii memoria non extat; tamen Ven. Frat. noſter Lampredius Epiſcopus Trag. aſſerens, quod pro eccleſiarum Trag. civit. & dioc. juribus defendendis, & non uſurpandis, univerſis & ſingulis per ſpeciale privilegium Sedis Apoſtolicæ inhibeatur expreſſe, ne aliqui bona & jura ipſarum eccleſiarum occupare, invadere, ſeu illicite detinere, ſeu illa injuſte perturbare præſumerent quoquomodo; & ſi ſecus præſumerent, honoris ſui dignitate priventur; & minus veraciter prætendens, quod ipſi Comes, Jud. Conſ. & Com. gabellam, plateam, hortum, camp. palat. pedag. inſ. prædicta, quod tam ad ſuam majorem, quam ad alias eccleſias, & monaſt. & alia pia loca civit. & dioc. præd. ſpectant, ut falſo dicebat, occuparant, et occupata indebite per violentiam detinebant, dictos Com. Jud. Conſ. Comm. monuit per edictum publicum, et mandavit eiſdem, ut plateam, gabellam, et alia bona et jura hujuſmodi, quæ dict. eccl. monaſt. et locorum eſſe falſo dicebat, et detenta, ſeu occupata per eos, ipſis eccl. monaſt. atque locis infra certum terminum, quem ipſis ad hoc peremptorium aſſignabat, reſtituere ac in pace dimittere libere procurarent; alioquin Com. Conſil. Jud. et ſingul. Conſil. dict. civit. predictæ generaliter declarat prætextu dicti privilegii, licet de facto ſua auctoritate ordinaria, excommunicationis ſententiæ ſubjacere, nec non Com. et univ. dictæ civit. fore ſuppoſita eccleſiaſtico interdicto. Ex parte vero Com. Conſ. Jud. et Com. prædicti fuit infra dictum terminum coram eorum Epiſcopo excipiendo propoſitum, quod cum gabella, platea, hort. camp. et inſ. præd. juris et proprietatis eorumdem Com. fuiſſent, et eſſent, et tam ipſi, quam progenitores eorum illa pacifice et quiete tenuiſſent, et poſſediſſent a tempore ſuprad. pro ut ſuperius eſt expreſſum, et erant legitime probare parati, dictus Epiſcopus admonit. et mandat. hujuſmodi de jure nequiverat proceſſiſſe, ipſique Com. Jud. et Comm. hujuſmodi monitioni et mandato parere minime tenebantur, et ad id compelli de jure non poterant, nec debebant, quare parte ipſorum fuit ab eo humiliter poſtulatum, ut monit. et mandat. hujuſmodi revocaret. Et quia præf. Epiſcopus eos ſuper hoc contra juſtitiam audire denegavit, pro parte Com. Jud. Conſil. et Com. præd. ſentientium ex iis ſe indebite gravari fuit infra tempus legitimum ad Sedem Apoſtolicam appellatum. At idem Epiſcopus bujuſm. appellatione contempta, in Com. Jud. Conſil. et ſing. excommunicationis, et in Comm. ac univerſit. prædic. interdicti ſententias promulgavit: propter quæ pro parte Com. Jud. Conſ. et Comm. prædict. fuit iterato ad ſedem appellatum eamdem. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtol. ſcripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propoſitis, quod canonicum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes quod decreveritis auctoritate noſtra firmiter obſervari: teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione ceſſante, cogatis veritati teſtimonium perhibere. Quod ſi non omnes iis exſequendis potueritis intereſſe, duo veſtrum nihilominus exequantur. Datum Avenione quarto Id. Januarii, Pontif. noſtri anno ſexto, ideſt 1340.

Quid ſententiæ tulerint judices delegati, memoriæ proditum non eſt. Sed cum Commune Tragurienſe bonorum, vectigalium, locorum illorum, de quibus erat controverſia, poſſeſſionem retinuerit; neceſſe eſt vel illi ſecundum Tragurienſes judicaverint, vel Lampridius in ea cauſſa, quam tueri ſe poſſe diffidebat, adverſariis ſponte ceſſerit, ut Joannes Lucius opinatur;

tur; qui simul ostendit jure quam optimo loca illa & prædia, quæ repetebat Episcopus, ab ecclesiis, ad quas olim pertinebant, perveniſſe in potestatem civitatis & Communis Tragurienſis, lib. 4. cap. 4. Monum. Tragurien. Alterius vero criminalis, longeque gravioris controversiæ quæsitorem ac judicem Pontifex dedit Galairandum Cardinalem ædi ac titulo S. Petri in Vinculis præpositum, qui de rebus actisque omnibus quæstione habita, & momentis rationum, quas procuratores utriusque partis afferebant, collatis inter se ac diligentissime perpensis, Tragurienses quidem omni culpa pœnaque liberavit; Lampridium vero ob eas, quas diximus, causſas in gravissimum crimen, & pœnam anathematis jure canonico eidem crimini annexam, incurriſſe declaravit. Hæc sententia lata fuit VI. Kalendas Maji anno 1341. cujus exemplar, quod Joannes Lucius citavit, mihi nanciſci non licuit. An postea Lampridius hujusmodi vinculo exsolutus fuerit, & cum Tragurienſibus in concordiam redierit, litteris traditum non est. Certe quoad vixit, sive ob senectutem, sive ob invaletudinem ab omni jurisdictione & functione episcopali abstinuit. Nam tres deinceps Vicarios & administratores Eccleſiæ Tragurienſis constitutos invenio, Savinum cœnobiarcham S. Joannis Baptistæ an. 1344. quo quidem anno interfuit Concilio provinciali Spalatenſi sub Dominico Archiepiscopo, nominaturque *Savinus Abbas monaſterii S. Joannis Baptiſtæ de Tragurio, Vicarius miniſtrationis Eccleſiæ Tragurienſis*; Deſsam Archidiaconum Spalatenſem, qui ex mandato Sedis Apostolicæ administrationem ejusdem eccleſiæ anno 1345. gerebat, ut docent tabulæ locationis proventuum episcopalium eodem anno confectæ; & Nicolaum Galucium Archidiaconum Tarvisinum, cui Sedes Apostolica itidem ejusdem eccleſiæ procurationem demandavit; hic siquidem anno 1348. VIII. Kal. Septembris duplicem præfecturam ædis S. Barbaræ, a patronis hujus eccleſiæ duobus clericis *Lucio Deſſæ*, & *Jacobo Doymi* collatam, approbavit, ut constat ex tabulis Tragurienſibus apud Joannem Lucium.

Galairandus Card. declaravit Lampridii excommunicationis vinculo constrictum esse.

Vicarii administratores Eccleſiæ Tragur.

Interea dum Lampridius ab omni cura & functione episcopali vacabat, perfectum est anno 1348. sacellum S. Joannis Episcopi Tragurienſis, *ex columnis*, ut Lucius in notis ad vitam ejusdem S. Joannis, *et epiſtyliis marmoreis, cancelliſque ferreis cum concameratione lapidea ſemicirculari, non inconcinne pro illorum temporum more conſtructum*. Adjecta est inscriptio tabulæ marmoreæ litteris Gothicis inciſa, quæ est hujusmodi.

Novum sacellum S. Joannis Ep. absolutum.

Hoc ſepulcrum videat *cuncta gens devo* }ta
Inclinato capite *atque fide to*
In quo Sancti tegitur *corpus confeſſo* }ris
Joannis Tragurii *veri defenſo*
Devoti Antiſtitis *quem narrat Scriptu* }ra
Feciſſe miracula *in vita quam plu*
Volens hujus preſulis *vitam ſanctam ſci* }re
In legendis myſticis *debet reperi*
Qui poſt ſacrum obitum *languidos ſanav* }it
Ab omni inſania *multos hic curav*
Nunc contriti properent *Sanctum exora* }re
Puro corde jugiter *pium implora*
Ut dignetur Pontifex *verus interceſſ* }or
Impetrare veniam *biis Dei confeſſ*
Cujus cultor operum *hic fuit translat* }us
Per clerum et populum *ſolepni locat*
Cum hymnis et canticis *laudibus divin* }is
Atque cum letitia *cunctis Tragurin*
Sub milleno Domini *anno trecente* }no
Octavo poſt addito *ſubque quadrage*
Hujus ſacri corporis *dies celebran* }da
Que vigena Junii *et ſena eſt dan*

Eodem anno 1348. Mladinus junior sive III. e stirpe Breberienſi, filius Georgii II. Comes Scardonæ, Almissæ, & Clissiæ, cum paucis ante diebus Tragurium curandæ valetudinis causſa se contulisset, ibidem mortuus est, ac sepultus in æde cathedrali ante suggestum, & lapidi sepulcrali litteris itidem Gothicis inscriptum legitur hoc epitaphium.

Mladini III. mors & sepulcrum in æde Laurentiana.

Heu gemma ſplendida *jacet ſub hac pe* }tra
Cujus valoris periit *nunc in foſſa te*
Mladinus magnificus *qui Cliſſie fu* }it
Comes, ſuis ſola ſpes *cur tam cito ru*
Georgii Comitis *memorie bo* }ne
Natus atque Dominus *Almeſi Scardo*
Probitatis titulus *morum & hono* }ris
Ut flos vernans defuit *vir tanti valo*
Croatorum clipeus *fortis & ipſe er* }at
Inter omnes fortior *volens ſcire quer*
Ejus mortem impiam *cerno pro pecat* }is
Slavonie gentium *eveniſſe grat*
Flete Slavi nobilem *nepotem Banor* }um
Largam veſtram copiam *pacis & honor*
Sic preces Altiſſimo *date Creato* }ri
Quod ipſe miſericors *parcat peccato*
Hic annorum Domini *ſub curſu mille* }ni
Trecenteni inſuper *atque quadrage*
Octavo ſub tempore *traditus eſt li* }mo
In Calendis Madii *menſis die pri*
Cum bona ſui memoria *mors ipſum vorav* }it
Deo reddens animam *hic mox expirav*

Sub initium anni 1349. vel anno superiore exeunte migravit e vita Lampridius; nam VIII. Kalendas Martias anni 1349. sedem episcopalem vacuam fuisse docent tabulæ archivi publici Tragurienſis. Conditus est in odæo ædis cathedralis, & obtectus marmorea tabula, quæ illius effigiem inſculptam exhibet habitu ornatuque pontificali. Circa hanc in ora extrema marmoris inciſus est titulus sepulcralis: *Quem genuit Jacobus Venetus de nobili ſtirpe Victuri de Caſa. Set mater nomine Bona orta de domo clara de Cega Tragurienſi. Pauper nutrix juvenis. Set ſtatu virili hec apicis ſuperſit mox dignitatis honorem. Sedit pacificus paterque ſexagenarius. In quo diſcretus prudens doctor facundus. Nomen corde tenens Sancte Trinitatis, & ore. Paſtor animarum Lampridius hac jacet in arca. Laurentii ſancte pater, & quorum precor devotus Laurentius ſit ipſe tecum.*

Mors Lampridii & epitaphium.

His temporibus sanctitate & miraculis floruit B. Augustinus Casoctus patricius Tragurienſis, ac primum Zagrabiæ, deinde Nuceriæ Episcopus, qui cum eccleſiam utramque præclaris exemplis & sanctiſſimis institutis decorasset, anno 1323. migravit in cælum, ac titulum cultumque Beati promeruit. Erat ex ordine PP. Prædicatorum, qui superiori sæculo Tragurium recepti, cœnobium in suburbio occidentali, ac templum S. Dominico ædificarunt. Bitcula soror B. Augustini plurimum pecuniæ ad ædificationem utriusque contulit. Supra januam maximam templi visitur effigies Deiparæ Virginis puerum Jesum amplexantis, tabulæ marmoreæ in-

B. Augustinus Casoctus patricius Tragurienſis.

Bitcula ejus soror de templo S. Dominici bene merita.

inſculpta. Huic aſtant, a læva quidem B. Maria Magdalena, a dextera vero B. Auguſtinus cum pontificiis inſignibus; cui ad pedes ſupplex & ſubmiſſis genibus provoluta eſt ejuſdem ſoror matronali habitu atque veſtitu, ut ſuperpoſita ejuſdem capiti inſcriptio declarat.

Dña BITCULA SOROR Hⁱˢ SCI AUGUSTINI.

BARTHOLOMÆUS EP. TRAGUR. XI.

E codicibus Brunatianis nobis innoteſcit tum nomen parentis, tum patria Bartholomæi; ille Salomon vocabatur, hæc fuit oppidum diœceſis Signinæ, nomine Valliſmontonis (vulgo *Valmontone*). Signia civitas eſt Latii, olim Volſcorum, nunc ditionis pontificiæ, colli prælto impoſita, epiſcopali ſede inſignis; ab urbe Roma millia paſſuum fere triginta disjungitur. Hæc de Bartholomæo in iiſdem codicibus traduntur. Anno 1341. unus erat de duobus Vicariis generalibus Hildebrandi Epiſcopi Patavini, idemque Archipresbyter plebis & eccleſiæ S. Juſtinæ in oppido Montis Silicis, quod decem millia paſſuum Patavio diſtat. Ejuſdem plebis & eccleſiæ procurationem mandaverat Leonardo *de Burgo Sancti Sepulcri*, qui alter erat Vicarius Epiſcopi Patavini. De hujus mandato Franciſcus, præpoſitus eccleſiæ S. Mariæ de Vantio in agro Montis Silicis, Matthæum clericum ex juris formula in poſſeſſionem Canonicatus ejuſdem Eccleſiæ Marianæ miſit atque induxit. Anno 1349. erat fortaſſis Avenione, cum ei Clemens VI. Eccleſiam Tragurienſem decrevit, ſimulque Archipresbyteratus S. Juſtinæ cum Epiſcopatu retinendi poteſtatem fecit. Anno 1351. adhuc Avenione verſabatur, & pridie nonas Julii litteras dedit ad Lucheſium Presbyterum Patavinum rectorem eccleſiæ S. Petri, & Vicarium generalem Hildebrandi Epiſcopi; eumque vicarium quoque ſuum ad plebem & eccleſiam S. Juſtinæ regendam conſtituit. Antequam Avenione diſcederet, idem Clemens Bartholomæo Epiſcopo Tragurienſi, & duobus Archiepiſcopis Antonio Dyrrhachienſi & Heliæ Raguſino legationem apoſtolicam de Raſcianis ſchiſmaticis ad ſinum eccleſiæ revocandis demandavit. Avenione profectus Patavium rediit; & anno 1352. XI. Kalendas Maji Antiſtitam monaſterii S. Mariæ apud oppidum Montis Silicis, quam Virgines illæ ſibi elegerant, approbavit, eique monaſticæ illius præfecturæ legitimam poſſeſſionem dedit. Hæc omnia ex monumentis Brunatianis, quæ hic ſubjicio.

Monumenta quatuor Brunatiana de Bartholomæo Epiſc.

I. Milleſimo trecenteſimo quadrageſimo primo, pontificatus Domin. Benedicti Pape XII. anno ſeptimo, indictione nona, die lune vigeſimo tertio menſis Julii. Padue in epiſcopali curia; preſentibus Venerabilibus viris Dom. Leonardo de Burgo S. Sepulchri, Bartholomeo Salomonis de Vallemontonis, Vicariis generalibus infraſcripti Dom. Epiſcopi Paduani &c. Ex arch. S. Pet. Pat.

II. Milleſimo trecenteſimo quadrageſimo primo, indictione nona, die Jovis quintodecimo menſis Februarii. In diſtrictu Montisſilicis in eccleſia S. Mathei de Vantio; preſentibus... Providus vir Domin. Franciſcus prepoſitus infraſcripte eccleſie S. Mathei de Vantio, ex ſpeciali commiſſione & licentia ſibi tradita & conceſſa per Venerabilem virum D. Leonardum de Burgo S. Sepulchri commiſſarium Venerabilis viri Dom. Bartholomei de Vallemontonis Archipresbyteri plebis & eccleſie Sancte Juſtine de Monteſilice dioceſis Paduane... poſuit & induxit Matheum clericum de canonicatu dicte plebis & eccleſie de Vantio filium qu. Nicolai, tenutam & corporalem poſſeſſionem infraſcriptam accipientem &c. Ex arch. S. Juſtin. de Mont.

III. In nomine Domini amen. Nos Bartholomeus Dei gratia Epiſcopus Tragurienſis dilecto in Chriſto Dom. Presbytero Lucheſio capellano in eccleſia S. Petri de Padua, Vicario Rev. Patris Domini I. Dei gratia Epiſcopi Paduani, ſalutem in Domino. Ne propter noſtram abſentiam eccleſia plebis S. Juſtine de Monteſilicis dioceſis Paduane, quam de gratioſa conceſſione Sanctiſſimi Patris & Dom. D. Clementis Pape VI. habemus & retinemus, non obſtante Epiſcopatu noſtro, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, patiatur in ſpiritualibus & in ſuis juriſdictionibus quomodolibet detrimentum; de veſtre ſinceritate fidei & veſtra ſolertia & circumſpectione confiſi, facimus & conſtituimus & ordinamus vos in dicta plebe S. Juſtine, tamquam & ut archipresbyter dicte plebis, noſtrum in ſpiritualibus Vicarium generalem... Actum Avinione in camera noſtre habitationis ſub anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo primo, indictione quarta, die ſexta menſis Julii; pontificatus Sanctiſs. in Ch. Patris & Dom. D. Clementis div. providentia Pape ſexti, anno decimo. Ex archiv. S. Juſtin. de Mont.

IV. Inventarium inſtrumentorum. Spectantia ad monaſterium Sancte Marie de Supramontem Montiſſilicis. Inveſtitura nove Abbatiſſe dicti monaſterii facta per D. Epiſcopum Tragurienſem, legatum apoſtolicum, habentem in commendam Archipresbyteratum & beneficium plebis Montiſſilicis anno MCCCLII. Electio nove Abbatiſſe dicti monaſterii facta per moniales & confirmata per ſupraſcriptum legatum. MCCCLII. Inſtrumentum monaſterii facta per moniales & confirmata per ſupraſcriptum legatum. MCCCLII. Inſtrumentum diei 21. Aprilis 1352. miſſionis in poſſeſſionem cujuſdam Abbatiſſe per commiſſum Archipresbyteri S. Juſtine. Ex arch. S. Juſtin. de Mont.

Patavio profectus eodem anno Tragurium venit, & poſt ſuſceptum regimen eccleſiæ ſibi traditæ, cum ſociis apoſtolicæ legationis in Raſciam ad mandata pontificia exſequenda ſe contulit. Auctor Viridarii ſeraphici, & Lucas Vadingus Bartholomæum ex ordine Fratrum Minorum S. Franciſci ad Eccleſiam Tragurienſem regendam aſſumptum fuiſſe tradunt. Sed munus Vicarii generalis, quo Patavii fungebatur ſub Hildebrando Epiſcopo, itemque dignitas Archipresbyteri cum Franciſcano inſtituto cohærere mihi non videbatur; ſed non deſunt exempla illorum temporum, quæ doceant non paucos e cœtu religioſorum virorum vel ab Epiſcopis Vicarios delectos, vel præpoſitos & rectores eccleſiarum conſtitutos fuiſſe, veluti, ut alios prætermittam, Fr. Franciſcum ejuſdem ordinis Min. *Archipresbyterum plebis & eccleſiæ S. Juſtinæ de Monte Silicis* ab an. 1282. uſque ad annum 1291. Ex ſchedis Brunatianis. Illud per mihi mirum viſum eſt nuſquam in tabulis illorum temporum inveniri prænomen *Fratris* Bartholomæo præpoſitum, quod fere nunquam abeſt ab nominibus eorum, qui ex aliqua cœnobitica familia ad præfecturas eccleſiaſticas gerendas delecti fuerunt. Fortaſſe duo fuere Antiſtites Tragurienſes, alter alteri proxime ſubrogatus, quibus idem eſſet nomen Bartholomæi. Primus fuit is, de quo in tabulis modo deſcriptis. Huic cum Epiſcopatu Tragurienſi legatio

An duo Epiſcopi ejuſdem nominis.

Ra-

Raſciana commiſſa fuit ; ejuſque legationis ſocios habuit duos illos Archiepiſcopos Dyrrhachienſem, & Raguſinum. Et ſane hunc ne Vadingus quidem inter Fratres ſui ordinis annumeraſſe videtur. *Erant hoc tempore*, ait Tom. IV. Annal. ad an. 1351. *plurimi hæretici & ſchiſmatici in nonnullis Raſciæ, Albaniæ, & Sclavoniæ, aliiſque adjacentibus partibus . . . . Hos itaque mali ſeminis & lolii ſatores juſſit Pontifex a finibus Chriſtianorum arceri, ſcriptis litteris ad Antonium ex Minorita primum Hierapolitanum, deinde Duracenſem Archiep., ad Eliam Raguſinum Antiſtitem, & Bartholomæum Epiſcopum Tragurienſem*. Alter vero Bartholomæus, itidem Tragurii Epiſcopus, ille fuerit fortaſſe, qui cum Petro Thomaſio Epiſcopo Pactenſi ab Innocentio VI. legatus miſſus fuit ad Stephanum Duſcianum regem Serbliæ. Hunc Vadingus alumnum diſciplinæ Franciſcanæ, ſuique ordinis Fratrem vocat. *Pontifex gratulabundus*, inquit, *Apocriſarios* (Regis Serbliæ) *recepit ; remiſitque ad regem F. Bartholomæum Tragurien. Epiſcopum ordinis Min. alias apud eum nuncii functum officio, ſociumque adhibuit F. Petrum Thomaſium ord. Carmelit. Epiſcopum Pactenſem*. Ceterum neque huic Ludovicus Rex Hungariæ in privilegio, quod virginibus S. Claræ conceſſit anno 1360. neque ipſe ſibi in ea ſententia, quam in Jacobum Archidiaconum tulit, prænomen *Fratris* adſcripſit. Si duos eſſe velis ejuſdem nominis Epiſcopos, Bartholomæi primi Epiſcopatus in annum 1354. deſierit oportet ; ab hoc enim, vel fortaſſe ſuperiori anno initium duxit Epiſcopatus Bartholomæi ſecundi, qui cum Petro Thomaſio legatione apoſtolica functus eſt apud regem Serbliæ anno 1354.

Bartholomæus e Catharenſi Tragurienſis Epiſc.

Ferdinandus Ughellus in Epiſcopis Catharenſibus auctor eſt Bartholomæum a Catharenſi ad Tragurienſem Eccleſiam translatum fuiſſe anno 1350. Anno 1344. Sergius hoc nomine III. ad Sedem Catharenſem evectus eſt, ut docent tabulæ conſiſtoriales. Huic igitur poſt triennium, vel quadriennium ſucceſſit Bartholomæus, qui fortaſſis nunquam Catharum adiit ; nec vero ultra tres vel quatuor annos titulum Catharenſis Epiſcopi retinuit ; ſiquidem anno 1349. Clemens VI. Adamo antea Epiſcopo Abienſi Eccleſiam Catharenſem decrevit, ut docet Vadingus ex litteris ejuſdem Pontificis eodem anno datis ad *Joannem de Monteſono electum Abienſem*, & ſucceſſorem Adami translati ad Sedem Catharenſem. Intra finem autem ejuſdem anni 1349. idem Pontifex Bartholomæum, diſſoluto vinculo, quo Catharenſi Eccleſiæ illigatus erat, Eccleſiæ Tragurienſi præfecit.

Ac mihi quidem veriſimilius eſt unum fuiſſe eumdemque Bartholomæum, qui ab anno 1349. uſque ad annum circiter 1362. Eccleſiæ Tragurienſi præfuit ; neque ex ulla religioſa ſodalitate ad eccleſiaſticas dignitates & præfecturas ſublatum fuiſſe. Atque ut, quæ non ſatis inter ſe congruere videntur, ea breviter componam, & paucis complectar ; anno 1341. Bartholomæus Vicarius erat Epiſcopi Patavini, idemque Archipresbyter *plebis & eccleſiæ S. Juſtinæ de Monteſilice ;* anno circiter 1347. deſignatus eſt Epiſcopus Catharenſis ; anno 1349. Catharenſi depoſito, Tragurienſem Epiſcopatum cum legatione apoſtolica ad Raſcianos conjunctum ſuſcepit, quem ſimul cum vita uſque ad annum 1362. retinuit.

Altero igitur poſt ſuſceptum Epiſcopatum anno, Bartholomæum idem Pontifex una cum F. Antonio Dyrrhachienſi, & Elia Raguſino Archiepiſcopis, miſit ad partes Raſciæ & Albaniæ ſchiſmaticis & hæreticis refertas, ut gentes illas ab errore ad rectam in Deum fidem, a ſchiſmate ad ſinum Eccleſiæ Catholicæ revocaret. Lucas Vadingus Tomo VI. Annal. citat epiſtolam pontificiam iiſdem inſcriptam, & Avenione datam 11. Kalen. Septemb. an. 1351. Hanc apoſtolicam expeditionem oppido difficilem ac laborioſam ingenti animo ſuſcepit ; qua ſumma cum laude, magnaque illarum gentium utilitate perfunctus cum eſſet, Innocentius VI. anno 1354. alteram illi longe illuſtriorem legationem decrevit ad Stephanum cognomento Duſcianum Serbliæ & Raſciæ regem, qui propagatis imperii finibus *Romanorum & Serblorum Imperatorem* ſe appellavit. Hic cum videri vellet averſus a Græcis, & cupidus amicitiæ & communionis cum Latinis catholicis jungendæ, ab Innocentio Papa viros poſtulavit doctos & pios, per quos tum Antiſtites & cœnobiarchæ, tum clerus & populi regionum illarum de dogmate & ritu catholico Romano docerentur. Ad id munus recte fungendum, ac pro dignitate ſuſtinendum Pontifex aptiſſimum eſſe cenſuit Bartholomæum Epiſcopum Tragurienſem ; eique adjunxit Petrum Thomaſium ex familia Carmelitana virum doctiſſimum & ſanctiſſimum, Epiſcopum Pactenſem, datis ad utrumque litteris Avenione VII. Kal. Januar. an. 2. Pontific. ideſt 1353. Inſcriptæ ſunt *Ven. Fratribus Bartholomæo Trag. & Petro Pactenſi Epiſc. Apoſt. Sedis nunciis*. Eiſdem epiſtolas commendatitias dedit tum ad Ducem Venetiarum, tum ad Regem Hungariæ, per quorum ditionem iter illis faciendum erat. Litteras addidit ad Stephanum Regem Raſciæ, ad Helenam reginam, ad Oroſium, ſive Uroſcium regis filium, ad Joannichium Patriarcham Serbliæ, ad univerſos Archiepiſcopos & Epiſcopos Raſciæ, Serbliæ, Albaniæ, denique ad proceres & optimates regni Serbliani. Sed optimi Pontificis ſpem & legationem perfidia Stephani fruſtravit ; & ſatis oſtendit ſe verba Innocentio dediſſe, ut bellum averteret, quod ſibi ab Ludovico rege Hungariæ metuebat, ſimulque ut auxilia Principum occidentalium contra Turcas impetraret ; ipſeque totius exercitus imperator fieret. Nec ſolum nihil eorum præſtitit, quæ Pontifici promiſerat, ſed etiam ſuis vetuit intereſſe ſacrificiis utriuſque legati apoſtolici ; & alia præterea alienæ a Latinis, eorumque ſacris, ac ritibus voluntatis indicia præbuit.

Legatus apoſtolicus primum ad Raſcianos & Albanenſes, deinde ad Stephanum regem Serbliæ.

Bartholomæus vero Tragurium regreſſus in rem chriſtianam & eccleſiaſticam omni cogitatione curaque incubuit, ac diuturnæ abſentiæ incommoda ſumma vigilantia & ſedulitate compenſavit. Dum hanc eccleſiam regebat, Tragurienſes, itemque Spalatenſes anno 1357. Veneto magiſtratu expulſo, ſe in fidem ac poteſtatem tradiderunt Ludovici Regis Hungariæ, qui Dalmatiam univerſam Venetis eripuit. Sub dominatu Hungarico intra finem ejuſdem anni motus populi ac diſperſio nobilium facta eſt, & patriciis depulſis, qui ſe Spalatum receperunt, regimen civitatis populus aſſumpſit, ut docet Anonymus A Cutheis c. 3. *Populus Tragurienſis inſurrexit adverſus nobiles, & XIIII. domos nobilium totaliter deprædarunt, videlicet domum Joſeph cum omnibus ſuis ſequacibus de Cigis ipſos perſequendo, qui omnes nobiles Tragurien. fugerunt Spa-*

Seditio popularis Tragurienſis, cujus auctor Jacobus Archidiaconus.

Spaletum, populareſque Tragurienſes receperunt in ſe dominium civitatis, regentes ipſam, & gubernantes ad ipſorum placitum & voluntatem. Auctor ſeditionis præcipuus fuit Jacobus Archidiaconus Danielis Victurii fratris Lampridii Epiſcopi filius, homo factioſus, arrogans, violentus, qui omnium itidem diſſidiorum, quæ patruo Epiſcopo interceſſerant cum magiſtratu & Communi Tragurienſium, ſemen & incitamentum fuiſſe dicitur. Erant ei veteres inimicitiæ cum familia de Cigis nobili ac pervetuſta. Primos hujus ſeditionis impetus excepit domus Joſephi de Cigis, quam furibundi homines diripuerunt. Forte fortuna domi tum erat Stephanus de Cigis Epiſcopus Pharienſis, qui ante paucos dies, ſive valetudinis curandæ, ſive ſuos reviſendi cauſſa Tragurium advenerat. In hunc, Archidiacono inſtigante, Stephanus Braſize homo veſanus ac furioſus ſtricto mucrone invaſit, & multis vulneribus inflictis ſemianimem reliquit. Ad ſedandos Tragurienſes tumultus, eorumque auctores puniendos Ludovicus Rex Hungariæ miſit Nicolaum Zeech Banum & judicem curiæ, & Joannem Banum totius Dalmatiæ & Chrobatiæ, qui poſt quæſtiones de populari illa concitatione ac rebellione accurate riteque habitas, ejuſmodi turbarum auctores & facinorum ſocios iis, quibus digni erant, pœnis affecerunt; iiſdemque pecuniarias mulctas irrogarunt, quibus compenſarentur damna illata nobilibus, quos in patriam revocatos in priſtinam cum plebe concordiam reduxerunt. In actis quæſtionum hæc ſunt, quæ ad rem eccleſiaſticam pertinent: *Item referunt quod per ea, que reperiuntur contra Stephanum filium naturalem qu. D. Epiſcopi Trag. videlicet quod percuſſit manu propria D. Epiſcopum Pharenſem pluribus percuſſionibus de precepto ſibi facto per Archidiaconum Trag. videtur eis, quia vilis perſona eſt, & male opinionis & fame, pauca habens in bonis, quod pœna corporalis ei ſit inferenda, vid. quod manus illa, cum qua percuſſit Epiſcopum, ei a brachio amputetur, & quod perpetuo ſit bannitus a civit. & diſtrictu Tragur. Item referunt quod per atteſtationes fide dignorum receptas per ſupraſcriptos Ambaſciatores* (ideſt Nicolaum Zeech, & Joannem Banum regios delegatos judices) *reperitur Archidiaconum Trag. qui eſt in veſtris manibus fuiſſe principalem auctorem, inductorem, fautorem dicti tumultus, ſtrepitus, & rumoris, & inductorem fuiſſe quamplurium perſonarum ad derobationes faciendas per predictos de rebus dicti Joſeph, & ejus ſequacium. Quod autem juris ſuper inde, cum ſit perſona eccleſiaſtica, hoc relinquunt dominationi veſtre & ſapientie & prudentie terminandum, & quod omnes poſſeſſiones, & bona patrimonialia dicti Archidiaconi vendantur, & precium eorum detur dicto Joſeph, nomine quo ſupra, pro taxatione predicta, ut ſupra &c.*

Stephanus Ep. Pharienſis graviter vulneratus.

Qui juſſi fuerant quæſtionibus habendis præeſſe, imperaverant Jacobum Archidiaconum comprehendi, atque in carcerem detrudi. Sed hic foribus effractis aufugerat; & Sibenicum profectus in ea civitate quoque induxit ſeditionem atque diſcordiam, ac plebem adverſus nobiles concitavit. Cum igitur ejus cauſſa remiſſa fuiſſet ad forum ac tribunal eccleſiaſticum, Bartholomæus Epiſcopus Tragurienſis ſententiam in eum tulit anno 1358. III. Kalendas Novembris, quam anno proximo III. Idus Februarii Ludovicus rex Hungariæ confirmavit. In hujus ſententiæ proœmio, cum multa de vitiis ac virtutibus præclare diſſeruiſſet, quæ cum juſtitia & honeſtate ſunt conjuncta ſummis efferens laudibus, quæ utrique contraria ſunt execrans, ac deteſtans; ea commemoravit, quæ Archidiaconus tum præteritis, tum ſuperioribus annis, cum ipſe abſens apoſtolica legatione fungebatur, contra leges humanas ac divinas commiſerat. Poſt hujuſmodi proœmium, quod brevitatis cauſſa prætermitto, progreditur ad ea narranda, quæ in proxima illa populari ſeditione violenter, crudeliter, impie fecerat. Quod vero ſignificari velit, cum ait *crimina leſe majeſtatis in columpnas eccleſie, in fratrem Dom. Pape Romani, in legatum dictum Farenſem Epiſcopum ſcelerate ab eo commiſſa notoria eſſe &c.* ſane non intelligo; lectoribus interpretanda relinquo.

Bartholomæi Epiſc. in Archidiaconum ſententia.

Nam nocte S. Nicolai de menſe Decembris 1357. inſurgens populus civit. Trag. diabolo ſuggerente ad arma, idem Archidiaconus cum conſanguineis ſuis armatus, in platea publica hortatus domos plurium nobilium ſpoliari, mandavit Stephano Braſize conſobrino ſuo, cum quibuſdam aliis attinentibus complicibus ſuis invadere domum, in qua habitat Rev. Pater D. Stephanus Epiſcopus Faren. & eam bonis omnibus expoliari; ipſumque D. Epiſcopum omni Dei timore poſtpoſito, omnique S. Romanæ Eccleſiæ & pontificalis ordinis reverentia pretermiſſa, ferro multis vulneribus percuti in capite, & in membris; & ipſum Epiſcopum credentes extinguere abierunt, ſemivivo relicto; in cujus curatione vulnerum, 24. de craneo capitis per cirurgos oſſa fuere diſtracta, & in publico demonſtrata; propter quod ſcelus nepharium, & ſacrilegium ſceleratum, idem Stephanus percuſſor Epiſcopi predicti, captus per potentiam Illuſtr. D. noſtri Regis Ungarie, & per magnificos Dominos D. Joannem Zuus Banum Dalmatie & Sclavonie, & per D. Nicolaum dictum Sz carceratus & examinatus diligenter, ſua ſponta-nea voluntate confeſſus eſt, quod de mandato predicti Jacobi Archidiaconi percuſſerat, & vulneraverat Epiſcopum ſupraſcriptum: qui Stephanus propter hoc ſententialiter fuit condempnatus, & mutilatus manibus, per ſententiam publice latam in platea Trag. per nob. virum Rodulphum de Piro Poteſtatem civitatis ejuſdem preſente toto populo civitatis; dictuſque Jacobus Archidiaconus tamquam inobediens, incorrigibilis, & in profundum malorum veniens, traditus ordinarie juſte curie ſeculari; & juſſus per predictum D. Banum auctoritate Dom. noſtri Regis Ung. de civitate Trag. relegari; ac demum propter ſuorum ſcelerum execrationem notoriam, in quibus eſt manifeſte convictus, per ſupraſcriptos magiſtros & barones & Principes, delegata eis Illuſtr. Dom. Ludovici Regis Ung. predicti ſpecialiter poteſtate, dampnatus pro infideli regio, & rebello, cum fuerit cauſa principalis diſcordie & deſtructionis Tragurien. & Sybenicen. civitatum, cum ſuis complicibus incarceratus fuit ſtricto carcere per regios officiales, & mandato ſententialiter facto remitti eum ad noſtrum auditorium, & carceres noſtros perpetuos, & per eoſdem nobis requiſitis inſtanter, ut de eodem apertam & plenam juſtitiam facere deberemus regio ſub edicto: qui Jacobus Archidiaconus fractis carceribus regiis aufugit, & nunquam ſe conſpectui noſtro preſentavit; & quia tales, & tam nepharii exceſſus, & crimina leſe majeſtatis in columpnas eccleſie, in fratrem D. Pape Romani, in legatum dictum Faren. Epiſcopum, ſcelerate commiſſi notorii

torii nobis ſunt, & ceteris manifeſti per notorium facti, & per evidentiam operis in commune nobis manifeſti, & multis facientibus plene notorium manifeſtum, videntibus armatum predictum Archidiaconum publice more militari mandantem & ordinantem que volebat, hunc ſpoliare, hunc perçutere, & etiam per notorium preſumptionis violente, que plenam facit probationem in jure, & ex multis apertis preſumptionibus publicis, & conjecturis manifeſtis, que ſufficiunt ad notorium preſumptivum, ut patet in actis noſtre curie ſerioſius, & plenius &c.

Nos Bartholomeus Epiſcopus ſupraſcriptus habito ſuper hiis conſilio diligenti, & ſedendo pro tribunali in curtivo noſtri Epiſcopatus, Chriſti nomine invocato, ut de vultu Dei noſtrum judicium prodeat, hiis ſcriptis dictum ſententialiter declaramus, & definimus Jacobum Petri q. Archidiaconum Trag. incidiſſe in canone late ſententie, & penas juris & Concilii Viennenſis, nec non penas latas per conſtitutiones legatorum S. Romane Eccleſie, & Eccleſie Metropol. Spalatenſis communiter in tota provincia publice promulgatas; & ſpecialiter incidiſſe in illam: Si quis Presbyt. &c, *& per has privatum eſſe dignitate Archid. & omnibus beneficiis, que in civit. & dioceſi noſcitur optinere, & de predictis civit. & dioc. Trag. ipſum perpetuo eſſe banditum; pronunciantes eum inſuper eſſe vitandum ab omnibus tam clericis, quam laicis, quo uſque meruerit abſolutionis beneficium optinere. Reſervato nobis judicio ſuper aliis ſuis exceſſibus, & futuris condempnationibus inquirendi, & puniendi, pro ut ordo juris poſtulat & requirit. Lecta, lata, pronunciata fuit preſens ſententia in ſcriptis ſolempniter, Trag. in curtivo Epiſcopatus per predic. Ven. Pat. & D. D. Bartholomeum Dei & apoſtolica gratia Trag. Epiſcopum ſedentem pro tribunali ſub anno Dom. 1358. Ind. XI. die penultimo menſ. Octobris.*

Antequam Bartholomæus hanc in Archidiaconum ſententiam ferret, anno 1357. Capitulum Tragurienſe Sedem Apoſtolicam appellavit, ut interdictum reſcinderet, quod Rollettus vice & nomine Hugolini Archiep. Spalatenſis, quod eſſet judex delegatus Ægidii Ep. Sabinenſis & Apoſtolicæ Sedis legati, in Eccleſiam Tragurienſem indixerat; cujus appellationis monumentum ex tabulario Capituli Tragurienſis eſt hujuſmodi.

Appellatio Capituli Trag. ad Summum Pontificem de prætenſo interdicto eccleſiæ.

In Chriſti nomine amen. Anno nativitatis ejuſdem milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſeptimo, Ind. X. Regnante Domino Lodovico Sereniſſimo Rege Ungarie, & excelſo, & magnifico Domino Domino Johanne Delphino Dei gratia inclito Venetiarum Duce, temporibus quidem Venerabilis Patris Domini Bartholomei Dei gratia Epiſcopi, & egregii & prudentis viri Domini Marci Bembo Comitis civitatis Tragurii, ſuorum Judicum nobilium virorum Dominorum Joſephi Stephani, Marci Georgii, Nicole Johannis Azellini, & Danielis Baronis, die 3. menſis Januarii. Conſtituti coram Rev. Patre Domino Fratre Dominico Dei gratia Abbate monaſterii Sancti Johannis Baptiſte, tanquam coram autentica & ydonea perſona, Reverendi viri Domini Nicolaus Donati Primicerius Tragur., Canonici, & Capitulum dicte Eccleſie Tragurienſis, preſente Rolletto q. Budetti Clerico cauſam dicente, aſſerente ſe eſſe ſubdelegatum & nuncium Venerabilis Patris Domini Ugolini Dei & Apoſtolice Sedis gratia Archiep. Spalat. aſſerentis ſe Judicem delegatum Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini Domini Egidii miſeratione divina Epiſcopi Sabinen. Apoſtolice ſedis Legati, prefati Domini Nicolaus Primicerius, *Canonici, & Capitulum dixerunt, & propoſuerunt, quod cum heri, que fuit ſecunda dies menſis inſtantis, idem Rollettus veniſſet Tragurium, & denunciare vellet Capitulum & Canonicos Tragurii eſſe excommunicatos, & eccleſiam eſſe ſuppoſitam eccleſiaſtico interdicto, petens etiam Dominum Bartholomeum Epiſcopum Tragur. denunciari excommunicatum in Miſſarum ſolempniis pulſatis campanis, & candelis accenſis, & demum extinctis; & dicti Domini Primicerius, Canonici, & Capitulum fidem fecerunt dicto Rolletto per publicum inſtrumentum, qualiter ſolverunt procurationes, debitas dicto Domino Legato, predicto Domino Bartholomeo Epiſcopo, ſecundum mandata dicti Domini Legati, ex quo idem Rollettus habuit Canonicos & Capitulum non incidiſſe in penas caſuum, & eccleſiam Tragurien. non eſſe ſuppoſitam eccleſiaſtico interdicto, de quibus omnibus apparet per publicum inſtrumentum. Poſtquam idem Rollettus non contentus de uno ducato auri pro die quaque, qua Tragur. ſteterat pro ſuis moderatis expenſis, ſcripturis, & aliis, ſecundum formam litterarum dicti Domini Archiepiſcopi, cum non ſteterat niſi duobus diebus, ex quo habere debebat ducatos duos, quos duos ducatos ſolvere ei volebat Dom. Dompnus Tomaſius q. Matiche Procurator dicti Domini Bartholomei Epiſcopi, cum Capitulum, & Canonici nihil de hoc habebant dare, eo quod proceſſus non extendebantur ad ipſos, petebat a dictis Canonicis & Capitulo ducatos ſex auri. Et quia ipſi Canonici, eo quod non tenebantur ſolvere, recuſaverunt ipſos ſex ducatos, non attenta juſtitia, ſet furore, & ira motus ex erupte denunciavit Tragurinam Eccleſiam eſſe ſuppoſitam eccleſiaſtico interdicto, ſtatim intrando galeam, nec volendo ſui copiam exhibere, ne preſens appellatio interponeretur, ſet oportuit ipſos Dominos Primicerium & Canonicos ire ad galeam. Idcirco predicti Domini Nicolaus Primicerius Canonici & Capitulum de predictis ſentientes ſe gravatos, & timentes impoſterum forcius aggravari a predicta denunciatione, & ab aliis gravaminibus, que ex predictis & altero predictorum colligi poſſunt, & eis evenire, ad ſanctiſſimum in Chriſto Patrem, & Dominum noſtrum Dominum Innocentium PP. VI., & ejus ſanctam Sedem appellant, & Apoſtolos petunt, & iterum petunt, & iterum cum inſtantia, & inſtantiſſime ipſos ſibi dari petunt, ſubmittentes ſe & jura ſua juriſdictioni, protectioni, & defenſioni dicti Domini noſtri Pape, & ejus ſancte Sedis, proteſtantes, quod hac eorum appellatione pendente nihil contra eos debeat innovari.*

Actum ſuper Pontem Bue Tragur. preſentibus diſcretis viris Presbitero Petro q. Dominici, & Auguſtino q. Nicole de Tragurio, & aliis teſtibus ad predicta vocatis ſpecialiter, & rogatis.

L. S. Ego Johannes filius q. Domini Blanci de Bononia pub. & Imp. auct. not. & Communis Tragur. juratus, premiſſis omnibus, & ſingulis interfui, & ea rogatus ſcribere, ſcripſi, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque meo, & nomine roboravi.

Bartholomæus a Ludovico Rege Hungariæ confirmationem Privileg. Eccleſiæ Tragurien. impetravit.

Anno 1358. III. Nonas Septembris Bartholomæus ab Ludovico rege petiit, ut duo privilegia Eccleſiæ Tragurienſis confirmaret. Alterum anno 1226. Colomanus rex Rutenorum Andreæ II. filius, alterum Bela IV. rex Hungariæ frater Colomani natu maximus, eidem eccleſiæ con-

contulerant; ſed poſterius Belæ eſt prioris confirmatio. Bartholomæi precibus annuit Ludovicus, & utrumque privilegium ſuo diplomati inſeruit, ſuæque regiæ auctoritatis præſidio communivit.

Ludovicus Dei gratia Ungarie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque Rex, Princeps Salernitanus, & Honoris S. Angeli Dominus. Omnibus Chriſti fidelibus preſentibus & futuris preſentium notitiam habituris ſalutem in omnium Salvatore. Regia licet ſublimitas pediſequa throno ſedentis in excelſo, cunctis ſuis ſequacibus condigna debeat impendere premia meritorum, ad inſtar tamen ipſius regis eterni, ſplendore paterne glorie de luce lucem proferentis, & ineffabili lucis ejus claritate mundum illuſtrantis, Verbi ſcilicet incarnati, Sancte Matri Eccleſie, quam ipſe in cruce pendens pro ſalute humani generis cum ſui ſanguinis effuſione mirifice decoravit, tota mentis intentione devotiſſime intendere debet, & pariter invigilare. Ipſius namque orationibus proſpera regibus cuncta ſuccedunt & accedunt. Proinde ad univerſorum notitiam harum ſerie volumus pervenire, quod Vener. in Chriſto Pat. Dom. Bartholomeus premiſſa & apoſtolica gratia Epiſcopus Eccleſie Tragurienſis, fidelis noſter, ad noſtre majeſtatis accedendo preſentiam, exhibuit nobis quoddam privilegium olim excellentiſſimi & magnifici Principis Dom. Bele regis predeceſſoris noſtri felicis recordationis aurea ſua bulla pendenti conſignatum, privilegium quondam Dom. Colomani regis fratris ſui cariſſimi ſuper quodam predio Drid vocato confectum, confirmazive in ſe continens tenoris ſubjecti; ſupplicans noſtro regio culmini humiliter ac devote ipſe ſubmittens antiquum privilegium dicti Dom. Bele regis, collationem ipſius predii per eumdem D. Colomanum regem dicte eccleſie factam & in eodem expreſſam confirmans, de mera liberalitate regia acceptare, approbare, ratificare, & pro tutiori ejuſdem predii conſervatione, evidentique cautela noſtro dignaremur privilegio confirmare; cujus quidem privilegii tenor talis eſt.

Hic ſubjicitur privilegium poſterius Belæ regis, quod privilegium anterius Colomani fratris continet, & confirmat. Habes utrumque deſcriptum in Treguano Epiſcopo Tragurienſi.

Nos ſiquidem quia divine majeſtatis reverentia cordi noſtro vehementer inſidet, & ad ejus nominis cultum mentis noſtre acies ſedulo occupatur, eo quod tanto nos ante oculos miſericordie ipſius majora credentes dona miſerationis percipere, quanto ejus ſervitoribus propenſioris officii munus ſtuduerimus ſalutiferum impartiri, ob ſpem potiſſime & devotionem noſtram, quam ad beatiſſimos Laurentium martirem, & Joannem confeſſorem, in quorum nominibus glorioſis dicta Eccleſia Tragurienſis conſtructa extitit, & fundata, gerimus & habemus ſpecialem; premiſſa ſupplicatione ipſius Dom. Bartholomei Epiſcopi fidelis noſtri, tamquam juſta & juri conſona favorabiliter exaudita & admiſſa, prefatum privilegium ipſius Dom. Bele, ut premittitur, aurea ſua bulla communitum, invenientes ipſum non abraſum, non cancellatum, non in aliqua ſui parte vitiatum, ſed prorſus omni ſuſpicione deſtitutum, de verbo ad verbum preſentibus inſertum, quoad omnes ſui continentias & clauſulas more & ad inſtar excellentiſſimorum Principum Dominorum Bele, Andree, & ... Regum Hungarie ... atavorum & predeceſſorum noſtrorum, qui premiſſam collationem dicti predii Drid nuncupati, per dictum Colomanum regem dicte Eccleſie Tragurienſi in patrimonium Crucifixi factam, mediantibus eorum privilegiis conſpectui noſtro preſentatis, vigoroſe confirmaſſe noſcuntur; acceptamus, approbamus, ratificamus, & ex largiflua pietate dicte eccleſie Sanctorum Laurentii & Joannis, mera auctoritate noſtra regia perpetue confirmamus, preſentis noſtri privilegii patrocinio mediante .... in cujus confirmationis noſtre teſtimonium, firmitatemque perpetuam, preſentes eidem conceſſimus litteras noſtras privilegiales, pendentis & autentici ſigilli noſtri duplicis munimine roboratas; datas per manus Ven. Patris in Chriſto D. Nicolai, Dei & Apoſtolice Sedis gratia Archiepiſcopi Colocenſis, poſtulati Strigonienſis, aule noſtre Cancellarii dilecti & fidelis noſtri; Anno Domini milleſimo trecenteſimo, quinquageſimo octavo, tertio nonas menſis Septembris, regni autem noſtri anno decimo ſeptimo; Venerabilibus Patribus Domin. Nicolao Jadrenſi, Ugolino Spalatenſi, & Elia Raguſino Archiep. Strigonienſi ſede vacante, Nicolao Agrien. Deme ... Waradien. Dominico Tranſilvano, Nicolao Quinqueccleſien. Colomano Jaurien. Ludovico electo Veſprimien. Thoma Chanadien. Michaele Vacien. Petro Veſprimien. Stephano Zagrabien. Joanne Tininien. Mattheo Sibenicen. Bartholomeo Tragurien. Stephano Pharen. Valentino Mackarien. Stephano ... Thoma Sirmien. & Michaele Scardonen. eccleſiarum Epiſcopis, eccleſias Dei feliciter gubernantibus; magnificis viris Nicolao Rouch regni Ungarie Palatino, Andrea Voyvoda Tranſilvano .... noſtrorum Tavarnicorum Comite, & Nicolao de Zeech judice curie noſtre, Nicolao de Mathun; Leuſtachio totius Sclavonie, & Joanne Chuuz Dalmatie & Croatie Banis; Leut. .... dapiferorum & pincernarum, Dionyſio agazonum, & Thoma filio Petri janitorum noſtrorum magiſtris, ac ... Simone filio Mauritii Comite ... aliiſque quampluribus Comitatus regni noſtri tenentibus & honores.

Locus ſigilli appenſi.

Anno 1359. judices delegati a Ludovico rege Hungariæ decimas quarumdam villarum, de quibus erat controverſia Bartholomæo Epiſcopo Tragurienſi cum Matthæo Sibenicenſi Epiſcopo, Bartholomæo adjudicarunt, ut videre eſt ex hac eorumdem ſententia deprompta e Tabulario Capituli Tragurienſis.

Sententia Judicum a rege delegatorum, quaſdam decimas Eccl. Tragurien. non Sibenicen. adjudicantium.

Stephanus Dei gratia Nitrienſ. Epiſcopus ſacre Theologie Magiſter; Nicolaus Sez eadem gratia Banus totius Dalmatie, & Chroatie; nec non Johanes de Bradeſeth Legum Doctor Sereniſſimi Principis Domini noſtri Domini Lodoyci Regis Ungarie ad partes Dalmatie & Chroatie Legati ſpecialiter deſtinati. Univerſis preſentes inſpecturis, & audituris ſalutem in Domino. Quia coram noſtro judiciali auditorio quedam controverſia ſuper quibuſdam decimis de Dobravis, & ſpecialiter ſuper decima villarum Neveſt, Coparno, Partemiſcih, & Uneſcichi, agitata fuerit inter Venerabiles Patres B. Epiſcopum Tragurien. & ejus Capitulum ex parte una, & Matheum Sybenicen. Epiſcopum & ejus Capitulum ex parte altera, aſſerentibus decimas dictarum villarum ſibi deberi de jure, ex donatione facta per dictum Dominum noſtrum Regem Communi Sybenicen., & parte altera defendente, ſcilicet Epiſcopo Tragurien. & ejus Capitulo predictis, quod licet Dominus Rex contulerit dicto Communi Sybenicen. villas predi-

ſtas quoad temporalia, tamen quoad ſpiritualia, & decimas in derogationem Tragurien. Eccleſie, que in poſſeſſionem, & proprietatem dictarum decimarum fuerat jamdiu, dare, & donare nullatenus potuit. Nos igitur auditis utriſque partibus, examinatoque negocio diligenter, tam per privilegia, quam per teſtes invenimus Tragurien. Eccleſiam habere juſtitiam in premiſſis. Ideoque Deum habendo pre oculis, habito conſilio diligenti in hiis ſcriptis declaramus, & declarando decernimus, ipſo Epiſcopo Sybenicen. & altera parte preſentibus, auctoritate regia qua fungimur, predictas decimas ad Tragurien. Eccleſiam pertinere, non obſtante regio dono eidem Communi Sybenicen. in temporalibus exhibito, ſed quo ad ſpiritualia Eccleſia Sybenicen. penitus jus habere in predictis villis in nullo debere, cui perpetuum ſilentium ſuper hoc imponimus, diſtricte precipiendo mandantes Tragurien. Epiſcopum & Capitulum poni in poſſeſſionem realem & corporalem dictarum decimarum; & dicto Domino Nicolao Bano commiſimus, & ordinavimus eis dare Priſtaldum, qui eos in poſſeſſionem inducat, & defendat in dictis, amoto ſequeſtro redituum, qui ſequeſtrati fuerunt per ipſum Dominum Banum uſque ad finem litis, omnibuſque villanis dictarum villarum regio ſub edicto mandamus, quod Tragurien. Eccleſie ſubeſſe debeant, & de dictis decimis ſine contradictione aliqua reſpondere. In quorum omnium teſtimonium preſentes fieri juſſimus, & noſtrorum ſigillorum appenſione muniri.

Dat. Sybenici ſub annis Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo nono Ind. XII. die XXII. menſis Auguſti.

Eodem menſe Auguſto ejuſdem anni Canonici Tragurienſes multa de Bartholomæo queſti ſunt Innocentio VI. Pontifici maximo, ad quam extat appellatio ejuſdem Capituli adverſus Epiſcopum, quam ex Tabulario Capitulari operæ pretium erit hic ſubjicere.

Capituli Tragurien. ad Sedem Apoſt. contra Epiſc. appellatio, cum expreſſione gravaminum.

In Chriſti nomine amen. Anno nativitatis ejuſdem milleſimo trecenteſimo quinquageſimo nono, Indict. XII. die Sabbati ultimo menſis Auguſti. Pontificatus SS. in Chriſto Patris Domini noſtri Dom. Innocentii divina providentia PP. VI. anno ſeptimo. Univerſis, & ſingulis hoc publicum inſtrumentum inſpecturis pateat evidenter, quod in preſentia mei notarii & teſtium inferius contentorum conſtituti coram Dom. Patre D. Bartholomeo Epiſcopo Tragurien. diſcreti & Ven. viri Dom. Nicolaus Donati Primicerius, Jacobus Duymi Archidiaconus, Thomas Matiche, Goyslaus Slauchi, Helias Luche, Duymus Mengaze, Michael Martini, Johannes Slijchi, Johannes Mathei, & Grubſa Dobrogoſti de Almiſio Canonici, qui totum Capitulum facimus Tragurien. dicimus, atque proponimus, quod vos Pater Reuer. Deum non habendo pre oculis uſurpaſtis, & uſurpata detinetis in prejudicium anime veſtre, & non modicum dapnum, & jacturam Capituli predicti, omnia, & ſingula jura, & regalia pertinentia & expectantia ad ipſum Capitulum de bonis Epiſcopatus Tragurien. ex antiqua & approbata conſuetudine, cujus memoria non extitit, & apparet in autenticis antiquis ſcripturis, que ſuis loco, & tempore, & coram competenti Judice parati ſumus probare; que jura, & regalia ſepe, & ſepius petivimus a vobis dari nobis, & bone memorie Lampridius qu. Tragurien. Epiſcopus & alii veſtri predeceſſores dare conſueverunt. Vos ab octo annis citra nobis continue petentibus pertinaci modo dare denegaſtis, & ne dum hoc, ſed afflixiſtis, & inceſſanter affligitis pharaonico more tam Canonicos, quam alios clericos ſine aliquo juris ordine, hunc expoliando, hunc carcerando, huic manu propria ſine aliqua compoſitione barbam & canos capillos depilando; nuper vero Jacobum Petri condam Archidiaconum Tragurien. privaſtis tam Archidiaconatu, quam aliis beneficiis, que obtinere dignoſcebatur in civitate, & in dioceſi Tragurien. que beneficia infra ſex menſes juxta Concilium Lateranen. conferre neglexiſtis; ſed quia ab ipſo termino prefato Capitulum predictum virtute dicti Concilii, juris ordinem obſervando de predictis beneficiis certis clericis providit, & ordinavit, ut debuit, vos autem ex hoc in iram exarſiſtis, & ſtomachanti animo nobis omnibus & ſingulis Canonicis ſupradictis de anno Dom. 1359. Ind. 12. die 25. menſis Auguſti mandaſtis ſub pena privationis officii, & beneficiorum, quatenus in facto ipſorum beneficiorum ſic vacantium ſe non deberemus impedire, tum volebatis . . . pro veſtra menſa retinere, & certa conferre pro libito voluntatis, quod & feciſtis ſecundo die, non obſtante Concilio Lateranen. ſupradicto. Idcirco nos prefati Canonici ſentientes nos ex dicto mandato, & omnibus premiſſis enormiter gravatos, & dubitantes impoſterum a vobis fortius aggravari, ad Sanctiſſimum in Chriſto Patrem Dom. Innocentium divina providentia Papam VI. & ejus Sanctam Sedem Apoſtolicam in hiis ſcriptis provocamus, & appellamus, petentes a vobis Apoſtolos cum inſtantia, ac inſtantiſſime, & iterum, ac iterum nobis dari, ſubmittentes, ac ſubjicientes nos officia & beneficia, jura & omnia bona noſtra ſub protectione, tuitione, & defenſione ipſius Dom. noſtri Pape, & ejus S. Sedi Apoſtolice, inhibentes vobis ex parte ejuſdem Domini noſtri Pape ſub pena juris, quatenus hac noſtra appellatione pendente, nihil contra nos debeatis innovare, cum ſimus parati ipſam appellationem proſequi ſuo loco & tempore & coram Judice competente. Quam quidem appellationem per ipſos Capitulum, ſeu Canonicos ſic interpoſitam, idem Rever. Pater Epiſcopus memoratus recepit, in quantum de jure debuit, offerens ſe daturum Apoſtolos tales, quales de jure erunt dandi. Roganteſque me predictum notarium ſupradicti Capitulum, & Canonici, quatenus de predictis omnibus interpoſitione & reſponſione eis debere conficere publicum inſtrumentum. Actum Tragurii in epiſcopali palatio in ſala ſuperiori preſentibus diſcretis viris Dom. Fratre Dominico Abbate monaſterii S. Jo. Baptiſte de Tragur. ordinis S. Benedicti, Fratre Paſchaſio magiſtri Nicolay, Fratre Chriſtoforo de Jadra . . . antedicti monaſterii, Ratchone q. Jo., Vlacone q. Striani, & Cipriano q. Helie Presbyteris Eccleſie majoris, vid. S. Laurentii Tragur. teſtibus ad premiſſa vocatis, habitis, & rogatis.

L. S. Ego Presbyter Georgius qu. Duymi de Tragur. Imp. auct. not. hiis omnibus una cum prenominatis teſtibus interfui, & rogatus per ſupradictos Dom. Capitulum, ſeu Canonicos ſcribere ſcripſi, & publicavi, meoque conſueto ſigno ſignavi in fidem & teſtimonium premiſſorum.

Controverſia inter Bartholomæum & Commune Spalatenſe compoſita.

Bartholomæo aliqua controverſia etiam fuit cum Conſilio & Communi Tragurienſi de adminiſtratione redituum ædis cathedralis, ac de jure eligendi confirmandique operarii, ſive procuratoris, ad quem adminiſtratio illa pertinebat. Sed brevi compoſita fuit ad normam, ac leges, quas anno 1307. Gentilis Cardinalis & legatus

Sedis

Sedis Apoſtolicæ hac ſuper re præſcripſerat. Duo ille decreta fecit, quorum poſterius eſt prioris declaratio. Utrumque habes in Liberio Epiſcopo. Tabulæ compoſitionis hæ ſunt.

In Chriſti nomine amen. Anno nativ. ejuſdem 1359. *Indict.* 12. *die* 8. *menſ. Octobr. regnante Sereniſſimo Domino noſtro Ludovico D. gr. Rege Ungarie &c. Adminiſtratio operarie fuerat in poſſeſſione jamdiu laicorum, quo tempore fabrica eccleſie de bono in melius ſemper proceſſit; ſecus poſtquam ad manus Canonicorum devenerat. Erant proinde inter utroſque diſcordie, jurgia, & ſcandala. Volens autem Ven. Pater Dom. Bartholomeus Epiſcopus ſuam exonerare conſcientiam, ad hanc compoſitionem devenit cum Comite & judicibus nomine Communis recipientibus, ipſis favorabilem. Quod ammodo in antea eligi debeant per D. Comitem Tragurien. & ejus ſucceſſores & Conſilium anno quolibet quatuor Operarii laici; e quorum numero unus eligatur, & confirmetur ab Epiſcopo & Canonicis, juxta privil. Card. Gentilis; qui ſine licentia Epiſcopi & Comitis venditiones, alienationes, aut expenſas facere nequeat; iiſdemque, aut aliis per eos deputandis in fine anni rationem reddere debeat. Singulis annis duo theſaurarii, unus clericus ab Epiſcopo & Capitulo, alter laicus a Comite & Conſilio eligantur, qui theſauros eccleſie S. Laurentii cuſtodiant, & de anno in annum eligantur. Ii duo nequeunt eſſe fratres nec conſanguinei germani.*

His controverſiis compoſitis, aliæ graviores Bartholomæo emerſerunt, quippe qui interdicto ſubjectus fuit, quod eidem, ut ſupra ex Capituli Tragurienſis appellatione ad Sedem Apoſtolicam vidimus, Rolettus anno 1357. nomine Ægidii legati apoſtolici minatus fuerat, niſi pecuniam ſolveret, quam legato debebat; Capitulum vero Tragurienſe anno 1359. ne ob Epiſcopi contumaciam aliquid detrimentum caperet, tabulas conficiendas curavit, quas ex Tabulario Capitulari hic profero.

Proteſtatio facta Epiſc. per Capitulum occaſione interdicti.

In Chriſti nomine amen. Anno nativitatis ejuſdem milleſimo trecenteſimo quinquageſimo nono, Indict. XII. die Mercurii nono Octobris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris Domini noſtri Dom. Innocentii divina providentia PP. VI. anno ſeptimo. Per hoc publicum inſtrumentum pateat omnibus evidenter, quod in preſentia mei notarii infraſcripti, & teſtium inferius contentorum, Ven. vir Dom. Jacobus Duymi, & univerſum Capitulum Tragurien. acceſſerunt ad Epiſcopatum volentes coram preſentia Rever. Patris & Dom. Bartholomei Epiſcopi Tragurien. certis juribus ſuis & eccleſie uti; qui Domin. Epiſcopus predictus prohibuit eos coram ſui preſentia venire, dicens ſe circha alia occupatum, ſed miſit quendam D. Johannem Petri Canonicum Tragurien. quem aſſerebat ſuum Vicarium in ſpiritualibus generalem, ut ipſe eos audiat, & intelligat, & quod coram eodem ſuum jus proſequantur, ut eis placet, & volunt. Qui D. Jacobus Archidiaconus, & Capitulum predictum legi fecerunt per me notarium quandam proteſtationem infraſcripti tenoris. Coram vobis Rev. in Chriſto Patre Domino Bartholomeo Dei gratia Epiſcopo Tragurien. Nicolaus Donati Primicerius, Jacobus Duymi Archidiaconus, Tomas Matiche, Goyslavus Slavchi, Helias Luchxi, Michael Martini, Vitus Azelini, Duymus Mengace, Johannes Sliſchi, Johannes Mathey, & Grubſca Dobrogoſti Canonici Eccleſie Tragurien. qui facimus totum Capitulum, dicendo, atque proteſtando, proponimus, quod cum vos Pater Rever. procurationem plurimorum annorum debitam Rev. in Chriſto Patri Domino Egidio miſeratione divina Epiſcopo Sabinen. in partibus Ytalie Apoſtolice Sedis Legato, a nobis Capitulo, & clero, ac monaſteriis exegiſtis & exigi feciſtis, prout conſtat per publicum inſtrumentum ſcriptum manu Dom. Johannis de Blancis Cancellarii Communis Tragurii, & ipſam procurationem per vos exactam detinuiſtis, & adhuc detinetis in periculum anime veſtre, ac non modicum dampnum, injuriam, & jacturam eccleſie katedralis, atque omnium noſtrorum; cujus rei cauſa Dom. Legatus predictus a brevi tempore contra vos ſuos aggravat proceſſus, & prefatam eccleſiam katedralem eccleſiaſtico ſubmiſerit interdicto, que innocens eſt & bujus criminis immunis, eo quod redditus ſuos a veſtris redditibus habet ſeparatos, & pro parte ipſam tangente per predictam procurationem eidem Domino Legato debitam de redditibus ad ipſam eccleſiam ſpectantibus, Operarius, ſive procurator ejuſdem eccleſie ſolvit infra terminum in proceſſibus ejuſdem Dom. Legati contentum. Item quia procurationem duorum annorum nuper preteritorum eidem Dom. Legato debitam ſolvere non curaſtis, & adhuc animo indurato non curatis, cum Capitulum, clerus, & monaſteria, & procurator, ſive Operarius pro eccleſia katedrali, quilibet pro parte ipſum tangente ſolverit cum effectu, ſolum vos in contumacia, & in rebellione ejuſdem Dom. Legati, cum omni reverentia dicendo, prodieratis; ob cujus rei cauſam per nuncium prefati Domini Legati fuimus non modicum redarguti, & dubitamus impoſterum, quamvis innocentes, una cum eccleſia katedrali predicta redargui, injuriari, & dampnificari. Item . . . libros multos in numero, & in valore, ac alia bona eccleſie katedralis predicte dilapida . . . . multis modis dilapidare non ceſſaſtis in maximum dampnum, & injuriam ejuſdem eccleſie . . . noſtrorum Capituli, & cleri predictorum. Id circho omni via, jure, modo, & forma, quibus melius poſſumus, in hiis ſcriptis contra vos proteſtamur de omni dampno, jactura, & injuria, & intereſſe, que & quas una cum ipſa eccleſia ob veſtri defectum propter premiſſa ſuſtinemus, quia multis legatis teſtamentorum, ac aliis elemoſinis ſumus . . . interdicti in ipſa eccleſia per prefatum Dom. Legatum ſic poſiti, & tam predictorum per vos indebite commiſſorum, & committentium, in quibus clerici, & layci minus quam bene hedificantur. Que dampna, injurias, & intereſſe tam noſtra, quam eccleſie predicte facimus mille florenos auri, quorum medietatem applicari volumus camere Eccleſie Romane, & aliam medietatem eccleſie katedrali predicte, de quibus ut ſupra contra vos proteſtamur, ſalvis aliis proteſtationibus in curia Romana, & ejuſdem D. Legati contra vos ſuis loco & tempore per nos fiendis, & proponendis. Ad quam proteſtationem in preſentia prefati Dom. Johannis clare ſibi, & diſtincte lectam, penitus non aliud reſpondit, niſi ſuper hoc a Domino Epiſcopo Tragurien. predicto nullam habebat commiſſionem reſpondendi. Qui Dom. Archidiaconus, & Canonici repreſentantes univerſum Capitulum Tragurien. rogaverunt me notarium infraſcriptum, tanquam publicam perſonam, quod de predictis omnibus deberem eis conficere publicum inſtrumentum. Actum Tragurii in epiſcopali curia, preſentibus diſcretis viris Presbytero Petro dicto Lomiza, Andrea Culla Diacono Eccleſie

Tragurien. Nicolao q. Johannis, & Matheo Michaelis Chiudi, civibus Tragurii teſtibus ad premiſſa vocatis, habitis, & rogatis.

L. S. Et ego Presbyter Georgius qu. Duymi de Tragurio Imper. auct. not. premiſſis omnibus & ſingulis una cum prenominatis teſtibus interfui, & rogatus ſcribere ſcripſi, & in hanc publicam formam redegi, meoque conſueto ſigno, & nomine roboravi in fidem, & teſtimonium premiſſorum &c.

Addo alia duo monumenta ejuſdem anni ad excommunicationem Bartholomæi Epiſcopi pertinentia.

Atteſtatio ſacriſtæ cathedralis, impeditam fuiſſe pulſationem campanæ Eccl. majoris, dum Ep. excommunicaretur commiſſione Legati Apoſtol.

In Chriſti nomine amen. Anno a nativitate ejuſdem M.CCC.LIX. Indict. 12. die XIX. menſis Octobris: Pontificatus Dom. noſtri Dom. Innocentii PP. VI. anno VI.

Per hoc preſens publicum inſtrumentum pateat omnibus evidenter, quod in preſentia mei notarii infraſcripti, & teſtium inferius contentorum, Dominus Jo. Petri Caſtrafoci Vicarius, ut aſſerebat, Rever. in Chriſto Patris Dom. B. Epiſcopi Tragurien. mandavit expreſſe ex parte ejuſdem D. Epiſcopi, & ſua etiam auctoritate, Andree dicto Cila diacono & ſacriſte eccleſie S. Laurentii katedrali, quatenus non preſumeret pulſare campanas, quando excommunicetur Dom. Epiſcopus predictus per Capitulum & clerum Tragurien. Et ibidem perſonaliter aderat Venerabilis vir Dom. Jacobus Duimi Archidiaconus Tragurien. & eidem Domino Johanni dixit: Avertas, quid dicis, & quid mandas. Illa talis pulſatio, & excommunicatio fit de mandato, & auctoritate Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini Dom. Egidii miſeratione divina in partibus Italie Apoſtolice Sedis Legati, ex eo quia idem Dom. Epiſcopus non ſolvit procurationem debitam eidem Dom. Legato. Qui Dom. Johannes predictus reſpondit, quod non obſtante hoc ego mando, quod non debeat pulſare, & iterum, & centies mando; & tunc idem Dom. Jacobus Archidiaconus predictus rogavit me notarium infraſcriptum, tanquam publicam perſonam, quatenus de tali mandato per eundem Domin. Jo. predicto ſacriſte ſic facto, deberem conficere publicum inſtrumentum. Actum Tragurii in platea Communis, preſentibus diſcretis viris teſtibus in premiſſis vocatis, & rogatis, Dom. Nicolao Blanci Canonico Tragur. Presbyt. Petro Dominici Ruſave, & ſ. Joſeph filio q. Michaelis Stephani.

L. S. Et ego Presbyter Michael qu. Martini Canonicus Tragurien. Imper. auct. not. pub. hiis omnibus preſens fui, & rogatus per predictum Dom. Ja. ſcribere, ſcripſi, & in hanc publicam formam redegi, meque ſubſcripſi, & meo ſigno conſueto ſignavi.

Alia atteſtatio, ut ſupra.

In Chriſti nomine amen. Anno nativitatis ejuſdem milleſimo trecenteſimo quinquageſimo nono, Ind. XII. die Dominico viceſimo Octobris: Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Dom. noſtri Dom. Innocentii divina providentia Pape VI. anno VI. Univerſis, & ſingulis hoc publicum inſtrumentum inſpecturis pateat evidenter, quod in preſentia mei notarii infraſcripti, & teſtium inferius contentorum, diſcretus vir Dom. Jacobus Duymi Archidiaconus Tragurien. & Nicolaus Donati Primicerius, ac ceteri Canonici, ſeu major pars Capituli Tragurien. una cum Venerabili viro Domino Fratre Dominico, Dei & Apoſtolica gratia Abbate monaſterii S. Jo. Baptiſte Tragurien. mandaverunt Presbytero Ratconi q. Johannis, quatenus . . . nenti vadat, & requirat Andream dictum Cila, & mandet . . ; quod ſtatim veniat coram eis in monaſterio S. Jo. Baptiſte . . . predictus nuncius iens, & rediens in eodem inſtanti . . . predicto Andrea, comparuit coram antedictis Dom. . . . . eorum preſentia conſtituto dicto Andrea ſacriſta, ipſi Domini . . . dicti requiſiverunt eum, quare ipſo die hoc eſt Dominico non . . . verat campanas, dum Epiſcopum Bartholomeum ipſi & clerus eorum in Miſſarum ſolemniis denunciaverunt pro excommunicato juxta mandatum Dom. Egidii miſeratione divina Epiſcopi Sabinen. in partibus Ytalie Apoſtolice Sedis Legati. Qui predictus Andreas ſacriſta reſpondit, quod magiſter Johannes Petri Caſtrafoci fecerat ſibi mandatum, ſeu preceptum ſub penis excommunicationis, & carceris, quatenus ipſe non deberet pulſare campanas Eccleſie majoris, dum Epiſcopus antedictus per antedictos Domin. excommunicaretur, & hoc ex parte ſua, & Dom. Epiſcopi, aſſerens ſe pro Vicario ipſius Domini Epiſcopi memorati, Qui antedicti Dom. Jacobus Archidiaconus cum ceteris rogaverunt me infradictum notarium, quatenus, de predictis omnibus eis deberem conficere publicum inſtrumentum. Actum Tragurii in monaſterio S. Jo. Baptiſte, preſentibus diſcretis viris D. Magiſtro Ruſcone qu. Lucſce Bilcii, & Deſſe qu. Nicolai Mirſce, civibus Tragur. teſtibus ad premiſſa vocatis, habitis, & rogatis &c.

L. S. Et ego Presbyter Georgius qu. Duymi de . . . . Imper. auct. not. premiſſis omnibus & ſingulis cum prenominatis teſtibus interfui, & ea rogatus ſcri . . . . ſcripſi & in hanc publ. formam redegi, meoque conſueto ſigno, & nomine roboravi in fidem, & teſtimonium omnium premiſſorum.

Interea lites redintegratæ ſunt inter Bartholomæum Epiſcopum & Capitulum Tragurienſe, qui ſuos procuratores ad eas componendas miſerunt Anconam ad Legatum apoſtolicum: & per ejus auditorem conceſſum fuit Epiſcopo, ut die præfinita cauſſam diceret; cujus cauſſæ quis exitus fuerit, nullo modo inveniri potuit. Tabulas allegationis hic ſubjicio.

Allegatio in cauſa inter Ep. & Capitulum, & terminus conceſſus Ep. comparendi coram Legato.

In nomine Domini amen. Noverint univerſi preſens publicum inſtrumentum inſpecturi, quod anno a Nativitate ejuſdem 1360. Indict. 13. & die veneris 4. menſis Septembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Dom. noſtri D. Innocentii divina providente clementia PP. VI. anno octavo. Conſtituti coram Vener. & circumſpecto viro Dom. Petro Lupi de Luna Archidiacono Calatambii legum Doctore, & auditore generali audientie cauſarum Rev. in Chriſto Patris & Dom. Dom. Egidii miſeratione divina Epiſcopi Sabinen. Apoſtolice Sedis Legati, ac terrarum eccleſie in Italia conſiſtentium Vicarii generalis, preſentibus me notario publico, & teſtibus infraſcriptis ad hec vocatis ſpecialiter, & rogatis. In civitate Anchone in eccleſia S. Antonii Anchonitanen. ubi prefatus Dom. auditor cum audientia ſupradicti Dom. Legati continuam reſidentiam faciebat, mane hora cauſarum ad jura reddenda more ſolito pro tribunali ſedente, providi viri Presbyter Grubſa Dobrogoſci Canonicus Tragurien. ac ſindicus, & procurator Venerabilium virorum Dominorum Capituli, ac Presbyterorum, & Canonicorum Eccleſie Tragurien. prefate, prout de ſuo mandato fidem fecit per publicum, ut prima facie videbatur, inſtrumentum ſignatum & ſcriptum manu diſcreti viri Presbyteri Georgii qu. Duxny de Tragurio Imper. auctor. not. citra

ſuo-

ſuorum ſubſtitutorum revocationem, & magiſter Opeminus Petri de Seffrio Nuceren. dioceſis ſindicus & procurator a dicto Presbytero Grubſa Capituli & Canonicorum Tragurien. predictorum, exponere curarunt, quod cum idem Presbyter Grubſa, & Canonici ſui prefati, pro quibus interveniunt, per prefati Dom. auditoris patentes litteras ad inſtantiam Reverend. in Chriſto Patris Domini Bartholomei Dei gratia Epiſcopi Tragurien. in & ad reſpondendum ſibi tam de juriſdictione, quam obedientia, & ſubjectione ipſius Dom. Epiſcopi, ac proviſione beneficiorum ipſius Epiſcopatus, citati fuerint; ideoque ipſe Presbyter Grubſa proprio nomine, & magiſter Opeminus prefati quibus ſupra nominibus comparebant, ac antedicti Domini Epiſcopi non comparentis contumaciam accuſabant, ipſumque contumacem reputabant, & in expenſis condemnari, cum eſſent ut aſſerunt parati ſibi reſpondere de jure, & ab inſtantia judicii abſolvi inſtanter, & cum maxima inſtantia poſtulaverunt; que fuerunt acta Anchone ſub anno, indictione, die menſe, Pontificatu, loco, & hora ſupradictis, preſentibus providis viris ſ. Dioniſio Caſioti, & ſ. Micolo Mutii de Anchona, & ſ. Angelo Andriuci de Fabriano teſtibus ad premiſſa vocatis pariter, & rogatis, & pluribus aliis.

Poſtquam vero die Veneris undecima menſis Septembris antedicti, anno indictione, & Pontificatu quibus ſupra, comparens in judicio coram Dom. Petro generali auditore prefato in civitate Anchone in eccleſia Sancti Anthonii Anchonitan. prefate, mane hora cauſarum ad jura reddendum more ſolito pro tribunali ſedente, providus vir ſ. Girardinus Rabnis de Burgo Manerio Novarien. dioceſ. procurator, & procuratorio nomine Rever. in Chriſto Patris Dom. Bartholomei Epiſcopi Tragurien. prefati, ſupradictorum Capituli . . . . & Canonicorum Eccleſie Tragurien. non reſpondentium libello per ipſum contra eoſdem coram prefato Domino auditore exhibito, contumaciam accuſavit, ipſoſque contumaces reputari, & in eorum contumaciam in cauſa hujuſmodi ſuper prefato libello ad ulteriora, prout de jure eſſet, procedi petiit, preſente ad premiſſa magiſtro Opemino procuratore & ſindico ſubſtituto prefato, & antedictum ſ. Girardinum procuratorem fore negante, & in caſu quo procurator appareret copiam ſui mandati cum termino legitimo ad opponendum ſibi decerni & dari petente, antedictoque ſ. Girardino dicente ſe per prefatum Dom. Epiſcopum in cauſa hujuſmodi apud acta hujus cauſe procuratorem conſtitutum fuiſſe; & tunc prefatus Domin. auditor copiam mandatorum hinc inde productorum decernens preſentibus ipſis, & eorum cuilibet ad opponendum, & opponi videndum contra mandata predicta ad primam diem juridicam & tunc proxime futuram, & qua ipſum Dominum auditorem ad jura reddenda in more ſolito pro tribunali ſedere contigerit, terminum ſtatuit, & etiam ordinavit. Que fuerunt acta Anchone ſub anno, indictione, die, menſe, Pontificatu, loco, & hora predictis; preſentibus providis viris ſ. Petro Donadei de Nerrica, ſ. Dioniſio Caſioti, ac ſ. Micholo Mutii de Anchona teſtibus ad premiſſa vocatis pariter & rogatis, & pluribus aliis.

L. S. Et ego Martinus Fernandi de Paſtrana Canonicus Toletan. dioc. pub. Apoſt. & Imper. auct. ac audientie cauſarum Domini Legati notarius & ſcriba predictis omnibus, & ſingulis, dum per dictas partes coram prefato Domino auditore, & per ipſum forent & agerentur, preſens fui, ipſaque aliis occupatus negociis per alium fideliter ſcribi feci, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, & ſigno meo conſueto ſignavi, rogatus, & requiſitus per partes predictas in teſtimonium veritatis &c.

Pecuniam mutuam Bartholomæus accepit ab Ep. Nitrienſi ad ſolvendum quod debebat legato Apoſt.

Ab interdicto ſolutum fuiſſe Bartholomæum, id argumento eſt, quod cum non haberet, unde contribueret quod debebat legato apoſtolico, pecuniam mutuam acceperit a Stephano Epiſcopo Nitrienſi, quem Ludovicus rex miſerat in Dalmatiam ad res hujus provinciæ inſpiciundas, & ordinandas; eique ad reddendam pecuniam ſibi creditam, reditus Menſæ epiſcopalis obligaverit; idque conſtat ex litteris ejuſdem Stephani.

Nos Stephanus Dei gratia Epiſcopus Nitrienſis ſacre pagine magiſter officialibus univerſis & ſingulis, quos preſens tangit negotium, & quibus commiſſum eſt, ad quos preſentes devenerint, facimus manifeſtum, quod ex mera amicitia, & puro animo preſtavimus centum & XXVIII. florenos auri juſti ponderis Reverendo Patri Domino Bartholomeo Epiſcopo Tragurienſi occaſione ſolutionis paſtacionum D. Legati apoſtolici, quos in noſtra preſentia ad requiſitionem Joannis de Mino nuncii dicti Legati tradidit D. Matheo Epiſcopo Sibenicenſi executori ipſius Legati, ſolvendos theſaurariis dicti Legati infra menſem. Et dictus Epiſcopus obligavit nobis realiter omnes fructus, reditus, & proventus ſui Epiſcopatus pro pecunia ſupradicta: ita quod dicti reditus preſens nobis obligati, nec poterunt alteri, nec Domino Legato, nec per Dom. Legatum obligari, licet Dom. Legatus aliud ſcripſerit per malam ſuggeſtionem & tacita veritate. Et nunc dicimus & volumus, quod ex dictis reditibus, qui nec vendi, nec obligari poterunt in prejudicium noſtrum, extrabantur & nobis aſſignentur dicti centum & XXVIII. floreni auri; & omni reſidui reditus, qui ad noſtram voluntatem fuerint per litteras regias ſequeſtrati per noſtram tantum pecuniam, non per aliam, reddantur dicto Dom. Epiſcopo Tragurienſi; non obſtante cujuſcumque Dom. ſpiritualis, vel temporalis mandato. Item volumus, quod ante omnia primo aſſignetur Epiſcopo dicto pars pauperum & eccleſie, & de reſiduo dictus Epiſcopus perſolvat ſuis creditoribus ſicut placet ei, & ex nunc recipiat decimas ſuas, & vinum ſine expenſis. In quarum teſtimonium preſentes fieri fecimus, & noſtro ſigillo roborari. Anno MCCCLX. Indictione XIII. menſe Decembris die primo in Jadra.

Hoc eodem anno 1360. Bartholomæus ſubſcripſit regio decreto, quo Ludovicus donavit Virginibus S. Claræ oppidum *Monyares*. Dum Bartholomæus præerat huic eccleſiæ, dubitatum eſt, an qui ex aliqua religioſa familia ad Epiſcopatum evectus fuerit, partem domeſtici patrimonii a Fratribus repetere ac poſſidere, & paternorum bonorum hæres eſſe poſſit. Ne hujuſmodi dubitatio litigiis occaſionem præberet, hæc lata lex eſt, & inſerta Codici Stat. Tragurien. n. 4. ſub hoc titulo: *Quod Epiſcopus religioſus poſſit habere patrimonium.*

Statutum Tragurien. de Epiſc. ex ordine religioſo aſſumptis.

Si aliquis exiſtens in aliquo ordine tunc temporis in ingreſſu ordinis non renunciaſſet patrimonii ſui juriſdictionem per publicum inſtrumentum, licet ſecundum ordinis ſui inſtitutum non poſſit habere aliquam partem patrimonialem, tamen poſt hoc elapſo tempore, ipſo exiſtente in ordine, ad epiſcopalem dignitatem promotus fuiſſet, poſſit & valeat poſſidere patrimonium ſuum,

ſicut quilibet ſuorum fratrum, & eſſe hæres, ſi legitimus extiterit. Quod ſi in ingreſſu patrimonialibus bonis renunciaſſet per publicum inſtrumentum, nullatenus de cetero poſſit habere partem patrimonii, neque eſſe hæres.

Poſt annum 1360. nunquam deinceps Bartholomæi nomen reperitur in tabulis Tragurienſibus. Intra proximum biennium e vita migravit.

NICOLAUS EP. TRAGURIENSIS XII.

Canonicus idem ac Primicerius ædis cathedralis, ex nobili ac pervetuſta familia Caſoctorum Tragurienſi; qui anno 1362. nonis Aprilis jam ſedem epiſcopalem occupabat, ut docent tabulæ hic ſubjectæ, quibus decimæ unius anni ab Epiſcopo & Capitulo remittuntur monaſterio Tragurienſi S. Joannis Baptiſtæ.

Decima animalium villæ Orihovizze ab Ep. & Capitulo remiſſa pro uno anno tantum monaſterio S. Jo. Baptiſtæ.

In Chriſti nomine amen. Anno a nativitate ejuſdem milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſecundo, Ind. XV. die 5. menſis Aprilis: Pontificatus SS. in Chriſto Patris, & Dom. noſtri D. Urbani divina providentia PP. V. anno primo. Pateat univerſis, & ſingulis hoc publicum inſtrumentum inſpecturis, quod preſente me notario, & teſtibus infraſcriptis, congregato Capitulo majoris Eccleſie Tragurien. in domibus Reverendi in Chriſto Patris & Domini Dom. Nicolai Dei & apoſtolica gratia Tragurien. Epiſcopi tunc temporis infirmantis, & hoc de licentia, & auctoritate ipſius Dom. Epiſcopi, & ad ſonum majoris campane ejuſdem eccleſie, ad infraſcripta ſpecialiter terminanda.

In quo quidem Capitulo prefuit ipſe D. Epiſcopus tanquam caput eccleſie predicte, ac diſcreti viri Dom. Jacob. Duymi Archidiaconus, Tomas Primicerius antedicte eccleſie . . . omnes, & ſinguli Canonici antedicte eccleſie comparuerunt ibi, & coram ipſo Dom. Epiſcopo & Canonicis, Vener. vir Frater Dominicus Dei gratia Abbas monaſterii S. Jo. Baptiſte de Tragurio ordinis Nigrorum D. Benedicti, ac Fr. Paſchalis monachus monaſterii ſupradicti facientes in infradictis pro ſe ipſis, & prefato eorum monaſterio, & conventu, & humiliter ſupplicarunt coram ipſo Dom. Epiſcopo memorato ipſos gratioſius requirentes, quatenus ipſe Dom. Epiſcopus nomine ſuo & ejus eccleſie, ac ipſi Canonici nominibus eorum, & ſui Capituli prelibati valeant, & dignarentur dimittere de gratia ſpeciali ipſis ſupplicantibus nominibus ſupradictis decimas animalium, & jus decimationis ipſorum ſpectantium annuatim ipſis Dom. Epiſcopo & Capitulo in villa Orichovize dioceſis Tragur. que villa eſt prefati monaſterii cum certis poſſeſſionibus, quas colunt ibi ipſius monaſterii coloni nutrientes pro tempore animalia ſupradicta. Qui Dom. Epiſcopus audita petitione prefati Domini Abbatis nomine ſuo & ejus monaſterii gratioſe expoſita coram eo, & Canonicis antedictis, ac participans ex tunc conſilium cum eiſdem, & ipſi mutuo cum eodem ſuper predictis in Capitulo memorato; reſponderunt deliberato conſilio nomine ſui, & ejus eccleſie, ac prefatum Capitulum mutuo cum eodem prefato Dom. Abbate faciente nomine ſui, & ejus monaſterii ſupradicti, quod cum ipſa ejus petitio poſſet impoſterum redundare, & nunc ſimiliter verteretur in damnum & prejudicium jurium Epiſcopatus ſui, & Capituli ejuſdem eccleſie communiter, & diviſim, ſuper quibus exiſtere tenebatur ex ejus officio regiminis paſtoralis, ſi ipſam gratiam ſimpliciter facerent Dom. Abbati & ejus monaſterio remittendo eis annuatim decimas animalium ſupradictas, quod intentionis ipſius Dom. Epiſcopi & ejus Capituli ſupradicti non erat facere ipſi Domino Abbati, & ejus monaſterio ſupradicto, niſi pro iſto anno preſentialiter exiſtenti, & hoc de gratia ſpeciali; aliter aſſerebat ipſe Dom. Epiſcopus, & Capitulum antedictum, & proteſtabantur contra ipſum D. Abbatem, & ejus monaſterium ibidem expreſſe, quod elapſo iſto anno preſenti ipſa eorum gratia penitus expiraret, & quod ex tunc prefati Dominus Abbas, & ejus monaſterium, & coloni pro tempore exiſtentes in villa prefata tenerentur eidem Dom. Epiſcopo & ejus Capitulo ad preſentationem decimarum ſuarum annuatim inviolabiliter faciendam, & quod ſalvum eſſet eis jus, vel quaſi ſuum ad habendum, percipiendum, & decimandum ipſas animalium predictorum decimas annuatim a colonis ipſius Domini Abbatis pro tempore in ipſa villa ſuperius explicata. Requirentibus ipſo Dom. Epiſcopo & Capitulo ſupradicto me notarium publicum infraſcriptum, quatenus de predictis ſibi conficerem publicum inſtrumentum. Actum Tragurii in domo habitationis ſupradicti D. Epiſcopi in ſala inferiori, anno Domini, Indictione, die, & Pontificatu predictis, preſentibus diſcretis Dom. Marice Semrene, Blatcone Seviani, Ratcone Johannis, Presbyteris Eccleſie Tragurien. teſtibus ad premiſſa vocatis, habitis, & rogatis.

L. S. Et ego Presbyter Georgius qu. Duymi Canonicus Tragurien. Imp. auct. notar. premiſſis omnibus & ſingulis una cum prenominatis teſtibus interfui, & ea rogatus ſcribere, ſcripſi, & in hanc publicam formam redegi, meoque proprio nomine, & ſigno roboravi &c.

Nominatur etiam in tabulis Tragurienſibus eodem anno XIV. Kal. Januarii confectæ. Anno 1366. Hugolinus Archiepiſcopus Spalatenſis ad petitionem Monachorum Tragurienſium S. Joannis Baptiſtæ citari juſſerat Nicolaum Epiſcopum & Presbyteros Tragurienſes, ut adverſus monachos cauſſam dicerent. Sed parere recuſavit Epiſcopus & Presbyteri, & cauſſas, ob quas ſuſpectum & ſibi infenſum eſſe judicabant Hugolinum, in acta retulerunt, quibus per ſuum procuratorem arbitros petunt, qui litem æquo jure dirimant. Acta hic ſubjicio ex tabulario Capitulari Spalatenſi.

Cauſſæ, ob quas Epiſcopus & Presbyteri quida Tragurienſes ſuſpectum, & ſibi infenſum eſſe judicant Metropolitam Spalatenſē, abeoque citari juſſi parere non debeant.

In Dei nomine amen. Anno nativitatis ejuſdem milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſexto, Ind. 4. die 21. menſis Februarii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Dom. Dom. Urbani divina providentia Pape quinti anno 4. Dominus Michael Martini tanquam procurator, & procuratorio nomine, ut conſtat publico inſtrumento, viſo & lecto per me notarium infraſcriptum, Rev. in Chriſto Patris Dom. Nicolay Dei & Apoſtolice Sedis gratia Epiſcopi Tragurien. ac diſcretorum virorum D. Mathei q. Deſſe, Dom. Petri Pervini, D. Nicolay Martini Presbyterorum, & Johannis Pervicini, & Barce q. Petri Diaconorum, produxit, & exhibuit nominibus eorundem coram Rever. in Chriſto Patre D. Hugolino Dei gratia Archiepiſcopo Spalaten. quaſdam exceptiones tenoris infraſcripti.

Coram vobis Rev. in Chriſto Patre, & Dom. Dom. Hugolino Dei, & Apoſtolice Sedis gratia Archiepiſcopo Spalaten. conſtitutus Presbyter Michael q. Martini Canonicus Tragurii procurator, & procuratorio nomine Rever. in Chriſto Patris & Dom. Dom. Nicolay, Dei & Apoſtolice Sedis

dis gratia Episcopi Tragurien. nec non Venerabilium virorum Mathei Desse, Petri Pervini, & Nicolay Martini Presbyt. & Barce qu. Petri, & Johannis Pervicini Diaconorum, Dompno Johanne Slavani ad curiam D. Legati se transferente procuratorio nomine eorundem, exponit, quod cum certe citationis littere eidem Dom. Episcopo sint presentate pro se, & dictis Presbyteris, & Diaconibus die hujus mensis 13. quibus ad petitionem fratris Paschalis asserentis se yconomum monasterii S. Jo. de Tragurio, & Francisci Damyani asserentis se procuratorem fratris Dominici, qui se gerit pro Abbate ejusdem monasterii, ipsum Dom. Episcopum citatis ad comparendum tertia die legitime coram vobis, prout hac, & alia in ipsius citationis forma plenius exprimuntur. Quare dicit procuratoriis nominibus antedictis, quod dictus Dom. Episcopus, & Presbyteri, ac Diacones supradicti habent vestram Paternitatem suspectam rationibus infrascriptis. Primo. Cum idem Dom. Episcopus tanquam suffraganeus vester debuisset consecrari in civitate Spalati in manibus vestris, ipse tamen a Sanctissimo in Christo Patre & Domino nostro Dom. Summo Pontifice, dispensatione habita speciali, ubi, & quibus Catholicis Episcopis voluerit, consecrandi in civitate Tragurii, ab aliis, & non a vobis munus consecrationis suscepit, ex quibus vestram Paternitatem indignatam suspicatur & credit contra se. Item, quia consecrationem suam predictam conatus fuistis modis perturbare omnibus, at etiam impedire, mittendo quamplures processus, & litteras per nuncios speciales, & faciendo eas affigi ad portam cathedralis Ecclesie Tragurien. continentes quamplures inhibitiones, & impedimenta consecrationis predicte. Item quia Rev. Patribus Episcopis, qui convenerant auctoritate apostolica ad consecrandum eundem, misistis per specialem nuncium, & per certas litteras precipiendo & inhibendo, ne eidem munus consecrationis impenderent, eosdem effectualiter usque in diem persequimini hodiernum. Item, quia in causa supplicationis dudum interposite ad vestram Paternitatem ab examine dicti Dom. Episcopi per Nicolaum Tragurien. procuratorem Dom. sororis G. Abbatisse monasterii S. Nicolay de Tragurio in causa, quam habebat cum Petro Joseph cive Tragurii, litteras, quibus citatis dictum Dom. Episcopum ad comparendum coram vobis ad defendendum processum causa si sua credetur interesse, intitulari fecistis D. Nicolao in Tragurien. Episcopum quamqualiter consecrato, que quidem descriptio non ex paterne caritatis affectu, verum ex odii fomite processisse videtur. Item, quia dictus Dom. Episcopus de anno proxime preterito volens tanquam obedientie filius Rever. Patris Dom. Legati mandata reverenter exequi, ut tenetur, ad petitionem Dom. Macharen. Episcopi, vos per suum specialem nuncium citari fecit ad comparendum personaliter coram Domino Legato predicto. Item, quia exequendo mandatum dicti Dom. Legati reverenter, ac debite, & ad petitionem dicti D. Macharen. Episcopi fecit vestram Paternitatem publice in majori Tragurien. Ecclesia in solemniis divinorum pronunciari excommunicationis . . . . fore innodatum. Item, quia ipse exequendo mandatum dicti Dom. nostri Dom. Legati, & ad petitionem Vener. viri Stephani Francisci de Spaleto nonnullos testes super diversis criminibus curavit recipere contra vos, vosque citari fecit ad videndum dictorum testium juramenta. Item, quia prefatos Macharen. Episcopum, & Stephanum Francisci, quos tamen per manus Dom. Legati predicti recomendatos habebat, noluit tradere in manus vestras, nec eisdem inferre aliquam noxiam novitatem juxta requisitionem & protestationes factas contra dictum Dom. Episcopum per Ven. virum Dom. Laurentium vestrum Vicarium pro parte vestra, ex quibus omnibus vestram Paternitatem indignatam credit contra se. Item, quia ipse a nonnullis sententiis factis & latis per vestram Paternitatem contra dictum Dom. Episcopum, & suum Capitulum, sentiens se gravatum, ad Rever. Patrem Dom. Legatum predictum appellavit, & eas prosequitur coram eo, seu auditoribus ejusdem. Item sicut in supradicta citatione vestra continetur, contra ipsum D. Episcopum non citatum, nec convictum, aut judicialiter superatum, dicitis vos processisse, ac declarasse ipsum incidisse in Canonem: Si quis suadente diabolo, & cetera; ac insuper processistis, ut dicitur, ad inquirendum a testibus contra dictum Dom. Episcopum productis illa, que tam a supradictis actoribus non pronuntur, & ultra intentionem partis prefate, & in predictis processistis juris ordine non servato. Item propter alias causas habet vestram Paternitatem suspectam, que declarabuntur coram arbitris ad hoc eligendis, & declarandis. Item quia prefati Presbyteri & Diacones habent Paternitatem vestram suspectam, quia contra ipsos proceditis, & processistis, ut patet ex citatione prefata, animo se extendendi jurisdictionem vestram super eos ultra quam vobis competat de jure, nec sitis jam, nec sitis in actu visitationis. Item quod processistis contra eos ad declarandum eos incidisse in Canonem: Si quis suadente, &c. & ad petendum a testibus a parte adversa productis quedam preter intentionem dicte partis, & ad alia, ut supra dictum est, ex arupto, & animose, sicut & ex forma citationis producte evidenter apparet, non eis citatis, nec convictis, aut judicialiter superatis, seu requisitis, nec servato in talibus debito ordine juris, & judiciorum. Item quod ipsi sunt membrum, & subditi Dom. Episcopi memorati, unde ipsi suspicantur, ne hodium, quod erga principalem geritis, in detrimentum contra accessorio valeat retorqueri, & ne hodium prefati Dom. Episcopi exequatur super eos. Cum ergo periculosum sub judice litigare suspecto, procurator prefatus procuratoriis nominibus antedictis cupiens & intendens vestrum declinare examen, requirit vos Rev. Patrem partem predictam in quantum utcumque vestrum de jure debet, ad eligendos arbitros de medio, qui demeritorum eorum, & suspicionum predictarum videant, & cognoscant, cum sit paratus ex nunc unum eligere pro parte sua, & coram dictis arbitris, quibus supra nominibus in quantum de jure debuerit juris ordinem experiri, offerens se predictis nominibus ad probandum exceptiones predictas coram predictis arbitris in quantum sufficiat ad victoriam dicte cause, salvis semper aliis exceptionibus proponendis, allegandis, & probandis coram arbitris prelibatis. Actum Spaleti in curia archiepiscopali, presentibus sapientibus, & discretis viris Presbytero Ratchone de Tragurio, Dom. Thoma qu. Dobruli, & Francischo notario jurato Communis Spaleti testibus vocatis, habitis, & rogatis.

L. S. Ego Stephanus filius Bernardi qu. Philippi Tizoni de Laude Imp. auct. notar. nec non Cancellarius Communitatis Tragurii, dum sic agerentur, & dicerentur, una cum prenominatis testibus

ſtibus hiis omnibus interfui, rogatus ſcripſi, & in hanc publicam formam redegi &c.

Nicolaus Epiſcopus ab regiis inſpectoribus & adminiſtris impetravit ut Tragurienſibus redderentur quæ Pharienſes abſtulerant.

In privilegio Ludovici conceſſo Virginibus Budenſibus an. 1367. nominatur *Nicolaus Tragurienſis*. Cum Ladislavus Epiſcopus Nitrienſis & Saracenus Comes anno 1370. in partes Dalmatiæ veniſſent, rerum communium inſpectores & curatores miſſi ab Rege Ludovico, & Tragurium accerſiti veniſſent; Nicolaus Epiſcopus ſuis, & aliorum precibus interpoſitis eos rogavit, ut judicium redderent Tragurienſibus, quibus Pharienſes navem onuſtam frumento abſtulerant. Nicolai, & aliorum poſtulata apud illos valuere; & juſſi ſunt Pharienſes Tragurienſibus triticum reſtituere, & pro injuria & damnis illatis ſatisfacere. *Nos Ladislavus Dei & Apoſtolice Sedis gratia Epiſcopus Nitrien. & Magiſter Saracenus Comes Cameræ Quinqueccleſienſis, Legati viſitatores regie majeſtatis Ungarie in partibus Dalm. & Croat. pro tribunali ſedentes in palatio Com. Tragurien. ad jura reddenda, de conſilio & com. voluntate infraſcriptorum Rev. & petentium Dominorum, videlicet Rev. in Chriſto Pat. D. Fratr. Dominici Archiep. Jadren. . . . & Rev. in Chriſto Pat. & Dom. Nicolai Dei & Apoſtolice Sed. gratia Ep. Tragurien. . . . . Chriſti nomine invocato, a quo &c. auctoritate regia predicta, qua fungimur, ſententiamus, & per definitivam ſententiam declaramus, quod infra 15. dies proxime venturos Communitas Farre teneatur & debeat Tragurium tranſmittere quinque nobiles de potioribus civit. Farre ad poſtulandam & impetrandam veniam a D. Comite & nobilibus civit. Tragur. de injuria & violentia per ipſos, ut prefertur, illata. Item reficere teneantur & debeant ſolvere dicti Farren. Com. Tragurien. omnes expenſas factas per Com. Traguricu. occaſione predicta, tam tranſmittendo Ambaſ. Farram, ad noſtram preſentiam, nobis exiſtentibus in diſtrictu Jadre, quam etiam alias quaſcumque expenſas factas de cauſa antedicta. Item tencatur Communitas Farren. reddere, & reſtituere totum bladum per ipſos Farren. ablatum infra terminum ſupraſcriptum 15. dierum... Dat. Trag. die 29. menſis May anno nativ. 1370. octava Indict.*

Jus epiſcopale tuetur.

Juris epiſcopalis & eccleſiaſtici acerrimum, quoad licuit, defenſorem ſe præbuit. Rectorem eccleſiæ S. Nicolai de Mirano nominarunt principes viri duarum illuſtrium familiarum de Cernotis, & de Andreis, qui ſe ab ejuſdem eccleſiæ conditoribus oriundos ferebant. Nominationem rejecit Nicolaus, cum ex tabulis archivi epiſcopalis oſtenderet jam annos amplius octoginta eſſe, cum ejuſdem rectoris eligendi arbitrium & poteſtas penes Epiſcopos deceſſores ſuos fuiſſet, nunquam interrupta, ac nemine repugnante. Illi ad Metropolitam Spalatenſem appellarunt; nec dubito quin Nicolaus cauſſam obtinuerit, cum pacatas multorum annorum poſſeſſiones moveri jura omnia prohibeant. Non ita eidem licuit jus ſuum & Capituli Tragurienſis adverſus potentiſſimum regem tueri. Cum unum de ſubſelliis Capituli vacuum eſſet, illud cum quibuſdam aliis Sacerdotiis diœceſis Tragurienſis, Ludovicus Rex Hungariæ pro ſuo arbitratu contulerat Marino, qui a ſacris erat Eliſabethæ Reginæ. Epiſcopus & Canonici ſive regiæ voluntatis ignari, ſive quod jus ſuum lædi ac diminui nollent, alium Canonicum elegerunt, itemque alios Sacerdotiis Marino collatis præfecerunt. At Ludovicus litteris Viſigradi datis an. 1372. ineunte Junio, ad Capitulum, Comitem, & Conſilium ſcripſit velle ſe ac jubere, ut Marinum in poſſeſſionem tum ſubſellii capitularis, tum aliorum Sacerdotiorum, quæ eidem contulerat, amotis quibuſque aliis, ſine ulla tergiverſatione inducerent. Regi pro poteſtate imperanti vel invitis obtemperandum fuit. Hæc Joannes Lucius lib. 5. cap. 7. Monum. Tragurien. Sed cum hoc mandatum regium perlatum eſt Tragurium, Nicolaus jam obierat, ut infra dicemus.

Nicolaus Patres Dominicanos in primis dilexit, & quibuſcumque potuit beneficiis coluit; memor ſcilicet B. Auguſtini conſanguinei ſui, qui ab adoleſcentia in eorum familiam nomen dederat, eamque haud magis epiſcopali dignitate, quam ſanctimonia & miraculis nobilitaverat. Ad cœnobium, ac templum abſolvendum ornandumque, pecuniæ ſummam ingentem iiſdem, partim dum viveret, donavit, partim poſt obitum tradendam teſtamento reliquit. Ædi vero cathedrali lituum epiſcopalem argenteum, mitram margaritis ac gemmis inſignem, veſtes ſacerdotales, cruces, & vaſa itidem ex argento legavit. Sunt qui ejus mortem in annum 1373. conjiciunt. Sed Joannes Lucius loco ſupra laudato tradit ſupremas ejus tabulas apertas & promulgatas fuiſſe die 26. Decembris anno 1372. Indictione X. Verum hoc teſtamentum poſt annum alterum ab interitu Nicolai elapſum, incertum quam ob cauſſam, reſignatum fuerit oportet, & mortem Nicolai ad annum 1370. revocari neceſſe eſt; nam ſub initium anni 1371. Sedem Tragurienſem obtinebat

VALENTINUS EP. TRAGURIEN. XIII.

Non aliunde notus niſi ex diplomate Ludovici Regis Hungariæ, qui *Anno Dom. MCCCLXXI, 5. Non. menſ. Januar. regni autem XXIX.* jus ac privilegium ſigilli conceſſit Capitulo Jadrenſi. Cum aliis Archiepiſcopis, & Epiſcopis regni Hungarici, huic diplomati ſubſcriptus reperitur *Valentinus Tragurienſis*. Annus autem regni Ludovici undetrigeſimus apprime congruit cum anno æræ vulgaris 1371. Valentinus huic eccleſiæ duos fere annos præfuit.

CHRYSOGONUS EP. TRAGURIEN. XIV.

Chryſogonus patricius & Ep. Arbenſis, ad Sedem Tragurienſem translatus.

Ortus eſt Arbæ in inſula Sinus Flanatici ex ampliſſima familia *de Dominis*, unde multi Dalmatiæ Antiſtites, & plurimi viri domi militiæque clariſſimi prodierunt. Sedem epiſcopalem Arbenſem annos fere novem tenuit, & ad Tragurienſem translatus eſt an. 1373. nominatur enim in privilegio Ludovici conceſſo Virginibus Deo ſacratis de Valle Veſprimienſi an. 1373. & in altero ejuſdem regis an. 1379. Anno circiter 1374. Benedictus ex ordine Servorum, ſubcollector Cameræ Apoſtolicæ, locum tenens Raymundi Epiſcopi Patavini & collectoris generalis, pecuniam Sedi Apoſtolicæ debitam recepit a curatore pii teſtamenti, quod Nicolaus Epiſcopus Tragurienſis fecerat ſecundum Patres Dominicanos. Patet ex tabulis *quietationis*, quas ex tabulario capitulari Tragurienſi hic ſubjicere libet.

Subcollector Cameræ apoſtolicæ fatetur pecuniam recepiſſe

Cum bonæ memoriæ Rev. Pater qu. D. Nicolaus Epiſcopus Tragurii dedit & conſignavit in vita ſua egregio & potenti regio militi Domino Franciſco de Georgiis de Jadra hon. Comiti civit. Tra-

Sedi apoſt. debitam ex teſtamento Nicolai Ep.

Tragurii certam pecuniæ quantitatem pro perficiendo & complendo eccleſiam S. Dominici ordinis Prædicatorum de Burgo Tragurii, ipſeque D. Franciſcus pro hujuſmodi opere complendo & perficiendo majorem partem dictæ quantitatis pecuniæ expendiderit in lapidibus, calce, lignamine, & magiſtris pro cooperiendo. Ideo Ven. vir Fr. Benedictus de Venetiis ordinis B. Mariæ Servorum, Cameræ Apoſtolicæ in partibus Sclavoniæ in Jadrenſi, Spalatenſi, & nonnullis aliis provinciis, civitatibus, & diœceſibus epiſcopalis Vicarius ſubcollector, & locum tenens Rever. in Chriſto Patris Dom. Raymundi Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopi Paduani in ſupraſcriptis, & nonnullis aliis provinciis, & partibus Italiæ ejuſdem Sedis collectoris generalis ſpecialiter deputati, volens nomine Cameræ Apoſtolicæ videre & examinare hujuſmodi expenſas, per ſuperſcriptum D. Franciſcum factas circa opus eccleſiæ prædictæ; & viſis & diligenter examinatis, & una cum eodem D. Franciſco calculatis rationibus, & expenſis per prædictum D. Franciſcum factis circa hujuſmodi opus eccleſiæ complendum & perficiendum in lapidibus, calce, lignamine, & magiſtris pro cooperiendo; videnſque idem Dom. ſubcollector reſtare apud dictum D. Franciſcum de dicta quantitate pecuniæ ducat. 25. auri diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ reſervatos, dictas expenſas idem D. ſubcollector laudavit, ratificavit, & approbavit. Et hæc ideo fecit idem D. ſubcollector, quia præſentialiter nomine Cameræ Apoſtolicæ ſupradictæ habuit & recepit a dicto Dom. Franciſco dante, & ſolvente pro ſe, & ſuis hæredibus pro reſto de quantitate pecuniæ expenſatæ, pro ut ſuperius eſt expreſſum, duc. 25. boni auri juſti ponderis; de quibus quidem 25. duc. de auro, & de omnibus aliis ſupraſcriptis omni modo, via, jure, & forma, quibus melius potuit, fecit nomine Cameræ Apoſtolicæ prælibatæ eidem D. Franciſco præſenti ſtipulanti, & recipienti pro ſe, ſuiſque hæredibus, & ſucceſſoribus . . . quietationem abſolutam, & plenam remiſſionem, ac pactum de ulterius aliquid non petendo, liberans & abſolvens idem ſubcollector nomine Cameræ antedictæ ipſum D. Franciſcum, & ſuos hæredes, & ſucceſſores ab hujuſmodi expenſis ratione reddenda alicui alteri nomine Cameræ ſuperdictæ. Inſuper ideo dictus ſubcollector abſolvit, & penitus liberavit commiſſarios teſtamenti dicti q. D. Nicolai Epiſcopi a reddenda ratione de tribus calicibus & uno paramento relictis aliquibus eccleſiis regni Hungariæ per ipſum Dom. Nicolaum in ſuo teſtamento jam dicto, cum conſtet ipſi D. ſubcollectori fide digna relatione dictos calices & paramenta ipſis eccleſiis per ipſos commiſſarios deſtinatos, & aſſignatos fuiſſe. Quam quietationem liberam, & abſolutam, & omnia, & ſingula in præſenti contractu contenta idem D. ſubcollector nomine Cameræ Apoſtolicæ ſuperdictæ promiſit firma & rata perpetuo habere, tenere, attendere, & obſervare, ac eumdem D. Franciſcum, & ſuos hæredes, & ſucceſſores occaſione præmiſſa ulterius minime moleſtare, nec inquietare.

Non ſolum Eccleſiæ Tragurienſi, ſed etiam civitati perutilis fuit Chryſogonus, nam apud reges, qui temporibus illis rerum in Hungaria potiebantur, auctoritate & gratia plurimum valuit. Quare Tragurienſes ejus interventu operaque uti ſolebant, ut obtinerent, quæ ad commodum dignitatemque civitatis pertinebant. Anno 1377. orator ad Ludovicum regem miſſus cum altero viro patricio facile impetravit, ut Comitem urbis, quem Tragurienſes elegerant, regia auctoritate confirmaret, quamvis ille jus Comitis eligendi civitatibus ademptum non raro ad ſe revocaret, electumque a civibus rejiceret: *Acceſſerunt ad noſtre majeſtatis preſentiam Ven. in Chriſto Pater Dom. Griſogonus Epiſcop. Tragurien. & nobilis vir Petrus Joſeph . . . . Nos veſtris ſupplicationibus inclinati ipſam electionem veſtram per preſentes litteras auctoritate noſtra admittimus &c.* Cum poſt obitum Ludovici Maria regina ejus filia in Dalmatiam veniſſet an. 1383. Chryſogonus collegio Canonicorum regale privilegium *Sigilli Capitularis*, quo antea carebat, ab eadem impetravit, ut ex diplomate, quam hic ſubjicio, videre eſt.

Privilegiū ſigilli Capitulo Tragurien. per Mariam reginā Hungariæ conceſſum.

Maria Dei gratia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Gallatie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque Regina, Princeps Salernitana, & Honoris montis S. Angeli Domina. Omnibus Chriſti fidelibus tam preſentibus, quam futuris preſentium notitiam habituris ſalutem in omnium Salvatore. Regia licet ſublimitas pediſſequa ſedentis trono in excelſo cunctis ſuis ſequacibus digna debeat impendere premia meritorum: ad inſtar tamen ipſius ſupremi Regis, ſplendore paterne glorie de luce lucem proferentis & infallibili lucis ejus claritate mundum illuſtrantis, Verbi ſcilicet incarnati ſacroſancte matri eccleſie, quam ipſe precioſiſſima ſui ſanguinis effuſione pro generis humani redemptione pendens in cruce decoravit mirifice, tota mentis intentione, ſtudioſius debet intendere pariter, & invigilare; cujus cultu, cujuſque nutu, cujuſque orationibus proſpera regibus cuncta ſuccedunt, & accedunt; nam de merore cum gaudio pervenit eis letitia, de triſtitia redeunt ſolacia, de nebula ſuavis aura prodiit, & nimium dulcoroſa, & de hoſte ſeu hoſtibus conſurgit victoria ſimul & triumphus, & omnino terreſtria in celeſtia feliciter commutantur. Perinde ad univerſorum notitiam harum ſerie volumus pervenire. Quia Sereniſſimo Principe Domino Ludovico eadem Dei gratia Hungarie, Polonie, Dalmacie, &c. genitore noſtro cariſſimo, laudande recordationis, volente Domino celi, cujus nutu omnia reguntur & diſponuntur, abſque prole maſculina de medio ſublato, nobiſque jure ſucceſſorio & ordine geniture ſolium & coronam dicti regni Ungarie, ac ſceptra regiminis ipſius genitoris noſtri feliciter adeptis, fidelis noſter ſpecialis Capellanus, Vener. in Chriſto Pater Domin. Griſogonus premiſſa & apoſtolica gratia Epiſcopus Eccleſie Tragurien. ad noſtre ſerenitatis accedendo preſentiam, noſtre humiliter ſupplicavit majeſtati, ut quia dicta Eccleſia Tragurien. ſub vocabulo glorioſiſſimi Chriſti martyris Laurentii conſtructa foret kathedralis, & hactenus ſigillo caruiſſet autentico; ideo de benignitate reginali eidem eccleſie & ſuo Capitulo ſigillum, quo perpetuis temporibus Canonici, ſeu Capitulum ipſius Eccleſie Tragurien. uterentur, dare & concedere dignaremur, ſicut alie etiam kathedrales regni noſtri ſigillis gaudent, & fruuntur. Nos itaque veſtigiis piorum predeceſſorum noſtrorum olim illuſtrium Regum Hungarie beatiſſimorum recordationum, qui tam eccleſias kathedrales & collegiatas, quam alias regni noſtri diverſis libertatum prerogativis & privilegiis decorarunt, & regia liberalitate refoverunt, inherentes, ſupplicationibus prefati D. Griſogoni Epiſcopi, quam in cunctis noſtris, & regni noſtri negotiis proſperis & adverſis juxta

nutum

nutum noſtre voluntatis ſemper ſagacem, & ſollertum, ac fidelem reperimus, favorabiliter inclinate, volentes ſibi de benignitate reginali complacere, potiſſime etiam ob ſpem & devotionem noſtram, quam ad ipſum glorioſiſſimum Chriſti martirem Laurentium gerimus & habemus, provida deliberatione, una cum Excellentiſſima & Sereniſſima Principe & Domina Eliſabetha premiſſa Dei gratia regina Hungarie, Polonie, Dalmatie &c. genitrice noſtra procara, nec non prelatis & baronibus regni noſtri prebabita, ſigillum novum, quo Capitulum & Canonici memorate etiam kathedralis B. Laurentii martiris de Tragurio perpetuis temporibus potiantur, & utantur: in quo ymagines infraſcripte, videlicet ipſius Beati Laurentii martiris tenens craticulam in manu in habitu Levitarum, ac duorum Angelorum dextris & ſiniſtris ipſius ymaginis B. Laurentii flexis genibus cereos in manibus geſtantes, ac inferius circa pedes ipſius ymago unius Epiſcopi induta pontificalibus, & flexis genibus, tenens baculum paſtoralem in manu, ſculpte habeantur; ex deſiderio affluenti noſtre majeſtatis ad dictam eccleſiam kathedralem ipſius B. Laurentii martiris de Tragurio perpetuo duximus annuendo concedendum. Committentes, & de plenitudine noſtre poteſtatis ſancientes, ut dictum ſigillum ipſius eccleſie, & Capituli Tragurien. amodo, & deinceps autenticum habeatur, & eidem, ac litteris omni veritate ſcribendis & conficiendis ſub eodem indubitata fidei certitudo per omnes regnicolas noſtros, tam in judicio, quam extra adhibeatur; in cujus rei firmitatem, memoriamque perpetuam preſentes conceſſimus litteras noſtras privilegiales, pendentis & autentici ſigilli noſtri munimine roboratas. Datum per manus Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Dom. D. Demetrii miſeratione divina tituli Sanctorum quatuor coronatorum ſacroſancte Romane Eccleſie Presbyteri Cardinalis, Sancte Strigonienſis Eccleſie gubernatoris perpetui, locique ejuſdem Comitis ſimiliter perpetui, & aule noſtre fidelis cancellarii. Anno Dom. milleſimo trecenteſimo octuageſimo tertio, quinto Idus Maji, regni autem noſtri anno ſecundo. Reverendiſſimis, & Venerabilibus in Chriſto Patribus eodem Dom. Demetrio gubernatore Eccleſie Strigonien. perpetuo, Ludovico Colocen. Petro Jadren. Ugolino Spalaten. & Ugone Ragusien. Archiepiſcopis; Emerico Agrien. Paulo Zagabrien. Sublino Tranſilvanien. Valentino Quinqueccleſien. decretorum doctore, Johanne Varadien. Guillermo Jaurien. Benedicto Veſprimien. Johanne Canadien. Georgio Boznen. Petro Vacien. Johanne Sirimien. Fratre Dominico Nytrien. Paulo Tininien. Demetrio Nonen. eodem Griſogono Tragurien. Matheo Sibinicen. Stephano Pharen. Jacobo Makaren. Michaele Scardonen. & Thoma Senien. eccleſiarum Epiſcopis, eccleſias Dei feliciter gubernantibus, Corbavien. ſede vacante. Magnificis viris Nicolao de Sara regni noſtri Palatino, & Judice Comanorum; Ladislao Voyvoda Tranſilvano, & Comite de Zonuk, Comite Nicolao de Zeech Judice curie noſtre, Stephano de Lindua totius regni Sclavonie, Emerico dicto Bubeek Dalmatie & Croatie, ac Sarac. filio Phylpus de Machevo Banis; Nicolao dicto Zambovv Tovarnicarum, Blaſio dicto Forgach Pincernarum, Nicolao filio Nicolai de Telegd Janitorum, Ladislao filio Nicolai de Weſen Dapiferorum, & Stephano filio qu. Dom. Dionyſii Voyvode Agazonum noſtrorum magiſtris; predicto Nicolao dicto Zambo Comite Poſonien. aliiſque quam plurimis regni noſtri Comitatus tenentibus, & honores.

Stephanus Georgii &c.

Anno 1387. cum Maria Venetorum auxiliis cuſtodia Novigradenſi, ac perduellium manibus erepta fuiſſet, Chryſogonus cum duobus aliis legatis nomine miſſuque Tragurienſium Nonam ad illam gratulatum venit, ut docet Lucius lib. 6. cap. 1. Monum. Tragurien. Nihil ſtudii operæque prætermiſit, ut Tragurienſes in fide, ac ſub imperio Mariæ & Sigiſmundi Regum Hungariæ retineret; ſed cum Tuartkus rex Boſinæ, & Joannes de Palixna, qui ab utroque defecerant, Tragurienſium agros vaſtarent, ac niſi ſe dederent, urbis oppugnationem & excidium denunciaret; Chryſogonus a Tuartko inducias aliquot dierum impetravit, intra quos niſi auxilia, quæ poſtulaverant, a Sigiſmundo mitterentur, eos deditionem facturos; interea ab omni maleficio abſtineret. Auxilii Hungarici ſpes cum fruſtrata eſſet Tragurienſes, miſſus eſt iterum Chryſogonus, qui conditionibus quam æquiſſimis urbem ac cives Regi Boſinenſi in poteſtatem traderet anno 1390.

Tragurienſes, ac Dalmatæ ex aliis ad alios dominos tranſeunt, ac redeunt.

Annos fere triginta Eccleſiam Tragurienſem gubernavit in multiplici converſione civilium rerum, ac perturbatione bellorum & ſeditionum; ex quo factum eſt, ut minus, quam vellet, utilitatis & incrementi rei chriſtianæ & eccleſiaſticæ afferre potuerit. Nunquam in Dalmatia crebrius, quam per eos annos, dominorum mutatio facta eſt. Carolus rex Neapolis a perduellibus ad regnum Hungariæ occupandum evocatus, in Dalmatiam cum veniſſet anno 1385., ingenti optimatum, militum, & cujuſque ordinis hominum concurſu exceptus eſt deductuſque in Hungariam. Anno ſequenti Albæ per inſidias interfectus cum regno vitam amiſit. Deinde Eliſabetham matrem, & Mariam filiam reginas, quæ ad partes Dalmatiæ venerant, ex inſidiis captas, & Novigradum abductas perduelles in arctam cuſtodiam includunt. Mortua cum eſſet Eliſabetha, Maria ope Venetorum libertatem adepta, nuptaque Sigiſmundo Marchioni Brandeburgico Dalmatiam & regnum recuperavit an. 1387. Sed triennio poſt Tragurienſes, cum ceteris Dalmatis, imperium Stephani Tuartki regis Boſinæ accipere coacti ſunt. Poſt hujus obitum pax inter Sigiſmundum & Stephanum Dabiſciam regem Boſinæ ita convenit, ut hic Dalmatiæ & Chrobatiæ poſſeſſione decederet. Itaque Tragurienſes ac ceteri Dalmatæ ſub poteſtatem Sigiſmundi redierunt anno 1394. cum Maria Sigiſmundi conjux jam obiiſſet. Sæculo proximo ineunte Ladislavus Caroli filius rex Neapolis ad Sigiſmundum e regno pellendum fœdus fecit cum Oſtoja rege Boſnenſi, & Hervoja *ſupremo Vaivoda regni Boſnæ*: horum autem vel minis ac terrore commoti, vel ſollicitationibus & promiſſis illecti Tragurienſes ac Dalmatæ a Sigiſmundo ad Ladislavum deſciverunt. Sed idem Hervoja anno ejuſdem ſæculi nono, cum relicto Ladislavo ad Sigiſmundum tranſiiſſet, Tragurium & univerſam Dalmatiam, præter Jaderam, ſub Sigiſmundi dominatum redegit.

Diſcordiæ civiles Tragurienſes.

Inter has dominorum mutationes, illud acceſſit ad ſtatum civitatis labefactandum, quietemque publicam perturbandam, quod per eos annos civiles diſcordiæ inter Tragurienſes fere perpetuæ fuerunt, cum aliis ex cauſſis, tum

ex

ex eo etiam exortæ, quod alii Mariæ & Sigiſmundo, alii regibus Neapolitanis, vel Boſnenſibus ſtudebant. Hinc odia mutua, & cædes civium inter ſe, & expulſiones plurimorum. Sæpe quidem interpoſita ſummorum virorum, atque adeo Legati pontificii auctoritate ſedatæ ſunt; ſed paullo poſt acrius recruduerunt. De hujuſmodi civilibus diſſidiis ac bellis Joannes Lucius lib. VI. cap. 1. & 2. Monum. Tragurien. Cum autem iiſdem diſcordiis arderet etiam civitas Spalatenſis, & ejecti ex illa urbe Tragurium ſe recepiſſent, Tragurienſibus denunciatum fuit, ut profugos illos expellerent. Id cum abnuerent Tragurienſes, bellum inter duas illas civitates exarſit, quod biennium tenuit; & multa damna utrinque reddita & accepta. Chryſogonus Tragurienſis Epiſcopus, & Andreas Gualdus Archiepiſcopus Spalatenſis pacem inter utroſque conciliarunt anno 1401. remiſſis utrique parti, & condonatis damnis, quæ urendo, diripiendo, vaſtando, agris, eccleſiis, & villis prædiiſque eccleſiarum intulerant, ut dictum eſt in Andrea Gualdo Archiepiſcopo cap. 3. §. 2. In tabulis concordiæ redintegratæ nominatur *Rev. in Chriſto Pater D. Griſogonus miſer. divina Epiſcopus Tragurienſis.*

In eo temporum motu, ac tanta communium rerum perturbatione, fœdaque diſcordiarum tempeſtate, Chryſogono nunquam licuit eſſe otioſo; ſed pro ratione epiſcopalis officii curam omnem operamque perpetuo debuit impendere, vel ut civium animos inter ſe diſſidentes in concordiam reduceret; vel ut graviora mala, quæ ex hujuſmodi civilibus diſſidiis imminebant, præcaveret atque averteret; vel denique ut Tragurienſibus, cum modo his, modo illis dominis parere cogerentur, horum gratiam & beneficentiam, legationibus obeundis, conciliaret. His occupationibus curiſque diſtentus, eccleſiaſticæ adminiſtrationis, rerumque pro utilitate & emolumento chriſtiani gregis, eccleſiæque ſibi commiſſæ geſtarum, fere nullum monumentum reliquit.

Chryſogonus auctor pii decreti, quod Tragurienſes in honorem SS. Laurentii & Joannis fecerunt.

Tragurienſibus auctorem præcipuum fuiſſe arbitror, ut ad cultum augendum SS. Laurentii martyris, & Joannis Epiſcopi, omnibus, qui propter æs alienum contractum, cui ſolvendo non erant, exſulabant, fide publica interpoſita, poteſtatem facerent Tragurium veniendi, atque ad ſacras utriuſque reliquias in æde cathedrali conditas adeundi, eaſque venerandi, ſingulis annis, octo diebus proximis tum ante, tum poſt feſtos & anniverſarios dies, utriuſque nomine ac religione conſecratos. Hoc decretum factum fuit anno 1383. & lib. 1. *Statuti Tragurienſis* inſertum.

De Feriis S. S. Laurentii & Joannis 1383. die 22. Novemb.

Captum & ſtatutum fuit, quod ſingulis annis in perpetuum ad honorem, & laudem, & venerationem BB. Corporum S. Laurentii martyris, & S. Joannis Epiſcopi & Confeſſoris, protectorum, & defenſorum civitatis & Communis Trag. quælibet perſona tam terrigena, quam forenſis, quæ tam Communi Trag. quam ſpecialibus perſonis teneretur in aliqua pecuniæ quantitate, octo diebus ante feſtum dictorum BB. Laurentii & Joannis libere & ſecure venire poſſit, ſtare, & redire ad civit. & diſtrict. Tragurien. & poſt ipſum feſtum dictorum BB. ſimiliter poſſit venire ad ipſam civit. & diſtrictum diebus totidem: furibus, proditoribus, prædatoribus, falſariis, & bannitis a dicta civit. Tragur. & diſtrictu, & a fide catholica diviſis dumtaxat exceptis, qui a prædicta fiducia & libertate ſint excluſi.

Chota Antiſtita Virginum Tragurienſium Bonifacio Papæ IX. fidem ſuam obſtringit.

Hic ſubjicere libet formulam ſollemnis ſacramenti, quo electa Antiſtita Virginum Tragurienſium S. Nicolai fidem ſuam atque obedientiam obſtrinxit Bonifacio IX. ſummo Pontifici, rejecto ac repudiato Clemente VII. Pſeudopontifice, qui a factione Gallicana electus, objectuſque Urbano VI. ipſius Bonifacii deceſſori, Romanæ Sedi Sedem Avenionenſem, quam Romanam dici volebat, oppoſuerat.

Formula juramenti.

Ego Chota Abbatiſſa monaſterii Sancti Nicolai Tragurienſis ordinis S. Benedicti promitto, & juro, quod ab hac ora in antea, quandiu vixero, fidelis, & obediens ero Beato Petro, ſanctæque Apoſtolice Romane Eccleſie, & Domino meo, Domino Bonifacio divina providentia Pape VIIII. ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus. Non ero in conſilio, conſenſu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione. Conſilium vero, quod mihi crediturі ſunt per ſe, aut nuncios, ſive litteris, nulli manifeſtabo ad eorum damnum, me ſciente. Papatum Romanum, & regalia Sancti Petri adjutor eis ero ad retinendum, defendendum, & recuperandum, ſalvo meo ordine, contra omnem hominem, & honorem & ſtatum ipſorum, quantum in me fuerit, conſervabo, ipſique adherebo, & pro poſſe favebo. Legatos, & nuntios Sedis Apoſtolice benigne in terris mei monaſterii ſuſcipiam, dirigam, & defendam, ſecurumque ducatum preſtabo eiſdem, ac in eundo & redeundo eos honorifice tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo, nec quantum in me fuerit, permittam eis aliquam injuriam fieri, vel inferri, & quibuſcumque, qui contra premiſſa, vel eorum aliquod conarent aliquid attentare, quantum potero, me opponam, eoſque pro poſſe impediam. Offenſiones, & damna predicti Domini noſtri Pape, & dicte Romane Eccleſie, quantum potero, evitabo; nec ero in conſilio, vel in facto, ſeu tractatu, in quibus contra ipſum, & eandem Romanam Eccleſiam aliqua ſiniſtra, vel prejudicialia machinentur; & ſi talia a quibuſvis procurari novero, vel tractari, impediam hec pro poſſe, & quantovis commode potero ſignificabo alteri, per quem poſſit ad eorum notitiam pervenire, eiſque reverentiam & obedientiam debitas exhibebo, & preſtabo. Poſſeſſiones vero ad meum monaſterium pertinentes non vendam, nec donabo, nec impignerabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, inconſulto Romano Pontifice. Item Roberto, olim baſilice duodecim Apoſtolorum dicto Gebennenſi, nunc Antipape, qui ſe Clementem VII. nominat; Joanni olim tituli S. Marcelli dicto Ambianen. Presbyt. dicte eccleſie, Cardinalibus perditionis filiis, juſto Dei judicio, & auctoritate apoſtolica condemnatis, & eorum ſequacibus ac dantibus eis, vel eorum alicui, auxilium, conſilium, vel favorem, cujuſcumque fuerint preminentie, ordinis, religionis, conditionis, aut ſtatus, etiam ſi pontificali, regali, ſeu reginali, vel quavis alia prefulgeant dignitate, etiam ſi fuerint Romane Eccleſie Cardinales, ſeu aliis quibuſcumque per eccleſiam denotatis, vel in poſterum denotandis, quandiu extra gratiam & communionem ſedis predicte permanebunt, non dabo quovis modo per me, vel alium directe, vel indirecte, publice, vel occulte auxilium, conſilium, vel favorem; nec ab aliis quantum in me fuerit, & impedire potero, dari per-

permittam; ſed eos ſecundum poſſe meum, donec convertantur, juxta proceſſus apoſtolicos, prout juſtum fuerit, perſequar. Sic me Deus adjuvet, & hec ſancta Dei Evangelia.

Addo proteſtationem ejuſdem Chotæ coram Matthæo Epiſcopo Macarenſi contra electionem Goytizæ in Abbatiſſam S. Nicolai, quam edidit anno circiter 1390. ut mihi videtur.

Proteſtatio contra electionem Goytizæ in Abbatiſſam S. Nicolai.

Deſa Luc. . . . . Archipresbyter Tragurii uti procurator D. Chotæ ſuæ ſororis monialis S. Nicolai Tragurii electæ Abbatiſſæ proteſtatur coram Matthæo Epiſcopo Mucarenſi, & Dalmianenſis Vicario Archiepiſcopi, quod electio facta in Abbatiſſam S. Nicolai ſororis Goytizæ filiæ Cighæ Joſeph de Tragurio conventualis monaſterii S. Benedicti de Spalato ſit invalida, eo quia mortua Goya Abbatiſſa S. Nicolai moniales legitime & ſervato more elegerunt Chotam, & ejus confirmationem petierunt a Summo Pontifice, quæ confirmationis Bulla malitioſe attenta fuit in civitate Ortonæ machinatione dicti Cighæ, qui etiam quum tunc eſſet rector Tragurii, vetuit electionem Chotæ publicari per Notarium, qui eam ſcripſerat, & Archiepiſcopo 200. duc. pro filiæ electione tradiderat; quæ Goytiza neque electa a ſororibus S. Nicolai, nec capax ſit, cum non ſit 30. annorum, & conſecratio invalide facta fuit, cum præceſſerit proteſtatio Nicolai Srechiæ de Lucharis conſanguinei Chotæ.

Chryſogonus pontificatum & vitam perduxit uſque ad annum tertium ſæculi decimi quinti; nam ejus nomen inſcriptum invenio in tabulis Tragurienſibus an. 1402. & ſequenti. 1402. *Indict.* 10. *die vero* 9. *men. Junii. In eccleſia cathedrali in preſentia Rever. in Chriſto Patris D. Griſogoni Ep. Trag. ſui Capituli, egregiique & ſap. viri D. Gregorii &c.* Et in codice Statuti veteris Tragurien. cap. 17. 1403. 26. *Maji temporibus vero D. Griſogoni Ep. Trag.* De quadam ſententia, quam tulit ſecundum Sibenicenſes adverſus Antonium Ep. vide ejuſdem Antonii acta in Epiſcopis Sibenicenſibus. In decreto Sigiſmundi Regis Hungariæ ſecundum Eccleſiam Strigonienſem an. 1388. *Tragurienſis ſedes vacaſſe* dicitur. In altero ejuſdem privilegio conceſſo eidem Eccleſiæ Strigonien. an. 1397. nominatur *Chryſogonus Tragurienſis*. An duo fuerint Epiſcopi, quos interregnum epiſcopale disjunxerit, mihi non liquet.

SIMON EP. TRAGURIENSIS XV.

Filius Andreæ ex eadem inſula & civitate Arbenſi, eademque familia *de Dominis*, quem Valerius a Ponte Archidiaconus Jadertinus *Equitis regii* titulo ac dignitate ornatum fuiſſe affirmat. Uno alterove menſe poſt obitum Chryſogoni Epiſcopus electus, regimen Eccleſiæ Tragurienſis ſuſcepit. Eodem quippe anno 1403. & menſe Auguſto eum in tabulis Tragurienſibus nominatum invenio. *In Chriſti nomine, amen. Regnante Dom. noſtro Ladislao Dei gratia Sereniſſimo Rege Ungarie, Jer. Sicil. Dalm. Croat. &c. Temporibus quidem Rev. in Chriſto Patris & D. D. Simonis Dei & Apoſtolice Sedis gratia Epiſcopi Trag. & ſpectabilis militis & egregii legum Doctoris D. Jacobi de Raduchis de Jadra Comitis Trag. &c.* Anno 12. hujus ſæculi cum Canonici, uno de ſubſelliis capitularibus vacante, Lucam Presbyterum ad ſuum collegium aggregaſſent, eorum ſuffragia confirmavit, electumque approbavit; ut conſtat ex litteris epiſcopalibus Canonico electo inſcriptis: *Simon Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Ep. Tragurien. decretorum Doctor dilecto nobis in Chriſto filio Presbytero Luce Joannis Scobulg electo per Dominos de Capitulo Tragurien. Eccleſie noſtre in Canonicum ipſius Eccleſie ſal. in Domino & ſinceram charitatem. Gratioſa tuorum opera meritorum &c. Igitur vacante &c. Nos vero eamdem electionem nobis preſentatam &c. Datum Tragurii in noſtro epiſcopali palatio, anno Domini noſtri J. Chriſti* 1412. *Indict. quinta, die* 4. *menſis Martii.*

Ante quadriennium, ideſt anno 1408. Tragurium una cum ceteris urbibus maritimis, præter Jaderam, Hervoja Duce Spalatenſi impulſore, ab Ladislavo rege Neapolitano defecit, rediitque ſub poteſtatem Sigiſmundi, quem biennio poſt ex rege Hungariæ & Bohemiæ Imperatorem Romanorum Septemviri crearunt. Simon ob ſingularem virtutem, ac prudentiam apud Sigiſmundum gratioſus in paucis fuit, hujuſque etiam precibus atque hortationibus impulſum Cæſarem fuiſſe arbitror, ut Tragurienſibus permitteret jus eligendi cœnobiarchæ S. Joannis Baptiſtæ, quod illis adimere conatus fuerat Ladislavus rex Neapolis, ejuſdem tamen confirmandi poteſtate ſibi reſervata; id quod docent litteræ Sigiſmundi.

Simon a Sigiſmundo rege & Imperatore Tragurienſibus impetravit privilegium poteſtatemque eligendi cœnobiarchæ S. Jo. Baptiſtæ.

Nos Sigiſmundus &c. notum facimus tenore preſentium quibus expedit univerſis, quod nos votis & humillimis ſupplicationibus fidel. noſtr. dilect. Rect. Jud. Conſil. civium, & Communitatis civ. noſtre Trag. per eos majeſtati noſtre oblatis preinclinati, de regie liberalitatis largiflua clementia annuimus, & concedimus, ut quamcumque perſonam idoneam ipſi Rector, Judices, Conſilium, & Com. d. civit. noſtre Trag. unanimi voluntate & equali deliberatione in Abbatem monaſter. eccleſie S. Jo. Baptiſte de Trag. predicti elegerint, prefecerint, & nominaverint; eidem & nos Abbatiam predict. cum univerſis ſuis juribus, proventibus, & obventionibus auctoritate juris noſtri patronatus, de regie poteſtatis plenitudine dabimus & conferemus, harum noſtrarum litterarum teſtimonio mediante: quas ſigillo noſtro majori, quo ut R. Hung. utimur, fecimus conſignari. Datum in Brinye die Dominico proximo ante feſtum S. Andree Apoſtoli. Anno Domini 1412. *Reg. autem noſtri Hung.* 26. *Rom. vero* 3.

Alteram Sigiſmundi epiſtolam ad Tragurienſes de B. Joanne Urſino Ep. Tragurienſi habes pag. 329. Nec vero Simon egregiæ erga ſe Sigiſmundi voluntati defuit; ſed quibuſcumque potuit officiis, & obſequiis eidem reſpondit, illiuſque gratiam & benevolentiam ſibi magis confirmare & augere ſtuduit: id quod exilium illi conſcivit, ut poſtea dicemus; Epiſcopatum tamen vel certe Epiſcopi nomen retinuit uſque ad annum 1423. Concilio Conſtantienſi interfuit, in quo poſt voluntariam Gregorii XII. abdicationem, & Pontificatum Joanni XXIII. itemque Benedicto XIII. abrogatum, cum de novo Pontifice creando deliberari cœptum eſt, ad Cardinales omnino viginti, qui aderant, quibuſque ex conſuetudine jamdudum recepta jus erat Pontificis eligendi, de Concilii ſententia triginta præterea Epiſcopi adjuncti ſunt ex quinque nationibus Italica, Anglicana, Hiſpanienſi, Germanica, & Gallica, quibus comitia pontificalia ineundi, & ſuffragia ferendi poteſtas tradita fuit. Inter electores nationis Germanicæ numerum & locum obtinuit Simon Epiſcopus Tragurienſis.

Interfuit Concilio Conſtantienſi.

Auctor Viridarii Seraphici Severinum neſcio quem

Severinus & Fidemanus e catalogo Episcoporum Trag. expungendi.

quem ex Ordine Franciſcano inter Epiſcopos Tragurienſes annumeravit, ejuſque Epiſcopatus initium cum anno 1414. conjunxit: 1414. *Fr. Severinus ignotæ patriæ Epiſcopus Tragurienſis*. Errandi cauſſam præbuit Lucas Vadingus, qui Severino in Epiſcopatum *Tranquillien.* quem ipſe interpretatus eſt *Tragurienſem*, anno 1435. Fr. Fidemanum ſuffectum fuiſſe tradidit. *Creatus eſt Epiſcopus Tranquillien. ſeu potius Tragurien. in Sclavonia ſub Archiep. Spalaten. Fr. Fidemanus Nicolai Sacræ Theologiæ profeſſor, per translationem Severini ad Pharien. in eadem provincia* 16. *Calen. Feb. An.* 1435. Uterque ex catalogo Epiſcoporum Tragurienſium expungendus eſt; nam ſedem hanc epiſcopalem anno 1414. Simon de Dominis, anno 1435. Thomas Thomaſinus XVI. Kal. Februarii adhuc obtinebant. Nec vero Severinus inter Epiſcopos Pharienſes locum habuit, ut docent certiſſima utriuſque eccleſiæ monumenta. Illud potius mihi haud leve negotium faceſſit, quod in quodam diplomate Sigiſmundi in favorem & gratiam domus hoſpitalis S. Mariæ Magdalenæ in territorio Buſanæ diœceſis Corbavienſis anno 1412. XIV. Kal. Decembris confecto, ſedes epiſcopalis Tragurienſis vacare dicitur; itemque aliæ ſedes, veluti Tinninienſis, quam tunc Ladislavus, Sibenicenſis, quam Bogdanus, Nonenſis, quam Nicolaus, Scarnienſis, ſive Scardonenſis, quam Petramuſtus, Pharienſis, quam Georgius obtinebant. Cur vacare dicantur *Nonenſis*, *Sibenicenſis*, *& Scardonenſis*, ratio in promptu eſt; nam hæ civitates ſub dominatu Venetorum tranſierant, in quas cum jus retinere vellet Sigiſmundus, earum vero Epiſcopos teſtes ac laudatores ſui diplomatis citare non poſſet, idcirco eccleſias illas veluti carentes Epiſcopis nominavit; ut declararet illas, quamquam per injuriam, ut putabat, ademptas, ad jus tamen regnumque Hungariæ pertinere. At vero Tragurienſis Eccleſia, itemque Pharienſis, & Tinninienſis adhuc ſuberant imperio Sigiſmundi, & ſuos habebant Epiſcopos, ut illarum monumenta apertiſſime docent. Errore igitur ſcribæ, aut librarii hæ tres eccleſiæ inter eas annumeratæ ſunt, quæ vel reipſa ſuis erant viduatæ paſtoribus, ut Corbavienſis & Macarenſis, vel ob eam cauſſam, quam attuli, tamquam ab Epiſcopis vacuæ habebantur.

Suburbium Tragurienſe mœnibus cinctum, & civitas nova dicta.

Simon e Concilio Conſtantienſi reverſus anno 1418. totam civitatem ſuſpenſam metu belli Veneti, atque ſollicitam reperit; jam enim induciæ exierant, quas anno 1413. Sigiſmundus cum Venetis in quinquennium pepigerat. Ante has inducias, dum bellum fervebat, Tragurienſes ſuburbium occidentale, ut Lucius docet, mœnibus & propugnaculis munierant, quod deinde *Civitas nova* appellata eſt. Belli redintegrandi cauſſam præbuit ipſemet Sigiſmundus, qui Ludovico Techio Patriarchæ Aquilejenſi, quo cum Veneti bellum gerebant, aliquot millia militum auxilio miſit; idemque urbem Tragurii novis operibus ac propugnaculis muniri, & præter alia minora navigia tres juſtæ magnitudinis triremes inſtrui atque armari juſſit, quæ navibus onerariis Venetorum damna ſane multa intulerunt. Porro Simon in id omni ſtudio incubuit, ut Tragurienſium fidem erga Sigiſmundum confirmaret, eoſque magno in Venetos odio accenderet, atque ad urbem celeriter muniendam, & omnia ſedulo apparanda, quæ ad defenſionem neceſſaria eſſent, adhortaretur. Verum anno

Bellum inter Venetos & Sigiſmundum redintegratum.

1420. Petrus Lauretanus Præfectus Venetæ claſſis, poſt aliquot inſulas ultro in fidem venientes receptas, Tragurium obſedit, vehementiſſime oppugnavit, & x. Kal. Julias ad deditionem compulit. Simon periniquo animo paſſus eſt urbem ſub Venetorum imperium cecidiſſe; nec vero ſibi imperare potuit, quin plura ſuæ adverſus Venetos infenſæ voluntatis indicia proderet. Quare inter conditiones deditæ receptæque urbis, quas Dux & Senatus approbavit, una hæc fuit, ut omnes quidem cives utriuſque ordinis eccleſiaſtici & laicalis, quamvis antea ab Sigiſmundo contra Venetos ſtetiſſent, in gratiam reciperentur, ac manerent in patria, *non intelligendo tamen Epiſcopum Tragurienſem, quem nolumus in civitate, nec in diſtrictu Tragurii ſtare debere, nec reditus Epiſcopatus habere, nec alios rebelles noſtros*. Itaque ab urbe & eccleſia ſua diſcedere coactus apud Sigiſmundum ſe recepit, vel certe in Slavonia, vel Hungaria exſulavit. Cum autem abſens jus epiſcopale uſurpare vellet, & nonnulla Sacerdotia, quæ in urbe vacabant, neſcio quibus contuliſſet, Dux & Senatus eos, quibus collata fuerant, admitti vetuit, omninoque prohibuit, ne quid in poſterum rei eccleſiaſticæ Tragurienſis Simon attingeret, ut conſtat ex litteris regiis Thomæ Mocenici Ducis ad Tragurienſes.

Simon Ep. a Venetis loco rebellium habitus, & urbe expulſus.

Litteræ Ducales.

Thomas Mocenigo Dei g. Dux Ven. &c. Nobilibus & ſapient. viris Luce Trono de ſuo mandato Com. Tragur. & ſucceſſoribus ſuis fidelibus dilectis &c. Fuimus informati, quod Epiſcopus Tragurien. qui ſicut ſcitis, eſt rebellis noſtri Dominii, aliqua beneficia contuliſſet in civit. Tragurii, quod nobis multum diſplicet; & propterea fidelitati veſtre ſcribimus & mandamus, quod ſi dictus Epiſcopus aliqua beneficia contuliſſet, aut in poſterum conferret aliquibus perſonis, non debeatis dictas tales perſonas modo aliquo ad dicta beneficia acceptare, quia non intendimus quod in ea, que ſpectant Epiſcopatui Tragurienſi, ullo modo debeat ſe impendere, quia eſt notorius rebellis noſtri Dominii. Dat. in noſtro ducali palatio die 4. Auguſti, Ind. 14. an. 1421.

Antequam Simon Tragurio diſcederet, aliquam pecuniæ ſummam cum aliis ſuis rebus apud Canonicum Tragurienſem depoſuerat; eam per litteras repetebat: id ſibi conſilii eſſe, ut Romam proficiſceretur, & poteſtatem a Romano Pontifice impetraret Epiſcopatus Tragurienſis abdicandi, atque in Epiſcopum Arbenſem conſanguineum ſuum transferendi. Depoſitum reddi noluerunt Tragurienſes, priuſquam Senatum admonerent, & hac ſuper re ejus voluntatem ac ſententiam exquirerent. *Dominus Simon Epiſcopus*, inquiunt Tragurienſes, *ſcripſit cuidam Canonico, ut ſibi mitteret aliquot ſuos nummos, & res, quas conſervabat, per quemdam conſanguineum ſuum; quia intendebat ire Romam, ut renunciaret Epiſcopatum Epiſcopo Arbenſi ſuo conſanguineo &c.* Quid reſponſi acceperint, mihi non eſt compertum. Porro Simon titulum Epiſcopi Tragurienſis retinuit uſque ad annum 1423. & in decreto Sigiſmundi anno 1420. IV. Idus Auguſti condito nominatur *Simon Tragurienſis*.

Ædes cathedralisac turris reſarciendæ locantur Matthæo architecto.

Interea dum ille aberat, Dragolinus præfectus ſartis tectis tuendis Baſilicæ Laurentianæ, de conſenſu Capituli, ædem hanc cathedralem ac turrim ejuſdem reſarciendam ac reſtaurandam locavit Matthæo Goyvochio architecto, & lapicidæ: utraque enim multis in locis vi-

tium fecerat, & rimas agebat ob crebros baliſtarum ictus, quibus Veneti urbem oppugnaverant. Tabulæ locationis, in quibus de opere ac mercede utrinque convenit, his verbis confectæ ſunt.

In Chriſti &c. Anno ejuſdem nat. 1421. Ind. XIV. & die Veneris 18. menſis Aprilis in Eccleſia cathedrali civit. Trag., preſentibus viro nobili ſer Michaele Mattei de Chiudis exam., Ivano Joannis Andree Cranocvich, & Deſmano Mattomanich, omnibus habitatoribus civit. Trag. teſtibus ad hec infraſcripta hab., vocatis, & rogatis. Ibique vir nob. Dragolinus Nicole de Trag. & operarius Eccleſie cathedr. Trag. pred., cum voluntate, & ſcitu, & conſenſu totius Capituli prelibate eccleſie, accordavit ſe, & convenit cum magiſtro Matteo Goycovich lapicida, habitatore ad preſens civit. Trag., prout infra ſerioſe continetur. In primis namque ipſe mag. Matteus promiſit pref. Dragolino operario pred. ornare & aptare omnes, & ſingulos lapides, qui ſunt fracti ad campanile pred. eccleſie cathedralis tam occaſione bombardarum, quam per alium modum circumquaque ipſum campanile, & aptare omnes & ſingulas fracturas quecumque ſunt ad ipſum campanile, circumquaque ipſum campanile. Item promiſit idem M. Matteus fabricare & ornare duas columnas integras, & ipſas ponere ornate & bene ad ipſum campanile ad locum, ubi ſunt nunc due columne fracte ornate, prout erant ipſe columne antequam frangerentur. Item promiſit ipſe M. Mat. dicto Dragolino operario ibidem preſ. aptare totam liſtam pred. campanilis, que eſt verſus plateam Trag. ad ipſum campanile, ita & taliter, ut ſtet bene ornata, prout ſtabat alia liſta, antequam eſſet fracta, ac etiam ipſam liſtam ſalizare bene & diligenter inter ipſum campanile, & ipſam liſtam per tantam longitudinem, quantam tenebit ipſa liſta. Item promiſit ipſe M. Mat. d. Dragolino aptare, ornare, & facere, ac ponere omnes cruces & rotas, que ſunt fracte ad ipſum campanile, & que deficiunt, ac aptare omnes angulos & fracturas ſeu rupturas, quecumque ſunt ad ipſum campanile, circumquaque ipſum campanile; & predicta omnia, & ſingula ſupraſcripta, de quibus ſupra fit mentio, debeant fieri & fabricari ad ipſum campanile ſolum a coopertura ipſius campanilis uſque ad terram. Item d. mag. Mat. promiſit aptare verſus auſtrum omnes fracturas, & ſciſſuras, que ſunt ad ſupraſcr. eccl. cathedr. verſus auſtrum, incipiendo per viam auſtri a rota ipſius eccleſie, que eſt verſus levantem, & eundo verſus ponentem uſque ad finem eccleſie pred. a latere auſtri, & non ab aliis lateribus ipſius eccleſie; promittitque etiam aptare rotam ipſius eccleſie, que eſt fracta, & que eſt verſus levantem in d. eccleſia, & omnes murellos, & feneſtras ipſius eccleſie, ac liſtas, que ſunt fracte ex latere auſtri; & predicta omnia & ſingula ſupraſcripta idem mag. Mat. predicto operario conſtruere, fabricare, ornare, & facere promiſit ad ipſum campanile, & pred. eccleſiam, ad laudem boni magiſtri & ſine macula, ad omnes ſuas expenſas; & pro hoc d. Dragol. operar. dare, conſignare, & ſolvere promiſit d. mag. Mat. ibidem preſen. & ſtipulant. lib. 604. parv., vid. lib. 200. parv. antequam d. Mag. conduxerit omnes lapides ad ipſam eccleſiam, cum quibus lapidibus dicta fabricatio debet fieri ad ipſam eccleſiam, & campanile pred., ut ſupra dictum eſt; & reſtum, vid. lib. 204. parv. poſt completionem totius operis & fabrice predicte; promiſitque dicto operario ad dictam eccleſiam & campanile, & alibi, quando fiet dicta fabricatio in ipſis eccleſia & campanili, omnes manuales dare, qui erunt oportuni ipſe mag. Mat., pro tirando lapides ſupra ipſum campanile, & faciendo dictam fabricam, & opus ad dict. eccleſiam & campanile, & non alibi, ut ſupra dictum eſt; & omnia paramenta oportuna pro arganis, & plumbum, & ferrum pro arpiſis; qui mag. Matteus pred. promiſit ipſi operario pred. compleviſſe ſolum dictum opus uſque ad unum annum proxime tunc ſecuturum immediate poſt diem prime paghe ſibi fiende de lib. primis 200. par. ut ſupra fit mentio. Que omnia ſub pena duc. 50. auri &c.

Per eadem tempora de ratione decimarum ſolvendarum villicis territorii Tragurienſis controverſia fuit cum Capitulo, quam Lucas Tronus Comes civitatis ad hunc modum compoſuit.

De ratione ſolvendi decimas decretum.

Die 26. Aug. 1421. Cum eſſet differentia inter Capitulum Eccleſie Trag. & villanos Communis de ſolutione decimarum acceptarum a dictis villanis de preſenti, quas decimas dictum Capitulum dicebat ipſos villanos ſolvere per unum modum, & ipſi villani dicebant debere ſolvere per alium modum; unde auditis omnibus, que dicte partes dicere voluerunt coram ſpect. viro D. Luca Trono Comite pred., per dictum D. Comitem determinatum fuit, & declaratum, quod decime ſolventur in hunc modum; vid. quod triturato blado, cujuſcumque generis fuerit, & exiſtente ſuper area, ille villanus, ſeu alter, qui debeat ſolvere decima, cum ſacramento juret, & jurare debeat quantum bladum ſeminavit, & illud bladum, quod juravit cum ſacramento ſeminaſſe, accipiat de toto monte bladi; inſuper accipiat tantum bladum, quantum aſcendunt expenſe, quas faciet in triturando ſolum, & non pro aliis expenſis; & ſic accepto blado ſeminato, & pro expenſis triturandi, ut predicitur, de reſiduo bladi debeantur decime; & ſi aliqua differentia eſſet inter partes de expenſis triturandi, quod tunc dict. D. Comes & ſui ſucceſſores, ſub quorum regimine dicta differentia eſſet, habeant diffinire, & diſcernere de dictis expenſis. Et hoc intelligatur de omnibus aliis debentibus ſolvere decimas de dictis, & de omni genere bladi; & quod de eo, quod ſibi acceptum fuit de preſenti anno ſolvi debeant decime per modum ſupraſcriptum, extrahendo ſemper a dictis decimis partem Communis Trag.

Tragurienſes cum a Venetis obſidionem urbis metuerent, cœnobium ſuburbanum S. Franciſci rurſus demoliti fuerant, quod hoſtibus opportunum eſſet ad civitatem oppugnandam. Fratres vero iterum recepti fuerunt in cœnobium S. Petri, & Virgines illæ Benedictinæ permiſſu Pontificis & Sigiſmundi translatæ ad proximas ædes S. Stephani. Sed poſt civitatem Venetis traditam, cum hæ ſuum monaſterium repeterent, illi demigrare juſſi ligneum domicilium ſibi conſtruxerunt; quod cum æque anguſtum & perincommodum eſſet, F. Raymundus de Viterbio Præſes provinciæ Franciſcanæ Dalmaticæ ab Duce & Senatu litteras impetravit ad Simonem Detricum Comitem Tragurii, quibus jubebatur locum opportunum cœnobio ædificando perquirere ac deſignare.

Litteræ Ducales de loco aſſignando Patribus.

Thomas Mocenigo D. G. Dux &c. Simoni de Detrico &c. Comiti Trag. &c. Scriptis noſtro Dominio Ven. F. Raimundus de Viterbio ordinis Minorum provincie Dalmatie miniſter, & ulterius

Franciſcanis ad novum cœnobium exſtruendum.

rius fecit exponi, quod ordo S. Franciſci extra muros civit. Trag. 206. annis deguit; ſed propter guerrarum diſcrimina ſepties prefatus ordo hinc inde de loco ad locum fuit translatus, & demum ad primum locum, & monaſterium iterato fuit repoſitum. Tragurini autem ſentientes dominationem noſtram terram Tragur. velle ſubjugare, ne monaſterium ipſum exiſtens extra muros eſſet cauſa, ut ibi aliqua baſtia conſtrueretur ad offenſionem Trag., antedictum monaſterium ſolo equari fecerunt; hoc, quod Fratribus ipſius Ordinis datum & aſſignatum, fuit aliud monaſterium intra terram Trag. poſitum monialium S. Benedicti, de qua conſignatione apparet publicum inſtrumentum pred. Communitatis Trag. una cum bulla Apoſtolica & regali dictis monialibus aliud monaſter. aſſignandi, & hujuſmodi aſſignationes facte fuerunt ſub hac conditione, donec pred. Fratribus alius conventus, ſeu monaſterium capax conſignaretur: modo autem videtur, quod vos feciſtis mandatum antedictis Fratribus, ut ipſum monaſterium ſibi obſignatum relinqueret, cui mandato paruerunt; unde noſtro dominio dictus miniſter & Fratres ſupplicari fecerunt, ut ipſum monaſterium, aut alium locum pro eorum domicilio, vel in primis locis, vel alibi ſibi concedere dignaremur. Nos vero volentes a vobis informari de condecenti loco, & non ſuſpecto noſtro Dominio ſibi dando, fidelitati veſtre ſcribimus & mandamus, quatenus conſilium & opinionem veſtram, ubi poſſet dari ſibi bonus locus, ubi poſſint edificare & facere monaſterium ſuum, noſtro Dominio ſcribere debeatis, dando nobis ſuper inde informationem claram, & oportunam; ut ſuper inde providere, & diſponere valeamus, ſicut cognoſcemus opus fore. Dat. &c. die 13. menſis Novemb. Indict. XIV. A. D. 1420.

Deſignatio templi Franciſcani in inſula Bua.

Itaque Tragurienſes conſilium cœperunt novi monaſterii condendi in inſula Bua Tragurio proxima, ad quam ex urbe breviſſimum tranſitum pons verſatilis præbet. Erat in ea inſula, uno fere ab civitate milliario, ædicula SS. Antonii Abbatis, & S. Paulli primi Eremitæ. Ibi cœnobium Franciſcanum & templum ſub titulo SS. Antonii & Mariæ Magdalenæ conſtruere decreverunt. Sed ante annum hujus ſæculi triceſimum ſecundum neque perfici, neque tradi potuit Patribus Franciſcanis, qui ædibus etiam S. Stephani excluſi, e quibus Virgines Benedictinæ in antiquum cœnobium S. Petri remigrarunt, decem fere annos in anguſto illo, quod diximus, ligneo domicilio habitarunt. Tunc Lucæ Scobalichio Canonico & Rectori S. Stephani ſuas ædes repetenti Thomas Mocenicus Dux Venetorum eas reſtitui juſſit, vel alteram illam domum reddi, ad quam migrare juſſus fuerat, ut ſuam Virginibus S. Petri habitandam relinqueret, cum hæc quoque illi adempta fuiſſet. Extant litteræ ducales ad Lucam Comitem ſeu Prætorem Tragurii, quæ ſunt in hanc ſententiam.

Presbytero Rectori S. Stephani ſua domus reſtitui jubetur.

Thomas &c. Lucæ Trono Comiti Tragurii. Exhibita nobis ſupplicatio per parte diſcreti Presbyteri Lucæ Scobalich fidelis noſtri & Canonici Trag. continebat, quod tempore guerræ præteritæ contra Tragurium, & reductione facta per Communitatem Tragurii de Fratribus cujuſdam monaſterii Minorum, quod erat extra Tragurium, intra civitatem, accepta fuit ipſi ſupplicanti, & data aliquibus monialibus, & nunc dictis Fratribus, quædam domus beneficii S. Stephani Protomartyris, in Tragurio poſita; & ſibi ſupplicanti, ſive vices ſuas gerenti, fuit conſignata quædam domus Communis, quæ etiam poſtea accepta fuit ſibi, & repoſita in Commune, ex quo ipſe affectans repatriare, ad præſens nullam domum pro ſua habitatione habere ſe reperit: unde requirebat cum inſtantia, vel quod ſibi redderetur domus ſui beneficii antedicti, vel quod ſibi in cambium ipſius conſignaretur ipſa domus Communis, alias ſibi exhibita; & propterea audita ſuper inde veſtra reſponſione, & prout quod eſt in effectu, quod ipſi ſupplicanti detur & aſſignetur illa domus Communis loco dictæ domus ſui beneficii, quæ alias per Communit. Tragurii ſibi fuerat conſignata, ita tamen, quod reſerveturad beneficium Communis illa canipa, quæ eſt ſub ipſa domo, & quod ipſe ſolvat annuatim cameræ noſtræ denariorum libras 24. parvorum, quot ipſe percipit ab ipſis Fratribus Minoribus pro domo ſui beneficii antedicti; cum noſtris Conſiliis rogatorum, & additionibus, eidem concedimus dictam domum ſecundum veſtrum conſilium, & parere, & ſic in dictis Conſiliis captum fuit die 2. intrante Septembris, ſicque . . . volumus inviolabiliter obſervari, facientes has noſtras litteras in actis Cancellariæ veſtri regiminis ad futurorum memoriam regiſtrari, ac ipſas poſtmodum prædicto Presbytero Lucæ Scobalich reſtituentes. Datum &c. 3. Septembris, Indictione prima 1422.

Porro Simon anno 1423. Epiſcopatum vel ſponte depoſuit, vel fato functus ſucceſſori reliquit.

MARINUS EPIS. TRAGURIENSIS XVI.

Marinus Archid. Spal. Ep. Arben., deinde Tragurienſis transfertur ad Sedem Tergeſtinam.

Hunc itidem inſula & civitas Arbæ tertium Epiſcopum Tragurienſibus dedit ex illuſtri & perantiqua familia *de Cernotis*. Cum eſſet Archidiaconus Spalatenſis, ut ex codice MS. Paulli Andronici *de Epiſcopis Tragurienſibus* conſtat, anno 1414. revocatus in patriam Epiſcopatum Arbenſem ſuſcepit; ex quo ad regendam Eccleſiam Tragurienſem translatus fuit anno 1423. nonis Maji, ut docent tabulæ conſiſtoriales, quæ ad hunc annum diemque ejuſdem translationem adſcribunt. Ille idem fuit, cui Simon de Dominis, cum ſibi conſanguinitate junctus eſſet, Epiſcopatum Tragurienſem tradere decreverat, ut ſupra dictum eſt. Cum præfuiſſet annum unum & ſeptem menſes, Martinus V. ei decrevit Eccleſiam Tergeſtinam anno 1424. III. Id. Decembris, ut eſt in tabulis conſiſtorialibus; de quo Ughellus in Epiſcopis Tergeſtinis: *Marinus de Coroninis Arbenſis ex Epiſcopo Tragurienſi factus eſt a Martino V. hujus ſedis Antiſtes anno* 1424. In margine ab Editore Veneto Italiæ Sacræ appoſita eſt hæc nota: *al. de Cernotis*. Ex hoc duplici cognomine orta eſt controverſia, utrum utri præferendum ſit. Hinc alii *Coroninæ*, alii *Cernotæ* familiæ Marinum noſtrum adſcribunt. Rodulphus Coroninus Sac. Rom. Imp. Comes de Cronberg, adoleſcens ingenio præſtanti, eruditione multiplici, dum Viennæ in Collegio Tereſiano optimarum artium ſtudiis operam dabat, anno 1753. litteris ad me humaniſſime ſcriptis, vitam Marini primum Tragurienſis, deinde Tergeſtini Epiſcopi intexuit, *ex autographis Coroninianæ familiæ documentis*, (*quorum non exigua pars*, inquit, *in tentaminis noſtri genealogico-chronologici Comitum & rerum Goritiæ editione ſecunda exhibebitur*) *impro-*

Ejus vitam Rodulphus Comes Coroninus descripsit.

bo fere labore textam. . . . . , ex qua nullo propemodum labore quorumdam recentiorum auctorum errores confutantur, Ughellique sententia magis, magisque roboratur. Auctor hujus vitæ Marinum Cernotæ Arbensi familiæ ademptum, Coroninianæ Italicæ familiæ inseruit. Utri debeat attribui, aliorum esto judicium. Nequit tamen dubitari, quin Ecclesiæ Arbensi præfuerit, antequam Traguriensis regimen susciperet: id quod tum ab Ughello, tum in hac vita prætermissum, aperte declarant tabulæ consistoriales. 1423. *nonis Maji. Provisum est Ecclesiæ Arbensi per translationem Marini ad Tragurien-sem, de persona Fratris Francisci &c.* Vitam Marini a nobilissimo ac litteratissimo adolescente descriptam, graviter sane & erudite, eleganterque, dignam censui, quam eruditorum virorum judicio, & approbationi subjicerem.

Marinus Albæ Pompejæ (Albi) Montis Ferratensis territorii in Italia circa annum CIↃCCCLXXX. natus, patrem habuit Ludovicum Coroninum, Dominum seu Marchionem de Corona: matrem Catharinam, quam nonnulli Isembardam appellarunt, sed nullum hujusce cognominis in nostris archivis extat monumentum. Marini frater natu major, ut opinor, Cyprianus fuit: soror Anna, uxor subinde Hieronymi della Torre, seu de Turri, cujus Comenses Fasti meminerunt. Marinus ubi primum adolevit, fatis viam sternentibus, Alba Coronam, Corona Florentiam, inde delatus Romam, ubique ob vitæ probitatem, morumque suavitatem, atque modestiam, summam existimationem, & sui nominis reliquit desiderium. Cum in urbe Theologiæ operam daret, non tantum condiscipulos, sed ipsos etiam professores ingenii sui perspicacia, atque judicii maturitate, quibus mira accedebat eloquentia, dicitur superasse. Hinc non illepide in suis manuscriptis Commentariis Ludovicus Vincentius Coroninus, Comes de Cronberg, qui priori sæculo Goritiæ Comitatui summo cum Præsidis jure præfuit: „ Due Vescovi di Trie-„ ste furono della casa Coronina, l'uno chia-„ mato Marino, il quale fu prima Vescovo di „ Tragurio nella Dalmazia, l'altro nominato „ Pompeo, promosso a quella cattedra dal Ve-„ scovato di Pedena nel Contado di Miterpur-„ go. Tanto Marino, quant' anche Pompeo „ furono uomini dottissimi, e nel primo pare „ a fallar il testo della Scrittura: *Non est di-„ scipulus supra magistrum:* mentre si dice, che „ lui nella sua gioventù studiando a Roma „ la Teologia abbia superato i suoi Maestri. *Egressus, cum jam Presbyter ordinatus esset, e theologicis disciplinis Marinus, pleraque tempora in curanda animarum salute agere cœpit, de rebus divinis frequenter verba facere, pro sacro tribunali assidere, peccatores ad pœnitentiam hortari, egenos sublevare, ægros visitare, orationi aliisque sacris officiis diu noctuque incumbere, ceteris bono exemplo præire, maxima facere, minima ipse de se loqui. Quibus rebus effecit, ut, etsi omnes virtute superaret, omnibus tamen carus esset: sed maxime Romano Pontifici, a quo etiam in ipso ætatis flore, cum nondum trigesimum tertium annum attigisset, Tragurien-sis in Dalmatia Episcopus salutatus est. Quanta vigilantia, prudentia, atque dexteritate rebus ibidem ecclesiasticis præfuerit, vel inde cognoscas, quod ab Apostolica Sede, cui uni probari vincit elogium omne, ad Tergestinam Insulam anno CIↃ-CCCCXXIV. XI. Kal. Januarii promotus fuerit, uti veteres urbis illius Annales prodiderunt. Sed cum obsistentibus civibus, cleroque Marinus sibi demandatam non posset adire sedem, Martinus Papa, ut auctor est Ughellus, non modo clerum, sed populum ipsum suspendit, exilioque mulctavit intrusum, donec ex auctoritate Romani Pontificis attributo Pastori sibi parendum esse arbitrarentur. Decessit autem Marinus anno CIↃCCCCXLI. postquam Ferrarien-si Synodo (in cujus decretis apud Labbeum & Cossartium Tom. XVIII. pag. 893. ejus occurrit memoria) interfuisset anno CIↃCCCCXXXVIII.*

Quæ hactenus de Marini Tragurien-sis olim ac Tergestini Antistitis cognomine atque prosapia protulimus, egregie sane confirmat autographum Tabularii nostri Cusca-ni diploma, quo anno æræ vulgaris CIↃCCCCLX. Pompeus, seu Pompejus, & Rizardus Coronini, Marchiones de Corona, ipsius Marini nepotes, Antonium Brolandum subditum suum notarium publicum constituerunt. Diplomatis tenor est sequens. „ Nos Pompeus & „ Rizardus Marchesii de Corona omnibus hanc „ paginam inspecturis notum facimus & mani-„ festamus, qualiter ad nos venerit dilectus no-„ ster subditus Antonius Brolandi de Corona, „ filius quondam Andreæ Brolandi de Corona „ viri præstantissimi, & de familia nostra opti-„ me meriti. Qui Antonius Brolandi de Co-„ rona per multos annos in civitate Paviæ suas „ scholas cum summo decore, & summa laude „ frequentavit, atque finivit: & ideo a nobis „ impetravit, ut nos, data ab Eugenio Papa „ parenti nostro pie defuncto Cypriano, ejus-„ que fratri Marino Episcopo quondam Tri-„ gestino, omnibusque Coroninis Dominis & „ Marchesiis, eorum hæredibus, & succesori-„ bus, facultate, auctoritate, atque potentia, „ ipsum notarium publicum creamus, utque ab „ omnibus pro tali agnoscatur præsenti pagi-„ na, consueto nostro sigillo munita, volumus, „ decernimus, atque mandamus. Quod si quis „ ex nostris subditis, nostram hanc constitu-„ tionem infringendo, prædictum subditum no-„ strum Antonium Brolandi de Corona pro „ notario publico agnoscere detrectaverit, duo-„ decim Marcharum argenti pœnam, nobis sol-„ vendam, se incurrere sciat, quam si octo „ dierum intervallo adferre, aut deponere non „ potuerit, tam diu in nostro carcere clausus „ manere debebit, donec illam pœnam inte-„ gram & totam persolvat, atque deponat. Si „ vero alienæ ditionis, aut jurisdictionis, aut „ territorii incola, & subditus, nostro huic sta-„ tuto atque mandato contraveniendo, præ-„ dictum Antonium Brolandi de Corona jure hoc „ suo, debite & efficaciter a nobis accepto, ac „ impetrato, uti atque frui non permiserit, „ vi diplomatis & Bullæ felicis memoriæ quon-„ dam patri nostro Cypriano, ac patruo no-„ stro Marino Episcopo Trigestino, omnibus-„ que Coroninis Dominis, atque Marchesiis, „ eorum hæredibus, & succesoribus conces-„ Bononiæ ab Eugenio Papa, supremo in ter-„ ris Christi Vicario anno Incarnationis Do-„ minicæ millesimo quadringentesimo tricesimo „ & octavo, indignationem omnipotentis Dei, „ & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus „ se noverit incursurum. Datum Coronæ in „ domo nostræ habitationis, anno Incarnationis „ millesimo quadringentesimo & sexagesimo. „ *A dexteris Pompejus, Rizardus a sinistris, Marchiones de Corona, sese propria, ut ego arbitror, manu subscripserunt. Sigillum cereum in*

me-

medio e zona pendens Bubonem, insigne gentilitium Marchionum de Corona, exhibet, cum epigraphe: Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Quæ cum ita sint, aut omnes recentiores scriptores hallucinantur, Marinum nostrum de Carnotis nuncupando; aut, quod omnino ab omni probabilitate non abhorret, Marinus de Coroninis vulgo permutante litteras de Carnotis dictus est; aut denique, ut Bauzerus existimavit, Marinus Carnotarum villæ possessor, sese Coroninum de Carnotis appellavit.

THOMAS EP. TRAGURIENSIS XVII.

Thomas Thomasinus ex Ordine S. Dominici.

Familia Thomasina sive Thomasia inter Hetruscas Florentinas sive Lucenses copiosa & nobilis, anno 1309. patria ob civiles seditiones expulsa, Venetias se recepit. Ex ea ortus est Thomas patre Facio Thomasino, inter Venetos cives clarissimo, matre Joanna Contarena, lectissima femina ex gente Veneta patricia: duas sorores habuit natu minores, Elisabetham, & Andreolam, quæ Venetiis in collegio sacrarum Virginum Corporis Domini, institutum Dominicanum amplexæ, Deo se in perpetuum devoverunt. Cum frater itidem eamdem vitæ monasticæ rationem ad normam & præscriptum S. Dominici antea suscepisset, e bonis paternis, quorum hæredes erant, cœnobium illud ventorum turbine dejectum restituerunt. Nondum e pueris excesserat, cum parentes morte præreptos amisit, qui Marcum Parutam patricium Venetum, & fortasse consanguineum suum, tutorem liberis testamento instituerunt. In hujus domo cum sororibus peramanter altus, & liberaliter pieque educatus pueritiam exegit. Eum ipsemet Thomas in suis tabulis supremis suum *Nutritorem* vocavit: *Dominus Marcus Paruta nutritor noster;* & præterea grati adversus eumdem piique animi causa, alias paterno, alias tutoris sui cognomine utebatur; hinc factum est, ut apud scriptores modo *Paruta*, modo *Thomasinus* cognominatus fuerit. In codice Quæstionum theologicarum, quem Oxonii in Anglia sua manu scripsit, & Bibliothecæ monasterii Veneti SS. Joannis & Paulli addixit, primum quidem se ipse *Thomasinum*, deinde *Parutam* cognominavit: *Iste liber est conventus SS. Jo. & Pauli de Venetiis Ord. Præd. ex dono Reverendiss. Patris Domini Thomæ Thomasino de Venetiis filii dicti conventus . . . Completa Oxonii feria 2. post festum Trinitatis hora prima anno Domini* 1402. *per pauperem Fratrem Thomam Paruta de Venetiis studentem.* Ineunte igitur adolescentia in Ordinem S. Dominici nomen dedit anno 1392. & post tirocinium in cœnobio Veneto supra laudato peractum, in omni genere doctrinarum floruit, quibuscum eximiam sanctitatem ac prudentiam conjunxit; de quo Ambrosius Altamura in Bibliotheca Dominicana: *Thomas Thomasinus vir doctrinæ, prudentiæ, aliarumque virtutum celeberrimus studuit in Anglia & Parisiis. Legit in conventu SS. Joannis & Pauli Venetiis; in conventu vero S. Augustini Patavino fuit Biblicus . . . Erat Thomas origine Tusca, ex ea gente Thomasa nuncupata, quæ cum aliis nobilibus familiis Florentia pulsa Venetias se recepit.* Eum Ecclesiæ Civitatis novæ in Istria, quam Æmonienſem vocant, Episcopum præfecit Gregorius XII. anno 1410., cujus partes constantissime quoad licuit secutus est. Interfuit Concilio Constantiensi, in quo cum Gregorius insignia pontificalia sponte deposuisset, nihilo minorem fidem atque obedientiam præstitit Martino V. qui ob insignem viri sapientiam & sanctitatem, eum ad Ecclesiam Polensem longe opulentiorem ac nobiliorem transtulit anno 1420. Qui Sedem episcopalem toties mutaverit, vix alium invenies. Anno 1423. Polensem Episcopatum ejusdem Pontificis auctoritate jussuque cum Urbinate commutavit; anno autem sequenti Ecclesiæ Tragurien-sis regimen suscepit.

Episcopus Civitatis novæ, deinde Polensis, tum Urbinas, postea Tragurienſis.

In tabulis Tragurienſibus sæpissime eum nominatum invenio. Anno 1426. legem promulgandam, ac Statutis Tragurienſibus inserendam curavit, qua cavetur, ne quem sumptum præfecto fabricæ Laurentianæ facere liceat sine approbatione Episcopi, & Capituli. *In Christi nomine, amen. Anno* 1426. *die* 20. *Febr. in Ecclesia majori Sancti Laurentii in presentia Reverendissimi in Christo Patris & D. D. Thome Dei & Apostolice Sedis gratia Episcopi Trag. & magnifici viri D. Jacobi Barbadico pro illustrissimo Ducali Dominio Veneto Comite Tragurii &c.* Cum cœnobium S. Joannis Baptistæ, jampridem suo ac proprio cœnobiarchæ ademptum, viris ecclesiasticis vel Episcopis, vel Cardinalibus commendari soleret; Martinus Pontifex, fortassis rogatu Thomæ, suum illi Abbatem ex Ordine Benedictino restituit, ut est in tabulis consistorialibus: *Anno* 1425. 2. *Nonas Junii provisum est monasterio S. Joannis Baptistæ de Tragurio, vacanti per revocationem commendæ, seu renunciationem Cardinalis de Ursinis, assignatis eidem Cardinali super fructus dicti monasterii annuatim* 50. *florenis de camera, de persona F. Petri de Venetiis ejusdem Ordinis, diœcesis Castellanæ.* Dum Thomas Ecclesiæ Tragurienſi præesset, Eugenius IV. eum in Italiam evocatum Rectorem Foro Livii præfecit, ut docet Chronicum Forolivienſe: *Anno* 1431. *die ultima Augusti, die Veneris intravit Forlivium hora XXII. pro Gubernatore & Domino Frater Thomas Ordinis Prædicatorum dictus de Venetiis Episcopus Tragurienſis; & hoc omni solemnitate, & beneplacito civium ex parte Domini Papæ Eugenii IV. pro sancta Romana Ecclesia.* Sed quadriennio post per invidiam & seditionem popularem expulsus est, cum *de civitate & civibus optime meritus esset*, ut scripsit Ambrosius Traversarus Præpositus generalis Ordinis Camaldulenſis in suo Hodoeporico; *Sola*, inquit, *vulgi mobilitas, & inconstantia, cupiditasque rerum novarum avaritiæ conjuncta in causa fuit.* Præfectura Forolivienſi perfunctum Eugenius constituit administratorem perpetuum cœnobii Veneti S. Salvatoris.

Thomas Gubernator Fori Livii, & administrator cœnobii Veneti S. Salvatoris.

Thomas annos fere undecim Ecclesiam Tragurienſem, partim per se ipse præsens, partim absens per suos Vicarios sapienter & summa cum laude gubernavit; atque ut in aliis ecclesiis, quibus præfuit, sic etiam in hac jura & bona ecclesiastica diligentissime defendit, & ab iniquis possessoribus atque aggressoribus vel repetiit, vel intacta servavit. *Fuit Thomas*, ut scripsit Altamura, *jurium suæ ecclesiæ propugnator acerrimus.* Nullam Sedem episcopalem diutius, quam Tragurienſem, retinuit

Eugenius IV. an. 1432. Patribus Franciscanis potestatem fecit recipiendi templi ac cœnobii, quod Tragurienses in Bua insula illis extruxerant, vel extruere decreverant. *Diximus*, ait Vadingus sub anno 1432. *alias in urbe Tragu-*

rienſi extructum fuiſſe domicilium. Sub hoc autem tempus propter bellorum turbines & periculum, quod ex cœnobio in loco excelſo ſupra urbem ſito imminebat, dirui curarunt cives, habitantibus interea Fratribus in domuncula lignea magno ſuo incommodo. Decrevit itaque magiſtratus & populus aliud ædificare in inſula Bua prædictæ urbi proxima, & per pontem adhærenti; ſed Obſervantibus tradere, & in uſum eorumdem reditus, & prædia, quibus prior conventus gaudebat, diſtrabere: quorum votis Pontifex hoc anno ſubſcripſit. Eugenianum vero diploma eſt hoc.

Ut monaſterium in Bua inſula Fratribus S. Franciſci ædificaretur, Tragurienſes decreverunt, & Eugenius IV. conceſſit.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad futurorum memoriam. Sedis Apoſtolicæ benignitas illis ſupplicantium votis reddere ſe propitiam conſuevit, quæ ad conſervationem eccleſiarum, cultumque divinum, nec non honeſtatem religionis videntur pertinere. Sane quidem dilecti filii Nicolai de Tragurio ordinis Minorum, quæ de obſervantia nuncupantur, porrecta nobis petitio continebat, quod cum alias monaſterium Fr. Minorum, ſitum penes portam civitatis Tragurii, dirutum ac demolitum fuerit turbine guerrarum, nec poſtea ſit ædificari permiſſum, ne quaſi .... emineat ipſi civitati; Fratres, qui in dicto monaſterio habitare conſueverant, redacti in quadam domuncula lignea, ſita in populi frequentia, habitare coguntur, contra religionis normam, & debitum honeſtatis; unde dilecti filii Univerſitas & Commune ipſius civitatis Tragurii in inſula Bua, non aliter, quam per pontis tranſitum diſtante a civitate, convenientem locum, & terræ ſpatium deputarunt Fratribus Minoribus de obſervantia nuncupatis, ut ibi nova eccleſia, & monaſterium ædificari poſſit, ſi id noſter, & Apoſtolicæ Sedis conſenſus accedat. Præterea quia nonnulla bona mobilia & immobilia præfato monaſterio demolito, ſive eccleſiæ & capellis ejuſdem applicata fuerant; idcirco fuit nobis humiliter ſupplicatum, quatenus ea bona mobilia, ſpectantia ad cultum Dei, & uſum Fratrum ipſorum, ad uſum divini cultus, & Fratrum novi monaſterii debeant tradi, & conſignari; bona vero immobilia, poſſeſſiones, & prædia vendi debeant per inſtituendos ad hoc procuratores, ipſarumque pretium cum omnibus debitis & legatis fabricæ hujuſmodi conſtruendi monaſterii debeant applicari, concedere eiſdem Fratribus de obſ. apoſtolica auctoritate dignaremur; quodque in inſula Bua præd. monaſterium, ſive conventum ord. Min. conſtruere & ædificare poſſint cum eccleſia, capellis, campanili, & campanis, cœmeterio, domibus, hortis, & aliis neceſſariis officiis, cum indulgentiis, exemptionibus, immunitatibus, & privilegiis, aliis locis, ſive conventibus ord. Min. Vicariæ Boſſinæ ab Apoſtolica Sede conceſſis, vel impoſterum concedendis, remanentibus capellis Beatæ V. M. & Beati Franciſci cœmeteriis, & aliis, quæ de priori monaſterio remanſerunt, ſub cura cleri majoris Eccleſiæ Tragurien. Nos quidem, quos reformatio eccleſiarum, & divini cultus cura ſollicitat, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, præfatis Fratribus ord. Min. de obſervantia bona quælibet mobilia, quæ fuerunt prioris monaſterii, vel conventus, ad uſum divini cultus, & dictorum Fratrum novi monaſterii aſſignandi, & deputandi, & poſſeſſiones, & prædia, aliaque immobilia bona, cujuſcumque conditionis exiſtant, per procuratores inſtituendos vendendi, & pretium cum omnibus aliis denariorum & bonorum quantitatibus percipiendis ex debitis, & legatis, & aliter quomodocumque ad fabricam novi monaſterii tribuendi, & applicandi, nec non in inſula Bua præd. diœceſani, vel alterius ſuper hoc licentia, vel aſſenſu minime requiſitis, in loco convenienti & honeſto monaſterium fundandi, conſtruendi, & ædificandi, cum eccleſia, capellis, campanili, & campanis, cœmeterio, domibus, hortis, & aliis neceſſariis officiis, & ipſa ad uſum dictorum Fratrum habendi, & perpetuo retinendi, tenore præſentium facultatem auctoritate apoſtolica concedimus. Volentes inſuper auctoritate præmiſſa, ut præfatum monaſterium, conventus, & eccleſia conſtruenda, cum omni ſuo ambitu, capellis, locis, & perſonis, omnium indulgentiarum, exemptionum, immunitatum, & privilegiorum, per Romanos olim Pontifices prædeceſſores noſtros ſub quavis verborum forma conceſſarum conventibus & monaſteriis Vicariæ Boſſinæ, aut concedendarum in futurum, gratia, & beneficio potiantur, quodque capella Beatæ Virginis Mariæ, & B. Franciſci, cum cœmeterio, & aliis, quæ ex demolito & diruto priori monaſterio remanſerunt, ſub cura cleri majoris, ſive cathedralis Eccleſiæ Tragurien. remaneant. Conſtitutione felicis recordationis Bonifacii Papæ octavi prædeceſſoris noſtri prohibente, Fratres ordinum mendicantium in aliqua civitate, ſeu loco quocumque de novo acceptare domos, vel loca quæcumque ad habitandum, ſine Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, non faciente plenam & expreſſam de inhibitione hujuſmodi mentionem, & aliis conſtitutionibus, & ſtatutis, ac litteris apoſtolicis, etiamſi de iis eſſet de verbo ad verbum mentio ſpecialis habenda, & conſtitutionibus vel privilegiis dicti ordinis, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel alia quacumque firmitate roboratis, aliiſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam &c. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo, XIV. Kal. Julii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Fratres Franciſcani novum in inſula Bua cœnobium adepti omni moleſtia & injuria prohiberi jubentur ducali diplomate.

Vix Patres Franciſcani poſſeſſionem cœnobii ac templi ſibi traditi adierant, cum illis moleſti eſſe infenſique cœperant tum Fratres alterius ordinis Franciſcani, quos Conventuales vocant, tum vero alii, qui eum locum his, quam illis tradi maluiſſent. Qua de re queſtus cum eſſet apud Ducem & Senatum Fr. Nicolaus de Tragurio præſes novi cœnobii, Franciſcus Fuſcarus Dux Venetorum, litteris datis ad Comites & prætores civitatum Dalmatiæ, jubet eos Fratri Nicolao, ejuſque ſociis, & ceteris omnibus ejuſdem ordinis ac diſciplinæ Fratribus, auxilium & favorem impendere, eoſque ab omni injuria & moleſtia ſartos tectos tueri.

Franciſcus Foſcari Dei gratia Dux Venetiarum &c. Univerſis, & ſingulis nobilibus, & ſapientibus viris Comitibus, capitaneis, & caſtellanis tam Jadræ, Sibenici, Spalati, Tragurii, Catari, quam ceterarum terrarum & locorum noſtrorum Dalmatiæ, & Iſtriæ, ceteriſque rectoribus & officialibus noſtris dictarum partium, eorumque ſucceſſoribus, ad quos præſentes pervenerint, fidelibus dilectis, ſalutem & dilectionis affectum. Expedit plerumque, ut ſancta religio, quæ a bonis & veris Chriſticolis non immerito veneratur, etiam ſolito ſubſidio brachii ſæcularis ab inquietationibus, & moleſtiis indebitis tueatur. Cum igitur Venerabilis vir F. Nicolaus de Tragurio, Guardianus monaſterii Sanctorum Antonii & Ma-

& Mariæ Magdalenæ, ſiti in inſula Bua prope Tragurium, ord. Min. de obſervantia S. Franciſci, ſicut fide digno teſtimonio accepimus, ſit exemplaris vitæ & famæ laudabilis, adeo ut toti Dalmatiæ ex ejus vitæ honeſtate ſit gratus, & proinde ab ejus & ſociorum ſuorum æmulis ſæpius comminationes, & perſecutiones, plerumque autem expreſſas violentias patiatur, quæ nullo modo toleranda cenſemus, maxime inſpecto tenore Bullarum Apoſtolicarum, quæ nobis præſentatæ continent, Fratres dicti ordinis Minorum de obſervantia . . . immunes, & ipſis nullo modo ſubjectos. Propterea fidelitati veſtræ, & veſtrorum cuilibet efficaciter ſcribimus, & mandamus, quatenus præfatum Fr. Nicolaum, ac ejus ſucceſſores, ac ſocios, & Fratres ſuos in dicto monaſterio, & quibuſcumque locis de obſervantia, & etiam extra ipſa loca per aliquem, qui eſſet Guardianus, Vicarius, aut officialis, Frater, vel nuncius Fratrum conventualium S. Franciſci, non permittatis inquietari, perturbari, rapi, vel aliqualiter moleſtari in perſona, ſeu rebus; etſi dicti conventuales a noſtro dominio habent, & habebunt litteras ſui officii, quæ ſpecialem non facerent de ipſis mentionem, vel aliter ſub quacumque forma verborum, quas juxta mentem apoſtolicæ Sanctitatis extendi volumus tantummodo contra alios Fratres conventuales, & non contra illos de obſervantia. Quinimo potius debeatis eiſdem Fratribus de obſervantia dare, & præſtare, ac dari, & præſtari facere omnem honeſtum, & poſſibilem favorem, tuitionem, atque tutelam, ut in ſuis locis ad divinum cultum de cetero vacare poſſint, & pro noſtro ſtatu orare Deum noſtrum, & quandocumque pro quærendis eleemoſynis, aut aliis neceſſitatibus ſuis pergunt, ubique bene tractentur, & ab incolarum offenſionibus præſerventur illæſi. Vos de executione hujus noſtræ intentionis, ſicut ſperamus, taliter geremini de bona obedientia, ut apud noſtrum dominium veniatis merito commendandi.

Dat. in noſtro Ducali Palatio die 23. menſis Februarii, Indict. XI. milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo; more Veneto, communi autem more 1433. quocum cohæret Indictio undecima.

Joannes Lucius tradit lib. VI. cap. V. Monum. Tragur. idque confirmant veteres tabulæ, eodem ſæculo decimo quinto cœnobium ſuburbanum S. Franciſci tertio reædificatum fuiſſe, quod tertio itidem dirui oportuit ob metum belli Turcici anno 1537. Sed hoc vel traditum fuit Franciſcanis conventualibus, vel ſi reſtitutum fuit Franciſcanis ſeverioris inſtituti antiquis poſſeſſoribus, cum hi deinde loco ceſſiſſent, in eorum ſedem hanc ſuburbanam Conventuales ſubierunt. Nam poſt tertiam ejuſdem cœnobii demolitionem monumenta ſæculi decimi quinti illud a Fratribus conventualibus S. Franciſci habitatum fuiſſe declarant.

Thomas cum aliis quatuor Concilio Baſileenſi præſidere juſſus.

Eugenius IV. poſt redintegratam cum Baſileenſibus concordiam, quatuor S. R. E. Cardinales legatos ad Concilium Baſileenſe decreverat; ſed cum hi variis & graviſſimis negotiis diſtenti Baſileam ſtatim proficiſci non poſſent, interea ſuo & Sedis Apoſtolicæ nomine Concilio præſidere juſſit Thomam Epiſcopum Tragurienſem cum aliis quatuor Præſulibus, ad quos haſce litteras dedit.

Epiſtola Eugenii IV.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio magiſtro Jo. de Mella notario ac referendario, & venerabilibus fratribus Johanni Archiepiſcopo Tarentino, Thomæ Epiſcopo Tragurienſi, necnon dilectis filiis Ludovico S. Juſtinæ, & Nicolao S. Mariæ de Moniacis Apoſtolicæ Cameræ auditori, monaſteriorum Abbatibus S. & A. B.

Cum ex certis rationabilibus cauſis de venerabilium fratrum noſtrorum conſilio decreverimus, ut generale Concilium in civitate Baſileenſi per legatos noſtros noſtro & Apoſtolicæ Sedis nomine præſidentes celebretur, non obſtante diſſolutione alias per nos facta, prout in noſtris litteris ſuper inde ſub data XVII. Calendas Martii confectis plenius continetur: cumque aliqui ex præfatis præſidentibus, ut præmittitur, deputatis, videlicet venerabilis frater noſter Jordanus Epiſcopus Sabinenſis, & dilectus filius Angelotus tituli S. Marci Presbyter, S. R. E. Cardinales & Apoſtolicæ Sedis legati, ob multa in his partibus incumbentia, ſine magnis incommodis & ſuſpicione maximi detrimenti ipſarum partium, ac etiam propter adventum cariſſimi filii noſtri Sigiſmundi Romanorum regis illuſtris ad almam urbem, ob quem ipſorum Cardinalium præſentia nobis plurimum neceſſaria exiſtit, uſque in præſentem diem non potuerint iter ſuum ad dictam civitatem Baſileenſem arripere: conſiderantes quoque contingere poſſe, quod venerabilis frater noſter Petrus Albanenſis Epiſcopus, & dilectus filius Nicolaus tituli S. Crucis in Jeruſalem Presbyter, S. R. E. Cardinales, etiam legati & præſidentes per nos deputati, ex bonis & honeſtiſſimis cauſis forſitan necdum finitis, adhuc plurimum occupati, pari modo ad dictam civitatem Baſileenſem venire tardarent: nolentes ex his ipſum Concilium aliqualiter retardari, ſed potius quæcumque ad reformationem morum, extirpationem hæreſum, concordiam, pacem, & unitatem, necnon commodum & augmentum religionis & reipublicæ chriſtianæ pertinent, veluti ſemper optavimus, indilate promoveri, & ad deſideratum finem perduci; vos, ſeu illos ex vobis, quos in dicto Concilio pro tempore contigerit intereſſe, fide, bonitate, & prudentia præclaros, ac in magnis noſtris & præfatæ eccleſiæ negotiis longa experientia comprobatos, ad præſidentiam ejuſdem Concilii noſtro & Sedis Apoſtolicæ nomine, loco dictorum Cardinalium, & in ipſorum abſentia, de prædictorum fratrum noſtrorum conſilio deputamus, cum poteſtate ipſum celebrandi, ſecundum quod in litteris prædictis ſub data XVII. Calendas Martii ſtatuimus, necnon continuandi, promovendi, tractandi, ordinandi, diſponendi, decernendi, concludendi, & exſequendi omnia & ſingula, de quibus in litteris noſtris ſuper deputatione, præſidentia, & poteſtate præfatis Cardinalibus conceſſa ſeu conceſſis ſub data Kal. Martii, anno II. confectis, & quemadmodum per dictas litteras præfatis Cardinalibus dedimus in mandatis, plenius continetur, ratum & gratum habituri, quidquid ſuper præmiſſis per vos ſeu illos ex vobis, quos in dicto Concilio pro tempore intereſſe contigerit, juxta facultatem per dictas litteras præfatis Cardinalibus, ut præmittitur, conceſſam ordinatum, ſtatutum, deliberatum ac decretum fuerit & concluſum; idque faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Quocirca circumſpectioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus injunctum vobis miniſterium laboris hujuſmodi pro Dei ac Sedis Apoſtolicæ reverentia ſuſcipientes, illud in omnibus, & ſingulis ſupradictis, juxta datam vobis a Domino prudentiam,

omni

omni induſtria exequamini, quo fructus optati proveniant, quos ſperamus. Super quibus omnibus, & ſingulis ſupra præmiſſis plenam & liberam auctoritate apoſtolica vobis concedimus facultatem. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXIII. Nonis Maji, Pontificatus noſtri anno III.

Hæc epiſtola extat in Tom. VIII. Collect. D. Martene & Durand. in variis ad Concil. Baſil. pag. 164.

Thomas Ep. translatus ad Recinetenſē & Maceratenſem, deinde ad Feltrenſem & Bellunenſem Eccleſias.

Anno 1435. Eugenius IV. Thomam Maceratenſi & Recinetenſi, quinquennio poſt Feltrenſi & Bellunenſi Eccleſiis ſimul conjunctis Epiſcopum dedit. His duabus poſtremis eccleſiis cum præeſſet, inſigne ſuæ adverſus Tragurienſem liberalitatis, memoriæque gratæ ac beneficæ documentum edidit: ei quippe dono miſit pretioſas ſupellectiles, veſteſque ſacerdotales, ut conſtat ex tabulis donationis, quæ ſunt hujuſmodi.

Ejus in Eccleſiam Tragurienſem liberalitas.

Nos Thomas Dei gratia ac Apoſtolicæ Sedis Feltrenſis & Bellunenſis Epiſcopus atque Comes, olim vero Tragurienſis, ex ſingulari devotione, quam gerimus ad dictam Eccleſiam Tragurienſem, cui circa undecim annos præfuimus, libere, ſponte, & ex mera devotione dictæ eccleſiæ donavimus inter vivos unum paramentum fulcitum de zetani Cremenſi raſo, ſcilicet pluviale, planetam, Dalmaticam, & ſtrictam cum friſiis recamatis, cum diverſis hiſtoriis vitæ D. N. Jeſu Chriſti, & Beatæ Mariæ. Gramite vero, & friſeti ſunt texti de auro fino, & pluviale & planeta ſunt ſuffulta de taffeta cremeſi, Dalmatica vero & ſtricta ſunt ſuffultæ de tela rubea.

Item unum aliud paramentum completum de panno ſerico albo damaſchino, ſcilicet planetam, Dalmaticam, & ſtrictam cum gramitis de panno aureo fino, & habet friſum recamatum cum figuris &c.

Item duo pluvialia de zetani velludato viridi figurato, cum friſiis recamatis diverſis hiſtoriis vitæ Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Item duo pluvialia de damaſchino albo cum friſiis de ſindone de grana torto recamata cum figuris &c.

Item unum paramentum fulcitum de damaſchino nigro brocato cum roſis aureis & floribus rubeis, ſcilicet planetam, Dalmaticam, & ſtrictam cum friſiis & gramitis de auro de Colonia in campo rubeo.

Item unum pluviale de damaſchino turchino cum friſio lato intexto auro de Colonia in campo rubeo.

Item ſex Albas cum diverſis gramitis, & duabus ſtolis cum tribus manipulis de zetani velludato viridi.

Item unum pluviale de damaſchino turchino cum friſio lato de auro de Colonia intexto azurro.

Hæc autem omnia paramenta volumus, quod ſint præfatæ eccleſiæ hiis conditionibus, quod ſint ad perpetuam uſuram ipſius eccleſiæ cathedralis, nec poſſint quovis modo vendi, alienari, nec impignorari, nec quocumque extra mutuari; ſed quouſque vixerit Ven. vir noſter dilectiſſimus filius Presbyter Marinus Zuſdinich Canonicus dictæ Tragurienſis Eccleſiæ, aut aliqua ex ejus germanis, quæ ſingularem devotionem habent ad ipſam eccleſiam, una cum dicto germano ſuo conſervent, & bene cuſtodiant ornamenta ipſius eccleſiæ, ſint dicta paramenta ſub cuſtodia & conſervatione ipſorum germanorum, & ſororum, excepto quod ſi quando factum fuerit decens armarium in dicta eccleſia pro conſervatione horum & aliorum paramentorum ipſius eccleſiæ, ſi dicto Presbytero Marino videbitur, tunc ponantur in dicto armario. Si vero ſibi non videbitur, ſint ſub ipſius, germanarumque ſuarum cuſtodia, quouſque vixerit.

In quorum omnium teſtimonium præſentes litteras per infraſcriptum Cancellarium noſtrum ſcribi fecimus, & noſtri rotundi ſigilli, quo utebamur, dum eſſemus Urbinas Epiſcopus, juſſimus impreſſione ſignari.

Dat. Venetiis in domo noſtræ ſolitæ reſidentiæ ad præſens, Anno Domini MCCCCXLIII. die XIIII. Julii, ſexta Indictione, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N. Domini Eugenii divina providentia Papæ Quarti XIII.

Marcus a Tomaſino notarius & præfati Reverendiſſimi Dom. Epiſcopi & Comitis Feltrenſis & Bellunenſis ſcriba & cancellarius de mandato.

Ferdinandus Ughellus in Epiſcopis Urbinatibus obitum Thomæ conjunxit cum anno 1445. ſed rejiciendum eſſe in annum proximum docet inſcriptio ſepulcralis; hæc vero ille ſubjecit. *De Sanctiſſimæ Euchariſtiæ veneratione heroici carminis opus reliquiſſe, ſuiſque impenſis eccleſiam Corporis Chriſti Venetiis e fundamentis inſtauraſſe; ejus etiam diverſorum ſermonum* (de Sanctis, & de tempore) *volumen eſſe tradit ex Georgio Pilone Jacobus Philippus Thomaſinus ejus gentilis Æmoniæ Epiſcopus, more ſuo eruditiſſime in elogior. illuſtr. virorum libro.* Fertur etiam ſcripſiſſe hiſtoriam Concilii Conſtantienſis. Obiit Venetiis anno 1446. & ſepultus eſt in æde Corporis Chriſti apud Virgines illius cœnobii, quas vivens & moriens plurimis beneficiis cumulavit. Titulus ſepulcralis eſt hujuſmodi:

Inſcriptio ſepulcralis Thomæ.

Sepulcrum Venerabilis Patris S. T. Domini Thomæ Thomaſini de Venetiis Epiſcopi Feltrenſis & Bellunenſis aſſumpti de ordine Prædicator. magni benefactoris Monaſterii C. X. qui obiit MCCCCXXXXVI. die XXIIII. Martii.

In Necrologio ejuſdem cœnobii ad eumdem diem ejus mors adſcripta eſt: *IX. Kal. April. Depoſitio Venerabilis Patris & Domini Domini Fratris Thomæ Thomaſini de Venetiis, olim Epiſcopi Feltrenſis & Bellunenſis atque Comitis, aſſumpti de ordine Prædicatorum, magni benefactoris monaſterii Corporis Chriſti, in quo fuerunt duæ germanæ ejus. Oremus pro anima ejus.*

Patribus Dominicanis alterum cœnobium in inſula Bua extructum & traditum conceſſu Ducis ac Senatus Veneti.

Dum Thomas Eccleſiæ Tragurienſi præſidebat, F. Nicolaus Milinovichius ex ordine Prædicatorum auctor fuit Tragurienſibus, ut, cum unum haberent in ſuburbio, quod poſtea mœnibus circumdatum Civitas nova dicta eſt, alterum Dominicanum cœnobium in Bua inſula fundarent. Itaque locus in eadem inſula deſignatus eſt, cui nomen *Ziſmunæ*, tertio fere ab urbe milliario; atque inter cetera, quæ per ſuos oratores ab Duce & Senatu poſtularunt, unum illud fuit, ut ejus cœnobii in eo loco ad id conſtituto condendi poteſtas fieret. Geſtus eſt mos illorum voluntati, & piæ petitioni, ut docent litteræ ducales.

Litteræ Ducales.

Franciſcus Foſcari, Dei gratia Dux Venetiarum &c. Nobilibus & ſapientibus viris Magdaleno Contareno, de ſuo mandato Comiti Tragurii, & ſucceſſoribus ſuis fidelibus dilectis, ſalutem, & dilectionis affectum. Significamus vobis, quod ad capitula porrecta per Ambaſciatores Tragurii reſpondemus, & primo &c.

Item ſupplicamus, quod per devotionem fidelium

lium ſervitorum veſtrorum civitatis Tragurii, diguetur veſtra Serenitas concedere religioſo viro Fr. Nicolao Milinovich ordinis Prædicatorum, habitatori in conventu S. Dominici de Venetiis, tantum de inſula Buæ de rupibus, & nemoribus, & ſaxis, & terræ laboratoriæ, quod in totum ſit per longitudinem uretenorum quindecim, & latitudinem uretenorum decem ad menſuram Tragurii; quod cum aliquibus Fratribus ſociis ſuis, bonæ vitæ, & obſervantiæ regularis, poſſit conſtruere unum conventiculum cum officinis, & aliis neceſſariis dicto conventiculo in dicta veſtra inſula Buæ, in loco nominato Zizmuna Zniviza, diſtante de Tragurio milliaria circiter tria. Reſpondemus, quod ſumus contenti, & placet, & ita mandamus Comiti Tragurii, quod dare, & conſignare debeat præd. Fr. Nicolao pro fabrica monaſterii præd. tantum territorium, quantum dicto rectori eſſe opus fabricæ monaſterii præd. videbitur, &c.

Quare mandamus vobis cum noſtro collegio, quatenus dictas noſtras reſponſiones inviolabiliter obſervari facere debeatis, faciendo has litteras noſtras in actis cancellariæ veſtræ ad futurorum memoriam regiſtrari. Dat. in noſtro ducali palatio die 7. Maji 1432.

Intra paucos annos cœnobium itemque templum exædificatum eſt, & idoneis proventibus, rebuſque omnibus ad victum & cultum neceſſariis inſtructum. Ab Sancta Cruce cognomen accepit, propterea quod in ſummo altari ſimulacrum ligneum Jeſu Chriſti in cruce ſuffixi, plurimis & illuſtribus miraculis inclytum, impoſitum fuit, quod ab accolis juxta adveniſque ſumma frequentia & eximia veneratione colitur, præſertim ſextis quibuſque feriis menſis Martii.

Inſcriptiones templi Dominicani S. Crucis.

Huic deinde anno 1592. exſtructum eſt altare marmoreum, & a cornu Evangelii hæc inſcriptio tabulæ lapideæ inſculpta;

Cur huc? ut melius videar. Quis tranſtulit? is, quo
Juſtitia & pietas ſunt, ubicumque manet.
Qui Venetum ſplendor Delphinus, dic genus, audi
Delphinum, lætor, creſcat ad aſtra pius.
Anno Salutis MDXCII.

Supra januam maximam templi majuſculis litteris hæc epigraphe inciſa eſt:

MCCCCXXXXIX. Tempore Prioris Dominici
Duodo de Venetiis.

Infra epitaphium vero;

Ut vitiis purges mentem, virtutibus ornes,
Hanc adeas ſacram peccator ſedulus ædem.

Ante januam eamdem conditus eſt Nicolaus Milinovichius conditor idem & præſes primus ejuſdem cœnobii, ut declarat tum ejus effigies in operculo ſepulcrali cælata, tum epitaphium lapidi circa illam inſcriptum. *Lapis hic tegit oſſa Venerabilis Fratris Milinovich, primi fundatoris, & Prioris hujuſce Sanctæ Crucis conventus, qui III. Julii MCCCCLI. diem clauſit extremum.*

LUDOVICUS EP. TRAGURIEN. XVIII.

Patavii humili loco natus, generis obſcuritatem rerum præclare geſtarum ſplendore illuſtravit, cui *Mediarotæ* a matre, *Scarampio* neſcio unde cognomen fuit, nam ejus pater ab *Arena* cognominatus eſt. Eximia ejus virtus & doctrina aditum eidem aperuit ad collegium ampliſſimum Canonicorum Eccleſiæ Patavinæ. Litteras cum armis, eccleſiaſtica cum militaribus inſignibus conjunxit; de quo Oldoinus in vitis Cardinalium: *Primus ipſius gradus fuit Epiſcopatus Tragurienſis, deinde factus Archiepiſcopus Florentinus, ac demum Patriarcha Aquilejenſis, & Presbyter Cardinalis Sancti Laurentii in Damaſo, & S. R. E. Cancellarius* 10. *Calend. Jul.* 1440. *ab Eugenio IV.* Idem Eugenius anno 1435. poſt Thomaſinum ad Eccleſias Maceratenſem & Recinetenſem translatum, Tragurienſibus Epiſcopum dedit, ut conſtat ex epiſtola pontificia ad Canonicos Tragurienſes.

Epiſtola Eugenii ad Canonicos Tragurien.

Eugenius ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Capitulo Eccleſiæ Tragurien. ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Apoſtolatus officium, quamquam inſufficientibus meritis nobis ex alto commiſſum, quo eccleſiarum omnium regimini præſidemus, utiliter exequi coadjuvante Domino cupientes, ſoliciti corde reddimur & ſolertes, ut cum de ipſarum regiminibus agitur committendis, tales eis in paſtores præficere ſtudeamus, qui commiſſum ſibi gregem dominicum ſciant non ſolum doctrina, verbo ſcilicet, ſed etiam exemplo boni operis informare; commiſſaſque ſibi eccleſias in ſtatu pacifico & tranquillo velint, & valeant, duce Domino, ſalubriter regere, & feliciter gubernare. Sane eccleſia veſtra ex eo vacante, quod nos hodie Ven. Fratrem noſtrum Thomam Rechanaten. & Maceraten., tunc Tragurien. Epiſcopum apud Sedem Apoſtolicam conſtitutum, a vinculo, quo eidem veſtræ eccleſiæ, cui tunc præerat, conſtrictus tenebatur, de fratrum noſtrorum conſilio & apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, eum ad Rechanaten. & Maceraten. invicem unitas eccleſias tunc vacantes duximus transferendum, præficientes eum illis Epiſcopum & paſtorem; nos ad proviſionem dictæ veſtræ eccleſiæ celerem ac felicem, ne illa longæ vacationis exponatur incommodis, pronis & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem veſtræ eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum fratribus noſtris diligentem habuimus; demum ad dilectum filium Ludovicum, Canonicum Paduanum, artium & medicinæ Doctorem, Cubicularium noſtrum, cui apud nos de vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicum virtutum donis, fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculum mentis; quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona ipſius electi, nobis & dictis fratribus ob ſuorum exigentiam meritorum accepta, eidem veſtræ eccleſiæ, de dictorum fratrum conſilio, auctoritate præfata providimus; ipſumque illi præficimus in Epiſcopum & paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ veſtræ ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; in illo qui dat gratias, & largitur præmia, confidentes, quod dirigente Domino actus ſuos, prædicta eccleſia per ipſius electi circumſpectiones, induſtriam, & ſtudium fructuoſum, regetur utiliter, & proſpere dirigetur, grataque in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Quare diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præfato electo tamquam patri & paſtori animarum veſtrarum humiliter intendentes, eidem exhibentes obedientiam & reverentiam debitas & devotas, ejus ſalubria monita & mandata humiliter & efficaciter adimplere curetis; alioquin ſententiam, quam idem electus rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctoritate divina uſque ad ſatisfactionem condignam

dignam inviolabiliter obſervari. Dat. Florentiæ. Anno Incarn. Dominicæ 1435. 9. Kal. Novemb. Pontific. noſtri anno quinto.

Abſens eccleſiam per Vicarium generalem gubernavit;

Abſens hanc eccleſiam annos ferme duos gubernavit, uſus opera vicaria Nicolai cœnobiarchæ S. Joannis Baptiſtæ, ut docent tabulæ Tragurienſes. *In Jeſu Chriſti nomine, amen. Anno nativit. ejuſdem 1437. die 2. men. Martii, temporibus quidem Sereniſſimi Principis, & Excellentiſſimi Domini Franciſci Foſcari D. G. Incl. Duc. Venet., nec non regiminis generoſi viri D. Georgii Valareſſo tunc Com. Trag., & Judicum &c. Actum Tragurii in ſala magna Epiſcopatus, coram & in preſentia prefati Comitis, ac etiam venerab. D. Nicolai Ab. monaſterii S. Joannis Baptiſtæ, Vicarii generalis Reverendiſſimi Domini Ludovici, Dei & Apoſtolice Sedis gratia Ep.* qua dimiſſa factus eſt Archiepiſc. Florentinus, deinde Patriarcha Aquilejen. & Cardinal. *Tragurien. &c.* Hoc eodem anno 1437. Ludovicus ab Eugenio IV. Archiepiſcopus creatus, & præpoſitus Metropoli Florentinæ, Eccleſiam Tragurienſem dimiſit; anno autem 1439. eumdem titulo Patriarchæ donatum Eccleſiæ Aquilejenſi præfecit, & anno ſequenti in ampliſſimum Cardinalium Senatum cooptavit. Obiit Romæ anno 1465. VI. Kal. Aprilis, & inſigni pompa elatus, in Baſilica S. Laurentii in Damaſo ſepulcrum ac titulum ſepulcralem obtinuit.

Ejus elogio. Hujus effigiem Patavini in aula Academiæ Deliæ pingendam curarunt cum hoc elogio.

Ludovicus ab Arena Mediarota pietate an armis inſignior neſcias; etenim ſub Eugenio IV. Pont. Max. copiis ſumma cum auctoritate præpoſitus, Florentinis ſuppetias ferens, Picininum magni nominis ducem, Hetruriam devaſtantem, poſt pugnam ancipiti Marte quinque horis acriter utrinque commiſſam, victoria potitus, ad Ducem Mediolanenſem, cujus partes tutabatur, debellatum ac fractum remiſit; ob id inter Cardinales cooptatus Eccleſiæ Cancell. efficitur. Pluribus viis Romæ ſtratis, eccleſiis in priſtinum reſtitutis, aquæductibus inſtauratis, tanto ſplendore & magnificentia Cardinalatus dignitatem auxit, ut declaraverit Cardinales jure inter Principes eſſe numerandos. Ad Aquilejæ Patriarchatum promotus, a Venetiarum Principe Veneta donatus nobilitate, armis togæ ſuper impoſitis, Calliſto III. itidem Pontifici obtemperans, Turcas circa Belgradum invadens formidabili prælio disjecit, diſperſit, & Conſtantinopolim advolare coegit; cum præſto eſſet Rhodiis, numeroſam Turcarum claſſem paucis navibus fulminis in morem protrivit ac demerſit, pluribus Ægæi maris inſulis hoſti orientali ademptis. Aliis egregiæ virtutis experimentis editis, tot patratis facinoribus, tot inſignibus victoriis terra marique partis, magno Pompejo non inferior, incredibili omnium applauſu & acclamatione Romam victor ingreditur, moritur non moriturus 1465. Tanti civis memoriæ ergo.

JOANNES III. EP. TRAGURIEN. XIX.

Joannes primum Recinetenſis Ep. deinde Archiep. Florentinus & Cardinalis, demum Ep. Tragurien. commendatarius.

E nobiliſſima gente Vitelleſca Cornueti natus eſt in oppido Hetruriæ. Ex Recinetenſi Eccleſia ad Metropolim Florentinam anno 1435. ab Eugenio IV. translatus, titulum Patriarchæ Alexandrini inſuper obtinuit, & biennio poſt ad collegium Cardinalium aggregatus ſedem archiepiſcopalem reliquit, Ludovico Mediarotæ ab eodem Eugenio traditam. Bellicis, quam eccleſiaſticis laudibus illuſtrior fuit, & eximiam operam tum Martino V. tum Eugenio IV. ad debellandos tyrannos & hoſtes S. R. Eccleſiæ navavit. Huic idem Eugenius Tragurienſem Eccleſiam ab Ludovico dimiſſam cum ejus proventibus an. 1437. jure ac titulo *commendatario* attribuit: id quod Tragurienſes tulerunt ægerrime, cum ſpem omnem ſui paſtoris videndi, ac penes ſe habendi ademptam ſibi intelligerent; ex cujus abſentia ne plurimum detrimenti eccleſia, clerus, & plebs chriſtiana caperent, metuebant. Itaque in frequentiſſimo totius civitatis Conſilio decreverunt Ducis ac Senatus Veneti opem implorare, ut ad hujuſmodi mala & incommoda, quæ inde imminebant, avertenda ſuas apud Eugenium preces interponeret, oratore Venetias miſſo Chriſtophoro nobili viro; qui ſimul peteret, ſibi ut liceret nomine univerſæ civitatis hortari & obſecrare Thomam Thomaſinum, ut relicta Recinetenſi & Maceratenſi, Eccleſiæ Tragurienſis regimen epiſcopale reſumeret. Decretum conditum eſt in hæc verba.

De revocando ad regimen Eccleſiæ Tragur. Thoma Thomaſino, decretum Conſilii Tragur.

1437. *Die 14. Septemb.*

Convocato & congregato generali Conſilio nob. civit. Trag. &c. Cum nuper habeatur clara notitia per litteras & famam publicam, Epiſcopatum Tragurien. paſtore vacare per promotionem ad Archiepiſcopatum Florentiæ Rev. in Chriſto Patris D. Ludovici Eccleſiæ majoris Tragurii paſtoris & Epiſcopi animarum; & cum etiam divulgetur ipſum Epiſcopatum Tragurien. in commendam fore conceſſum Rev. D. Patriarchæ Alexandrino, nunc ad dignitatem Cardinalatus, ut fertur, promoto; quod ſi ita eſt, cedet ad detrimentum non modicum, & jacturam animarum, & rerum ſpiritualium civit. & diœceſ. Tragurien. nec non ad deſtructionem, & ruinam Eccleſie & Epiſcopatus Tragur. & in prejudicium . . . & deſolationem non ſolum cleri diœc. Tragur. ſed etiam Univerſitatis nobilium, & populorum civit. & diſtrict. Tragur. & proinde ſit ſumme neceſſarium habere recurſum ad fontem refugii veſtræ excellentiſſimæ ducalis dominationis, quæ ſemper ſolita clementia mœſtos & oppreſſos in eorum neceſſitatibus relevare conſuevit; quatenus dignetur ſuccurrere, & providere ſua immenſa prudentia huic civit. Trag. quod habeat, & ſibi detur unus Antiſtes, qui curæ animarum ſit utilis & fructuoſus.

Deinde fuit electus nob. vir Chriſtophorus D. Blaſii militis in Ambaſciatorem ad Excellentiſſimum Dominium Venetum, qui ſupplicaret eidem, ut dignaretur ſuper inde providere apud SS. Papam, dando etiam libertatem dicto Oratori, cum licentia dicti dominii, tractandi cum Rev. Patre D. Thoma Epiſcopo Rachanatenſi, ipſumque humiliter deprecandi, ut dignetur per medium SS. Papæ Eugenii reaſſumere hanc Eccleſiam Trag. in ſpiritualibus gubernandam &c.

Sed Eugenius nullis rationibus vel precibus, ſi quæ interpoſitæ ſunt, adduci potuit, ut quod ſemel Joanni dederat, revocaret. Itaque Joannes Vitelleſcus Cardinalis, idemque Patriarcha Alexandrinus, quoad vixit, Eccleſiam Tragurienſem ſibi commendatam retinuit. Ad eam regendam Nicolaum Abbatem S. Joannis Baptiſtæ Vicarium generalem, ac totius rei chriſtianæ adminiſtrum adhibuit; qui anno 1439. Archidiaconum a Capitulo electum confirmavit, ut tabulæ confirmationis eodem anno confectæ declarant, quarum initium eſt: *Nicolaus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Abbas monaſterii S. Joannis*

Nicolaus Abbas cœnob. S. Joannis Bapt. Vicarius gen. Joannis Epiſc. commendatarii.

annis Baptiſte Tragurienſis, Vicarius in ſpiritualibus generalis Rev. in D. Patris & D. D. Joannis de Vitelleſcis, miſer. divina tit. S. Laurentii in Lucina Sacroſancte Rom. Eccleſie Presb. Cardinalis Florentini vulgariter nuncupati, nec non commendatarii & gubernatoris Eccleſie & diec. Tragurien. &c. Anno Nativit. Dominice 1439. Indict. 2. die ultima menſ. Auguſti, Pontific. Eugenii IV. an. 9. Itidem anno ſequenti cum de ſumptibus faciendis in odeum & ſubſellia Canonicorum conveniſſet, in tabulis hujus conventionis idem Epiſcopus & Vicarius nominatur: *Anno 1440. die ultima Februarii &c. Ven. viro Patre Dom. Nicolao D. g. Abbate S. Joannis Bapt. Tragur. nec non Vicario gen. Reveren. in Chriſto Patris & D. D. Joannis de Vitelleſcis miſer. div. tit. S. Laurentii in Lucina Sacroſan. R. E. Presbyteri Cardinalis Florentini vulgariter nuncupati, commendatarii, & gub. Eccl. & diec. Tragur.*

Anno 1438. III. Nonas Maji Eugenius indulgentiam conceſſit viſitantibus die præfinita eccleſiam Tragurienſem S. Laurentii, ut ex diplomate videre eſt, quod in additamentis ad Vitam B. Joannis Urſini pag. 328. exhibuimus. Anno 1440. Joannes Vitelleſcus, cum in ſuſpicionem ſummi Pontificatus appetendi veniſſet, juſſus ab Eugenio comprehendi, includique in caſtrum S. Angeli, ibidem ex vulneribus ſibi, dum caperetur, inflictis miſere interiit III. Id. Aprilis. Ferdinandus Ughellus ejus interitum ad annum ſuperiorem revocavit, contra quam docent Tabulæ Tragurienſes modo laudatæ & elogium ſepulcrale. *Ejus deinde cadaver*, ut eſt apud eumdem Ughellum, *Cornetum delatum, tumulatum eſt in æde cathedrali cum hoc epitaphio:* „ *Reverendiſſimo Joanni de Vitelleſchis de Cornето, Patriarchæ Alexandrino, Card. Florentino, Bartholomeus Epiſcopus Cornetanus nepos in poſteritatis memoriam.* „ Hi verſiculi ſubjiciuntur.

Obitus Joannis & epitaphium.

Quando ego pro patria, pro majeſtate repreſſi
Pontificis furias bellorum, hoſteſque ſubegi
Eccleſie, noſtris que floruit aucta ſub armis,
Reſtitui res effluxas, urbeſque decuſque,
Invidit ſors atra mihi, magis æmula virtus
Immeritam ſtatuens non equo munere mortem,
Obiit XI. Aprilis MCDXL.

ANGELUS EP. TRAGURIENSIS XX.

Angelus ex Arbenſi Parentinus, ex Parentino Tragurienſis Epiſcopus.

Venetiis natus eſt ex antiqua & perilluſtri familia Cavacia, quæ ſæculo ſuperiori an. 1652. ob generis nobilitatem, & inſignia in Rempubliçam merita inter patricias aggregata eſt. Primum Arbenſis, deinde Parentinus Epiſcopus fuit. Hunc Martinus V. ærario pontificio præfecit; quam quidem præfecturam retinuit ſub Eugenio IV. cui ſuam fidem & ſollertiam in plurimis atque graviſſimis Eccleſiæ & Curiæ Romanæ muneribus gerendis mirifice probavit. Poſt interitum Vitelleſci, Angelum idem Eugenius a Parentina ad Tragurienſem Eccleſiam tranſtulit anno 1440. Sed cum noluiſſet eum antea quæſtoris officium dimittere, quam virum idoneum reperiſſet, quem in illius locum ſubrogaret; ac præterea ejuſdem opera ad quædam tum ſua, tum Eccleſiæ negotia expedienda indigeret; Angelum in urbe retinuit uſque ad ferias paſchales anni 1443. ut idem Pontifex ſcripſit ad Tragurienſes his verbis,

Epiſtola Eugenii IV. ad Tragurienſes.

Eugenius Papa IIII. Dilecti filii, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Poſtquam tranſtulimus ad veſtram eccleſiam Vener. Fratrem Angelum, qui nunc eſt Epiſcopus veſter; voluit ipſe multoties ad vos venire, & a nobis petiit licentiam veniendi. Noſque aliquando diſpoſiti fuimus permittere ipſum venire, ut quod multum deſiderabat, prout deſiderat de præſenti, conſolaretur vos, & eccleſiæ ſuæ tam circa animarum ſalutem, quam circa bonorum & poſſeſſionum gubernationem gereret curam. Sed cum ſit Theſaurarius, & tam circa ipſum officium, quam circa aliqua noſtra & Romanæ Eccleſiæ negotia ſemper fuerit impeditus, adeo ut ipſo carere ſine incommodo non potuerimus, nondum ſibi licentiam dare voluimus. Quod quidem debet veſtra devotio patienter tolerare, cum talis dilatio adventus ad vos prædicti Epiſcopi propter cauſas prædictas fuerit & laudabilis, & neceſſaria. Veniet autem circa feſtum Dominicæ Reſurrectionis proximum, ſine ulteriori dilatione, Domino concedente. Datum Florentiæ ſub annulo noſtro ſecreto die XV. Novembris MCCCCXLII. Pontificatus noſtri anno duodecimo.

Ante aliquot menſes idem Eugenius rogatu Angeli, & precibus etiam Capituli Tragurienſis interpoſitis, inſignia & ornamenta, quæ ceteris Capitulis communia ſunt, Canonicis Tragurienſibus conceſſit.

Eugenius facultatem deferendi almutias concedit Capitulo Tragurien.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad futuram memoriam. Ex debito paſtoralis officii, cui licet immeriti diſponente Domino preſidemus, illis fidelium votis facilem prebemus aſſenſum, que eccleſiarum precipue cathedralium omnium decus, & honorem reſpicere dignoſcuntur. Sane ſicut pro parte Ven. Fratris noſtri Angeli Epiſcopi & dilectorum filiorum Capituli Tragurii nobis nuper exhibita petitio continebat, licet in pleriſque regni Dalmatie cathedralibus eccleſiis, inter quas Eccleſia Tragurienſis honorabilis conſpicitur, & inſigniter illarum Canonici, & alie in dignitatibus, perſonatibus perpetuis, adminiſtrationibus & officiis conſtitute perſone, dum & quotiens ipſas in habitu & religione accedere habeant eccleſias, ut ab aliis earum beneficiatis ſecerni valeant, pro decore & venuſtate ipſarum Almuſia de vario griſeo conſueverunt deferre, & communiter deferant; tamen Canonici & alie in dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus & officiis conſtitute perſone Tragurienſis Eccleſie uti ornatu non ſunt ſoliti antedicto. Quare pro parte ipſorum Epiſcopi & Capituli nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Canonicis, & perſonis Tragurienſis Eccleſie hujuſmodi ſimilibus Almuſiis, ſive cucullis infra eccleſiam ipſam pro decore & venuſtate illius utendi licentiam concedere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſingulas preſertim cathedrales eccleſias condignis honoribus libenter attollimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati ſingulis Canonicis & aliis perſonis Eccleſie Tragurienſis hujuſmodi qui fuerint pro tempore, quod infra ipſam eccleſiam eis temporibus, quibus cum habitu & religione eſſe habent in illa, Almuſia, ſive cucullas de vario griſeo deferre poſſint, teneantur, & debeant, auctoritate apoſtolica tenore preſentium de epiſcopali gratia indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre conceſſionis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Flo-

rentie

rentiæ Anno Incarnationis Dominice MCCCCXLII. X. Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno XII.

Nicolaus Abbas S. Jo. Bapt. Vic. generalis.

Interea Nicolaus cœnobiarcha S. Joannis Baptiſtæ ſæpe laudatus Epiſcopi vice fungebatur; apud quem an. 1441. Jacobus præpoſitus Eccleſiæ Berſtranovi queſtus eſt de Thoma Epiſcopo ritus Græci, ſive Raſciani, qui cum alia diœceſis Tragurienſis & Spalatenſis loca, tum Berſtranovum temere audacterque invaſerat, & ſibi epiſcopalem locorum illorum adminiſtrationem impudentiſſime arrogabat. Jacobi querelam publicis litteris Nicolaus conſignari juſſit, teſtibus adhibitis, ut lege ac judicio agi poſſet contra iniquam illam juris alieni uſurpationem.

Jacobi præpoſiti Eccl. Berſtranovi querela de quodam Ep. Græco.

In Chriſti nomine, Amen. Anno Nativitatis ejuſdem MCCCCXLI. Indict. IV. die XX. menſis Novembris; tempore quidem Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Dom. noſtri Dom. Eugenii divina providentia PP. IV. anno XI. coram Rev. in Chriſto Patre Dom. Nicolao Dei & Apoſtolice Sedis gratia Abbate mon. S. Joannis Baptiſte de Trag. Rev. in Chriſto Patris & Dom. Dom. Angeli Cavatia eadem gratia Epiſcopi Tragurien. Vicario generali, ſedente apud oſtium Abbatiæ S. Joannis Bapt. predicti, comparuit & ſe preſentavit modeſtus vir Presbyter Jacobus de Smino habitator Trag. dicens, & in querela exponens, quod cum ipſe habeat a prefato Dom. Vicario & a Capitulo Tragurien. Capellaniam in loco Berſtranovi dieceſis Tragur. ibique perſonis ibidem exiſtentibus adminiſtraret eccleſiaſtica ſacramenta, habendo curam animarum loci illius; quadam die, abſente ipſo Presbytero Jacobo a loco predicto, venit illuc quidam Frater Thomas pretenſus Epiſcopus Srebernize; & occupando dictum locum Trag. dieceſis & etiam alia loca ſub juriſdictione Archiepiſcopatus Spalaten. exiſtentia, aſſerens ſe gubernatorem dictorum locorum, abſtulit & exportavit dicto Presbytero Jacobo omnia bona ſua, que ipſe habebat in dicto loco de Berſtranovo, in ipſius Presbyteri Jacobi prejudicium non modicum, & jacturam. Et poſtmodum dictus Epiſcopus miſit eidem Presbytero Jacobo quandam litteram patentem ipſius Dom. Epiſcopi in ſermone & alphabeto Illiriacho, ſeu Sclavonico ſcriptam, & ſigilli ipſius Dom. Epiſcopi impreſſione munitam. Cujus quidem littere tenor in vulgari ſermone translatus ſequitur, & eſt talis, videlicet: Nui Thomaſo Veſcovo per la gratia di Dio de Srebernize, e de Viſſochi, e in parte dell' Arciveſcovado di Spalatro Governador, don a ſaver al venerabil homo don Jacomo, che de mi non ſe debbia temer, ne de neſſuno homo nella mia parochia, ma ſora la mia fede poſſa vegnir, e liberamente partire in Tragura, overo in altro luogo, dove a lui piaxe. E li homeni di Berſtranovo obligandoſſe con la lor fede, e con la lor roba, che poſſa vegnir da lor, e dal detto Veſcovo, el ſo ſtati, habiando ſpaza di liberamente partirſe. E ſe queſto non farai, e non vegnirai marti per taſtol di da nui, piu fede non damandar. E quel che è fuora del tuo, quello tu perderai. Scritta a Berſtranovo Domenega drio la Feſta di S. Martin. Petens dictus Presbyter Jacobus ſibi de opportuno juris remedio ſubveniri. Qui Dom. Vicarius, auditis predictis, rogavit me & alios notarios publicos infraſcriptos, ut de predictis hoc publicum conficeremus inſtrumentum. Actum Tragurii in loco predicto, preſentibus Venerabilibus viris Presbyteris Marino Clapatis Bercovich Canonico majoris Eccleſie Trag. & Petro Pridovich de Tragurio, ac aliis teſtibus ad predicta ſpecialiter vocatis & rogatis.

Quæſtiones, & actus judiciales in illum Epiſcopum Raſcianum habitos nanciſci non licuit; auctoritate Senatus Veneti, vel magiſtratus Tragurienſis interpoſita, compreſſum fuiſſe, & e locis, quæ injuſte occupaverat, expulſum veriſimile eſt.

Anno igitur 1443. feriis paſchalibus appetentibus Tragurium venit, ingenti omnium lætitia & gratulatione acceptus. Sed vix unus menſis, & pauci dies effluxerant, cum communem lætitiam, ex adventu, gratoque omnibus regimine optimi Præſulis perceptam, funeſtavit incendium fortuitum, XI. Kalendas Junias ſub quintam horam noctis exortum, quo ædes quingentæ in urbe nova, duodeviginti in urbe veteri conflagrarunt. Civitas nova erat olim ſuburbium Tragurio adjacens ab occaſu, quod Tragurienſes mœnibus & propugnaculis circumdederant, in cujus angulo extremo obverſo ad meridiem caſtellum exſtructum eſt.

Angelus Ep. Tragurium venit.

Cum Capitulum & clerus ædis cathedralis ſacrario admodum anguſto uteretur, Angelus ære ſuo novum, & majus, & elegantius ædificavit. Extrui cœpit anno 1446. Romam profecturus, operis quod deerat ut perficiendum curaret, Benedictum Contarenum urbis prætorem rogavit. Abſolutum fuit anno 1450. & inſcriptio parieti affixa eſt, quæ conditoris nomen ac memoriam poſteritati commendaret: *Angelus Chavaca, Martini Pontificis & Eugenii Theſaurarius, Pontifex Tragurienſis hoc ex voto ſacrarium ſtatuit ex ſua pecunia. Rem hanc commendavit claro viro Benedicto Contareno Tragurii Rectori.*

Sed nimio libertatis eccleſiaſticæ tuendæ ſtudio in offenſionem Tragurienſium incurrit. Lex erat perantiqua, ut ne quis bona ſua, quæ in urbe vel territorio poſſideret, donaret aut divenderet *extraneis*: quod verbum ita ille interpretabatur, ut ne ipſis quidem eccleſiis ac locis piis hujuſmodi bona aut dono dari, aut vendi, aut teſtamento legari liceret: quod cum juri eccleſiaſtico adverſaretur, legem illam aboleri juſſit; cum Tragurienſes conſtantiſſime abnuerent, omnibus urbis templis interdictum affixit. Senatus Veneti auctoritas interceſſit, & Venetias citari juſſus eſt; ſed jam ille Romam diſceſſerat. Ubi cognovit ſuum factum a ſupremo Principe non probari, & ſimul certior factus eſſet, non eam eſſe vim illius legis, ut eccleſiis adimeret jus bona privatorum hominum per emptionem, vel donationem acquirendi, nullam moram interpoſuit, quin datis ad ſuum Vicarium generalem litteris interdictum illud amoveri & abrogari juſſerit. De miraculis B. Joannis Urſini, quæ ejus juſſu ſcriptor æqualis temporum illorum litteris mandavit, vide additamenta ad Vitam B. Joannis Urſini Epiſcopi Tragurienſis. Eccleſiam Tragurienſem adminiſtravit annos fere duodecim; & anno hujus ſæculi quinquageſimo ſecundo IV. Idus Martii adhuc vivebat, ut intelligitur ex Tabulis Tragurienſibus. *In Jeſu Chriſti nomine, amen. Anno nativit. ejus* 1452. *Indict.* 15. *die* 12. *men. Martii, temporibuſque, nec non regimine ſpect. & gener. viri Dom. Benedicti Contareno, ſuorumque Judicum, ac Rev. in Chriſto Patris D. Nicolai Ab. S. Joan. Baptiſte Vic. gen. Rev. D. Angeli Ep. Tragur. &c.* Sed eodem anno, & menſe Majo ſupremum diem obiiſſe declarant litteræ

Urbem interdicto ſuppoſuit, quod deinde revocavit.

Obiit.

en-

encyclicæ Joannis Lucæ Archidiaconi Tragurienſis Canonicos convocantis ad Vicarium capitularem eligendum, qui dum illa eccleſia ſuo paſtore viduata permaneret, Epiſcopi vices præſtaret. *Nos Lucas Joannes Eccl. Tragurien. Archidiaconus vobis Venerabilibus P. P. Dom. Canonicis, & Capitulo Eccleſie Tragurien. ſalutem & ſinceram in Domino charitatem. Cum ad preſens vacet dicta Eccleſia Tragur. ſuo Epiſcopo & paſtore per obitum Rever. in Chriſto Patris & Dom. D. Angeli Chavacia olim ultimi & immediati ejuſdem eccleſie preſulis & paſtoris; Nos, ad quem de jure, & antiqua conſuetudine, ad infraſcripta & alia ſpectat & pertinet pleno jure Capitulum evocare, & preſertim ad preſens, hujuſmodi ſede vacante, pro Vicario eligendo Capituli prelibati in ſpiritualibus generali; vos omnes harum ſerie monemus, rogamus, & citamus 1. 2. 3. & peremptorio, quatenus vos omnes &c. Dat. Trag. in dicta eccleſia cathed. Anno Dominice Nativit. 1452. Indict. 15. die vero 17. Maji; Pontificatus autem SS. in Chriſto Patris & Dom. noſtri D. Nicolai divina providentia Pape Quinti anno 6.*

Jacobus Juſtinianus in Conſilio Nob. Tragurien. fruſtra electus Epiſc.

Poſtera die Tragurienſes veriti fortaſſe, ne rurſus Eccleſia illa alicui Epiſcopo commendaretur, qui perpetuo abſens per Vicarium rem chriſtianam & eccleſiaſticam adminiſtraret, convocato Conſilio nobilium, jus eligendi Epiſcopi uſurparunt. Electus autem eſt Jacobus Juſtinianus e gente patricia Veneta, Ordinis Benedictini, & Congreg. Patavinæ S. Juſtinæ alumnus, vir eximiæ probitatis ac religionis; ac de petenda hujus electionis approbatione orator miſſus eſt Venetias: *Anno* 1452. 18. *Maji. Vadit pars &c. quod vacante Eccleſia Trag. ſuo preſule & paſtore per obitum Rev. Patris D. Angeli Chavatia olim ultimi Epiſcopi Trag. per modum ſcrutinii per nobiles hujus Conſilii eligatur, ſeu nominetur, & poſtuletur unus Epiſcopus, qui huic eccleſie majori & civitati ac dieceſi Tragurienſi ſit utilis & fructuoſus, pro ſalute & gubernatione animarum &c. Per modum & viam ſcrutinii per omnes nobiles, eorum nemine diſcrepante, excepto uno, electus, & nominatus fuit in Epiſcopum & paſtorem animarum eccleſie, civit. & dieceſis Trag. Ven. Pater Dom. F. Jacobus Juſtiniano qu. D. Andreaſii, de Congregatione S. Juſtine, ord. S. Benedicti, vir religioſiſſimus, & moribus vitæ, virtutibus, & probitate ornatus.*

Die antedicto vadit pars prefatorum D.D. Comitis & Judicum &c. deinde electus fuit vir nobilis Simon Sobothe in Ambaſciatorem, ut ſe conferret ad conſpectum Senatus Veneti ad notificandum eidem electionem predictam, & poſtulandum ipſam confirmari debere; & inſuper ſupplicandum humiliter & devote, quod dignetur providere, ut ipſa electio ſuum ſortiatur effectum.

Sed cum jamdudum jus ſuffragii in comitiis epiſcopalibus laici per deſuetudinem amiſiſſent, electio Jacobi Juſtiniani monachi nec Venetiis, nec Romæ habita fuit canonica & legitima.

JACOBUS EP. TRAGURIENSIS XXI.

Ex illuſtri & pervetuſta familia Anconitana Turlona, ſive Truglonia, Doctor & interpres juris pontificii. Anno 1452. vel ſub initium ſequentis adminiſtrationem hujus eccleſiæ ſuſcepit, nam in Tabulis Tragurienſibus anno 1453. menſe Martio confectis nominatur. *In Jeſu Chriſti nomine, amen. Anno Nativ. ejuſdem* 1453: *Indict.* 1. *die* 1. *menſ. Martii; temporibus, nec non regimine ſpect. & gener. viri Dom. Benedicti Contareno tunc Com. Trag. ac Rev. in Chriſto Patris D. D. Jacobi Dei & Apoſtolice Sedis gratia Epiſc. Trag.* Joannes Lucius in ſerie Antiſtitum Tragurienſium Epiſcopatum Jacobi Turloni non ultra annum 1476. perduxit, ſed ex monumentis Tragurienſibus colligitur prorogandum eſſe uſque ad tertium, & octogeſimum hujus ſæculi annum; ex quo fit nihil loci relictum eſſe in ſucceſſione ſerieque epiſcopali cuidam *Chriſtophoro*, quem idem Lucius Jacobo Turlono ſubſtituit anno eodem 1476. de quo litteram in monumentis horum temporum nullam invenio: nam Chriſtophorus de Baliſtis Epiſcopus Tragurienſis ætate longe poſterior fuit. Anno 1459. Vicarium atque adminiſtrum muneris epiſcopalis habuit *Nicolaum Burgofortem* Canonicum Archidiaconum, & anno 1482. *Michaelem de Legis*; uterque nominatur in codice Mſ. accepti & expenſi, qui ad præfecturam & fabricam ædis Laurentianæ pertinet. In hoc ad annum 1459. ac diem 26. Aprilis nomen *Nicolai Burgofortis Can. Archid. Vic. gen.* adſcriptum; ad annum vero 1482. 18. *Julii*, nomen & *conſenſus Ven. Michaelis de Legis Vic. in ſpiritualibus gen. Rev. Dom. Jacobi Turlono digniſ. Epiſcopi Trag.*

Vicarii generales Jacobi Ep.

Duo dies feſti, Jacobo ſuaſore & approbatore, inſtituti ſunt, quos ſingulis annis in perpetuum ab omnibus ſanctiſſime coli, & a ſervilibus operibus feriatos eſſe voluerunt; alter pridie Kalendas Octobris in honorem S. Hieronymi, quem & natione Dalmatam fuiſſe, & primarium Dalmatiæ patronum eſſe jure ac merito gloriantur; alter XIII. Kalendas Februarii in honorem S. Sebaſtiani, cujus præſidio peſtilentiam ab urbe & agro Tragurienſi ſæpius depulſam eſſe meminerant, & in poſterum arcendam eſſe certiſſime ſperabant. Itaque in Conſilio generali duo in eam rem decreta condita ſunt, alterum anno 1455. alterum anno 1466.

Anno 1455. *Indict.* 3. *die vero* 22. *menſ. Novembris.*

Decretum Conſilii generalis de colendo die feſto S. Hieronymi.

Cum glorioſiſſimus Doctor Beatus Jeronimus unus ex quatuor univerſalis Eccleſie & orbis cardinibus, ſit ſanctitatis excellentia, ac preſtantia celeberrimus, ſitque ab omnibus fidelibus chriſtianam religionem colentibus per univerſum orbem, ſuis exigentibus meritis & exemplis, devotiſſime colendus, tum propter virtutem ac vite aſperitatem, tum propter laborum intolerabilium circa expoſitionem ſacrarum Scripturarum aſſiduitatem, tum etiam propter miraculorum innumerabilium, quibus prefulſit in vita, & poſt mortem, claritatem; nam loco . . . . per viſionem revelatum fuit, ipſum feliciſſimum Doctorem in eterna beatitudine equiparatum eſſe . . . cumque precipue deceat Dalmatinos ipſum Beatiſs. Sanctum, a quorum provincia originem habuit, ſummopere colere; Vadit pars Magn. Dom. Pretoris, & ſuorum egregiorum Judicum, quod deinceps ad honorem & gloriam omnipotentis Dei, & ad laudem, & triumphum precioſiſſimi Doctoris S. Jeronimi memorati, annis ſingulis in perpetuum Feſtum ipſius, quod colitur die XXX. menſis Septembris, ſolemniter coltivetur, & cuſtodiatur ab omnibus; ita & taliter, quod omnes homines, & perſone civitatis, hortorum, & diſtrictus Trag. cujuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtant, laborare, & quidquid facere

non debeant illa die ; ſed ab omni opere prorſus ceſſare die feſti ſolemnitatis S. Jeronimi ſupradicti, ad hoc, ut ipſe ſit nobis apud Deum protector, & perpetuus interceſſor ; ac quod preſens pars poni debeat in volumine Statutorum, & pro ſtatuto perpetuo obſervari.

Quæ quidem pars poſita ad buſſulos, & ballotas, ut eſt moris, fuit capta & obtenta per Conſ. 21. qui poſuerunt eorum ballotas in buſſulo albo de ſic, non obſtantibus ballotis duabus in contrarium repertis in buſſulo rubeo de non.

Die 22. men. Februarii 1466.

Alterum decretum de colendo die feſto S. Sebaſtiani.

In generali Conſilio nobilium civit. Tragurien. &c. Per prefatum magnificum D. Comitem cum judicibus ſuis poſita fuit pars infraſcripti tenoris, videlicet: Tamquam fideles credimus meritis atque interceſſionibus Sanctorum, adverſitatibus, quas propter peccata mer. . . . . liberari, & in dies experimur, & miracula quamplura videmus. Cum igitur hec regio Dalmatica ſepe, & ſepius . . . . . proſs. lapſis annis multis invaletudinibus, ſcilicet . . . . peſte vexata fuerit ; devotio, & fides B. Sebaſtiani Martiris multos a furore & invaſione epidemie liberavit. Sed ut ejus veneratio ſit cauſa majoris devotionis & fidei, & per conſequens ob ejus Martiris merita omnipotens Deus urbem hanc, & fideles ſuos in . . . . . & protectionem ipſius S. Sebaſtiani a tali flamma & incendio epidemie protegat, defendat, ac liberet ; per magnificum D. Comitem cum Judicibus poſita fuit pars ; quod dies B. Sebaſtiani ita veneretur in civitate, burgo, & villis Tragurii, prout alii Sancti, qui venerantur diebus ſuis, pena L. 3. pro quolibet, & qualibet vice, qua ea die ſue venerationis non ſe abſtinebit a quocumque opere ſervili ; que pena dividatur inter accuſatorem & Commune per medietatem. Que pars ad buſſulos & ballotas capta fuit per Conſ. 39., qui poſuerunt ballotas ſuas in buſs. albo de ſic, non obſtante una reperta in buſs. rubeo de non.

Cum villici & coloni diebus potiſſimum feſtis, litium dirimendarum, & juris petendi cauſſa, Tragurium accederent ; Jacobo Epiſcopo auctore, lege cautum eſt anno 1468., ut diebus illis tribunalia omnino ſilerent, ab omnique ſtrepitu forenſi vacarent, neve quis cuiquam judicium redderet ; ne ſcilicet ſanctitas eorumdem dierum violaretur, ſed debitus illis honos cultuſque haberetur.

Baptiſterium exſtructum, & novum ſacellum B. Joanni Tragur. Epiſcopo ædificari cœptum.

In æde cathedrali apud ſacellum S. Joannis Baptiſtæ ad latus ſiniſtrum januæ majoris, ſacrum lavacrum ad catechumenos abluendos & chriſtianis myſteriis initiandos exſtruxit opere eleganti, & raris picturis decoratum ; cui hanc epigraphem inſculpi juſſit: *Jacobo Turlono Pontifice, Carolo Capello Pretore MCCCCLXVII.* Anno proximo novum ſacellum B. Joanni Tragurienſi Epiſcopo ædificari cœpit, quod demum ſæculo decimo ſeptimo abſolutum fuit ; opus ſane magnificum, quod ob rerum ac temporum difficultatem ſæpius interrumpi oportuit. Jacobus de ſuo pavimentum fecit, quod lapidibus quadratis bicoloribus, ideſt albis & rubeis, venuſtiſſime ſtravit ; ibique paravit ſibi ſepulcrum, clauſum operculo marmoreo, in quo incidi juſſit opere cælato effigiem ſuam epiſcopalem cum ſtemmate gentilitio.

Mors Jacobi, & inſcriptio ſepulcralis.

Cum Communi Tragurienſium controverſias habuit de immunitate & juriſdictione eccleſiaſtica, quam illi multimodis violare conabantur. Senatus Venetus, ad cujus auctoritatem confugit, illorum conatus compreſſit, ut conſtat ex litteris ducalibus datis anno 1471. Vivere deſiit anno 1483., & poſt ſollemnes exequias in eo, quod ſibi vivens paraverat, ſepulcro tumulatus eſt. Titulum ſepulcralem fecit Hermolaus Jacobi frater: *Jacobo Turlono Epiſcopo Tragurienſi, Hermolaus Turl. frater O. M. P.* ideſt, optime merito poſuit.

Fantinus de Valle Trag. moriens Bibliothecam ſuam reliquit PP. Dom. Tragurien.

Ante annos ſeptem Fantinus de Valle Tragurienſis auditor Rotæ Romanæ, de quo in proœmio dictum eſt, Romæ deceſſerat. Bibliothecam ſuam optimis codicibus refertam legavit cœnobio Dominicano S. Crucis in inſula Bua, ut conſtat ex epiſtola Oliverii Cardinalis, quem ille teſtamenti ſui curatorem inſtituerat.

Epiſtola Oliverii Cardinalis ad Tragurienſes.

Oliverius miſeratione divina tituli S. Euſebii S. R. E. Presbyter Card. Neapolitanus. Nobilibus viris amicis cariſſimis D. Comiti civitatis Tragurii præſenti, & qui pro tempore fuerit, ac Conſilio nobilium ejuſdem civitatis ſalutem in Domino ſempiternam.

Cum bonæ memoriæ Reverendus Presbyter D. Fantinus de Valle J. U. D. ſacri apoſtolici palatii cauſarum auditor, civis veſter Tragurienſis, qui nuper ſicut Deo placuit ex hac luce migravit, ob præcipuam devotionem, quam habebat erga eccleſiam & conventum S. Crucis de inſula Buæ Ordinis Prædicatorum, diſtrictus & diœceſis Tragurii, certam partem librorum ſuorum eidem eccleſiæ & conventui in teſtamento ſuo legaverit ; nobiſque ſuper dicto legato plenam diſpoſitionem contribuerit, prout in dicto ejus teſtamento latius continetur: idcirco capiens quod juxta voluntatem ipſius, quam & iuſtum & pium eſt debere inviolabiliter obſervari, libri prædicti, quos omnes, de ipſis inventarium conſici facientes, aſſignari fecimus venerabili viro Fratri Martino ejuſdem conventus Priori, in bibliotheca, ſive libraria dicti conventus reponantur ; ac pro decore ipſius loci, & ob memoriam teſtatoris perpetuo ſervandam, vos impenſe duximus eſſe rogandos, ut eorumdem librorum diligenter curam habentes, eos in dicta bibliotheca ad uſum ſtudiorum quorumcumque, quos ipſi Fratres ſecundum ipſorum ordinationem in eis ſtudere præſumpſerint, reponi faciatis ; eorum nihilominus inventarium ad perpetuam rei memoriam in Cancellaria Communis veſtri deſcribentes.

Prohibemus autem omnino, ne quiſquam Fratrum dicti ordinis, aut quiſpiam alius cujuſcumque dignitatis, gradus, conditionis, aut præeminentiæ fuerit, dictos libros, aut aliquem eorum quovis modo alienare, aut pignori obligare, aut commodare, ſeu quocumque modo, vel ſub quocumque prætextu aut colore extra dictum conventum exportare, aut exportari facere præſumat ; quod ſi quiſquam, quod non credimus, attemptare voluerit, vos ne id ullo pacto fiat debitis provideatis remediis ; ſuper quo plenam vobis tenore præſentium concedimus facultatem, ſalvis ultra id manentibus prohibitionibus, & pœnis de non alienandis, neque inde exportandis libris dicti conventus, editis per ſacroſanctum D. N. Papam, ut in quodam . . . . deſuper confecto latius continetur ; & per Reverendum Patrem D. Magiſtrum dicti Ordinis Generalem, ut in quibuſdam etiam ipſius litteris dicitur contineri ; in cujus rei fidem, & teſtimonium præſentes noſtras litteras exinde fieri fecimus & mandavimus, ſigillique noſtri juſſimus, & fecimus appenſione communiri.

Dat. Romæ in domibus noſtræ habitationis die

X. Ja-

X. Januarii 1476. Pontificatus prædicti Sanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N. D. Sixti divina providentia Papæ IIII. anno V.

Galeottus Bondus.

Diploma pontificium pro eadem bibliotheca.

Sixtus IV. Pontifex Maximus eamdem bibliothecam diplomate pontificio communivit, & anathematis pœna interpoſita, vetuit vel unum folium inde auferri diſtrahique.

Sixtus Papa IIII. Dilecti filii, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Deferuntur iſta volumina librorum, quos bon. mem. Fantinus de Valle, quondam palatii noſtri cauſarum auditor, conventui S. Crucis in inſula Bua iſtius civitatis pie donavit atque reliquit, ut viventibus & poſteris animum ſuum doctrina excolere cupientibus uſui eſſe poſſint. Itaque vos paterna pro miniſterio paſtoralis officii hortamur in Domino charitate, & attente monemus, ut hujuſmodi volumina in bibliotheca conventus prædicti locare curetis, & ad publicam Fratrum & aliorum utilitatem ſervari; omnes & ſingulos, qui volumina ipſa, vel aliquid ex ipſis ſubtrahere aut occultare præſumpſerit, excommunicationis ſententiæ ſubjacere harum ſerie decernimus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris die XVI. Januarii MCCCCLXXVI. Pontificatus noſtri anno quinto.

Ludovicus Coriolanus de Cipico per Tragurienſes in Epiſcopum nequicquam electus.

Quod antea Tragurienſes fruſtra fecerant, iterum tentare aggreſſi ſunt, & accerſitis ad comitia epiſcopalia, quibus jus erat Conſilii publici adeundi, & ſuffragii ferendi, Ludovicum Corolianum de Cipico in Epiſcopum elegerunt, ut conſtat ex libro conſiliorum.

Domini Ludovici Coriolani de Cipico Juris Canonici Doctoris electio in Epiſc. Tragurien.

1483. die 27. menſis Novembris. In generali Conſilio nobilium civit. Trag., voce preconia, & ad ſonum campane, ut moris eſt, de mandato ſupradicti magnifici Domini Comitis, & in ſala inferiori eorum palatii congregato, acta fuerunt infraſcripta. Primum enim per ſcrutinium, ſecundum privilegia, jura, & conſuetudines obſervatas, per majorem partem ipſius Conſilii nobilium fuit electus in Epiſcopum Tragurien. Dominus Ludovicus Coriolanus de Cipico Juris Canonici Doctor &c. Margini adſcriptum eſt: *Electio futuri Epiſcopi, loco Reverendiſſimi Domini Jacobi Turlono olim & ultimi Ep. Trag.* Sed hæc quoque electio irrita fuit.

LEONELLUS EP. TRAGURIEN. XXII.

Leonellus primum Arbenſis, deinde Tragurienſis Epiſcopus, demum Concordienſis.

Nobiliſſima & perantiqua familia Clericata natus eſt Vicetiæ; qua ex familia multi Epiſcopi, virique illuſtres prodierunt. Romam cum ſe contuliſſet, inter Præſules Romanæ curiæ locum obtinuit. Vicarius fuit Baſilicæ Vaticanæ, & cum funeri Carlottæ Reginæ Cypri juſta ſolverentur, ad regales exſequias celebrandas ſollemne ſacrificium fecit. Hunc Sixtus IV. primum Arbenſibus anno 1472., deinde Tragurienſibus anno 1484. Epiſcopum præfecit. Anno ſequenti nominatum invenio in tabulis Tragurienſibus: 1485. *Indict. 3. die Sab. men. April. In eccleſia cathedrali extra chorum coram Reverendiſſimo in Chriſto Patre Domino Domino Leonello Dei & Apoſtolice Sedis gratia Epiſcopo Trag. digniſſimo &c.* Huic eccleſiæ quadriennio præfuit. Anno ſiquidem 1488. juſſu Innocentii VIII. Tragurienſem cum Eccleſia Concordienſi commutavit, de quo Ughellus in Epiſcopis Concordienſibus: *Leonellus Cheregattus Nob. Vicentinus Epiſcopus Tragurienſis ad Eccleſiam Concordienſem fuit translatus ab Innocentio VIII. anno 1488. die 22. menſis Octobris. Apud Romanos Pontifices Præſul eximiæ æſtimationis fuit, pro quibus in Gallia, Germaniave, ad Cæſarem, & Venetos de maximis rebus eſt legatus.* Obiit anno 1506., ut docet Auctor editionis Ughellianæ Venetæ, eruditeque oſtendit falſum eſſe Ughellum, qui Concordienſem Leonelli Pontificatum brevem fuiſſe ſcripſit.

FRANCISCUS EP. TRAGURIEN. XXIII.

Patricius Venetus de gente Marcella, quæ inde uſque a principio imperii Veneti nobilitatem ſui generis, inſignium virorum, & illuſtrium factorum ſplendore magis in dies magiſque auctam, ad hæc uſque tempora perduxit. Hunc Leonello Clericato Innocentius VIII. ſubrogavit anno 1489., & anno proximo ineunte jam Tragurium venerat, hujuſque Eccleſiæ gubernacula ſuſceperat, ut docent tabulæ ejuſdem Eccleſiæ. *In Chriſti nomine, amen. Anno 1490. Indict. 8. men. Martii. In eccleſia S. Laurentii extra chorum ipſius eccleſie in preſentia & coram Reverendiſſimo in Chriſto Patre & D. D. Franciſco Marcello Dei & Apoſtolice Sedis gratia Epiſcopo Trag. digniſſimo, magnifico & gener. viro D. Paſquale Foſcareno tunc Com. & Cap. Trag. magnifico D. Petro Marcello fratre ſupradict. Reverendiſſimi D. Epiſcopi.* Sub initium Epiſcopatus lites habuit cum Capitulo, quas ut componeret, auctor fuit, ſimulque leges præſcripſit, in quas concordia utrinque convenit, Vitus de Ruſchis Epiſcopus Dumnenſis, idemque Vicarius generalis Bartholomæi Averoldi Archiepiſcopi Spalatenſis, litteris prudentiſſimis ad eum datis anno 1490. v. Kal. Novembris, quæ in archivo curiæ epiſcopalis aſſervantur. Anno 1493. Joannes de Luciis nomine Capituli Tragurienſis petiit ab Auguſtino Barbadico Venetorum Duce, atque impetravit, ut oblationes quædam, quæ ſolebant quondam exſolvi Canonicis Tragurienſibus ex ærario illius civitatis, in poſterum eiſdem iterum ſolvi deberent. Ducis diploma e tabulario capitulari Tragurienſi hic ſubjicio.

Litteræ ducales quod camera fiſcalis ſolvat pro cereis, & laudibus Capitulo Trag.

Auguſtinus Barbadico Dei gratia Dux Venet. nob. & ſap. viris Marco Pizzamano de ſuo mandato Co. Tragurii, & ſucceſſoribus ſuis fidelibus dilectis, ſalutem, & dilectionis affectum. Comparuit ad preſentiam noſtri Dominii prudens fidelis civis noſter Tragurien. Joannes de Luciis nomine venerabilium Canonicorum, & Capituli iſtius cathedralis eccleſie, & expoſuit, quod cum per antiquas & approbatas conſuetudines, atque ſtatuta iſtius civitatis noſtre, tam ante acquiſitionem illius, quam poſt conſuetum fuerit dari eccleſie predicte de pecuniis iſtius camere noſtre ſingulis quibuſque annis quaſdam laudes, videlicet in feſtivitatibus Sanctorum Laurentii Martiris, & Joannis Confeſſoris protectoris civitatis, quattuor duplerios ſeu cereos; item in feſtivitatibus, vid. Nativitatis Domini, Reſurrectionis, & Sanctorum Laurentii & Joannis predictorum, libras tres parvorum pro qualibet predictarum quattuor feſtivitatum quoquo anno de pecuniis camere predicte, ad Dei honorem & gloriam, & pro augumento & conſervatione ſtatus noſtri, & ſimiliter libras tres in anno pro feſtivitate acquiſitionis & ingreſſus iſtius civitatis noſtre. Sed a certo tempore citra nihil, vel parum obſervatum fuiſſe de predictis laudi-

bus, & oblationibus. Et ideo idem Joannes nomine quo supra humiliter petiit velimus providere, quod sicut hactenus laudabiliter observate fuerunt predicte antique & approbate consuetudines, ita in futurum observentur. Unde petitionem hujusmodi honestam & equam censentes, volumus, & mandamus vobis, ut de cetero solvi faciatis de pecuniis istius camere nostre laudes, & oblationes predictas, si sic per elapsum reperietis solutas fuisse, quoniam intendimus circa petitionem hujusmodi piam & honestam morem gerere istis venerabilibus Canonicis & Capitulo in satisfactionem precipue universe civitatis istius, ut summo Deo nostro merite & condigne gratie reddantur, tam pro memoria acquisitionis civitatis istius nostre, quam pro augumento status nostri; & sic observare, & observari facere singulis annis ad perpetuum decus, & memoriam Dominii nostri. Has autem ad successorum memoriam registrari facite, & presentanti restitui.

Dat. in nostro ducali palatio die 12. Aprilis, Ind. 11. 1493.

Turcæ oram maritimam inter Tilurum & Naronem obtinent.

Sub exitum hujus sæculi cum Bajazethes Rex Turcarum Venetis bellum intulisset, præter Hertzegovinam universam, oram maritimam inter Naronem & Tilurum fere omnem cum urbe Macarscha sub potestatem redegit. Utrinque Turcæ Spalatensibus pariter ac Tragurienſibus infesti esse cœperunt. Tunc villæ littorales, quæ Salonæ & Tragurio interjacent, mœnibus & propugnaculis septæ, ut incolis perfugio essent adversus Turcarum incursiones. Hæc sunt octo vel septem illa castella impositа littori, quorum tria ad Spalatensem, reliqua ad Tragurienſem urbem ac diœcesim pertinent. Cum vero Busilinia, sive Bussiglina, quæ Tragurio in occasum distat millia passuum fere septem, juris esset ac mensæ episcopalis; ibidem Franciscus castellum exstruxit egregie munitum, quod villicis & colonis episcopalibus, eorumque rebus tutum refugium ac receptum præberet, cum repentina aliqua Turcarum irruptio in ea loca immineret. Castelli conditorem declarabat inscriptio supra januam tabulæ marmoreæ insculpta, cum stemmate gentis Marcellæ.

Franciscus Castellum Busiliniæ exstruxit.

MCCCCC. K. K. Augusti
Franciſci Marcelli Patritii Veneti Pontificis Tragurini hec universis ere proprio uti singulare munimen propugnacula constant.

In eo loco, qui Drit appellatur, estque villa primaria totius Busiliniæ, seu Buliniæ, quam veteres Hyllim peninsulam vocabant, antiqua & summa religione colebatur effigies quædam Deiparæ Virginis, miraculis celeberrima. Hanc Franciscus Marcellus, ne in Turcarum potestatem veniret, transferri jussit ad Buam insulam, atque apud Patres Franciscanos in templo SS. Antonii & Mariæ Magdalenæ honorifice collocari; nec vero mutatio loci cultum sanctissimæ imaginis diminuit, quin magis magisque auxit; & Franciscano templo celebritatem tantam, & supplicum populorum frequentiam conciliavit, ut exinde, veteri titulo exsoleto, ab *S. Maria de Drit* vulgo cognominari cœperit, quod quidem cognomen etiamnum retinet. Franciscus Episcopus & Canonici Tragurienses anno 1500. mense Novembri decreverunt, ne quis in posterum in ecclesia cathedrali sibi fieri sepulcra possit, ut patet e monumento, quod ex tabulario Capituli Tragurienſis operæ pretium est hic subjicere.

Decretum Episcopi, & Capituli de amplius non concedendo in ecclesia cathedrali fieri sepulcra.

In Christi nomine, amen. Millesimo quingentesimo, Ind. 3. die vero Veneris sexto mensis Novembris; Pontificatus autem sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Alexandri divina providentia PP. VI. anno nono. Congregatis venerabilibus Canonicis ecclesie kathedralis Tragurien. in camera cubiculari Reverendi in Christo Patris & Domini Domini Franciſci Marcello Dei & Apostolice Sedis gratia Episcopi Tragurien. dignissimi. In cujus presentia hii interfuerunt, Dominus Joannes Staphileus U. J. D. Archidiaconus & Canonicus, Dominus Suetonius Primicerius, Dominus Michael Bratoerich, Dominus Michael q. Ostoye, Dominus Christoforus Capellanus prefati Reverendi Domini Episcopi nomine suo, & nomine Domini Simonis Villandich non valentis interesse ob infirmitatem, ut asseruit, Dominus Antonius Antoricus Ostoye, Ibique omnes capitulariter sedentes per presens decretum statuerunt, ac unanimiter decreverunt, & determinaverunt, quod de cetero nemini amplius concedi debeat sepulturas fieri in dicta kathedrali ecclesia, neque per Dominum Episcopum, neque per Capitulum presentem, nec qui pro tempore fuerint; & illi vero, quibus per predictorum aliquem jam fieri permissum & concessum dinoscitur, facere debeant, & teneantur hinc ad menses octo proxime futuros super locum sibi concessum sepulturas lapideas, que sint plane, & pavimento dicte ecclesie equales, & quod in aliquo non excedant planiciem ipsius pavimenti; in quo lapide, seu planca litteras sculpiri valeant & suorum insignia titulorum non relevatas, sed cavatas tantum, alioquin elapso dictorum mensium termino, amplius ibi nec fieri sepulcra, nec recondi cadavera mortuorum possit; quod quidem decretum firmiter, & inviolabiliter observari statuerunt, prout superius ad unguem est dictum, & declaratum; quod decretum tactis sacrosanctis confirmaverunt tam ipse Reverendus Dominus Episcopus, quam ceteri omnes predictorum sub pena perjurii. In quorum fidem has fieri jusserunt, & sigillorum ipsius Reverendi Domini Episcopi, & Capituli appensione muniri.

Ego Joannes Lipeus civis Tragurii Imp. auct. not. . . . & curatus, & ad presens prefati Reverendi Domini Episcopi & Capituli Cancellarius, omnibus & singulis premissis interfui, & mandat . . . Episcopi, & Capituli scripsi, & meum signum apposui conſ. . . . .

Anno 1518. litteras ducales impetravit Franciscus, quæ rectoribus civitatis jus adimebant permutandi, dimittendi, aliosque in locum dimissorum subrogandi villicos & colonos prædiorum episcopalium, quod quidem jus ecclesiasticæ immunitati repugnans illi Marcello absente temere usurpayerant.

Litteræ ducales pro immunitate ecclesiastica.

Leonardus Lauredano, Dei gratia Dux Venetiarum &c. nobilibus & sapientibus viris Alexandro Georgio de suo mandato Comiti Tragurii, & successoribus suis fid. dilectis salutem, & dilectionis affectum. Gravi querimonia nobis exponi fecit Rev. Dom. Episcopus Trag. Franciſcus Marcellus, quod tempore, quo ab ipsa urbe nostra abfuit, per rectores nostros istic, contra omnem equitatem & contra litteras nostras sub die 8. Januarii 1471. predecessori tunc vestro & vobis successori scriptas, quibus mandatum est, quod contra jura & consuetudines Episcopatus ipsius circa colonos, & villicos possessionum, & ter-

ra-

varum ipſius Epiſcopatus ponendos, permutandos, & licentiandos nihil innovetur, neque ſpiritualis juriſdictio violetur; ſcriptum, locatum, & diſtributum fuit de dictis poſſeſſionibus diverſis perſonis, in grave damnum ipſius Rev. Epiſcopi, & præjuditium juriſdictionis ipſius, qui propterea a nobis inſtantiſſime petiit, ut quamcumque locationem dictarum terrarum, factam per dictos rectores noſtros colonis ipſius Rev. Epiſcopi, aut aliis, & omnia alia acta per ipſos circa dictas terras & eorum colonos, cum ad eorum forum minime ſpectaverit, revocari, & retractari facere vellemus. Quapropter cupientes nos juſtæ & æquæ petitioni ipſius Rev. Epiſcopi ſatisfacere, efficaciſſime vobis mandamus, ut quæcumque facta ſunt per rectores noſtros iſtic, abſente & inſcio ipſo Rev. Epiſcopo, circa ejus colonos & terras Epiſcopatus, tanquam indebite, & incompetenter facta retractari faciatis, permittatiſque, ut de ipſis idem Rev. Epiſcopus, vel ejus procurator diſponat ad libitum ſuum, ſicut eſt conveniens & honeſtum; haſque, & prædictas litteras noſtras ita obſervabitis, ut prædictus Rev. Epiſcopus nullam amplius cauſam habeat conquerendi, non ſecedendo a conſuetudine probata, & antiqua, quemadmodum in dictis litteris noſtris continetur. Has autem ad ſucceſſorum memoriam regiſtrari facite, & præſentanti reſtituite. Dat. in noſtro ducali palatio, die 9. Februarii 1518.

Annos amplius triginta Eccleſiam Tragurienſem adminiſtravit. Diem obiit ſupremum anno 1524. Hoc eodem anno ſacellum & altare B. Joannis Tragurienſis Epiſcopi, jam inde ab anno 58. ſuperioris ſæculi inchoatum, ſed poſt mortem Jacobi Turloni intermiſſum, Tragurienſes perficiendum locarunt magiſtro Antonio Florentino, nobili ea tempeſtate architecto; ſed hujus mors, paullo poſt conſecuta, præclari conſilii atque operis exſequendi facultatem ademit.

THOMAS II. EP. TRAGURIENSIS XXIV.

Thomas e Scardonenſi ad Tragurienſem Eccleſiam translatus.

Patria Spalatenſis, cognomento de Nigris, vir excellentis doctrinæ, religionis, ac prudentiæ; de quo plura in Epiſcopis Scardonenſibus. Cum Scardona ſub imperium ac tyrannidem Turcarum cecidiſſet anno 1523. Clemens VII. anno ſequenti Thomam Tragurienſi Eccleſiæ Epiſcopum præfecit, ut eſt in tabulis conſiſtorialibus: 24. *Auguſti* 1524. *tranſtulit D. Thomam Epiſcopum Scardonenſem ad Eccleſiam Tragurienſem vacantem per obitum D. Marcelli extra Romanam curiam defuncti, ſine retentione penſionis, ſed cum retentione beneficiorum obtentorum.* Vix hujus eccleſiæ poſſeſſionem adierat, cum ipſe Romam miſſus eſt ad Clementem VII. lætiſſimus nuncius Cliſſæ ab obſidione Turcarum liberatæ, & præclaræ victoriæ de hoſtibus chriſtiani nominis reportatæ; ut docent tabulæ conſiſtoriales: 23. *Septembris* 1524. *Thomas Niger Epiſcopus Tragurien. nuper Scardonenſis, fuit introductus in ſac. Conſiſtorium; plurima retulit de conſervata Cliſſa, & profligatis hoſtibus, auſpiciis, & ope Sanctiſſimi; nec non de maximo Turcarum in nos apparatu terra marique.* Ne integrum quidem annum Eccleſiæ Tragurienſi præfuit; hanc ſiquidem anno ſequenti ſub initium Junii, permiſſu Pontificis ſummi, tradidit ſororis filio, quod ſcilicet ob ſenectutem & incommodam valetudinem epiſcopali muneri ſuſtinendo non eſſet. Biennio poſt Spalati deceſſit, illatuſque eſt in ædem Franciſcanam S. Mariæ de Palude haud ita longe ab urbe disjunctam. Conditus fuit ante ſummum altare in ipſo odei veſtibulo; & lapidi ſepulcrali hoc epitaphium inſcriptum eſt.

Eccleſiam Trag. dimiſit.

Ejus ſepul. crũ & epitaphium.

Dalmata Thomas Niger Spalatenſis, & ordine Preſul
Ex Scardonenſi Tragurienſis hic eſt.
Cui Leo tunc decimus, mox Clemens ſeptimus iſtud
Contulit abnuenti pontificale decus.
Ut ſua que fuerint merito premia, binus
Teſtatur honos gratis & ultra datus.
Unum Turca ferox, alium pia cura nepotis
Abſtulit; amborum ſit pia cura Deo.
Anno Salutis MDXXVII.

CHRISTOPHORUS EP. TRAGUR. XXV.

Erat itidem civis Spalatenſis, Canonicus & Archipresbyter ædis metropolitanæ, genitus e ſorore Thomæ de Nigris, quæ nupſerat in familiam æque claram *de Baliſtis*. Ut gratum erga avunculum, ac memorem animum gereret propter Epiſcopatum ab eo ſibi traditum, maternum cognomen cum paterno conjunctum ſibi adoptavit; & nunc uno, nunc alio in monumentis illorum temporum affici ſolet. Clemens VII. eccleſiæ illi ab avunculo collatæ Epiſcopum rite confirmavit: 7. *Junii* 1525. *providit Eccleſiæ Tragurienſi vacanti per ceſſionem D. Thomæ Epiſcopi Tragurienſis, de perſona Chriſtophori Nigri Canonici & Archipresbyteri Eccleſiæ Spalatenſis, ejuſdem Thomæ Epiſcopi nepotis, reſervata penſione centum ducatorum & cum retentione obtentorum per Chriſtophorum.* Ex tabulis conſiſtor. In tabulis Tragurienſibus an. 1526. & 1529. adhuc *Electus* nominatur, propterea fortaſſe quod nondum Tragurium venerat, & eccleſiæ ſibi traditæ poſſeſſionem adierat. Sane Venetiis erat an. 1527. menſe Majo, ut conſtat ex quodam ejus actu juridico in illa urbe conſcripto. Conductores prædiorum epiſcopalium agros ſibi locatos ſua diligentia culturaque meliores factos eſſe contendebant; ſuam autem induſtriam, ſumptus, & laborem compenſari volebant. Chriſtophorus iis, quos redituum epiſcopalium curatores conſtituerat, peculiare mandatum dedit, ut æſtimatorem idoneum, ac peritum rei agrariæ accerſerent, qui cognoſceret, ſtatueret, judicaret, quid & quantum emolumenti vel detrimenti cœpiſſent illi agri ex induſtria vel incuria conductorum.

De compenſandis conductoribus prædiorũ epiſcopalium & amovendis, vel retinendis, mandatum a Chriſtophoro Venetiis tranſmiſſũ ad ſuos procuratores.

In Chriſti nomine, amen. Anno a nativitate ejuſdem 1527. *Indict.* 15. *die Mercurii, octavo menſis Maji. Rever. in Chriſto Pater D. Chriſtophorus de Baliſtis Epiſcopus Tragurien. electus, non derogando aliquando a mandato, ſeu procurationis inſtrumento per ſuam Ven. Dominationem facto in perſona Rev. D. Joannis Scander Canonici Tragurien. & D. Joannis Laurentii Dragatii ſimiliter ipſius loci, imo eum confirmando, ratificando, & approbando in omnibus ſuis partibus, tenore præſentis inſtrumenti publici omni, quo decuit, meliori modo. Conſtitutus . . . creavit præfatosmet Dominos procuratores ſuos abſentes, tamquam præſentes particulariter & expreſſe ad omnia infraſcripta peragenda, in ipſum D. Joannem Scander Canonicum ſolum ad intelligendum . . . . poſſendum, & debendum nomine ipſius Rev. D. Epiſcopi conſtituentis, quæcumque ſibi . . . . æſtimatorem idoneum, ſufficientem ad . . . . ad reſtimandum melioramenta & deterio-*

ramenta asserta per conductores Episcopatus super possessionibus ipsius Episcopatus, de quibus, & super quibus vertitur differentia, servatis tamen forma & modis in similibus solitis juxta morem civit. Tragurien. omnibus & per omnia, ac quemadmodum ipse Rev. Dom. Episcopus in præmissis, si præsens de continuo foret, agere & facere posset. Nec non ipse Rev. Dom. Chris. similiter tenore hujusmodi instrumenti dat, concedit, & attribuit ambobus ipsis suis Dominis procuratoribus facultatem, auctoritatem, & licentiam cassandi & licentiandi omnes & quoscumque officiales, & villicos ipsius Episcopatus sortis cujuscumque; aliosque de novo eligendi, creandi, & ponendi loco ipsorum licentiatorum, ad beneplacitum tamen ipsius Rev. Dom. Episcopi constituentis: servando in hoc omnes, & quascumque solemnitates in similibus solitas, & censuras, atque ipse Rev. Dom. Christophorus agere, facere, ordinare posset, si præsens de continuo foret; servata tamen voluntate, & intentione sua, prout superius dictum est. Promittens ipse Rev. Dominus Episcopus Tragurien. constituens, omnia, & quæcumque, quæ agenda, facienda, & procuranda per ipsos suos Dominos procuratores, tamquam per se, & simul, ut dictum est & expressum; habere firmum, & ratum, attendere, & observare, non contrafacere, vel contravenire aliqua ratione vel causa, sub obligatione & hypotheca omnium & singulorum suorum bonorum, præsentium, & futurorum.

Actum Venetiis in consinio S. Mariæ formosæ, in domo habitationis suprascripti Rever. Domini Episcopi, præsentibus Dom. Joanne Quarcio præsente, & clerico Antonio Pagense fidem facientibus, pro nomine, & cognomine suprascripti V. D. Episcopi, testibus vocatis, & rogatis.

Cœnobium suburbanũ S. Francisci tertio dirutum, & translatum ad Buã insulam.

Turcæ anno 1537. cum bellum, quod jamdiu cum Hungaris gerebant, Venetis quoque minitarentur, Nedinum, Clissam, Auranam, & loca finitima territorio Tragurienſi sub potestatem redegerant. Tum ex Campo magno, quæ pars est ejusdem territorii non exigua, item ex aliis villis propinquioribus incolarum fuga & dispersio facta est; alii ad insulam Buam, alii ad insulam Bractiam migrarunt. Tragurienses veriti, ne Turcæ urbem obsiderent, Camillo Ursino jubente, summo armorum imperatore in Dalmatia, tertio diruerunt cœnobium suburbanum S. Francisci, quod deinde ad insulam Buam translatum fuit ex decreto Zachariæ de Aurio Prætoris; & ecclesia ac domus S. Lazari curandis elephantiacis sive leprosis exstructa Patribus Francilcanis tradita est.

1538. *die 3. mensis Septembris.*

Decretum Zachariæ de Aurio Prætoris.

Nos Zacharias Aurio pro Illustrissimo & Excellentissimo Duc. Dominio Ven. &c. Comes, & Capitaneus Tragurii, suique districtus. Cum sit quod de mandato Illustris ac Excellentissimi D. Camilli Ursini Gubernatoris generalis Dalmatiæ destructa, & irrita fuerit ecclesia, & conventus RR. Fratrum S. Francisci extra portam terræ firmæ istius civitatis Tragurii pro publico beneficio, & consumpti fuerint lapides & lignamina in bastionis & aliis necessariis pro beneficio Illustrissimi Dominii, & usu istius civitatis, & positi fuerint lapides portæ dictæ ecclesiæ in porta nova istius civitatis, & alios lapides in obturando portam veterem, & alia necessaria faciendo, & lignamina posita fuerint in bastionis noviter factis pro conservatione istius civitatis; volentes dictos DD. Fratres in aliquo remunerare, & ipsis providere de aliquo loco, ubi habitare possint, & sibi nomine dictæ religionis reædificare alterum monasterium, ubi dicti homines habitare possint, ne totaliter ex civitate & territorio cum maximo incommodo hujus civitatis communicandi officia eorum ..... & ut habeant locum ubi commorari possint, pro beneficio hujus civitatis concelebrando divina officia, nomine prædicti Illustrissimi Dominii Veneti, ad ipsius Dominii beneplacitum damus, impartimur, concedimus Reverendo D. Magistro Valerio Justinopolitano ministro provinciæ Dalmatiæ ordinis S. Francisci, nomine ordinis, & religionis dicti S. Francisci, ipsumque investimus de ecclesia & loco dicti S. Lazari positi in insula Bua cum domibus ibi contiguis, ac omnibus juribus & pertinentiis dictæ ecclesiæ S. Lazari quomodocumque spectantibus & pertinentibus; cum suis ingressibus & egressibus usque in vias publicas, & aliis omnibus juribus dictæ ecclesiæ, quomodocumque spectantibus & pertinentibus; dando ipsi Reverendo D. Valerio nomine dictæ religionis seu alio Fratri dictæ religionis ejus nomine plenariam libertatem & auctoritatem ingrediendi in dictum locum dicti S. Lazari, & possessionem corporalem ad sui beneplacitum accipiendi, & ibi standi, & habitandi cum quibuscumque Fratribus dictæ religionis, fabricandi, utendi, & omnia alia necessaria faciendi pro commoditate dictorum Fratrum, prout decet veris patronis, ad beneplacitum tamen Illustrissimi Dominii ut supra; hac tamen conditione quod Domina Gelina, quæ ad præsens habitat uti gubernatrix dicti loci S. Lazari, in certa domuncula jurisdictionis dictæ ecclesiæ, non possit in vim expelli ex dicta domo ab ipsis Fratribus donec vixerit, & hoc omni meliori modo. Actum Tragurii in camera inferiori palatii, præsentibus D. Matthæo Quarco, Joanne de Rosanis, & Jacobo Tavileo testibus.

Sed quod Prætor præclare decreverat, ne statim perfici posset, aliud ex alio impedivit. Cœnobium illud suburbanum tertio refectum & restitutum jam inde a sæculo decimotertio possidebant Patres Franciscani severioris disciplinæ. Post secundam ejusdem demolitionem vel traditum fuit Francilcanis alterius ordinis, quos vocant Conventuales, vel certe hi, cum ab illis desertum fuisset, in eorum locum successerunt: nam cum illud ob bellum Turcicum tertio dirutum fuit, Patribus Conventualibus ademptum fuisse traditur in tabulis anno 1573. confectis; atque idcirco iisdem aliud domicilium prope ab urbe in insula Bua ædificatum est. Iidem Patres Conventuales everso amissoque suburbano illo cœnobio in civitatem se receperunt, & multos deinde annos in domo conducta admodum angusta incommodissime habitarunt.

Anno 1553. die vigesima prima Augusti Canonici Tragurienses cum Sibenicensibus impetrarunt a Senatu Veneto, ut quos vocant *beneficii* ecclesiastici, qui octo ducatorum reditum non excedunt in Dalmatia, a decimis sint exempti, ut ex litteris Marci Antonii Trivisani Venetorum Ducis eodem anno & mense datis colligitur, quæ in tabulario capitulari Tragurienſi asservantur.

Christophorus plerumque Spalati domi suæ habitabat, & si quando Tragurium adiret, ad breve tempus ibi morabatur, quod fortassis cælum patrium salubrius sibi esse opinaretur. Rei christianæ & ecclesiasticæ administrationem fere omnem in suum generalem Vicarium transtulerat. Tragurienses præsentia sui pastoris cum ægre

Ca-

carerent, vetuerunt e territorio Tragurienſi partem ullam epiſcopalium reditnum exportari. Sed Veneti Senatus auctoritate interpoſita id obtinuit, ut ex illis proventibus, quod ſatis eſſet ad victum cultumque epiſcopali dignitati congruentem, ſibi ſuppeditaretur: quod vero ſupereſſet, id illius procuratores in urbe divenderent; nec vero ad Stratiotas, quæ pars erat militiæ Venetæ, alendos tranſmitti juberentur. Id conſtat ex duabus litteris ducalibus, datis anno 1556. menſe Januario, & anno ſequenti menſe Junio. Annos fere quatuor ſupra triginta Epiſcopatum Tragurienſem geſſit ac retinuit. Ex hac vita migravit anno 1559., ut colligitur ex codice publicorum conſiliorum, in quo decretum fuit anno eodem 1559. *die* 25. *Novembris*, ut cum urbis Epiſcopus e vita deceſſerit, a Pontifice, & Senatu peteretur facultas conferendi annuos reditus *Sedis vacantis* ad publicum valetudinarium ædificandum.

FEDERICUS EP. TRAGURIENSIS XXVI.

E gente Cornelia inter patricias Venetas familias longe ampliſſima, filius *Joannis graviſſimi Senatoris, regnique Cypri Commendatoris, natus an.* 1531. XVIII. *Kal. Julias, & Eques Hieroſolymitanus*. Ex Ughello. Huic anno 1560. Pius IV. Eccleſiam Tragurienſem decrevit, quam ipſe abſens regendam tradidit Thomæ Sperandeo, eumque Vicarium ſuum generalem conſtituit. Hic anno eodem, v. Idus Junias, nomine ipſius Federici ritu ſollemni ac juridico poſſeſſionem adivit caſtri epiſcopalis Buſſiliniæ, quod Franciſcus Marcellus ſæculo ſuperiori exſtruxerat.

Federicus poſſeſſionē Caſtri Buſſiliniæ adivit.

Inſtrumentum poſſeſſionis Caſtri Boſſilinæ adeptum ab Illuſtriſſimo Federico Cornelio Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopi Tragurien.

Die 9. *Junii* 1560., *die vero Dominico, R. D. Thomas Sperandeo J. U. D. Reverendiſſimi D. Epiſcopi antedicti Vic. gen. & Procur. a D. Joanne Baptiſta de Prata V. Cancellario Prætorio & Commilitone Prætorio aſſociatus fuit ad Caſtrum ſive fortalitium dicti Epiſcopatus Tragurien., vocatum Boſſilina; & ibidem per apertionem portarum Caſtri, & conſignationem clavium ipſius, & alia ſigna neceſſaria & ſolita, idem Reverendus D. procurator fuit in poſſeſſione poſitus, & reali tenuta dicti Caſtri, cum omnibus ſuis habentiis, pertinentiis, & juriſdictionibus, utilitatibus, reditibus, & proventibus quibuſcumque, quæ ſpectant, & quæ ſpectare poſſunt in futurum Epiſcopatui Tragurienſi prædicto; & præmiſſa acta fuerunt, nemine ſe opponente, ſeu contradicente, præſentibus magnifico Equite Domino Stephano Lucio &c.*

Federici ad Bergomenſem, deinde ad Patavinam Eccleſiam translatio, mors, & epitaphium.

Anno 1561. Federicus Tragurienſem Aloyſio fratri tradidit, & ab eo Bergomatem Epiſcopatum accepit. Hinc autem anno 1567. translatus eſt ad regendam Eccleſiam Patavinam, ac deinde a Sixto V. in collegium Cardinalium cooptatus. Romæ deceſſit anno 1590. Ejus corpus Patavium, uti in ſupremis tabulis ipſe juſſerat, tranſvectum eſt, & marmoreo ſepulcro conditum in æde cathedrali cum hoc epitaphio.

Federico Cornelio S. R. E. Cardinali Epiſcopo Patavino adductis Roma oſſibus hæredes teſtamento P. P. Vixit annis LIX. menſes III. D. XX. Obiit nonis Octob. MDXC.

ALOYSIUS EP. TRAGURIENSIS XXVII.

Aloyſius Cornelius Cardinalis e Bergomate Tragurien. Epiſcopus.

Ex eadem Corneliorum familia, Federici frater, ab Julio III. Cardinalis creatus, Epiſcopatum Bergomatem, quem ad breve tempus tenuit, cum Tragurienſi commutavit, quem retinuit uſque ad annum 1567. Abſens eccleſiæ hujus adminiſtrationem commiſit Chriſtophoro de Andreis Canonico Tragurienſi, quem Vicarium generalem ſibi allegerat, ut docent tabulæ anno 1562. & 1563. confectæ, quarum initium eſt hujuſmodi: *Chriſtophorus Canonicus Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi D.D. Aloyſii miſer. div. S. R. E. Cardinalis Cornelii nuncupati, Eccl. Tragurien. adminiſtratoris perpetui, in ſpiritualibus & temporalibus Vicar. gen. & Locumtenens*. Deinde ejuſdem eccleſiæ procurationem mandavit Mutio Calino Archiepiſcopo Jadrenſi, qui e Concilio Tridentino reverſus, poſtquam longo intervallo Metropolim ſuam interviſerat, & quibus indigebat, adjumentis & præſidiis rem chriſtianam & eccleſiaſticam firmaverat; Tragurium ſe contulit anno 1565., urbem ac diœceſim luſtravit, atque ad cleri populique mores reformandos duodetriginta conſtitutiones doctrinæ ac prudentiæ plenas reliquit, quibus hic titulus præfigitur: *Reverendiſſimus in Chriſto Pater & D. D. Mutius miſeratione divina Archiep. Jadren., nec non Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi D. D. Aloyſii tit. S. Marci S. R. E. Presb. Card. Cornelii Eccleſiæ Tragurien. perpetui adminiſtratoris Locumtenens gen., & Commiſſarius, & Vic. gen. &c.*

Ejus Vicarii.

Synodus diœceſana, quam convocavit Mutius Calinus Archiep. Jadren. & Vicarius gen. Aloyſii Cornelii Ep. Tragur.

In Synodo igitur diœceſana, quam in ædem cathedralem S. Laurentii convocavit anno 1565. quo anno diem decimam quartam Octobris præpoſitis eccleſiarum ad conveniendum in urbem edixit; decreta ſacroſancti Concilii Tridentini promulgari juſſit, in quæ, itemque in omnia fidei catholicæ & Eccleſiæ Romanæ dogmata & ſanctiones, primum ipſe, tum reliqui omnes jurarunt. Cum de poſſeſſione Archidiaconatus Tragurienſis inter cives utriuſque ordinis graves & acerbæ contentiones eſſent, quæ ingentes tumultus exciverant, & jurgiis atque injuriis ultro citroque illatis, civitatem in duas factiones diſtraxerant; ne alterius partis animos magis exacerbaret, ſi ſecundum alterutram partem judicium ferret, controverſiam integram ad cognitionem & ſententiam legitimi judicis reſervari juſſit; interea ne quid in alterutram partem agere, vel moliri, vel de hac re diſceptare aut contendere quiſquam auderet, haud gravius, quam ſeverius prohibuit. Ex præſcripto ejuſdem Concilii Tridentini Seminarium clericorum deſignavit, ac de conſenſu Capituli magiſtrum ad clericos pietate & litteris imbuendos, itemque curatores Seminarii nominavit. E clero, cœtuque religioſorum hominum ſex viros delegit, inſigni doctrina atque eruditione præditos, quorum examen ac judicium competitores parœciarum ſubirent, eoſque Synodus approbavit. Decrevit duos Sacerdotes idoneos, & Sacramentorum conferendorum, atque animarum curandarum peritos, adjungendos eſſe Archipresbytero ædis cathedralis, qui in urbe atque ſuburbiis parochi munere fungitur, videlicet præfectum ſacrarii & alterum Presbyterum, quem ipſe Archipresbyter ſibi adjutorem elegerit. Hæc omnia cognoſci poſſunt ex tabulis archivi capitularis, quas hic ſubjicio.

Tenor

Tenor Conſtitutionum Eccleſiæ Tragurien.

I.

Exemplum Actorum in Synodo Tragurienſi.

In Chriſti nomine, amen. Per hoc præſens publicum inſtrumentum cunctis pateat evidenter & notum ſit, quod anno ab ejus Nativitate 1565. Indict. 8. die vero lunæ XV. menſis Octobris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Dom. noſtri D. Pii, divina providentia Papæ quarti, anno ejus ſexto, Rev. in Chriſto Pater & Dom. Dom. Mutius, miſeratione divina Archiepiſcopus Jadren. digniſſimus, nec non Illuſtriſs. ac Rever. Patris Dom. D. Aloyſii, tituli S. Marci Presbyteri Cardinalis Cornelii, Eccleſiæ Tragurien. perpetui adminiſtratoris digniſſimi locumtenens, & adminiſtrator gener. exiſtens, in viſitatione ipſius eccleſiæ, ut initium ſuæ viſitationis prædictæ, Deo favente, ſuum debitum ſortiatur effectum, & ut ipſa eccleſia priſtino honori & decori reſtituatur, ac clerus omnis eiuſdem eccleſiæ, vitæ inſtitutione & ſanctis moribus ornatus, gratum deinceps omnipotenti Deo præſtet famulatum, dioceſanam Synodum convocare voluit, ut infraſcriptas omnes, & ſingulas conſtitutiones, ordinationes, ſanctiones, & mandata per eum conſtituta, edita, & facta in memorata eccleſia Tragurienſi a clero ſuo & ceteris, quibus diriguntur perpetuo inviolabiliter obſervanda, & debitæ executioni demandanda præter . . . omnium hucuſque toto clero Tragurienſi factas intimationes denuo publicet . . . intimet, & cetera infraſcripta peragat. Convocato ergo, & per . . . publicum monito, & congregato toto clero Tragurienſi prædicto, acceſſit cum eodem ad memoratam eccleſiam S. Laurentii cathedralem præd. hora de mane, ibique decantata ſolemniter Miſſa de Spiritu Sancto, ingreſſus eſt Presbyterium, & ibi ſuper faldiſtorio ſibi parato ſedens, toto clero prædicto aſtante & audiente, ſuccinctum habuit ſermonem de cauſa, ob quam potiſſimum dioceſanam Synodum congregaverit, ut ſcilicet eis omnes & ſingulas conſtitutiones, & decreta Sacroſancti Oecumenici Tridentini Concilii ab eis omnibus & ſingulis, ut par eſt, recipienda & totis viribus obſervanda, prout & propoſuit, & deinde omnes & ſingulas conſtitutiones ſuas publicaret, & eis, & cuilibet eorum inſinuaret, & intimaret. Poſtremo, ut examinatores, juxta formam ejuſdem Sacri Concilii conſtituendos, & per dictam Synodum pro diſpoſitione ipſius Sacri Concilii in decreto, quod incipit, Expedit maxime &c. approbandos proponeret. Quo finito ſermone, de mandato ipſius Rev. Dom. D. Locumtenentis per me notarium & cancellarium ſuum infraſcriptum lecta & publicata fuit commiſſio, & facultas ipſi Rever. Dom. Locumtenenti data & attributa ab eodem Illuſtriſs. & Rev. Cardinale Cornelio, eccleſiæ prædictæ perpetuo adminiſtratore digniſſimo, & deinde Bulla Sanctiſs. Dom. noſtri Papæ prædicti ſuper confirmatione Sacri Oecumenici generalis Concilii Tridentini, incipit: Cogit temporum calamitas &c. Quo lecto prædictus Rever. D. Archiepiſcopus locumtenens fecit publice profeſſionem ſub hac verborum forma.

Ego Mutius Calinus Archiepiſcopus Jadrenſis, & pro Illuſtriſs. ac Rev. Patre Dom. D. Aloyſio tituli S. Marci Presbytero Cardinale Cornelio, Eccleſiæ Tragurien. perpetuo adminiſtratore digniſſimo, Locumtenens, ea, qua decet humilitate & ſincera animi devotione recipio, profiteor quæcumque Sancta & Apoſtolica Romana Eccleſia, omnium eccleſiarum mater & magiſtra, docet, recipit, & probat; itemque omnia, quæ a Sacris Canonibus, & generalibus Conciliis, præſertim a Sacroſancta Tridentina Synodo, auctoritate Sanctiſsimi Domini noſtri Pii Papæ IV. approbata, ſancita, & decreta ſunt, & eidem Sanctiſsimi Domini tanquam vero Chriſti Vicario, & Beatiſſimi Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ejuſque ſucceſſoribus veram obedientiam promitto, hæreſeſque omnes ab eadem Sancta Apoſtolica Eccleſia Romana, a Sacris Conciliis, & præcipue (deſiderantur duæ, vel plures paginæ). *Archangeli D. Presbyter Matthæus Gliubeſich ſubſtitutus loco Patris, pro parochia inſulæ Buæ, P. Radanus Gliubetich, pro parochia caſtri Staphileorum, P. Simon Hirundo, pro parochia caſtri novi Cippicorum, P. Thomas Buzzalo abſens, pro parochia Caſtri veteris, P. Vincentius Reſich, pro parochia Caſtri Victuriorum, P. Auguſtinus Zivich, pro parochia Briſtivizze, Presbyter Lucas Polini abſens: & his propoſiti fuerunt infraſcripti examinatores, videlicet Rev. Dom. Benedictus Sborovaceus, D. Petrus Veroncus, Rever. D Chriſtophorus Orlandinus magiſter humanitatis, D. P. Hieronymus Fortuna, Ven. P. Frater Marinus de Brachia Prior conventus S. Crucis, & Ven. P. Fr. Paulus de Jadra lector conventus S. Dominici de Tragurio; & interrogati, ſi propoſitio examinatorum hujuſmodi placet, omnes unanimiter reſponderunt quod placet. His peractis, lectæ ac publicatæ, ac de verbo ad verbum . . . . & intimatæ fuerunt infraſcriptæ Conſtitutiones præd. Rev. D. D. Archiepiſcopi locumtenentis ſub hac verborum forma. Vid.*

Sed Conſtitutiones Mutianas nanciſci non licuit, cum neque in epiſcopali, neque in capitulari tabulario repertæ fuerint. Hæc enim acta Synodi Tragurienſis non ex eorum exemplaribus, ſed exemplis deſcripta ſunt.

II.

Mutius miſeratione divina Archiepiſcopus Jadren. & pro Illuſtriſs. ac Rev. Dom. D. Aloyſio tituli S. Marci Presbytero Cardinale Cornelio, Eccleſiæ Tragurien. perpetuo adminiſtratore digniſſimo, locumtenens, & adminiſtrator generalis. Cum heſterno die occaſione poſſeſſus Archidiaconatus Tragurien. inter multos tum nobiles, tum cives Tragurii, graves injuriæ, & offenſiones, actis & verbis illatæ, multique tumultus exorti intelligantur, & propterea ad pacem ponendam, ac tumultus, & ſeditiones hujuſmodi penitus extinguendos opportuna remedia adhiberi debeant; nos ex paſtorali officio, quo fungimur, & qui cum gravi animi noſtri offenſione, ac moleſtia, uſque ad lacrimas poſt tumultus factos intelleximus; offenſionum cauſas & inimicitias omnes extinguere, ac pro poſſe noſtro omnibus adhibitis remediis, ad pacem, concordiam, ac animorum reconciliationem omnino revocare cupientes, nullamque aliam, niſi poſſeſſus prædicti, horum tumultuum cauſas fuiſſe animadvertentes; tenore præſentis noſtri decreti proviſionalis, quod in his ſcriptis ferimus, ad valvas eccleſiæ cathedralis Tragurien. ad omnium notitiam ponendi & affigendi, dicimus, & decernimus, ab hac die nihil prorſus per quempiam quomodocumque ſuper poſſeſſu dicti Archidiaconatus fieri, innovari, ſeu attemptari debere, ſed cauſam poſſeſſionis hujuſmodi per quemcumque hactenus quomodocumque acceptæ, ſtare, & remanere in illis ſtatu & terminis, in quibus nunc reperitur, donec &

quo-

quousque per judices legitimos, ad quos cognitio hujusmodi spectat & pertinet, inter quoscumque collitigantes, aliud super dicto Archidiaconatu judicatum & definitum fuerit; quod si quid per quempiam in dicto possessu scienter, vel ignoranter contigerit attemptari, nos ex nunc, prout ex tunc, irritum & inane quidquid secus & contra hoc nostrum decretum factum, innovatum, & attemptatum fuerit, dicimus, & declaramus; reservantes nobis jus procedendi contra quoscumque correctioni nostræ subjectos, qui tumultus, ac discrepationis prædictæ sive auctores, sive fautores fuerint, & extiterint, & ita dicimus, decernimus . . . amus omni meliori modo &c. In quorum fidem &c. Datum Tragurii ex episcopali palatio die 19. mensis Octobris 1565.

Non amoveatur hinc sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

Simon Budimeus Canon. Jadren. Canc. subscr.

III.

In Christi nomine amen. Anno nativitatis ejusdem 1565. Indictione 8. die vero Dominica, 21. mensis Octobris de mane, Pontificatus autem SS. in Christo Patris & Dom. D. Pii, divina providentia Papæ quarti, anno sexto. In mei notarii publici & testium infrascriptorum præsentia præsens, & personaliter constitutus Reverend. in Christo Pater, & D. D. Mutius Calinus, miseratione divina Archiepiscopus Jadren. Illustr. & Rev. D. D. Aloysii S. R. Eccl. tituli S. Marci Presbyteri Cardinalis Cornelii nuncupati, Ecclesiæ Tragurien. perpetui administratoris, procurator, commissarius, locumtenens, ac Vicarius generalis, habens ad infrascripta omnimodam jurisdictionem, & plenariam auctoritatem, & facultatem, prout de præmissis publico constabat documento, rogato, scripto, subscripto, ac publicato per D. Thomam Sperandeum secretarium ejusdem Illustriss. & Rev. Cardinalis diei vigesimi mensis Junii 1565. per me notarium viso, & lecto; volens, & intendens juxta Sacri Oecumenici statuta Concilii Tridentini, ac ordines, & reformationes ejusdem Rev. Dominationis in Capitulo & clero Ecclesiæ Tragurien. editas debitæ executioni demandare, ac institutum Seminarium clericorum ecclesiæ prædictæ ad laudem Dei erigere, & erectum sufficienti, idoneo, & ad hujusmodi officium apto præceptori consignare; habita matura, ac diligenti consideratione sufficientis litteraturæ, vitæ morum, honestatis, & probitatis Rev. Dom. Presb. Francisci Antoniaci Canonici Tragurien. ibi præsentis, audientis, & acceptantis; omni, quo potuit meliori modo, via, voce, causa & forma, ordinaria auctoritate, & sibi a præfato Illustriss. & Rev. Cardinale commissa, ac qua fungebatur, & fungitur in hac parte, suprascriptum Dom. Presbyterum Franciscum Antoniacum in præceptorem ejusdem Seminarii nominavit, elegit, creavit, ordinavit, & solemniter deputavit, cum statuto ordinario & honesto salario ducatorum quadraginta octo, vel circumcirca in anno, sibi singulis annis ab omnibus taxatis persolvendorum, ac cum aliis præminentiis, utilitatibus, honoribus, & oneribus, ac gravedinibus, ad prædictum officium spectantibus & pertinentibus, & præsertim dicto Seminario bene & diligenter inserviendi, ac pueros, seu clericos pro posse suo sufficienter erudiendi, & morigerandi. Volens & intendens, ipsum D. Presbyterum Franciscum semper & continuo esse exemptum & immunem ab omnibus oneribus, & gravedinibus, quibus quomodocumque subjacere posset, & in omnibus diebus feriatis, seu usualibus in ecclesia & extra eam pro præsenti & intervenienti reputari, haberi, & teneri; mandans solemniter præsentem ejus institutionem, electionem, creationem, & deputationem auctoritatis ordinariæ robur perpetuæ firmitatis obtinere, nec ei quemquam quovis tempore, vel quavis de causa, quovis quæsito colore, seu ingenio aut forma se opponere licere, nec finem dare, seu terminum imponere &c. Præsentibus ibidem Dom. Jacobo Rotundo, & Domino Donato Celio testibus habitis, & rogatis &c.

Acta fuerunt hæc penes portas civitatis, juxta ecclesiam S. Nicolai monialium, millesimo, mense, indictione, & pontificatu, quibus supra, ac testibus quibus supra.

Die dicta.

Coram Rever. Dom. Joanne Fronditio Canonico & Vicario Tragurii per antelatum Rev. D. Archiepiscopum Jadren. locumtenentem prædictum, deputato executioni in sacristia ecclesiæ cathedralis Tragurii, constitutæ infrascriptæ partes, vid. Rev. D. Presbyter Franciscus Antoniacus magister ut supra deputatus ex una, & ex altera Reverendi Dom. Presbyteri Petrus Veroneus, Radinus Gliubetich, & Philippus Tribissich per . . . Rever. Dom. Archiepiscopum, & Capitulum, ac clerum Ecclesiæ cathedralis Tragurii, ad & circa suprascriptum Seminarium deputati, habito & intellecto tenore & continentia suprascriptæ deputationis in magistrum Seminarii, cum auctoritate sibi a Rev. Capitulo & clero jam dictæ Ecclesiæ Tragur. attributa, cum licentia etiam & assensu prædicti Rev. D. Vicarii, ipsam laudaverunt, & in suprascriptum D. P. Franciscum electum magistrum ibi præsentem & acceptantem consenserunt, ac in omnibus & per omnia approbaverunt & ratificaverunt hinc inde, se perpetuo omnia & singula in ipsa deputatione contenta ambæ partes observare promittentes, sub obligatione &c. præsentibus Rev. D. Michaele Radinovich, & Hieronymo Fortuna testibus habitis, vocatis, & rogatis.

Acta fuerunt hæc præmissa omnia & singula millesimo, mense, die, indictione, & pontificatu, quibus supra, in sacristia Ecclesiæ cathedralis Tragurii, præsentibus quibus supra. Petrus Sannoteus not. pub. & curiæ episc. Cancell. extraxit, subscripsit, & roboravit.

IV.

Ulterius Ecclesiæ Tragurien. ac fidelis ejusdem populi saluti pro posse providentes, sacristæ ordinario ipsius ecclesiæ, qui per tempora eligitur, ac constituitur, quique sacerdotali dignitate præditus & officii sui apprime eruditus esse debet, quippe qui pœnitentiæ, eucharistiæ, & extremæ unctionis sacramenta fidelibus ex consueto officio suo ministrare tenetur, ex nunc declaramus & volumus, alium Sacerdotem idoneum, & ad præmissa ministranda habilem, & eruditum adjungi debere per Rever. Ecclesiæ Tragurien. Archipresbyterum, cui de jure inest animarum cura, reperiendum, & constituendum, ac per Rev. Dom. Vicarium Tragurien. pro tempore existentem approbandum, dum ille Archipresbyter per se officium suum exercere nollet; cui Sacerdoti de anno in annum constituendo, & ordinario sacristæ adjungendo ipse Archipresbyter mercedem, seu stipendium constituat, & solvat; qui duo Sacerdotes posthac curatorum nomine nuncupentur, & per civitatem omnibus fidelibus sacramenta prædicta impertiantur, & ministrent, vel si quis alius ad sacramenta approbatus ministrare vellet,

de

de illorum licentia id faciat ; & propterea caveat Venerabile Capitulum Tragurii eligere Sacerdotem in Jacriſtam , niſi illum , qui ad hoc onus portandum admodum idoneus fuerit ; inanis enim , & irrita erit eorum electio , niſi auctoritate Ordinarii pro tempore exiſtentis approbabitur , & hoc idem curet Archipresbyter in Sacerdote loco ſui proponendo : quod ſi Archipresbyter officium ſuum per ſe exercere , vel ibidem Sacerdotem loco ſui , ſemel a Rever. Dom. Vicario etiam per edictum monitus proponere & reperire negligeret , tunc elapſo termino eidem ad Sacerdotem reperiendum ſtatuto , Rev. Dom. Vicarius pro tempore exiſtens hunc adjunctum reperiat , & conſtituat eidem de fructibus dicti Archipresbyteratus ſtipendium , ſive ſalarium condecens pro ſervitute ſua. In quorum fidem.

Tragurii ex epiſcopali Palatio die 27. menſis Octobris MDLXV.

Die . . . dicta Conſtitutiones ſup. lecta & publicata fuerunt de mand. Rev. Dom. D. Locumtenentis ſuprad. in ſacriſtia Eccleſiæ Tragurien. ad præſentiam ipſius Rev. toto clero Tragurien. aſtante , audiente , & intelligente , præſentibus Ex. Doctore D. Octaviano Suodo , & Simeone Jachſa clerico Jadren. teſtibus , & aliis multis .

Aloyſii obitus & epitaphium.

Anno 1567. Aloyſius Epiſcopatum Tragurienſem dimiſit, ac titulum depoſuit. Romæ diem obiit ſupremum an. 1584. ſepultuſque eſt in æde Cruciferorum , eique hoc epitaphium adſcriptum eſt.

Aloyſio Cornelio tit. S. Marci Presbytero Cardinali S. R. E. Camerario. Vixit annos LXXXIX. men. II. dies XXVII. Obiit VI. Id. Maij MDLXXXIV.

De Tragurienſi Epiſcopatu utriuſque Cornelii teſtimonium.

Epiſcopatus Tragurienſis utrique Cornelio commendati fidem facit Jacobus Rotundus utriuſque procurator , & conductor prædiorum epiſcopalium , ut conſtat ex quadam juridica ejuſdem teſtificatione. *In nomine Domini. 1580. die 24. Januarii. Ego Jacobus Rotundus juratus teſtor me per annos . . . juſſu ac nomine Rev. D. Federici Cornelii , nunc Epiſcopi Patavini , & Illuſt. Cardinalis fratris illius , qui tunc erant Epiſcopi Tragurienſes , reditus ac proventus epiſcopales adminiſtraſſe &c.*

Federicum alii *Fratrem* , alii *Nepotem* Aloyſii vocant . Sane Aloyſius ætate annorum fere triginta antecedebat Federicum : ex quo prudenter conjici poteſt hunc non Aloyſii fratrem , ſed fratris filium fuiſſe .

THOMAS III. EP. TRAGURIEN. XXVIII.

Huic patria Fanum , civitas Umbriæ maritima , cognomen avitum *de Corbellis* , maternum *Sperandeo* fuit , quod paterno antetulit , & *Sperandeus* cognominari voluit . Juris utriuſque doctrinam & lauream adeptus , Jacobo Cardinali Sabello cauſſis audiendis ac dirimendis operam navavit ; & Federici Cornelii Tragurienſis Epiſcopi Vicarius generalis , ut dictum eſt , unum annum , & aliquot præterea menſes in hujus eccleſiæ regimen impendit . Eamdem , ab Aloyſio Cardinali Cornelio dimiſſam , Pius V. Thomæ decrevit anno 1567. Eodem anno Tragurium venit ; & poſt ſedis epiſcopalis poſſeſſionem ſollemni ritu initam , Caſtri quoque Buſiliniæ poſſeſſio eidem tradita fuit.

Inſtrumentum poſſeſſionis datæ Rever. Epiſcopo Sperandeo de anno 1567. die 5. Octobris . Ego Cancellarius anteſcriptus , cum Commilitone prædicto , me contuli ad Caſtrum Epiſcopatus prædicti , vocatum Boſiglina , ubi per apertionem portarum Caſtri prædicti , & conſignationem clavium ipſarum dicto Rev. Epiſcopo conſignatarum , eumdem poſui in tenutam & realem poſſeſſionem dicti Caſtri cum omnibus ſuis habentiis , ac pertinentiis , juriſdictionibus & utilitatibus dicto Epiſcopatui ſpectantibus & pertinentibus , & quæ ei ſpectare & pertinere poſſent , ſervatis omnibus ſolemnitatibus in ſimilibus ſervari ſolitis . Præſentibus ſpectabili Dom. Aloyſio Cipico q. D. Hieronymi , & ſpect. D. Victurio , & multis aliis teſtibus &c.

Anno 1568. controverſiam , quæ Capitulo Tragurienſi cum Fratribus Prædicatoribus erat , ſic ex tabulario capitulari Thomas diremit.

Sententia Ep. in lite , quæ erat Capitulo Trag. cum Fr. Prædicatoribus.

In Chriſti nomine , amen . Anno ab ejus Nativitate milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octavo , Indict. XI. die vero 22. menſis Septembris ; Pontificatus autem SS. in Chriſto Patris , & Dom. noſtri Dom. Pii divina providentia PP. V. anno tertio . Cum verteretur lis & differentia coram Rever. in Chriſto Patre & D. Thoma Sperandio J. U. D. Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Tragurien. digniſſimo per & inter Rev. Capitulum Eccleſiæ Tragurien. ex una , prætendentem habere torcios , qui fuerunt in exequiis filii Michaelis de Trento , ex hac vita migrati & in eccleſia Divi Rocchi ſepulti , quæ eccleſia eſt de juriſdictionibus confratrum dicti Rocchi , & tanquam de eccleſia confratrum ipſum Capitulum debere habere tres partes cereorum , prout de aliis eccleſiis confratrum ; & ex altera Rev. Fratres conventus S. Dominici , vid. Rev. Patre Fr. Paulo de Andreis Priore dicti conventus , dicente ipſam eccleſiam S. Rocchi eſſe dicti conventus , & eſſe fabricatam ſuper eorum fundo , & quod dicti confratres nil habent de intereſſe in dicta eccleſia , ſalvo in eorum confraternitate , & quod tali de cauſa ipſum Capitulum nil debet habere , ſalvo quartam partem cerarum , tanquam defuncti ſepulti in eccleſia Fratrum S. Dominici . Præſente ad hoc ſ. Bartholomæo Bigonics Zuppano dictæ confraternitatis S. Rocchi , & multis aliis ex dicta confraternitate , & dicente , ac confitente de conſenſu dictorum confratrum , quod dicta eccleſia Divi Rocchi eſt fundata & fabricata per ipſos confratres ſuper fundo , & juriſdictione dicti conventus ; in qua tamen eccleſia ipſi confratres ob devotionem Divi Rocchi fecerunt unam congregationem , ſive confraternitatem , in qua confraternitate & ejus introitibus ipſi Rever. Fratres nil debent ſe impedire quicquam , ſalvo in celebrandis Miſſis in ipſa eccleſia expenſis dictæ confraternitatis , nec ipſi confratres poſſint invenire alios pro celebrandis dictis Miſſis , ſalvo Fratres dicti conventus S. Dominici , tanquam patronos fundi dictæ eccleſiæ S. Rocchi . Qui Rev. D. Epiſcopus auditis omnibus terminavit , quod ſupraſcriptæ partes debeant penes ejus Rev. Dominationem præſentare torcios , ſive cereos de facto acceptos , ſine præjudicio jurium ſuorum quomodocumque &c. & hoc uſque ad jus cognitum , ſtatuitque terminum procuratoribus dicti Rev. Capituli Tragurien. pro die craſtina ad veniendum cum juribus ſuis . Et illico Rev. D. Canonici Eccleſiæ Tragurien. præſentaverunt ſine præjudicio jurium ſuorum ſex torcios . Et confratres portaverunt octo torcios.

Die 23. dicti . Rev. Dom. Epiſcopus ſupraſcriptus ſedens in turri palatii ſuæ reſidentiæ , auditis partibus ſupraſcriptis , vid. Rev. Priore ſupra-

præscripto, & Rev. Dom. Canonicis super cereis ut supra præsentatis, ipsos cereos adjudicavit Rev. Fratribus, tanquam patronibus loci, super quo est fundata dicta ecclesia S. Rocchi. Declarando, quod de cereis defunctorum, qui de cetero sepelientur in dicta ecclesia S. Rocchi, ipsum Capitulum nil debere habere, salvo quartam partem cereorum, & hoc tanquam de ecclesia fundata super fundo dicti conventus.

Eo die. Rev. Dom. Prior suprascriptus habuit a Rev. Dom. Episcopo suprascripto torcios, ut supra præsentatos.

Die 9. mensis Octobris 1569. Indictione XII. Actum Tragurii in monasterio S. Dominici, præsentibus D. Jo. Celio q. Dom. Jacobi nob. Tragur. & S. Nicolao de Ancona testibus. Ibique Rev. Pater Fr. Paulus de Andreis Prior dicti monasterii, cum præsentia, & consensu Rev. Patris Fratr. Georgii Zebics Provincialis Dalmatiæ ex una, & strenuus Marcus Polini, ac S. Bartholomæus Bigonics interessentes pro schola, sive confraternitate S. Rocchi, unanimiter, & concorditer, intellecto prius tenore suprascriptorum actuum sequutorum coram Rev. D. Episcopo Tragurienſe, inter ipsas partes, & Rev. Capitulum Tragurien. & pro evitandis litibus, per se &c. devenerunt ad infrascriptum achordium, & compositionem, vid. Quod Rev. Fratres prædicti monasterii teneantur, & sint obligati, prout se obligaverunt in perpetuum celebrare Missas in dicta ecclesia S. Rocchi cum elemosina solita, & usque modo servata, solvenda per dictos confratres Divi Rocchi, nec ipsi confratres possint invenire alios pro celebrandis ipsis Missis, salvo dictos Fratres S. Dominici, & sic promiserunt observare per se &c. & non contrafacere &c. sub obligatione &c.

L. S. Ego Jacobus Celius Cigolinus not. pub. ad præsens Cancel. Rev. Dom. Episcopi Tragur. quia præmissis omnibus interfui, eaque rogatus scripsi, & in notis meis tradidi, & exinde in hanc publicam formam redegi, & appositis sigillo, & nomine, & cognomine solitis, & consuetis, me subscripsi &c.

Ex eodem tabulario hic subjicio collationem Canonicatus Tragurienſis anno 1572. Simeoni Florio per Capitulum factam, sicut & Francisci Mazzarelli Vicarii episcopalis ad eumdem Florium epistolam, cui annectitur possessio ejusdem Canonicatus in actus publicos redacta.

Collatio Canonicatus Tragurii facta per Capitulum in persona Simeonis Florii.

Nos Canonici, & Capitulum cathedralis Ecclesiæ Tragurien. Universis & singulis præsentes nostras litteras inspecturis, lecturis, & audituris salutem in eo, qui est omnium vera salus. Cum sit, quod Canonicatus & præbenda supradictæ ecclesiæ nostræ, quorum collatio, provisio, & omnimoda dispositio ad nos & Capitulum nostrum pleno jure spectat, & pertinet, quosque nuper Venerandus Dom. Pasqualinus a Lege, ultimus eorundem, dum viveret, possessor, extra Romanam Curiam sub die hesterna defunctus obtinebat, ad præsens vacare noscantur: Nos volentes Venerandum Dom. Simeonem Florium Presbyterum ecclesiæ nostræ prædictæ, apud nos de vitæ, & morum honestate, aliisque virtutum meritis multipliciter commendatum favore prosequi gratioso, Canonicatum & præbendam prædictos, sic ut præmittitur vacantes, cum plenitudine juris canonici, ac omnibus suis juribus & pertinentiis, præfato D. Presbytero Simeoni, auctoritate nostra, qua fungimur in hac parte, contulimus, & assignavimus, ac etiam providimus de eadem, prout tenore præsentium conferimus, & assignamus, ac de illis providemus. Ipsumque D. Simeonem Canonicum, sic, ut præmittitur, per nos & Capitulum nostrum hujusmodi nuper electum, & creatum, seu ejus legitimum procuratorem in corporalem, realem, & actualem possessionem eorumdem Canonicatus & præbendæ, juriumque, & pertinentiarum, poni, & induci mandavimus, ac ponimus, & inducimus per præsentes. Et exinde in forma solita & consueta præcipimus ei juramentum præstare consuetum, adhibitis ceteris cæremoniis, & solemnitatibus in similibus fieri & observari solitis, & consuetis. Mandamus præsentium litterarum nostrarum exequutionem Rev. Dom. Benedicto Rottundo Archidiacono ecclesiæ nostræ prædictæ. In quorum omnium, & singulorum fidem & testimonium, præmissorumque, præsentes nostras litteras capitularis sigilli nostri appensione munitas per notarium publicum, nostrumque, & curiæ episcopalis Tragurien. scribam & cancellarium infrascriptum fieri & subscribi jussimus, & mandavimus.

Dat. Tragurii anno D. N. J. C. 1572. Indictione 15. die vero Veneris 7. mensis Martii, Pontificatus autem SS. in Christo Patris & Domini nostri Dom. Pii divina providentia PP. V. anno septimo.

Nicolaus Mazzarellus not. pub. & dicti Ven. Capituli, ac curiæ episcopalis Tragurien. mand. subscripsi.

Franciſci Mazzarelli Vicarii epiſcopalis epiſtola ad Florium.

Nos Franciscus Mazzarellus Canonicus, & in Episcopatu Tragurien. Vicarius generaliter substitutus. Dilecto nobis in Christo Ven. Dom. Simeoni Florio Canonico Tragurien. salutem. Vitæ, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, quibus personam tuam insignitam cognovimus, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque tu hodie a majori & saniori parte Rever. Capituli cathedralis ecclesiæ Tragurien. rite & legitime in Canonicum dictæ ecclesiæ loco q. Ven. D. Pasqualini a Lege ultimi ejusdem possessoris, extra Romanam Curiam sub die hesterna defuncti, electus fueris, nos præmissorum meritorum tuorum intuitu volentes favore te prosequi opportuno, electionem hujusmodi, authoritate nostra ordinaria confirmavimus, laudavimus, & approbavimus, prout tenore præsentium confirmamus, laudamus, & approbamus omni meliori modo, via, jure, & forma &c. In quorum. Datum Tragurii in ecclesia cathedrali S. Laurentii die 7. Martii 1572. Pontificatus ejusdem SS. D. N. Papæ Pii V. anno 7. Præsentibus ibidem Rev. Dom. Benedicto Rottundo Archid. & Martino Fabritio Canonico Tragurien. testibus &c.

L. S. Idem Nicolaus Mazzarellus not. publ. & cancellarius qui supra mand. subscripsi.

Florius in Canonicatus poſſeſſionem venit.

In Christi nomine, amen. Anno Nativitatis ejusdem 1572. Indictione 15. die vero Veneris 7. mensis Martii, Pontificatus autem SS. in Christo Patris & Dom. nostri D. Pii divina providentia PP. V. anno 7. Per hoc præsens pub. instrumentum cunctis pateat evidenter, & sit notum, qualiter Rev. Dom. Benedictus Rottundo Archidiaconus Tragurien. executor in retroscriptis litteris Ven. Capituli Tragurien. specialiter nominatus, sic instanter requisitus a Rev. D. Simeone Florio Canonico Tragurien. nuper electo, accedens personaliter ad altare majus cathedralis ecclesiæ S. Laurentii, tanquam obedientiæ filius, eundem Rever. Dom. Simeonem in corporalem & actualem possessionem Canonicatus & præbendæ sibi collatorum, ut in dictis litteris capitularibus appa-

ret,

ret, per appoſitionem anuli in digito, & bireti in capite, ac pacis oſculi traditionem, ſtallo inſuper in choro, & voce in Capitulo de more ſibi aſſignatis, nemine contradicente, in Dei nomine, poſuit, & induxit. Delato prius ſolito & conſueto juramento eidem Rev. Dom. Simeoni de manutenendis & conſervandis juribus, ac juriſdictionibus, tam Venerandi Capituli, quam Canonicatus & præbendæ prædictorum, cum omnibus aliis ſolemnitatibus, & cæremoniis, quæ in ſimilibus ſervari ſolent &c. Super quibus omnibus rogatus fui ego not. pub. infraſcriptus, ut ſibi pub. conficiam inſtrumentum. Acta fuerunt hæc Tragurii loco ubi ſupra. Præſentibus ibidem pro teſtibus vocatis, & rogatis Dom. Presbytero Vincentio Reſich, & Dom. Paulo Paſqualitio, ac multis alii &c.

Ego Nicolaus Mazzarellus q. Dom. Hieronymi nob. Tragurii, ſacris Apoſtolica & Imp. auct. Not. pub. Judexque ordin. præmiſſis omnibus interfui, eaque rogatus fideliter ſcripſi, & public. &c.

Extant quædam ejus mandata, quæ tulit & promulgavit, dum Vicarii munere fungeretur, quæque edidit fere ſtatim a ſuſcepto Pontificatu, ſub titulo diverſo ſimul conjuncta: *Mandata epiſcopalia Rev. D. D. Thomæ Sperandeo, olim Vicarii Rev. Epiſcopi Tragurienſis ſui deceſſoris, de juriſdictione Menſæ epiſcopalis, anno 1560. 3. Junii, & die 22. Auguſti edita.* Item: *Mandata epiſcopalia Dom. Thomæ Sperandeo digniſſimi Epiſcopi Tragurienſis an. 1567. menſe Octobri &c.* Ejus nomen invenio in actis publicis anni ſeptuageſimi hujus ſæculi: *Die prima Junii 1570. Indict. 13. In Chriſti nomine, amen. Actum Tragur. in ſacriſtia eccleſiæ cathed. dicti loci, coram Rev. Dom. D. Thoma Sperandeo meritiſſimo Epiſcopo Trag. nec non glorioſiſſimo D. Gabriele digniſſimo V. Comite & Capitaneo dicti loci &c.* Anno fere ſeptem huic eccleſiæ ſumma cum laude præfuit, quam poſtea permiſſu Gregorii XIII. dimiſit, & cum Balneoregienſi in Hetruria commutavit anno 1574. Ibidem vivere deſiit anno 1590.

Thomæ Epiſc. conſtituta, & mandata.

Ad Eccleſiam Balneoregienſe gubernandam tranſivit.

His temporibus innectendas cenſeo Conſtitutiones de diſtributionibus quotidianis, quas Joannes Canonicus & Archidiaconus, univerſo collegio Canonicorum approbante, ſancivit.

Conſtitutiones Capituli Tragurienſis.

Convocato Capitulo Ven. D. Canonicorum, & D. Presbyterorum Tragurii in ſacriſtia cathedralis eccleſiæ S. . . . . Rev. D. Joannes de Andreis Canonicus & ... quoniam multotiens oriuntur differentiæ & controverſiæ circa diſtributiones funerales, & alias, quæ in eccleſia & dioc. Tragur. in dies occurrunt; ideo ſtatuit atque decrevit Conſtitutiones, & conſuetudines circa ipſas diſtributiones verſantes, inferius declaratas, quas inviolabiliter, ut quiſque avidius eccleſiæ vacare, & horis intereſſe canonicis ſtudioſius impellatur, obſervare mandavit; & primo

I. Quod omnium diſtributionum, quæ in dies occurrunt, de quibus alias Presbyteri participare debent, Canonicus præbendatus habeat medietatem plus quam Presbyter, Presbyter vero medietatem plus quam diaconus, diaconus autem medietatem plus quam ſubdiaconus, ſubdiaconus vero medietatem plus quam clericus juxta conſuetudinem.

II. Quod nemo Canonicorum, Presbyterorum, vel clericorum cujuſcumque gradus & conditionis exiſtentium, habeat aliquam partem, niſi illi, qui cotta induti, excepto Rev. Dom. Vicario pro tempore exiſtente, dummodo de Capitulo Tragurien. fuerit, intererint in eccleſia cathedrali officio immediate præcedenti, & ſubſequenti, ex quo occurrerit eleemoſyna, juxta conſuetudinem.

III. Quod nemo habeat partem, niſi illi, qui cotta induti, excepto Rev. D. Vicario, dummodo de Capitulo Tragurienſi fuerit, ut ſupra, officio, ex quo diſtributio occurrerit, intereſſent, exceptis ægrotis in civitate exiſtentibus.

IV. Quod nemo habeat de dicta eleemoſyna, qui ſine licentia D. Vicarii, vel decimariorum, diſceſſerit ab eccleſia, dum celebrantur dicta officia, ante completionem officii juxta conſuetudinem.

V. Quod venientes in eccleſia cathedrali poſt introitum in Miſſa, vel poſt officium B. Mariæ Virginis in matutinis & veſperis, nil habeant de dictis diſtributionibus; & hoc quantum ad officium B. Virginis; cum aut fit officium duplex, tunc venientes poſt primas tres lectiones in matutinis, & poſt ſecundum pſalmum in veſperis, privetur dictis diſtributionibus.

VI. Quod nemo illorum, qui ſaltem ter in matutinalibus officiis in hebdomada, & cottis induti non interfuerint, habeat de eleemoſynis illa hebdomada occurrentibus, vel qui officiis lucis interfuerint, & cottis non fuerint induti, & ſubſequens officium aliquid eleemoſynæ habuerit, ipſi priventur.

VII. Quod quicumque non intervenerint ad proceſſionem obſequii cum cotta, excepto Dom. Vicario de Capitulo exiſtente, ſed ſine illa incederint cum ſæcularibus, priventur dictis diſtributionibus, niſi fuerit conſanguineus in 1. 2. 3. vel 4. gradu cum defuncto, vel affinis uſque ad 2. gradum; vel niſi eſſet qui funus ordinaret; intelligendo tamen ſemper quod exceptuati intereſſe debeant in eccleſia cathedrali officio immediate præcedenti, & ſubſequenti tali officio: aliter licet intereſſent officio funeris, non tamen habeant de dicta eleemoſyna.

Et ita omnes ſupradicti de Capitulo unanimiter aſſenſerunt dictis Conſtitutionibus, & concorditer ipſas laudaverunt, & approbaverunt.

Patribus Franciſcanis Conventualibus domus S. Lazari apud inſulam Buam tradita.

His etiam temporibus, cum F. Deſiderius magiſter provincialis Patrum conventualium ordinis Franciſcani, idemque Vicarius ſupremi præſidis generalis ejuſdem ordinis, monaſteria provinciæ Dalmaticæ luſtraret, paucos illos Fratres, qui poſt exciſum cœnobium ſuburbanum ſe in urbem receperant, precario habitantes in anguſto & pauperrimo domicilio reperit, ubi neque religioſam diſciplinam ſervare, neque pſalmodiæ vacare, neque chriſtianæ civium culturæ operam dare poterant, cum templo carerent. Itaque Prætorem, Judices, Patres conſcriptos rogavit, ut Patribus illis ædes S. Lazari cum ejus templo habitandas traderent: id quod ante annos amplius triginta Zacharias de Aurio urbis rector decreverat. Æqua & honeſta viſa eſt poſtulatio, & Nicolaus Priolus prætor civitatis de ſententia totius Conſilii nobilium, annuente Jacobo Fuſcareno præfecto generali Sinus Adriatici, ſecundum petitionem Præſidis Franciſcani decretum fecit; & Patres illi per Benedictum Rotardum Archidiaconum, & Franciſcum Antonium Canonicum ædis cathedralis rite ac legitime in poſſeſſionem miſſi ſunt domicilii ac templi S. Lazari.

Nos Nicolaus de Priolis pro Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Ducali Dominio Venetorum Comes & Capitaneus Tragurii, ſuique diſtrictus.

Au-

Diploma Comitis seu Prætoris Tragurien.

Audita humili ſupplicatione & inſtantia nobis facta per Rever. Pat. Fr. Deſiderium Bianchenſium Cremenſem, Ord. Min. conventualium magiſtrum provincialem, & Rev. Patris generalis Vicarium, & commiſſarium provinciæ Dalmatiæ, Iſtriæ, & Epiri, nec non Rever. Patr. Petrum Pinguem Arben. Guardianum conventus S. Franciſci de Tragurio; per quam nobis expoſuerunt, qualiter temporibus præteritis reperiebatur monaſterium & eccleſia S. Franciſci extra muros hujus civitatis, poſita in terra firma, in quo quamplures Fratres commorabantur, in conſolationem animarum Chriſti fidelium, ac decus hujus civitatis & totius territorii. Quod monaſterium ſimul cum eccleſia tempore bellorum cum Turcis dirutum fuit, nec reædificari poteſt, niſi maxima impenſa. Quod quidem monaſterium etſi denuo reædificaretur, nihilominus foret ſubjectum periculis bellorum, & quod iterum demoliretur. Et quia reperitur in inſula Buæ quædam eccleſia ſub titulo S. Lazari, cum duabus domunculis pene eam poſitis, ædificatis expenſis S. Marci pro commodo pauperum infirmorum contagionis S. Lazari, qui nunquam in dicto loco, neque in his partibus habitaverunt, idcirco petierunt de gratia ſpeciali concedi debere dictæ religioni Fratrum Min. conventualium S. Franciſci dictam eccleſiam cum duabus domunculis poſitis in dicta inſula Buæ, ac terrenum circumcirca poſitum infra hos confines: a Levante D. Joannes Laurentius Dragatius q. D. Joannis; a Ponente Joanna Maria q. Lucæ Uſkok; a borea mare ſalſum, & a meridie via publica, ſalvis &c. & hoc, ut poſſint ibidem dicti Fratres conſtruere monaſterium, & alias fabricas pro eorum commodo, & habitatione, expenſis dictæ Religionis, ſive quomodo dicto Rever. miniſtro, & ſuperioribus placuerit, quod quidem erit non ſine maxima conſolatione Chriſti fidelium, ibidem devotionis cauſa convenientium, & in primis ad laudem omnipotentis Dei, & honorem S. Franciſci; obligantes dicti Fratres in omnem eventum dare domicilium pauperibus infectis contagione S. Lazari tantum, & non aliis, in una habitatione prope dictum monaſterium fienda expenſis dictæ Religionis. Quibus omnibus bene intellectis, & habita informatione de præmiſſis a quampluribus tam nobilibus, quam civibus hujus civitatis, & præcipue a ſpectabili Dom. Petro Claudio procuratore & commiſſario dictæ eccleſiæ S. Lazari, annuente etiam ad hoc Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo D. Jacobo Foſcareno Capetaneo generali maris, ex commiſſione nobis vivæ vocis oraculo facta diebus nuper elapſis, quibus in hoc portu reperiebatur, omni meliori modo &c. dictis ſupplicationibus, tenore præſentium, vice, & nomine præfati Illuſtriſſimi Dominii Dominorum Venetorum concedimus locum ſupradictum petitum in inſula Buæ, infra confines ſupranominatos, juxta inſtantiam prædictam Rev. Patris miniſtri, & Guardiani, & hoc ſemper ad beneplacitum ſuæ Serenitatis. Præſentibus Rev. Dom. Presbytero Georgio Vincentino Archipresbytero Stafferi, & Rev. Dom. Presbytero Georgio Felimich Canonico Tragurien. ac Dom. Natale Laſſo, & aliis quampluribus teſtibus &c. Datum Tragurii die prima menſis Novembris 1573. Indictione prima.

Dicta die.

Prædictæ poſſeſſionis tabulæ,

Reverendi Dom. Presbyteri Benedictus Rotardo, Canonicus & Archidiaconus Tragurii, nec non Franciſcus Antonius Canonicus Tragurien. ad hoc executores a Rev. Capitulo ſpecialiter deputati, accedentes perſonaliter ad eccleſiam & locum ſupraſcriptum, ibidem induxerunt in realem, actualem, & corporalem poſſeſſionem antedictos Rever. miniſtrum & Guardianum de eccleſia & locis ſupraſcriptis, ponentes eiſdem in ſignum realis poſſeſſionis terram in gremio, & pulſantes campanam dictæ eccleſiæ, & ſibi deferentes ſolemne juramentum, qui juraverunt ſuper altare dictæ eccleſiæ utilia gerere, & inutilia prætermittere, in forma ſolita, & deinde cantantes, Te Deum laudamus &c. Præſentibus ibidem ſpectabili Domino Jacobo Quarco procuratore conventus S. Franciſci de Tragurio, & ſpectabili Domino Petro Claudio procuratore eccleſiæ S. Lazari ſupradictis, & acceptantibus, & contentantibus. Præſentibus ad omnia præmiſſa magnifico D. Luca Quirino digniſſimo caſtellano, ſpectabilibus Dom. Aloyſio Cippico qu. Dom. Hieronymi, & Petro Lucio Nobilibus Tragurien. & quampluribus aliis rogatis, me notario &c.

Die dicta.

De mandato Clariſſimi Dom. Comitis, & Capetanei antelati, ego notarius, & coadjutor cancellariæ prætoriæ Tragurii perſonaliter me contuli ad eccleſiam S. Lazari ſupraſcriptam, & poſui in corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem dictæ eccleſiæ, domuncularum, terreni, & pertinentiarum anteſcriptos Rev. Pat. Miniſtrum, & Guardianum S. Franciſci, in omnibus & per omnia, juxta continentiam & tenorem conceſſionis ſupraſcriptæ, adhibitis in hoc cæremoniis, & ſolemnitatibus omnibus in ſimilibus ſervari ſolitis, & conſuetis. Præſentibus quibus ſupra, ſuper quibus omnibus rogatus fui ego notarius.

Ex libro viſitationis Rev. Pat. Provincialis.

& narratio.

Reverendus Pater Provincialis Tragurium venit, ibique reperit Fratres commorantes in quadam domo, ſine eccleſia; quod cum vidiſſet (paterna charitate ductus) quam humiliter potuit, cives omnes illius civitatis ſuppliciter rogavit, ut amore Dei Religioni noſtræ in perpetuum darent hoſpitale, ſeu eccleſiam, una cum duabus domunculis tituli S. Lazari, pro commodo & habitatione in tempore Fratrum: qui ſupplicem, honeſtamque meam petitionem attendentes (zelo Dei ducti), & propter ſupplicationes Excellent. Generalis Foſcareni, nec non auxilio & favore Clariſs. D. Nicolai Prioli Comitis tunc temporis Tragurinæ civitatis, ſupradictam eccleſiam & domos una cum omnibus introitibus aliiſque rebus dictæ eccleſiæ ſpectantibus dederunt & tradiderunt. Quare

Die prima Novembris una cum Rev. D. noſtro Benedicto Rotardo Canonico & Archidiacono Tragurii, & Dom. Franciſco Antonio Canonico, ambo a Rev. Capitulo ad hoc deputatis, acceſſi cum Rev. Guardiano Petro de Arbo, & nomine Religionis actualem & realem poſſeſſionem, cantando, Te Deum laudamus, humiliter accepi. Et hæc omnia patent in publico inſtrumento formato per nob. D. Jacobum Schiappaneum, quo in loco ſtatim in Guardianum conſtitui præfatum F. Petrum de Arbo, & in ſocium dedi F. Julium Moratum Juſtinopolitanum, hortans eos ad religioſe vivendum.

ANTONIUS EP. TRAGURIENS. XXIX.

Cognomento Guidus, ex urbe Mantua, ſeu potius ex oppido agri Mantuani non ignobili oriundus, J. U. D. Gregorius XIII. ob inſignem ejus doctrinam vitæque integritatem Epiſcopum Ec-

cleſiæ Tragurienſi præpoſuit, ut eſt in tabulis conſiſtorialibus: 1574. 10. *Martii providit Eccleſiæ Tragurienſi, quæ eſt in provincia Dalmatiæ ſub dominio DD. Venetorum, per dimiſſionem R. D. Thomæ Sperandei in manibus SS. ſponte factam, & per eum admiſſam, vacanti, de perſona D. Antonii Guidi Clerici Mantuani, juris utriuſque Doctoris, ætate, & integritate vitæ commendati, cum diſpenſatione quoad tempus ſuſceptionis ſacrorum ordinum.* Anno ſequenti Tragurium venit, & menſe Majo tum epiſcopalem conſecrationem, tum regimen hujus eccleſiæ jam ſuſceperat, ut docent tabulæ Tragurienſes. *In Chriſti nomine, amen. Anno nat. ejuſdem* 1575. *Ind. 3. die vero decima Maji. Actum Trag. in ſacriſtia eccl. cath. hujus civit. coram Reverendiſſimo D. Antonio Guido de Mantua Epiſcopo digniſſimo Tragurii, & clariſſimo D. Aloyſio Cornelio digniſſimo Comite, & Capitaneo Tragur.*

Antonius Ep. de caſtro Buſſilinię graviſſimas contentiones habuit cum ordine nobilium.

Diuturnum geſſit pontificatum, principio quidem difficilem, contentionibus ac moleſtiis exercitum, deinde vero quietum, ac ſine ulla offenſione tranquillum. Graviſſima igitur illi contentio fuit ſub ipſa ſuſcepti pontificatus initia cum ordine nobilium, qui temere in juriſdictionem caſtri epiſcopalis Buſſiliniæ invadere volebant, auctoribus & anteſignanis Hieronymo Victurio, & Jacobo Cigulino. His acriter obſiſtebat Antiſtes, prolatis tabulis, quæ caſtrum illud ab Epiſcopo Marcello exſtructum ære eccleſiaſtico, ejuſque ab omni jure laicali immunitatem declarabant; itemque recentibus exemplis pleniſſimæ poſſeſſionis ex juridica formula traditæ tum Federico Cornelio, tum Thomæ Sperandeo proximis ante Antonium Epiſcopis. Cum nullis ſive rationibus, ſive auctoritatibus ab ea voluntate conatuque juris epiſcopalis uſurpandi abduci poſſent, eos anathematis fulmine intentato deterrendos cenſuit; ſed nihil profecit. Itaque cœptis abſiſtere qui nolebant, eos omnes generatim ſeveritatis eccleſiaſticæ gladio feriit, & ſacrorum communione privavit. Ac ne ipſum quidem Aloyſium Cornelium urbis Prætorem excepit, quod ſuum illis favorem impertiiſſet, ſuaque illos auctoritate contra Epiſcopum armaſſet. Huic graviſſima illa animadverſio & caſtigatio profuit; nam eccleſiæ reverentia, Deique metu tactus, & offenſionem utriuſque veritus reſipuit; nec ſine lacrymis a Deo & Epiſcopo pacem ac veniam petiit, eccleſiæque reconciliatus promiſit, ſe in poſterum eccleſiæ, ejuſque adminiſtris contra omnium infeſtos conatus præſidio & auxilio futurum. Sed non multo poſt pravis conſiliis deceptus a promiſſis deſcivit; & nihilo ſegnius, quam antea, cauſſam illorum, quos deſeruerat, & patrocinium adverſus Epiſcopum ſuſcepit. Quare Antonius ſeveriſſimo præcepto ac monito, quod publicis locis affigendum curavit, anno 1576. XIII. Kal. Novembris, eidem prædixit ac denunciavit fore ut, niſi ab impugnanda juriſdictione epiſcopali deſiſteret, in graviſſimas illas pœnas incurreret, quæ contra violatores juris eccleſiaſtici conſtituræ ſunt in diplomate pontificio, quod *Bulla Cœnæ* appellatur; eidemque ab ſuis promiſſis turpem defectionem exprobravit. *Æquum erat*, inquit, *ut poſtquam ad communionem eccleſiæ a nobis receptus fueras, eccleſiam ejuſque miniſtros complectereris, & ab omni injuria vindicares, præſertim cum tu pene profuſis lacrymis non nobis, ſed omnipotenti Deo id facturum promiſeras.*

Hæc adeo ſollemnis & publica denunciatio, itemque ſententia anathematis, viris nobilibus inflicti, varios ſermones & rumores excitavit, ac per totam Dalmatiam ſparſit; quos Venetias delatos Hieronymus Victurius & Jacobus Cigulinus, qui Epiſcopi apud Senatum accuſandi cauſſa venerant, querelis, ſuſpicionibus, magnaque in Antonium invidia inflammaverunt; illum perturbatorem eſſe publicæ quietis, epiſcopali poteſtate abuti, plus ſibi arrogare, quam leges imperii Veneti permittant; in eum, qui perſonam Principis ſuſtinebat, id auſum fuiſſe, quod ne in privatum quidem hominem ſine graviſſima cauſſa audere debuiſſet; & parum abeſſe videbatur, quin reum facerent læſæ majeſtatis. At non defuit Antonio favor & commendatio civium ſecundi ordinis, itemque univerſæ plebis, qui eidem ampliſſimum integritatis, fidei, religionis, prudentiæ, lenitatis, ac virtutum omnium, quæ in Epiſcopum convenire poſſunt, teſtimonium dederunt, & publicis litteris conſignatum Venetias abeunti ad ſuam cauſſam tuendam tradiderunt. Sed hominum teſtimonio opus non fuit, cum Deus ipſe viſus fuerit, ſingulari quadam providentia, in eo diſcrimine optimo Antiſtiti adfuiſſe. Fervente bello Cyprio, Turcæ Olchinium terra marique obſeſſum, vehementerque oppugnatum in ſuam ditionem redegerant. Forte evenit, ut duo illi accuſatores Epiſcopi Hieronymus & Jacobus inciderent in quemdam Marcum civem Olchienſem, qui patria amiſſa Venetias profugerat; a quo cum ſciſcitarentur, ecquid cauſſæ fuiſſe crederet, cur civitas illa munitiſſima ſub poteſtatem Turcarum ceciderit; ille reſpondit captæ urbis cauſſam culpamque in cives ipſos conferendam eſſe, qui cum ſe parum obſequentes Epiſcopo ſuo, atque adeo moleſtos præbuiſſent, juſtiſſimam divini Numinis ultionem iramque in ſui & patriæ perniciem concitarunt. Hoc reſponſum utriuſque animos religione metuque perculit; ac veriti, ne conſimilem calamitatem ab irato Deo ſibi ac patriæ conſciſcerent, male ſuſceptum acculandi, ſeu potius calumniandi Epiſcopi conſilium execrati, ad eum ſupplices adeunt in cœnobio SS. Joannis & Paulli commorantem, & deprecatoribus adhibitis Georgio Cornelio Tarviſino, & Dominico Æmonienſi Epiſcopis, aliiſque teſtibus accitis, ad illius pedes ſe abjiciunt, quæ in eum calumnioſe & maledice dixerant, confeſſione errati ſui retractant, profuſis lacrymis veniam petunt, ad omnem ſatisfactionem illi præſtandam ſe paratos eſſe oſtendunt. Quæ omnia litteris publicis conſignata, ac teſtium chirographo ſubſcripta eſſe voluerunt anno 1578. & Tragurium transmiſſa cum fuiſſent, repente omnium animorum, qui ab eo averſi erant, mutatio atque ad Epiſcopum converſio facta eſt; nam illos ipſos ex ordine patriciorum, qui contra ipſum acerrime pugnaverant, ſui facti puduit ac pœnituit; omnes vero cujuſque ordinis & gradus mira cupiditas inceſſit optimi Paſtoris revilendi, quem a nobilitate maxime offenſum eſſe dolebant; ac propterea verebantur, ne illum ad aliam eccleſiam translatum amitterent, vel illius præſentia diutius carerent. Itaque Venetias miſerunt, qui Capituli, cleri, totius civitatis nomine orarent atque obſecrarent, ut quamprimum ſuo illos adventu ſolaretur; nihil ſtudii operæque prætermiſſuros, ut præteritas offenſiones omni officio obſequioque compenſarent. Gratæ quidem

Venetiis apud Senatum accuſatur.

Civitas tota Epiſcopo reconciliata.

fue-

fuerunt Antonio preces ac vota Tragurienſium, ſtatimque Vicario ſuo generali mandavit, ut quos ipſe illigaverat, anathematis vinculo exſolveret; ſed Tragurium redire noluit, quod nobilium erga ſe voluntati non antea fidendum eſſe cenſeret, quam eamdem certioribus argumentis cognitam & perſpectam haberet.

Auguſtinus Valerius Ep. Veron. Viſitator Apoſtolicus Dalmatiæ.

Anno 1579. Auguſtinus Valerius Epiſcopus Veronenſis, qui Viſitatoris Apoſtolici munere ſibi tradito a Gregorio XIII. in Dalmatia fungebatur, Tragurium venit, ut eccleſiam illam ac diœceſim luſtraret, remque chriſtianam atque eccleſiaſticam, ſi quid detrimenti cœpiſſet, opportunis remediis adhibitis, in priſtinum ſtatum reſtitueret. Ex omnibus civitatis ordinibus ad eum frequentes adierunt, orantes obſecrantesque, ut ſuis hortationibus ac ſuaſionibus, interpoſita etiam, ſi opus eſſet, Pontificis auctoritate, Antonium Guidum Epiſcopum Venetiis revocaret ad Eccleſiam Tragurienſem regendam, quæ Paſtoris ſibi cariſſimi ſolatio ac præſidio deſtituta, illius abſentiam diutius ferre non poterat. Trinas litteras ille ad Antonium dedit, Tragurii, Jaderæ, & Veclæ; quarum caput erat, magno illum eſſe in deſiderio totius civitatis, in ore, in ſermone omnium; præteriti temporis acerbitatem oblivi ſceretur; cives cujuſque generis atque ordinis ſic erga illum animatos eſſe, ut nihil moleſtiæ ab ullo metuere, omnia ab omnibus & ſingulis obedientiæ & charitatis officia expectare poſſet. His litteris fretus & impulſus nullam moram interpoſuit, quin magna alacritate Tragurium rediret. Ingens civitatis, propemodum univerſæ obviam effuſæ, lætitia & gratulatio ſatis declaravit, quam ingenti Epiſcopi ſui deſiderio flagraret, quanti illum faceret, quantopere illum coleret ac diligeret. Exinde æque nobiles ac plebejos dicto audientes, ac magno ſibi obſequio & charitate conjunctos habuit; ſuamque eccleſiam per annos amplius viginti ſumma cum tranquillitate gubernavit. Antequam Auguſtinus Valerius Tragurio diſcederet, piam Piſcatorum ſodalitatem apud Buam inſulam ad ſacratiſſimum Corpus Chriſti præcipuo quodam cultu venerandum inſtitutam confirmavit, & indulgentiarum muneribus locupletavit.

Sodalitas Piſcatorum inſtituta, & Viſitatoris Apoſtolici auctoritate confirmata.

Diploma Viſit. Apoſtolici.

Auguſtinus Valerius Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Veronæ & Comes, & in provincia Dalmatiæ apoſtolicus Viſitator, reformator, & delegatus generalis & ſpecialis; Dilectis nobis in Chriſto piſcatoribus ceteriſque degentibus in inſula Buæ Tragurienſis diœceſis, ſalutem in Domino ſempiternam. Gratum & pium obſequium toties Altiſſimo impendere credimus, quoties fidelium mentes ad explenda charitatis opera, quibus divinus cultus augeri maxime poſſit, propenſius excitamus. Oblatæ ſiquidem nuper nobis pro parte veſtra petitionis ſeries continebat, quod vos, qui in inſula Buæ nuncupata, & ſic extra urbem Tragurii vitam ducitis, zelo devotionis accenſi ſocietatem, ſive confraternitatem, quæ piſcatorum nuncupatur, in honorem, & ſub vocabulo ſacratiſſimi Corporis Chriſti, in eccleſia Beatæ Virginis, alias S. Lazari in eadem inſula poſita, ad quam vos ſingularem geritis devotionis affectum, erigere & inſtituere ſummopere cupitis; ea potiſſimum ratione, ut ex eleemoſynis, quæ a confratribus, dum in eadem confraternitate admittentur, & alias in annum, juxta veſtrorum deſuper conficiendorum & ab Ordinario veſtro approbandorum ordinum regulas, recipientur, oleum pro lampade in ipſa eccleſia ante ſanctum Euchariſtiæ ſacramentum arſuram perpetuo comparare, & alias ejuſdem eccleſiæ reparationi, quantum vobis ex alto permiſſum fuerit, inpendere valeatis; ſupplicantes propterea noſtram deſuper auctoritatem interponi, & eandem confraternitatem gratioſis indulgentiarum muneribus decorari. Nos ideo apprime cupientes SS. D. N. J. Chriſti Corpus, qui de hoc mundo ad Patrem tranſiturus in ſuæ paſſionis & mortis memoriam carnem ſuam in cibum & ſanguinem in poculum nobis exhibere voluit, ab omnibus Chriſtifidelibus devote venerari, & hunc panem cæleſtem, qui nos ſpiritualiter reficit, veluti noſtræ peregrinationis pignus, unde redimus ad patriam, intimis præcordiis adorari; ſupplicationibus veſtris inclinati, apoſtolica auctoritate, nobis ex munere hujuſmodi viſitationis conceſſa, vobis antedictis ſupplicantibus, ut confraternitatem memoratam ſub invocatione glorioſiſſimi Corporis Chriſti ad effectum antedictum in dicta eccleſia erigere & inſtituere, & in eadem ſub ordinibus demum per vos formandis, & ab Ordinario Tragurienſi videndis, & judicio ſuo approbandis permanere valeatis; tenore præſentium licentiam in Domino concedimus & facultatem. Præterea, ut libentius Chriſtifideles in eadem confraternitate conſcribantur, quo exinde dono cæleſtis gratiæ noverint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia confiſi univerſis & ſingulis Chriſtifidelibus utriuſque ſexus, qui in eadem confraternitate perpetuis futuris temporibus erunt conſcripti, & qui in die nativitatis & reſurrectionis atque aſcenſionis dominicæ, nec non & aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, a primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas eccleſiam ipſam viſitaverint, & in ea pro exaltatione ſacroſanctæ Catholicæ Eccleſiæ preces Domino Deo devote effuderint, quoties id fecerint, 40. dies de injunctis eiſdem pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. In quorum teſtimonium præſentes fieri, & ſubſcribi, & ſoliti ſigilli noſtri impreſſione fecimus communiri.

Datum Tragurii anno Nativitatis Dominicæ 1579. Indictione 8. die Sabbati 18. menſis Aprilis, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N. D. Gregorii D. P. PP. XIII. anno ſeptimo.

Anno 1580. Idibus Aprilis Gregorius XIII. indulgentiam conceſſit altari S. Joannis in æde cathedrali Tragurienſi. Diploma pontificium eſt hujuſmodi.

Indulgentia conceſſa altari S Joan. Epiſc.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Omnium ſaluti paterna charitate intenti inter tam multa pietatis officia, que nos pro munere noſtro convenit exercere, ſacra interdum loca ſpeciali privilegio inſignimus; ut inde fidelium animarum ſaluti amplius conſulatur. Quocirca ut Eccleſia Tragurien. ſimili uſque adhuc privilegio minime decorata, & in ea altare S. Joannis Confeſſoris & Epiſcopi, quod majus non eſt, hoc ſpeciali dono illuſtretur, auctoritate nobis a Domino tradita concedimus, ut quoties Miſſa defunctorum ad predictum altare celebrabitur pro anima cujuſcumque fidelis, que Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ipſa de theſauro eccleſie indulgentiam conſequatur, quatenus D. N. J. C. & Beatiſſime Virginis Marie, Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, aliorumque Sanctorum omnium meritis ſuffragantibus &c. a Purgatorii penis liberetur. Dat. Rome apud S. Petrum, Anno Incarnatio-

nis Dominice 1580. *Idibus Aprilis, Pontificatus noſtri anno octavo.*

Idem Pontifex anno 1583. idibus Martii annexuit menſæ capitulari beneficia quæ vocant ſimplicia diœceſis Tragurienſis, quorum reditus inter Canonicos & clerum quotidie diſtribui debeant. Ex tabulario Capituli Tragurienſis.

Bulla Gregorii XIII. qua Menſæ capitulari annexuit beneficia ſimplicia.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ad exequendum paſtoralis officii debitum, paternis & ſolicitis ſtudiis vigilantes circa ſtatum eccleſiarum quarumlibet, preſertim cathedralium, & perſonarum in eis divinis laudibus dedicatarum, ſalubriter dirigendum libenter intendimus, & ut perſone ipſe divinis inſiſtendo beneplacitis congrue in ſuis neceſſitatibus releventur, impendimus ſolicitudinis noſtre partes. Sane pro parte dilectorum filiorum Capituli & cleri Eccleſie Tragur. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum Canonici dicte eccleſie eorum prebendas adeo tenues habeant, ut ſummam novem ducatorum annuatim non excedant, & Sacerdotes ipſius eccleſie, etſi nulla beneficia eccleſiaſtica, neque illorum titulos, in ea habeant, attamen a Venerabili Fratre noſtro Epiſcopo Tragurien. quotidie in eadem eccleſia deſervire coguntur, ut in eorum abſentia nonnullis penis mulctantur, quod eis duriſſimum videtur, cum jure ipſe qui commodum non ſentit, nec etiam incommodum ſentire debeat. Et propterea ſi tot ex perpetuis ſimplicibus beneficiis eccleſiaſticis, ſive eccleſiis, aut capellis, ſeu perpetuis capellaniis ſine cura civitatis & diœceſis Tragurien. quot illorum fructus, redditus, & proventus ad ſummam ducatorum ducentorum auri de camera, ſecundum communem extimationem, annuatim aſcendant, cum primum illa per ceſſum vel deceſſum vacare contigerit, menſe capitulari dicte eccleſie perpetuo unirentur, annecterentur, & incorporarentur ad effectum, ut fructus, redditus, & proventus inter Capitulum & clerum predictos, qui ad numerum quadraginta & ultra aſcendunt, pro diſtributionibus quotidianis, divinis officiis intervenientibus dari ſolitis, equaliter dividantur, ex hoc profecto paupertati Capituli & cleri predictorum in aliquo ſatis opportune conſuleretur. Quare pro parte Capituli & cleri predictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus eorum neceſſitatibus in premiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia volumus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundum extimationem predictam, etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret; & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſt; Capitulum & clerum predictos, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & penis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum preſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes; nec non dicte menſe fructuum, reddituum, & proventuum verum annuum valorem preſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, unum, vel plura, aut tot perpetua ſimplicia beneficia eccleſiaſtica, ſeu eccleſias, vel capellas, aut capellanias ſine cura, que nec perſonalem reſidentiam requirant, nec eccleſie etiam habitu tantum parochiales, nec ſervitoria, nec Canonicatus, nec prebende exiſtant, quot illorum fructus, redditus, & proventus ad ducatorum ducentorum auri de camera ſimilium ſecundum extimationem predictam valorem annuum aſcendant; cum primum illa per ceſſum, vel deceſſum, ſeu quamvis aliam dimiſſionem, vel amiſſionem illa nunc obtinentium, vel alias quovis modo, etiam apud Sedem Apoſtolicam, & in manibus noſtris, etiam in aliquo ex menſibus ordinariis collatoribus, etiam per conſtitutiones noſtras pro tempore editas, ſeu litteras alternativarum, vel alia privilegia, & indulta apoſtolica conceſſa hactenus & impoſterum concedenda, aut nobis reſervatis, & impoſterum reſervandis, vacare contigerit, etiam ſimul, vel ſucceſſive, etiamſi jam actu per obitum illorum poſſeſſorum, extra Romanam Curiam forſan defunctorum aut alias quovis modo, quem etiamſi ex illo quevis generalis reſervatio, etiam in corpore juris clauſa, reſultet, preſentibus haberi volumus pro expreſſo; aut ex alterius cujuſcumque perſone, ſeu per liberam reſignationem illa obtinentium, vel quorumvis aliorum de illis in dicta curia, vel extra eam etiam coram notario publico & teſtibus ſponte factam, aut aſſequutionem alterius beneficii eccleſiaſtici quavis auctoritate collati juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem predictam legitime devoluti, ipſaque beneficia diſpoſitioni apoſtolice ſpecialiter, vel alias generaliter reſervata exiſtant: & ſuper eis inter aliquos lis, cujus ſtatum preſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa: cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis eidem menſe capitulari pro diſtributionibus quotidianis dicte eccleſie inter eoſdem Capitulum & clerum, divinis officiis in eadem eccleſia intereſſentes, dividendis, apoſtolica auctoritate tenore preſentium ex certa noſtra ſcientia perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod liceat Capitulo & clero predictis ex nunc pro ex tunc illorum corporalem poſſeſſionem per ſe, vel alium, ſeu alios eorum ex dicte menſe capitularis nominibus propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, ac eiſdem beneficiis eccleſiaſticis, ſeu eccleſiis, vel capellis, aut capellaniis in divinis deſervire, ac deſerviri facere, aliaque illis incumbentia onera ſupportare: fructus quoque, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta quecumque beneficiorum, ſeu eccleſiarum, aut capellarum, vel capellaniarum, & annexorum eorumdem, etiam propria auctoritate percipere, exigere, & levare, ac in diſtributiones quotidianas equaliter, ut prefertur, diſtribuendas convertere, Dieceſani loci, ſeu cujuſvis alterius licentia minime requiſita. Decernentes preſentes litteras nullo unquam tempore de ſurreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu etiam ex eo quod intereſſe habentes, ſeu pretendentes, vocati non fuerint, notari, impugnari, aut in jus, vel controverſiam revocari nullatenus poſſe, neque debere, minuſve ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi poſſe, & quoties illa emanabunt, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtitutas eſſe, & cenſeri; ſicque per quoſcumque judices & commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & definiri debere irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus voluntate noſtra

pre-

predicta ac fel. rec. Bonifacii PP. VIII. predeteſ. noſtri, nec non generalis, & noviſſime celebrati Lateran.... Conciliorum uniones perpetuas, niſi in caſibus a jure permiſſis fieri prohibentibus, ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis contrariis quibuſcumque; aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales dicte Sedis & legatorum ejus litteras impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum. Quas quidem litteras, & proceſſus habitos per eaſdem, & inde ſequuta quecumque ad beneficia, ſeu eccleſias, aut capellas, vel capellanias hujuſmodi volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſequutionem beneficiorum aliorum prejudicium generari. Et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & litteris apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per que preſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri; & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in eiſdem litteris mentio ſpecialis. Volumus autem, quod propter unionem, annexionem, & incorporationem hujuſmodi predicta beneficia, ſeu eccleſie, aut capella, vel capellanie debitis non fraudentur obſequiis, ſed eorum congrue ſupportentur onera conſueta. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtre abſolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice milleſimo quingenteſimo octuageſimo tertio, 1583. 15. *Martii, Idibus Martii, Pontificatus noſtri anno* 12.

Antonius Spalati contumelioſe injurioſeque tractatus.

Anno 1587. Antonius, cum intereſſet Concilio provinciali, quod Dominicus Foconius Archiepiſcopus convocavit, ingens periculum adiit, & inſignem injuriam accepit. Ei ſiquidem e cœnobio Dominicano, ubi habitabat, ad conſeſſum ſynodalem progredienti obviam fit cum tribus armatis ſatellitibus Nicolaus Carlovichius patruus Archidiaconi Spalatenſis, & poſtquam illi verbis contumelioſis exprobraſſet, quod ſemen & cauſſa fuiſſet omnium diſſidiorum, quæ inter Archiepiſcopum & Archidiaconum erant, ſacrilegas in eum manus injecit; ſatellites vero viam obſidentes, armorum, ac laterum oppoſitu, acceſſum ad ædem metropolitanam intercludere volebant. At ille vultu imperterrito, voce gravi & imperioſa, paucis ſed graviſſimis verbis eos ſic deterruit, ut pavore quodam inſolito correpti, ac tanta invicti animi magnitudine attoniti & obſtupefacti, ſtatim diffugerent. Nec vero ſacrilegum ſcelus illis impunitum fuit. Quippe Vicarius archiepiſcopalis una cum F. Franciſco Graſſio ordinis Minorum quæſtionem habere juſſus, eos, quibus digni erant, cenſuris ac pœnis eccleſiaſticis affecit; a quibus demum anno 1593. liberati ſunt, poſtquam ſcilicet pro gravitate delicti Deo, eccleſiæ, & Epiſcopo læſo ſatisfeciſſent.

Poſſeſſionem epiſcopalem Caſtri Buſſiliniæ Clementis VIII. auctoritate firmandam curavit.

Anno 1595. Antonius, ut ſibi ſuiſque ſucceſſoribus ſtabiliret, firmaret, ab omnique laicali aggreſſione tutam præſtaret poſſeſſionem territorii Diadenſis, ac præſertim Caſtri Buſſiliniæ ibidem poſiti, cum omnibus fructibus, juribus, proventibus, utramque Sedis Apoſtolicæ auctoritate muniendam curavit. Itaque a Clemente VIII. impetravit ampliſſimum diploma, quod ut omnibus innoteſceret, januis ædis cathedralis ex mandato pontificio affigi juſſit.

Diploma Pontificium.

Clemens PP. VIII. ad perpetuam rei memoriam. Muneris noſtri ratio poſtulat, ut eccleſiarum cathedralium quarumlibet, earumque Paſtorum, ac Præſulum quieti & tranquillitati ſtudentes, eorum res, & bona, ac jura, quantum nobis ex alto promittitur, tueamur; ac ut ea, quibus apoſtolica ſedes manum apponit, illius firmitatis ſtabilitate roboremus; ne alicui liceat in ſcrupulum quæſtionis deducere, quod hujus ſedis eſt auctoritate ſtatutum. Sane poſtquam alias, ſicut nobis innotuit, per cla. me. Colomanum, Andreæ Hungariæ Regis filium, tunc exiſtentem Regem Rutinorum, & Ducem Dalmatiæ & Croatiæ, locus, qui dicitur Drid, cum omnibus pertinentiis & finibus ſuis, omnique actione, ac juriſdictione Comitum Tragurii in eodem loco in irritum redacta, Eccleſiæ Tragurien. in eleemoſynam perpetuæ poſſeſſionis regali donatione conceſſus fuerat; ac deinde prædictus Rex Andreas, Bela, & Ludovicus Hungariæ Reges, nec non fel. rec. Clem. IV. & Gregorius X. Rom. Pont. prædeceſſores noſtri conceſſionem prædictam confirmaverant; dictuſque Rex Bela juriſdictionem prædictam a quodam Budislao Comite, ſeu aliis uſurpatam denuo extinxerat, & ſimiliter poſſeſſiones a quibuſdam occupatas prædictæ eccleſiæ integre reſtitui fecerat; bo. me. Franciſcus Epiſc. Trag. in pertinentiis dicti loci Caſtrum Buſilena nuncupatum propria pecunia conſtruxit; ac poſtmodum Reſp. Veneta, quæ ipſis regibus in Dalmatiæ jura ſucceſſit, ſumma pietate, quod & ante ædificationem dicti Caſtri ſæpe fecerat, prædictam eccleſiam illiuſque pro tempore exiſtentes Epiſcopos ad exemplum prædicti Regis Belæ, quorundam Comitum Tragurii miniſtrorum ſuorum eadem conantium perturbationes cohibendo, & invocationes amovendo, in juriſdictionibus & conſuetudinibus ſuis antiquis perpetuo conſervandos & manutenendos eſſe per ſuas litteras declaravit: & licet tam Ven. Fr. Antonius modernus Epiſcopus Tragurien. quam ejus prædeceſſores prædicti Caſtri poſſeſſionem, ſuffragantibus dictæ Reip. litteris, adepti fuerint; & in pacifica ejus poſſeſſione ac deputandi Caſtellanum, Capitaneum, & alios miniſtros, ad illius cuſtodiam & regimen, alioſque actus juriſdictionales faciendi perpetuo extiterint; quia tamen ſuper præmiſſis & aliis aliqua perturbatio ſeu moleſtia mota fuit, dictus Antonius Epiſcopus ad piæ mem. Sixtum V. prædeceſſorem noſtrum, ac poſtmodum ad nos recurſum habuit. Unde tam dictus Sixtus prædeceſſor, quam nos negotium hoc Congregationi S. R. E. Cardinalium ſuper negociis Epiſcoporum cognoſcen. demandavimus; in qua quidem congregatione, prævia diligenti cognitione, decretum fuit, quidquid in præjudicium dictæ eccleſiæ ſuper dominio & poſſeſſione Caſtri & juriſdictionis hujuſmodi alias factum re ipſa caſſari, vel peractum æquivalentem contrarium irritum fieri debere, ut jura eccleſiæ in tuto reponerentur, & Epiſcopus in priſtinum reintegraretur, ac alias prout in dicto decreto, ac patentibus ipſorum regum, ac Clementis & Gregorii prædeceſſorum prædictorum, & Reipublicæ litteris aliiſque documentis deſuper confectis plenius continetur. Nos igitur prædictorum prædeceſſorum noſtrorum, & præcipue Clementis IIII. veſtigiis inhærentes, cupienteſque, ut

præmissa omnia firmiter subsistant, ab omnibus inviolabiliter observentur, ipsaque Ecclesia Tragurien. in suis juribus conservetur, singularum litterarum prædictarum ac prænarrati decreti tenores, aliaque de necessitate exprimenda præsentibus pro expressis habentes, ac provisionem, & innovationem quamcunque contra jura dictæ ecclesiæ, ut probatur, aut alias quomodolibet factas harum serie cassari, & annullari, easque cassas, nullas, & irritas, nulliusque roboris vel momenti fuisse & esse declarantes; motu proprio ex nostra scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, donationem, & confirmationes, & litteras prædictas ac decretum prædictum, & in eo contenta, ac singula præmissa, & inde sequuta & sequutura quæcunque, apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omnesque, & singulos juris ac facti, ac solemnitatum quarumcunque quomodolibet omissarum, aliosque defectus, si qui intervenerint, in eisdem supplemus. Eaque omnia valida, efficacia perpetuo fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri volumus, & declaramus. Ita ut dicta ecclesia, ac pro tempore existentes Episcopi Tragurien. pacifica possessione loci & Castri prædictorum, illorumque jurisdictione utantur, potiantur, & gaudeant, omnisque innovatio contra jura dictæ ecclesiæ & consuetudines inducta penitus amoveatur, ac cassata, annullata, & irrita esse intelligatur; ipsaque ecclesia ac pro tempore existentes Episcopi Tragurien. de super ab aliquibus cujuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis fuerint, per se, vel interpositam personam, innovatione aut alicujus contrarii actus, seu quovis alio quæsito colore vel prætextu perturbari, molestari, aut impediri, ac præsentes litteræ de suspectionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu, & ex eo quod interesse habentes ad id vocati non fuerint, notari, impugnari, invalidari, aut ad terminos juris, seu in jus vel controversiam revocari minime possint. Decernentes sic, & non aliter, per quoscunque judices quavis auctoritate fungentes, & prædictos, & alios etiam Rom. Ecclesiæ Card. & causarum palatii apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, ac interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere: irritum quoque, & inane quidquid secus super his a quocunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus eidem moderno, & pro tempore existenti Episcopo Trag. ac dilectis filiis nostro & Apostolicæ Sedis Nuntio Venetiis commoranti, & causarum cameræ apostolicæ generali auditori, per præsentes committimus & mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut unus vestrum eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque ab omnibus inviolabiliter perpetuo observari, ac debitæ executioni demandari auctoritate nostra faciant, atque procurent; contradictores quoslibet ac præmissis non parentes, eisque auxilium, consilium, vel favorem directe, vel indirecte, aut alias quomodolibet præstantes, per sententias & censuras ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias, & alias pœnas, eorum & cujuslibet eorum arbitrio imponendas & applicandas, aliaque opportuna juris & facti remedia appellatione postposita compescendo, eosque prædictas & alias sententias, censuras & pœnas a sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, ac in litteris die Cœnæ Domini legi solitis contra tales latas, promulgatas, atque contentas, quas & nos per præsentes contra eosdem inficimus, eo ipso incidisse, & incurrisse declarando. Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus re. me. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri de una, & concilii generalis de duobus dictis, aliisque constitutionibus, & ordinibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis, & litteris apostolicis contra præmissa, aut alias quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus, eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in sui robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter & expresse motu proprio, scientia, & potestatis plenitudine similibus derogamus, contrariis quibuscunque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica Sede sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, quod postquam præsentium exemplaria valvis dictæ Ecclesiæ Tragur. affixa fuerint, omnes arctent, perinde ac si personaliter intimatæ fuissent, quodque illarum exemplis etiam impressis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ obsignatis eadem fides in judicio & extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XV. Junii MDXCV. Pont. nostri anno quarto.

M. Vestrius Barbianus.

Sæculo decimo septimo ineunte adhuc Antonius ecclesiæ hujus gubernacula tenebat, ut docent tabulæ Tragurienses: *In nomine Christi, amen. Anno nativ. ejusdem* 1602. *Indict. I.* 4. *Decembris. Actum in sacristia Ecclesiæ cathed. Tragurien. coram Reverendissimo Antonio Guido Episcopo, & clarissimo Domino Aloysio Bembo Com. & Capitaneo &c.* Annos ipsos triginta Ecclesiam Tragurienſem sanctissime gubernavit, quam moriens reliquit anno 1604.

MARCIUS EP. TRAGURIENSIS XXX.

Patria illi Utinum fuit, civitas Carnorum clara in primis ac nobilis, cognomen Andreutius. Erat Doctor juris utriusque, & Decanus Ecclesiæ collegiatæ Utinensis. Hunc M. Antonius de Dominis in petitione Archiepiscopatus Spalatensis competitorem habuit; quo ex certamine victus quidem, sed opulentissima pensione donatus discessit. De hac pensione cum eodem M. Antonio, itemque de jurisdictione ecclesiastica, acerrimas contentiones habuit, & propemodum hostiles; ut non tam argumentis & rationibus, quam jurgiis, obtrectationibus, & animis plane inimicis inter se pugnare viderentur. Sed de hujusmodi litigiis, & objurgatoriis, acerbissimisque concertationibus satis superque dictum est in actis M. Antonii Archiepiscopi Spalatensis. Clemens VIII. Marcium Andreutium Ecclesiæ Tragurienſi Episcopum præfecit, ut notatum est in tabulis consistorialibus. *Anno* 1604. *9. Julii, providit Ecclesiæ Tragurienſi in provincia Dalm. vacanti per obitum Antonii, de persona Martii Andreutii Decani Utinensis.* Hanc ecclesiam annos duodeviginti administravit; obiit anno 1622. ut est in tabulis

bulis Tragurienſibus. Ejus corpus in æde cathedrali poſt tergum altaris maximi depoſitum fuit ſine ulla inſcriptione; an poſtea inde, & quo translatum fuerit, mihi non eſt compertum. Nihil præterea de illo memoriæ ac litteris proditum invenio; niſi quod, cum cœnobium ac templum S. Michaelis, jam inde ab initio hujus ſæculi ædificari cœptum, anno 1612. perfectum eſſet, ex collegio Virginum Sibenicenſium S. Catharinæ Dominicam ſororem Joannis Tomci Marnavitii Epiſcopi Boſnenſis, feminam eximiæ virtutis ac prudentiæ, & monaſticæ diſciplinæ peritiſſimam, permiſſu Vincentii Arrigonii Præſulis Sibenicenſis eductam, Tragurium evocavit; ut primam novi cœnobii Antiſtitam conſtitueret, cujus præceptis atque exemplis ingenuæ adoleſcentulæ ſecundi ordinis civium Tragurienſium illuc receptæ ad normam Benedictini inſtituti erudirentur. Præterea vel Marcio Andreutio, antequam vita excederet, vel ejus proximo ſucceſſore aſſentiente, idemque civibus cupientibus ac poſtulantibus, Patres Minores Franciſcani ſeverioris diſciplinæ ex mandato Antonii Prioli Ducis Venetiarum reſtituti ſunt anno 1623. in cœnobium S. Mariæ de Drit inſulæ Buæ, quod ante multos annos propter peſtilentiam deſeruerant, ut conſtat ex diplomate partim Latino, partim Italico ejuſdem Ducis.

Franciſcani in cœnobio S Mariæ de Drit reſtituti.

Litteræ Ducales.

Antonius Priolo Dei gr. Dux Venetiarum &c. Nobilibus & ſapientibus viris Angelo Gabrieli de ſuo mandato Comiti Tragurii, & ſucceſſoribus fidelibus dilectis ſalutem & dilectionis affectum. Significamus vobis hodie in Conſilio noſtro rogatorum captam fuiſſe partem tenoris infraſcripti, videlicet: Rieſce molto oneſta la dimanda rivenente de' PP. Minori oſſervanti della provincia di Dalmatia di rientrare al poſſeſſo del luogo della Madonna di Drit nell' iſola Bua, territorio di Traù, ſin dal 1432. conceſſo loro per decreto pubblico, che abbandonato poi da eſſi in occaſione di contagio reſta al preſente ſervito da un Prete, poſtovi da quel Veſcovo; e maggiormente merita di eſſere abbracciata l' iſtanza di queſti buoni Padri, altrettanto divoti verſo la noſtra Repubblica, quanto ſono que' ſudditi noſtri verſo la loro Religione: poiche lo ſteſſo Veſcovo ſe ne contenta, li cittadini di Traù lo deſiderano, e il Conte noſtro di quella città, ed altri Nobili noſtri ritornati da quel reggimento ſtimano degna di eſſere eſaudita la dimanda, come ſi è veduto dalle ſcritture ora lette. Però l' anderà parte, che a laude del Sig. Dio ſieno rimeſſi li ſuddetti Padri Min. oſſ. della provincia di Dalmatia nel poſſeſſo del luogo ſopraſcritto della Madonna di Drit, e ſia loro permeſſo fabbricare appreſſo il monaſterio per abitazione de' Padri, che ſaranno deputati al ſervizio di quella chieſa, conſolandoſi e li Padri, e li cittadini di Traù ſopraddetti con queſta pia deliberazione delle Signorie noſtre. Quare auctoritate ſupraſcripti Conſilii mandamus vobis, ut partem ſupradictam obſervetis, & ab omnibus inviolabiliter obſervari, ubi opus fuerit, regiſtrari, præſentantique reſtitui faciatis.

Dat. in noſtro Ducali palatio die XXII. Aprilis Ind. VI. MDCXXIII.

PAX EP. TRAGURIENSIS XXXI.

Natus eſt Vicetiæ ex nobili Jordana familia. Politioribus litteris a puero eruditus ad graviores diſciplinas animum appulit, ac potiſſimum ſcientia juris pontificii excelluit, ut quæ in hoc genere ſacræ eruditionis reliquit, ſuæ ſapientiæ & ingenii monumenta declarant. Ob inſignem ejus doctrinam, vitæque integritatem Romam accerſitus fuit ab Hippolyto Cardinali Aldobrandino, qui eum ſibi ſtudiorum ſuorum adjutorem adhibuit; & cum ille a Clemente VIII. patruo Camerarius S. R. E. conſtitutus fuiſſet, Jordanum cauſſis cognoſcendis, quæ ad ſuum tribunal ſpectabant, auditorem præfecit. De Hippolyto Cardinali patrono ſuo beneficentiſſimo ſæpe Jordanus honoris & grati animi cauſſa meminit in ſuis libris; & Tomo 3. de re judiciali, lib. XIII. tit. 3. de juriſdictione ordinaria, ubi de jure & officio Cardinalis Camerarii, hæc habet: *Ejuſque* (conclavis) *materiam, ſecuta Papæ electione, donat cui vult, officiaque ultra ſexaginta diſtribuit; ex quibus poſt obitum ſanctæ recordationis Gregorii XV. Dominus meus Cardinalis Hippolytus Aldobrandinus Camerarius, cujus anima in cæleſti ſede exultat, & memoria in benedictione ſit, unum ex mareſcallis me conſtituit.*

Omnes catalogi Epiſcoporum Tragurienſium anno 1623. initia epiſcopalia Jordani affigunt; in quorum uno cum etiam notata ſit dies collati eidem Epiſcopatus, ideſt viceſima Martii ejuſdem anni, neceſſe eſt eum ab Gregorio XV. Epiſcopum renunciatum fuiſſe; quippe Gregorius hoc eodem anno, menſe Julio, diem obiit ſupremum, eique proximo menſe Auguſto ſuffectus eſt Urbanus VIII. Hinc etiam fit Jordanum poſt Eccleſiam Tragurienſem ſibi decretam, ſaltem uſque ad menſem Septembrem in urbe commoratum fuiſſe, cum poſt comitia pontificalia dimiſſa, & creationem Urbani, ab Hippolyto Cardinali Aldobrandino Camerario unus ex *Mareſcallis* conſtitutus fuerit. Itaque vel intra finem anni 1623. vel ſub initium ſequentis ad eccleſiam ſibi traditam regendam acceſſit.

Illud illi in primis cordi fuit, ut chriſtiana puerorum inſtitutio rite atque ordine procederet; & ſcholas tradendis fidei myſteriis ac præceptis, ubi non erant, aperuit; ubi jam vigebant, ſapientiſſimis legibus, atque ad rationem utilitatemque ſanctiſſimi hujus inſtituti quam maxime accommodatis firmavit ac munivit; iiſdemque e clericorum pariter, & laicorum ordine magiſtros idoneos præpoſuit. Intelligebat enim prudentiſſimus Præſul, quantum in illis momenti eſſet ad vitam chriſtiano homine dignam inſtituendam. De Doctrina Chriſtiana pueris, ac rudibus adultis tradenda docte copioſeque diſſeruit Tom. I. lib. VI. tit. 2. Quod alios docuit, ipſemet egregie præſtitit.

Pax Ep. diœceſim ſæpe luſtravit & Synodos plures convocavit.

Diœceſim ſæpius luſtravit; plures itidem Synodos diœceſanas convocavit, in quarum prima, quæ habita fuit anno 1624. XIII. Kalendas Novembris, qui promotoris officio fungebatur, hunc Epiſcopo ſupplicem libellum obtulit: *Cum nulla habeamus vel provincialium, vel diœceſanorum conventuum particularium decreta, & ordinationes, quæ in præſenti Synodo de jure confirmari, aut renovari queant; Ego N. hujus Synodi promotor a Reverendiſſima Amplitudine veſtra peto atque inſto aliqua edici de novo, & enunciari pro prudentia & charitate ſua, atque typis evulgari, ut clerus inſtructior in dies fiat, & ſollicitudinis ſtudio inflammetur ad omnem eccleſiaſticæ diſciplinæ rectam, cumulatamque, ac perpetuam obſervantiam.* Alteram Synodum anno 1635. XII. Kal. Junii, tertiam anno ſequenti, quartam denique anno 1641. VI. Kal. Junias cele-

celebravit. Tum in hujuſmodi Synodis, tum in epiſcopali luſtratione diœceſeos, ſapientiſſima decreta condidit, mirifice utilia vel ad ſplendorem ac dignitatem cultus divini, vel ad ſalutem & commodum populi chriſtiani, vel denique ad reſtituendam ac ſtabiliendam diſciplinam eccleſiaſticam, qualia nimirum expectari poterant ab Epiſcopo juris divini ac pontificii ſcientiſſimo. Quamvis autem & rerum ſacrarum doctrina, & juris utriuſque ſcientia inter ceteros illius ætatis Doctores excelleret; tamen adeo ſibi, ſuæque ſapientiæ non fidebat, quæ hominis erat de ſe humiliter demiſſeque ſentientis modeſtia, ut ſiqua res gravior ac difficilior incideret, nihil antea decerneret agereve, quam Sacram Romanam Congregationem conſuluiſſet. Extant reſponſa Sac. Congr. Jordano Epiſcopo reddita anno 1627. quæ ſunt ejuſmodi.

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini.

Ejus poſtulata ad Sac. Congreg.

Epiſcopus Tragurienſis cum reiteratis precibus poſtulat reductionem Miſſarum, & deciſionem ad infraſcripta dubia.

Quoad reductionem Miſſarum exponit in eccleſia cathedrali extare quinque capellanias cum onere quotidianarum Miſſarum a defunctis relicto, quarum prima habet annuum ſtipendium ſcutorum 12. *monetæ a teſtatore relictum; reliquæ vero unum ſtipendium ſcutorum* 15. *non quidem a teſtatoribus relictum, ſed ab hæredibus ſolvi ſolitum; ob cujus ſtipendii tenuitatem, & recuſationem laicorum ad augmentum ſtipendii, aliquot abhinc annis reperiri non potuerunt Sacerdotes, qui inſervire voluerint; & ſupplicat pro reductione arbitrio Epiſcopi, ſecundum qualitatem & morem provinciæ, ſeu conſtitutionis; ubi tamen non eſt a teſtatore præſcripta eleemoſyna, præſcribenda eſt ab Ordinario, quæ correſpondeat oneribus.*

1. *Quo vero ad dubia, primo dubitat, an Sacerdotes habentes annuum ſtipendium, vel qui ex quotidianis eleemoſynis celebrant, poſſint duo ſtipendia recipere pro ſingulis Miſſis, ex quo ſingula ſtipendia non aſcendunt ad quinque bajocchos.*

2. *An habentes annuum ſtipendium pro celebratione Miſſarum poſſint in die obitus alicujus fidelis novam pitanciam recipere, ex quo inveniri Sacerdotes non poſſint, qui non habeant annua ſtipendia, & videatur tacitus conſenſus dantis?*

3. *An ſacriſta, qui tenetur alio titulo celebrare, & ex uſu ſolet Miſſas anniverſarias cantare, ſatisfaciat duobus titulis, attenta tenuitate pitanciæ bajoc.* 2. *cum dimidio.*

4. *An Sacerdotes, qui nulla alia obligatione in confraternitatibus, vel in monaſteriis monialium celebrant, quam pro ornatu eccleſiæ, vel ut confratres vel moniales ſatisfaciant præcepto audiendi Miſſam, poſſint ultra ſtipendium, quod recipiunt a confraternitate, vel monialibus, aliud ſtipendium recipere.*

5. *An habens onus celebrandi certum numerum Miſſarum juxta valorem fructuum, quos ex legatis piis percipit, teneatur ſtatim poſt receptionem fructuum celebrare, an vero habeat totum annum ad ſatisfaciendum.*

6. *An recipiens ſtipendium pro Miſſis S. Gregorii ſingulis annis ad exequendas defunctorum diſpoſitiones, ſatisfacere teneatur ſtatim atque receperit ſtipendium, an differre quouſque non labatur tempus a defuncto præfinitum.*

7. *An recipiens ſtipendium celebrandi quando ei viſum fuerit, poſſit novam eleemoſynam recipere, etiam ſi non ſatisfecerit priori obligationi.*

Die 9. *Januarii, & 6. Februarii* 1627. *Sacra Congregatio Illuſtriſſimorum Cardinalium Concil. Trident. interpretum cenſuit reductionem ſupra petitam remittendam eſſe Epiſcopo pro ſuo arbitrio & conſcientia. Reſpondit autem ad primum, ſecundum, tertium, & quartum non poſſe.*

Et reſponſa eidem reddita.

Ad quintum teneri quam primum celebrare.

Ad ſextum poſſe differre ad tempus a teſtatore præſcriptum.

Ad ſeptimum denique cenſuit, etiamſi Sacerdotes oneribus ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe nova onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.

Coſmus Cardinalis de Torres.

Franc. Paul. Secret.

Eiuſdem poſtulata a Sac. Congreg. rejectum.

Si quid vero Pontifex aut Sacra Congregatio aliter decreviſſet, atque ille ſentiebat ac poſtulabat, ejus auctoritati ſuam voluntatem pariter ac judicium promptiſſime ſubmittebat, veluti cum poſtulavit, ut parochis ſub Turcarum ditione liceret ſacrum facere in ædibus privatis, cum urgeret neceſſitas ægrotis divina myſteria impertiendi; quam poſtulationem rejiciendam, & gravi ac periculoſo morbo laborantibus aliter conſulendum cenſuit Sacra Congregatio.

Decretum Sacræ Congregationis de Propag. Fide habitæ coram ſanctiſſimo die 27. *Martii* 1638.

Referente Em. D. Card. Cajetano Sac. Congreg. inſtantiam Epiſcopi Tragurien. pro Curato pagorum ſuæ diœceſis ſub Turcarum tyrannide, ut poſſet in domibus privatis pro communicandis infirmis celebrare, rejiciendam cenſuit. Ut vero neceſſitatibus infirmorum conſultum ſit, Sanctitas ſua eidem Curato facultatem conceſſit retinendi ſine lumine ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in aliqua eccleſia in dominio Turcarum exiſtente, illudque cum pyxide ad collum alliganda ſine lumine pariter ad infirmos deferendi.

Card. Antonius Barberinus Præfectus.

Franciſcus Ingolus Secret.

Edixit Canonicis, itemque Presbyteris inferioris ordinis, & clericis omnibus, ut convenirent ad audiendas ac dirimendas quæſtiones, quæ de morali Theologia ſtatis diebus haberi ſolebant; abſentibus ac renuentibus mulctam pecuniariam impoſuit. Hujuſmodi edictum gravabantur, ac moleſte ferebant; ab eo igitur appellarunt ad Octavianum Garzadorum Archiepiſcopum Jadrenſem, qui anno 1625. Viſitatoris apoſtolici munere in Dalmatia fungebatur. Ille decretum Epiſcopi ſacris Canonibus & receptæ pluribus in locis probatæque conſuetudini conſentaneum eſſe duxit, ſuaque auctoritate confirmavit, ut ipſemet Jordanus teſtatur Tom. 2. lib. 7. tit. 3. num. 48. *Sacr. Congr. Concil. ſic cenſuit, ſubdens ex eadem ultima reſolut. poſſe pariter eoſdem* (ideſt Canonicos & Presbyteros) *compellere ſub pecuniaria pœna ad congregationem caſuum conſcientiæ, & utrumque ſervari præcepi in hac eccleſia; cumque primis temporibus nonnulli gravarentur, & apud Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dom. meum Octavianum Garzadorium Vicentinum generis nobilitate, morum integritate, inſigni J. U. peritia, diutina in Romana Curia prælatione, rerum experientia ſumme commendabilem, meritiſſimumque Jadrenſem Epiſcopum, & Dalmatiæ atque Albaniæ tunc generalem apoſtolicum Viſitatorem, reformatorem &c. gravamen detuliſſent, illud rejecit, & ordinationes meas comprobando, ita exequi juſſit.*

Cum

Tibiam S. Severini M. ex urbe allatam in ædem cathedralem solemni pompa deduxit.

Cum Joannes de Andreis Canonicus Tragurienſis ex urbe regrediens tibiam ſiniſtram S. Severini martyris e cœmeterio S. Calliſti eductam Tragurium attuliſſet, eam Pax Jordanus rite recognitam frequenti piaque ſupplicatione ex ædicula S. Rocchi, ubi depoſita fuerat, in ædem cathedralem tranſtulit, & cum aliis Divorum reliquiis in ſacrario honorifice collocavit. *Joannes Baptiſta Altieri olim Epiſcopus Cumerien. Em. urbis Vicarii Vicesgerens, & judex ordinarius, fidem facit ſe tradidiſſe & conſignaſſe Joanni de Andreis Canonico Tragurienſi Os majus tibiæ ſiniſtræ, inſignem reliquiam S. Severini M. a Calliſti cœmeterio extractam, ut eam publicæ venerationi poſſet exponere.*

Pax Jordanus eam recognovit, & ab eccleſia S. Rocchi prope portam ſolemni piaque proceſſione ad eccleſiam cathedralem deduxit, ibique collocavit cum aliis Sanctorum reliquiis aſſervandam; & quoniam a Viceſgerente inſignis reliquiæ nomine fuit decorata, de conſenſu Capituli juxta noviſſima tunc Sacr. Congreg. decreta juſſit, ut quotannis ipſa die deductionis 7. Julii ſub ritu duplici ab univerſo clero de ipſo S. Severino M. officium, ſacrum, feſtumque fieret. 16. Julii 1640. Anno vero 1646. die 25. Maji incluſa fuit in brachio ligneo argento contecto, ſupra ligneam baſim inauratam erecto, cum foramine vitreo ſpeculo cooperto, per manus ejuſdem Jordani.

Anno 1644. cum novum ſacellum, B. Joanni Epiſcopo & Patrono Tragurienſium abhinc plurimis annis ædificari cœptum, abſolutum jam eſſet, & marmoreis tabulis ac ſignis haud elegantius, quam magnificentius ornatum; David Triviſanus Comes Tragurii, proceres, patricii, ac cives omnium ordinum pro transferendo illuc corpore ſanctiſſimi Antiſtitis Paci Jordano ſupplicarunt. Eorum precibus libenter annuit, & Canonicis conſentientibus decretum fecit, ſollemnique translationi tempus ac diem ipſum præfinivit. Verum paullo poſt bellum Creticum ſuperveniens pia conſilia diſcuſſit, & cogitationes curaſque hominum alio avertit.

Opus egregium ab eo compoſitũ, atque in lucem editum.

Dum Jordanus Eccleſiæ Tragurienſi præſidebat, libros 14. compoſuit multiplicis doctrinæ atque eruditionis eccleſiaſticæ refertos, eoſque in tres Tomos diviſit huic titulo ſubjectos: *Pacis Jordani Vicentini Epiſcopi Tragurienſis Elucubrationes diverſæ, quibus pleraque ad Epiſcopi munus quocumque modo ſpectantia, nova, facili, brevique methodo, ex utroque jure deprompta diligenter explicantur. Opus tum ſacræ, tum profanæ doctrinæ varietate plane jucundum, ac omnibus prælatis, judicibus, advocatis, ceteriſque juriſprudentiæ profeſſoribus apprime utile & neceſſarium. Tomus primus de Re Sacra. Tomus ſecundus de Re Beneficiaria. Tomus tertius de Re Judiciali.* Poſt obitum auctoris, hoc præſtantiſſimum opus Venetiis rurſus editum prodiit ex typographia Balleoniana anno 1693.

De Capitulo & clero Tragurienſi, & penſionibus utrique annexis, quæ ille ſcripſit Tom. II. lib. x. tit. xx. num. 21. libet hic ſubjicere: *Quando itaque præbendæ omnes, prout in Eccleſia mea Tragurienſi, eſſent ſacerdotales, opus eſſet impetranti 24. exegiſſe annum, & 25. inchoaſſe juxta ſuperius notata, quia tali tempore intrat legitima ætas pro Sacerdotio. Sunt autem in prædicta Eccleſia Tragurienſi duodecim præbendæ canonicales, inter quas Theologalis & Pœnitentialis, tres dignitates, nimirum Archidiaconus, qui major eſt poſt Epiſcopum, Archipresbyter, cui annexa cura animarum, & Primicerius: ſolus autem Archipresbyter habet redditus, & compatibiles ſunt cum Canonicatibus. Præter hos vero ultra 30. Capellani receptitii, & circa 20. clerici.*

Eccleſiam Tragurienſem ſapientiſſime & ſanctiſſime adminiſtravit annos amplius quatuor & viginti. Deceſſit anno 1649. XI. Kal. Februarii, illatuſque eſt in commune ſepulcrum Epiſcoporum. Annos circiter quinque Interregnum epiſcopale tenuit: quo temporis intervallo adminiſtratio rei chriſtianæ & eccleſiaſticæ fuit penes Franciſcum de Andreis Vicarium capitularem. Interregni epiſcopalis diuturni hæc cauſſa fuit, quod ſucceſſor Jordani deſignatus penſionem octingentorum argenteorum ſibi impoſitam, Chriſtophoro Cardinali Vidmano ſolvendam conſtantiſſime abnueret. Demum poſt quinquennium Pontifici pro auctoritate imperanti paruit.

Interregnũ epiſcopale.

FRANCISCUS II. EP. TRAGUR. XXXII.

Patria Venetus, cognomento Coccalinus, ex Congregatione B. Petri de Piſis, quem Innocentius X. anno 1654. pridie Idus Januarii Epiſcopum Tragurienſibus dedit, ut eſt in tabulis conſiſtorialibus ſub eodem anno dieque. Verum Joannes Sajanellus ejuſdem Congregationis B. Petri, lector emeritus & exprovincialis, vir doctiſſimus atque eruditiſſimus, qui collegit atque illuſtravit *Hiſtorica Monumenta Ordinis S. Hieronymi, Congregationis B. Petri de Piſis*, Tomo primo, libro tertio docet Franciſcum ex rectore generali totius ordinis factum eſſe Epiſcopum Tragurienſem anno 1649. ſed ejus conſecrationem in quintum uſque annum dilatam fuiſſe, propterea quod penſionem ſibi impoſitam abnueret, cui ſolvendæ ſe non fore ſentiebat, tum propter bellum Creticum, quo Dalmatia etiam flagrabat, tum ob ſumptus neceſſarios, quos in reparationem ædis cathedralis fieri oportebat. Itaque anno quidem 1649. deſignatus fuerat Epiſcopus Tragurienſis; ſed propter eam, quam dixi, cauſſam poſt quinquennium, abrogata illa penſione, conſecrationem & onus epiſcopale ſuſcepit; ac tum demum traditus illi Epiſcopatus in tabulis conſiſtorialibus deſcriptus & notatus fuit. *Anno 1654. 12. Januarii. Providit* (Innocentius X.) *Eccleſiæ Tragurienſi, vacanti per obitum Pacis Jordani, de perſona Franciſci Coccalini Congreg. B. Petri de Piſis, cum decreto, quod eccl. cathed. reparationi pro viribus incumberet.* Hæc ſiquidem vitium variis in locis fecerat, quam ut reſtauraret ac fulciret, nihil induſtriæ operæque optimus Antiſtes prætermiſit; & quidquid ex epiſcopalibus proventibus potuit pecuniæ contulit. Sed belli Cretici anno decimo tertio, eccleſia & menſa epiſcopalis ingens detrimentum, magnamque bonorum ſuorum jacturam accepit. Saida Mahumetes Baſſa Boſnenſis Spalati potiundi ſpe depulſus, anno 1657. exercitum induxit in finitimum agrum Tragurienſem. Urbem tentare non auſus, dextera flexit ad pagum frequentem tectis amplius centum & quinquaginta circiter, duarum ab Tragurio horarum itinere, Buſſiliniam appellant, quem ex antiqua regum Hungariæ donatione Epiſcopus poſſidebat, & uberrimos ex eo territorio proventus percipiebat. Situs eſt in extrema ad ortum peninſula Hyllis, ad Sinum cognominem. In eum pagum, quem Franciſcus

Caſtrum epiſcopale Buſſiliniæ a Turcis obſeſſum, captum, ac dirutũ.

ciſcus Marcellus Epiſcopus mœnibus ac propugnaculis munierat, ad famam adventantium Turcarum profugerant ex proximo agreſtes cum rebus & pecoribus ſuis. Incolas ſuis viribus fretos admotus terror oppugnationis perpellere non potuit, ut in voluntariam deditionem concederent. Quinque perpetuos dies non viri ſolum, ſed etiam feminæ ſic repugnarunt, ut tela prius vireſque, quam animus ac ſpes loci tuendi, deficerent. Obruti tandem ſunt multitudine ſuperfuſorum hoſtium; quo ipſo tempore tamen auſa eſt mulier una ignem ſubjicere pulveri tormentario, qui aſſervabatur in angulo pagi extremo: quo incenſo Turcæ ad ducentos perierunt, cum amplius quingenti in oppugnatione cecidiſſent. Incolæ & agreſtes partim cæſi aut vulnerati, partim capti, ceteri parvis excepti lembis effugerunt. In his, qui ex hoſtium manibus elapſi ſunt, ajunt fuiſſe ipſum Epiſcopum, qui ut propugnatoribus ſolatio eſſet atque incitamento ad ſtrenuam defenſionem, illuc accurrerat. Loco direpto, & concremato, agris circa pagum late vaſtatis, epiſcopali menſæ de annuis proventibus plurimum deceſſit. His temporibus Chriſtophorus Vidmanus Abbas Commendatarius cœnobii Tragurienſis S. Joannis Baptiſtæ duas ſtatuas ex argento pulcherrime cælatas ædi cathedrali Laurentianæ teſtamento legavit. Idem Romæ domicilium emit, rebuſque ad habitandum neceſſariis inſtruxit, quo uterentur, ſi vellent, Præſules Dalmatiæ, cum ſacra limina viſendi & colendi cauſſa ad urbem ſe conferrent, ratus nimirum proventus e Sacerdotio Tragurienſi perceptos nuſquam melius, quam in illius Eccleſiæ ornatum, ac Dalmaticæ provinciæ utilitatem impendi.

Dona Vidmani Abbatis S. Stephani collata ædi Laurentianæ.

Franciſcus Sedem Tragurienſem tenuit annos ſeptem. Venetiis diem extremum obiit anno 1661. & ſepultus eſt apud monachos ſui ordinis in æde S. Sebaſtiani, ubi ejus effigies ex marmore viſitur; eique ſubjecta hæc inſcriptio legitur.

Franciſci epitaphium & elogium.

Franciſcus Cocalini Venetus poſt omnium in Religione culmina dignitatum Tragurienſi Epiſcopatu inſignitus, a ſponſa ſolutus ad matrem rediit ſydera petens. Anno MDCLXI.

De Franciſco Coccalino hæc breviter Joannes Baptiſta Sajanellus ſupra laudatus in ſuis præclariſſimis Commentariis. *Anno 1661. moritur die vigeſima ſecunda Novembris Illuſtriſs. & Reverendiſs. Franciſcus Coccalini Venetus ordinis noſtri, Epiſcopus Tragurienſis. Hic (in ſæculo Marcus Antonius) anno milleſ. ſexcent. quintodecimo, die quarta Februarii Congregationis noſtræ habitum ſuſcepit in patrio cœnobio; ac per omnes gradus ad ſupremum Congregationis regimen aſſumtus, eo nondum expleto ad illam regendam eccleſiam electus eſt anno milleſ. ſexcent. quadrageſimo nono* (ut ibi dixi). *Ratione tamen oneroſæ penſionis illi impoſitæ electioni ſuæ diſtulit aſſentiri uſque ad annum milleſ. ſexcenteſ. quinquageſimum quartum; quo (percepto conſecrationis munere) Epiſcopatus poſſeſſionem iniit menſe Junii. Cum eo tempore ferveret Cretenſe bellum, in caſtro, vulgo Boſſiglina ſuæ diœceſis a viginti millibus Turcis obſeſſus eſt die vigeſima tertia Julii anno 1657. unde biduo poſt feliciter evaſit, exceptus triremi Principis Gonzagæ, ac Venetias ſe recepit. Inde ſequenti anno ad eccleſiam ſibi commiſſam rediit, in qua regenda triennium integrum pacifice traduxit. Defuncto Cardinali Chriſtophoro Vidman, qui Eccleſiam Tragurienſem pio legato donaverat, Franciſcus a Canonicorum Capitulo electus eſt die quinta Octobris anni milleſ. ſexcent. ſexageſimi primi, ut illius jura & actiones promoveret. Venetias proinde venit; nec multo poſt morbo correptus domi ſuæ in paræcia S. Jacobi de Luprio deceſſit e vita, die & anno ſupra enunciatis. Ejus corpus (ut ipſe mandaverat) ad eccleſiam ſui ordinis delatum, ibi honorifice depoſitum fuit. Supra locum, ubi jacet, ad dexteram organi pneumatici in pariete conſpicitur ejus effigies gypſo ad vivum expreſſa cum hac epigraphe;* quæ ſupra deſcripta eſt.

JOANNES PAULLUS EP. TRAG. XXXIII.

Hic erat ex familia Veneta Garzonia, & in ſodalitatem Patrum Cruciferorum ab adoleſcentia nomen dederat; ex qua inſignem doctrinam cum eximiis virtutibus conjunctam ad Pontificatum attulit. Alexander VII. dignum cenſuit, cui Tragurienſem Eccleſiam committeret anno 1663. cum Sedes epiſcopalis duos annos vacaſſet. Ter civitatem ac diœceſim luſtravit, ter Romam adiit, ut ſacra limina inviſeret, ſuæque adminiſtrationis eccleſiaſticæ rationem redderet. Quæ in epiſcopalibus luſtrationibus notavit & collegit, ea litteris tradita Sac. Congregationi expoſuit; hinc pauca decerpere libuit, quæ aliquam hujus eccleſiæ ac diœceſis notitiam ſuppeditant.

Ejus epiſt. ad Sacram Congregat. de ſtatu eccl. & diœc. Tragurien.

Cum Eccleſiæ catholicæ baſes, & potiora Romani firmamenti lumina ſint Beatiſſimi Petrus & Paulus, ad horum aque Apoſtolorum limina ſacri mundi Rectores triennaliter compelluntur accedere. Aſt hic magnus Alexander Septimus regens optime, atque adminiſtrans, ſingillatim a montibus altis aſtro ſuo ſplendidiſſimo remotos etiam Epiſcopos traducere, ac evocare non deficit. Quapropter ego ex originaria Venetorum civium familia Jo: Paulus Epiſcopus Tragurien. veneranda eorumdem Sanctorum corpora prima vice viſitaturus, ampliſſimo Eminentiarum veſtrarum conſeſſui referam, quæ non levi, ac parvo labore, & ſolertia, propter morum, atque inſtitutorum regionis varietatem, Deo adjuvante, peragere volui, ante oculos propoſita tamen ſapientiſſimorum Sanctitatis ejuſdem mandatorum obedientia, & executione.

Circumdat ambitus, ſeu, ut aptius dicatur, anguſta protenditur linea, vel oræ maritimæ lingua, viginti millibus paſſibus ab Rogoſnizæ portu & civitatis Sibenici confinio uſque ad caſtrum Cambiorum Spalati, alterum urbis metropoliticæ finem, planitie tamen non ampliori, quam duobus milliaribus latitudinis ad montium radices extenta; cujus agri partim haud bene excoluntur, partim vero, cum ob eorum ſterilitatem ac ruditatem, tum etiam ob Turcarum in firma terra propinquitatem, omnino deſeruntur. Pacis tempore, viginti quinque ab hinc annis turbatæ & ereptæ, pede inoffenſo noſtrates gradiebantur, & præſertim Boſſilinæ epiſcopalis juriſdictionis aratro utebantur, & per octo, & decem milliaria eo campi perſtringebantur, quos cum vitæ diſcrimine modo nec in ſola medietate villici ligone diſrumpunt.

Scopulus adeſt Zironæ, ſeptem milliaribus conſtans, in quo eſt eccleſia parochialis ſub titulo S. Geor-

D. Georgii . Sunt autem incolæ rurales omnes fere octingenti , ubi ab arvis & vineis , labore manuum excultis percipiunt patroni quingentos ducatos reddituum. In conſpectu vero ſcopuli hujus terra , quam firmam dicimus , & Viniſchia appellatur , ab ipſis colonis Zironæ effoditur , ibique ſunt prædia pene omnia Abbatiæ S. Jo. Baptiſtæ , Illuſtriſſimo Dom. Jacobo Vianolo , Veneto Patritio & Epiſcopo Famaguſtano commendatæ , redditus pluſquam tercentorum ducatorum monetæ .

Eſt inſula duodecim milliarium , quæ Bua nominatur , quantum jacitur lapis ; ponſque propter navium commoditatem extenſus , ipſum Tragurium reſpiciens , & pro continuo peditum tramite aptus . Duo ibi rura videntur , cum duabus parochialibus , ſed manualibus Sanctorum Theodori & Mauri , Ochruch , & Xedno appellata , animarum centum & quinquaginta non amplius. Tota inſula tamen non eſt diœceſis Tragurien. ſed pro medietate ; media enim parum exculta , minuſque habitata , ditionis eſt Spalatenorum , unicam continens villam , Slatina dictam. Ad frontem litoris tranſit Iſtmum maritimum ; in ipſa inſula domus extructæ viſuntur ad numerum ſupra tercentum , & ex Senatus prohibitione nequit poſthac fabricari , quia civitas inferioris ſalubritatis abſque civibus remaneret . Animæ ibi hominum ſunt ſupra quingentas , ſed majori ex parte nauticam & piſcationem profitentium.

Eccleſiæ , & beneficia menſalia octo reperiuntur in inſula eadem , quas omnes viſitavi , & ſatis ornatas & cultas reperii . Eſt conventus Minorum de obſervantia , ſub invocatione S. Mariæ de Drit nuncupatæ , ſex , vel ſeptem Fratrum propria munia obeuntium ; ſed eſt & parvulus Minorum calceatorum , unius , vel duorum Religioſorum , qui ſupprimendus eſſet potius quam obſervantia regularis , ut cernitur , contemnenda .

Ad oram ex firma terra , ſalo proximam , non . . . . , animabuſque mille ſex centum refertam , quatuor in Tragurienſi diſtrictu caſtra videntur , Victurium , Caſtrum vetus , novum , ac Staphileorum ; ceteris oppidis , Roſano videlicet , Laudenſi , & Dragatio , antiquioribus dirutis , atque ſtocci faciendis . In ſingulis villis eccleſiæ adſunt parochiales cum parochis in unaquaque patronorum præſentatione . Appellantur autem patroni , ſed nullam in iis , vel feudi , vel juris habent dictionem . Magnis ſunt corporis viribus , ac fidentibus animis accolæ , Turcas ipſos intra proprios terminos . . . . conſtituentes . Conſuetudinem , atque exercitationem in tribus rebus mirifice capiunt : in armis , unoquoque eorum tormentum miſſile in manibus , ac in femore noricum enſem habente : in agrorum cultura , cum nullus alius ibi ruſticus ſit : & in nautica arte , ut remigare , ac in navicula piſcari quam ſæpiſſime conſpiciantur .

Extant quamplures capellæ , & eccleſiæ rurales in eiſdem finibus , ſeu beneficia ſimplicia , menſæ capitulari annexa ad numerum pluſquam viginti , ducatorum quatuorcentum reddituum ; ſed eſt præciſe unicum Sanctæ Marthæ , juris patronatus civicæ Dragatiorum familiæ , annui proventus ducatorum 150. Onera tamen in eiſdem capellis , ſeu eccleſiis minime adimplentur , propter invaſionum pericula , nimis heu ! proxime Turca ibi excurrente , prædaſque capiente ; ex translatione tamen conceſſa ab Epiſcopis in majoribus civitatis eccleſiis , ſatis undique fiunt.

Sex paſſuum millibus cominus Tragurium aditur ; difficilis eſt tamen acceſſus , quia non raro pecora , ductoreſque arripientes a monte Turcæ deſiliunt , & ſummo mane ibi occulti obſervare & inſidias moliri inveniuntur .

Prope civitatem ſacræ ædes , & domus prophanæ commoditati & voluptati laicorum , eos agros tenentium , non paucæ reperiebantur , ſed belli occaſione ſolo omnes æquatæ ſunt ; imo pons lapideus , perjucundis hinc inde ſedilibus , nunc ligneus eſt , & ad promptiorem everſionem extenſus .

In Iſtmo , ſeu maris anguſtia inter inſulam Buam , & terram , quam dicimus firmam , ſupra ſcopulum , civitas Tragurii poſita eſt , ac ſita , circuita (haud dempta arce) non amplius quam milliario , in qua etiam ad mœnia multæ pro pauperum & militum habitatione caſæ ligneæ viſuntur , nec eſt in ea duarum millium animarum exceſſus .

Habet eccleſiam cathedralem affabre ex marmore ab annis circiter tercentum inſtructam , pervenuſte columnis , ac ſtatuis exculptam . Inſunt altaria novem , duæque capellæ , quorum altera S. Maria dicta nova , pro translatione , ac repoſitione corporis B. Joannis Urſini Romani , qui fuit anno 1060. Epiſcopus Tragurien. non levi impenſa erecta . Is pro Sancto habetur , excolitur a pluribus ſæculis dies feſtus , & proprium officium illius ſolemniter agitur , & pleraque , ac maxima miracula ejus interceſſione experta & probata fuere . Exciſo autem & devaſtato ſæpius Tragurio propter bella , & ſeditiones , poſt ultimam reædificationem (ut traditur) , ea gratia , ac privilegio cives potiti fuere , ut illæſi ab obſidione & immunes a morbo epidemiæ , provinciam totam pluries vaſtantis , evaſerint .

Eccleſiæ cathedralis proventus in quarta reddituum epiſcopalium portione ab agris villæ Boſſiglinæ , & Viniſchiæ , & Racicæ locis extracta , adjuncta ſimiliter quarta decimarum parte e caſtris laicorum , quatuor centum monetæ ducatis hiſce ærumnoſis temporibus conſtant . Ab anno 1308. Pontificis maximi indulto , unus , ſub nomine operarii , de Communitate , vir nobilis eos modo adminiſtrat . Is ex quatuor ab eorum Conſilio propoſitis , ab Epiſcopo ſimul & Capitulo quotannis eligitur , nec impenſam , aut exitum aliquem fructuum , vel denariorum ei facere licet , niſi in primo capite Epiſcopi , & ſecundo loco civitatis Rectoris conſenſus extiterint . Cædulæ omnes ſubſcribuntur ab iis , & ab operario poſtera vice , juxta hujus provinciæ Sindicorum in contradictorio judicio de anno 1535. terminationem . Ad contentiones ergo immortales vitandas , habita etiam ſuper hoc e medio inconvenientia tollendi , optione ac poteſtate a Senatu , laudabile cenſui perpetuo duraturum compoſitionis quod vocant inſtrumentum , clauſulis & conditionibus in eadem Sindicorum terminatione exaratis , conficere . Lites enim , & diſſidia continuo oriebantur , materiaque indigeſta ſemper & inconcluſa manebat , re ſemel atque iterum præjudicata , & præcipue 1490. ab Antiſtite Veneto Patritio Marcello , qui operario integra omnia ac libera ad expendendum & providendum reliquerat ; interdum vero ad jura epiſcopalia tuenda alii , & præſertim Viſitator apoſtolicus Veronæ Præſul anno 1580. adverſus laicos , quæ non exequebantur , decreta ediderant , ac plerumque turpibus certationibus eccleſiaſtici & ſæculares conflictabantur .

Ipſa cathedralis eccleſia eſt pretioſis ſuppellectilibus , ideſt ſacerdotalibus , ſericis , ac argenteis ,

teis, vel aureis omnium florum indumentis instructa. Multa sunt illi pluvialia, planetæ, & capellæ pro Episcopo. Argenteæ res satis amplæ, lampadarum scilicet, candelabrorum, ac statuarum, ad sexdecim millia ducatorum valorem.

Multæ adsunt capellaniæ, sive onera, partim quotidianarum, semestrium partim, aliqua vero quadraginta dierum Missarum. Hinc mater ecclesia rite colitur, perpetuaque horarum canonicarum recitatione observatur, ac in aurora omni horæ matutinæ psalluntur.

Tres sunt in Capitulo dignitates, Archidiaconus, Archipresbyter, & Primicerius. Archidiaconus sine ulla præbenda, vel obventione primum locum obtinet, nullam tamen jurisdictionem, vel curam animarum exercet, & ad doctoratus lauream sumendam adstringendus non esset, uti in Bullis Pontificiis ad præsens D. Jo. Baptista Fuardus adstringitur. Archipresbyter autem habet curam animarum civitatis, & insulæ, ex quo doctoratus laurea insigniri deberet, adjunctos item habens tercentum ducatos reddituum, & pluribus tum Canonicis, tum de clero Presbyteris fidelium confessionibus designatis adjuvatur. Baptismus etiam majori ex parte ab uno, aut altero Sacerdote confertur, secundum morem regionis, quo quisque proprium ministrum, tum in matrimonii Sacramento, cum etiam in singulis necessitatibus ecclesiasticis adhibet. Quod præjuditium parochi, seu Archipresbyteri non est tolerandum, sed decreta episcopalia respuuntur, & cum sæcularibus contendere, & in dies dissidere conamur. Citius enim, quam ab alio haud eorum familiari Presbytero Sacramenta recipiant, hic laici ea ipsa negligere intuebuntur.

Primicerius in choro clericorum instruendorum officio præponendus, abusive etiam chorum ipsum dirigit quoad ministros rituum, & cæremoniarum ecclesiæ, ex quadam sententia Vicarii metropolitici, appellata a meo præcessore, & aliquorum Canonicorum adhæsione notulas conficio.

Canonicatus duodecim reperiuntur, exigui tamen proventus, & obventionis, non excedentis 40. ducatos. Omnes præbendæ sunt presbyterales, ex quo non libet Canonicis in majoribus solemnitatibus, absente Episcopo, pro diaconis & subdiaconis ministrare. Cui malo occurrere cupiens (si tamen Eminentiæ vestræ probarent, & forte SS. Dom. TP. oraculo accepto), ipsas præbendas, & officia, juxta ecclesiæ necessitatem, decusque ecclesiæ distinguerem.

Ob dictam reddituum tenuitatem longe absunt quinque Canonici, & quidam ex eis per plures annos ecclesiam, cui adscripti sunt, declinquunt. Contendo autem morbum ingravescentem, inculcatis præceptis & canonicis monitionibus, providere, singulos ad residentiam vocando, usque ad privationem Canonicatuum juridicam processionem.

In tota diœcesi decem sunt paræciæ, sive curæ animarum. In civitate, & cathedrali prima Archipresbyteri. Secunda in villa ad dimidium milliaris, Seghetto appellata. Tertia Bossiglinæ, terræ, & arcis episcopalis jurisdictionis. Quarta scopuli Zironæ. In insula duæ, videlicet villarum Xedno & Ochruch. Quatuor tandem in ruribus castrorum jam descriptorum.

Est etiam ecclesia & conventus Prædicatorum ordinis sub titulo S. Dominici in civitate, ampla & perpulcra, sed quatuor solummodo Fratrum ex inopia populorum. Alia item est ad milliare extra civitatem ipsam, totidem Fratrum in ea commorantium, in qua est Crucifixus mire insculptus, & grandi fidelium tum provinciæ, tum extra concursu.

Presbyteri de gremio cathedralis (demptis Canonicis, & animarum pastoribus) ad 25. circiter extant, clerici autem duodecim pro Seminario, ad quorum institutionem ab Episcopo cum consilio Capituli datus est præceptor grammaticæ, nonaginta ducatis monetæ annuis dotatus. Est etiam alius magister pro cantu Gregoriano, item ex redditibus cathedralis sufficienter conductus.

Omnes in choro ex obligatione convenire tenentur, nam apostolica facultate de anno 1583. applicati fuerunt pro distributionibus quotidianis æqualiter tum Canonicis, tum de clero Presbyteris interessentibus dividendi tercenti ducati monetæ a beneficiis simplicibus diœcesis extrahendi. Licet autem æque per omnium Canonicorum & Presbyterorum capita distribuantur, placuit tamen SS. fel. rec. Gregorio XIII. eas distributiones de mensa capitulari denominare. Hinc ad tollendas confusiones, quæ ad fructuum receptionem distribuendorum in dies effluebant, decrevi, ut unus per turnum de Canonicis exigeret, & Episcopo, vel Vicario coram singulis trimestribus dispertiret; permittendo tamen, quod in conductionibus, sive locationibus, etiam Presbyteri inferiores votum & consensum qualibet vice & occasione præstarent.

Capitulum jus habet per cancellarium acta publica scribendi, & registrandi, eaque proprio signo muniendi.

Ad Decimarium, variandum ab ipso Capitulo quotannis, spectat scripta in armario sub clavi observare, & decimas Canonicis pro portione tangentes postulare, & dividere.

Procurator per turnum toto anno interessentes punctat, & absentes punctationibus æque ac distributionibus dimittit inanes.

Est Canonicus Theologus, sed minime Theologiam, vel sacram paginam legit; excusationem nihilominus affert, quæ probari posse videtur, scilicet præbendæ theologalis defectum.

Non est in Capitulo Canonicus pœnitentiarius. Quare Eminentias vestras suppliciter oro, ut circa supradictas duas adeo utiles & necessarias, videlicet theologalem & pœnitentialem præbendas, illud præcipiant, quod ecclesiæ utilitatis & necessitatis pro summa prudentia autumabunt.

In tam multa clericorum manu haudquaquam præbendatus, provisus, sive aliquali mercede recognitus aderat cæremoniarum magister, & nisi (raro autem) imperitus, domus autem Dei zelo percitus, quis ultro se objiceret, ecclesia sacris ritibus, & assistente & celebrante Episcopo, fraudabatur. Hinc Presbyterum de clero inferiori assumere, eique ex tenuissima mea mensa perexiguam laboris mercedem, ad perturbationes & inobedientias de medio auferendas, mihi visum est assignare, edictumque perpetuo valiturum sub pœna suspensionis a divinis ipso facto incurrenda, ut omnes obtemperarent, & ecclesiæ inservirent, juxta notulas a cæremoniarum magistro descriptas, sed a me, vel Vicario firmatas, ad Sacrarii valvas affigi mandavi. Erigere autem præbendam, vel aliquod præstimonium statuere uni cæremoniarum ductori, & magistro, qui ex obligatione posthac incumbere habeat, obedientiamque in singulis de Capitulo & clero instituere, æquissimum & valde utile existimo.

Canonicorum electio ad Sanctissimum spectat in men-

menſibus pontificiis, & præſertim alternativæ Brevi non expedito, inſtituiturque mediantibus diplomatibus Romæ datis, expreſſo ducatorum aureorum 24. valore; in quatuor vero reliquis, ſingulis vacantibus vicibus, Epiſcopus eligit.

In civitate tres adſunt monialium conventus, in quorum ſingulis decem virgines reperiuntur. Duo ex his nobilium Communitatis ſub titulis SS. Petri & Nicolai Epiſcopi; tertius autem eſt civium, ſub invocatione S. Michaelis. Hoc eſt noviſſimum ſanctimonialium cœnobium, quadraginta abhinc annis ſolummodo erectum; cetera vero antiquiſſima exiſtunt, & a ſexcentis & amplius annis conſtructa, repertis codicibus, & monimentis in eis ante Div. Joannem Epiſcopum ſuperius tactum Urſinum. Regulam, & conſtitutiones S. Benedicti profitentur, induuntque moniales habitum eumdem, ſed circa modum vivendi in communi non parum ab inſtituto diſtant Caſſinen. Congregationis, cum ſint redditus monaſteriorum exigui, & ſpecialiter nobilium, quibus ſingulis niſi conſanguinei victum ſuppeditarent, ſolo pane plerumque eis veſci liceret. Cuilibet earum ante profeſſionem agri ſpatium valoris ducentorum ducatorum aſſignatur, quod præſenti belli tempore haud excolitur, & eo minime fructus reddit. Mortua autem unaquæque monialium, agrum illum laici repetunt, quare ulla ex parte nequeunt communes fructus excreſcere. Quæ autem ex civibus in cœnobio S. Michaelis Deo conſecrantur, partem, quæ pro dote tribuitur, monaſterio relinquunt; ſicque proventus impoſterum in illo augebuntur, & vita regularis ducetur omnimode.

Abbatiſſa S. Michaelis poſt Conc. Trid. inſtituta, quæ præfectura & gubernatione eſſet mutanda, nulla enim ante modernam Archangelam Racettinam, tibia etiam claudam, ſupra triennium adminiſtravit. Hæc ſæcularium, non monialium ſororum innixa ſuffragiis, indulto fel. rec. Innocentii PP. X. perpetua facta eſt, quod non eſſet ſuſtinendum de cetero, ideſt a vacatione ipſiuſmet Racettinæ, in quo pariter concurrunt moniales, quibus, propter libertatem eligendi ſublatam, videtur nimis diu ab unica affligi.

Singula earum loca a me viſa fuere intra clauſtra, & ſingulæ moniales perſonaliter exquiſitæ. Quapropter ordinationes & decreta complura pro regulari obſervantia relicta ſunt, & præſertim circa clauſuram, videlicet ne totæ aſpicerentur intra cancellos & limina ob latitudinem & licentiam earum feneſtrarum, ſicut acciderat. Cuivis monaſterio procurator laicus annuatim a Conſilio Communitatis præficitur, nemo autem illorum ad proventuum conſervationem litibus fatigatur; ſed ut clauſtra ſimul cum Epiſcopo, dum viſitat, ingrediantur, totum operæ impendunt. Quoties item medicus ad ægrotas accedit, qui eſt ægrotanti ſanguine in civitate conjunctior, is prætextu ſermonis Illyrici interpretandi, accurrere, & ſepta intrare feſtinat. Adeo autem uſus in civitate inolevit, ut ſine maxima omnium perturbatione moderari minime poſſet, quia & magiſtratus ſe intruderent, & ad favorem laicorum, ut ſæpe fit, decreta ſtatuerent.

Famulæ trium conventuum ſupradictorum laicæ omnino ſunt, & laico incedunt veſtitu totis diebus per plateas, & domos quorumlibet, quod apparet incongruum; nullum tamen hinc ſcandalum, ſed nimia de ſtatu monialium curioſitas poteſt oriri.

Confeſſarii pro ipſis monialibus amplius, quam triennaliter deputabantur; quidam ad viginti annos duravere, cum excuſatione, & conniventia tamen, quod pauci reperirentur ætate, doctrina, ac probitate ſimul idonei. Sed nimiam conſuetudinem diutina hæc protractio gignere viſa eſt. Propterea, reluctantibus monialibus, concivibus, & finitimis populis, ad præſcriptum Sacræ Congregationis pro confeſſionibus audiendis viros noviſſime adhibui, de quorum litteratura ac morum gravitate ſatis, Deo dante, confidere poſſum.

Non pauca extant in ædibus ſacris, & maxime in cathedrali onera Miſſarum implenda. Cauſam in promptu afferunt, ob egeſtatem nimirum regionis, & ex hoſtium proximitate, boumque diminutione, in fructiferam arvorum correſponſionem. Hinc ſacrificia deſunt, & legantium piæ voluntates fraudantur. Licet vero pro abſolutione eorum, qui poſt annum ab adita hæreditate non ſatisfaciunt, caſus reſervetur Epiſcopo; nullus tamen eſt eis conſcientiæ ſtimulus, nulla vis in admonitione, ſive caſuum reſervatione, ob rationes jam dictas. Tentare autem viam juris, oleum eſt & operam perdere, nam rectores & judices pro laicis ſemper ſubſcribunt, & eo maxime in laborioſis belli hujus anfractibus.

Eſt hoſpitalis cum eccleſia ſub titulo S. Spiritus confratrum tercentorum, univerſitatem quam dicunt civium conſtituentium, & ut plurimum Conſilio nobilitatis ſe ſe opponentium. Hic quotidie bis ſacrum fit, & hoſpitantur, ac aluntur quinque pauperes, nec alius eſt publicæ pietatis locus ad regendos infirmos. In templo hoc doctrinam chriſtianam puellæ civitatis ediſcunt, treſque, vel quatuor vulgo pizzocheræ, ob id ſolum inſtitutæ & conductæ fuerunt ex diſpoſitione & teſtamento unius de gremio cathedralis Presbyteri, viginti ab hinc annis exceſſi. Confratres autem centum ducatos erogant annuatim pro collocandis in matrimonium deſtitutis puellis.

In tota civitate ſunt aliæ numero ſeptem eccleſiæ, videlicet S. Mariæ Aſſumptæ de platea, juris patronatus Communitatis, S. Sebaſtiani patronatus Magnifici Dom. Comitis, S. Martini, S. Stephani, S. Rocchi, S. Mariæ de monte Carmello, & omnium Sanctorum, ad menſam capitularem ſpectantes. Item eccleſia S. Jo. Baptiſtæ abbatialis, quæ nunc commendata eſt, ut diximus, Dom. Jacobo Vianolo Epiſcopo titulari Famaguſtano.

Erexi, ac favente Deo inſtitui caſuum conſcientiæ Congregationem, bis in menſe faciendam in ſacriſtia cathedralis, ubi omnes Canonici & de clero Presbyteri coram me vel Vicario convenire tenentur, duoque dubia diſcutiuntur, & examinantur a Curatis præcipue & Confeſſariis, quorum deciſionem & reſolutionem in ſacriſtia eadem ipſe ego doctrinaliter & ex cathedra, ſolutis argumentis, hucuſque docui, & oſtendi, laicorum etiam & acutiorum ſpirituum frequentia.

Uniebantur prius Sacerdotes de clero inferiori ad conſulendum & providendum afflictibus, ſeu conductionibus diſtributionum chori quotidianarum, quam conjunctionem appellabant Presbyterorum Congregationem; hac vero abutebantur pro negotiis alterius indaginis, & ſignanter ad ſe opponendum quandoque capitularibus Canonicorum reſolutionibus. Ego autem ſub pœna ſuſpenſionis a divinis hujuſmodi adunationem prohibendam & tollendam duxi, niſi ob materiam partitiones ipſas chorales tangentem.

Perſonalem Parochorum viſitationem peregi, non modo eccleſias luſtrando, ſed univerſa omni ſtudio, cum ad neceſſarium Dei cultum, tum ad ornatum perquirendo; in locis ſingulis tres ex ſenioribus, qui vitam, moreſque eorum Curatorum indicarent, adhibui, non modico inde fructu recepto, videlicet ad reſidentiam eos compellendi, munereque paſtorali attentius fungendi.

Sacras etiam quaſdam in finibus Turcarum ædiculas, ſeu capellas, quæ beneficia menſæ capitularis dicuntur, perſpiciendas putavi, pleriſque tamen, ob incurſionum & captivitatis periculum, derelictis, quæ etiam a 25. annis minime ab Epiſcopis præceſſoribus inviſa fuere.

Sacro linivi Chriſmate pueros, tum in civitate, tum etiam in caſtris; ex multitudine autem accedentium, ultra adhuc pubertatem, ejuſmodi adminiſtratione pontificali opus fuiſſe cognovi.

In Adventu ſingulis diebus feſtis, materno, hoc eſt, Slavo ſermone fit concio, prædicatorque ab Epiſcopo eligitur, & merces pro labore ſatisfit ab eodem. In Quadrageſima vero cunctis diebus verbum Dei enuntiatur, ſed alternis vicibus, lingua Italica prò Epiſcopo, & civitatis Rectoribus Venetis. Stipendium hujus, ſive eleemoſyna, partim ab Epiſcopo, partim a majori eccleſia deſumitur. Inter Miſſarum autem majorum ſolemnia in cathedrali & in paræciis, lectiones epiſtolarum, & evangelia toto anno Illyrice interpretantur.

Nobilium, & honeſtiorum filiæ virorum, non a Parocho, ſed ab aliis Presbyteris, non in matrice eccleſia, quæ eſt unica parochialis, Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta ſuſcipiunt in Paſchate, ſed auroræ intervallo velatæ & ſecretæ viciniorem adeunt eccleſiam; mos enim eſt, nubiles & aptas marito, antequam in eis quiſque obtutus infigat, in matrimonium conjungi.

Sanctiſſimæ Euchariſtiæ proceſſionem, ſive ritum ſepulturæ ſacræ Domini noſtri Jeſu, juxta Græcum inſtitutum agebant Canonici; Corpus enim Chriſti in cryſtallino vaſo a quatuor ex iis in humeros levabatur, & ſupra feretrum, quaſi humanum cadaver geſtabatur. Abuſus vere deformis, nec vacuus periculo, quem ſuſtuli Dei gratia, & prohibui, proceſſionemque ad morem Eccleſiæ Romanæ, & Oſtiam velo tectam per me, vel Capituli digniorem, manibus deferendam indixi.

Civitas regitur, & gubernatur a patricio viro, ex magno Venetorum Conſilio, ſub antiquo titulo Comitis, cui etiam Reſpublica honorem Capitaneatus adjunxit pro militia, & conſuetis præſidiis, poſtquam ſub ejus ditione de anno 1420. pervenit. Eſt & alter patritius ſub nomine Camerarii, ſeu Quæſtoris, & Arcis Præfecti, quibus additur tres ex ipſa Communitate Judices Conſiliarii, qui ſimul cum militiarum gubernatore habent in eccleſia cathedrali proprium cum ſtrato ſedile, banca dictum, in quo incenſandi, aqua benedicta aſpergendi, & pacem dandi ſeſe ſupradictis vetus fuit inſtitutum. Fiebant autem propediem inter Capitulum & eoſdem decertationes & lites, circa tempus, ſeu moram, & miniſtrum thurificantem, quæ tandem ex Senatus decreto de anno 1660. in tota provincia obſervando terminatæ fuere, (dum tamen Judices ſimul cum Comite aſſiſterent), quod videlicet eodem tempore, quo Epiſcopus non celebrans, & ab altero ejuſdem conditionis & gradus miniſtro, aſpergerentur, incenſarentur, & pacis oſculum Comiti, & aſſociatis Judicibus, & Gubernatori de banca daretur.

Punctus adhuc remanet ſolvendus, & decidendus, num videlicet inter ſacrorum ſollemnia incenſandi ſint Judices, ubi Rector civitatis haudquaquam ſit præſens. Videtur enim prima facie ex parte eccleſiaſticorum negative reſpondendum, quia Judices nec in deliberatione habent votum, neque ſejuncti a Comite vix cognoſcuntur. Totum autem operis impendit Communitas in hac difficultate enodanda, & pro argumento antiquam afferunt conſuetudinem cum Epiſcopo olim acerrimo eccleſiaſticæ libertatis propugnatore Antonio Guido Mantuano, qui eiſdem judicibus thus, pacem, & aquam benedictam dari de anno uſque 1584. conſtituit.

Quoad menſæ epiſcopalis redditus, fruges ita exigue, ac exiliter percipiuntur, ut ad pontificalem ſuſtinendam dignitatem haud æque ſufficiant; ex quo enim convulſa & vaſtata fuit Boſſiglina de anno 1657., plerique cæſi, plurimi agreſtium in ſervitutem redacti, pecudes & armenta omnia ſublata, rus depopulatum, arx ipſa diruta ac inflammata fuere, pauciſſimi queunt colligi fructus, incoliſque deficientibus, & agris majori ex parte derelictis, nullo pacto cum nominanda perſona diviſibiles.

Fruſtra itaque ex veteri Eccleſiæ Tragurien. taxatione Romæ facta tercenti adnotantur Floreni, quia ab documentis nuper confectis, & probationibus probatiſſimis in civitate Venetiarum coram Illuſtriſſimo Domino Nuntio Apoſtolico, cum Excellentiſſimi illius Senatus participatione veritas eluceſcit. Taxa igitur pro ultima vice fuit moderata ex oraculo Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Alexandri VII. Papæ feliciter regnantis, conſenſu præſtito ab omnibus & ſingulis Eminentiſſimis Cardinalibus in ſacro Conſiſtorio; pietaſque erga in tali loco reſidentes, totque labores & dictas anguſtias ferentes Epiſcopos adhibenda: cum etiam Sereniſſimæ Reipublicæ Senatus, tempore miſerrimo belli, me ab onere ſolvendarum decimarum exemerit.

Cultus S. Ignatii Tragurio invectus.

Per hos annos Tragurium invectus eſt cultus S. Ignatii de Lojola conditoris Societatis Jeſu, qui magis magiſque in dies crevit. Dominicus Napulus civis Tragurienſis a malo quodam genio aſſidue & multimodis vexabatur, qui alias venuſta & blanda, alias teterrima & minaci ſpecie ſe illi ſpectandum præbebat; neque umquam ab ejus latere diſcedere videbatur; & nunc occulte, nunc aperte, ſive blanditias, ſive terrores adhiberet, æque illi ſemper moleſtus erat. Hanc peſtem ut depelleret multa nequidquam expertus, Patavium ſe contulit cum importuno illo comite, infeſtoque exagitatore. In Seminarium epiſcopale Patavinum receptus, dum litteris operam dabat, Aloyſio Carnolio Presbytero Societatis Jeſu ad confitendas eluendaſque animi labes utebatur: huic diabolicam illam vexationem ſibi permoleſtam ac periculoſam aperuit; edoctus ab Aloyſio, quantopere inferni Spiritus vel ipſum S. Ignatii nomen horrerent, ac formidarent, in ejus clientelam ſe contulit, ſpemque omnem ſalutis ſecundum Deum in ejuſdem patrocinio repoſuit. Ubi primum adeſſe ſuum vexatorem ſenſit, Ignatium imploravit, hujuſque effigiem cacodæmoni objecit: quod cum iterum ac ſæpius feciſſet, tandem peſſimum illum & aſſidue infenſum ſibi contubernalem in perpetuum abegit. Rem in vulgus editam B. Gregorius Cardinalis Barbadicus & Epiſcopus Patavinus intentius inquirendam cenſuit; & poſt accuratas quæſtiones rite adhibitas, cum veram

eſſe

esse comperisset, in tabellas publicas referri, curiæque episcopalis annulo obsignari jussit, quo majorem apud omnes auctoritatem & fidem haberet.

Post absolutum studiorum curriculum Dominicus in patriam reversus, ut beneficii accepti memoriam conservaret, & grato pioque animo coleret; cum reliquiis S. Ignatii a Carnolio sibi traditis, duas tabulas secum attulit; in una pictus erat S. Ignatius, in altera Aloysius Carnolius manu utraque sustinens, & Dominico submissis genibus supplici ostentans effigiem ejusdem S. Ignatii. Utramque apud Virgines Benedictinas S. Petri deposuit; priorem in altari S. Paulli, alteram in sacrario illius templi collocavit. Anno 1667. pridie Kalendas Sextiles, diem festum S. Ignatii, & suo (nam jam erat Sacerdotio initiatus) & aliorum sacrificiis super ejusdem aram, quæ plurimis cereis collucebat, caste riteque oblatis, tum ipse sanctissime coluit, tum ejusdem pie colendi auctor suis civibus fuit; hos quippe non minus, quam Virgines illas Deo sacratas, eximia erga patronum suum beneficentissimum religione, ejusque patrocinii promerendi studio incenderat. Anno autem sequenti eumdem festum diem apparatu quam maximo celebrare decrevit, & templum aramque pretiosa veste, cultuque magnifico quam elegantissime exornandam curavit. Canonici ædis cathedralis cum universo clero Missæ sacrificium, ac preces vespertinas sollemni ritu ac cærimonia decantarunt, ingenti hominum multitudine illuc ex omnibus civitatis ordinibus confluente.

Celebritatem adeo novam atque insolitam neque probandam, neque in posterum permittendam esse censuit Episcopus Garzonius; propterea fortasse, quod injussu suo instituta fuisset, ac peracta. Ne quid contra decerneret, obstitit auctoritas interposita Provisoris generalis Dalmatiæ, qui piam illam institutionem sibi probari ac placere ostendit. Ceterum res accidit, quæ Garzonii animum & voluntatem sic immutavit, ut ipsemet ad colendum S. Ignatium, ejusque festum celebrandum, omnibus exemplo esset, atque incitamento. Forte Roma redibat, & Firmi navigium conscenderat in Dalmatiam trajecturus. In medio cursu atrox coorta tempestas rectores nautasque in extremum discrimen adduxit. Erat ipse dies anniversarius ac festus S. Ignatii, cujus recordatio hanc illi mentem divinitus injecit, ut opem ab eo auxiliumque peteret. Vix Ignatium invocare cœperat, cum venti quieverunt, sedataque est procella, & navis præsenti periculo erepta prosperum cursum tenuit, atque incolumis Tragurium appulit. In terram egressus e vestigio ad ædem Benedictinam S. Petri se contulit, & provolutus ante aram S. Ignatii, Deo, Divoque sospiti gratias persolvit, certissimum periculum Ignatio implorato depulsum enunciat prædicatque. Anno proximo, recurrente anniversario festoque S. Ignatii die, cum Capitulo & clero processit ad S. Petri; atque ad altare S. Ignatii sacrum ritu episcopali privato fecit, Virgines illas ac multos de populo sacra Eucharistia impertiit, sollemni sacrificio interfuit: hanc ejus diei colendi rationem & consuetudinem tum ipse, quoad vixit, perpetuo retinuit, tum successoribus suis ut reciperent ac servarent, illustre exemplum reliquit. Ac semel quidem ad cohonestandam, augendamque ejusdem diei celebritatem quatuor Episcopos, qui tum forte Tragurii erant, Arbensem, Phariensem, Catharensem, Nonensem eo secum deduxit, qui tum sollemni sacro, tum præclarissimæ orationi interfuerunt, quam habuit de laudibus S. Ignatii Joannes Borgofortius vir eloquentissimus, idemque postea Episcopus Nonensis. Illud tamen merito displicuerat Garzonio, quod ex illo altari amota fuisset effigies S. Paulli, ut simulacro Ignatiano locum cederet: id quod ipsemet antea questus erat in suis litteris ad sacram Congregationem an. 1668. *In ecclesia S. Petri monialium mihi parva dissensio cum Reverenda Petronilla Cippica Abbatissa, in quam totum communitatis studium nobiles contulerunt, circa iconem, sive tabulam Conversionis S. Pauli ex proprio altari absque meo assensu asportatam, cujus loco tabulam, seu picturam S. Ignatii Lojolæ erigi Abbatissa mandavit. Ego autem veterem effigiem reponi, & aliud altare sub titulo & devotione S. Ignatii Fundatoris Soc. Jesu erigi præcepi, vel saltem ut apud altare idem uterque invocaretur sub ambobus titulis SS. Pauli & Ignatii; cum hac conditione tamen, ut ornaretur & dotaretur determinato sacrificiorum numero annuatim, ad augendam magis Dei gloriam, & populum ad pietatem excitandum. Nihil horum, quæ ego sive voce, seu scriptis ante & post visitationem decrevi, fuit executum.* Joannes Paullus Ep. S. Ignatio aram extrui jussit.

Sed postea mos gestus est voluntati ejusdem Episcopi, & idem Dominicus Napulus novam in eodem templo aram marmoream extruxit, eique imposuit atque inseruit tabulam egregie pictam, quæ imaginem S. Ignatii, itemque S. Francisci Xaverii repræsentat. Ante hanc sepulcrum sibi paravit, cui hoc epitaphium inscriptum est.

Dominici Napuli
Can. Vic. Episcopalis Tragurien.
Et
Altaris S. Ignatii
Fundatoris
Hic jacent Ossa
Judicii expectatura diem.

Sub finem belli Cretici compositi anno 1669. cogitationes curæque omnes Tragurienſium versæ sunt ad transferendum corpus S. Joannis Episcopi, & in sacello, atque altari novo magnifice eleganterque exstructo ac propemodum absoluto collocandum. Sed vix pax inter Venetos Turcasque convenerat, cum exorta de finibus utrique ditioni constituendis controversia, parum abfuit, quin novum de integro bellum in Dalmatia existeret. Ea contentio acrius exarsit, quam ut gentes illæ finitimæ ab armis & hostilibus incursionibus contineri possent. Disceptatio biennium tenuit; neque interea cessatum est a damnis ultro citroque identidem inferendis. Itaque cum in Dalmatia adhuc plena essent omnia timoris ac sollicitudinum, præclarum illud consilium in tempus tranquillius differri oportuit. Anno demum 1671., sublata omni discensione, constituti sunt fines, qui ditionem Turcicam Venetamque dirimerent. Tunc vero Episcopus pariter & cives in eam curam incubuere, ut quæ necessaria essent ad sollemnem illam translationem, diligenter ac sedulo appararent. Nummos argenteos ad mille partim ex urbis vectigalibus, partim ex piorum hominum liberali largitione collegerunt, quibus etiam uti opor- De transferendo corpore B. Joannis Episc. ad sacellum & altare novum piæ cogitationes curæque Tragurienſiũ.

oportebat ad perficiendum quod deerat operis ad ſacelli & altaris ornatum. Simulacrum Jacobi Turloni Epiſcopi cælatum in ejus lapide ſepulcrali, ac in medio ſacello ſitum, cum nimis emineret, futurum erat offendiculo adeuntibus ad ſepulcrum & altare S. Joannis, ſeu ſacras illas exuvias venerandi, ſeu rei divinæ faciendæ cauſſa. Lapidem illum Joannes Paullus Epiſcopus amoveri, atque ut tanti Antiſtitis de cultu S. Joannis egregie meriti memoria apud poſteros vigeret, parieti ad dexterum ejuſdem ſacelli latus externum infigi juſſit, cum ejus ſimulacro atque inſcriptione. Tabula marmorea plana, nulliſque cælaturis aſpera ſepulcrum operiendum curavit, quod omnibus Epiſcopis Tragurienſibus commune voluit eſſe, hac brevi epigraphe inciſa: *Epiſcopis mox evigilaturis*. Nihil vehementius optabat Antiſtes optimus, quam ut ipſe ſollemni translationi intereſſet ac præeſſet; ſed cum alia ex aliis impedimenta obſtiterint, morte præreptus, ſanctiſſimi illius corporis transferendi gloriam ac celebritatem ſucceſſori reliquit. Obiit anno 1675. pridie Kalendas Octobris. Joannis Paulli Garzonii nomen ac memoria marmori inſculpta extat in templo Caſtelli Staphilei, quod ipſe ritu ſollemni conſecravit.

MDCLXXI.

Epiſcopi memoria in templo Caſtri Staphilei.

Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi D. D. Joannis Pauli Garzonii Epiſcopi Tragurienſis conſecratione & dedicatione B. Mariæ Virginis Immaculate conceptæ, Divoque inter natos mulierum majori, eccleſia hæc parochialis ipſa die 29. Novembris totis futuris temporibus extitit annuatim 40. dierum indulta.

JOANNES IV. EP. TRAGUR. XXXIV.

Joannes de Andreis e Pharienſi Epiſcopus Tragurienſis.

Ex Eccleſia Pharienſi translatus, jubente Clemente X. ad Eccleſiam Tragurienſem regendam acceſſit anno 1676.; ejuſque poſſeſſionem adiit XII. Kal. Julii, de quo in tabulis conſiſtorialibus: 17. *April.* 1676. *Prov. Eccleſiæ Tragurien. vacanti per ob. Joannis Pauli Garzonii, de perſona Joannis de Andreis Epiſcopi Pharenſis.* Familia de Andreis, ſive Andronica inter Tragurienſes antiquiſſima, quam a Teuzonibus, ſive Tepzis Chrobatiæ dynaſtis oriundam ferunt, qui ſæculo undecimo, regnante Svinimiro Dalmatiæ & Chrobatiæ Rege, opibus, & honoribus florebant. Ex hac plurimi ſane viri prodierunt, civilibus, bellicis, litterariis laudibus illuſtres. Joannes inter majores ſuos annumerabat Vincentium de Andreis Epiſcopum Ottocienſem, cujus honorifica mentio eſt in Epiſtolis pontificiis Petri Bembi; æquales habuit & cognatione patrueles duos alios Epiſcopos Dalmatiæ, Franciſcum Nonenſem, & Hieronymum Corcyrenſem.

Annum quintum Pontificatus Joannis, æræ vulgaris 1681., inſignem poſteris reddidit, ac memorabilem ſollemnis illa jamdudum decreta, ac demum peracta translatio S. Joannis Urſini Epiſcopi & patroni Tragurienſium. Huic celebritati dicta eſt dies Dominica, quarta menſis Maji; antea autem octo ipſos dies aſſiduis ſacrificiis, jejuniis, precationibus tribuere viſum eſt, ut incolæ advenæque animis rite præparatis ad ſollemnia hujus translationis caſte pieque celebranda accederent. Pridie illius diei mane ſummo arcam cupreſſinam, in qua ſanctiſſimi Antiſtitis exuviæ continebantur, ſublatam e ſacello D. Hieronymi, ubi anno ſuperiori VIII. Kalen. Aprilis depoſita fuerat, & pretioſa aureaque veſte conſtratam in altari ſummo ſub magnifico lateque expanſo conopeo Carolus Herenda Vicarius generalis colloçavit inter cereos bilibres perpetuo collucentes omnino ad ſexaginta, quorum fulgore altare ac templum ne umquam colluſtrari deſineret, alii atque alii ſubſtituebantur. Ex omnibus Dalmatiæ Venetæ ac Turcicæ partibus ingens hominum multitudo confluxerat; omnes Dalmatiæ Venetæ Antiſtites, præter Spalatenſem, Sibenicenſem, & Veglenſem, Joannis Epiſcopi invitatu convenerant; fere omnes item Prætores civitatum, itemque Præfecti militiæ cum ſuis cohortibus, accerſitu Hieronymi Cornelii Proviſoris generalis, Tragurium acceſſerant. Primis & ſecundis veſpertinis precibus pontificali ritu præfuit Evangeliſta Parzagus Archiepiſcopus Jadrenſis (nam Joannes Epiſcopus ægrotabat), idemque ſollemne ſacrificium inter muſicos & ſymphoniacos choros peregit. Sub ſecundas Veſperas, hora diei propemodum extrema ante ſolis occaſum, inſtitui cœpit ſupplicatio, quæ horas fere quatuor tenuit; & primum per vias urbis celebriores progreſſa, deinde ex janua maritima civitatis effuſa, proceſſit uſque ad Buam inſulam, quam novo & latiſſimo ponte interjecto cum urbe conjunxerant. Præcedebant piæ ſodalitates cum ſuis vexillis & inſignibus argento aurpque fulgentibus; deinde ex ordinibus religioſis, præſertim S. Dominici & S. Franciſci, ſane quamplurimi, ex aliis civitatibus & locis accerſiti; tum Clerici, Presbyteri, & Canonici ſacerdotalibus veſtibus induti; demum Archiepiſcopus Jadrenſis, habitu ac veſtitu pontificali. Sequebatur magnificum ſane feretrum, cui ſacrum corpus impoſitum erat, aurea veſte contectum, & ſex Epiſcoporum humeris ferebatur, quibus dejnceps Archidiaconi, Archipresbyteri, Primicerii, & alii atque alii ex collegiis Canonicorum Dalmatiæ, ad ſacrum onus portandum ſuccedebant. Feretri porro latera thuribulis argenteis cincta perpetuis odoribus afflabantur. Umbellam ex auro argentoque contextam, & ſuper feretrum explicatam ſuſtentabant Proviſor generalis, & Rectores civitatum Dalmatiæ, quam deinceps in progreſſu excipiebant primores nobilitatis Dalmaticæ, qui ex aliis urbibus ad eam ſollemnitatem convenerant. Sacras illas exuvias proſequebatur innumerabilis multitudo indigenarum, atque advenarum, ab æde cathedrali uſque ad Buam inſulam agmine fere perpetuo. Totum iter erat frondibus, floribuſque conſtratum; tectorum feneſtræ, parietesque veſte pretioſa ornati; in via multa paſſim ab utroque latere odoramenta diſpoſita. Tanta fuit funalium ac luminum copia, quæ ingruentis noctis tenebras diſpellebat, ut civitas ardere videretur. Campanæ urbis omnes læto feſtoque percrepabant ſono, clangebant tubæ, reboabant tympana; multiplici ac ſæpius repetita bombardarum diſploſione cælum perſtrepebat: omnia divinis laudibus, hymnis, canticis perſonabant; tam inſolita omnium lætitia plauſuque, ut pleriſque pius animi ſenſus præ gaudio lacrymas eliceret. Supplicatione peracta, ubi ventum eſt ad ædem cathedralem, quatuor Epiſcopi ſacrum corpus e feretro ſublatum detulerunt ad novum ſacellum, atque urna cupreſſina incluſum, in arca marmorea altari ſuperpoſita, cælatis operibus, variiſque ornamentis ſcite admodum atque

Translatio ſollemnis S. Joannis Epiſcopi.

Depoſitio & incluſio ſacri corporis in arca marmorea.

que eleganter elaborata, depoſuerunt; eamque diligenter obſeratam, ferro ac plumbo munitam, ſignis epiſcopalibus obſignarunt. Hæc omnia litteris publicis conſignata ſunt, quas hic ſubjicio.

Translationis tabulæ.

In Dei æterni nomine, amen. Actum Tragurii in eccleſia catbedrali S. Laurentio Martyri dicata, Anno a nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti 1681. die Dominica quarta menſis Maji, Indictione quarta, Pontificatus Sanctiſſimi Domini noſtri in Chriſto Patris & Domini Innocentii divina providentia Papæ XI. anno quinto, tempore Ducatus Sereniſs. Domini Aloyſii Contareno Ducis Venetiarum, &c.

Cunctis pateat evidenter per hoc publicum inſtrumentum, qualiter anno præterito die 25. Martii in ord. ad translationem corporis Sancti Joannis Epiſcopi & Confeſſoris, ac protectoris hujus civitatis tunc fiendam, nunc autem factam, convenerant Illuſtriſſimus & Reverend. Dominus Joannes Andreis Epiſcopus hujus eccleſiæ, & Illuſtriſſimus Dominus Joannes Priolus Prætor ejuſdem civitatis, ille ab adm. R. R. D. D. Carolo Herenda, Canonico & Archipresbytero, ac Vicario generali, & Andrea Dragatio Canonico & Primicerio, ipſe autem a perilluſtribus D. D. Balthaſſare Andreis, & Ludovico Celio Dorotheo judicibus, nec non D. Franciſco Andreis operario eccleſiæ ipſius, ac Domino Lelio Cippico aſſociatus in præfatam eccleſiam; ad hoc ut ſacrum D. Jo. corpus ex arca lapidea, in qua per trecentos triginta duos annos circiter jacuerat, elevaretur, reponereturque in ſacellum S. Hieronymi intra eandem eccleſiam, donec arca & altare in capella dicta nova jampridem ad hunc effectum conſtructa opportune aptetur, tempuſque ejuſdem translat. aptum deputetur; ſicque proceſſum ad aptionem ejuſdem arcæ, quæ ut aperta fuit, viſumque eſſet rem cum biſtoria concordare, nempe ſacrum corpus in capſa cypreſſina reconditum eſſe, in eandemque arcam repoſitum, cantataque per aſſiſtentes præmiſſos Antiphona de Sancto a ſua Domin. Illuſtriſſima præintonata, cum oratione de eodem, ac Te Deum &c. ipſaque capſa cypreſſina funiculis ſericis circumligata in aliam pariter cypreſſinam repoſita fuerit clavis undique ſepta, ac in quatuor locis ſigillo ejuſdem Domin. Illuſtriſs. & Reverendiſs. obligata, ſucceſſive cum fanalibus & luminibus ad prænominatam S. Hieronymi capellam fuerit deportata, ibique recondita uſque ad heſternam diem, ac tribus clavibus obſerata.

Heri vero per præfatum adm. Reverendum D. Carolum Herenda Vicarium generalem ex ſpeciali delegatione ſupradicti Illuſtriſſimi & Reverendiſs. Domini Epiſcopi, ob varias corporis ægritudines decumbentis, ipſa capſa ſic obſerata, ut præfertur, ac ſigillis epiſcopalibus obſignata, recognita fuerit, cum mei infraſcripti notarii aſſiſtentia, ac ſigilli delat. ad hoc, &c. ipſaque capſa repoſita anno præterito indubitanter aſſeverata, & ſic cum intereſſentia Illuſtriſs. & Reverendiſs. Dominorum Epiſcop. Jo. Antonii Sborovatii Cattaren. Domini Gaudentii Arben. Simonis Gaudentii Abſeren. Nicolai Spanich Curzolen. Hieronymi Prioli Pharen. & Jo. Burgofortis Nonen. ad eandem ſolemnitatem concurrentium, Illuſtriſſimi Domini Joannis Prioli Prætoris urbis, cum Illuſtriſſimo Domino Jo. Antonio Benzonio Camerario, judicibus infranominandis, plurium D. D. Dignitatum & Canonicor. civitatum provinciæ, Capituli & cleri Eccleſiæ Tragurien. multique populi, tam civitatis, quam exterorum ad altare majus venerationi exponenda, fuerit delata, ibique ſic expoſita tota heſterna die cum ſolemnitatibus præſcriptis, uti etiam hodie uſque ad Completorium incluſive, Veſperis utriſque Miſſaque pontificali per Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum D. Evangeliſtam Parzago Archiepiſcopum Jadren. decantata, omnibuſque ad præfatam functionem magna cum ſolemnitate peractis; tandem ad repoſitionem ejuſdem ſacri corporis in præfatam arcam & altare procedendo, inſtructa prius ſolemni proceſſione, ac elevato ſacro corpore de altari majore, in eadem proceſſione deferendo per plures D. D. Dignitates, & Canonicos exteros, noſtroſque etiam, aſſiſtentibus prælibatis Illuſtriſſimis Prælatis; aſſiſtentibus pariter Illuſtriſſimo Domino Joanne Priolo Prætore, ac Illuſtriſſimo D. Camerario ſupradicto, nec non D. D. Paulo Andreis, Lelio Cippico operario, & Jacobo Andreis judicibus, magnoque etiam aliarum urbium provinciæ concurſu, & ſequela; qua terminata ipſa capſa cypreſſina ſacrum corpus præfati Sancti Joannis Epiſcopi noſtri & patroni continens, ſerico panno auro intertexto cooperta, in eandem arcam repoſita, ipſaque arca occluſa ferro & plumbo obſerata fuit nullatenus amplius aperienda.

Quæ omnia, & ſingula deſuper expreſſa ante occluſionem arcæ perlecta fuerunt per me notarium infraſcriptum in præſentia ad. RR. D.D. Joannis Cupparei Canonici, Archidiaconi, & Vicarii capitularis Spalaten. J. U. D. Bartholomæi Mibich Canonici & Archipresbyteri Spalaten. S. T. M. Franciſci Borei Canonici & Archipresbyteri Pharen. Gregorii Civallelli Primicerii Jadren. Jacobi Cariſto Canonici Sibenicen. & alios quamplurimos teſtium ad hoc ſpecialiter rogatos.

L. S. Et ego Joannes Bonellus Sacerdos Eccleſiæ Tragurienſis de gremio curiæ epiſcopalis Trag. actuarius præmiſſis omnibus interfui, hocque inſtrumentum breviavi, & confeci, ſubſcripſi, & curiæ ſigillo munivi, &c.

Et ego Joannes Bonellus qui ſupra ex originali exemplavi, concordavi, ſubſcripſi, & ſigillo munivi, &c.

Joannes Andreis Dei & Sanctæ Sedis Apoſt. gratia Epiſc. Tragur. Univerſis &c. fidem facimus & atteſtamur Rev. D. Joannem Bonellum eſſe curiæ noſtræ actuarium authenticum, & legalem bonæ famæ & opinionis, cujus publicis ſcriptis, & ſubſcriptionibus ubique plena fides adhiberi poteſt. In quorum, &c. Data Tragurii in epiſcopali noſtro palatio die 7. Maji 1681.

Joannes Epiſcopus Tragurien.

Diaſc. Mat. Radetich Coad. de M.

Ut celeberrimi illius diei, ſollemniſque translationis memoria perpetua extaret apud poſteros, in columna marmorea ſita contra ſacellum & altare S. Joannis inciſa eſt hæc inſcriptio:

D. O. M.
Tragurienſium Theſaurus
Dalmatinorum Spes atque Felicitas
Sacrum Divi Joannis Epiſc. Corpus
Maji die 4. 1681.
Joanne Andreis Eccl. Antiſt. eſt translatum.
Diu optatum gaudium
Hier. Cor. Eq. Prov. Gen. explevit
Pietas & magnificentia
Joanne Priolo Comite
Lelio Cippico Operario.

Antonius Lauretanus patricius Venetus hiſto-

riam hujus translationis Italico ſermone conſcripſit, unde nos multa decerpſimus, & Venetiis ex typographia Gueriliorum in lucem emiſit anno 1683.

Joannes Epiſcopus, quamvis huic translationi, ad cujus pompam & apparatum pecuniæ, induſtriæ, ac laboris vel plurimum ipſe contulerat, morbo implicitus neque præeſſe, neque intereſſe potuerit; eam tamen, & pro illa, qua dignum erat, magnificentia, & ingenti omnium gratulatione peractam fuiſſe mirifice gaviſus eſt; ac perinde quaſi nihil ſibi ſupereſſet, quod in hac vita magnopere optaret, altero menſe poſt celebritatem illius diei nondum elapſo, votorum ſuorum compos pie deceſſit IV. Kalendas Junii, & ſepultus eſt ante aram ejuſdem B. Joannis Urſini pridie Kalendas Julii. Epiſcopatus ac nominis ſui memoriam reliquit impreſſam in ſacello palatii epiſcopalis, quod elegantius refecit atque ornavit.

Joannes Andreis Epiſcopus Tragurienſis nuper Farenſis ex anguſtiori ad anguſtiſſimam formam redegit Anno MDCLXXVI.

JOANNES V. EP. TRAGURIEN. XXXV.

Joannes Cuppareus ex Archidiacono Spalatenſi Epiſc. Tragurien.

Ex nobili Cupparea familia ortus eſt Spalati, & admodum adoleſcens Romam ſe contulit; adſcriptuſque in collegium Neophytorum, politioribus litteris, itemque gravioribus diſciplinis philoſophicis ac theologicis aſſiduam ac diligentem operam dedit in collegio Romano Societatis Jeſu. Ad linguam Hebraicam perdiſcendam uſus eſt magiſtro Julio Bartolocio Presbytero, illius ſermonis peritiſſimo. Sed cum cælum Romanum ejus valetudini incommodum eſſe cœpiſſet, Venetias diſceſſit, qua in urbe biennium commoratus priſtinam ſanitatem recuperavit. Deinde cum inter Presbyteros collegii & templi Hieronymiani Illyrici Sacerdotium obtinuiſſet, Romam rediit, & ſacros ordines ſuſcepit. Annum integrum, & ſex menſes in urbe tranſegerat, cum iterum gravi morbo & periculoſo, ex ejuſdem aeris Romani gravitate contracto, afflictari cœpit; poſt multa remedia incaſſum adhibita, de conſilio medicorum Venetias repetiit anno 1663. inde vero Patavium profectus eſt, brevique tum e cæli Patavini ſalubritate, tum e diligenti corporis curatione a ſapientiſſimis illius civitatis medicis præſcripta, omnino convaluit. In eo celeberrimo gymnaſio juris utriuſque ſcientiam adeptus, Doctoris nomen & inſignia ſumpſit. Venetias reverſus duobus pontificiis apud Venetos Legatis, Altovito & Trotto, in eorum vel curia, vel palatio operam ac miniſterium impendit; quibus ita doctrinam atque induſtriam ſuam probavit, ut eidem remunerationis ergo nonnulla Sacerdotia diœceſis Spalatenſis impetraverint. In collegium Canonicorum Spalatenſium cooptatus, in patriam ſe retulit; & paucis poſt annis principem inter Canonicos locum obtinuit, nomen ac dignitatem Archidiaconi adeptus. Bonifacio Albano Archiepiſcopo linguæ Slavonicæ ignaro, & incommoda valetudine affecto, ad rem chriſtianam gerendam multam ac perutilem operam navavit. Poſt hujus mortem Vicarius capitularis electus anno 1678. Eccleſiam Spalatenſem annos fere quatuor gubernavit; neque enim Stephanus Coſmus, ſucceſſor Albani deſignatus, ante annum 1682. Spalatum venit. Biennio poſt Innocentius XI. illum Eccleſiæ Tragurienſi Epiſcopum præfecit, ut monent tabulæ conſiſtoriales: 19. Junii 1684. *Providit Eccleſiæ Tragurien. vacanti ob obitum Joannis de Andreis, de perſona Joannis Cupparei Archidiaconi & Canonici Spalaten. cum decreto, quod tam Archidiaconatus & Canonicatus, quos obtinet, quam omnia alia beneficia per hanc proviſionem eo ipſo vacent.*

Erat eximia doctrina, religione, & prudentia præditus, munificus & liberalis, pius & miſericors, ab omni faſtu & moribus imperioſis vehementer abhorrens; habitu oris & vultus gravitatem cum ſingulari comitate conjunctam præferebat, tam grato plenoque dignitatis aſpectu, ut ſibi venerationem pariter, atque amorem conciliaret. Stephanus Coſmus Archiepiſcopus Spalatenſis, vir omni laudum genere cumulatus, perbrevi, ſed illuſtri elogio Joannem ornavit: *Joannes Cuppareus Archidiaconus merito ad Tragurienſem Eccleſiam aſſumptus, vir pietate, ſcientia, ſuavitate, atque dexteritate, & Spalatenſis regiminis peritia laudandus.* Huic Eccleſiæ annos fere undecim præfuit, ſuiſque ſanctiſſimis exemplis, & præclaris inſtitutis mirifice profuit. Menſas altarium ædis cathedralis, ſuper quas Hoſtia divina litatur, fere omnes ſelectis marmoribus, eleganti opere, & conſimili artificio veſtivit. Venerabatur præcipuo quodam cultu ſimulacrum Jeſu Chriſti cruce ſuffixi, egregie quidem ſculptum, ſed nulla re magis, quam antiqua religione viſendum & colendum. Huic aram prope ſacrarium exſtruere decreverat. Summo loco ante pendebat in templo fere medio, trabi tranſverſæ incumbens. Jamdudum apud vulgus invaluerat impia conſuetudo, ut tertio quoque verbo *per illam, quæ in templo medio erat, effigiem Crucifixi*, ſeu verum, ſeu falſum jurarent. Pax Jordanus Epiſcopus, ut hujuſmodi formulam jurandi, quæ ex vulgari ſermone deleri vix poſſe videbatur, inanem redderet, eique ſignificationem pariter, atque impietatem adimeret, ſanctiſſimi illius ſimulacri locum mutandum cenſuit, & ex medio ad ſummum templi translatum ſuper altare maximum collocavit. Tenet fama, & memoriæ traditum eſt, Petro Cardinali de Luxemburgo, cum a Deo, pia quadam curioſitate impulſus, aſſiduis precibus exquireret, num qua effigies uſquam inveniretur, quæ ad ſimilitudinem Jeſu Chriſti morientis propius accederet, divinitus oſtenſum fuiſſe ſimulacrum Tragurienſe. Itaque pingi ſe juſſit purpurea veſte indutum, ritu ſupplici, junctis manibus, ac genuis ſubmiſſis ante ſacram effigiem Chriſti crucifixi, velut e cælo deſcendentis, & copioſo cruore perfuſi, ex quinque vulneribus emanante. Margini appictus eſt leo prioribus erectis, & poſterioribus pedibus inſiſtens; quod erat ejuſdem Cardinalis ſtemma gentilitium, cum galero rubeo ſuperpoſito. Baſi inſcriptus eſt *Petrus de Lucemburgo*. Hanc tabulam Tragurium miſit, atque ad pedes Crucifixi Tragurienſis apponi voluit, quem locum hodieque retinet penes altare ejuſdem venerandi ſimulacri, quod Joannes Cuppareus conſtruere decreverat; ſed morte præreptus, ad ejus conſtructionem pecuniæ quod ſatis erat, teſtamento legavit. Piæ ac ſupremæ optimi Antiſtitis voluntati obſecutus eſt Domnius ejus frater, aramque marmoream excitavit, in eaque venerabilem illam Chriſti morientis ſtatuam collocandam

Simulacrum Chriſti crucifixi in æde cathedrali miraculis clarum.

Altare marmoreum eidem exſtructum e pecunia Joannis teſtamento legata.

dam curavit; ad cujus cultum augendum inſtituta eſt ſacra ſodalitas ex Canonicis potiſſimum & Presbyteris clericiſque Tragurienſibus conflata, cui nomen eſt *a Suffragio*; quod ſacrificiis quotidianis, aliiſque chriſtianæ pietatis operibus æque vivis ac mortuis proſit. Inter hanc, & aram maximam, urna itidem marmorea parieti infixa eſt, cui ſtemma gentis Cuppareæ cum galero epiſcopali ſuperimpoſitum eſt; ſubjecta vero hæc inſcriptio marmori nigro litteris aureis inciſa,

D. O. M.

Aram hanc, quam Joannes Cuppareus Epiſcopus Tragurienſis, ad animarum corpore exutarum ſubſidium, erigendam teſtamento reliquit, Domnius J. U. D. fraternæ pietatis hæres a fundamentis excitavit, cives vero, ſacra ſocietate inſtituta, optimi Præſulis vota cumularunt MDCLXXXXVI.

Anno ſecundo belli Peloponneſiaci, æræ vulgaris 1685., cum Turcæ ab tentanda urbis obſidione repulſi ac cæſi fuiſſent, fines territorii Tragurienſis amplificati ſunt, & quinque pagi recuperati, videlicet Prapatnizza, Labinum, Neveſt, Radoſich, & Berſtranovum. Horum chriſtiana procuratio Patribus Franciſcanis permiſſa eſt, penes quos antea erat, cum Turcarum imperio ſubeſſent. Porro Joannes caſtrum epiſcopale Buſſiliniæ olim a Turcis dirutum refecit, & mœnibus ſepſit, ut accolis perfugio eſſet adverſus incurſiones Turcarum. Anno 1691. Sacra Congregatio Cardinalium quibuſdam ejus poſtulatis hæc reſponſa reddidit.

Reſponſa Sac. Congreg. reddita Joanni.

Reverendiſſime Domine, uti Frater. Sollicitam in paſcendis ovibus curam, amplitudini tuæ commendatam, Eminentiſſimi PP. Sac. Congreg. Concilii approbantes, reſponſa infraſcriptis conſultationibus dederunt. Et primum quoad Regulares Ordinis Prædicatorum & Conventual. S. Franciſci, proceſſiones generales, & Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti expoſitionem agentes ſine licentia Ordinarii, ſacra Congregatio cenſuit danda eſſe decreta in Uratislavien. 16. Junii 1668. & 20. Septemb. 1680., quæ ſunt hæc: Ad 3. dub. tenoris ſequentis ſacra Congregatio cenſuit non licere Regularibus etiam in eorum propriis eccleſiis Sanctiſſimum exponere, niſi in cauſa publica, quæ ſit probata ab Ordinario. Quarto an Regulares extra limites & ambitum ſui clauſtri poſſint inſtituere proceſſiones, quæ ipſis vel ex privilegio apoſtolico, vel ex immemorabili conſuetudine competunt, reſpondit negative. Ad ſecundum reſpondit poſſe pro arbitrio amplitudinis tuæ permitti recitationem quarumcumque precum ab Eccleſia approbatarum, pro ordinandorum inſtructione, vernacula lingua & illyrico ſermone, maxime latinum non callentibus. Ad tertium quoad reductionem petitam onerum & Miſſarum; ſupplicet tranſmiſſis, ſive ad parcendum expenſis, fideliter relatis particulis legatorum, & annuo valore ac redditu bonorum in præteritum & in præſens, cauſſa expreſſa diminutionis, ſive deterioration is. Hanc Sac. Congregationis mentem exequi non omittat amplitudo tua, cui nos diutinam incolumitatem precamur a Domino.

Romæ 22. Decembris 1691.

Uti Fr. Card. Mareſcottus Prapræf.

Anno 1694. ſanctiſſimus Præſul e vita decedens, ſuæ vigilantiæ, prudentiæ, lenitatis, ac ceterarum virtutum memoriam, nunquam delendam, Tragurienſium & Spalatenſium animis penitus infixam reliquit. Apud ſuos deceſſores in ſacello S. Joannis Urſini tumulatus eſt.

SIMON II. EP. TRAGURIENSIS XXXVI.

E familia Cavagnina Spalatenſi, quam ex Italia oriundam, & Caballinam olim dictam ferunt; cujus nominis atque originis argumentum eſt *Caballus* ſtemmati gentilitio impreſſus. Ad Collegium Canonicorum Spalatenſium aggregatus, Stephano Coſmo Archiepiſcopo Vicarii generalis operam per aliquot annos navavit. Innocentius XII. eum ad Epiſcopatum Tragurienſem evexit, atque hujus Eccleſiæ gubernacula ſuſcepit anno 1695. Proximi ſui deceſſoris veſtigiis inſiſtens, nullum optimi antiſtitis officium prætermiſit. Elucebat in eo integritas, atque innocentia ſingularis, egregia pietas erga Deum, charitas erga proximos, benignitas erga omnes, effuſa vero in pauperes liberalitas. Sed mors immatura præſtantiſſimum Præſulem, huic Eccleſiæ perutilem futurum, Tragurienſibus eripuit, anno poſt ſuſceptum Epiſcopatum quarto nondum exacto. Conditus eſt in communi Epiſcoporum ſepulcro ante aram S. Joannis Epiſcopi an. 1699.

STEPHANUS EP. TRAGUR. XXXVII.

Stephanus Cupillus primum Arbenſis, poſtea Tragurienſis Epiſcopus.

Hic eſt Stephanus Cupillus, magnus ille vir, atque omni laude major, e præclariſſima Patrum Somaſchenſium Congregatione ad epiſcopalem dignitatem evectus, de quo plura in Archiepiſcopis Spalatenſibus. Hunc Innocentius XII. Epiſcopum Arbenſem renunciaverat; ſed Simone Cavagnino paucis poſt menſibus vita functo, Epiſcopatum Tragurienſem eidem contulit, ut poſtulatis ac precibus Stephani Coſmi Metropolitæ Spalatenſis obſequeretur, qui Cupillum ſibi ætate ac laboribus confecto, ex urbe propinqua, ad ſuam eccleſiam regendam ac diœceſim luſtrandam adjumento eſſe cupiebat. Pontifex igitur 1. *Junii* 1699. *providit Eccleſiæ Tragurienſi per obitum Simonis vacanti, de perſona Stephani Cupilli Congregationis Somaſchæ*. Antequam ex urbe diſcederet, Leander Cardinalis Colloredus ei crucem auream epiſcopalem, quam e collo ſuſpenſam ante pectus geſtaret, itemque mitram pretioſis lapillis ſcite venuſteque diſtinctam donavit; Innocentius vero annulum epiſcopalem dedit, quem octoginta aureis æſtimatum ferunt; & multis præterea indulgentiis, atque aliis donis cæleſtibus illum cumulavit, & amantiſſime eumdem complexus his verbis dimiſit: *Patrem miſericordiarum, ac Deum totius conſolationis vatis omnibus exoro, ut filios diffidentiæ, & hoſtes veritatis ad fidei catholicæ unitatem & pacis conſilia revoces, & corda eorum ad obſequium erga infallibile judicium Sedis Apoſtolicæ. In nomine Patris &c.* Tragurium advenit pridie Idus Octobris anno 1699. & a clero populoque perquam honorifice exceptus Eccleſiæ ſibi commiſſæ poſſeſſionem adivit. Hæc ex ejus vita Italica Mſ. quam P. Joannes Cettincich Congregationis Philippinæ Spalatenſis compoſuit. Ejus præclare facta in Epiſcopatu Tragurienſi nobis ſuppeditantur ex vita latina breviori, quam a P. Nicolao Petricello Presbytero ejuſdem Congregationis Somaſchæ elegan-

Ex ejus vita, quam Nicolaus Petricellus deſcripſit, hic delumpta quæ pertinent ad Epiſcopatum Tragurienſem.

ter conſcriptam Hiſtoriæ eccleſiaſticæ Spalatenſi intexuimus; & paucos paragraphos indidem excerptos, qui ad hanc eccleſiam pertinent, huic loco reſervavimus.

Vita

Vita Stephani Cupilli in Epiſcopatu Tragurienſi, auctore Nicolao Petricello.

Sed ecce tibi alia res inopinata prorſus & nova. Vacante per eos dies Tragurienſi Epiſcopatu, & deprecante Coſmo Archiepiſcopo, ut quoniam ſtatutum erat, ut Stephanus Spalato eriperetur, & ſibi; ne tota ſaltem provincia decederet, eſſe & ubi alium gregem ſuſciperet, & ſuum non deſereret. Tragurium divina quadam providentia ad id præter ſpem vacaviſſe. Interim tamen Stephanus Romæ Sanctiſſimi pedes oſculaturus accedit; tantumque Saleſianæ, ut ipſi Sanctiſſimo viſum eſt, in vultu formæ, in animo virtutis præſefert, tantum Archiepiſcopi teſtimonia præſentia ſua confirmat, ut Summus Pontifex Opt. Max. Archiepiſcopo morem gerendum duxerit; & quem Arbenſem Romam acciverat, Tragurienſem Epiſcopum Roma dimiſerit. Tragurii vero, cum eſſet in caſtris eccleſiæ veteranus miles, mirum quam cito poſuerit optimi tyrocinia ducis.

Eſt ea diœceſis vicinitatum confiniorumque ratione, omni ſemper infidelium genere undique obſepta. Tunc autem, intermiſſo non ita pridem Turcico bello, cum omnia ferverent adhuc militari licentia, iraque & ferocia circumcirca debaccharentur, internis etiam pravitatibus ita non erat immunis, ut non nihil in ipſis etiam ſacris penetralibus gliſcens veluti contagio infeciſſet; eoque magis Saleſianis virtutibus in novo præſertim Præſule opus erat. Continuo igitur Stephanus ab inteſtinis malis exorſus, cum quædam deprehendiſſet, quæ non niſi ſectione, vel uſtione curari poſſent, non leviter a principio apud nonnullos offendit. Verumtamen ſimultates, odia, atque inde timenda pericula inſuperabili conſtantia temnens, non deſtitit ea velle & facere, quæ ad emendationem & ſanctitatem primum cleri, deinde totius populi conducere poſſe crederet. Igitur ſi quem cleri ſanctimoniæ conciliare non potuit, eum a cleri contubernio ſecluſit. Pia legata, quorum exequutionem in deſuetudinem abiiſſe magno cum civitatis exitio, ut ſit in tali re, comperit, exſolvi diligenter in poſterum ſalutari conſilio ſuaſit. Scortationes, & impudicas conſuetudines, quanta potuit vocis & virium contentione diſſolvit. Periclitantium paupertate virginum, neque pauvarum, pudicitiæ conſuluit: inopeſque ſimul ipſarum parentes mendicandi pudore exemptos, fortes, audenteſque adverſus inſidiantes effecit. Hæc, multis a principio adverſantibus, conſtantiſſime curavit & præſtitit arguens, obſecrans, increpans in omni patientia & doctrina. Quæ ut poſſet per ſeipſum cum quovis etiam e populo, nullo non tempore expedite obire, imperavit ſibi propriam regionis linguam quam celerrime addiſcere; brevique, qualis erat, recens ab Italia, prope quadragenarius aſſequutus eſt, quaſi divinitus infuſam. Exinde nullæ catecheſes, quas ipſe voce ſua non accenderet; nulli feſti dies, quibus ipſe ſanctum Dei timorem, & Redemptoris leges & conſilia ex edito non ingereret: neminem e vita migrare patiebatur, quem ipſe morientem, quibus mire pollebat, adhortationibus non adduceret, ut ſupplicem ſe ſiſteret Deo, imploraturus miſericordiam, antequam juſtitiam ſubiret. Interim vero, & aliam paſtoralis paternique officii partem non modo non neglexit, ſed etiam ſedulo procuravit. Cum enim vaſtatis proximo bello quaquaverſus agris, in communi calamitate etiam reditus epiſcopales mi-ſere decreviſſent; ipſe, ut ſplendor & dignitas eccleſiæ ſtaret, & fontes beneficentiæ in pauperes non deficerent, annuos prædiorum fructus paulatim reſtituit in integrum. Reſtituit autem? Imo vero adeundo in fundos, invitando operarios, ſollicitando, monendo, faciendis ſumptibus, nec parcendo laboribus etiam non mediocriter auxit. Cujus tamen curæ alia quædam occultior cauſſa erat, territorii ſcilicet frequens luſtratio. Neque enim dum circuiret, id unum efficiebat, ut plantationes, aut ſeminationes juberet; ſed paſſim docens, & verbum Dei, qua erat alacritate, atque oris efficacia, ſeminans, quo tempore villicorum ſuorum operas accendere videbatur, illorum animas ipſe Dei villicus excolebat.

At neque Spalatenſem Archiepiſcopum deſeruit Metropolitanum ſuum, & quaſi alterum patrem; ſed optimo Antiſtiti, qui ſibi ab illius ope plurimum pollicitus erat, plus etiam ſpe præſtitit. Nam cum Archiepiſcopo nihil penſius eſſet, quam ut tota vaſtiſſima ſua diœceſis, circumſtantium undique infidelium depravationibus nimis expoſita, ſtatis temporibus luſtraretur, ipſe vero eo jam ſenectutis perveniſſet, ut tantos difficillimorum curſuum labores ferre neutiquam poſſet; Stephanus id totum ſibi muneris alacriter ſumpſit, & egregie ac pene ultra mandantis votum implevit. Quid enim non fecit in illis apoſtolicis circuitionibus, ut pravos ac pertinaces avocaret a vitiis, ſchiſmaticos cum Catholica Eccleſia conjungeret, ſuperſtitiones & ſcandala extirparet? Quid vero non etiam profecit, viſus non ſemel inſtitutas ab ſe populorum ſupplicationes ſubſequi nudis pedibus, & importabili pene cruce humeros oneratus, plorantibus interim præ cordis compunctione bonis, ipſiſque Turcis, qui invidioſe aſpicerent, a lacrymis haud temperantibus. Verum Archiepiſcopo ſuo, cui nihil eſſe profitebatur, quod ſe debere non crederet, tum maxime præſto fuit, cum prope eſſe intellexit, ut tantus vir ad ſupremum certamen ſe compararet. Tunc enim vero Stephanus ad id potiſſimum factus, neque ut vulgares tantum, ſed & ingentes animas juvare poſſet, quidquid habuit ingenii, pietatis, caritatiſque contulit in id unum, ut Stephanus Coſmus in ſua fide, fortitudine, & conſtantia perſeveraret, ſeque cum primis digno virtutum omnium viatico muniret. Idipſum præclare, piiſſimeque dies, nocteſque connixus eſt alter conſuffraganeus Epiſcopus Macarskenſis, qui denique in ſummo tantæ jacturæ dolore ſibi & collegæ gratulandum eſſe intellexit, quod ſanctiſſimi Præſulis mors viſa eſſet in conſpectu Domini pretioſiſſima. Sed Stephanus hunc lætabilem beati, ut credidit, Patris obitum etiam publica oratione vulgavit; qua tamen, dum audientibus cunctis totius civitatis ordinibus ſumma illius merita graviter, ſuaviterque pro ſua dicendi magnificentia commemorat, evincere non potuit, ut ab incredibili lacrymarum vi abſtineretur.

Addenda.

Aliquot anni erant, cum agri territorii Tragurienſis, quamvis & natura fertiles eſſent, & ſumma diligentia magnoque labore colerentur, paucos tamen, non eos certe fructus multiplices & copioſos ederent, qui antea ex iiſdem percipi ſolebant. Quocirca cives & coloni vereri cœperunt, ne forte vel ſua, vel majorum ſuorum culpa in aliquam excommunicationem incurriſſent, ob quam illorum agri tam inſolita ſterilitate laborarent. Supplicatum fuit Innocentio

Incolas & agros expiandi poteſtas ab Innocentio delegata Epiſcopo vel ejus Vicario.

centio XII. ut auctoritate apoſtolica, cui vellet, delegata juberet tum incolas omnium delictorum venia impertiri, omniumque anathematum, ſi quibus eſſent illigati, vinculis exſolvi, tum ipſorum agros ſtatis ac ſollemnibus precationibus expiari. Hanc poteſtatem Pontifex delegavit Epiſcopo Tragurienſi, vel ejus Vicario generali, litteris ad eos ſcriptis in hæc verba.

Litteræ Pontificiæ.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii, Communitas, ac univerſitates, & homines civitatis & diœceſis Tragurienſis, illorumque territorium incolæ, quod licet ipſi illos agros & poſſeſſiones omni induſtria, ac diligentia colant; nonnullis tamen abhinc annis fructus ſolitos ex iis minime provenire, ipſoſque homines, & incolas, eorumque poſſeſſiones, terras, ac fructus illic variis infortuniis vexari compertum eſt; quare ob aliquas excommunicationis ſententias a ſe, vel a majoribus ſuis forſan ignoranter incurſas, id ſibi evenire dubitantes, nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem exponentes a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationi inclinati, fraternitati tuæ, Frater Epiſcope, ſeu directioni tuæ, fili Vicari, per præſentes committimus & mandamus, quatenus hi, & poſtquam Communitas, & univerſitates, & homines, incolæque præfati tribus diebus unius hebdomadæ jejunaverint, & expleto jejunio hujuſmodi, prævia ſacramentali Confeſſione, ſequenti Dominica Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, ac pauperibus aliquam eleemoſynam erogaverint, ipſos, & eos quoslibet a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, ſeu & pœnis in litteris die Cœnæ Domini legi ſolitis contentis, per eos ignoranter incurſis tantum, ſine alicujus præjudicio, in utroque foro auctoritate noſtra apoſtolica hac vice dumtaxat abſolvas. Ac eorundem utriuſque ſexus perſonas, agros, poſſeſſiones, & bona quæque, ex parte Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, & noſtra benedicas, & benedici facere cures. Præterea eiſdem, qui ut præfatur jejunaverint, ac confeſſi & contriti Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino auctoritate noſtra præfata, ea vice dumtaxat elargiaris, ac confeſſario ex approbatis ab Ordinario per eos, qui ob ætatem, vel infirmitatem, aut aliud legitimum impedimentum jejunare non poterunt, facultatem commutandi illis onus jejunii hujuſmodi in alia pietatis opera, quæ adimplere valebunt, impertiaris; non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam majorem ſub annulo piſcatoris die 6. Aprilis 1700. Pontificatus noſtri anno 9.

Stephanus litteris pontificiis acceptis, quas per totam diœceſim circumferri ac divulgari juſſit, primum quidem iram divinam placandam eſſe cenſuit publica & ſollemni ſupplicatione, quam ipſe ritu habituque pœnitentis, cum Capitulo, clero, magiſtratu, populoque univerſo rite & ſancte peregit; & cum agmen ſupplicantium ad ædem cathedralem rediiſſet, e ſummo altari omnes & ſingulos ab omnibus pœnis diriſque eccleſiaſticis, ſi quibus ſubeſſent, ea poteſtate pleniſſima, quæ ſibi tradita fuerat a Pontifice, liberavit; deinde jejunium trium dierum, quartæ ac ſextæ feriæ, itemque ſabbathi, ac cetera pietatis opera indixit, quæ idem Pontifex præſcripſit. Proximo autem die Dominico ſacrificium fecit ritu pontificali, ingentique hominum multitudini, quæ ex urbe & villis omnibus confluxerat, ſua manu panem euchariſticum diſtribuit, & delictorum omnium indulgentiam ab Innocentio conceſſam impertiit; ac demum conceptis verbis, ac ſollemni precatione Deum optimum maximum obſecravit, ut civitati ac toti diœceſi incolumitatem, civibus & agricolis felicitatem, vineis & agris fertilitatem largiretur.

Beati Auguſtini Caſocti civis Tragurienſis, ex ſacra S. Dominici familia, primum Zagrabienſis, deinde Nucerienſis Epiſcopi cultum intermiſſum reſtituit, & auctoritate ac decreto Sacræ rituum Congregationis approbandum curavit, decrevitque ut in faſtis ad diem tertium Auguſti anniverſaria illius commemoratio his verbis aſcriberetur: *3. Auguſti B. Auguſtini. Dup. Omnia de Com. Confeſ. & Pontif. per totam diœceſim;* quem quidem diem plerique Tragurienſes, antequam ejuſdem cultus antiquaretur, jejunio pridiano colebant. Præterea auctor fuit Tragurienſibus, ut B. Auguſtinum ſibi ſuæque civitati patronum ſecundi ordinis adoptarent.

Dominicus Napulus Can. & Vic. gener. moriens ſua bona teſtamento legavit ad feſtū S. Ignatii diem perpetuo celebrandum.

Dominicus Napulus Canonicus idemque Vicarius generalis Stephani Epiſcopi moriens anno 1706. Virgines Benedictinas S. Petri hæredes inſtituit omnium bonorum ſuorum, ex quibus ſumptus perpetui ſuppeterent ad diem feſtum S. Ignatii cum majori luminum copia, apparatuque magnificentiore celebrandum. Eiſdem donaverat reliquias ex oſſibus & carne S. Ignatii ab Aloyſio Carnolio Presbytero Soc. Jeſu ſibi traditas riteque obſignatas, quæ ſimul cum reliquiis S. Franciſci Xaverii in eamdem thecam argenteam incluſæ, pridie Kalendas Auguſti ſuper aram ejuſdem S. Ignatii collocari ſolent, exponique ad venerandum confertiſſimæ multitudini, quæ illo die ad templum S. Petri non ſolum ex urbe, ſed etiam ex proximis villis concurrit. Hic igitur dies Divi Ignatii nomine conſecratus, in eo templo tum plurimis privatis, tum publico & ſollemni ſacrificio, itemque primis & ſecundis precibus veſpertinis, cantuque Illyrico & Latino, ingenti civium & advenarum frequentia ac religione celebratur; & plerique ſacra confeſſione expiati, divina myſteria, ſimulque delictorum indulgentiam huic diei ac templo affixam percipiunt. Epiſcopus, Capitulum, clerus, magiſtratus ad hanc celebritatem conveniunt. Cupillus Epiſcopus hortatu, auctoritate, & exemplo ſummam omnibus alacritatem ac religionem injecit ad hunc diem ſanctiſſime colendum; quippe tum ipſe eximia quadam veneratione Sanctos Ignatium & Franciſcum Xaverium proſequebatur, tum eorum cultus augendi mira cupiditate flagrabat. Porro Societas noſtra, pro hujuſmodi honoribus ſuo Parenti ſanctiſſimo delatis, ut quam poſſet gratiam referret; Virgines Benedictinas S. Petri, & Stephanum Epiſcopum in partem & communionem omnium bonorum operum, quæ a ſociis fiunt ubicumque terrarum, ampliſſimo diplomate vocavit atque admiſit.

PE-

PETRUS PAULLUS EP. TRAG. XXXVIII.

Petrus Paullus Calorius e Congreg. Somaſcha Ep. Tragurienſis.

Clemens XI. Pontifex Max. Stephanum Cupillum Tragurienſibus ademptum, Spalatenſibus Archiepiſcopum dedit anno 1708. IV. Id. Martii. Incredibilem Tragurienſium mœrorem & luctum ex amiſſione optimi & ſanctiſſimi Paſtoris perceptum quatriduo poſt abſterſit, effecitque, ut jacturam illam æquo animo ferrent, Petro Paullo Calorio, ex eadem præſtantiſſima Patrum Somaſchenſium ſodalitate, ad regimen Eccleſiæ Tragurienſis evecto; in cujus egregia virtute & ſapientia Stephanum, quem ablatum dolebant, ſibi redditum eſſe gauderent: *16. Martii* 1708. *Providit Eccleſiæ Tragurienſi vacanti per translationem Stephani Cupilli, de perſona Petri Calore Veneti Congregationis Somaſchæ.* Humaniores litteras, & graviores diſciplinas tum alumnis ſuæ Congregationis, tum extraneis auditoribus tradiderat. Duobus collegiis rectoris nomine & imperio Venetiis præfuerat, Caſtellano, & Murianenſi; præſidis provincialis munere ſumma cum laude, ingentique omnium approbatione perfunctus parum aberat a ſuprema totius ordinis præfectura, cum Pontifex ſuis illum eripuit, ut pluribus prodeſſet. Primo ſtatim adventu Tragurienſibus oſtendit amiſiſſe illos quidem Epiſcopum optimum, non tamen epiſcopales, quibus hic præditus erat, virtutes. Erat ſiquidem in eo integritas atque innocentia ſingularis, rerum humanarum contemptio, ferventiſſimum ad omnia pietatis opera ſtudium, ſollicita chriſtianæ inſtitutionis cura, profuſa in pauperes ac miſeros benignitas, tenaciſſima eccleſiaſticæ diſciplinæ cuſtodia, flagrans in Deum atque homines charitas: quibus ille virtutibus aſſequebatur, ut omnes eum colerent pariter, ac diligerent, ſibique in eo quaſi alterum Stephanum Cupillum intueri viderentur.

Sub initia ſuſcepti Epiſcopatus pias quaſdam octo dierum exercitationes indixit, quibus & ipſe ſumma cum religione interfuit; & omnibus, qui caſte pieque intereſſent, ac divinam Euchariſtiam ſuſciperent, pleniſſimam delictorum indulgentiam a Summo Pontifice impetravit. Duos e Societate Jeſu Presbyteros Spalato accivit, qui primum in urbe, tum in pagis, villiſque ſacras præſcriptaſque functiones, & conceſſam a Sede Apoſtolica indulgentiam edicerent, ac promulgarent; atque ad hanc percipiendam, illas frequentandas piis cohortationibus incolas allicerent, eorumque animos concionibus habendis, & confeſſionibus audiendis rite præpararent. Diœceſim ſemel atque iterum luſtravit; & ubique ad pravas conſuetúdines extirpandas, & cleri ac populi mores ad normam ſacrorum Canonum & chriſtianæ legis conformandos, decreta & præcepta ſapientiſſima reliquit. Artem juventutis bonis litteris ac moribus erudiendæ, quam plures annos exercuerat, cum optime calleret, ſcholas in palatio epiſcopali clericis aperuit; quos ipſemet tum philoſophicis ac theologicis ſtudiis, tum vero ſanctiſſimis præceptionibus ad vitam eccleſiaſtico homine dignam inſtituendam diligentiſſime imbuebat. Moralem etiam Theologiam ſtatis quibuſdam diebus Presbyteris & curatoribus animarum explicabat, & quæſtiones dirimebat. In ſuis item ædibus grammaticam clericis junioribus tradi voluit, ut hanc ſcholam frequenter poſſet interviſere, ſuaque præſentia & cohortatione ſedulitatem magiſtri ad docendum acueret, diſcipulis alacritatem ad diſcendum injiceret. Januam palatii epiſcopalis, cum anguſta eſſet, nec ſatis conſentanea ſtationi pontificiæ, amplificavit ornavitque, ut declarat inſcriptio ſuperpoſita: *Petrus Paullus Calorius Venetus Epiſcopus Tragurienſis MDCCXII.*

Cultus Ignatiani propagator.

S. Ignatii cultum nihilo ſegnius, quam deceſſor, augere & propagare ſtuduit; ad ejus opem in periculis & rebus adverſis tum ipſe confugere ſolebat, tum aliis, ut confugerent, auctor erat; nec vero ipſum, vel Tragurienſes ſpes in illius patrocinio poſita fefellit; & multis nomen Ignatii pie invocatum præſidio ac ſaluti fuit. Infeſti erant agri Tragurienſium ab erucis, quæ cum ſegetes jam herbeſcentes, arborum folia, olerum frutices ubique abroderent, omnia late vaſtabant, ac ſpem meſſis fere omnem ademerant. Cives & agricolas anxios, trepidoſque rerum ſuarum Epiſcopus hortatus eſt, ut ad eam calamitatem avertendam merita & preces D. Ignatii apud Deum interponerent. Supplicationem inſtitui juſſit, effigiem S. Ignatii circumferri, agros aſpergi aqua luſtrali, quam ipſe conſuetis precationibus & infuſione reliquiarum ejuſdem Divi conſecravit. Tres ipſos dies vota & preces publicæ privatæque cum aſſidua S. Ignatii imploratione tenuerunt; nondum triduum illud elapſum erat, cum jam omnia illa noxia animalia perierant. Exinde agri & vineæ refloreſcere, lætæ ſegetes exſurgere, arbores novas frondes induere; & votis agricolarum meſſis uberrima reſpondit.

A Tragurienſi ad Veglenſem Eccleſiam migravit.

Annos fere quinque hanc eccleſiam ſanctiſſimis inſtitutis, ac ſuarum virtutum exemplis ornavit. Sed cum variis incommodis malaque valetudine affligi jamdudum cœpiſſet, quam medici ex affectione quadam cæli Tragurienſis parum illi propitia oriri exiſtimabant; neceſſe habuit Tragurienſem cum Veglenſi Eccleſia commutare anno 1713. Antiſtitem de ſe optime meritum, ſibique cariſſimum clerus & populus, inſolita omnium ordinum mœſtitia, lacrymis, votiſque proſecuti ſunt.

MICHAEL ANGELUS
Epiſcopus Tragurienſis XXXIX.

De quo in tabulis Tragurienſibus: *Anno 1713. F. Michael Angelus Farolfus concionator apoſtolicus olim ordinarius, Sacrorum Rituum Congregationis conſultor, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Tragurienſis ex ordine Minorum obſervantiæ aſſumptus.* De inſtitutis prioris vitæ, præter formam habitus, nihil ferme immutavit; eamdem in victu cultuque parſimoniam retinuit, eadem jejunia erant, eædem preces, eadem ſtatis anni temporibus a certis ciborum generibus abſtinentia. Duos e familia Franciſcana in palatio epiſcopali apud ſe perpetuo commorari voluit, quibus animi ſui, corporiſque curationem committeret; alterum Sacerdotem, quo ad conſcientiæ labes confeſſione ſacramentali eluendas utebatur; alterum laicum, qui ſibi bene valenti cibaria coqueret, ægrotanti medicinam faceret, ac cetera, quæ opus eſſent, miniſteria præberet. Magna erat Præſulum Dalmatiæ opinio de illius ſapientia; & ſi quid dubium ac difficile ad judicandum ingrueret, ad eum conſilii cauſſa confugere ſolebant. Summos æque atque infimos pari omnes & paterna charitate complectebatur; ſi quis ab eo quidpiam ſibi, aliiſ-

aliisve peteret, vel dabat hilare, verbis etiam, quod ajunt, munus exornans; vel si abnueret, cauſſas afferebat hujuſmodi, ut ipſe ille, qui repulſam paſſus fuerat, eas approbare cogeretur. Si quos corrigere oporteret, tanta ipſius erat efficacitas & ſuavitas, ut qui deliquerant, ſuam ipſi culpam agnoſcerent, veniam rogarent, nunquam ſe in poſterum id, de quo arguebantur, commiſſuros pollicerentur. Ceterum ſi gravitas delicti poſtularet, lenitate ſepoſita, vultu, voce, verbis fulgurare, tonare, perterrere ſolebat; veluti cum in æde cathedrali poſt ſacrificium peractum, converſus ad populum, dira & anathemata horrenda denunciavit, ſi codicem rationum menſæ epiſcopalis furtim ſurreptum, qui abſtulerat, intra tempus præfinitum non reſtitueret. Ædes pontificias male materiatas & ruinoſas fulcivit ac refecit. Sacrarium Laurentianum ſacris lipſanis ex urbe allatis, videlicet corpore S. Victoriæ, reliquiis inſignibus Sanctorum Agricolæ ac Vitalis, & particula Sacroſanctæ Crucis in thecam argenteam inclusa locupletavit. Cum diuturniori & vita & pontificatu digniſſimus eſſet, optimum Præſulem mors immatura Tragurienſibus eripuit. Obiit anno 1715. XVI. Kalendas Aprilis. Parentatum eſt illi lacrymis luctuque totius civitatis. Sollemnia funeris ritu pontificali peregit Stephanus Archiepiſcopus Spalatenſis, qui etiam de illius virtutibus copioſiſſimam atque ornatiſſimam orationem habuit. Illatus eſt in ſepulcrum epiſcopale ante aram S. Joannis Urſini Epiſcopi & patroni Tragurienſium.

Michael Angelus Ep. relliquiis Divorum ex urbe advectis ſacrarium Laurentianum auxit.

JOANNES VI. EP. TRAGURIEN. XL.

Joannes Vidovichius ex electo Scardonenſi Ep. Tragurien.

De quo etiam in Epiſcopis Scardonenſibus; electus enim a Senatu, & deſignatus fuerat illius civitatis Epiſcopus; ſed nondum epiſcopali conſecratione initiatus erat, neque a Sede Apoſtolica approbatus, cum eum Clemens XI. Eccleſiæ Tragurienſi rectorem præfecit: *An. 1716. 30. Martii providit Eccleſiæ Tragurien. vacanti per obitum, de perſona Joannis Vidovich Presb. Sibenicen. cum retentione monaſterii S. Nicolai in faucibus portus Sibenicenſis, quod in commendam habet.* Semel diœceſim luſtravit. Januæ caſtelli epiſcopalis Buliniæ, ſeu Buſſiliniæ duas novas columnas ex marmore, cum veteres disjectæ fuiſſent, reſtitui juſſit, & poſtibus hinc atque hinc ad ornatum apponi. Erat mire cupidus divini cultus augendi, procurandæque animarum ſalutis, ſed provectior ætate, quam ut oneri epiſcopali ferendo eſſet. Repentina morte perculſus, dum Sibenici paterna in domo verſaretur, e vita deceſſit XI. Kalen. Aprilis, anno 1721. atque ibidem, unde ſumpſerat, mortales exuvias reliquit, in ſepulcro majorum ſuorum, ut credibile eſt, tumulatus.

ANTONIUS II. EP. TRAGURIENSIS XLI.

De quo plura in Archiepiſcopis Spalatenſibus. Perantiqua & illuſtri familia Kadcichia natus eſt Macarſchæ. Romam profectus in collegio de Propaganda Fide humanis diviniſque litteris operam dedit. Reverſus in patriam, aggregatus eſt ad collegium Canonicorum ædis cathedralis; deinde Archidiaconus fuit ædis metropolitanæ Jadertinæ. Innocentius XIII. anno 1722. Eccleſiam Tragurienſem eidem decrevit, ad quam regendam eodem anno acceſſit, ſollemni pompa baſilicam cathedralem ingreſſus x. Kalen. Junii. Diœceſim univerſam ter epiſcopali more peragravit; pravas conſuetudines ſuſtulit, pias invexit. Tres eccleſias, unam in caſtro veteri, alteram, itemque tertiam in duabus villis montanis conſecravit.

Os e corpore S. Joannis Urſini divulſum & Romam muneri miſſum ad Benedictum XIII. qui illud Eccl. Beneventanæ donavit.

Anno 1724. hoc a Duce & Senatu Veneto mandatum habuit, ut e corpore S. Joannis Urſini Epiſcopi fragmentum inſigne divelleret, muneri mittendum Benedicto XIII. Urſino, qui ſanctiſſimum illum Antiſtitem, aviti generis & ſanguinis communione ſibi conjunctum, præcipuo quodam cultu venerabatur. Paruit Antonius, & os integrum ex ejus femore detraxit, quod in capſa reconditum diligenter occluſa & ſigno epiſcopali obſignata Venetias tranſmiſit. Arcam ex auro puriſſimo in modum urnæ, opere eleganti, artificioque mirabili Senatus confici juſſit; longitudo palmum & dimidium, altitudo palmum & ſex uncias, latitudo dimidium palmi exæquat. Inſculpta ſunt tum gentis Urſinæ, tum ſummi Sacerdotii inſignia; mille & quingentis aureis æſtimatam ferunt. E collegio Canonicorum Baſilicæ Marcianæ delectus eſt, qui ſacrum illud femur, in hac urna incluſum, Romam ad Pontificem cum litteris Ducis ac Senatus deferret. Munus adeo inſigne cum ingenti lætitia & gratiarum actione ſanctiſſimus Pater accepit; & quam carum ſibi eſſet, quantique illud faceret, ſuis ad Ducem & Senatum litteris prolixe amanterque ſignificavit. Cum autem Eccleſiam Beneventanam, quam cum ſummo pontificatu retinuerat, ſummopere diligeret, nullamque illius ſibi cariſſimæ ſponſæ, quibuſcumque poſſet, ornamentis ac muneribus locupletandæ occaſionem prætermitteret; hoc etiam donum æque ſanctiſſimum ac pretioſiſſimum ei conferre, ſimulque novum eidem dare voluit e cælo tutorem ac patronum B. Joannem Urſinum Epiſcopum Tragurienſem; cui anniverſarium publicæ religionis officium ab univerſo clero Beneventano ſingulis annis perſolvi juſſit. Extat ejus epiſtola ad Canonicos ædis metropolitanæ, quam hic ſubjicere pretium operæ duxi.

Epiſtola Pontificis ad Canonicos Beneventanos.

Benedictus Papa XIII. Dilecti filii, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quod ab inclyta Venetorum Republica dono accepimus, pro ampliſſima Senatus dignitate aurea in urna egregio opere elaborata conditum, ſacrum Femur S. Joannis Urſini Epiſcopi Tragurienſis, ut novum cæleſtis præſidii pignus, noſtræque in vos benevolentiæ teſtimonium extaret, ad vos mittendum mandavimus, inter pretioſa ſponſæ noſtræ ornamenta, & inæſtimabiles ſacrarum reliquiarum theſauros reponendum. Quo ſane divinæ miſericordiæ munere ſuperabundamus gaudio, & multiplici conſolatione repleti ſumus; præſertim cum nobis videretur Sanctus Pontifex, cui nos eſſe deceret ut generis, ſic virtutis etiam cognatione propinquos, ad dilectiſſimæ iſtius eccleſiæ cuſtodiam accurrere, & populos peculiari noſtræ vigilantiæ creditos, veluti ſuo etiam patrocinio commendatos, in ſuam fidem tutelamque ſuſcipere. Ut autem tam inſignis beneficii debitas omnipotenti Deo gratias perſolvamus, ſanctiſſimoque Epiſcopo debitum cultum; officium ab Eccleſia Tragurienſi acceptum, ubi die XIV. Novembris celebratur, ad vos mittimus, mandantes, ut prima iſtic die non impedita poſt antedictam, quæ in Beneventano Calendario officio duplici conſignata eſt, ritu etiam duplici celebretur ſecundum rubricas Miſſalis

ſalis & Breviarii. Tot igitur tantiſque Sanctorum exuviis ditati ſatagite, ut eorum provocantibus exemplis, quorum corpora colitis, æmulemini virtutes, & pia apud Deum ſuffragia ſentiatis. Ac vobis, dilecti filii, paternæ voluntatis teſtem apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XIX. Januarii MDCCXXVI. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Hoc ſacrum pontificiæ erga eccleſiam illam liberalitatis ac benevolentiæ pignus, quo dignum erat, honore & gratulatione exceptum fuit, & poſt ſollemne ſacrificium, actioneſque gratiarum Deo perſolutas, repoſitum eſt in ſacrario ædis metropolitanæ; eique aſſervando novum armarium curarunt, ab interiori parte damaſcena veſte diſtincta textilibus floribus aureis obtectum, extrinſecus duabus valvis pulcherrime cælatis inauratiſque occluſum. Singulis annis, cum ejus dies feſtus agitur, in ſummo altari magnifice ornato inter cereos ardentes publicæ venerationi exponi ſolet.

Inſcriptio teſtis Femoris ablati.

Avulſi ab illo ſanctiſſimo corpore femoris memoria ut perpetua Tragurii apud poſteros extaret, hoc monumentum tabulæ marmoreæ inciſum affixum eſt uni ex columnis eccleſiæ cathedralis.

D. O. M.
Femur dexterum
E lipſanis B. Joannis Urſini extractum
Auguſtus Senatus Venetus
Urſino Pontifici Maximo Benedicto XIII.
Pie cupienti tranſmiſit.
Moderante Rempublicam Aloyſio Mocenigo III.
Diœceſim Antonio Kadcich Antiſtite,
Provinciam Nicolao Ericio tertio,
Civitatem Joanne Gottardo Catti;
Sub Operario Hieronymo Cælio Cega.
M. D. C. C. XXIV. IV. Kal. Novemb.

Antonii Epiſcopi præclare facta, & translatio ad Metropolim Spalatenſem.

Optimus hic Præſul ad diſciplinam eccleſiaſticam, & juriſdictionem epiſcopalem ſartam tectam tuendam, tum ipſe omni ſtudio operaque incubuit, tum etiam, ſi quando opus fuit, auctoritatem publicam interpoſuit. Commentarios Theologiæ moralis perquam accuratos confecit, eoſque Slavonico ſermone conſcriptos ac typis expreſſos vulgavit, Presbyteris & clericis Illyricis æque perutiles ac neceſſarios. Cultum S. Joannis Urſini amplificavit, impetravitque a Sede Apoſtolica, ut in univerſa provincia Spalatenſi feſtus ejus dies anniverſaria pſalmodia & liturgia celebraretur. Ex auctoritate & decreto Clementis XII. relicta Eccleſia Tragurienſi, ad Metropolim Spalatenſem gubernandam migravit anno 1730.

JOSEPH EP. TRAGURIENSIS XLII.

Patria Venetus, cognomento Caccia, ex familia Franciſcana ſeverioris inſtituti. Philoſophiam in cœnobio Utinenſi, Theologiam in Seminario Epiſcopi Concordienſis docuit. Variis in oppidis Fratribus ſui Ordinis præfuit, & perhonorifica inter ſuos munera *Commiſſarii* Terræ Sanctæ, itemque *Diſinitoris* pro dignitate ſuſtinuit. Epiſcopus inſularum Cephaleniæ & Zacynthi vix deſignatus fuerat, cum eum Clemens XII., abrogata priore deſignatione, Eccleſiæ Tragurienſi, quæ tum illi commodior, tum Italiæ propinquior erat, Antiſtitem præfecit. Anno igitur 1731. Tragurium appulit, & IX. Kalendas Julii inſigni pompa, inter fauſtas omnium civitatis ordinum acclamationes, ad eccleſiam cathedralem proceſſit, quam veluti ſponſam ſibi cariſſimam complexus, plurimis, & pretioſiſſimis ornamentis locupletavit. Damaſcenas veſtes ingentis pretii eleganti opere conficiendas curavit, quibus parietes illius, & columnæ ſollemnibus diebus obtegerentur. Tabernaculum ſacroſanctæ Euchariſtiæ aſſervandæ, æque venuſtum, atque magnificum e ſelectis marmoribus & lapillis miro artificio factum, altari ſummo impoſuit, itemque duas ſtatuas marmoreas S. Laurentii eccleſiæ patroni, & S. Joannis Urſini, alteram a dextera, alteram a læva collocatas. Bina itidem Angelorum ex marmore ſimulacra, humanæ fere ſtaturæ, ad latus utrumque arcæ marmoreæ S. Joannis Urſini appoſuit, & præter quatuor candelabra argentea, effigiem ſanctiſſimi Epiſcopi a pectore ſurſum ex argento ſumma arte fieri ac cælari juſſit, in qua ſacratiſſimum ejus cranium recondidit. Odeum ædis cathedralis, ubi Canonicorum ſubſellia, in meliorem formam redegit. Tabulas pictas, ſed vetuſtate attritas, decoloratas, ſituque oblitas, quæ plus deformitatis, quam ornamenti afferebant, parietibus amoveri juſſit, illam præſertim Cardinalis Luxemburgi, de qua ſupra dictum eſt in Joanne Garzonio. Denique nunquam intermiſit optimus Præſul Baſilicam Laurentianam partim de ipſius proventibus, partim de ſuo, quibuſcumque potuit rebus, expolire atque ornare. Bis diœceſim luſtravit, & montanas eccleſias varia & multiplici, qua indigebant, ſupellectili ſacra donavit. Ab Duce & Senatu petiit impetravitque, ut poſſeſſio villæ *Subi dol* Menſæ epiſcopali & capitulari traderetur; decimas vero inde percipiendas bifariam diviſit, & partem unam ſibi ſuiſque ſucceſſoribus reſervavit, alteram collegio Canonicorum attribuit. Quapropter Canonici, ut pro communibus reditibus auctis gratiam eidem referrent, ſollemne & perpetuum ſacrum anniverſarium decreverunt. Annum a ſuſcepto pontificatu jam ſeptimum agebat, cum ætate in ſenium vergente, quietis, vitæque religioſæ, cui ab adoleſcentia aſſueverat, repetendæ cupiditas eum cepit. Itaque anno 1738. permiſſu Pontificis Maximi Eccleſiæ Tragurienſi nuncium remiſit, & annos circiter viginti apud Fratres ſuos, alias in Schienſi, alias in Ateſtino, alias in Barbarano cœnobio, uni Deo ac ſibi vacans, tranquille pieque tranſegit. Nulla illarum virtutum ei defuit, quæ religioſum & eccleſiaſticum hominem maxime decent; ſed potiſſimum in eo eminebat ſtudium orationis, animi ſubmiſſio ſuique deſpicientia, rerum humanarum contemptio, & charitas ſingularis erga proximos, quos vel in vita privata, non ſolum ſanctiſſimis exemplis, ſed etiam ferventiſſimis, pleniſque ſpiritus apoſtolici cohortationibus, ad ſalutarem Dei metum, ad chriſtianam honeſtatem ac pietatem colendam excitabat. Calamitoſos homines, egentes, ægrotos quibuſcumque poterat ſubſidiis juvabat. Periclitantium puellarum pudicitiæ conſuluit, quas vel ad honeſtum matrimonium ineundum, vel ad religioſam vitam capeſſendam de ſuo dotabat. Plurimum etiam pecuniæ, tum in ſcholas chriſtianæ catecheſeos inſtituendas, vel augendas, tum in alia pietatis opera erogavit. Nec vero umquam ſponſæ olim ſuæ Eccleſiæ Tragurienſis obliviſci potuit; quin ad eam identidem alia atque alia munera

F. Joſeph Epiſcopus Tragurienſi epiſcopatu ſe abdicat.

& ornamenta mitterè ſolebat; inter cetera duas veſtes ſacerdotales magni pretii, alteram ex auro textili, alteram acu pictam, & aureis, ſericis, argenteis floribus diſtinctam; itemque integrum apparatum & ornatum pontificalem. Thienis in oppido agri Vicetini, dum in domo hoſpitis ſibi perfamiliaris diverſabatur, morbo letali oppreſſus ad ſuperos migravit anno 1758. Honorifice ibidem ſepultus eſt in templo Patrum Ordinis Franciſcani, quos Capuccinos vocant, & hoc eidem inſcriptum eſt epitaphium.

Ejus mors & epitaphium.

D. O. M.
ILLMI AC REMI D. D. IOSEPHI CACCIA
ORDINIS MINORUM DE OBSERVANA
OLIM EPISCOPI TRAGURIENSIS CINERES.
OBIIT THIENIS ANNO MDCCLVIII
OCTAVO CALENDAS IULII, ÆTATIS SVÆ
LXXXIII.

HIERONYMUS EP. TRAGURIEN. XLIII.

Hieronymus Fonda e Nonenſi Ep. Tragurienſis.

Ex Pirano Iſtriæ oppido oriundus, qui a familia Fonda in primis honeſta genus & cognomen duxit. Cum in eccleſia cathedrali Polenſi ſemel generalis, ter capitularis Vicarii munere laudabiliter functus fuiſſet; ad epiſcopale faſtigium evectus, Eccleſiæ Nonenſi aliquot annos ſumma cum laude præfuit. Ab hac vero ex diplomate Clementis XII., quod datum fuit an. 1738. IV. Nonas Maii, ad Eccleſiam Tragurienſem regendam migrare juſſus, Tragurium venit anno proximo, & XIII. Kalendas Maji ingenti omnium civium lætitia & gratulatione ædem cathedralem ingreſſus, Deum, Divoſque eccleſiæ patronos rite veneratus, ſolium pontificale conſcendit. Nihilo minorem, quam deceſſor, curam impendit in cultum ornatumque templi & ſacrarii Laurentiani, quod multis identidem muneribus decoravit: inſigne illud & magni pretii fuit, duæ videlicet togæ pontificales (quæ pluvialia vocant), una veſtis ſacerdotalis, ac miniſtrorum ſolemnibus ſacris operantium quatuor tunicæ; omnes ex auro, magnificis ſane & præclaris operibus contextæ. Ter epiſcopali peragratione gregem ſibi commiſſum reviſit, & ſalutari Sacramentorum ac cæleſtis doctrinæ pabulo recreavit, quibuſque indigebat, divinis humaniſque ſubſidiis ſtudioſe impertiit. Impavidus fuit tum juris eccleſiaſtici, tum bonorum eccleſiæ & menſæ epiſcopalis defenſor; quam ob cauſſam moleſtiſſimas lites habuit cum colonis epiſcopalibus villæ Buſſiliniæ, quibus tamen pro illatis ſibi moleſtiis inſigne beneficium rependit; nam cum incolæ illi cœnoſis aquis uterentur, unde plurimi & exitiales morbi, præſertim æſtivis temporibus, gigni ſolebant; veterem ciſternam, ab Turcis corruptam ac dirutam, ære ſuo illis reficiendam curavit, ex qua ſaluberrimas aquas hauirent. Magna ſeditio in caſtellis quatuor ditionis Tragurienſis facta fuerat, & agreſtes illi caſtellani, cum contra civitatem, magiſtratus, & cives conſpiraſſent, in poſſeſſionem prædiorum & agrorum, cujuſque juris eſſent, ſive eccleſiaſtici, ſive laicalis, expulſis dominis, temere irruerant; cumque nullis neque precibus, neque minis ab inſanis & furialibus cœptis revocari aut deterreri poſſent, prope jam erat, ut vis armorum ad illos coercendos adhiberetur; ex quo multæ utrinque cædes fierent neceſſe fuerat. Interpretem pacis & conciliatorem Hieronymus Epiſcopus ſe interpoſuit, & blanda uſus oratione agreſtium ferociam mitigavit, eoſque dearmatos in priſtinam concordiam cum civibus reduxit, atque ex alienis fundis, quos occupaverant, ultro decedentibus veniam impetravit. Poſt alterum a ſuſcepto epiſcopatu triennium, de ratione ſui regiminis, reque publica chriſtiana & eccleſiaſtica, litteras more majorum dedit ad ſacram Cardinalium Congregationem an. 1746. quas hic ſubjicio, ut ex illis de ſtatu præſenti totius Eccleſiæ ac diœceſis Tragurienſis cognoſci poſſit.

Ejus ad Sacram Congregationem epiſtola de ſtatu eccleſiæ & diœceſis Tragurienſis.

Humillimi mei muneris eſt, peracto jam triennali curriculo, exactam renovare rationem hujuſce paſtoralis villicationis, ſtatumque meæ eccleſiæ ac totius diœceſis libenti animo, nolentem vos ignorare de tribulatione mea, Eminentiſſimi Patres, aperte exponere, ac reſignare. Benedictus attamen Deus, ac Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Deus totius conſolationis, qui me conſolatur ſaltem in aſpiciendo hanc meam cathedralem eccleſiam, divo Martyri Laurentio dicatam, ſpecioſam forma, tanquam ſponſam ornatam, omnibuſque ad divinum cultum ſatis ſuperque proviſam, ac etiam parvis, ſed continuis obventionibus a Tragurienſi, finitimiſque populis inceſſanti devotione ſubſtentatam. Redditus ſui permanentes computantur a quarta reddituum Menſæ epiſcopalis Caſtri Boſſiglinæ, pro congruenti dote aſſignati, aliiſque ſuis peculiaribus redditibus, qui omnes quotannis prompte ac fideliter tribuuntur in manibus nobilis ſui Operarii, ipſius œconomi curam habentis. Hic pro tempore nominatur a ſpectabili Conſilio nobilium hujus civitatis, una cum tribus aliis, inter quos ſubſequenter a Ven. meo Capitulo præeligitur, & confirmatur, cum onere reddendi annuatim rationem ſuæ adminiſtrationis, præſentibus Epiſcopo, Rectore, Capitulo, & Conſiliariis, ſublata tali modo quacumque fraude ad ipſius præjudicium. Olim erecta ante milleſimum, in dirutione civitatis & ipſa diruta fuit; poſtea anno milleſimo tercenteſimo magnifice reædificata. Compluribus Sanctorum extat decorata Reliquiis, inter quas ſacrum corpus præcipue veneratur S. Joannis Urſini Tragurien. Epiſcopi, in arca marmorea multis ab hinc annis decentiſſime translatum, ubi in nobili capella ſuper adæquato altare erecta, ſumma celebritate colitur, variis ex hiſce finitimis populis ſæpe ſæpius, inſitæ devotionis cauſa, convenientibus.

Duodecim in ea nominantur Canonici, incluſis tribus dignitatibus, & clerus inferior octodecim Sacerdotum cum ſexdecim clericis. Omnes quotidie ſummo mane interſunt, magna non tantum civitatis, ſed totius etiam diœceſis ædificatione, quaſi ad uſum ſtrictioris Religionis, ſolitis matutinis, aliiſque horis ſimiliter in die diſtributis. Singuli Sacerdotes participes fiunt de quotidianis diſtributionibus indiſtincte cum Canonicis, ſed pauperrimi ſunt illorum annui proventus, computati pro Canonicis & dignitatibus, ſumpta ſimul eorum peculiari præbenda, valoris ſcutorum ſexdecim Romanorum, Sacerdotum autem vix ſeptem de ſuis diſtributionibus.

Unica tantum in prædicta mea cathedrali conſpicitur erecta laica confraternitas ex nobilibus & honeſtis perſonis, ſub titulo ſuffragii animarum purgantium, quæ ex puris ſubſtentatur confratrum obventionibus, quocumque alio redditu penitus deſtituta. Cæteræ autem S. Spiritus, B. Virginis de Carmelo, Divi Rocchi, omnium Sanctorum, habent cum ſuis redditibus peculiares eccleſias decenter ornatas, piiſſime concurrentes cum

ſuis cereis, ſacco indutæ, in ſacris functionibus ad eccleſiam matrem certis determinatis diebus, adimplentes juxta vires, non autem in integrum, varia onera perpetua Miſſarum, ſibi ipſis olim legata & annexa, deperdita tractu temporis ſua meliori parte bonorum. Addo pariter, illam S. Spiritus, ſui eſſe erogandi annuatim certas eleemoſynas huic pio hoſpitali, carenti quocumque alio redditu ad illius reſtrictam & pauperrimam ſubſtentationem: ſimiliter providendi determinatos cereos in proceſſionibus, quæ fiunt cum Sanctiſſimo in menſe in ſupradicta mea cathedrali.

Intra mœnia hujus civitatis tria reperiuntur monialium cœnobia, ſub titulo SS. Petri, Nicolai, & Michaelis, ſingula inſtitutum S. Benedicti profitentia. Eorum clauſura ſervatur ut ſic, in præſenti aliquantulum potius reſtricta: monaſtica diſciplina parum viget, cum moniales ſint paucæ numero, pauperes, & clauſtrali circuitu anguſtiſſimæ. Abbatiſſæ in his eliguntur non ad triennium juxta Canones, ſed earum vita durante, nullam tenentes notulam reddituum & expenſarum, nullamque reddentes ſuæ adminiſtrationis rationem. Habent ſuos procuratores laicos, tanquam ſuos defenſores. Duo prima a Conſilio nobilium in acceptatione puellarum legem accipiunt; a civium univerſitate pariter tertium. Perpetuitas Abbatiſſarum, licet maxime præjudicialis & incongrua, tolli non poteſt, niſi in caſu novæ electionis, deficientibus iis, quæ modo præſunt, quod ut ſortiatur feliciter, juxta Canones, tota arte curabo & conatu.

Quatuor pariter numerantur Religioſorum hoſpitia potius, quam conventus, ordinis Divi Dominiciduo, & ceteri S. Franciſci, Conventualium ſcilicet, ac Min. obſerv. Eorum Sacerdotes ſunt pauciſſimi numero, duo, vel tres ad ſummum. Clauſura in eis minime obſervatur, æque minus regulare inſtitutum, quaſi inoperoſi in vinea Domini; omnes tamen vitam laudabilem ducunt, nec ulla (Deo adjuvante) noſcitur in præſenti ſcandali occaſio.

Sperabam, prout in ſupplici libello notum feci S. Congr. de Propaganda Fide, & prout juſſum fuit a Romana eorum Curia Superioribus provincialibus, providendi ſingula hæc reſpective hoſpitia de uno ſaltem Sacerdote capaci ad erudiendos clericos hujus eccleſiæ ac diœceſis, & aperiendi ſcholas juxta exigentiam, cum libenti oblatione a me facta eorum labores compenſandi annuatim de redditibus pauperis hujus menſæ pro decenti uniuſcujuſque veſtiario, ad evitanda ſupradictorum hoſpitiorum majora gravamina. Nil tamen profuit exercita mea diligentia, ſola ſpe paſtum me aſpiciendo uſque modo, cum ſummo animi mei dolore. Nullum unquam fuit in hac civitate inſtitutum Seminarium clericorum, ac impoſſibilis penitus redditur hujus inſtitutio, ſe opponente paupertate menſæ epiſcopalis, ac ſimul capitularis, nullo hic exiſtente alio præceptore, quam puræ Grammaticæ pro clericis, nullo autem pro laica juventute. Solus cantus Gregorianus edocetur a Sacerdote ad hoc aſſignato a Superiore provinciali Min. obſ. & a me de congruo veſtiario decenter proviſo.

Varia in hac civitate extant parvula beneficia ſimplicia, a S. Sede in parte antiquitus unita menſæ epiſcopali, ac etiam capitulari; cætera autem ſunt omnia de jure patronatus ſpectabilis hujus Conſilii nobilium, ac nob. totius provinciæ, ſicut & etiam alicujus privatæ familiæ. Unicum reperitur pingue beneficium tantum, abbatiale, ſub titulo S. Jo. Baptiſtæ, cum ſua eccleſia ſitâ intra hæc mœnia, annui redditus ſcutorum Romanorum 220. quod paucis ab hinc annis remanſit unitum a S. Sede Seminario archiepiſcopali Spalaten. de aliis redditibus ſatis æque proviſo. Sic Sanctiſſimo placuit, nec fas eſt facere verbum: utinam tamen placeret, ut ſaltem duo alumni de hiſce clericis continuo reciperentur in illo, in adjutorium hujus nobilis antiquiſſimæ eccleſiæ, & ad partem ſollicitudinis Epiſcoporum cunctanter deſideratum.

Multæ ſunt in civitate, ac extra muros in locis campeſtribus pauperrimæ eccleſiæ, cum variis aliis ædiculis, ad numerum 23. quæ partim ſubſtentantur decenter ſolis fidelium obventionibus, partim autem quaſi dirutæ ſunt interdictæ. Ex his multas demoliri fas eſſet, niſi deficeret, cui ſpectat, neceſſaria facultas.

Novem ſunt paræciæ litorales, ſecluſa hac civitatis, cujus cura laudabiliter adminiſtratur ab alumno de Propaganda Jurileo, Canonico Archipresbytero. Quatuor ſunt de libera electione Epiſcopi, quinque autem de jure patronatus laicorum. Omnes adminiſtrantur a Sacerdotibus ſæcularibus uti Curatis, & ipſi nominantur, & ſubſequenter ab Epiſcopo confirmantur ad triennium tantum, cum libertate, expleto dicto tempore, eos rejiciendi, niſi adæquate fungantur officio ſuo. Tales eccleſiæ ſingulæ ſunt decenter proviſæ omnibus neceſſariis ad divinum cultum, maximo cum decore, nec deeſt aliquid, quod excitet paſtoralem ſollicitudinem, æqualiter aſſiſtendo Curati omnes ſpiritualibus indigentiis gregis commiſſi, ac ipſum indeficienter paſcendo verbo & exemplo, quamvis pauperrime proviſi, viginti tantum Rom. ſcut. circiter annuatim pro ſingulis.

Æquales numero ſunt pariter paræciæ montanæ, a Fratribus Min. obſ. Boſinenſibus provinciæ S. Caji peculiari privilegio directæ, quorum electio annuatim ſpectat ad Superiorem pro tempore conventus caſtri Signii, confirmatio autem ad Epiſcopum. Olim ſeptem tantum erant, additis aliis duobus, uno a meo anteceſſore, ſecundo in ultima mea viſitatione. Sed (prob! dolor, ac tribulatio magna!) adhuc, Em. Patres, meſſis multa, operarii autem pauci. Multiplicatur enim de die in diem grex, pingues multiplicantur æque bene proventus, ſed non multiplicantur paſtores, qui deſinunt illum quaſi abire deperditum per loca montana ab eorum oculis ſine cuſtodia valde diſtantia, ac ſeparata. Vix potui, ut dixi ſuperius, in ultima mea viſitatione addere nonum, cui Superior prædictus aſſentiri valde repugnans quievit epiſcopali meæ ſollicitudini, adhibitis etiam minis neceſſarii recurſus. Rudis eſt, ac fidei myſteriorum pene ignara illa Murlacorum multitudo, a ſuis parochis nil penitus, ſeu de raro ſaltem inſtructa, cum in diebus feſtis, multiplicatis ædiculis ſecundum vicorum diſtantiam, parochus reſpectivus ſe confert ad celebrandum ſacrum in una, vel alia; utinam forſan ſemel in menſe, pluribus extantibus ejuſdem curæ ſubjectis. Petentibus igitur in tanto numero panem, abſque eo quod reperiri poſſit, qui eis frangat indeficienter, recurſum habui anno decurſo ad Patres Jeſuitas, qui ſumma charitate, æquali zelo ſuſceperunt ſuam illinc miſſionem, & indefeſſe laborando per quadraginta dies, cum aliquo ſpirituali profectu, etiam feliciter compleverunt. Eccleſiæ omnes illæ, ſeu ædiculæ, reperiebantur biſce temporibus pene dirutæ, ſupellectilibus ſacris, ac decenti ſuo decore omnino deſtitutæ. Multæ in

ſupra-

ſupradicta mea viſitatione remanſerunt interdictæ, quo facto excitatus populus opportunum applicuit remedium ad illas reædificandas, & providendas, prout etiam in præſenti tali continuo ſtudio ad invicem æmulatur. Varii erant peccaminoſi abuſus, ac peſſimæ conſuetudines, introductæ præcipue in contrahendis matrimoniis, & pariter, quaſi in totum, Deo favente ſublatæ ſunt, & abolitæ.

Remanet adhuc, nec vos tædeat, humillime exoro, Em. Patres, ut iterum hac occaſione ſubmittam ſapientiæ veſtræ, ſublimique eorum charitati imminentem ruinam non ſolum ſpiritualem, ſed temporalem pariter hujus meæ civitatis, quæ multis ab hinc annis in ſumma decadentia ac paupertate conſpicitur, nec reperitur in ea, qui recogitet corde. Tot ærumnarum fons aperte dignoſcitur ab omiſſionibus piorum legatorum, non ſolum in uſum, ſed quaſi in legem tranſactis. Oblitus quiſque ſui oneris ſibi in teſtamentis impoſiti gaudet hæreditate, fruitur bonis uſque ad integram conſummationem, nec ad legata adimplenda tot Miſſarum, repeto, ullus penitus eſt, qui recogitet. Meo paſtorali muneri in admonendo ſæpe ſæpius imbecilliter ſatisfeci, ſed ſingulorum aures obſurduerunt. Reſignavi Em. veſtris humillimis meis epiſtolis graviſſimas omiſſiones, ſupplicando pro facultate reducendi onera tot Miſſarum ad numerum exequibilem, juxta ſtatum, & conditionem ſingulorum. Hæc mihi reſtricta fuit ad ſola onera taxativa, minime autem demonſtrativa. Adhibita ſuper hoc poſſibili diligentia, perſpexi omnia in omnibus penitus teſtamentis demonſtrative expreſſa, unde facultate mihi ab Em. veſtris, hac reſtrictione conceſſa, nullo modo uti potui. Ab anno 1700. uſque nunc, facta obſervatione exacta in regiſtris Miſſarum, omiſſas reperii 510095. Miſſas, quæ a familiis gravatis nunquam adimplebuntur, nec de cetero adimpleri poſſunt, non habentibus unde vix vivere poſſint in paupertate, amiſſo antiquo ſplendore, redactis.

In ſua inſtitutione multæ capellæ, ſeu maſſionariæ a teſtatoribus taxatæ fuerunt juxta valorem ſcuti aurei, olim currentis libras viginti; nunc autem cum ſuus valor ſit librarum 53. minime nec iſtæ adimplentur, cum nullus inveniatur Sacerdos, qui eas velit adimplere ſine ſolita currenti eleemoſyna adæquata ad ſui pauperrimam ſubſtentationem. In tanta impoſſibilitate, quid agendum de omiſſis, ac de cetero omittendis, ad tuendas tot familias, ne pereant, ac etiam ſpiritualiter pereant? ipſi videant, & miſericorditer videant ſapientiæ ſuæ altitudine Em. Patres. Nullam aliam ſuppliciter quæro facultatem, quam quæ neceſſaria ſit, ſi fas eſt, in omnibus & ſingulis, pro ſuo opportuno remedio.

Hæ ſunt meæ tribulationes magnæ nimis in regenda hac eccleſia, cujus ſtatum ſubmittere diſtincte non deſino, prout alto patrocinio Emin. veſtrarum me pariter enixe commendo, & maximo cum obſequio deoſculando ſacras purpuras ad mei gloriam eſſe ſubſcribo.

Baſilicam Laurentianam cathedralem ſollemni cærimonia rituque conſecrandam cenſuit, cum nullum antiquæ conſecrationis monumentum extaret. Annos natus duodeſeptuaginta de Tragurienſi Eccleſia optime meritus vivere deſiit pridie Calendas Decembris anno 1754. elatuſque funere per quam magnifico, conditus eſt in communi ſepulcro Epiſcoporum, ante aram S. Joannis Urſini.

DIDACUS EP. TRAGURIENSIS XLIV.

Acta Didaci Manolæ ante Epiſcopatum.

Natus eſt Spalati ex familia Manola inter cives Spalatenſes admodum clara, quæ duos Epiſcopos ſane illuſtres Dalmatiæ dedit, Franciſcum Manolam Epiſcopum Corcyræ Melænæ & Joannem Manolam patruum, quibus adde Martinum Dragolium avunculum Didaci, utrumque Nonenſem Epiſcopum. In Seminario Spalatenſi omnium ſuorum ſtudiorum curriculum confecit; atque, ut erat tum excellenti ingenio, tum ſingulari diligentia atque induſtria, magnos ſane progreſſus habuit in omni rerum humanarum ac divinarum ſcientia, qua cum eximiam eloquentiam conjunxit, & per aliquot annos alumnis ejuſdem Seminarii artis oratoriæ præcepta tradidit. Virum perſpectæ virtutis atque doctrinæ Canonici Spalatenſes in ſuum collegium cooptarunt, Sedes vero Apoſtolica dignum cenſuit, cui primum inter ſuos collegas locum & dignitatem Archidiaconi conferret. Vix tertium & triceſimum ætatis annum attigerat, cum eum Joannes Baptiſta Laghius Archiepiſcopus Vicarium generalem conſtituit; eique, in ſuis ad Patres Eminentiſſimos litteris, præclarum ſapientiæ, virtutis, & perutilis ſibi, ſalutique proximorum operæ navatæ teſtimonium tribuit. Nec vero duo proximi poſt Laghium Archiepiſcopi, Antonius Kadcichius, & Pacificus Bizza, ad metropolim illam regendam prudentiſſimi & ſapientiſſimi viri conſilio, doctrina, & ſollertia carere voluerunt. Utrique igitur eamdem, quam Laghio, vicariam operam æque ſedulam ac laborioſam ſine ulla intermiſſione præbuit; & ſub tribus, quos dixi, Archiepiſcopis graviſſimo Vicarii generalis munere, ſumma omnium approbatione, annos ipſos ſeptem & viginti functus eſt. Cum de morte Hieronymi Fondæ Epiſcopi Tragurienſis Romam eſſet allatum, tunc erat in urbe, ſacrorum liminum colendorum cauſſa, Pacificus Bizza Archiepiſcopus; ex quo de Didaco Manola Archidiacono, & Vicario generali, tam multa & præclara cognovit Benedictus XIV. ut ceteris competitoribus ſane multis poſthabitis, hunc unum Sede Tragurienſi digniſſimum inter omnes eſſe judicaverit. Itaque Romam profectus conſuetum examen ſubiit, & omnium ſententiis laudatus cum fuiſſet, diploma pontificium Epiſcopatus eidem collati confectum eſt anno 1755. IV. Idus Majas. In Dalmatiam reverſus, eodem anno Idibus Novembris Tragurii ædem cathedralem, inſigni pompa & magna civium comitante frequentia, ingreſſus, Eccleſiæ Tragurienſis regimen ſuſcepit. Statim cogitationes omnes curaſque in cultum divinum augendum, & vineam dominicam ſibi creditam ſanctiſſimis inſtitutis atque exemplis colendam intendit. Piam illam conſuetudinem primus, & primo ſuſcepti Epiſcopatus anno invexit, ut poſtremo cujuſque anni die in æde cathedrali coram auguſtiſſima Euchariſtia, magnifico apparatu inter faces cereoſque ardentes ad venerandum expoſita, Hymnus Ambroſianus decantaretur, & ſollemnes Deo optimo maximo pro beneficiis acceptis gratiæ agerentur; idem vero ipſe primus, appoſita ac ferventiſſima oratione, confertiſſimæ multitudini animos ad prædicandam, extollendamque divinam beneficentiam excitavit. Canonicorum rogatu decrevit, ut duobus illis anniverſariis & celeberrimis

Fit Epiſcopus Tragurienſis.

diebus Natalis Dominici, & Epiphaniæ Domini, novem lectiones pſalmodiæ matutinæ vulgari & Slavonico ſermone canerentur, ut ad popularem intelligentiam captumque accommodatæ ex omnium animis pios erga illa divina myſteria ſenſus & affectus elicerent: voluit tamen, atque imperavit, ut interea ſinguli tum Canonici, tum Presbyteri eaſdem lectiones latinas privatim, & ſubmiſſa voce recitarent. Ædem urbanam S. Petri, quæ ad collegium Virginum ordinis Benedictini pertinet, ſollemni cærimonia conſecravit; ejuſque conſecrationis, ac ſui nominis memoriam tabulæ marmoreæ impreſſam, parieti affixit.

D. O. M.

Eccleſiam hanc, Principi Apoſtolorum dicatam, Didacus Manola Epiſcopus Tragurien. ſolemni ritu conſecravit, & recurrente ipſius conſecrationis memoria Kalendis Julii, ſingulis Chriſti fidelibus eam devote viſitantibus quadraginta dierum indulgentiam perpetuo concеſſit.

Anno Domini MDCCLIX.

Marcella Antonia Andreis Abbatiſſa.

Semel atque iterum diœceſim per ſe ipſe obivit; atque in montanis quidem parœciis auxit numerum Sacerdotum, quorum opera parochi ad munus ſuum accurate fungendum uterentur; in litoreis vero frequentem Sacramentorum uſum invexit; ubique ad pravas conſuetudines abolendas, ad cleri diſciplinam ſtabiliendam, ad mores chriſtianæ plebis corrigendos, augendamque pietatem, monita & decreta ſaluberrima reliquit. Clericis urbanis præter magiſtrum linguæ latinæ, & politiorum litterarum, alterum addidit, qui eoſdem tum Philoſophiæ, tum Theologiæ moralis præceptis imbueret. Si qui vero clerici tum ex urbe, tum e diœceſi, ſingulari polleant ingenio, & ſublimiorum doctrinarum capaci, eos ſuis ſumptibus alendos & erudiendos mittere ſolet ad Seminarium Spalatenſe. Paterna omnes charitate & beneficentia proſequitur; præter minuta ſubſidia in vulgares pauperes quotidie collata, de ſuo multis familiis, honeſtis illis quidem, ſed ad ſummam egeſtatem redactis, quæ ſunt ad victum & veſtitum neceſſaria, clam ſuppeditat; & virgines inopes ab ſe dotatas in matrimonium collocat. Utinam vero eam valetudinem vegetam ac firmam, quam Tragurium attulit, acerbiſſimi renum dolores non identidem interciperent, quibus aliquando in extremum vitæ diſcrimen adductus eſt; ceterum ubi primum remittant, ſtatim ad omnia, quæ ſunt Epiſcopi munia, alacri animo redit; nulla neque ſuæ quietis, neque infirmæ adhuc valetudinis ratione habita, ne ulla in re gregi ſibi concredito, & officio ſuo deſit. Optimo & præſtantiſſimo Præſuli tantum debeo, quantum perſolvere difficile eſt. A me ſiquidem de plurimis rebus, quæ ad Eccleſiam & Epiſcopos Tragurienſes pertinent, per litteras interrogatus, ad omnia & ſingula diſtincte, diſtribute, cumulatiſſime reſpondit, & præterea ſelectam rerum ac monumentorum copiam ad hanc hiſtoriam augendam & illuſtrandam ſuppeditavit. Quam ob cauſſam maximas illi gratias ago, majores etiam habeo, atque utinam referre poſſem. Hoc grati officioſique animi teſtimonium mihi reddendum fuit, primum quidem humaniſſimo Antiſtiti, deinde etiam ejus Cancellario Marco Perovichio, Canonico ædis cathedralis, viro eruditiſſimo, & rerum eccleſiaſticarum Tragurienſium ſcientiſſimo, cujus opera diligenti ac laborioſa uſus eſt, ut meis poſtulatis cumulate ſatisfaceret.

Plurimum illi debet hiſtoria ſacra Tragurienſis, ob copiam rerum ac monumentorum, ad eam locupletandam, tranſmiſſa.

Hæc ego ſcripſeram, dum hic Præſul omni laude digniſſimus vivebat, Deumque optim. max. precabar, ut ei priſtinam ſanitatem reſtitueret, & vires corporis daret magno & excelſo animo pares, quo uberiores ac diuturniores chriſtianæ pietatis fructus ex ejus ſapientiſſimo regimine pleno charitatis & ſollicitudinis apoſtolicæ Tragurienſis Eccleſia, clerus, populuſque perciperet. Sed proh! dolor, cum inveteratæ ejus ægrotationes quotidie ingraveſcerent, hominem perdita valetudine fractum ac debilitatum exitialis morbus invaſit, quo ſub initium anni 1766. extinctus triſte deſiderium ſui Tragurienſibus reliquit.

ANTONIUS III. EP. TRAGURIEN. XLV.

Filius Petri Miocevichii, præfecti militiæ equeſtris, egregii & ſtrenui viri, natus eſt Sibenici, eaque in urbe ſtudiorum ſuorum curſum peregit, magiſtro uſus Carolo Donadono, Epiſcopo Sibenicenſi doctiſſimo, qui optimi adoleſcentis indole, ingenio, morum innocentia captus humanis diviniſque litteris illum erudiendum ſuſcepit. Ætatem idoneam & legitimam nactum, per omnes inferiorum ordinum gradus, ad apicem Sacerdotii evexit, eique inter Presbyteros ædis cathedralis ſecundæ claſſis locum & penſionem attribuit. Anno 1756. Patavium ſe contulit, atque in celeberrimo illo gymnaſio utriuſque juris lauream adeptus, Doctoris nomen & inſignia ſumpſit. In patriam reverſum Joannes Calebotta, proximus poſt Donadonum Epiſcopus Sibenicenſium, in collegium Canonicorum cooptavit, & clericis, qui ſacris ordinibus initiari vellent, examinandis probandiſque præfecit. Poſt obitum Joannis Calebottæ, ob inſignem perſpectamque ejus doctrinam & prudentiam cunctis Canonicorum ſuffragiis creatus eſt Vicarius Capitularis. Ei denique Eccleſiam Tragurienſem Clemens XIII. in auguſtiſſimo Cardinalium Senatu, non ſine honorifica ejus virtutum ac meritorum teſtificatione, demandavit XII. Kalendas Maji anno 1766. Novum Antiſtitem clerus populuſque Tragurienſis avidiſſime expectat, ejuſque ſapientiſſimo regimine quam diutiſſime frui, & præclaris præceptis atque exemplis ad omnem eccleſiaſticæ & chriſtianæ vitæ perfectionem erudiri vehementer exoptat.

EPISCOPI SIBENICENSES.

Sicum & Sibenicum inter ſe differunt.

QUi Sibenicum idem eſſe ac Sicum oppidum vetuſtiſſimum, vel eodem, atque illud, loco poſitum eſſe exiſtimant, longe falluntur: alterum ab altero multorum milliarium intervallo disjunctum eſſe ipſa utriuſque poſitio declarat. Sicum inter Salonam & Tragurium Plinius collocavit: *Tragurium civium Romanorum marmore notum; Sicum, in quem locum D. Claudius veteranos miſit; Salona colonia.* In Tabula Peutingeriana Siclis vocatur, & Tragurio Salonæque interjacet; Sibenicum vero cis Tragurium ab Sicli millia paſſuum amplius triginta in occaſum diſtat.

Poſitio Sibenici & deſcriptio.

Sibenicum, ex antiquo & exiguo caſtello civitas nunc nobiliſſima, aſſidet ad lacum cognominem, quem Titius amnis cum aquis marinis commiſtus efficit. A mari aperto non ita multum abeſt, a Scardona vero in meridiem diſtat millia paſſuum fere decem. Utramque urbem Titius præterfluit, Scardonam ab oriente, Sibenicum ab occaſu. Situm eſt inter Jaderam, ex qua circiter quadraginta, & Tragurium, unde viginti quinque milliarium ſpatio diſterminatur. Regio circa in colles aſſurgit, quorum unius dorſo urbs impoſita eſt, qua mare deſpectat. Mœnibus antiqui operis, ſed ſatis validis, & propugnaculis quibuſdam undique cingitur, quæ mille paſſus circuitu comprehendunt. Referta eſt plurimis tum privatis, tum publicis ædificiis, quæ ut in declivi loco poſita præclarum ad ſpeciem, jucundumque proſpectum illac navigantibus exhibent. Inter cetera vel magnitudine ambitus, vel elegantia ſtructuræ ſupereminet ædes cathedralis, & huic e regione curia & prætorium; utrique interjectum eſt forum. Caſtellum habet in ſummo, natura & loco munitum, cui vetuſtum cognomen fuit a S. Michaele. Sed quod non procul altiores colles alii impendent, arcem alteram, parvaque caſtella duo locis opportunis ad protegendam urbem Veneti excitarunt. Subeſt urbi portus admodum capax & par claſſi quantælibet, in quem Titius fluvius delabitur; ejuſque fauces tuetur arx S. Nicolai, trianguli forma, muris tormentiſque egregie munita. De Agro Sibenicenſi hæc Palladius: *Habent Sibenicenſes arva, vinetaque, & oliveta feraciſſima, neque ulla re ex iis, quas uſus poſtulat, niſi aqua dulci indigent; cujus penuria æſtivo præſertim tempore adeo laborant, ut aliunde advecta publice vendatur.*

Caſtellum Sibenicenſe S. Michaelis antiquiſſimum eſt, & ſæculo undecimo erat celebre ac perilluſtre, ut declarant duo privilegia ibidem ſcripta, alterum Creſimiri IV. *datum Sibenici anno 1066. in Sabbatho in die Nativitatis Domini &c.* alterum Stephani II. poſtremi Regis Chrobatiæ VI. Id. Septembris *apud Caſtrum Sibenico, in die ejuſdem ſolemnitatis*, ideſt die natali Virginis Deiparæ, in frequentiſſimo Præſulum ac procerum conventu. Subter caſtellum ea pars collis, quæ in ortum ac meridiem ſpectat, jampridem habitari cœperat, pluribus ibidem conſtructis domiciliis, clivique dorſo impoſitis, quæ in unius oppidi corpus coaluerant; nam Treguanus Archidiaconus Tragurienſis in vita S. Joannis Epiſcopi tum oppidum fuiſſe affirmat, cum idem B. Joannes ſæculo duodecimo ineunte, vel intra finem ſuperioris ſæculi illuc acceſſit: *alio vero tempore, cum navigaret ad oppidum, quod dicitur Sibenicum &c.* Sibenicum poſt extinctos Reges Chrobatiæ, quorum poteſtati ſuberat, ſub imperium Colomani Regis Hungariæ conceſſit, qui cum Jaderam anno 1105. Venetis ademiſſet, una cum Beato Joanne Sibenicum ſe contulit, ubi dum ſacrificio Miſſæ in templo S. Michaelis intereſſet, ſuiſmet oculis vidit columbam cælo delapſam, & capiti ejuſdem Antiſtitis ſacrificantis incumbentem, ut Treguanus narravit: *Et pariter cum Colomano gradiens pervenit ad oppidum Sibenicum, ubi eccleſia B. Michaelis Archangeli uſque ad præſens cernitur eſſe conſtructa; in qua dum ſacra Miſſarum celebraret myſteria, columba nive candidior, ſolo rege videnti, deſcendit ſuper caput S. Præſulis, & ei tandiu inſedit, donec initiata ſacrificia conſummarentur.*

Primum Regibus Chrobatiæ, deinde Regibus Hungariæ paruit.

Poſt obitum Colomani Ordelaphus Faletrus Dux Venetorum, qui Dalmatiam Hungaris ademptam recuperaverat, anno 1116. cum Sibenicenſibus deditionem imperaſſet, hique imperium abnuiſſent, caſtellum vi cepit, captum mœnibus & propugnaculis nudavit, ut docet Dandulus: *Inexpugnabile caſtrum Sibenicum obtinuit ac diruit.* Anno 1124. dum Veneta claſſis ad ſacrum bellum in Syriam profecta eſſet, Stephanus II. Colomani filius Rex Hungariæ cum pleriſque Dalmatiæ urbibus Sibenicum Venetis eripuit. Sed biennio poſt Dominicus Michael Dux itidem Venetorum e Syriaca expeditione regrediens, urbes omnes maritimas cum Sibenico, expulſis Hungaris, recepit. Belgradum vero, quod Hungarorum auxiliis confiſi reſiſtere auſi eſſent, ac præſertim quod piraticis lembis Adriaticam navigationem infeſtam redderent, in poteſtatem redegit, ac funditus evertit. Joannes Lucius opinatur Belgradenſes, amiſſa patria profugos, Sibenicum ſe recepiſſe; quod oppidum exinde numero tectorum atque incolarum eo crevit, ut juſtæ civitatis formam ſpeciemque indueret. Itaque Sibenicenſes, cum ſub dominatum Hungaricum rediiſſent, a Stephano III. Hungariæ Rege, ut eſt apud Lucium lib. 2. cap. 6. Monum. Tragurienſium, anno 1167. diploma impetrarunt, quo Sibenicum nomine ac jure civitatis, iiſdemque privilegiis donatum eſt, quibus Spalatum & Tragurium gaudebant. Uno alterove poſt anno Emmanuel Imperator Orientis Sibenicum & pleraſque Dalmatiæ civitates Hungaris ademit. Interea Sibenicenſes auctam patriæ dignitatem ac ſplendorem fœdiſſima macula deturparunt. Rei ſiquidem communis privatæque, quam gloriæ & laudis præclare factis augendæ cupidiores, piraticam facere cœperunt. Extat epiſtola Alexandri III. ad Gerardum Archiepiſcopum Spalatenſem data Beneventi anno 1169. x. Kal. Januarii in hanc ſententiam: moneat, jubeat, cogat pro poteſtate piratas Sibenicenſes reſtituere omnia, quæ Guoffrido filio Bonumiri clariſſimi civis Sipontini per vim abſtulerant; quod niſi præſtiterint intra diem, quam ipie præfinierit, canonicis pœnis ac cenſuris in eos animadvertat. Eſt itidem altera ejuſdem Pontificis epiſtola data Venetiis ex Rivoalto ad Raynerium Archiep. Spalatenſem anno

Caſtellum a Venetis dirutum, ab Hungaris receptū ac refectū.

Sibenicum a Stephano III. jure civitatis donatum.

Sibenicenſes piratæ.

1177. x. Kal. Auguſti. Huic imperat, ut duos e primariis civibus Sibenicenſibus, *Neſtros* & *Perlat*, qui Raymundum de Capella Legatum Sedis Apoſtolicæ apud Regem Siciliæ, Venetias ad Alexandrum navigio advectum per ſummam injuriam atque impietatem rebus omnibus exſpoliaverant, & regias ad Pontificem litteras eidem abſtulerant, jubeat ablata reſtituere; ſi abnuant, non illos ſolum, ſed quoſcumque ſacrilegæ illius prædæ participes fuiſſe comperiat, ſollemni ritu & feralibus tædis accenſis, anathemate feriat: niſi vero intra decem dies reſipuerint, & imperata fecerint, urbem ipſam eccleſiaſtico interdicto ſubjiciat. Utramque epiſtolam hiſtoriæ Spalatenſi, alteram in Gerardo, alteram in Raynerio Archiepiſcopis inſeruimus. Poſt mortem Emmanuelis anno 1180. extincti, Sibenicenſes quidem cum ceteris Dalmatis redierunt ſub poteſtatem Belæ III. Regis Hungarorum, ſed prædandi dulcedine illecti, aſſuetique nihilo ſegnius, quam antea, piraticæ operam dederunt. Anno 1221. cum in eo fœdere, quod Spalatenſes, Tragurienſes, Cliſſani inter ſe fecerunt, adſcribi voluiſſent, ſub ea conditione admiſſi ſunt, ut in poſterum a maritimis latrociniis abſtinerent. Extant tabulæ fœderis apud Lucium lib. 2. cap. 5. Monum. Tragurien.

Domaldus Sibenici dominus, quod Templariis tradit.

Per ea tempora primum Saracenus, deinde hujus filius Domaldus urbem Sibenicenſem a Regibus Hungariæ jure fiduciario acceptam Comitis titulo & imperio prædiți regebant. Domaldum cupiditas inceſſit Sibenici cum Cliſſa commutandi, quam quidem arcem Andreas II. Rex Hungarorum anno 1217. cum Spalati eſſet, in Palæſtinam profecturus ad ſacram expeditionem, Pontio Magiſtro Militiæ templi poſſidendam & cuſtodiendam tradiderat, qui ibidem Fratres ſui ordinis collocarat. Andreas ejus voluntati obſecutus eſt, & arcem Cliſſenſem Domaldo fiduciariam ita dedit, ut is Sibenici poſſeſſione cederet, quod Templariis pro Cliſſa eiſdem adempta tradere conſtituit. Verum Sibenicenſes Domaldi dominatu exempti caſtellum diruerunt, in quo Comites urbis domini habitabant, & libertatem adepti nunquam adduci potuere, ut Templarios admitterent, ſeque illorum imperio ſubjicerent, quamvis permutationem illam, & Sibenici poſſeſſionem Equitibus Templariis traditam Bela IV. Andreæ filius ratam habuiſſet; idque conſtat ex epiſtola Alexandri Papæ IV. inſcripta Archiepiſcopo Jadrenſi, Abbati S. Chrylogoni, & Archidiacono Nonenſi, quibus Pontifex imperavit, ut Sibenicenſes compellerent ad imperium Magiſtri Fratrum Militiæ templi accipiendum, atque illi, quæ deberent, obſequia & officia præſtanda.

Epiſtola Alexandri III. ad Archiep. Jadren. &c. ut jubeant Sibenicenſes ſubeſſe Templariis.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ven. Fratri Archiepiſcopo Jadren. & dilectis filiis Abbati S. Griſogoni Jadræ, & Archidiacono Nonenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Dilecti filii Magiſter & Fratres Militiæ templi Hungariæ & Sclavoniæ ſua nobis conqueſtione moſtrarunt, quod licet claræ memoriæ Andreas Rex Hungarorum quoddam caſtrum ſitum ſupra mare, quod Sibenich vulgariter dicitur, ad eumdem regem pertinens, cum ipſis pro quodam alio caſtro eorum, quod Clis vulgariter appellatur, permutans ipſum, eis cum ſuis pertinentiis ex abundanti nihilominus perpetuo conceſſiſſet; & poſtmodum chariſſimus in Chriſto filius noſter Bela Rex Hungariæ illuſtris, filius ipſius Andreæ, permutationem & ceſſionem hujuſmodi ratam habens, eas, prout ſpectabat ad eum, duxerit confirmandas. Populus tamen, & homines habitatores ejuſdem caſtri contra dictum Magiſtrum & Fratres, ſpiritu rebellionis aſſumpto, caſtrum ipſum temere occupantes, munitionibus & fortalitiis ipſius deſtructis, nolunt, prout tenentur, eiſdem Magiſtro & Fratribus ſuper his intendere, aut eis debita exhibere ſervitia, & de aliis ſuis juribus reſpondere, in ipſorum Magiſtri & Fratrum præjudicium & gravamen. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus inquiſita ſuper his de plano & ſine judicii ſtrepitu veritate, ſi rem inveneritis ita eſſe, populum & homines ſupradictos, quod eiſdem Magiſtro & Fratribus, dicto caſtro eis prius libere reſtituto, debita ſervitia exhibeant, & ſuper aliis ſuis juribus intendant, ac reſpondeant, ut tenentur, nec non de damnis & injuriis ſibi ſuper hoc illatis ab eis debitam ſatisfactionem impendant, monitione præmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, ratione prævia, cogatis; non obſtante ſi aliquibus a Sede Apoſtolica ſit indultum, ut per litteras Sedis ejuſdem excommunicari, aut interdici nequeant, vel ſuſpendi, vel conſtitutione de duabus dictis edita in Concilio generali, dummodo ultra tertiam, vel quartam aliquis extra ſuam diœceſim, auctoritate præſentium, ad judicium non trahatur. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel amore ſubtraxerint, per cenſuram eandem, appellatione ceſſante, cogatis veritatis teſtimonium perhibere. Quod ſi non omnes iis exequendis potueritis intereſſe, tu Frater Archiepiſcope cum eorum altero nihilominus exequeris. Datum Anagniæ V. menſis Julii, Pontificatus vero anno primo, ideſt 1255.

Sed vereor ne apud Sibenicenſes amor libertatis impatiens cujuslibet dominatus, præterquam regii & ſupremi, plus valuerit, quam auctoritas pontificia, & metus pœnarum eccleſiaſticarum eiſdem injectus. Nulla enim extant illorum temporum monumenta, ex quibus appareat Sibenicenſes ſub imperio Equitum Templarium fuiſſe; ſed iiſdem, quibus ceteri Dalmatæ, mutationibus dominorum obnoxii, alias a Ducibus Venetorum, alias a Regibus Hungariæ leges & rectores urbis acceperunt. Sæculo decimo quinto ineunte, primi omnium Dalmatarum ultro ſe in poteſtatem Venetorum conſtanti ac perpetua fide tradiderunt.

Sibenicenſes modo Venetis, modo Hungaris paruerunt, demum Venetis.

Nunc vero ad rem chriſtianam & eccleſiaſticam Sibenicenſem calamum convertamus. Poſt everſionem urbis, ac diſperſionem civium Belgradenſium, ut oppidi frequentia & nobilitas aucta eſt, ſic numerus crevit ac dignitas cleri eccleſiæque Sibenicenſis. Sub idem fere tempus ad decus civitatis & incrementum religionis acceſſit cœnobium Benedictinum S. Nicolai in ipſo ferme litore ab Sibenicenſibus ædificatum. Abbas monachorum, Archipresbyter clericorum collegio præſidebat. Utrumque a monachis, vel clericis electum Epiſcopus Tragurienſis approbare, conſtituere, atque in poſſeſſionem utriuſque præfecturæ monachalis & eccleſiaſticæ mittere ſolebat: nam Sibenicum intra fines diœceſeos Tragurienſis continebatur, hujuſque pars erat præcipua & nobilior. Concilium provinciale Spalatenſe, quod ſub Petro VII. Archiepiſcopo habitum fuit anno 1185. ſuas cuique Epiſcopo provinciali parœcias adſcripſit, ac Tragurienſi quidem Sibenicum attribuit: *Tragurienſis Epiſcopus habeat has parochias, Trag. Drid,*

Sibenicum diœceſi Tragurienſi attributum.

Drid, *Sibenicum*, *& totum Comitatum Zagoriæ*. Templum primarium Sibenici titulo ac patrocinio S. Jacobi Apoſtoli ſuberat, & jure ac privilegiis eccleſiæ collegiatæ præditum fuiſſe veriſimile eſt, in quo Archipresbyter cum Canonicis, aliiſque inferioris ordinis Presbyteris & clericis, pſalmodiæ, rebuſque divinis operam dabant horis matutinis & veſpertinis. Cura animarum & ſacrorum adminiſtratio erat præcipue penes Archipresbyterum, cui delecti quidam ex Capitulo & clero adjutricem operam navabant.

Prima controverſia cleri Sibenicenſis cũ clero Tragurienſi.

Cum igitur res publica & eccleſiaſtica Sibenicenſis non modo civium numero & opulentia, ſed etiam eccleſiaſtici ordinis incremento & amplitudine auctior in dies atque illuſtrior fieret; clerus populuſque indigne ferebat ſe ſubjectos eſſe Epiſcopo Tragurienſi, ſuamque civitatem & eccleſiam dignam eſſe putabant, quæ titulo ac ſede epiſcopali donaretur. Hinc multiplices lites & diſcordiæ inter Sibenicenſes & Tragurienſes aliæ ex aliis exortæ. Prima fuit controverſia Sibenicenſi cum clero Tragurienſi de donis ac muneribus, quæ ab chriſtiana plebe offerri ſolebant in conſecrationibus eccleſiarum urbis ac territorii Sibenicenſis: ex his ſiquidem partem dimidiam Sibenicenſes ſibi deberi ajebant; contra vero Tragurienſes quidquid oblatum fuiſſet, totum id ſibi atque integrum vindicabant. Peropportune anno 1197. cum Sedes metropolitana vacaret, Spalatum convenerant Epiſcopi provinciales ad comitia archiepiſcopalia. Ad hos igitur atque ad Capitulum Spalatenſe controverſia illa delata fuit. Hac ſuper re Michaelem Epiſcopum Tragurii & Sibenici interrogandum, ejuſque teſtimonio ſtandum eſſe cenſuerunt. Juſſus eſt Matthæus Epiſcopus Corbavienſis de antiqua conſuetudine Epiſcopum Tragurienſem percunctari. Hic cum pro rei veritate teſtimonium dixiſſet, ita compoſita lis eſt, ut de rebus oblatis pars una Epiſcopo, altera Tragurienſibus, tertia Sibenicenſibus clericis obveniret; jus tamen eas colligendi, cuſtodiendi, dividendi eſſet penes clerum Tragurienſem. Sententiam hujus compoſitionis deſcriptam habes in Michaele Epiſcopo Tragurienſi.

Alterã cum Treguano Ep. & Capit. Tragurien. Thomas Archidiaconus & Capit. Spalatenſe compoſuit.

Altera controverſia clero Sibenicenſi fuit cum Treguano Epiſcopo & Capitulo Tragurienſi. Treguanus electum a Sibenicenſibus Archipresbyterum pro ſuo jure approbaverat, atque ordinaverat. Sed in tabulis hujuſmodi approbationis, ſive ordinationis quædam præſcripta fuerant, quæ privilegiis atque immunitatibus cleri Sibenicenſis officere videbantur, & quædam onera impoſita erant, quibus Archipresbyterum ſuum exemptum eſſe clerici illi contendebant. Itaque ne quid præjudicii ac detrimenti ex illis tabulis ſibi & eccleſiæ ſuæ crearetur, illum cum hujuſmodi conditionibus admittere noluerunt, aperteque rejecerunt. Præterea contempto interdicto, cui ob hanc cauſſam illos ſubjecerat Epiſcopus Tragurienſis, Thomam Archidiaconum & Capitulum Spalatenſe appellarunt. Cum ergo Treguanus cum ſuo Capitulo, & clerus Sibenicenſis, cauſam pro ſe quiſque dixiſſet; Thomas Archidiaconus & Canonici Spalatenſes ſententiam tulerunt, quæ cum actis judicialibus deſcripta eſt in tabulis publicis, quarum exemplum e Commentariis Tragurienſibus Joannis Lucii deſumpſimus.

In nomine Domini, amen. Cum inter Ven. virum Treguanum Epiſcopum & Capitulum Tragurien. ex una parte, & clerum Sibenicen. ex altera, coram Thoma Archidiacono & Capitulo Eccleſie Spalaten. queſtio verteretur. Proponebat enim dictus Epiſcopus cum ſuo Capitulo porrecto libello hoc modo. Petit a vobis Domine T. Archid. Spalat. Treguanus Epiſcopus reſtitutionem Archipresbyteri Sibenicen. Item plenariam ſatisfactionem de contempto interdicti mandato; item expenſas propter fruſtratoriam appellationem ad vos emiſſam per Sibenicenſes, de quibus igitur premiſſis juſtitiam flagitat pleniorem ſalvo jure &c. Ecce pars Sibenicenſium reſpondebat debere quoddam inſtrumentum reſcindi, quod in prejudicium dicebat doloſe confectum, quando eorum Archipresbyter fuerat ordinandus. Cum ergo predicte partes ſuper his aliquandiu litigaſſent, Archidiaconus & Capitulum recepto ad manus ſuas prefato inſtrumento, & diligenter inſpecto, habito inter ſe diligenti conſilio, talem ſententiam ſuper premiſſis promulgarunt.

In primis ergo reſtituerunt predictum Archipresbyterum in plenitudine ſue dignitatis, & officii, quibus ab eiſdem Sibenicenſibus privatus erat. Preterea laniato inſtrumento predicto per ſententiam preceperunt, ut in ſuo robore manentibus, quod ad jus commune pertinet, videlicet ut dictus Archip. debitam obedientiam & reverentiam exhibeat predicto Epiſcopo & ejus ſucceſſoribus, excipiendo ipſum ad hoſpicium, & congruam ei procurationem, ut moris eſt, exhibendo, & quoties ab eodem Epiſcopo citatus fuerit, ad eum accedere teneatur. In aliis vero, que ſpecialia ſunt, in quibuſdam xeniis preſtandis, vel non preſtandis, nihil ad preſens ſtatuerunt, ſed ſalvum ſit jus utrique parti petendi, vel negandi ſpecialia ſupradicta. De interdicti contemptu, quamvis de jure puniri poſſent, tamen ex beneplacito ejuſdem Epiſcopi eorum ſimplicitati miſericorditer indulſerunt. Et quia eumdem Epiſcopum fruſtratorie fecerant fatigari & expendere, condempnaverunt eoſdem clericos Sibenicen. ad ſolutionem quinquaginta ſoldorum denariorum, Spalat. vel Ven. monete, eidem Epiſcopo faciendam nomine expenſarum. Actum in curia archiepiſcopali, preſentibus videlicet jam dicto Epiſcopo, magiſtro G. Arben. electo, G. Primicerio, & Drago Canonico, & quibuſdam aliis clericis Tragurii; de Sibenico vero predicto Archipresbytero, Abbate S. Nicolai, Tolano, Joanne, Ogari, Petro, & Slautio Presbyteris, Griſogono, & Drimintio, & aliis quam pluribus clericis, & laicis, Dragovano, Marichna, Boſdano judice, & Gregorio filio Ulcinne. Dat. Spal. A. D. 1240. menſe Febr. die tertio intrante, Indictione 14. preſentem vero paginam bulla Capituli communiri fecerunt.

Treguani Ep. Trag. in clerum Sibenicenſem indulgentia ab Hugrino Metropolita Spal. coercita.

Satis apparebat, quo ſpectarent conſilia & molimina clericorum Sibenicenſium; eccleſiaſtici juris & honoris gradu ſuperiorem eſſe clerum Tragurienſem ægre ferebant, ac velle videbantur ſe cum illo æquari, ac propemodum pares eidem eſſe, aut certe non omnino inferiores. Horum arrogantiæ viſus eſt obſecundare Treguanus Epiſcopus, qui ut paci conſuleret, lites vitaret, eorumdem precibus adduci ſe paſſus fuerat, ut Sibenici Archipresbyterum & Abbatem S. Nicolai ſollemni formula rituque ordinaret, clericos ſacris ordinibus initiaret, aliaque juriſdictionis ac poteſtatis epiſcopalis munera in eadem urbe obiret. Quocirca Canonici Tragurienſes veriti, ne id præjudicio foret eccleſiæ cathedrali, de hujuſque auctoritate ac di-

gni-

gnitate aliquid derogaret, ab Hugrino Metropolita Spalatenſi decretum impetrarunt, quo veruit ac ſancivit, ne hujuſmodi functiones epiſcopales alibi, quam in æde cathedrali Tragurienſi peragi liceret: quam ſententiam Treguanus recepit, & approbavit; idque teſtatum eſſe voluit publicis litteris, quarum exemplar in hiſtoria Eccleſiæ Tragurienſis ſub Treguano Epiſcopo deſcriptum habes. De anathemate ob cauſſam neſcio quam ab Hugrino Sibenicenſibus inflicto, vide epiſtolam Innocentii Papæ ad Epiſcopum Tragurienſem in actis ejuſdem Metropolitæ cap. II. §. 1.

Ex eccleſiaſticis civiles, ut fit, diſcordiæ inter Tragurienſes & Sibenicenſes exortæ ſunt, quas Vido Poteſtas Tragurii, & Daniel Comes Sibenici, de communi utriuſque partis conſenſu delecti arbitri compoſuerunt anno 1250. Tabulæ compoſitionis extant apud Lucium lib. 3. cap. 2. Monum. Tragurien. Biennio poſt itidem compoſitæ ſunt variæ & multiplices controverſiæ de iis, quæ ad jus epiſcopale Tragurienſis Eccleſiæ pertinebant. Stanimirus Archipresbyter, & primores clericorum ex mandato & nomine totius cleri Sibenicenſis, coram Archidiacono & Capitulo Spalatenſi declarant & fatentur ſe ac ſuam eccleſiam in fide eſſe ac poteſtate Tragurienſis Epiſcopi, cui ad omnia, quæ præſtari debent Epiſcopo ex præſcripto ſacrorum Canonum, & nominatim ad quædam, de quibus diſſidebant, obedientiam, atque obſequium jurati pollicentur. Hanc cleri Sibenicenſis confeſſionem actis Treguani Epiſcopi Tragurienſis inſeruimus.

Stanimirus Archipr. Sibenicenſe & clerum ſuum Eccleſiæ Tragurien. ſubjectum eſſe profitetur.

Verum quæ paullo poſt conſecuta ſunt, ſatis declarant Sibenicenſes non vere & ex animo, quæ promiſerant, promiſiſſe, ſed neceſſitate quadam coactos ac metu, ne Belam IV. Regem Hungariæ offenderent, qui anno 1251. cum in Dalmatiam veniſſet, ſuam erga Tragurienſes, ad quos ante annos novem Tartaris a tergo ingruentibus confugerat, eximiam voluntatem plurimis maximiſque beneficiis in eo collatis ſignificaverat; nec minus civitatis, quam eccleſiæ illius utilitati ac dignitati favebat. Itaque nec promiſſis ſteterunt, & Epiſcopo quas debebant ſolvere, decimas denegarunt. Quam ob cauſſam Treguanus Epiſcopus Stanimiro Archipresbytero, Tollio, Ragoſio, Joanni Presbyteris, Stritoque Diacono, quod ſe ceteris contumaciores contra jus & auctoritatem epiſcopalem ſe præberent, nominatim ſacris interdixit, ut eſt apud Lucium lib. 3. cap. 2. Monum. Tragurien. Nec vero illi propterea aut rem divinam facere, aut eccleſiaſticis officiis fungi deſierunt. Quocirca communicatis inter ſe & cum primoribus civitatis & cleri conſiliis, omnia conari & moliri decreverunt, ut ſe Tragurienſis Epiſcopi poteſtate omnino eximerent, & proprium ab Sede Apoſtolica Epiſcopum impetrarent. Id quo facilius aſſequi poſſent, Rogerium Archiepiſcopum Spalatenſem fautorem ſibi adjutoremque adſciſcendum eſſe cenſuerunt, quem auctoritate & gratia valere plurimum apud Innocentium IV. ſciebant. Hic vero ſive ut novo epiſcopatu Metropolim Spalatenſem augeret, ſive Sibenicenſibus gratificandi ſtudio impulſus, illorum cauſsæ patrocinium haud libentius, quam promptius ſuſcepit. Quæ licet clam occulteque agerentur, non adeo tamen latere potuerunt, quin Treguano ſuſpicio aliqua ſubolueiit; iſque ut Sibenicenſium conatibus obviam iret, ſcripſit ad Innocentium IV. qui poſt interitum Friderici eccleſiæ hoſtis e Gallia in Italiam redierat. Nihil ille quidem de clandeſtinis conſiliis & machinationibus Sibenicenſium, de quibus ſuſpicabatur quidem, at nihil certum & exploratum habebat: duo poſtulavit, alterum ut quæ Sibenicenſes coram Archidiacono & Capitulo Spalatenſi ex compoſitione utrinque approbata polliciti ac profeſſi fuerant, rata & perpetua eſſe decerneret; alterum ut pacta & promiſſa a Sibenicenſibus præſtari ſervarique pro ſua maxima & ſuprema poteſtate imperaret. Pontifex utrumque præſtitit; ejuſque reſcriptum datum Laterani XI. Kal. Maji, Pontific. anno XI. ideſt an. 1254. videre licet in hiſt. Eccl. Tragurien. ſub Treguano. Deinde Laurentio Periandro Archiepiſcopo Jadrenſi per litteras eodem die locoque datas mandavit, ut auctoritate & comminatione pontificia interpoſita juberet, cogeretque Sibenicenſes ea præſtare, de quibus per compoſitionem inter ipſos & Epiſcopum convenerat. Paruit Laurentius, & cum clerus Sibenicenſis neque pontificiis mandatis obtemperare, neque citatus adeſſe voluerit, ſententiam anathematis ab Treguano latam in abſentes renovavit & confirmavit, urgente atque inſtante Gregorio Canonico Tragurienſi Epiſcopi procuratore; nec vero illos unquam in communionem eccleſiaſticam reſtitutum iri denunciavit, niſi ob neglectam decimarum biennii proximi ſolutionem, libras ducentas & quinquaginta Epiſcopo Tragurienſi numerarent. Hæc tradit Lucius lib. 3. cap. 2. Monum. Tragurien. Epiſtolæ Innocentianæ ad Laurentium, & ſententiæ ab hoc prolatæ exemplum habes in hiſtoria Eccleſiæ Tragurienſis.

Laurentius Metropolita Jadertinus juſſu Innocentii IV. P. ſententiam anathematis confirmat.

Sibenicenſes deſiciunt a promiſſis, & excommunicantur a Treguano Epiſcopo.

Interea Sibenicenſes negotium ſuum agere, remque urgere non deſiſtebant, & impetratis, ut veriſimile eſt, ab Rogerio Archiepiſcopo litteris intra finem Aprilis an. 1254. ad Pontificem commendatitiis, quod fortaſſis antea Rogerio perſuaſerant homini alienigenæ & rerum veterum Dalmaticarum ignaro, idem Innocentio perſuadere conati ſunt, videlicet ſuum olim Sibenico fuiſſe & proprium Epiſcopum; quapropter orare ſe, & obſecrare Pontificem, ut vellet ac juberet huic civitati ſedem antiquam epiſcopalem reſtitui; ita fore, ut omnium diſſidiorum, quæ identidem inter Epiſcopum Tragurii & clerum Sibenici oriebantur, cauſſa & materia omnis amoveretur. Æqua viſa eſt poſtulatio, ſi quidem veritate niteretur. Itaque Innocentius, ut fama fuit, reſcripſit ad Rogerium Archiepiſcopum Spalatenſem, eique imperavit, ut, ſi vera eſſe comperiſſet, quæ ſibi oratores Sibenicenſium de antiquo epiſcopatu illius oppidi expoſuerant, illis jus poteſtatemque eligendi Epiſcopi ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ reſtitueret; electum, ſi dignum eo nomine ac tanto muneri aptum cenſeret, approbaret, conſecraret, mitteretque in poſſeſſionem Eccleſiæ Sibenicenſis. Ceterum ex epiſtola Innocentii paullo poſt deſcribenda dubitari poteſt, dederitne Innocentius illas ad Rogerium litteras, an finxerint Sibenicenſes datas fuiſſe. Hujus itaque epiſtolæ ſeu veræ, ſeu fictæ, ad Rogerium allatæ fama ſimul atque ad aures Treguani pervenit, hic ſtatim convocato Capitulo duos procuratores, qui Eccleſiæ Tragurienſis cauſſam agerent, delegit Petrum Calzam juris peritum, & Gauſinam Primicerium. Hi Spalatum ad Rogerium adeuntes poſtularunt, ut

Sibenicenſes ab Innocentio litteris Rogerii commendatitiis interpoſitis jus habendi eligendique Epiſcopi extorquere conantur.

ſibi

ſibi exemplum epiſtolæ pontificiæ traderetur, aut ejus inſpiciundæ poteſtas fieret. Utrumque abnuit Rogerius; ſive, ut tradit Lucius loco ſupra laudato, reſpondit epiſtolam ab ſe tranſmiſſam eſſe ad Regem Hungariæ; nec vero quid in ea ſcriptum eſſet, ſibique mandatum, aperire voluit. Quare Procuratores Tragurienſes, teſtibus adhibitis, denunciarunt quidquid Pontifex de inſtituendo Epiſcopatu Sibenicenſi decreviſſet, id dolo malo ac fraude ſurreptum eſſe: ſi quid autem Rogerius tentaret, aut faceret, quod detrimento eſſet Eccleſiæ Tragurienſi, iterum denunciant, ac declarant id omne irritum fore; ab ejus actis & conſtitutis ad Sedem Apoſtolicam appellant. Tum Romam profecti de mala fide & fraude Sibenicenſium Pontificem docent: qui hujus controverſiæ dirimendæ poteſtatem delegavit Archiepiſcopo Jadertino, Epiſcopo Scardonenſi, & Archidiacono Eccleſiæ Nonenſis, ut litteræ ad eos ſcriptæ declarant, quas hic ſubjicio.

Epiſtola Innocentii ad Archiep. Jadren., Epiſc. Scardonenſe, & Archidiac. Nonen.

Innocentius venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Jadrenſi, Epiſcopo Scardonenſi, & dilecto filio Archidiacono Nonenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sua nobis venerabilis Frater noſter Epiſcopus, & dilecti filii Capitulum Tragurienſe in Dalmatia, petitione monſtrarunt, quod licet Caſtrum Sibenicenſe Tragurienſi Eccleſiæ, quæ cathedralis fuit a tempore, cujus memoria non exiſtit, ſit lege dioceſana ſubjectum, & eccleſia ipſa in poſſeſſione hujuſmodi ſubjectionis exiſtat; tamen clerus & populus dicti Caſtri, hoc malitioſe ſuppreſſo, & nobis falſo ſuggeſto, quod ſedem epiſcopalem hactenus habuiſſent, quodque idem clerus vellet ſibi de Epiſcopo providere; noſtras ad venerabilem Fratrem noſtrum Spalaten. Archiep. loci Metropolitanum ſub certa forma litteras impetraſſe dicuntur, ut ſi res taliter ſe haberet, facultatem eligendi Epiſcopum eidem clero concederet, ac præſentatam ſibi electionem hujuſmodi, prout ad eum pertinet, confirmaret; & cum præfatus Archiep. ſuper hoc prætextu litterarum ipſarum procedere niteretur, ſupradictus Epiſcopus & Capitulum rem ſuam agi conſpicientes, ac metuentes ſibi & Tragurien. Eccleſiæ præjudicium exinde generari, petierunt humiliter ab eodem Archiep. ſibi fieri litterarum copiam earumdem; ſed cum idem copiam hujuſmodi, quam nunquam habuerat, eis contra juſtitiam facere denegavit; fuit pro parte ipſorum ad noſtram audientiam appellatum, & inſtanter petitum, ut gravi diſpendio, quod ex præmiſſis ſibi & eidem Tragurien. Eccleſiæ immineret, occurrere paterna ſollicitudine curaremus. Quocirca fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis inde propoſitis, cauſa hujuſmodi, ſi de partium voluntate proceſſerit, intra tres menſes a receptione præſentium judicio, vel concordia terminare curetis, facientes quod decreveritis per cenſuram Eccleſiæ firmiter obſervare; alioquin ex tunc cauſam ipſam inſtructam vel non inſtructam ad noſtrum remittatis examen, præfixo partibus termino peremtorio competenti, quo per ſe, vel procuratores idoneos ſufficienter inſtructos cum omnibus rationibus & munimentis ſuis, eamdem cauſam contingentibus, compareant coram nobis facturi & recepturi ſuper præmiſſis, quod ordo dictaverit rationis; non obſtante conſtitutione, De duabus ut dictis, edita in Concilio generali, dummodo ultra tertiam, vel quartam extra ſuam dioceſim pars altera auctoritate præſentium ad judicium non trahatur: teſtes autem qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, per cenſuram eandem, appellatione ceſſante, cogatis veritati teſtimonium perhibere: diem vero citationis & formam nobis per veſtras litteras harum ſeriem continentes ſtudeatis fideliter intimare; quod ſi non omnes iis exequendis intereſſe poteritis, duo veſtrum ea nihilominus exequantur.

Dat. Anagniæ V. Idus Julii, Pont. noſtri anno XII., ideſt 11. Julii, anno 1254.

Nullus dubito, quin pontificiis mandatis obtemperatum fuerit ab eis, ad quos ſpectabant; ſed poſt inquiſitionem ex formula ſibi præſcripta adhibitam, quid ipſi decreverint, vel ad Innocentium reſcripſerint, memoriæ proditum non eſt. Neque illud conſtat, utrum judices delegati ſententiam tulerint, an vero, cum eorum judicio ſtare vel neutra vellet, vel altera pars nollet, rem injudicatam reliquerint, cauſamque integram ad Pontificem remiſerint. Certe hujus controverſiæ dirimendæ facultatem mors Innocentio præripuit. Is quidem intra finem ejuſdem anni 1254. VII. Id. Decembr. diem obiit ſupremum, eique ſubſtitutus eſt Alexander IV. XII. Kal. Januarii. Nihilo ſegnius Sibenicenſes conniti apud novum Pontificem atque inſtare, ut ſibi peculiarem ac proprium ſuæ urbis Epiſcopum daret; jamque collegio Presbyterorum Sibenicenſium nomen dignitatemque Capituli attribuerant. Duos itaque oratores Romam miſerunt, P. Canonicum una cum Judice illius oppidi; quibus litteras dederunt ad Stephanum Epiſcopum Prænestinum orantes obſecranteſque, ut iiſdem oratoribus faveret, adjutorque eſſet ad rem bene gerendam, & cauſſæ Sibenicenſis patrocinium apud Alexandrum ſuſciperet.

Sibenicenſes cauſſam Eccleſiæ ſuæ commendant Stephano Epiſcopo & Cardinali Prænestino.

Ven. in Chriſto Patri & D. St. D. G. Epiſcopo Prænestino Commune, Archipresbyter, ac Capitulum de Caſtro Sibenich, de provincia Spal., ipſius fideles & devoti ſui recommendationem ad omnia ipſius beneplacita & perpetua mandata. Cum nos P. Canonicum eccleſie noſtre, & notar. noſtri Communis, & D. Judicem noſtri Caſtri, viros providos & diſcretos, ad ſanctam Sedem Apoſtolicam ſub firma veſtri patrocinii fiducia ſuper quibuſdam arduis noſtri Caſtri negotiis per veſtrum auxilium promovendis, duxerimus deſtinandos; veſtre paternitati cum omni devotione ſupplicamus, quatenus predictos noſtros nuncios, ſindicos, & procuratores in noſtris negotiis ad vos revertentes benigne recipere, & in eorum perſonis noſtre eccleſie & Communitati omni conſilio, auxilio, & favore velitis aſſentiri, & per veſtrum patrocinium erga D. Papam & Fratres veſtros efficaciter intentum, noſtrum perpetuo gaudere poſſimus eſſe tam ſalubre deſiderium adimpletum, & ab hoc ad multiplicia perpetue recognitionis ſervitia & honores vobis & veſtris naturaliter obligemur aſtricti.

Datum menſe Octub. in feſto S. Luce Evangeliſte.

Hæc epiſtola data fuerit neceſſe eſt anno 1255. eo quippe tempore adhuc Romæ verſabatur Stephanus Epiſcopus Prænestinus, qui permiſſu Innocentii IV. cum Prænestino Epiſcopatu & purpura cardinalitia retinuit, vel reſumpſit Archiepiſcopatum Strigonienſem, ut eſt apud Ughellum in Epiſcopis Prænestinis; quippe intra finem anni 1254. poſt obitum Innocentii comitiis pontificalibus interfuit, ut docet auctor *Purpuræ Hungaricæ*; quin immo Romanam ſuam com-

commorationem perduxit usque ad annum 1257. & hoc anno in urbe fuisse monumenta illorum temporum apud eundem auctorem declarant. Interea mortuus est Treguanus Episcopus Tragurienſis ; in ejus locum Columbanus ſubrogatus nihil ſtudii operæque prætermiſit, ut Sibenicenſes ad officium & obſequium revocaret. Id cum demum obtinuiſſet, poteſtatem exſolvendi Sibenicenſes vinculis anathematum, quibus ex ſententia deceſſoris illigati fuerant, ab Alexandro petiit impetravitque, ut conſtat ex Alexandri epiſtola ad Columbanum data anno 1260. quæ in hujus actis deſcripta eſt. In iiſdem actis videre eſt epiſtolam alteram Alexandri ad Archidiaconum Spalatenſem, qua ſententiam Archiepiſcopi Jadrenſis adverſus Sibenicenſes confirmat. Hinc intelligi poteſt Sibenicenſes anno 1260. vel ſuperiori ad priſtinam erga Epiſcopum & Eccleſiam Tragurienſem obedientiam rediiſſe.

Columbanus Ep. Trag. Sibenicenſes cenſuris, quibus erant obſtricti, exemit.

Verum acerbæ illæ diuturnæque diſcordiæ & contentiones, quæ clerum Sibenicenſem ab Treguano Epiſcopo disjunxerant, huic facultatem ademerant illius oppidi ſtatis temporibus luſtrandi, adhibendique remedia neceſſaria ad gregem illum, ejuſque paſtores curandos. Interea mores clericorum, præſertim eorum, qui ſacris ordinibus initiati erant, magis magiſque lapſi cœperant præcipites ire ; jamque illi ſalutis atque honeſtatis immemores, ſolutique ab omni freno inſpectionis & correctionis epiſcopalis, in tantam vivendi licentiam proruerant, ut veriti non eſſent uxores palam ducere ac retinere, ipſomet Archipresbytero ſacrilegæ hujus incontinentiæ exemplum præbente. Quamvis autem Columbanus ſibi & Eccleſiæ ſuæ Sibenicenſes reconciliaſſet, non propterea tamen ex illorum animis ſpem cupiditatemque ſedis epiſcopalis obtinendæ prorſus exemerat ; neque res adeo quietæ & pacatæ videbantur, quin periculum foret, ne veteres diſcordiæ potius ſopitæ, quam extinctæ, acrius exardeſcerent, ſi jus epiſcopale plenum integrumque in eos exercere voluiſſet, atque in apertam illam profligatamque Sacerdotum incontinentiam, pro eo ac leges eccleſiaſticæ requirunt, ſeveriſſime animadverteret. Itaque duxerat ſatius eſſe ac tutius ab oppido illo cleroque adeundo, corrigendo, ac reformando tantiſper abſtinere, dum rei bene gerendæ major ſpes affulgeret, quam illorum animos male affectos acrioribus, quæ adhiberi oportuiſſet, remediis irritare, ſeque & auctoritatem ſuam in aliquod diſcrimen committere. Anno 1266. Joannes V. hoc nomine ex ordine S. Franciſci ad Pontificatum Spalatenſem evectus eſt, vir ſingulari doctrina & eximia prudentia præditus. Hunc adiit Columbanus, de ſoluta admodum diſciplina, corruptiſque moribus cleri Sibenicenſis admonuit ; rogavit atque obſecravit, ut quod a ſe præſtari poſſe diffidebat, ille pro majori, qua pollebat, auctoritate, tot ac tantis malis remedium afferret. Joannes itaque cum ipſo Columbano & duobus Epiſcopis Pharienſi & Scardonitano, cum Abbate S. Stephani de Pinnis, & pluribus aliis ex utroque Prædicatorum & Minorum ordine religioſis viris Sibenicum acceſſit anno 1267., & Archipresbyterum, tres Presbyteros, tres Diaconos, duos Subdiaconos concubitus ſacrilegi compertos, iis, quibus digni erant, pœnis ac cenſuris affecit. Archipresbytero nominatim *præcepit quod ſit obediens D. Epiſcopo Tragurienſi*. Duos præterea cœnobiarchas, alterum S. Nicolai in litore portuque Sibenicenſi, alterum S. Mariæ in inſula Surio, *quia carnes comederunt indifferenter, contra Regulam S. Benedicti, & quia ſine monachis ſteterunt, decem ſextas ferias jejunare in pane & aqua, & decem miſſas pro peccatis legere juſſit*. Lata eſt hæc ſententia anno 1267. cujus exemplar integrum habes in Joanne V. Metropolita Spal. Cap. 1. §. 1. Extat etiam epiſtola Clementis IV. P. ad Columbanum, qua confirmat compoſitionem, quam inter ipſum Epiſcopum Columbanum & Sibenicenſes faciendam curaverat Archidiaconus & Capitulum Spalatenſe. Data eſt VI. Kal. Martii anno 1268. & actis Columbani Epiſcopi Tragurienſis inſerta.

Corruptos cleri Sibenicenſis mores per Joannem Metropolitam Spalatenſem corrigendos curat.

Exinde per aliquot annos Archipresbyter & clerus Sibenicenſis, quam debebant, Epiſcopo obedientiam præſtiterunt. Anno 1273. Archipresbyter Sibenicenſis mortuus eſt : ecce autem nova turba atque diſcordia. Stantius in ejus locum ſuffectus competitorem habuit Michaelem Diaconum, qui repulſam ægre ferens ejus electioni vehementer interceſſit, perinde quaſi non fuiſſet legitima. Columbanus Epiſcopus veritus ne quo vitio canonico infecta eſſet electio illa, novum Archipresbyterum, quem Sibenicenſes coram Epiſcopo conſtituerant, ut Sacerdotium eidem collatum de more confirmaret, abſente & inaudito Michaele, nec recipere, neque approbare voluit. Id vero nimium quantum animos Sibenicenſium exacerbavit ; Joannem Metropolitam appellarunt, qui viſus eſt eis favere, atque appellationem admittere. Hæc Joannes Lucius lib. 3. cap. 4. Monum. Tragurienſium. Deinde Sibenicenſes haud obſcuris argumentis ſuam ab Epiſcopo Tragurienſi defectionem declararunt. Nam primum quidem anno proximo 1274. ſacrum Chriſma ab eo petere noluerunt ; poſtea vero decimas eidem, ceteraque omnia debitæ adverſus eum obedientiæ officia denegarunt, & quem Columbanus ad exigendas decimas miſerat, verberibus cæſum repulerunt ; ad extremum palam aperteque deſciverunt, & Paullum Eritium patria Venetum, Canonicum Strigonienſem in Epiſcopum ſibi elegerunt. Quemadmodum vero Stantii Archipresbyteri, ſic etiam Paulli Epiſcopi electionem, ut Joannes Metropolita ratam haberet approbaretque, & manus huic imponeret, illum quamvis invitum ac repugnantem impulerunt. Siquidem Sibenicenſium poſtulata nitebantur favore ac patrocinio Comitum Breberienſium, qui ea tempeſtate maximis opibus, copiiſque pollebant, nemo ut eſſet, qui non illos metueret, quive illis obſiſtere atque adverſari auderet. Horum igitur non tam efflagitatu, quam coactu, præſertim Paulli de Breberio Comitis & Prætoris Spalati, Joannes Metropolita Paullum electum Sibenicenſem vel invitus approbare & conſecrare debuit : id quod ipſemet Joannes in quadam ſua juridica declaratione poſtea teſtatus eſt. *Quem nobis*, inquit, *cum Dominorum potentia, non cum jurium monumentis, nec electum canonice, cum epiſcopalem electionem & ſedem numquam habuerint, potentiſſime præſentarunt, ut ſibi manus imponeremus, & munus conſecrationis demum donaremus . . . . Ipſorum inſultus ferre non valentes, & periculum, non rerum tantummodo, ſed quod gravius erat, perſone noſtre veraciter formidantes &c.* Hæc cum perlata fuiſſent ad Columbanum Epiſcopum Tragurienſem, ille Spala-

Nova cauſſa diſſidiorum inter Ep. Trag. & clerum Sibenicenſem.

Sibenicenſes Paullum Eritium in Epiſcopum ſibi eligunt.

Gervaſius Archidiac. Tragurien. a Columbano Spalatū miſſus acta omnia Joannis Metropolitæ irrita eſſe declarat, & Sedem Apoſtolicam appellat.

latum miſit Gervaſium Archidiaconum, qui nomine ſuo, publice, & ex juris formula denunciaret irritum eſſe quidquid Joannes feciſſet, aut decreviſſet, quod juriſdictioni Eccleſiæ Tragurienſis officeret; Stantio Archipresbytero & primoribus quibuſdam cleri Sibenicenſis, quod jus ejuſdem eccleſiæ imminuere ac violare pergerent, judicibus & conſiliariis ejuſdem oppidi, quod decimas Epiſcopo ſolvere nollent, ſollemnis anathematis pœnam infligeret. Sed Joannes eodem metu urgente, quo coactus fuerat Sibenicenſibus, contra quam voluiſſet, morem gerere, Gervaſium Archidiaconum neque audire, neque admittere voluit; & cum is ad Metropolitanam Eccleſiam ſe contuliſſet, indidem illum expelli juſſit, ut eſt in quadam teſtificatione juridica Saraceni Epiſcopi Corbavienſis, de qua infra: *Cum propter hæc & nonnulla alia*, inquit, *gravamina miſiſſet* (Columbanus) *virum probum & diſcretum nuncium ſuum & procuratorem Gervaſium Archidiaconum eccleſiæ ſuæ ad appellandum, idem Archiepiſcopus ſibi aditum ſuæ preſentiæ denegaſſet, & cum voluiſſet in eccleſia cathedrali appellare, inde feciſſet eum, non ut decuit, vel debuit, ſed ut voluit, & valuit, expelli indecenter &c.* Gervaſius neceſſe habuit egredi ex urbe, & Salonam ſe recipere, qui tum erat vicus exiguus. Illuc advocatis teſtibus, coram Yula Epiſcopo Tininienſi, qui tum Bani maritimi munere fungebatur, conceptis verbis edidit & pronunciavit quæ ſibi a Columbano Epiſcopo mandata fuerant, litteriſque publicis conſignari juſſit, quarum exemplar in hiſtoria Eccleſiæ Tragurienſis deſcriptum eſt. Ad hæc quidquid Joannes Metropolita decreverat & fecerat, contra jus faſque decretum & factum fuiſſe, irritum eſſe, & pro infecto habendum eſſe declaravit, appellavitque ad Sedem Apoſtolicam. Hac denunciatione & declaratione non contentus, adiit Saracenum Epiſcopum Corbavienſem, qui tum forte in illis partibus verſabatur; quæ contra jus auctoritatemque Eccleſiæ Tragurienſis auſi fuerant Sibenicenſes, geſſeratque in eorum gratiam Joannes Metropolita, coram ipſo, aliiſque teſtibus expoſuit, appellationem e ſcripto renovavit, eumque ſimul rogavit, ut quod ipſe contra illorum acta, conatuſque denunciaverat, ſuis ipſe litteris ederet, ac teſtatum relinqueret. Teſtificationem Saraceni deſcriptam habes in hiſtoria Eccleſiæ Tragurienſis.

Columbanus Paullum electum Epiſc. Sibenicenſem, magiſtratus, & clerum Sibenicenſe anathemate ferit.

Eodem anno VII. Idus Auguſti Columbanus Epiſcopus in æde cathedrali S. Laurentii, & frequentiſſimo cleri populique conventu, anathemate feriit, rituque ſollemni declaravit ſegregatos eſſe ab eccleſia, & rerum divinarum communione privatos, arcendoſque ab omnium conſeſſu & colloquio, & nominatim quidem *intruſum ipſorum, qui ſe in Epiſcopum electum appellat, Paulum Canonicum Strigonienſem, Poteſtatem Juriſſam, & majores de caſtro Sibenicenſi, videlicet Dobrinam, Stephanum, Johannem Martini Judices, &c. Stancium Archipresbyt. Tholeonem Diaconum, Stroinium, Radovanum Sacerdotes, Michula diaconum &c. & omnes illos, qui conſilio, auxilio, vel favore hujuſmodi facinoris fuerunt participes;* ideſt qui ad Paullum eligendum conſenſerant; totum autem oppidum Sibenicenſe interdicto ſuppoſuit. Præterea idem Columbanus litteras apoſtolicas a Gregorio X. impetravit, quarum præſidio adverſus molimina Sibenicenſium Eccleſiam ſuam communiret. Has cum integra ſententia Columbani hiſtoriæ Tragurienſi reſervandas eſſe duximus.

Philippus Antiſt. Firmi x Leget. Ap. Paullo anathema denunciat, niſi ab electi nomine abſtineat.

Biennio poſt Columbanus Epiſcopatum dimiſit; huic Joannes ſublectus nihilo ſibi obſequentiores habuit Sibenicenſes. Anno 1279. Philippus Epiſcopus Firmanus Legatus a Nicolao in Dalmatiam & Hungariam miſſus, acta Joannis Metropolitæ, cui Sibenicenſes Epiſcopi, quem elegerant, approbationem extorſerant, irrita fecit; ipſumque Paullum electum Epiſcopum, niſi ab *Electi* vocabulo in poſterum abſtineret, ab eccleſia ſegregatum iri, eique ſacris omnibus interdictum fore denunciavit; ut conſtat ex teſtificatione ejuſdem Joannis Archiep. Spalat. *Quod negotium taliter celebratum D. Philippi Firmani Epiſcopi in partibus Ungariæ tunc temporis Apoſtolicæ Sedis Legati aures & auditum aurium taliter propulſavit, quod in noſtri præſentia, & duorum Epiſcoporum ſuffraganeorum noſtrorum DD. Tinienſis, & Nonenſis, id quod per nos tali compulſione factum fuerat, caſſum totaliter & irritum judicavit, & tamquam indebite actum decrevit carere juribus & robore firmitatis; eidem Paulo ſub pœna excommunicationis præcipiens atque mandans, ut ultra non electus, ſed Paulus ſuo puro nomine vocaretur.* Sed auctoritas Legati Apoſtolici, quamvis eccleſiaſticæ cenſuræ telis armata, nihil profecit: neque Paullus *Electi* nomen dimiſit, neque Sibenicenſes a propoſito ſuſceptoque conſilio deſtiterunt: nam in tabulis Sibenicenſium anno 1279. confectis ſæpe nominatum invenio *Venerabilem virum Paulum electum Sibenicenſem*. Nitebantur ſiquidem Sibenicenſes favore ac patrocinio Comitum Breberienſium, quorum nimia potentia in civitatibus Dalmatiæ fere omnibus dominabatur. Joanni Epiſcopo Tragurienſi electo ſucceſſerat Gregorius anno 1282. qui decrevit Romam proficiſci, & apud Sedem Apoſtolicam eccleſiæ ſuæ cauſſam agere, hujuſque dignitatem ac juriſdictionem defendere; & Commune Tragurienſium de publico ſumptus neceſſarios ad Romanam profectionem eidem ſuppeditari juſſit. Georgius Comes Breberienſis frater Paulli Bani maritimi, & Mladini Rectoris Spalati, tum erat Sibenicenſium idem & Tragurienſium Comes ſeu Prætor. Utriſque civitatibus inter ſe decertantibus cum favere non poſſet, ab neutris ſtare debuiſſet; ſi quidem quam utriſque debebat fidem, ſervare vellet. Sed cum fratribus ipſe quoque operam ſuam in ea controverſia & patrocinium Sibenicenſibus profeſſus fuerat. Itaque ne quid contra officium facere videretur, Tragurium miſit, qui nomine ſuo illius urbis Comitatum ſive præturam renunciaret, moneretque Tragurienſes, ne quid auxilii ab ſe contra Sibenicenſes expectarent; ſuis ipſi rebus conſulerent ac providerent: id quod in tabulis Tragurienſibus notatum invenio: *Item partito facto ſuper ambaſciata retracta in preſenti Conſilio per Joardum ex parte D. Comitis, qui retraxit & dixit, quod quia D. Epiſcopus dicit velle ire ad Curiam Romanam contra Sibenicenſes, ipſe D. Comes remiſit pacem & Comitatum, ſeu officium Comitis; & quod deinde non habeant in eum ſpem, imo cuſtodiant ſe.* Paullus autem Banus maritimus vetuit Gregorium ex urbe diſcedere, atque ad Romanam Curiam adire, ut eſt apud Joannem Lucium lib. 3. cap. 7. Monum. Tragurien. Per idem tempus Joannes Metropolita Spalatenſis Sibenicenſibus ſpem omnem, quam antea oſtenderat, ſui patrocinii auxiliique ademit.

Sibenicenſes nihil de ſuſcepta contentione remittunt freti patrocinio Comitum Breberienſium.

mit. Nam vel ſponte ſua, vel rogatu Tragurienſium Spalato diſcedens, Tragurium ſe contulit; & coram teſtibus in palatio epiſcopali, quidquid invitus & coactus fecerat, atque decreverat ſecundum Sibenicenſes, ante annos ferme tredecim, id omne revocavit, irritum eſſe, & pro infecto haberi juſſit. Tabulas *hujus retractationis anno* 1287. *Indictione* 15. *die Jovis*, 20. *menſis Martii* confectas, deſcripſimus in eodem Joanne Archiepiſcopo.

Paullo electo mortuo Sibenicenſes Leonardum Faletrum ſubſtituunt.

Metropolitæ præſidio & auctoritate deſtituti Sibenicenſes adeo non deſponderunt animos, ut mortuo Paullo Eritio Epiſcopo electo, ſtatim alterum ſibi crearunt Epiſcopum, ſcilicet Leonardum Faletrum Venetum civem, Præpoſitum eccleſiæ S. Angeli Venetiarum. Ut vero Sedi Apoſtolicæ decretum ſibi, ſuiſque conatibus propitium ſurriperent, vide nunc quid excogitarunt. Eccleſiam epiſcopalem neſcio quam olim in Dalmatia fuiſſe confingunt, *Morinenſem* appellatam. Hujus Epiſcopum, Capitulum, & clerum, urbe illa Morinenſi ab Græcis ſchiſmaticis everſa, ad caſtrum Sibenicenſe migraſſe ajunt, ibique Sedem pontificiam Morinenſem collocaſſe; & alia hujuſmodi comminiſcuntur, quæ videre licet in epiſtola pontificia paullo poſt deſcribenda. Legatos Romam mittunt ad Nicolaum IV. qui hæc Pontifici exponant; orent, obſecrentque, ut vellet ac juberet translationem illam ratam eſſe, & apoſtolicæ auctoritatis præſidio firmatam; ſimulque Leonardum Faletrum electum Epiſcopum approbaret. Nicolaus quæ ſibi expoſita fuerant a Legatis Sibenicenſium per ſuas litteras ſignificavit Marcello Epiſcopo Nonenſi, Joanni Abbati monaſterii Jadrenſis S. Chryſogoni, & Jacobo Archidiacono Spalatenſi; eiſdemque mandavit, ut Gregorium Epiſcopum Tragurii, & Leonardum electum Sibenicenſem, itemque clericos utriuſque eccleſiæ Pontificis nomine citari juberent; illiſque denunciarent, ut ipſi, vel per ſe, vel per ſuos procuratores, cum actis, tabulis, monumentis omnibus, quæ ad eam controverſiam pertinerent, intra ſex menſes Romam ſe conferrent, judicium Sedis Apoſtolicæ ſubituri.

Commentū Sibenicenſium de Epiſcopatu Morinenſi.

Epiſtola Nicolai IV. ad Ep. Nonenſem, Abbatem S. Chryſogoni Jadrenſis, & Archidiaconū Spalaten.

Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervor. Dei. Fratri . . . Epiſcopo Nonenſi, & dilectis filiis . . . . Abbati mon. S. Chriſogoni Jadren. & . . . Archid. Spal. ſal. & apoſtolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii Capitulum Eccleſiæ Morinen. in Dalmatia, qui apud Eccleſiam Caſtri Sibenicen. Morinen. diœceſis reſidere dicuntur, petitione monſtrarunt, quod olim civitate Morinen. (1) *a ſciſmaticis* (2) *Græcis deſtructa, bonæ memoriæ Morinen. Epiſcopus, qui tunc erat, dictique Capitulum & clerus ejuſdem civitatis ſe ad caſtrum præd. Siben. quod propinquum dictæ civitati fuiſſe dignoſcitur, tranſtulerunt, ubi dicti Capitulum fuerunt per longa temporum commorati, & adhuc permanere noſcuntur; dictuſque Epiſcopus ad quoddam monaſterium poſitum in villa,* (3) *quæ Tragurium vocatur, receſſit, ac in eadem villa diem clauſit extremum; ſed cum dicta Eccleſia Morinenſis poſt præfati Epiſcopi obitum multo tempore vacaviſſet, præfato Capitulo ipſi eccleſiæ providere non curantibus de Prælato, clerici præfatæ villæ Tragurii prætendentes jus ad ſe eligendi ſucceſſorem dicti Epiſcopi pertinere, ut dicebant, Epiſcopum elegerunt* (4); *demum* (5) *autem diverſis temporibus ſucceſſive diverſi a memoratis Morinenſi Capitulo electi fuerunt, & ſuper confirmationibus electionum hujuſmodi varie a Sede Apoſtolica* (6) *litteræ impetratæ; in quibus ipſi ſe Capitulum præfatæ Sibenicen. Eccleſiæ nominabant, dicentes, quod in eadem Sibenicen. Eccleſia paſtore vacante dictæ electiones* (7) *ab eis fuerint celebratæ, licet nulla electionum earum variis intervenientibus caſibus extiterit confirmata. Ille quidem, qui penultimo* (8) *fuit a Capitulo prædictis electus, electionem per Metropolitanum loci obtinuit confirmari, & per aliquod temporis ſpatium pacifice adminiſtrationem Morinen. Epiſcopatus geſſit; præfatis clericis dictæ villæ Tragurien. per præſcripta tempora quoſdam alios eligere præſumentibus, qui ab eis vocabantur Tragurienſes electi; quorum electiones dictus Metropolita dicitur de facto confirmaſſe, & conſecrationis munus eorum aliquibus impendiſſe. Demum autem dicti Capitulum Morinen. ſe memoratæ Eccleſiæ Sibenicen. nominantes, dictum filium Leonardum Faletro Plebanum eccleſiæ S. Angeli de Venetiis, virum providum & honeſtum, & in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectum, in Sibenicen. Epiſcopum concorditer elegerunt, ſed Gregorius,* (9) *qui ultimo fuit a clericis memoratis electus, & per præfatum Metropolitam confirmatus & conſecratus, adminiſtrationi dicti Epiſcopatus temere ſe ingeſſit, & ingerere non veretur; occaſione vero contentionis, quæ ſuper hujuſmodi jure eligendi Epiſcopum inter præfatos Capitulum & clericos eſt taliter habita, inter habitatores dictorum locorum Sibenici & Tragurii adeo gravis diſcordia exorta eſt, quod ex ea ſtrages* (10) *hominum, & alia multa pericula proveniſſe dicantur. Quare memorati Capitulum nobis humiliter ſupplicarunt, ut finem hujuſmodi quæſtionibus imponentes, prædictum jus eligendi Morinen. Epiſcopum declarari ad ipſos Capitulum extrabere; dictiſque clericis imponi perpetuum ſilentium ſuper illo, & alias in hujuſmodi procedi negotio, prout jus exigit, faceremus. Nos itaque attendentes, quod cauſa hujuſmodi de majoribus cauſis extitit, quarum examinatio & deciſio ad Roman. Pontificem noſcitur ſpecialiter pertinere; ac per hoc volentes cauſſam ipſam tractari apud Sedem Apoſtolicam, & fine canonico terminari, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, aut duo, vel unus veſtrum per vos, vel per alium, ſeu alios, tam eoſdem Gregorium & Leonardum, quam clericos præfatæ villæ Trag. prædictæ, & quoslibet alios, qui ſua crediderint intereſſe, ex parte noſtra peremptorie citare curetis, ut infra ſex menſium ſpatium poſt citationem hujuſmodi per ſe, vel per procuratores idoneos, cum omnibus actis, juribus, & munimentis ſuis dictam cauſam contingentibus apoſtolico ſe conſpectui repræſentent, facturi & recepturi ſuper præmiſſis, quod ordo decreverit rationis; diem vero citationis & formam, & quidquid inde feceritis, nobis per veſtras litteras borum ſeriem continentes fideliter intimetis. Datum Reate ſexto Kal. Oct. Pontific. noſtri anno primo,* ideſt 26. Septemb. anno 1288.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

Notæ in ea, quæ Sibenicenſes de Morinenſi Epiſcopatu ad Pontificem falſo detulerunt.

(1) In Geographia eccleſiaſtica equidem invenio Epiſcopatum Morinenſem, cujus frequens mentio, tum in actis Conciliorum, tum in decretalibus Romanorum Pontificum; ſed tanto terrarum intervallo a Sibenico disjunctum, quanto Belgium a Dalmatia diſtat: *Morini populi Belgii*

(ut

(ut docet Ferrarius in Lexico), *quorum urbs olim episcopalis Tarvanna, Terovanne, vel Terovenne sub Archiepiscopo Rhemensi, nunc a Carolo V. Imperatore excisa jacens, in Picardiæ, & Artesiæ confinio : cui in Episcopatu successit Audomarensis urbs ad tres leucas distans, & Bononia 9. in occasum & Hypræ urbs Flandrica ; sicque ex uno tres Episcopatus orti*. Unde in mentem venerit Sibenicensibus hanc urbem, & hunc Episcopatum prope situm ab oppido Sibenici confingere & comminisci, & appellare utrumque *Morinensem*, mihi non constat. Erat sane in territorio Sibenicensi vicus exiguus, cui nomen *Morigne*, apud quem salinæ ad familiam de Otocac olim pertinentes : quas quidem salinas ut juberet Senatus Venetus transferri in jus potestatemque Communis Sibenicensium, postularunt anno 1412. cum se Venetis dediderunt; hoc enim est x. postulatum in tabulis deditionis : *Item quod Salinæ de Otocac in Morigne liberæ sint, & remaneant Communitati Sibenici sine aliqua contradictione alicujus personæ, quas tenet Stipitius*. Mos illis gestus est: *Ad hoc decimum Capitulum respondetur, quod placet nobis ; sed volumus, quod per ipsam Communitatem, antequam obtineatis illas, fiat processus contra illam domum de Otocac ; & de deliberatione sua remanebimus contenti, & illam faciemus observari*. Sed nihil extat veterum tabularum, ex quibus cognosci possit locum illum ignobilem episcopali sede aliquando decoratum fuisse. Ajunt in privilegio Stephani III. Regis Hungariæ, qui anno 1167. Sibenicum jure ac nomine civitatis donavit, testem ac laudatorem nominari *Stephanum electum Episcopum Morinensem*. Hoc privilegium mihi videre non licuit. Sed facilius crediderim vocabulum illud *Morinensem* amanuensium inscitia, vel incuria depravatum fuisse; eoque expuncto, aliquem ex Dalmatiæ, vel Hungariæ Episcopis substituendum esse; quam Episcopatum ignotum omnibus in Dalmatiam intruserim, de quo littera in antiquis monumentis & Scriptoribus Dalmaticis nulla invenitur.

(2) Propius ad veritatem accedere visi essent, si a Saracenis, qui anno 1224. Tragurium diruerunt, civitatem quoque Morinensem eversam fuisse dixissent. Quo tempore, quam ob caussam, quinam e natione Græca schismatica Morinum demoliti fuerint, clam me, clam omnes est, vel ipsos Sibenicenses, qui hujusmodi commenta excogitarunt.

(3) Tragurium nominant villam, cum tamen multis ante Sibenicum sæculis jure ac titulo civitatis potiretur; ut scilicet Pontifici persuadeant Tragurium ante Morini eversionem sede episcopali caruisse.

(4) Perinde quasi Tragurienses inde usque ab antiquissimis temporibus suum & proprium Episcopum non habuissent, ut propterea necesse fuerit illis a Morinensibus mutuari, & Morinensi Capitulo & clero, qui Sibenicum se receperat, sedem episcopalem eripere, ad suamque urbem transferre.

(5) Idest jus eligendi Episcopi ab se neglectum, a Tragurienſibus usurpatum, Morinense Capitulum sive Sibenicense longo intervallo resumpsit.

(6) Vellem Sibenicenses aliquod hujusmodi electionum & litterarum apostolicarum exemplar proferre potuissent.

(7) Ante Paullum anno 1274. electum, de nulla episcopali electione a Sibenicensibus facta, litteris aut memoriæ proditum est; ut mirum esse non debeat, si nulli confirmati fuerint, cum nulli fuerint electi.

(8) Hic fuit Paullus modo nominatus, Canonicus Strigonienſis, qui ab Joanne Metropolita Episcopatus sibi collati confirmationem extorsit.

(9) Falso; nam ante Gregorium, Treguanus, Columbanus, Joannes Episcopi Tragurienses consiliis & conatibus Sibenicensium constantissime repugnarunt. Ex his satis perspicue apparet Episcopatum illum Morinensem plane commentitium esse.

(10) Hæc nimis vera sunt; nam discordia illa ecclesiastica Tragurienses & Sibenicenses in apertum bellum conjecit; ex quo multæ clades ultro citroque illatæ & acceptæ, ut est apud Lucium lib. 3. Monum. Tragurien.

Tabulæ citationis exmandato Pontificis judices delegati conficiunt.

Legati Sibenicenses ex urbe reversi litteras Pontificias iis, ad quos missæ fuerant, tradiderunt. Illi vero mandata pontificia exsequentes tabulas citationis confecerunt, inscriptas Gregorio Episcopo Tragurienſi, & Leonardo electo Sibenicensi; quibus uterque jubebatur intra tempus præfinitum Romam vel per se, vel per suos procuratores ad Curiam Romanam adire, ut suam uterque causſam ageret coram Sede Apostolica, ejusque judicio se submitterent. Tabulis inserta fuit epistola Nicolai Pontificis; easque Jacobus Archidiaconus Spalatensis tertius e tribus, quibus id delegatum fuerat, ipsemet in manu dedit Episcopo Tragurienſi, itemque electo Sibenicensi tradendas curavit. Has tabulas vir nobilis Cepregna judex Sibenicensis ex mandato Episcopi Nonensis, Abbatis Jadertini, & Jacobi Archidiaconi Francisco Scribæ Spalatensi describendas tradidit.

In Christi nomine, amen. Anno Domini 1289. die 7. intrante mensis Aprilis Ind. 2. presentibus Nob. & Pot. V. D. Tharabotto de Tharabottis Potestate Spalat. Jurissa filio Radoy, Petro filio Nicolai, & Simone Siculi Sibenicen. & aliis pluribus testibus vocatis ad hec specialiter & rogatis.

Nob. V. D. Cepregna Judex Sibenicen. præsentavit, & dedit magistro Francisco not. Spalat. ex parte Ven. D. Marcelli Episcopi Nonen. ac religiosi viri Domini Joannis Abbatis monasterii S. Chrysogoni Jadren. ac discreti viri D. Jacobi Archidiac. Spalat. D. Nicolai PP. 4. Judicum delegatorum, seu exequtorum in questione Trag. & Sibenicen. quoddam exemplum citationum factarum Ven. Patri D. . . . . Episcopo Trag. & N. V. D. . . . Sibenicen. electo, per predictos executores clausum, sigillatum tribus sigillis ipsorum sanis, integris, semper dicendo, & protestando, quod placeat eidem magistro Francisco scribere facere, & complere totum illud, quod continetur in exemplo predicto ; cujus exempli tenor de verbo ad verbum talis est. Istud est exemplum citationum, quod nos Marcellus Episcopus Nonen. Joannes Abbas S. Chrisogoni Jadren. & Jacobus Archid. Spalat. D. PP. Judices delegati vobis magistro Francisco Notario Spalat. mittimus anno Domini, die, loco & testibus &c. ponatis secundum ordinem.

Rev. & Nob. V. D. Jacobus Archid. Spalaten. presentavit, & dedit Ven. Patri D. Greg. D. G. Episcopo Trag. quasdam litteras sigillatas tribus sigillis cere viridis, sanis & integris,

non vitiatis, non cancell. vel in aliqua ſui parte abolitas ; ipſorum ſigillorum unum erat Dom. Marcelli Epiſcopi Nonen. aliud D. Joannis Abb. mon. S. Griſogoni Jadren. tertium vero d. D. Jacobi Archid. Spalaten. quas dictus Archid. eidem D. Epiſcopo preſentavit , & dedit ex parte D. Epiſcopi, & Abbatis, & ſui ipſius delegatorum ſeu exequtorum a D. Nicolao PP. 4. deputatorum per ipſius D. PP. litteras, quarum litter. delegat. tenor de verbo ad verbum talis eſt.

Ven. in Chr. Pat. D. Fr. Gregorio Ep. Trag. ac Rev. viro D. Leonardo Faletro Plebano S. Angeli de Venet. Morinen. & Sibenicen. electo ac clericis Tragurien. Marcellus Dei gr. Epiſcopus Nonen. Jo. Abb. S. Criſogoni Jadren. & Jacobus Archid. Spal. D. PP. delegati , ſeu executores ad infraſcripta , ſalutem in Domino Jeſu Chriſto. Noveritis nos a SS Patre D. Nic. PP. quarto recepiſſe litteras formam hujuſmodi continentes.

Hic inſerta eſt epiſtola pontificia, quam ſupra deſcripſimus. Poſtea hæc ſubjiciuntur.

Cum itaque mandatum tanti Patris preterire nullatenus debeamus , ſed velimus , & intendimus ipſum mandatum , ut tenemur , cum effectu exequi reverenter ; auctoritate , qua fungimur , ex parte SS. Patris & DD. Nic. Summi Pontificis prelibati , peremptorie vos citamus communiter ac diviſim vos , & quoslibet alios , qui ſua crediderint intereſſe , ut infra ſex menſ. ſpatium poſt citationem hujuſmodi , peremptorie per vos , vel per procuratores idoneos cum omnibus actis , juribus , & munimentis veſtris dictam cauſam contingentibus apoſtolico vos conſpectui preſentetis , facturi , & recepturi ſuper premiſſis , quod ordo dictaverit rationis ; in cujus rei teſtimonium preſentibus noſtra facimus appendi ſigilla. Ac precepit eidem D. Trag. Epiſcopo ex parte D. PP. ut per ſe vel per proc. idoneum infra ſex menſ. ſpatium cum omnibus actis , juribus , ac munimentis ſuis contingentibus cauſam contentam in litteris antedictis , apoſtolico ſe debeat conſpectui preſentare , facturus & recepturus ſuper premiſſis , quod ordo dictaverit rationis. Quas quidem litteras D. PP. humiliter & benigne ſuſcepit Epiſcopus memoratus. Act. Trag. &c. preſentibus talibus &c. Ego Franciſcus &c. Et ſciatis quod unum aliud inſtrumentum ſimile iſto D. electo Siben. mittendum , diem , locum & teſtes , & ipſum de verbo ad verbum adhuc conficere debetis , ſecundum mandatum vobis factum per nos Archid. Spalaten. & ſecundum iſtorum exemplum volumus ut tenemini , conficiatis duo inſtrumenta citationum videlicet D. ... Epiſcopi Trag. & D. ..... electi Siben. quod exemplum eſt clauſum & ſigillatum noſtris tribus ſigillis.

Scriba Spalatenſis mala fides.

Cum Scriba Spalatenſis duo earum tabularum exemplaria confeciſſet, in utroque litteras Pontificias, ſive Sibenicenſium largitione ſubornatus, ſive Comitum Breberienſium Paulli Bani, & Georgii Comitis Sibenici imperio metuque coactus, vitioſa depravatione interpolavit : id quod ipſemet manifeſtæ interpolationis convictus fateri debuit. Quare Jacobus Archidiaconus eum de dolo, ac mala fide coarguens, ſeveriſſimis verbis præcepit, ut ad exemplar, quod eidem mittebat, fideliter, accurate, examuſſim epiſtolam Nicolai rurſus deſcriberet, niſi graviſſimas penas in falſarios diplomatum pontificiorum conſtitutas ſubire velit.

Jacobus Archid. Spalaten. D. Nicolai PP. 4. Judex delegatus, ſive executor in queſtione Sibenicen. & Tragurien. diſcreto viro Dom. magiſtro Franciſco not. civ. Spal. ſalutem in Domino. Cum vos ad preces, & mandatum noſtrum confeciſſetis duo inſtrumenta in queſtione pred. Siben. & Trag. que inſtrumenta non ſunt noſtra, imo Rom. Eccleſie, & Summi Pontif. prelibati ; & iſta ſunt culpa veſtri non modicum defectiva, & nullius valoris, nec confecta ſecundum noſtrum exemplum, de quo poſſetis graviter in perſona puniri, & ſpecialiter quando inſtrumenta papalia non conficitis, ut tenemini, & debetis. Vobis auctoritate, qua fungimur a D. PP. predicto precipimus, & ſub excommunicationis pena mandamus, quam penam vos volumus incurrere ipſo facto, ſi noſtrum mandatum, quod non credimus, neglexeritis adimplere ; quatenus predicta inſtrumenta ſecundum exemplum, quod vobis mittimus per latorem preſentium, ponendo teſtes, diem, locum, & preceptum orectenus per nos factum electo Sibenicen. & Epiſcopo Trag. predictis, & ipſorum reſponſiones infra quatuor dies a preſentatione preſentium, conficere & emendare curetis, & ea latori preſentium detis ; quod exemplum eſt clauſum noſtro, & meorum conjudicum ſigillatum ſigillis ; & ne moremini, ſi ipſi vobis non ſcribunt, quia non poſſunt, nec debent ; quia ab ipſis non habuiſtis aliquid in mandatis, niſi ſolumodo a nobis ; & ſi predictum noſtrum mandatum neglexeritis totaliter adimplere, vos certos reddimus, & ſecuros, quod nos una cum conjudicibus noſtris vos intendimus arguere, & accuſare de falſo coram quo de jure debemus, & per confeſſionem veſtram jam factam in judicio coram not. & teſtibus infinitis optime noſtram intentionem probabimus. Datum Jadre die 6. exeunte Maji 1289. Indict. 2.

An Gregorius & Leonardus per eos, quos dixi, Judices ad tribunal Apoſtolicum citati, Romam jerint, vel procuratores ſuos miſerint, mihi non eſt compertum. Certe hanc controverſiam neque Nicolaus IV. neque proximus ab eo Pontifex Cæleſtinus V. diremit; de qua nihil præterea notatum invenio in tabulis ſive Tragurienſibus, ſive Sibenicenſibus: Leonardus vero Epiſcopi electi nomen retinuit, epiſcopali conſecratione perpetuo caruit ; retinuit autem quoad vixit, ut declarant tabulæ Sibenicenſes confectæ anno 1297. *Regnante Domino noſtro Andrea Sereniſſimo Rege Ungarie, & temporibus Domini Faletro de Venetiis Dei gratia Sibenicenſis electi &c.* Anno itidem 1290. & 1291. in iiſdem tabulis nominatur *Leonardus Faletrus de Venetiis, Dei gratia Sibenicenſis electus.*

Leonardus quoad vixit nomen electi retinuit.

Leonardo e vivis ſublato, Sibenicenſes poſt tam multas, tam acres, tam diuturnas concertationes, tandem quod volebant, favore ac præſidio Comitum Breberienſium adjuti anno 1298. vel invitis Tragurienſibus, a Sede Apoſtolica impetrarunt. Georgius Breberienſis filius Paulli Bani, Comes Almiſſi, & notitimarum civitatum anno 1297. contulit ſe primum Romam, ut Bonifacio VIII. deinde Neapolim, ut Mariæ Caroli II. Regis utriuſque Siciliæ uxori cauſſam, & poſtulata Sibenicenſium commendaret. Erat Maria ſoror Ladislavi III. Regis Hungariæ anno 1290. a Cumanis interfecti, qui nullam virilem prolem ex ſe reliquerat. Hujus morte vacuum regnum Hungariæ ad Carolum Martellum Mariæ filium jure materno perveniſſe decreverat Nicolaus IV., quamvis illud Andreas cognomento Venetus, e ſtirpe itidem Regum Hungariæ oriundus, illud præoccupaſ-

Sibenicenſes anno 1298. tandem ſedem epiſcopale ab eodem Pontifice impetrarunt.

ſet; idemque confirmaverat Cæleſtinus V. Cum Martellus anno 1291. obiiſſet, Carolus Robertus ejus filius, & Mariæ nepos, in jus paternum Hungarici regni obtinendi ſucceſſerat; & Bonifacius Papa, cum acta & decreta ſuorum deceſſorum rata & firma eſſe vellet, omni ope operaque ſibi enitendum cenſebat, ut Carolus poſt Martelli parentis obitum, illius regni potiretur. Itaque Georgius facile Sibenicenſibus, tum Mariæ patrocinium apud Bonifacium, tum ipſius Bonifacii voluntatem conciliavit; cum utrique omnem ſuam, & Pauli Bani Patris ſui, totiuſque familiæ Breberienſis operam ad Carolum Robertum in poſſeſſionem regni Hungarici inducendum detuliſſet: id quod re ipſa etiam præſtitit. Magnum erat ea tempeſtate, ac celebre nomen Comitum Breberienſium, ac magna de illorum potentia, copiis, atque opibus opinio; & de regno Hungariæ ſi cum Andrea Veneto, aliiſque competitoribus ejuſdem regni, armis decertandum foret; dubium non erat, quin Breberienſes quamlibet in partem ſe dediſſent, ei plurimum momenti ad vincendum allaturi eſſent. Maria ergo, quæ plurimum apud Pontificem auctoritate & gratia valebat, cauſſam Sibenicenſium Bonifacio commendavit, Georgius ad regiam commendationem ſua promiſſa, ſuaſque preces adjunxit. Utriuſque poſtulatis annuit Pontifex, & per litteras mandavit Henrico Jadertino, & Petro electo Spalatenſi Archiepiſcopis, ut vel uterque, vel alteruter eorum, Sibenicum adeuntes oppidum illud civitatis jure ac nomine impertirent, eccleſiam illam epiſcopali ſede donarent, quæ ſubjecta eſſet Metropolitæ Spalatenſi, eique propriam diœceſim aſſignarent; & quem ad epiſcopale munus gerendum maxime idoneum cenſerent, eum Sibenicenſibus primum Epiſcopum præficeret &c. Epiſtola Bonifacii hæc eſt.

Inſtitutio epiſcopatus Sibenicenſis.

Bonifacius Venerabili fratri . . . . . Archiepiſcopo Jadrenſi, & dilecto filio . . . . . electo Spalatenſi. Sacroſancta Romana cunctorum mater fidelium & magiſtra, quæ ſupernæ diſpoſitionis arbitrio ſuper univerſas orbis eccleſias obtinere dignoſcitur principatum, ſtatum & conditionem, & qualitates locorum & temporum provida circumſpectione diſcutiens, nonnulla locorum ipſorum cauſa rationabili ſuadente, in civitates interdum erigit, & epiſcopalibus decorat inſigniis dignitatis. Aliqua vero ex cauſa hujuſmodi nonnumquam prædictis privat inſigniis, utriſque retribuens juxta ſuorum exigentia meritorum. Habet ſiquidem fide digna relationis aſſertio, quod ab olim inter cives Tragurienſes, & homines villæ Sibenici in Spalatenſi provincia conſtitute, gravis & periculoſa diſſenſio adhuc durans, ea occaſione potiſſime fuit exorta, quod venerabilis frater noſter Tragurienſis Epiſcopus, & cives predicti villam ipſam debere ſubeſſe aſſerebant, & aſſerunt Tragurienſi Eccleſiæ, ac de Dioceſi ejus eſſe prefatis hominibus firmiter aſſerentibus; ex adverſo predictam villam, nec eidem ſubjectam eccleſiæ, neque de ipſius fore dicunt, ſed ſibi potius proprium deberi Epiſcopum, ſeque dignitatis epiſcopalis fore titulo decorandam. Nos igitur ad pacem fidelium & quietem, paterna ſollicitudine intendentes & volentes benignius, non levibus animarum & corporum obviare periculis, quæ inter cives & homines ſupradictos, poſſent prout aſſeruntur, occaſione hujuſmodi evenire; ac etiam cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Mariæ conſortis cariſſimi in Chriſto filii Caroli illuſtris Regis Siciliæ, Reginæ Hungariæ illuſtris; necnon & dilecti filii nobilis viri Georgii Comitis civitatum Dalmatiæ, in qua Tragurienſis civitas, & villa prædicta conſiſtunt, nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantium, & aſſerentium dictam villam Sibenici fore locum inſignem, & alias multiplici commoditate dotatum, devotis annuere precibus, in hac parte plenam quoque gerentes de veſtra circumſpectione fiduciam, qui ſupra biis omnibus habere poteritis notitiam pleniorem, mandamus quatenus vos, vel alter veſtrum per vos, vel per alium, vel alios præfatam villam Sibenicenſem, noſtra freti auctoritate, civitatis inſigniis decorantes, majorem & ſolemniorem eccleſiam dictæ villæ, cum ei, ſecundum ſui ſtatus eccleſiæ cathedralis decentiam, fuerit de dote proviſum, eadem auctoritate in cathedralem eccleſiam erigatis, quæ Spalatenſis Eccleſiæ loci Metropolitice, tanquam ejus ſuffraganea jure Metropolitano ſit ſubjecta; ac deinde aliqua, prout decens extitit, de bonis ejuſdem Eccleſiæ Sibenicenſis, poſtquam dotata, & in cathedralem fuerit ſic creata, in uſus epiſcopalis menſæ Epiſcopis, qui pro tempore fuerint ipſius Sibenicenſis Eccleſiæ, deputetis, eidem inſuper Eccleſiæ Sibenicenſi propriam ſine alicujus præjuditio aſſignetis dioceſim, certis, prout expedierit, finibus limitatam; & nihilominus eidem Eccleſiæ Sibenicenſi hac vice perſonam idoneam, quæ tanto congruat oneri, præficiatis auctoritate prædicta in Epiſcopum & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ejuſdem Eccleſiæ Sibenicenſis ei in ſpiritualibus & temporalibus committendo; ac per ſe frater Archiepiſcopus, aſcitis ſibi duobus, vel tribus Epiſcopis, gratiam & communionem apoſtolicæ Sedis habentibus, eidem munere conſecrationis impenſo, faciatis ſibi ab ejus ſubditis obedientiam & reverentiam debitam exhiberi: ita tamen quod per hoc Capitulo ejuſdem Eccleſiæ Sibenicenſis, ad quos electio Epiſcopi Sibenicenſis futuris temporibus, cum contigerit eam vacare, pertineat, & Spalatenſi Eccleſiæ in jure Metropolitano nullum in poſterum præjudicium generetur. Contra &c. non obſtante ſi aliquid a Sede Apoſtolica ſit indultum, quæ interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras, & uti . . . uſque mentionem. Sic ergo in præmiſſis providentes, & laudabiliter vos gerere ſtudeatis; quod perinde a Domino præmium, & a nobis commendationis titulum poſſitis non immerito promereri. Datum Romæ apud S. Petrum Kalendis Maji anno IV., ideſt 1298.

Pontificiis mandatis uterque Archiepiſcopus obtemperavit; & Sibenicum profecti, in frequentiſſimo totius cleri populique conventu, IX. Kalendas Julii diploma Pontificium per præconem recitari juſſerunt. Quatuor ipſos dies in ea, quæ Pontifex præſcripſerat exſequenda, & novæ illius eccleſiæ ſtatum ordinandum inſumpſerunt. Itaque in æde Jacobea oppidi primaria ſedes epiſcopalis conſtituta eſt; e collegio Presbyterorum delecti, ex quibus Capitulum conſtaret, treſque præpoſiti, qui dignitate & loco ceteris præſiderent, Archidiaconus, Archipresbyter, Primicerius: menſa epiſcopalis annuis vectigalibus ſane copioſis inſtructa; dioceſis novo Epiſcopo aſſignata, quam ab occaſu Nonenſis & Jadertina, a ſeptemtrione Scardonitana, ab oriente Tragurienſis dioceſes definiunt. A meridie præter oram maritimam in ortum porrectam fere uſque ad Portum, qui ab inſula S. Michaelis Archangeli eidem objecta, cognomen

Deſcriptio Capituli & dioceſis Sibenicenſis.

mutuatur, vulgo *Mirara* dicitur, aliquot eidem exiguæ insulæ contributæ sunt, ad quas deinde Mortarium & Surium, aliæque minores accesserunt, quæ tunc ad urbem & Ecclesiam Jadertinam pertinebant. His ad hunc modum constitutis, IV. Kalendas Julii anno 1298., uterque Archiepiscopus post diligentem inquisitionem adhibitam, circumspectis diligenter omnibus & personis & rebus, denique novam ecclesiam F. Martino patria Arbensi, ex familia Patrum Minorum S. Francisci, perspectæ virtutis & doctrinæ viro tradere ac demandare constituit, quem clerus & populus summa approbatione plausuque maximo excepit. Hunc postera die Archiepiscopus Jadertinus in foro Sibenicensi, cum ædes cathedralis multitudini civium & advenarum, qui frequentissimi convenerant, capiendæ non esset, duobus Episcopis Nonensi & Scardonensi ad sacrum illud ministerium adhibitis, ingenti omnium civitatis ordinum lætitia & gratulatione, inter sacra sollemnia consecrarunt. Hæc ex codice Sibenicensi, qui *liber Rubeus* inscribitur.

Novus Episcopus F. Martinus ex Ordine Minorum electus & consecratus.

Series Episcoporum Sibenicensium.

I. Martinus ao. 1298.
II. Chrysogonus an. 1319.
III. Martinus II. an. circ. 1340.
IV. Tolonus an. 1344.
V. Matthæus an. circ. 1357.
VI. Bonifacius an. circ. 1380.
VII. Antonius an. circ. 1395.
VIII. Bogdunus an. 1402.
IX. Georgius an. circ. 1440.
X. Urbanus an. circ. 1454.
XI. Lucas an. circ. 1469.
XII. Franciscus an. 1491.
XIII. Bartholomæus an. 1495.
XIV. Joannes an. 1512.
XV. Joannes II. an. 1528.
XVI. Hieronymus an. 1557.
XVII. Lucas II. an. 1574.
XVIII. Vincentius an. 1589.
XIX. Vincentius II. an. 1599.
XX. Joannes Paullus an. 1627.
XXI. Joannes Thomas an. 1628.
XXII. Aloysius an. 1635.
XXIII. Natalis an. 1654.
XXIV. Joannes Dominicus an. 1676.
XXV. Carolus Antonius an. 1722.
XXVI. Joannes III. an. 1756.
XXVII. Hieronymus Blasius an. 1759.
Interregnum episcopale.
XXVIII. Nicolaus an. 1767.

MARTINUS EP. SIBENICENSIS I.

Frat. Martinus Franciscanus primus Episc. Sibenicensium, Sibenicenses Tragurienſibus reconciliavit.

VIr æque doctrina, ut sanctimonia clarus, qui novam sedem egregiis imbuit institutis exemplisque, ac dignum se præbuit, quem successores sibi ad imitandum in omni genere virtutum proponerent, quemque in regimine pastorali ipsius vestigiis persequerentur. Præfuit ab anno duodecentesimo hujus sæculi, usque ad undevicesimum sequentis. Hierarchiæ, disciplinæ, reique totius ecclesiasticæ descriptionem a duobus illis Archiepiscopis constitutam expolivit ac perfecit. Rebus urbanis, qua pertinent ad cultum divinum, & cleri christianæque plebis institutionem, rite compositis, iterum ac sæpius diœcesim lustravit, & ubique depravatos incolarum mores correxit; suisque hortationibus ac præceptis ad rectam vivendi, Deique pie colendi rationem conformavit. Sed nihil illi magis curæ fuit, quam ut animos Tragurienſium placaret, qui ab suo episcopatu præcipuam antiquæ diœceseos partem divulsam egerrime ferebant. Hos cum Sibenicensibus in concordiam reduxit sic prorsus, ut populus uterque veteres discordias, & injurias ultro citroque illatas perpetua oblivione obrueret: id quod mira lenitate ac prudentia perfecit. Atque alteri alteris ita conciliati sunt, ut post Martini obitum anno 1321. sociale fœdus inter se jungerent, ad tyrannidem depellendam Mladini Breberiensis Bani Bosinæ & Chrobatiæ, qui anno circiter 1318. Sibenicenses integrum mensem obsessos tenuerat: id vero quod optimo Præsuli magnum sane dolorem attulerat, fuit in primis demolitio cœnobii Fratrum suorum, tum etiam vastatio agri Sibenicensis, & cædes ab Tyranno illata tribus fratribus ex nobilitate primaria Sibenicensi. Cum enim certissima urbis obsidio ab hoste immineret, Sibenicenses cœnobium Franciscanum, quod erat in suburbio, ne Mladinus illo capto munitoque ad civitatem oppugnandam uteretur, subruendum esse censuerunt. Tum Mladinus cum exercitu superveniens, vineas & agros circa urbem ferro ignique vastavit; & cum oppidum expugnari posse diffideret, ut terrorem oppidanis incurreret, tres nobilissimos fratres Sibenicenses, quos habebat in custodia, ad se in castra transferri jussit, Saracenum, Michaelem, Heliam, eosque in conspectu Sibenicensium necari. Hæc Micha Madius cap. XVII. Nec vero licuit optimo Antistiti videre lætos exitus hujus belli, & Sibenicenses, horumque socios fœderatos Tragurienses, cum ceteris Dalmatis, exemptos tyrannide Mladini, quem anno 1322. Carolus Rex Hungariæ ob ejus insignem avaritiam & crudelitatem in vincula conjici jussit; abductusque in Hungariam, postea nunquam in Dalmatiam rediit. Nam sanctissimus Præsul anno 1319. extinctus, virtutum suarum triste Sibenicensibus desiderium reliquit.

Cœnobium suburbanum S. Francisci dirutum, in urbe restitutum.

CHRYSOGONUS EP. SIBENICENSIS II.

Canonici Sibenicenses, ad quos post obitum Martini primi Episcopi, jus ac potestas aliorum deinceps Antistitum eligendorum, concessu Bonifacii VIII. pervenerat, cunctis suffragiis Episcopum crearunt Chrysogonum ex familia Fanfonia, quæ inter Jadrenses vel generis nobilitate, vel majorum gloria, & copia divitiarum in primis clarebat. Anno 1319. vel sequenti regimen hujus ecclesiæ suscepit; nam sub initium anni 1321. nominatum invenio in tabulis fœderis, quod Sibenicenses cum Tragurienſibus adversus Mladinum fecerunt. *Anno Domini 1321. Indict. IV. die 24. Januar. regnante Domino Carolo Sereniſſimo Rege Hungariæ, tempore D. Grisogoni de Fanfognis de Jadra, D. G. Sibenicen. Episcopi.* Auctor fuit Sibenicensibus, ut pro cœnobio suburbano familiæ Franciscanæ, quod diruerant, ne in Mladini potestatem veniret, alterum intra urbis mœnia extructum religiosissimis illis patribus restituerent, quos sibi ad ecclesiam illam regendam, & christianam plebem verbis & exemplis excolendam magno adjumento sibi futuros esse intelligebat. Mos illi gestus est, ut con-

stat

ſtat ex decreto Conſilii generalis Sibenicenſis, cujus initium eſt hujuſmodi: *In Chriſti nomine, amen. Anno ejuſdem Incar.* 1320. *Indict.* 3. *die* 13. *menſis Aprilis, regnante Domino Carolo Sereniſſimo Rege Hung. tempore Domini Griſogoni de Fanſonia de Jadra Dei gratia Ven. Sibenicen. Epiſcopi, nec non Domini Gregorii, filii olim Domini Pauli Bani Crovatorum, incliti Comitis; ac nobil. & ſap. viri D. Budislavi Comitis Corbavien., honorandi poteſtatis Sibenici &c. Nos prenominatus Budislavus poteſtas Siben., & Judices & curia, per hoc preſens ſcriptum facimus manifeſtum &c.* Sequitur formula privilegii *muniti ſigilli S. Michaelis*, quo decernitur reſtitutio monaſterii Franciſcani intra urbem reædificandi, *ob bellum cum Mladino æquati ſolo in præjudicium & detrimentum non modicum animarum univerſarum perſonarum civitatis Sibenicen., & totius regionis &c.* Biennio poſt Joannes XXII. Præſidi, & fratribus Franciſcanis novi illius domicilii recipiendi poteſtatem fecit, ut ſcriptum eſt in tabulis Avenionenſibus: *Facultas Guardiano, & FF. Ord. Min. civit. Sibenicen. provinciæ Sclavoniæ conceſſa recipiendi locum ipſis per cives Sibenicenſes infra eamdem civitatem aſſignatum, in recompenſationem alterius extra civitatem poſiti, & propter metum obſidionis per Mladinum Croatorum, & Boſinæ Banum per terram, & mare intentatæ, funditus everſi. Dat. Aven.* 13. *Calen. Januarii, Pontific. anno VI.* ideſt Chriſti 1322. In codice Sibenicenſi, ſeu libro Rubeo ſupra laudato hæc notata ſunt. *Propter diſſidium inter Mladinum II. Crovatorum & Boſnæ Banum, ac civitatem Sibenici, deſtructa fuit eccleſia, ſeu monaſterium S. Franciſci Ord. Min. Ne id in animarum detrimentum cederet, ipſis fratribus locum, ubi præſentem habent eccleſiam, homines Sibenicenſes deſignaverunt, nimirum in puncta civitatis ex parte Quirinalis viæ. Id fuit tempore Domini Griſogoni de Fanſonia Epiſcopi.*

Diœceſis Sibenicenſis duabus inſulis aucta.

Per hæc tempora diœceſis Sibenicenſis aucta eſt duabus inſulis Mortario, & Surio, quas Veneti Sibenicenſibus ademptas an. 75. ſuperioris ſæculi Jadertinis attribuerant. Anno 1322. Sibenicenſes, ac deinde Tragurienſes in fidem ac poteſtatem Venetorum redierant, ut horum præſidiis tuti eſſent ab injuriis Comitum Breberienſium. Amoto enim abductoque in Hungariam Mladino, qui tyrannico dominatu oppreſſam tenebat Dalmatiam, reſtabat Georgius frater Mladini Comes Almiſſi, & civitatum maritimarum, cujus imperium nihilo minus grave Dalmatis & odioſum erat. Anno circiter 1324. peropportune venerunt in Dalmatiam tres Proviſores lecti a Senatu, miſſique ad res Dalmaticas inſpiciundas, atque ordinandas, ut eſt apud Lucium lib. 4. cap. 1. Monum. Tragur. Ab his Sibenicenſes petierunt atque impetrarunt, ut juberent inſulas illas ſibi reſtitui: id quod periniquo animo tulerunt Jadrenſes, & doloris ſui ulciſcendi cauſſa inſulam Surium fœde vaſtarunt. Hæc inſula pertinebat ad cœnobium Benedictinum S. Mariæ, ſane pervetus, ibidem ſitum; cujus nunc ne veſtigia quidem extant. Bogdanus Cœnobiarcha de damno atque injuria ſibi ſuiſque monachis illata queſtus eſt apud Comitem Jaderæ; qui ne quid tale in poſterum Jadertini auderent, ſevere prohibuit his mandatis ac litteris: *Nos Joannes Baduarius Comes Jadre univerſis Jadrenſibus preſentes inſpecturis ſignificamus mandantes, quatenus nemo veſtrum ſit auſus depredare, vel offendere monaſterium S. Mariæ de Zuri Sibenicenſis inſule, nec Abbatem latorem preſentium nomine Bogdanum, nec fratres, vel homines, ſeu beſtias predicti monaſterii &c.* Ita tum Communis, tum Eccleſiæ Sibenicenſis juriſdictionem reſtitutio harum inſularum amplificavit.

Chryſogonus Sede expulſus.

Chryſogono cum pleriſque de Capitulo multæ & magnæ contentiones fuerunt; eoque res adducta eſt, ut cum Canonici negarent illius electionem fuiſſe legitimam, ab eccleſia ſua vel expulſus eſt, vel certe neceſſe habuit diſcedere. Poſt ejus diſceſſum ſemel atque iterum, ac ſæpius fortaſſe habita ſunt comitia, & alii atque alii electi; ſed hujuſmodi electiones fruſtra fuerunt, cum illi, qui a Chryſogono ſtabant, conſtantiſſime reclamaſſent. Chryſogonus Avenionem ſe contulit ut ſuam, eodemque profectus eſt Primicerius, ut Canonicorum cauſſam ageret apud Joannem XXII. Pontifex cognitionem hujus cauſſæ delegavit Archiepiſcopo Spalatenſi, ut de his quæ ſibi ab utroque expoſita fuerunt, quæſtionem inſtitueret, & quid veri eſſet, unde jus, vel injuria ſtaret, ad Sedem Apoſtolicam reſcriberet. Hæc videtur adhibenda eſſe interpretatio tabulis Avenionenſibus, cum alia non ſuppetant monumenta, ex quibus certior & magis perſpicua explanatio elici poſſit: *Mandatum Archiepiſcopo Spalatenſi, quatenus inquirat veritatem ſuper expoſitis per Griſogonum, Epiſcopum Sibenicenſem ſe aſſerentem, & eccleſia ſua ſpoliatum ex una; & per Primicerium ejuſdem eccleſiæ, ſe procuratorem Capituli ipſius eccleſiæ aſſerentem, & multa contra eumdem Griſogonum proponentem ex altera, ſuper diverſis electionibus per Capitulum factis. Datum Avenione Kal. Auguſti, anno Pontif. Joan. IX., qui eſt annus Chriſti* 1325. *Sententia lata fuit ſecundum Chryſogonum, qui ſedem epiſcopalem recepit*; & anno 1333. adhuc retinebat, ut conſtat ex tabulis Sibenicenſibus: *Anno Domini* 1333. *tempore D. Franciſci Danduli incliti Ducis Venet., & Domini Griſogoni de Fanſonia de Jadra Ven. Ep. Sib.* Pace cum Capitulo compoſita, ſine ulla deinceps offenſione, quietis tranquilliſque rebus, eccleſiam ſuam gubernavit uſque ad annum circiter 1340.

Ejus cauſſa Archiepiſcopo Spalatenſi delegata, qui ſecundum Chryſogonum ſententiam dixit.

MARTINUS II. EP. SIBENICENSIS III.

F. Martinus II. Epiſcop. Sibenicen. interfuit Concilio provinciali.

Interfuit anno 1344. Synodo provinciali, quod Spalatum convocavit Dominicus Luccarus Archiepiſcopus, & unus fuit ex quatuor judicibus ad cauſſam Valentini Maccarenſis Epiſcopi cognoſcendam de concilii ſententia conſtitutus: *Nos Frater Nicolaus Dei gratia Epiſcopus Tinienſis, Andreas apoſtolica gratia Epiſcopus Scardonenſis, Joannes permiſſione divina Pharenſis & Brachienſis Epiſcopus, & Frater Martinus eadem permiſſione Sibenicenſis Epiſcopus, Judices Synodales, auctoritatibus, quibus infra explicatis &c. Fratris* prænomen indicio eſt fuiſſe ex eadem familia Franciſcana aſſumptum, ex qua Martinus primus Epiſcopus Sibenicenſium; ab hoc autem diſtinguendum eſſe Chryſogonus inter utrumque interjectus ſatis aperte demonſtrat. Abeſt a catalogo Antiſtitum Sibenicenſium deſcripto in Aula palatii epiſcopalis; itemque a ceteris ſcriptoribus Dalmaticis, & Sibenicenſibus. Huic eodem anno 1344. Succeſſor datus eſt

TOLONUS EPISCOPUS SIBENICEN. IV.

Patria Sibenicenſis, cognomento *de Tolono*, ut docet Dominicus Zavoreus in ſuis adverſariis Mſſ., idemque confirmat catalogus Aulæ epiſcopalis, ſed hic perperam aſcripſit ejus initium anno 1343. *Tolon de Tolono electus anno* 1343., *uſque ad annum* 1360. Hæc etiam poſterior nota chronologica mendoſa eſt; nam ante biennium Tolonus ſucceſſori ſuo ſedem epiſcopalem reliquerat. Sibenicenſes anno 1330. de communi conſilio decretum fecerant de recipiendis Patribus Dominicanis; ſed cum id non liceret injuſſu Sedis Apoſtolicæ, rem diutius, quam voluiſſent, impedimentis neſcio quibus interjectis, ex alio in alium annum diſtulerunt. Tandem anno 1346., dum Tolonus huic eccleſiæ præſidebat, hujus fortaſſe hortatu & impulſu, F. Michaelem civem ſuum ex eadem divi Dominici familia Avenionem miſerunt ad Clementem VI., ut peteret impetraretque Sibenicenſibus facultatem condendi cœnobii Dominicani. Poſtulatum Sibenicenſium laudavit quidem, & gratum habuit Pontifex, ſed referri juſſit ad P. Dominicum de Comitibus Vicarium ejuſdem ordinis in Dalmatia & Dyrrhachienſi provincia, cui poteſtatem fecerat tria monaſteria, ſi oblata forent, & opportuna ſuis fratribus eſſe exiſtimaret, recipiendi. Ille piis Sibenicenſium votis perlibenter annuit, ut conſtat ex ejus litteris eodem anno quinctili menſe ſcriptis in hæc verba.

Decretum Sibenicenſe de condendo cœnobio Dominicano.

Quod ex auctoritate Pontificis recepit F. Dominicus Vicarius & Præſes Fratrum Prædic. in Dalmatia.

Egregiis, & potentibus viris, Domino Comiti Sibenicenſi, Judicibus, conſiliariis, ac toti Communitati civitatis ejuſdem, nec non omnibus præſentem paginam inſpecturis, F. Dominicus Comitis Vicarius generalis per Dalmatiam, & Durachium Fratrum ord. Prædicatorum ſalut. in Domino ſempiternam. Ille cæleſtis agricola ad excolendam eccleſiæ vineam, ſicut diverſis horis operarios vocare exivit, ſic & diverſorum genera vocavit. In primordio enim teneris ſtatus eccleſiæ ad componendum novæ fidei fundamentum, ſacrum elegit duodenarium numerum Apoſtolorum. Hos ſequtum eſt triumphale martirum nomen, qui per diverſa tormentorum genera paſſionem imitabantur. Poſt iſtos cucurit inclita Confeſſorum, atque Doctorum caterva, qui corda fidelium imbribus irrigarunt cæleſtibus, ut Deo gratam in ſegetem pullularent. Demum autem venit Sacer Virginum cœtus, quæ ſpreta liberorum propagine ſponſo placere, qui eſt in cælis, ſtuduere. Tandem in hora undecima, ideſt jam appropinquante mundi termino, præclarum ord. Prædicatorum vocavit, ipſum in ſpiritu eligendo, qui vociferare deberet ad invitatos, ut jam venirent. Habes itaque in hoc præfulgido ordine quoſdam, ut ita dixerim, alios Apoſtolos, qui fidei doctrinam ab ipſis primis Apoſtolis traditam, non perperam, ſed ſobrie intelligentes, populos chriſtianos ſalubriter inſtruunt. Singulari enim privilegio, quantum ad hoc, hunc ordinem laudatum ſuperna clementia dotavit, quia numquam in eo, vel ejus doctrinis fermentum alicujus hæreticæ pravitatis eſt repertum. Habes alios, quorum quidam mentis deſiderio, alii autem etiam operis effectu, fidem proprio ſanguine firmantes ad martirii bravium currunt. Habes quoque Confeſſores, & Doctores conſpicuos, qui ſuis doctrinis variis Chriſti eccleſiam, ut Lunam Sol, illuminant. Habes eos etiam, qui carnis illecebris abdicatis, per votum continentiæ ſalutaris, quod emiſerunt, ad recipienda caſtitatis ſerta feſtinant. Hujus igitur tam ſancti ordinis conſortio, tanto affectuoſius, & aræntius cives Sibenicen. optimi, a temporibus multis cupierunt potiri, quanto eum prè ceteris ordinibus amplioribus gatiis divinitus circumfultum, ſcilicet quæ imolatione ſalutarium victimarum, ac evangelizatione verbi ſalutaris, impoſterum utiliorem profuturum eſſe agnoverant. Et ut affectum cordis per operis effectum oſtenderent, circa annum Domini 1330. in ſuo Conſilio majori firmiter omnes firmaverunt, quod fratribus ſupradicti ordinis locus in eorum civitate omnino dari deberet. Sed ut hæc finem per eos optatum citius ſortiri poſſent, jam nuper, ſcilicet anno Dom. 1346. Fratrem Michaelem ſuum concivem, ac fratrem ordinis antedicti, expenſis propriis pro hujus rei gratia impetranda ad Sedem Apoſtolicam deſtinarunt. O extollendam hujus plebis devotionem, quæ ſe ſic ſollicite cultoribus Dei præmunire ſatagit, ut ſcilicet eorum multiplici ſuccurrente præſidio cæleſtia facilius capere poſſet! Nec miror certe. Siccine enim urbes felices permanent, cum earum populi, & rectores non ſolum temporalibus, ſed etiam ſpiritualibus augeri ſemper procurent incrementis. Quia igitur juſto juſtorum deſiderio omnem poteſtatem ſuffragari juſtum eſt; ideo ægregii Dom. Ego ſupradictus F. Dominicus Vicarius Dalmatiæ, veſtræ ſanctæ devotioni ſatisfacere cupiens, meumque ordinem quantum poſſum, prout teneor, promovere affectans, cum mihi ſit conceſſum a Sede Apoſtolica, quod poſſim recipere tria loca in Dalmatia in illis civitatibus, in quibus mihi videbitur; Tenore præſentium, auctoritate Summi Pontificis mihi in hac parte per apoſtolica ſcripta ſpecialiter comiſſa, conventum, ſeu locum unum de illis tribus pro Fratribus Prædicatoribus in civitate veſtra Sibenicenſi ex nunc recipio. Nos attente in Domino quantum poſſumus deprecantes, quatenus eos ſemper in viſceribus charitatis reccomendatos habere velitis. Ad majorem autem omnium harum firmitatem, & robur; Simonem Serchelle de Piſtojo, miniſteriali auctoritate notarium, & nunc Communis Raguſii juratum cancellarium ibidem præſentem advocatum, & rogatum, ut de hoc mihi conficeret legale publicum inſtrumentum hoc, quod quidem ad veſtri certitudinem, & pleniorem fidem duxi ſigilli mei apenſione muniri. Actum Raguſii in cancellaria Communitatis, præſentibus honeſtis, & Religioſis viris F. Jacobo de Sanſeverino, & prædicto F. Michaele de Sibenico ordinis Prædicatorum conventus Raguſini; nec non & nobilibus viris Paſqua de Chruno, Laurentio quondam Junii de Vodaſſio, civibus Raguſinis, & Hieronymo Gofredo quondam Hieronymi Pavini de Piſtojo cancellario Communitatis Raguſii, teſtibus ad hæc ſpecialiter vocatis, & rogatis. Sub anno Domini 1346. *Indict.* 14. *die penultimo Menſis Julii.*

Ego Simon Serchelle de Piſtojo imperiali auctoritate notarius, & nunc Communis Raguſii.

Statim cœnobium ac templum ſub auſpiciis ac titulo divi Dominici ſtrenue ædificari cœptum eſt in ſuburbio, ubi nunc extat, habitaturque ab illis religioſiſſimis Patribus, qui concionibus habendis, & incolarum confeſſionibus excipiendis, aſſiduam rei chriſtianæ, ac diligentem operam navant. *Anno* 1346. ut ſcriptum reliquit Dominicus Zavoreus, *ad augendam ſui populi devotionem, religionem Ordinis Prædicatorum Sibenicenſes, quod diu optaverant, impe-*

tra-

trarunt, & templum extra muros conſtructum, D. Dominico dicavere. Tolonus Epiſcopus præclaros illos vineæ Dominicæ cultores perbenigne accepit, adjutoreſque ſibi ad populos illos chriſtianis præceptis ac myſteriis excolendos adhibuit. Cum annos fere quatuordecim Eccleſiam Sibenicenſem ſaluberrimis inſtitutis locupletaſſet, & omnium virtutum exemplis illuſtraſſet, e vita migravit anno circiter 1357.

MATTHÆUS EP. SIBENICENSIS V.

Natus eſt Arbæ, in urbe atque inſula ſinus Flanatici, ex perilluſtri, & perantiqua gente *Cernota*, ſive ut Lucius vocat, *Cirnota*. Vix eccleſiæ regimen ſuſceperat, cum Ludovicus Rex Hungariæ Sibenicum & univerſam Dalmatiam Venetis eripuit. In quodam privilegio regali, quod anno 1358. Eccleſiæ Tragurienſi conceſſit, una cum Hugulino Archiepiſcopo Spalatenſi & aliis Epiſcopis Dalmatiæ nominatur *Matthæus Sibenicen.* Cum inter Spalatenſes & Raguſinos de bonis Venetorum, quæ fiſco ſive ærario publico adjudicata fuerant, orta eſſet controverſia; Stagni in urbe & inſula ditionis Raguſinæ, interventu Matthæi Epiſcopi Sibenicen., data eſt facultas nominandi arbitros ad eam dirimendam, Hugulino Spalatenſi, & Heliæ Raguſienſi Archiepiſcopis. *Anno 1359. 17. Octob. Stagni.*

Tranſactio inter Raguſinos & Spalatenſes occaſione confiſcationis bonorum Venetorum ſupraſcripta, ut compromittatur in nominandos per Archiepiſcopos Hugulinum Spalatenſem, & Heliam Raguſinum, interponente Matthæo de Cernota Epiſcopo Sibenicen., & Fratre Lazero de Dulcinio, Vicario Prædicatorum, ac NN. VV. Srichia Luccari Spalaten. Joanne de Bona curie Rag. & Helia Radovano cive Siben.

Aliquid controverſiæ de decimis Matthæo fuit cum Bartholomæo Ep. Tragurienſi, quæ Bartholomæo adjudicatæ fuerunt, ut vidimus in ejus actis. Item cum Nicolao Caſotto Epiſcopo Tragurienſi. Tepzii ſive Tepizones, a quibus ſe oriundos ferebant Cærnotæ Arbenſes, familia Chrobatica æque illuſtris, atque opulenta, Mirani in pago diœceſis Tragurienſis ædem, quæ nunc S. Georgii, extruxerunt, ut docet inſcriptio hæc vetuſtiſſima ſupra januam inciſa grandibus litteris in tabula marmorea.

Hec aula & porta celi, hic feſſis requies ſedeſque, egratis
Hic ſalus, delicta purgantur, & crimina cuncta,
Quam ego Lubimiro Tepzi condidi ad honorem videlicet invictiſs. SS. Petri
Summi ... Nicolai confeſſoris, & Georgii martiris.

Hanc ædem Georgianam cum annuis vectigalibus ſane copioſis dotaſſent, jus nominandi rectoris ſibi, ac ſuis poſteris reſervarunt. Anno 1366. Matthæus Epiſcopus, cum ſuis fratribus, hæres familiæ Tepziæ, rectore ejuſdem eccleſiæ vita functo, eum quem ipſi elegerant & nominaverant, conſtituit ante Nicolaum Tragurien. Epiſcopum, ut eidem collati Sacerdotii adeundi poteſtatem daret. Neque electionem, neque nominationem admiſit Epiſcopus: quippe conſtabat jam annos amplius octoginta eſſe, cum jus, moremque illius Sacerdotii conferendi uſurpabant Epiſcopi Tragurienſes, ac perpetuo deinde retinuerant. Hanc ille repulſam ſibi ac fratribus injurioſam eſſe ratus, Metropolitam Spalatenſem appellavit. Hæc Joannes Lucius lib. 6. cap. 7. Monum. Tragurien. qui negat ſe reperiſſe quem exitum habuerit illa controverſia. Matthæus huic eccleſiæ præfuit uſque ad annum ſaltem 1388. nam & hoc anno in privilegio Sigiſmundi, & annis 1383. & 1384. in privilegiis Mariæ Regum Hungariæ, urbi & Eccleſiæ Spalatenſi & Tragurienſi conceſſis, cum aliis Hungariæ & Dalmatiæ Epiſcopis, nominatur *Matthæus Sibenicenſis*. Corrigendus itaque eſt catalogus Antiſtitum Sibenicenſium deſcriptus in aula pontificia, qui Matthæi Epiſcopi initium anno ſexageſimo, exitum anno quarto & ſexageſimo hujus ſæculi affixit. In regiis diplomatibus Ludovici Regis Hungariæ an. 60. 73. 79. & Sigiſmundi 88. hujus ſæculi nominatur *Fr. Matthæus Sibenicen.*

Controverſiæ Matthæi cum Epiſcopo Tragurienſi.

Jadrenſes concoquere non poterant duas illas inſulas Mortarium & Surium urbi & eccleſiæ ſuæ ademptas; & anno 1388. ut tradit Dominicus Zavoreus, Damianum Begnam miſerunt, qui eas a Sibenicenſibus repeterent; utramque pertinere ajebant ad monaſterium SS. Coſmæ & Damiani ex urbe Belgradenſi ad inſulam Paſmaniam translatum, ſitumque intra fines diœceſis ac territorii Jadertini. Reſponſum eſt inſulas illas multo ante in poteſtate Sibenicenſium fuiſſe, quam eas Veneti Jadrenſibus traderent; eaſdem vero auctoritate ac decreto Veneti magiſtratus in ditionem Sibenicenſium ante annos fere ſexaginta rediiſſe; illius vero antiquiſſimæ poſſeſſionis teſtes tabulas protulerunt ex vetuſtiſſimo illo cœnobio Benedictino, quod ſitum erat in inſula Surio, cujus nunc ne veſtigia quidem cernuntur. Ita civitas & eccleſia Sibenicenſis antiquam earum inſularum poſſeſſionem retinuit. In catalogo aulæ epiſcopalis proxime poſt Matthæum ſubjicitur

Jadrenſes Mortarium & Surium

fruſtra repetunt a Sibenicenſ.

BONIFACIUS EP. SIBENICENSIS VI.

Ex urbe Ravenna, quem Matthæo Cernotæ Dominicus Zavoreus præpoſuit; at catalogus modo laudatus ſubſtituit; ſed hujus epiſcopale initium quatuor ipſis annis ſupra viginti anticipavit: 1364. *Bonifacius de Ravenna*. Nec vero ante annum 1388. ad hanc eccleſiam regendam, Matthæo adhuc ſuperſtite, accedere potuit. Per hæc tempora civitas Sibenicenſis, & ſodalitas Franciſcana præclarum martyrem eccleſiæ dedit, F. Nicolaum ex illuſtri domo Taviglichia, qui Hieroſolymæ cum in perfidiam Mahumeticam, Dei amore ardens, æternæque magis, quam hujus vitæ memor, aperte inveheretur, cum tribus ſociis ejuſdem ordinis a Turcis interfectus, glorioſam pro Chriſto mortem oppetiit XVIII. Kalendas Decembris, adſcriptuſque in faſtis Franciſcanis ad eum diem, titulum & cultum *Beati* promeruit. Anno 1390. ut ferunt cum quædam adoleſcentulæ ex primaria nobilitate Sibenicenſi caſtam piamque vivendi rationem inſtituere cuperent ad normam diſciplinæ S. Benedicti; ex decreto Conſilii, & Communis Sibenicenſis, eiſdem attributæ ſunt ædes S. Salvatoris, aſſignatique annui proventus ſatis copioſi. Sed hujus cœnobii conditi primordia antiquiora eſſe videntur, ut colligi poteſt ex epiſtola Bonifacii IX. quam infra deſcribemus. Porro Bonifacius uſque ad annum fere 1393. vitam & pontificatum perduxit.

Martyrium S. Nicolai Sibenicenſis.

Cœnobium Benedictinum Virginum Sibenicenſium.

Ante

Ante biennium Sibenicenſes a Bonifacio Papa IX. petierunt, impetraruntque facultatem inſtituendi collegii Virginum ordinis S. Claræ, ut conſtat ex diplomate pontificio.

Magnæ devotionis & ſinceritatis affectus, quem ad nos & Romanam Eccleſiam non ſine magno laudis præconio gerere comprobamus, non indigne meretur, ut votis veſtris, illis preſertim, quæ ex fervore devotionis prodire conſpicimus, & per quæ divinus cultus adaugeri valeat, quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus; exhibita ſiquidem nobis pro parte veſtra petitio continebat, quod cum in civitate Sibinicenſi infra fines . . . veſtri quædam eccleſia ſub vocabulo S. Salvatoris ſit conſtructa, apud quam nonnullæ mulieres, non tamen alicujus regulæ approbatæ profeſſæ reſident; voſque zelo devotionis accenſi, ac etiam cupientes terrena . . . commutare de bonis vobis a Deo collatis dictam eccleſiam in monaſterium ſub vocabulo B. Catharinæ, ordinis S. Claræ cum campanili . . . . & aliis neceſſariis officinis erigere, ipſumque monaſterium per 20. moniales cum Abbatiſſa dicti ordinis quæ Domino poſſint perpetuo famulari, ſufficienter dotare proponatis & etiam intendatis, pro parte veſtra nobis . . . ſupplicatum ut vobis præmiſſa faciendi licentiam . . . dignaremur. Nos igitur . . . inclinati vobis ut dictam eccleſiam in hujuſmodi monaſterium ut prefertur erigi, edificari, & conſtrui facere cum campanili & officinis hujuſmodi; nec non monaſterium ipſum dotare pro hujuſmodi 20. monialibus & Abbatiſſa ac earum miniſtris; ac dictum monaſterium cum juribus & pertinentiis ſuis dicto ordini Sanctæ Claræ donare libere, & licite valeatis, diœceſani loci, & cujuſcunque . . . minime requiſita auctoritate . . . indulgemus: jure tamen parochialis &c. ſalvo, ſic tamen quod mulieres prædictæ ſi in dicto monaſterio ordinem ipſum profitendo voluerint perpetuum domino reddere famulatum, & ad id fuerint idoneæ, in moniales & ſorores ejuſdem monaſterii recipiantur, & etiam admittantur. Si vero hujuſmodi mulieres, ſive earum aliqua, vel aliquot nolunt, aut volunt dictum ordinem profiteri; nihilominus de fructibus redditibus & proventibus ipſius eccleſiæ, ſi qui ſint, neceſſaria dum vixerint miniſtrentur eiſdem. Et inſuper cum prædictum monaſterium erectum, & ſufficienter per vos dotatum fuerit, ut præfertur, volumus, quod Abbatiſſa & moniales ipſius monaſterii pro tempore exiſtentes omnibus . . . monialibus, & earum prælatis dicti ordinis in aliis monaſteriis atque locis ejuſdem ordinis degentibus, ab Apoſtolica Sede conceſſis, fundatis ſub vocabulo S. Claræ, & ordinis prædicti, gaudeant & utantur conſtitutionibus &c. . . . non obſtantibus quibuſcunque . . . .

Datum Romæ apud S. Petrum . . . Kal. Januarii an. 2. ideſt 1391.

ANTONIUS EP. SIBENICENSIS VII.

Antonius a Ponte Patricius Venetus auditor ſacri palatii.

Venetiis ortus ſtirpe antiquiſſima, cui *A Ponte* cognomen fuit, clara in primis inter Patricias Venetorum familias, ex qua Nicolaus, pro ſuis in rempublicam meritis plurimis, & maximis, ſupremum civitatis ſuæ principatum obtinuit. Ab ineunte adoleſcentia Romam ſe contulit; in eaque urbe haud ſegnius Chriſtianis virtutibus, quam bonis artibus, animum excoluit. Antonium plurimi fecit, & mirifice dilexit Bonifacius IX. receptumque inter ſuos domeſticos atque intimos familiares *Auditorem ſacri palatii* conſtituit, & ſacello pontificio præpoſuit. In codice rubeo tabularii Sibenicenſis hoc elogium illi attributum invenio ex epiſtola ejuſdem Bonifacii Papæ decerptum: *Antonius ſacri palatii antiquus auditor, capellanus, & familiaris Bonifacii Papæ, in Romana Curia diutius converſatus, dono ſcientiæ probatus ſemper apparuit, ac honeſtate converſationis ſumme placuit, & actus ſuos morum elegantia venuſtavit; ita quod in Pontificis & Cardinalium conſpectu multipliciter commendatus fuerit, & a teneris annis clarius patuere virtutes, quibus eſt divino munere præſignatus.* Sibenicenſis Epiſcopatus eidem a Bonifacio collati initia Dominicus Zavoreus Patricius Sibenicenſis, & catalogus epiſcopalis ſæpe laudatus, conferunt in annum 1390. Sed cum Bonifacius anno ſuperiori, menſe Novembri ad ſummum chriſtiani pontificatus apicem evectus fuerit, Antonio non relinquunt temporis quod ſatis eſſet ad conciliandam ſibi Pontificis gratiam, ſeque in ejus intimam familiaritatem inſinuandi. Quare veriſimilius eſſe arbitror Eccleſiam Sibenicenſem ante annum 1395. decretam Antonio non fuiſſe.

Sigiſmundus Rex Hungariæ Antonium, ejuſque eccleſiam inſigni privilegio decoravit; quippe villicos, & cultores agrorum epiſcopalium, foro laicali exemptos, ſolius Epiſcopi tribunali ac judicio ſubjecit: *Sigiſmundus Rex Ung. Dalm. & Croat. &c. Fidelibus noſtris Communi & regimini civitatis noſtre Sibenicen. ſalutem & gratiam. Cum ex libertate & antiqua conſuetudine omnium eccleſiarum regnorum noſtrorum predictorum, Prelati & Rectores earum, ruſticos, jubagiones ipſorum, & quoslibet alios cujuſcumque ſexus homines in quibuſcumque poſſeſſionibus, & territoriis ſuis habitantes & commorantes, ac familiares in poſſeſſionatus eorum, ipſimet & non alii, in omnibus, & quibuslibet cauſſis facultatem habeant judicandi; fidelitati veſtre mandamus, quatenus amodo in antea dictos ruſticos, jubagiones habitantes, & commorantes & famulantes fidelis noſtri, & Rever. in Chriſto Patris Dom. Antonii de Ponte decretorum Doctoris, Epiſcopi nobis dilecti Eccleſiæ Sibenicen. &c. Dat. Strigonii die* 1. *menſ. Junii, anno Dom.* 1397. Sed hujuſmodi decretum poſtea idem Sigiſmundus per Internuncios Communis Sibenicenſis rogatus revocavit, ut notatum invenio in ſchedis Sibenicenſibus.

Sigiſmundus Rex Hung. villicos & colonos epiſcopales curiæ Epiſc. ſubjecit.

Cum de bonis & vectigalibus cœnobii S. Salvatoris, de quo ſupra dictum eſt, magna diminutio facta eſſet, quæ interverſa fuerant, & alio atque alio diſtracta; Antiſtita illarum Virginum graviſſimis litteris conqueſta eſt apud Bonifacium Pontificem, qui tribus Epiſcopis Sibenicenſi, Tragurienſi, & Senienſi imperavit, ut quidquid prædiorum atque terrarum ad cœnobium illud Benedictinum antiquo jure ſpectabat, diligenter perquirerent; & ubicumque, vel apud quoſcumque eſſent, pro poteſtate, & anathematis pœna interpoſita, reſtitui juberent.

Mandatum Bonifacii IX Sibenicen. Tragurien. & Segnien. Epiſcopis impoſitum de bonis cœnobii S. Salvatoris.

Bonifacius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabil. Fratribus Tragurien. Segnen. & Sibenicen. Epiſcopis ſalutem & apoſtolicam benedict. Militanti Eccleſiæ &c. Sane dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & conventus monaſt. S. Salvatoris ord. S. Benedicti conqueſtione percepimus, quod nonnulli Archiepiſcopi, & Epiſcopi, aliique eccleſiarum prælati, & clerici, nec non Duces, Marchiones, Comites, Barones, nobiles, mili-

milites, & laici, communia, civitates, universitates, oppidorum, castrorum, villarum & aliorum locorum, ac aliæ singulares personæ civitatum, & dioces. & aliarum partium diversarum, occuparent, & occupare fecerint castra, villas, & alia loca &c. dicti monasterii, & nonnulla alia bona mobilia & immobilia, spiritualia & temporalia ad Abbatissam & conventum ac monasterium præd. spectantia, & ea detinent indebite occupata &c. (prædictos judices & custodes constituit cum auctoritate definiendi, & restitui faciendi omnia bona dicto monasterio a quibusvis occupata sub sententia excommunicationis aliisque pœnis &c. præsentibus ad quinquennium valituris). Dat. Romæ apud S. Petrum, 12. Calen. Feb. Pontificatus an. 12. ideſt Chriſti 1401. Niſi hoc diploma Pontificium alio referendum ſit, ſed vere pertineat ad monaſterium Sibenicenſe S. Salvatoris, hoc longe antiquius eſſe oportet, quam ut ejus initium retrahi poſſit ad annum 1390. vel 1395., ut tradit Dominicus Zavoreus in ſuis adverſariis Mſſ., neque enim intra paucos annos tanta illi bonorum vel acceſſio, vel detractio ac diminutio fieri potuit.

Controverſia de decimis.

De jure decimarum diuturna fuit Antonio, ac fere perpetua, inde uſque a principio ſuſcepti regiminis, controverſia cum civibus & Communi Sibenicenſium. Cum Sibenicenſis Epiſcopatus inſtitutus fuit, proventus annui Menſæ Epiſcopalis fere omnes conſtabant ex decimis, vini, olei, frugum, & rerum omnium, ac locorum, qui aliquem ex ſe fructum ederent; quas quidem decimas æque cives, & agricolæ penſitabant. Sed cum procuratores epiſcopales ſeverius, quam oportebat, decimas exigerent, nihilque de jure ſummo remittere vellent; hinc ſæpe lites, jurgia, rixæ oriebantur. Hiſce incommodis & contentionibus omnem occaſionem ut præriperent; ita convenit inter Sibenicenſes & Epiſcopos ſuperiorum temporum, ut hi quidem jus percipiendi decimas dimitterent; illi vero præter quaſdam Salinas, has villas terraſque frugiferas Menſæ epiſcopali attribuerent, *Oſtizzam* utramque cum ſuis paſcuis, *Treboccon*, *Cruppanum inſulam*, duos ſcopulos *Carbellem*, & *Oblichium*, agros & villicos in *Buſſilinia*, qui pertinebant ad territorium Sibenicenſe, & præterea decimum quemque agnum, hædum ex gregibus inſulæ Surii. Hujus permutationis, & compoſitionis tabulæ confectæ ſunt, utriuſque partis & chirographo ſubſcriptæ, & ſigno obſignatæ. Sed illud perincommode accidit, quod bello Liguſtico, & Hungarico, cum Victor Piſanus Imperator Venetæ claſſis, capto Sibenico, ignem tectis injeciſſet, tabulæ illæ, eodem incendio una cum publico tabulario conflagrarunt. Hæc Dominicus Zavoreus in ſuis adverſariis ſæpe laudatis.

Antonius jus decimarum a deceſſoribus dimiſſum recuperare nititur.

Vix igitur Antonius epiſcopatum inierat, cum id moliri cœpit, ut decimas recuperaret, quas antiquitus juris epiſcopalis fuiſſe compererat, & per injuriam ſuperioribus Epiſcopis ablatas eſſe exiſtimabat: ab Rege Sigiſmundo duo decreta impetravit, quibus Sibenicenſes jubebantur decimas Epiſcopo perſolvere. Decretum poſterius eſt hujuſmodi: *Nos Sigiſmundus &c. Ex querela fidelis noſtri dilecti Reverendi in Chriſto Patris Domini Antonii de Ponte decretorum Doctoris, Epiſcopi Sibenicenſis . . . percepimus diſplicenter, quod licet nos per alias litteras noſtras expreſſe dederimus in mandatis, ut eidem omnes & integras decimas per vos ſibi, & eidem eccleſie debitas de jure communi, debitis temporibus extrahere & perſolvere deberetis; vos mandatis noſtris, prout veriſimiliter ſupponitur, vilipenſis, de dictis decimis realiter, & plene, prout tenemini, reſpondere & ſatisfacere, licet pro parte ſua pluries requiſiti, minime curaſſetis . . . . Fidelitati ergo veſtre, ac vobis, & cuilibet veſtrum regio noſtro ſub edicto, firmiſſime iterum nunc precipiendo mandamus quatenus eidem Antonio Epiſcopo eccleſie veſtre, ac ſucceſſoribus ſuis Epiſcopis Sibenicen. pro tempore futuris, de dictis decimis realiter, & integre reſpondere & ſatisfacere debeatis. Dat. Strigonii die 1. Menſ. Junii, an. Domini 1397.*

Sibenicenſium rationibus non acquieſcit.

Contra vero Sibenicenſes ajebant jus exigendi decimas, quod ad menſam epiſcopalem olim pertinebat, plurium villarum compenſatione redemptum fuiſſe, devolutumque ad Commune Sibenicenſium; ſed quibus id probarent, tabulas proferre non poterant; quippe quæ tabulario incenſo perierant. Quamvis omnes idem omni aſſeveratione affirmarent, ſeniorum etiam teſtimoniis adhibitis, acquieſcere noluit Antonius, & quæ ſibi, & eccleſiæ ſuæ ex antiqua conſuetudine, & jure divino & canonico deberi putabat, repetere obſtinatione quadam ſententiæ perſeveravit. Plures annos ea controverſia tenuit, & multis utrinque, acerbiſque contentionibus exagitata, Sibenicenſium animos adeo exulceravit, ut veriti non fuerint, quos miſerat Epiſcopus ad colligendas decimas, contumelioſe tractatos repellere; ac præterea ipſum Epiſcopum de flagitiis enormibus apud Bonifacium per litteras accuſare; quæ Pontifex, cum per calumniam, & malitiam conficta eſſe animadverteret, graviſſime illos reprehendit; ſimulque Antonio innocentiæ ac virtutis ſibi cognitæ perſpectæque illuſtre teſtimonium tribuit.

Pontificii diploma perhonorificum Antonio.

Bonifacius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Judicibus & Conſulibus Sibenicen. ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Multa mentis turbatione movemur, & vehementi cordis afflictione gravamur, cum veſtris per maxime litteris accepimus quæ ſunt honeſtati contraria, & veſtræ ſaluti derogant, & honori; ſignificant quidem nobis litteræ veſtræ venerabilem Antonium Epiſcopum Sibenicenſem ſacri palatii antiquum auditorem, ac Capellanum, & familiarem noſtrum nonnulla gravia & enormia commiſiſſe, cujus a teneris annis clarius patuere virtutes, quibus eſt divino munere præſignitus; ipſe quidem in Romana curia diutius converſatus, dono ſcientiæ probus ſemper apparuit, ac honeſtate converſationis ac vitæ placuit apud nos, & actus ſuos morum elegantia venuſtavit, ita quod in noſtro & fratrum noſtrorum conſpectu meruit multipliciter commendari. Graviter quidem & injurioſe nos & Romanam Eccleſiam offenditis, animas veſtras dando perditioni; cum de Epiſcopo veſtro, & paſtore animarum veſtrarum ſic nobis pro jure noto, tam deteſtabilia, & veritate carentia, ut veriſimiliter præſumitur, ſcribere non formidatis . . . . . nam quæ ſcribitis, ut fide dignorum hominum accepimus teſtimonio plurimorum, potius ex odii radice prodeunt, quam veritatis, eo quia ſemper ejus ſalubria monita & mandata, omni timore Dei poſtpoſito, contemnere in noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ vilipendium non erubeſcitis; decimas, & alia, ad quæ obligamini, ratione, ſuæ Sibenicenſis Eccleſiæ perſolvere denegantes, ejus procuratorem turpiter ejiciendo. Gratum ſiquidem haberemus quampluri-

mum

mum, & acceptum, ſi divina clementia videret in vobis ſpiritum ſaniorem, & mentis veſtræ oculos aperiretis, & de tenebris conſurgeretis ad lucem, actus veſtros per viam mandatorum Domini dirigendo, & licet enormis culparum veſtrarum gravitas grandium onera pœnarum importet; nihilominus more pii Patris, quem non prætereunt incommoda filiorum, cupientes veſtræ providere ſaluti, & veſtris obviare diſpendiis, diſcretionem veſtram paternis affectibus requirimus, & hortamur attente, vobis nihilominus diſtrictius injungentes, quatenus, ſi de tenebris ad lucem vultis converti, & de laboribus, & ærumnis ad ſtatum redire quietis, animos veſtros promptos exhibeatis ad ipſius Epiſcopi ſalubria monita & mandata, ejuſque conſiliis plena promptitudine acquieſcere curetis, & vos ſic gerere in præmiſſis, quod ſperati fructus ſuccedant, nobiſque cumulus honoris accreſcat, & tamquam benedictionis filii apud nos, & Sedem Apoſtolicam commendari valeatis: nam ſi ſecus duxeritis faciendum (quod abſit) ſententias & pœnas, quas rite tulerit in rebelles, ratas & gratas habebimus & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Si vero veſtra aliquid putaveritis intereſſe in præmiſſis; illud in noſtra curia proſequamini, recepturi, dante Domino, quod juris ordo, & juſtitia ſuadebunt. Datum Romæ apud S. Petrum XVIII. Kal. Januarii Pontificatus noſtri an. XIII., ideſt Chriſti 1401.

Sibenicenſes ſevera Pontificis caſtigatione & objurgatione admoniti deſtiterunt quidem abillis graviſſimis criminationibus, quas in paſtorem ſuum intentaverant; ſed quod Pontifex ipſe permittebat, quod bonitas & æquitas cauſſæ poſtulabat, jus ſuum perſequi apud Sedem Apoſtolicam decreverunt; & per ſuos Oratores, qui de ſtatu totius controverſiæ Bonifacium docerent, ut judicium ſibi redderet, ſuppliciter ab eo poſtularunt. Pontifex illius cauſſæ cognitionem Chryſogono de Dominis Epiſcopo Tragurienſi delegavit; qui diligenti adhibita inquiſitione, citatiſque teſtibus idoneis ad fidem faciendam, indigenis, atque advenis, & viris religioſis, iiſque jurejurando ad id, quod verum eſſet, affirmandum adactis, ſecundum Sibenicenſes judicavit, a quibus jus ſtare manifeſto compertum eſt. Sententia lata fuit anno 1402. XIII. Kal. April., atque ad memoriam perpetuam poſterorum in publicis tabulis deſcripta: *Griſogonus Dei & Ap. Sedis gratia Epiſcopus Tragurien. ad infraſcripta omnia & ſingula Commiſſarius, & Judex a Sede Apoſtolica ſpecialiter delegatus & deputatus. Invenimus, omni tractatione poſtpoſita, & mera veritate reperta, quod petitio facta per Dominum Comitem, Judices, & Commune Sibenici Sanctiſſimo Domino noſtro PP. fuit, & eſt vera, juſta & conſonans veritati ac rationi; ex eoque invenimus, quod Domini Epiſcopi Sibenici, qui pro tempore fuerunt, cujus in contrarium hominum memoria non exiſtit, ſemper* (ideſt a tempore belli Hungarici) *pro decima civitatis Sibenici habuerunt, tenuerunt, & poſſederunt omnes & ſingulas poſſeſſiones expreſſas, nominatas, & ſpecificatas in Bulla Domini PP., videlicet Salinas &c. Dat. & actum in civit. Siben. ſub anno Domini* 1402. *Indict.* 10. *die* 20. *men. Martii.*

Chryſogono Ep. Trag. item cognoſcendam inter Sibenicenſes & ep Pontifex dedit.

Dum ea controverſia adhuc ſub judicio eſſet, Bonifacius prudenter exiſtimans vix fieri poſſe, ut poſthac Sibenicenſes ex animo Epiſcopum ſuum colerent ac diligerent, a quo propter interpoſitas contentiones alienati fuerant, quemque graviſſimis calumniis affecerant; Antonium Sibenicenſibus ademptum eodem anno 1402. III. Kal. Martii, Eccleſiæ Concordienſi Epiſcopum dedit; de quo Ughellus Tom. 9. It. Sac. *Antonius a Ponte nobilis Venetus, olim Epiſcopus Sibenicen. mox Concordien. ad patriarchatum Aquilejen. translatus a Gregorio XII. ſed irrita hujuſmodi translatione declarata a Joanne XXIII. ad priorem Concordienſem rediit; a qua a Martino anno* 1418. *Calen. Aprilis factus eſt Archiepiſcopus Hydruntinus, ubi deceſſit anno* 1424.

Antonius ex auctoritate Boni facli ad Concordienſe Eccleſiam migravit.

BOGDANUS EP. SIBENICENSIS VIII.

Quem, ſi latine interpretari velis, *Deodatum* ſive *donum* Dei rite dixeris; alias *Puliſe*, alias *Pulſich* cognominatum invenio. Erat civis Sibenicenſis, & Primicerius eccleſiæ cathedralis, cui Bonifacius IX. anno ſuperiori Archidiaconatum Eccleſiæ Tinninienſis contulerat, feceratque poteſtatem utriuſque Sacerdotii ſimul retinendi, ut conſtat ex diplomate Pontificio, quod hiſtoriæ Tinninienſis Eccleſiæ inſertum eſt. Cum Eccleſia Sibenicenſis per translationem Antonii ad Sedem Concordienſem vacaret, jus eligendi Epiſcopi, quod conceſſu Bonifacii VIII. ad Canonicos pertinebat, devolutum eſt ad Sedem Apoſtolicam. Itaque Bonifacius IX. Bogdanum ex Primicerio Epiſcopum Sibenicenſem fecit, ut conſtat ex Epiſtola Pontificia inſcripta clero & civitati, cujus exemplum hic ſubjicimus.

Diploma Bonifacii IX.

Bonifacius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis clero, civit. & diœceſi Sibenicenſi ſal. & apoſtolicam benedictionem. Apoſtolatus officium, quamquam inſufficientibus meritis nobis ex alto commiſſum, quo eccleſiarum omnium regimini præſidemus, utiliter exequi coadjuvante Domino cupientes, ſoliciti corde reddimur & ſolertes, ut cum de ipſarum regiminibus agitur admittendis, tales eis in paſtores præficere ſtudeamus, qui commiſſum ſibi gregem Dominicum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed exempli boni operis informare, commiſſaſque ſibi eccleſias in ſtatu pacifico & tranquillo velint, & valeant, Duce Domino, ſalubriter regere, & feliciter gubernare. Sane Eccleſia Sibenicen. ex eo paſtoris ſolatio deſtituta, quod nos hodie Ven. Fratrem noſtrum Antonium Concordienſem, tunc Sibenicen. Epiſcopum, a vinculo, quo Sibenicen. Eccleſiæ, cui tunc præerat, tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio, & apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, ipſum ad Eccleſiam Concordienſem tunc paſtore vacantem duximus transferendum, ipſumque illi præfecimus in Epiſcopum & paſtorem; Nos ad proviſionem ipſius Eccleſiæ Sibenicen. ne longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ Sibenicen. perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem; demum ad dilectum filium Bogdanum Puliſe elect. Sibenicen. tunc Primicerium Sibenicen. in presbyteratus ordine conſtitutum, cui de litterarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos mentis; quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona ipſius Bogdani electi nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum ſuo-

rum

rum exigentiam meritorum accepta, eidem Sibenicen. Eccleſiæ providimus, ipſumque illi præficimus in Epiſcopum & paſtorem; curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Sibenicen. ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo: in illo, qui dat gratias & largitur præmia, confidentes, quod dextera Domini ſibi aſſiſtente propitia, præfata Eccleſia Sibenicen. ſub ipſius Bogdani electi felici regimine proſpere & ſalubriter dirigetur, grataque in ejuſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eidem Bogdano electo tamquam patri & paſtori animarum veſtrarum humiliter intendentes, & exhibentes ſibi obedientiam, & reverentiam debitam & devotam, ejus ſalubria monita & mandata ſuſcipiatis devote, & efficaciter adimplere curetis: alioquin ſententiam ſive pœnam, quam idem electus rite tulerit, ſive ſtatuerit in rebelles, ratam & gratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Dat. Romæ apud S. Petrum III. Kal. Martii Pontifi. noſtri anno XIII. ideſt 1402.

Cui Bogdanus ſuam fidem & obedientiam obligavit.

Extat ſollemne Sacramentum, quo Bogdanus ſuam fidem Bonifacio legitimo Pontifici, ejuſque legitimis ſucceſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ obſtrinxit; ac nominatim Clementis Antipapæ nomen ac memoriam exſecratus, numquam ſe fautoribus, aut ſequacibus illius coitionis ſchiſmaticæ quidquam auxilii præbiturum promiſit. Siquidem poſt mortem Gregorii XI. quæ incidit in annum 78. ſuperioris ſæculi, fœdum ac diuturnum ſchiſma exortum eſt, cum a factione Gallicana Urbano V. legitimo Pontifici Robertus Cardinalis Gebennenſis objectus fuit, qui Clemens VII. appellari voluit; & huic e vivis ſublato in ſedem ſchiſmaticam Avenionenſem ſucceſſit Petrus de Luna, quem ſui Benedictum XIII. nominarunt.

Formula juramenti.

Ego Bogdanus Duliſe el. Sibenicen. promitto, & juro, quod ab hac hora in antea, quandiu vixero, fidelis ero, & obediens B. Petro, Sanctæque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, & Domino noſtro Domino Bonifacio divina providentia Papæ VIIII. ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus. Non ero in conſilio, conſenſu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione. Conſilium vero, quod mihi credituri ſunt per ſe, aut per nuncios, ſive per litteras, nulli manifeſtabo ad eorum damnum, me ſciente. Papatum Romanum, & regalia S. Petri, adjutor eis ero ad retinendum, defendendum ac recuperandum, ſalvo meo ordine, contra omnem hominem; ac honorem, & ſtatum ipſorum, quantum in me fuerit, conſervabo, ipſiſque adhærebo, & pro poſſe favebo. Legatos, & Nuncios Sedis Apoſtolicæ benigne in terris meæ ecclesiæ ſuſcipiam, dirigam, & defendam, ſecuramque ductum præſtabo eiſdem, ac in eundo, & redeundo eos honorifice tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo; nec quantum in me fuerit permittam eis aliquam injuriam fieri, vel inferri, & quibuſcunque qui contra præmiſſa, vel eorum aliquod, conaretur aliquid attemptare, quantum potero, me opponam; atque pro poſſe impediam offenſiones; & damna prædicti Domini noſtri Papæ, & dictæ Romanæ Eccleſiæ quantum potero, evitabo; nec ero in conſilio, vel facto, ſive tractatu, in quibus contra ipſum & eamdem R. E. aliqua ſiniſtra, vel præjudicialia machinentur. Et ſi talia a quibuſvis procurari novero, vel tractari, impediam hoc pro poſſe; & quantocius potero, commode ſignificabo alteri, per quem poſſit ad eorum notitiam pervenire. Vocatus ex quacunque cauſa ad Synodum, ſeu ad . . . accedam, niſi præpeditus fuero Canonica præpeditione, eiſque obedientiam, & reverentiam debitas exhibebo. Apoſtolorum limina ſingulis annis viſitabo, aut per me, vel per nuncium meum, niſi apoſtolica abſolvar licentia: Poſſeſſiones vero ad menſam meam epiſcopalem pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, inconſulto Romano Pontifice. Item aſſerentibus damnatæ memoriæ Robertum olim baſilicæ 12. Apoſtolorum Presbyterum Card. dictum Gebennen. tunc Antipp. fuiſſe verum PP. eique Joanni olim tituli S. Marcelli Presbytero Card. dicto Ambranen. perditionis filiis, juſto Dei judicio auctoritate apoſtolica condemnatis, & eorum ſequacibus, ac dantibus eis, vel eorum alicui auxilium, conſilium, vel favorem cujuſcumque fuerit præminentiæ, ordinis, religionis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi pontificali, regali, ſive reginali, vel quavis alia præfulgeant dignitate, etiam ſi fuerint dictæ R. E. Cardinales; ſeu aliis quibuſcunque per dictam eccleſiam denotatis, vel in poſterum denotandis, quandiu extra gratiam, & communionem Sedis prædictæ permanebunt, non dabo quovis modo, per me, vel alium directe, vel indirecte, publice, vel occulte auxilium, conſilium vel favorem; nec ab aliis quantum in me fuerit, & impedire potero, dari permittam; ſed eos ſecundum poſſe meum, donec convertantur juxta proceſſum apoſtolicum, prout juſtum fuerit, perſequar. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Anno 1403. jam ſuſceperat regimen hujus eccleſiæ; quippe nominatur in tabulis fœderis, quod contra Sigiſmundum pro Ladislavo Rege Neapolitano, inter ſe fecerant Sibenicenſes & Tragurini: *Fedus Sibenicen. cum Tragurienſibus per quinquennium pro defenſione publica, nec non Ladislai Reg. Ungarie* 1403. 8. *Octobris tempore Bogdani Epiſcopi Sibenicenſis.* Bogdano ad Sedem Epiſcopalem evecto in ſubſellium munuſque Primicerii ſucceſſit Georgius Stantius; quem cum nobilitas & populus rectorem *Eccleſiæ S. Danielis de Campo ſuperiori* elegiſſet, ac nominaſſet; hanc electionem & nominationem approbavit Bogdanus anno 1405. XI. Kal. Julii, ut eſt in tabulis Sibenicenſibus. Cum Sibenicenſes anno hujus ſæculi duodecimo urbem, ſeque Venetis dediderunt; inter cetera illud poſtularunt impetraruntque, ut Bogdanus Epiſcopus ſedem ſuam retineret, & jus eligendi Epiſcopi Capitulo relinqueretur; neve Surium, Mortarium, ceteræque inſulæ ab urbis & Eccleſiæ Sibenicen. juriſdictione alienarentur. Ex lib. rubeo. Triennio poſt cum ædes cathedralis S. Jacobi anguſtior eſſet, pro numero civium, atque urbis frequentia, de molitione novi templi cogitari cœptum eſt. Itaque de communi ſententia terras opimas & fertiles in villa Vodizze, itemque decimas vini aſſignarunt, ex quibus annui ſumptus ad ædificationem atque dotationem templi ſuppeterent; & præterea decretum eſt, ut altero quoque anno procuratores duo eligerentur, alter ex Capitulo, alter ex ordine nobilium, qui fabricæ præeſſent. Ex libro rubeo, idque ſub anno 1415. Martinus Papa V. anno 1422. Bogdano per litteras imperavit, ut controverſiam dirimeret, quæ Petro X. Archiepiſcopo Spalatenſi

Sibenicenſes ſe Venetis dedunt.

Decretum de novo templo cathedrali ædificando.

tenſi erat de quibuſdam molis frumentariis Jadro fluvio impoſitis, cum monachis S. Stephani de Pinnis: *Martinus Ep. ſervus ſervorum Dei Ven. Fr. Bogdano Epiſcopo Sibenicen. ſalutem & apoſtolicam benedict. &c. Dat. Tibure XVI. Kal. Septemb. Pontific. noſtri an.* 5. Huic eccleſiæ adhuc præſidebat anno 1434. nam hoc eodem anno in tabulis Sibenicenſibus una cum Jacobo Epiſcopo Scardonitano *Bogdanum Epiſc. Sibenicen.* nominatum invenio. Anno 1436. in inſula Caprani ſive Capriæ, quæ ab Surio non ita lato interjecto Euripo in occaſum diſtat, oblatum ab incolis cœnobium Patres Franciſcani de obſervantia receperunt, ex poteſtate ſibi facta ab Eugenio IV. qui Archidiacono Eccleſiæ Sibenicenſi imperavit, ut Patres illos in ejus loci poſſeſſionem induceret: *Eugenius Epiſc. ſervus ſervorum Dei. Dilecto filio Archidiacono Sibenicen. Votis fidelium &c. Dat. Bononiæ* 17. *Kal. Decemb. an. Pontif. noſtri* 6. Ex Vadingo Tom. V.

GEORGIUS EP. SIBENICENSIS IX.

Nobili genere natus Sibenici ex perilluſtri familia Siſgorea, vel Siſgorichia; ejus Pater vel patruus fuit Radichius Siſgoreus, quem ob præclara in rempublicam merita penſione annua, ac multis privilegiis Thomas Mocenicus, & Franciſcus Fuſcarus Duces Venetorum donarunt. Georgius poſt primam ætatem in ſtudiis optimarum artium, & eximia erga Deum & parentes pietate tranſactam, e domo paterna ad cœnobium S. Dominici ſe contulit, ut tradit Georgius Cariſtius Canonicus Sibenicenſ. in ſuis Animadver. Mſs. vitamque religioſam ex diſciplina ſanctiſſimi illius Patriarchæ inſtituit. Ob egregias illius virtutes cum ſingulari prudentia conjunctas dignum ſe præbuit, quem Canonici unanimi conſenſu Epiſcopum eligerent ac nominarent anno circiter 1440. Suſcepto Epiſcopatu nihil habuit antiquius, quam ut decreta jampridem, & perpulchre deſcripta templi cathedralis ædificatio inchoaretur. Ei condendo locum deſignaverant Sibenicenſes in urbe media, eaque frequentiſſime habitata, ubi templum eſt Sanctiſſimæ Trinitatis; ſed Georgio potiſſimum auctore, mutato conſilio, ædificium hoc locari placuit ibidem loci, ubi vetus erat ædes S. Jacobi, in publico & ampliſſimo foro, penes palatium pontificale. Itaque novæ & auguſtiſſimæ baſilicæ jacta ſunt fundamenta anno 1443. & Georgius Epiſcopus primum lapidem ſacris precationibus initiatum ſollemni ritu & cærimonia dimiſit locavitque. Annus hujus baſilicæ conſtrui cœptæ, itemque nomen architecti litteris Gothicis inſcriptum eſt tabulæ marmoreæ, quæ infixa parieti extra ipſam baſilicam viſitur.

Novæ ædis cathedralis molitio cœpta, ubi erat vetus.

Inſcriptio.

Templa tibi curæ Præſul venerande Georgi
Siſgoridæ ſtirpis claro de ſanguine nate
Urbs a Fantino regitur pro Conſule digno
Piſauræ prolis, Venetum dominante Senatu,
Cum pars iſta Domus Domini primordia ſumpſit
Mille quater centum Domini labentibus annis
Quadraginta tribus, Michael dum protegit urbem
Armiger, ejuſdem regis quoque janitor almus.

Magiſter Matthæus Dalmaticus

Inde opus ſtrenue ædificari cœptum; cumque bona pars templi, aſſidue Epiſcopo urgente, ac tum præpoſitos fabricæ, tum artifices, ſua præſentia, ſuiſque cohortationibus extimulante, quinque annorum labore, & ſumptu immani extructa eſſet, pecunia defecit, atque ædificationem intermitti oportuit. Hanc interrupti operis cauſſam attulit, ut eſt in libro rubeo, *Georgius Siſgorich Ep. Siben. coram Chriſtophoro Comite, & Capitaneo civit. Siben. anno* 1448. *menſe Marcio, propoſitis a Conſil. gen. civitatis, ſupra ædific. eccleſiæ S. Jacobi, quæ conſtrui cœpta non poterat conſummari.*

Georgio in primis curæ fuit diſciplina, pietas, ac religio cleri, præſertim in iis, quæ ad chori frequentiam, & pſalmodiam ac liturgiam rite peragendam pertinerent. Ipſe ceteris exemplo, & incitamento erat. Cum quidam ex clero inferiori divinis laudibus ac ſacrificiis, aut numquam aut raro intereſſent; neque ut officio ſuo ſatisfacerent, admonitionibus, decretis, pœnis etiam propoſitis compelli potuiſſent; a Senatu litteras regias impetravit ad Comitem, ſive rectorem civitatis, quibus jubebatur illos pro imperio & poteſtate cogere, ut Epiſcopo imperanti quod ex juſtitia ac religione præſtare debebant, obedientes ſe præberent. Interpoſuit etiam auctoritatem pontificiam, & Romam miſit, qui ab Eugenio IV. mandatum ſeveriſſimum expoſceret ac referret, quo illorum pervicaciam infringeret, & vel invitos ad chorum frequentandum adigeret. Idem Eugenius IV. anno 1443. Epiſcopo & Capitulo Sibenicenſi dedit ſeu potius confirmavit jus nominandi Canonicos; Nicolaus vero V. poteſtatem eligendi, atque inſtituendi duodecim, quos vocant manſionarios, ſive adjutores chori, rerumque ſacrarum adminiſtros, conceſſit XVII. Kal. Junii an. Pontif. 2. ideſt Chriſti 1449.

Duodecim Manſionarii inſtituti.

Anno circiter 1453. Georgius e vivis exceſſit. Conditus eſt in æde cathedrali; eique marmoreum monumentum poſitum, cui ſupercubat ejuſdem ſimulachrum pontificali habitu, atque veſtitu: ſubjectus eſt titulus ſepulchralis, quem temporis edacitas magna ex parte corroſit. Nepotem habuit ex Fratre Georgium Siſgoreum, non ignobilem Poetam, cujus extant carmina Venetiis edita ſub hac inſcriptione: *Georgii Siſgorei Sibenicenſis Dalmatæ elegiarum, & carminum libri ad Petrum Joboleum Sibenicenſem amicum ſuum per magiſtrum Adamum Rodovert ſub anno Incarnationis Domini* 1477. Eodem anno 1453. Capitulum Sibenicenſe una cum Traguriensi impetravit a Senatu Veneto, ut beneficia, quæ octo ducatorum reditum non excedunt, a decimis eſſent exempta.

URBANUS EP. SIBENICENSIS X.

Urbanus cognomento Vignacus honeſto loco natus eſt Venetiis; ac poſt diligentem operam politioribus litteris, & ſublimioribus diſciplinis navatam, Doctoris nomen & lauream adeptus in Gymnaſio Patavino jus civile docuit; quam ſcholam regebat anno 1445. & in *Collegii Matricula hoc anno dicitur actu legens*, ut tradit Clariſſimus vir atque doctiſſimus Jacobus Facciolatus in Faſtis Gymnaſii Patavini parte II. pag. 42. Hunc primum in tabulis Sibenicenſibus ab Sede Apoſtolica electum fuiſſe invenio, nominatione Capituli ſecluſa; ac deinde jus eligendi Epiſcopi Canonicis ademptum penes Pontifices Romanos fuit. Eccleſiam Sibenicenſem regendam ſuſcepit anno circiter 1454. & biennio poſt, cum diverſaretur apud Slarum inſulam diœceſis ac territorii Sibenicenſis, approbavit, & ratam ha-

habuit nominationem Antiſtitæ cœnobii Benedictini, quæ Præfecturam altaris S. Bartholomæi in æde S. Salvatoris Michaeli Presbytero jure ſui patronatus contulerat: *Urbanus Dei gr. Epiſcopus Sibenicen. Dilecto nobis in Chriſto filio Ven. Joan. Michaeli Presbyt. eccleſie noſtre ſalutem in Domino. Vitæ ac morum honeſtas, aliaque virtutum merita, quibus apud nos fide digno teſtimonio commendaris, nos inducunt, ut te congruis favoribus proſequamur. Cum itaque altaris S. Bartholomæi Apoſtoli ſitum in eccleſia S. Salvatoris monaſterii ordinis S. Benedicti Sibenicen. per obitum bone memorie Jacobi Zilii ipſius altaris ultimi rectoris vacet, & ad ipſum Abbatiſſa, & conventus dicti monaſterii infra tempus legitimum te preſentaverint; nos eamdem preſentationem admittentes, ipſum altare cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis auctoritate ordinaria tibi conferimus. Mandantes Vener. Archidiacono noſtro quatenus per ſe, vel per alium, in dicti altaris corporalem poſſeſſionem auctoritate noſtra prefata inducat. In quorum fidem, & fut. memoriam has litteras noſtro majori ſigillo muniri mandavimus. Datum in domo noſtre habitationis in inſula Slaren. Anno Dom. milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto, die vero 25. menſis Februarii, Pontificatus Sanctiſs. in Chriſto Patris, & Dom. D. Calliſti divina providentia Pape III. an. 2.*

De reliquiis S. Chriſtophori Sibenicum illatis.

Per hæc tempora urbem Sibenicenſem nobilitatam ferunt reliquiis inſignibus ex corpore S. Chriſtophori martyris, quas Presbyter quidam Græcus anno 1453. cum Mahometes Conſtantinopolim Sedem imperii orientalis expugnavit, inter direptiones ac ruinas captæ urbis, furtim ablatas Sibenicum attulit, ac Sibenicenſibus dono dedit: quibus ut certa fides conſtaret, auctoritate, ac teſtificatione Gennadii Patriarchæ Conſtantinopolitani muniendas curavit. Diploma Patriarchale latine converſum hic ſubjiciendum cenſui.

Teſtificatio Gennadii Patriarchæ Conſtantinopolit.

Gennadius miſerat. divina Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus novæ Romæ, & univerſalis Patriarcha univerſis & ſingulis has litteras inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Notum ſit omnibus, quod eo tempore, quo urbs Conſtantinopolitana ab impiis Turcis debellata, & in deditionem eorum redacta fuit, ab eis, quemadmodum multæ aliæ, quæ in eorum manus pervenerant, ſic etiam ablatæ fuerunt reliquiæ S. Chriſtophori martyris, quarum partem reperit Vener. Sacerdos Artenſis Calocheritis. Ingreſſus enim poſt captivitatem urbis Conſtantinopol. die ſequenti templum prædicti S. Martyris, earum reliquiarum partem, quæ ſupererat, cum fide & reverentia ſuſcepit, & apud ſe obſervavit. Deinde non multo poſt tempore, volens ad patriam ſuam ſe conferre, rogavit a nobis teſtimoniales litteras, quibus conſtaret prædictas reliquias S. Chriſtophori martyris eſſe, prout ſunt, quod nobis indubitatum eſt. Cujus quidem petitionem libenter exaudivimus, exiſtimantes facturos nos eſſe Deo & omnibus fidelibus rem admodum gratam. Ideo per has noſtras litteras indubiam omnibus fidelibus fidem facimus eas reliquias non alterius Sancti eſſe, quam S. Chriſtophori martyris. Vidimus enim eas ſæpius, & bene cognoſcimus eas. Ne autem fraus aliqua extare aliquando poſſit inter has, & alterius Sancti, quæ forte oſtenderentur, reliquias; viſum eſt nobis nonnulla ſigna harum quam breviſſime ſcribere. Eſt hæc reliquia Crus ſiniſtrum, pes, & tibia, & coxa ſimul conjuncta; pellis autem conſumpta carne incumbit & adhæret oſſibus. Eſt autem in aliquibus locis ſupradicta reliquia fracta, nervi autem circa genu ex carne exeunt; præterea coxa circa tibiam incurvatur. Magnitudo autem ex anteriori parte ſex palmorum eſt; ex poſteriori quinque cum dimidio. Digiti nulli ſunt, vel quia furto intercepti, vel quia vetuſtate conſumpti fuerunt. Color autem cinereus: quibus omnibus ſignis ſic ſtantibus, oportet omnes fidem adhibere, quod ipſa abſque ullo dubio eſt reliquia ſupradicti martyris. Idcirco ſecundum Joannis Evangelium, quod vidimus, & conſpeximus, manibuſque palpavimus, de eo teſtimonium perhibemus; & alibi qui viderat teſtificatus. Nos quoque pari modo de ea reliquia, quam oculis noſtris vidimus, manibuſque palpavimus, notitiamque adhibita diligentia perfectam, & exploratam habemus, teſtimonium perhibemus, omneſque, qui de hac re veritatem ſcire cupiunt, certiores facimus. Itaque noſtræ mediocritatis Scripturam ad hoc ſignificandum & comprobandum, quod ex ſe teſtimonium fert, fieri juſſimus: In quorum fidem & teſtimonium, noſtro pendenti ſigillo plumbeo communiri, in linguamque latinam fideliter interpretari has litteras fecimus. Datum Conſtantinopoli in domibus noſtris anno 1455. die 15. Julii.

Ex autographo in pergamena, Græce & latine ſcripto, cui filum ſericum coloris cærulei ac viridis infixum eſt, ex quo ſigillum Patriarchale pendebat, quod deperiit.

Hæc pretioſiſſima lipſana, qua dignum erat, veneratione excepta ſunt, ac deinde incluſa in arcam ligneam, cælatis operibus egregie elaboratam, intrinſecus, & extrinſecus inauratam, ac lamellis cryſtallinis undique obductam, quæ ſacras illas exuvias conſpicuas reddunt. In nova æde cathedrali altare in honorem S. Chriſtophori exſtructum eſt, hujuſque menſæ arca impoſita cum ſacratiſſimis illis reliquiis, quas plurimis, Deo opitulante, ſaluti & auxilio fuiſſe tabellæ votivæ declarant.

Quatuor Archipresbyteri ſeu Vicarii foranei in diœceſi conſtituti.

Urbanus cum ſemel atque iterum diœceſim univerſam luſtraſſet, quatuor Parochos idoneis & opportunis locis conſtitutos titulo ac dignitate archipresbyterali donavit, qui ceteris minoribus Parochis auctoritate & imperio præeſſent; ac præter propriam, quam quiſque adminiſtrabat, totius diœceſis parœcias quadripartito diviſas, eiſdem commendavit, & ſuas cuique nominatim aſſignavit; ut quam ſolent Vicarii foranei, inſpectionem & curam ſingulis adhiberent.

Urbani decretum.

Urbanus Dei gratia Epiſcopus Sibenicenſis. Ad perpetuam rei memoriam. Deus omnipotens, qui celeſtem curiam ordinum varietate diſtinctam altiſſima providentia regit; eodem ordine ſue militantis eccleſie ſtatum per ſuos Vicarios Summos Pontifices, alioſque per orbem diffuſos Pontifices, vocatos in partem ſolicitudinis, clementiſſima protectione gubernat. Sane cum ſolicitudo pontificalis officii in qualibet dieceſi ſummi Hierarchi vices gerat; Nos qui retroacto quinquennio ſecundam univerſe noſtre dieceſis viſitationem Deo favente peregimus, parochiaſque diſtinctas reperimus, per parochianos Presbyteros ſolitas gubernari, volentes ſacrorum canonum inſtituta, quantum poſſumus, executioni mandare, cauſa diligentiſſime cognita, maturo precedente conſilio, quatuor ex univerſis noſtris parochianis presbyteris in noſtre ſolicitudinis partem, Deo auctore vocavimus. Elegimus igitur ordinaria auctorita-

te, & eligimus tenore presentium Venerabiles Sacerdotes, videlicet Paulum de Corbavia Plebanum in ecclesia S. Martini in villa nostra Juinen. Georgium Zeferin Plebanum Grebacen. Petrum Bucich Plebanum S. Marie Cepernen. Franciscum Joannis Plebanum S. Joannis Cossevicen. in Archipresbyteros predictarum suarum ecclesiarum, quas perpetuo in Archipresbyterales erigimus, habita presertim ratione locorum, quibus site sunt. Commendantes eisdem universas parochias prefate nostre diecesis; ac committentes eisdem, et eorum singulis archipresbyteralem curam juxta juris Canonici dispositionem. Parochias igitur eis divisimus, & tenore presentium assignavimus. Primo Archipresbytero Juinen. parochias Turgesgracen. Srimec. Rastinen. Firmacen. Zinen. & Zlarinen. Archipresbytero Grebacen. parochias Parcoven. & Mitlocensem; Archipresbytero Ceparnen. parochias campi inferioris, & campi superioris, orientalem in ecclesia S. Danielis, & occidentalem in ecclesia S. Petri; Archipresbytero Cossevicen. parochiam S. Georgii de Colieuran, & S. Michaelis de Poclarofurch. Has igitur secundum divisionem predictam parochias cum suis ecclesiis tam parochialibus, quam capellis quibuscumque, in cujuslibet parochie limitibus constitutis sine beneficiatorum prejudicio, prefatis Archipresbyteris, & Presbyteris parochialibus assignamus. Que omnia & singula secundum regulam juris Canonici servari volumus, & auctoritate ordinaria mandamus, atque decernimus. In quorum fidem & futuram memoriam has litteras nostro majori Pontificali sigillo muniri mandavimus. Dat. an. Dom. 1460. Die vero quintodecimo mensis Februarii: Pontificatus vero Sanctissimi in Christo Patris & Dom. nostri Dom. Pii divina provid. Pape II. an. Pontif. 2. qui cohæret cum anno Christi 1460.

Sacerdotium S. Danielis Joanni Tholonichio collatum Paullus II. approbavit.

Sacerdotium S. Danielis in Campo superiori, quod jure patronatus ad nobiles viros de Cosseviana pertinebat, Joanni Tholonich Canonico Sibenicensi collatum, Paullus II. approbavit, eique possessionem dari jussit. *Paulus Episcopus servus servorum Dei Ven. Fratri Archiepiscopo Jadren., & dilectis filiis Archipresbytero, & Joanni Procopovich Canonico Siben. Ecclesiæ salutem & apostolicam benedictionem. Vitæ ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, super quibus apud nos dilect. filius Joannes Tholonic Canonicus Sibenicen. fide digno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque sicut accepimus, capella S. Danielis campi superioris Sib. diæc., quam quondam Petrus Tholonic, ipsius capellæ Rector dum viveret, obtinebat, per obitum ejusdem Petri, qui extra Rom. curiam defunctus diem clausit extremum vacarit, & vacet ad præsens; nos dicto Joanni præmissorum meritorum suorum intuitu, specialem gratiam facere volentes ipsumque &c. absolventes &c. mandat deinde supradictis, ut curent auctoritate apostolica possessionem &c. dicto Joanni assignari; si vera sint, quæ asseruit, videlicet quod a majori parte patronarum electus fuerit, scilicet nobilium laicorum de Coseviana, & quod redditus 24. florenos auri de camera non excedat &c. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem an. Inc. Dom. 1466. id. Novem.* Post bellum Creticum hoc Sacerdotium S. Danielis conjunctum fuit cum mensa Mansionariorum.

Alterum ejusdem

Idem Paullus II. eodem anno litteras dedit inscriptas *Ven. Fratribus Sibenicen. Arben. & Parentin. Episcopis. Regularem vitam &c. Ut compellant quosdam Eremitas ad deponendum habitum Minoritarum. Erant hi Eremitæ tertii Ordinis S. Francisci de Pœnitentia nuncupati: scandala oriebantur ex eorum usu habitus Minoritani. Hinc Minoritæ ad Pontificem confugerunt; jubet sub excommunicationis pœna hujusmodi habitum Eremitis interdici. Dat. Romæ apud S. Marcum 1466. 3. Non. Men. Junii, an. 2. Pontific.* Hæc Vadingus Tom. VI. Annalium.

Pontificis mandatum ad Ep. Sibenicen. Arben, & Parentinos.

Joannes Cardinalis S. Angeli Legatus Sedis Apostolicæ ædem cathed. Sibenicens. indulgentiis ditavit.

Anno 1467. Joannes Cardinalis S. Angeli Episcopus Portuensis, cum legatione Apostolica in Veneta ditione, & in partibus Langobardiæ fungeretur, ac Venetiis esset, certam delictorum indulgentiam ædi cathedrali Sibenicensi in perpetuum affixit, quam perciperent quicumque diebus ab se constitutis, eamdem suppliciter riteque inviserent, atque aliquid subsidii ad ædificationem ejusdem templi conferrent.

Joannes miser. divina Episcopus Portuensis, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis S. Angeli vulgariter nuncupatus; per inclytum Dominium Venetum, & partes Lombardiæ, Apostolicæ Sedis Legatus universis & singulis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Splendor paternæ gloriæ, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de ipsius clementissima majestate sperantium, tum præcipue divino favore prosequitur, cum divota ipsorum humilitas sanctorum precibus ac meritis adjuvatur. Cupientes igitur, ut cathedralis Ecclesia Sibenicen. congruis frequentetur honoribus, & in suis ædificiis & structuris debite reparetur, & conservetur, & fideles ipsi eo libentius devotionis causa confluant ad eamdem, quo ibidem dono cælestis gratiæ uberius se conspexerint refectos; de omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus & singulis vere pœnitentibus, & confessis, qui dictam Ecclesiam in Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, Resurrectionis ejusdem, S. Trinitatis, Assumptionis B. Mariæ Virginis, dedicationis S. Michaelis Archangeli, S. Jacobi Apostoli, & omnium SS. festivitatibus devote visitaverint annuatim; & ad reparationem, & constructionem dictæ ecclesiæ manus porrexerint adjutrices centum dies, singulis festivitatibus eorumdem, de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus, præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum fidem presentes litteras fieri, & per secretarium nostrum subscribi, nostrique majoris sigilli appensione communiri fecimus. Datum Venetiis in palatio Patriarchali anno a Nativ. Domini 1467. die vero 6. mensis Martii; Pontificatus SS. in Christo Patris & Domini Paulli divina providentia Papæ II. anno 3.

Anno circiter 1468. Urbanus moriens sedem Episcopalem vacuam successori reliquit.

LUCAS EPISCOPUS SIBENICENSIS XI.

Lucæ acta ante Episcopatum.

Magnus homo, nec magis ingenio & doctrina, quam rerum gerendarum solertia, & illustrium legationum gloria insignis. Natus est in insula atque urbe Corcyræ Melænæ, ex familia Tolentichia, sive de Tolentis; & nobilitatem quam a majoribus acceperat, suis virtutibus ac rebus præclare gestis mirifice auxit & illustravit. Aggregatus cum esset ad Capitulum ecclesiæ cathedralis Corcyrensis, primum inter Canonicos subsellium obtinuit, titulum, ac dignitatem

gnitatem Archidiaconi adeptus. Excellens de Luca opinio, quæ longe lateque percrebuerat, Pio II. Pontifici Max. hominis in gestione publicorum munerum experiundi cupiditatem injecit. Illum itaque Romam evocavit; & cum ejus ingenium habile ad omnia, agendique industriam per eos magistratus probasset, quibus quantum quisque valeat, explorari solet; duas gravissimas eidem, & nobilissimas legationes demandavit, alteram anno 1462. ad Stephanum Bosinæ Regem, alteram biennio post ad Philippum Ducem Burgundiæ. Utramque sapienter, & e sententia gessit. Postea vero Canonici Corcyrenses, quamvis nonnullæ offensiones inter eum & Capitulum intercessissent; tamen singulari ejusdem virtute, & nominis celebritate illecti, ut talem ac tantum virum patriæ & ecclesiæ suæ recuperarent, episcopatum Ecclesiæ Corcyrensis Lucæ detulerunt.

Fit Episcopus Sibenicensis.

Sed Paullus II. resciſſa electione illa Capitulari, Ecclesiam Sibenicensem Lucæ decrevit anno circiter 1469.; noluit tamen illum a curia Romana discedere, ut ejusdem consilio operaque ad gravissima quæque negotia expedienda uteretur. An vero Lucæ permissum fuerit Sibenicum se conferre ad possessionem ecclesiæ sibi traditæ adeundam, aut eam aliquando invisere, mihi non liquet. Vicarium delegit, hominem perspectæ fidei, industriæ, ac prudentiæ, cui totius rei ecclesiasticæ administrationem commisit. Sixtus IV. itidem expertam probatamque Episcopi Sibenicensis operam sibi necessariam esse censuit; eumque anno 1476. iterum in Burgundiam ad Carolum Ducem de gravissimis Sedis Apostolicæ negotiis legatum misit amplissima præditum potestate, ut litteræ Pontificiæ eidem inscriptæ declarant, quarum initium est ejusmodi: *Sixtus Episcopus ser. servorum Dei Venerab. Fratri Lucæ Episcopo Sibenicen., in Patriis, & dominiis dilecti filii nobilis viri Caroli Ducis Burgundiæ Nuncio, & Oratori nostro salutem, & apostolicam benedictionem. Cum nuper Te ad dilectum filium nobilem virum Carolum Ducem Burgundiæ, illiusque patrias & dominia, pro nonnullis nostris, & Sedis Apostolicæ agendis negotiis Nuncium & Oratorem nostrum, & dictæ Sedis, cum potestate Legati a latere transmiserimus, Tibique, qui Referendarius noster existis &c.* Tanta fide ac diligentia munus illud longe gravissimum sustinuit, ut Carolus Dux Burgundiæ, cum ei Legatus extraordinarius Venetias mittendus esset, ad publica quædam negotia cum Duce & Senatu Veneto transigenda, Episcopo Sibenicensi aptiorem nullum invenit, cui hanc legationem committeret; in qua non tantum Carolo Duci cumulatissime satisfecit, sed etiam illis sapientissimis Patribus ita se, suamque eximiam doctrinam, intelligendi celeritatem, decernendi consilium, agendi solertiam probavit; ut Venetiis abeuntem litteris perquam honorificis prosecuti fuerint: *Reverendus in Christo Pater Dominus Lucas Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Sibenicensis, nobis ob ejus doctrinam, & præclaras virtutes carissimus, & dilectissimus, qui graviter & prudenter nomine Illustrissimi & Excellentissimi Principis Domini Ducis Burgundiæ amicissimi nostri Oratorem egit apud nos &c.*

Legatus Sixti IV. ad Carolum Ducem Burgundiæ, & ejusdem Caroli ad Venetos.

Accitus in auleam Cæsaream, & inter Consiliarios Maximiliani Regis Romanorum adscriptus, magnam sibi existimationem & gratiam conciliavit tum apud Cæsarem filium, tum apud ejus Patrem Fridericum Imperatorem; eique Marcus Barbadicus Dux Venetiarum anno 1486. quædam suæ reipublicæ negotia commendavit, ut qua valebat apud utrumque auctoritate & gratia interposita, ad eum, quem optabat, exitum perduceret: ut docet epistola ejusdem Ducis inscripta: *Reverendo in Christo Patri Domino Lucæ de Tolentis, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Sibenicensi, ac Serenissimi Romanorum Regis Consiliario &c.* Intra finem anni 1486. Fridericus Lucam cum tribus aliis oratorem misit ad Reges, Principes, civitates Italiæ, quibuscum de communibus rebus, & communi salute ac tranquillitate ageret, quos tum Fridericus, tum anno sequenti Maximilianus imperatoria pariter atque cæsarea fide publica, & auctoritate munierunt: *Federicus divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus &c. Joannes Tridentinus Princeps, & Lucas Sibenicen. Episcopus, nec non Thomas de Collorecto Dapifer, & Georgius Ellebrer nostri, & Serenissimi Principis Maximiliani Romanorum Regis filii nostri carissimi, Oratores, & Consiliarii devoti, & fideles dilecti pro nostris & præfati Romanorum Regis, ac imperii sacri arduis negotiis, versus Italiam suos dirigere habent gressus &c. Maximilianus &c. Cum D. Lucas Episcopus Sibenicen. . . . . Consiliarii & Oratores nostri nobis summe dilecti in nonnullis negotiis nostris ad diversos Reges, civitates, & alia loca diversa, & Dominia, progressus suos habeant dirigere &c.*

A Friderico Imperatore & Maximiliano Cæsare Legatus in Italiam missus.

Anno 1488. jussu missuque ejusdem Friderici Imperatoris Romam profectus est cum Legato Regis Poloniæ, ut ab Innocentio VIII. auxilia peteret ad repellendos Tartaros, qui Poloniam invaserant, ac fœde vastabant. Maximilianus eidem litteras dedit ad Pontificem, quem, ut antea sæpe fecerat, rursus orat obsecratque, ut Lucam ob eximias ejus virtutes, & merita singularia, tandem aliquando in ampliſſimum Cardinalium collegium aggregare velit; epistolæ Cæsareæ particulam huic loco attexere libet: *Quod autem jamdudum tam ardenti desiderio optavimus, & procuravimus in Reverendi Patris præfati* (Lucæ Sib. Episc.) *ad Cardinalis dignitatem provectione, his quatuor temporibus proxime effluxis completum speravimus; ita ut humiles gratiarum actiones persolvere potius, quam eumdem denuo commendare deberemus. Si tamen aliqua occasione dilatio insperata adhuc data fuerit, credat Sanctitas vestra firmiter petitioni nostræ nunquam satisfactum iri, nisi præfatum Episcopum, nostris precibus, suisque multiplicibus meritis exigentibus, ad illam dignitatem promotum obtineamus.*

Eodem anno appetentibus feriis quatuor temporum extremis, Pontificem quanta maxima poterat contentione rogare & urgere institit, ut si quibus purpuram conferre decrevisset, Lucam ne præteriret; quin immo omnibus anteferret, vel illis ipsis, quos aut ipse aut parens Imperator commendaverat. Extat epistola Maximiliani ad Innocentium VIII., quam integram hic subjicio. Egregia enim viri excellentissimi in rem publicam, & christianam merita commemorat; & quanti illum faceret, quantoque opere ejus honori ac dignitati studeret, satis superque declarat.

Sanctissimo in Christo Patri & DD. Innocentio, ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici, & D. nostro Reverendissimo Maximilianus divina favente

te clementia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brab. Comes Flandriæ, Tirolis &c.

Epiſtola Maximiliani ad Pontificem.

Beatiſſime Pater Domine Reverendiſſime. Cum per plurimas tam litteras, quam per Oratores noſtros . . . . promotionem Domini Lucæ Epiſcopi Sibenicenſ., dilecti fidelis Conſiliarii & Oratoris noſtri, ad Cardinalatus dignitatem ſanctitati veſtræ commendavimus affectuoſiſſime, utinam præſentialiter & verbo intentionem noſtram circa hoc negotium declarare potuiſſemus: intelligeret Beatitudo veſtra neminem nos ante præfatum Sibenicenſem cupere. Nihil fuit, Pater ſanctiſſime, nihil eſt, nihil credimus erit, in quo beatitas veſtra magis hoc tempore nobis complacere poſſit. Viginti octo annis, Philippo, Carolo, Mariæ conjugi Burgundiæ Principibus, & nobis fideliſſime ſervivit. Maximæ importantiæ legationes a pluribus Summis Pontificibus ad Reges diverſos & Principes laudabiliter obivit. Nos ac Principes prænominatos in magna amicitia, & perfecta Sedis Apoſtolicæ obedientia conſervavit; cum ipſa in præſens noſtra per Sedem Apoſtolicam negotia fideliſſime ac diligenter peregit; & ut ejus virtutes cognitæ ſint, magnaque promotione dignus exiſtat, parvam admodum, aut nullam penitus a Sede præfata, a nobis & præceſſoribus noſtris remunerationem recepit. Et cum non ſolum ſperemus, ſed etiam ſciamus quod ſanctitas veſtra nos, patriaſque noſtras, & totum Ciſalpinum imperium ſine Cardinali amico & promotore diutius permanere non ſinet; rogamus igitur beatitudinem veſtram obnixe, & attente requirimus dignetur præfatum Dominum Epiſcopum Sibenicen. Oratorem noſtrum, virum utique utilem, ad hujuſmodi Cardinalatum dignitatem in his futuris quatuor temporibus, & prima creatione, abſque ulteriori dilatione, aut quacumque excuſatione promovere. Et licet Dominum Epiſcopum Cameracenſem ad eamdem Cardinalatus dignitatem, ſi fieri poteſt, promovere deſideramus; non intendimus per quaſcumque litteras in favorem ipſius, aut alterius cujuſcumque a Patre noſtro meritiſſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, a nobis, aut a filio noſtro amantiſſimo ſub quacumque verborum forma, ad petentium importunitatem hoc guerrarum tempore & rebellionis, in quo pluribus complacere neceſſe eſt, impetratas, & conceſſas, promotioni ipſius Domini Sibenicen. præjudicare, quin ſit primus; & ſi duo creari non poſſunt, pro hac vice ſit ſolus. A principio Pater beatiſſime hæc fuit noſtra intentio, quæ conſtantiſſime remanebit uſque quo cœpti negotii finem obtineamus. Sereniſſimus Imperator, genitor amantiſſimus nobis in hac petitione favet, nec promotionem Domini Sibenicen., licet pro alio ſcripſerit, impedire intendit, ut per ejus litteras clare conſtat; immo ſibi, & nobis, ac filio noſtro cariſſimo erit gratiſſima; nec poſtpoſito Domino Sibenicen., poterimus de alterius promotione contentari. Omnipotens veſtram beatitudinem longævam pro felici regimine eccleſiæ ſuæ ſanctæ conſervare dignetur. Dat. in oppido noſtro . . . die 5. Decembris an. 1488. Regni veſtro noſtri tertio.

Lucæ Ep. obitus & ſepulcrum.

Verum neſcio quid impedimenti interceſſit, quo minus Lucas ampliſſimam illam dignitatem adipiſceretur; aut potius mors immatura purpuram & Galerum illi præripuit. Anno enim 1491. jam e vivis ſublatus Sedem Sibenicenſem ſucceſſori reliquerat. Tot legationibus, negotiiſque publicis diſtentus vix ſpatium habuiſſe videtur eccleſiæ ſuæ adeundæ, aut ſaltem aliquando interviſendæ. Illam igitur abſens per ſuos Vicarios adminiſtravit. Ceterum ſi minus præſentia ſua operaque eidem adeſſe potuit, attamen rerum ab ſe geſtarum gloria, ſui nominis celebritate, ſuarumque virtutum ſplendore Eccleſiam Sibenicenſem illuſtravit. Illud certe præſtitit, ut ad ædificationem ædis cathedralis plurimum pecuniæ ac ſubſidii large effuſeque conferret; id quod declarat inſcriptio ſepulchralis

Præſulis hic Lucæ Tollentich oſſa quieſcunt
Muneris eſt cujus celſi pars maxima templi.

Objeritne Sibenici, an alibi, incertum eſt mihi. Ejus corpus, undecumque translatum fuerit, certe Sibenici conditum eſt in æde cathedrali ante aram maximam, ut docet titulus ſepulchralis modo deſcriptus; qui inciſus eſt in ſummo gradu marmoreo, per quem ad eamdem aram aſcenditur.

Insigne prodigio, cui teſtimonium perhibet Georgius Archid. Sibenicen.

Dum Lucas Eccleſiæ Sibenicenſi præſidebat; anno 1483. VI. Kal. Aprilis, feria quinta, ipſo die Cœnæ Domini ſacro, dum preces Matutinæ in æde cathedrali, de more ſub veſpertinum tempus, ritu lugubri canerentur; in templo ſuburbano S. Mariæ viſa eſt quædam effigies Jeſu Chriſti in cruce ſuffixi ſudore ſanguineo manare; id quod ſuiſmet oculis conſpexit, ac teſtatum reliquit Georgius Siſgoreus Vicarius Generalis Lucæ de Tollentis Epiſcopi.

Exemplum ſumptum ex autentico exiſtente in ſchola venerabilis Confraternitatis S. Marci in Burgo Sibenici a parte maris, ſcripto in Membrana.

Georgius Siſgoreus decretorum Doctor Canonicus, ac Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & D. D. Lucæ de Tollentis Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia digniſſimi Epiſcopi Sibenicenſis, in ſpiritualibus, & temporalibus Vicarius generalis. Univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino, & felicitatem ſempiternam.

Miraculis ſplendor paternæ gloriæ, qui ſua mundum illuſtrat ineffabili claritate, pia vota fidelium de ipſius clementiſſima majeſtate ſperantium tunc potiſſimo proſequitur favore, cum devota ipſorum humilitas Chriſti paſſionis memoria, ac meritis adjuvatur. Cupientes itaque notificare, ad excitandum fidelium devotionem rem miram, quæ divina permiſſione acciderat in eccleſia Sanctæ Mariæ in Burgo civitatis Sibenici, in qua devotiſſima Frattalia reducta eſt, & congregata ſub titulo S. Marci Evangeliſtæ, cujus inſignia proceſſionaliter in vexillo crucis portat, & in pectore. Anno ſalutis 1483. die 27. Martii &c.

Occurrente tunc Cœna Domini dum Veſperi clerus plurimus, & populus eſſet in offitio lamentationum in eccleſia cathedrali: hoc modo &c. Plurimi veniebant, & dicebant cum lacrymis Crucifixum in præfata S. Mariæ eccleſia guttas ſudare ſanguineas, quod audiens clerus, & populus Sibenicen. cum gemitu, & magni devotionis ſtupore commovebant ad dictam eccleſiam, quo tempore magnificus Dominus Petrus de Canali Comes Sibenici, & ejus filius Dominus Angelus cum magna nobilium multitudine, & nos Præfati Vicarius cum quibuſdam de Capitulo, & clero perſonaliter accedentes ad dictam eccleſiam, ibi aſſiſtente venerabile viro Domino Joanne Dorzcia Capellano dictæ eccleſiæ, & Frattagliæ, & eodem præſente, accipientes in manibus dictum crucifixum, vidimus in capite, & in bra-

chio

chio dextero, & in pedibus quoſdam ſudores ſanguineos, non deluſione, aut fraude aliqua effectos: ſed permiſſione divina emanatos: Quamvis multi in iſta oſtenſione fuerunt ſtulti, & tardi corde, ad credendum. Nos itaque quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, quod ipſa devotionis experientia poſtea didicimus, & ex votis multorum cognoſcimus crucifixum illum glorioſum, & Salvatoris noſtri Imaginem, aliqua mirabiliter in ejus famulis devotis fuiſſe operatum. Igitur ut dicta eccleſia, in qua eſt cum tali gloria crucifixus congruis frequentetur honoribus, & debite conſervetur, & quantum opus fuerit reparetur, & fideles ipſam libenter devotionis cauſa confluant ad eandem, quo ibidem dono cæleſtis gratiæ uberius ſe conſpexerint eſſe refectos: Et dilectus nobis in Chriſto Michael quondam Nicolai Charmetich civis Sibenici in dicto Burgo habitator juxta ipſius devotionem exoptans debitum honorem in eccleſia præfati crucifixi augere, & ipſam dotare in vita, & facere cantare primos Veſperos & Miſſam die 27. Martii in bonorem Crucis Domini, & in ultima voluntate, prædicta devotione de propriis bonis relinquere; ſupplicavit, ut auctoritate ordinaria in dictis Veſperis, & Miſſa cantandis debeamus indulgentiam, quam poſſumus, liberaliter concedere omnibus, & ſingulis qui dictis Veſperis, & Miſſæ intereſſe curaverint. Nos paſſionis Chriſti memores, & devotis precibus dicti Michaelis inclinati, de Omnipotentis Dei miſericordiam & beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis vere pœnitentibus, & confeſſis, qui dictis Veſperis, & Miſſæ intereſſe ſtuduerint, quadraginta dies in Veſperis de injunctis eis pœnitentiis, & in Miſſa alios quadraginta miſericorditer relaxamus: etſi prefata dies 27. Martii venerit in Cœna Domini, vel in paraſceve, vel Sabbato ſancto, vel die Paſchæ, quod non in iſtis diebus, ſed prima die non impedita immediate ſequente, debeat Miſſa anteſcripta celebrari, & primi Veſperi cum quadraginta dierum indulgentia, ut ſupra conſtat expreſſum. In quorum fidem, & teſtimonium preſentes litteras fieri, & per Cancellarium noſtrum ſcribi, & in actis eccleſiaſticis poni noſtrique majoris ſigilli apenſione fecimus communiri.

Datum Sibenici in Aula audientiæ cauſarum anno Domini 1485. die prima Martii. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Innocentii divina providentia Papæ Octavi anno primo. Præſentibus venerabili viro Domino Presbytero Michaele Radigoſticæ Canonico, & Domino Presbytero Gieorgio Vodanovich, & Domino clerico Michaele Draganich ſub Canonicis, & civibus Sibenicen. Teſtibus habitis, & rogatis.

Et ego Clericus Lucas Miuſſeus civis Sibenici publicus imperiali auctoritate Notarius & curiæ Epiſcopalis Sibenicen. Cancellarius de præfati Rever. Domini Vicarii Commiſſione, ac mandato q. una cum teſtibus præmiſſis ſupraſcripti inſtrumenti ſive privilegii conceſſione ſub die, menſe, & milleſimo ſupraſcriptis rogatus, & requiſitus interfui; Ideo manu propria hujuſmodi inſtrumentum ſive privilegium in hanc formam redigens ex autenticis meis extrhaendo cum præfati Rev. Domini Vicarii ſigilli majoris appenſione in fidem, & teſtimonium omnium, & ſingulorum premiſſorum, ſub meis ſigno nomine, & cognomine ſolitis, & conſuetis publicavi requiſitus &c.

FRANCISCUS EP. SIBENICENSIS XII.

Franciſcus Quirinus Ep. Vicarium Gen. conſtituit Hectorem de Franciſcis Can. Sibenicen.

Patritius Venetus ex illuſtri, & pervetuſta gente Quirinorum. Romæ verſabatur, & inter Præſules curiæ Romanæ locum obtinebat; cum Innocentius VIII. Eccleſiam Sibenicenſem illi decrevit; ita ſiquidem in tabulis Conſiſtorialibus notatum eſt: *anno 1491. 11. Aprilis providit de perſona D. Franciſci Quirini Eccleſiæ Sibenicen. vacanti per obitum D. L. illius ultimi poſſeſſoris &c.* Magiſtratus, quos gerebat, & munera, quibus in curia Romana fungebatur, illum detinuerunt, quominus ad eccleſiam ſuam accedere poſſet. Itaque ſollicitudinis curæque paſtoralis Vicarium ſibi ſubſtituit Hectorem de Franciſcis Canonicum Sibenicenſem, ut conſtat ex ejus Syngrapha.

Franciſcus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Sibenicenſis Epiſcopus ad præſens apud curiam Romanam reſidens, univerſis & ſingulis &c. Cum ad præſens in epiſcopatu noſtro, atque eccleſia Sibenicenſi, aliis pro nunc gravioribus in urbe occupati negotiis, perſonaliter intereſſe non valeamus; hinc eſt quod nos cupientes dictorum Eccleſiæ, & Epiſcopatus Sibenicenſis, ac noſtris rebus & negotiis, prout tenemur, opportune conſulere omnibus melioribus viis, modo, jure, cauſa & forma, quibus melius & efficacius potuimus ac debuimus, fecimus, conſtituimus, atque creavimus, & ſolemniter ordinamus noſtrum verum oratorem, legitimum, & indubitatum procuratorem, actorem, factorem &c. Dominum Hectorem de Franciſcis Canonicum & Vicarium noſtrum Gener. Sibenicen. cum poteſtate &c. Datum Romæ in domo noſtræ reſidentiæ ſub anno 1492. Indict. 10. die vero 4. men. Julii.

Deinde Stephanum Epiſcopum Sanctuarienſem.

Anno 1494. Vicarium alterum Sibenici conſtituit Stephanum Epiſcopum Sanctuarienſem, qui ſacros ordines conferret, & omnia, quæ characterem epiſcopalem requirunt, munia perageret. Hic in actis curiæ Sibenicenſis Epiſcop. ſe appellat *Suffraganeum, & Vicarium generalem Reverendiſſimi Epiſcopi Sibenicenſis.* Eodem anno XIII. Kalendas Januarii Sabbatho quatuor temporum plures clericos etiam alienæ diœceſis, quibus a proprio facultas facta eſſet ordines recipiendi a quocumque Epiſcopo, tum minoribus tum majoribus ordinibus, atque etiam Sacerdotio initiavit. Hector de Franciſcis, quod fortaſſis nondum ſibi legitime conſtabat de auctoritate & poteſtate Vicarii generalis in Epiſcopum Sanctuarienſem translata; eum violatæ juriſdictionis eccleſiaſticæ reum fecit; & omnibus, quos ille initiaverat, ordinum ſuſceptorum functiones interdixit. At Stephanus prolatis litteris teſtibus delegati ſibi muneris, traditæque poteſtatis ab Epiſcopo Sibenicenſi, interdictum illud irritum fecit, ac nihili eſſe declaravit.

Interdictum Hectoris de Franciſcis antea Vicarii gen. nullum eſſe declaravit.

Die 28. m. Januarii 1495. Cum per Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum D. Stephanum Avellanum Epiſcopum Santuarienſem, Jac. Theol. Doctorem, ſuffraganeum ac Locumtenentem, nec non Vicarium generalem Reverendiſſimi Epiſcopi Sibenicen. fuerint promoti nonnulli clerici ad ſacros ordines, & alii ad ordinem presbyteratus . . . per ipſum tamquam ſufficientes approbati, & licentiati, ut a quocumque Pontifice poſſint & valeant ſacros ordines recipere, qui omnes infraſcripti videlicet &c. apud nos pro idoneis habiti, fuerunt ad ſacros ordi-

nes promoti & approbati : modo superveniens D. Hector de Franciscis assertus Vicarius omnes supradictos suspendit a sacris ordinibus , mandando eisdem ne in sacris hujusmodi se immiscere , atque impendere quomodocumque præsumant . Nos igitur antedictus Stephanus auctoritate nobis concessa ab Episcopo Sibenicensi vobis omnibus & singulis , sicut præmittitur , promotis ad dictos sacros ordines , non obstante asserto mandato ejusdem Domini Hectoris , libere , secure , atque intrepide exerceatis , & celebretis missas , & alia officia , ad quæ promoti estis , cum auxilio Omnipotentis Dei , & benedictione nostra ; presentibus nobb. viris Hieronymo Disnico , & Marco q. Laurentii testibus habitis , vocatis , rogatis &c.

Visitationem episcopalem indixit.

Idem Episcopus sub initium hujus anni 1495. visitationem episcopalem indixit litteris Encyclicis ad Canonicos, Parochos, Presbyteros, & Clericos missis : *Reverendissimus in Christo Pater & Dominus Stephanus Avellanus Dei gratia Episcopus Santuarien sis Sac. Theol. Doctor , Vicarius & Locumtenens in jurisdictionalibus , ac suffraganeus in omnibus spectantibus ad ordinem Episcopalem Reverendissimi Domini Episcopi Sibenicen. notum facit omnibus , & singulis in civitate Sibenicensi , & diœcesis subditis constitutis , videlicet Dominis Canonicis , Subcanonicis , Parochis , Presbyteris , & aliis clericis inferioribus &c. quatenus usque ad decem dies intendit incipere facere visitationem juxta sacrorum Canonum dispositiones &c. Dat. Sibenici in Aula Episcopali die 9. mens. Januarii* 1495. In actis curiæ Episcopalis Sibenicen. tum anno superiori semel atque iterum, tum sæpius hoc anno 1495. Stephanum Sanctuarienſem *Vicarium generalem , & Locumtenentem* Episcopi Sibenicensis nominatum invenio ; ac semel quidem se *Magistrum sacræ Theologiæ Ordinis Prædicatorum appellat*. Duos sibi Vicarios sui muneris substituit, primum *Georgium Archidiaconum Sibenicensem*, *deinde Jacobum Tollimerium Legum Doctorem*.

Cum Franciscus multa in Curia Romana, & gravissima negotia sustineret, quæ illum ab urbe discedere vetabant ; veritus ne quid detrimenti ex absentia pastoris caperet Ecclesia Sibenicensis, quam per se regere non poterat , dimittere statuit; ejusque dimittendæ potestatem impetravit ab Alexandro VI. qui *anno* 1495. 5. *Augusti admisit resignationem Ecclesiæ Sibenicen. per Franciscum Quirinum factam ; & illi de persona D. Bartholomæi providit*. Post depositum Sibenicensem , Archiepiscopatum Dyrrachiensem obtinuit . Obiit anno 1505. in castro S. Petri , quod est oppidum agri Patavini , & ibidem conditus est apud Patres Franciscanos in æde S. Joannis Baptistæ penes sacellum S. Catharinæ. Monumentum eidem posuerunt, ac titulum fecerunt Matthæus & Antonius filii, quos ante susceptos ordines Ecclesiasticos genuerat,

Franc. Quirino Sibinicensi Episc. ac Durac. Archiep. dignis. Patr. Venet. omnibus notis. Matthæus & Ant. filii pientis. ære suo posu. Ob. An. Sal. MDV. Kal. Aug.

BARTHOLOMÆUS EP. SIBENIC. XIII.

Nicolaus de Draganis Vicar. gen. Bartholomæi Episcopi Joannem Procopovichium electum Archipresbyterum confirmavit.

Venetiis oriundus , cognomento Boninus . Nicolaum de Draganis Primicerium ædis cathedralis Vicarium generalem sibi delegit ; eique mandavit , ut suo nomine possessionem Ecclesiæ Sibenicensis adiret . Antequam Sibenicum accederet , cum Joannes Franciscus Disnicus Archipresbyter diem supremum obiisset ; Archidiaconus, & Canonici, penes quos jus erat eligendi Archipresbyteri , id muneris ac dignitatis ad Joannem Procopovichium Canonicum cunctis suffragiis detulerunt . Hunc vero Nicolaus Episcopi vicem ac personam gerens rite approbavit , eique possessionem collati Sacerdotii secundum juris formulam dari jussit .

Nicolaus de Draganis Primicerius Sibenicen. Rev. in Christo Patris, & Dom. D. Bartholomæi Bonini Dei & Apostolicæ Sedis gratia dignissimi Episcopi Sibenicensis Vicarius generalis . Dilecto nostro Dom. Francisco Procopovich Canonico Sibenicensi salutem in Domino . Cum ad Venerabiles viros dilectos nostros Archidiaconum, & Capitulum ecclesiæ nostræ jus eligendi & præsentacio personæ idoneæ , quando vacat dignitas Archipresbyteratus, & ad Episcopum Sibenicen. pro tempore existentem personarum præsentatarum hujusmodi receptio, & admissio , nec non institutio ipsius , & collatio , assignatio , & provisio Archipresbyteri prædicti jure ordinario , de antiqua approbata , & hactenus observata consuetudine pertineat ; per Archidiaconum , & Capitulum prædictum ad Archipresbyteratum ipsius ecclesiæ , quem quondam Dom. Joannes Franciscus Disnicus ipsius ecclesiæ Archipresbyter dum viveret obtinebat ; per ipsius Dom. Joannis Franciſci obitum , qui nuper diem clausit extremum , nobis fuisti ob virtutum & meritorum tuorum præmia , ac ætatis gravitatem præsentatus ; quem , super hoc præfatis Archidiacono & Capitulo supplicantibus , gratiose admittentes , recipimus . Quapropter nos præmissorum intuitu ac vitæ & morum honestate , quibus apud nos fide digno commendaris testimonio , nosque inducunt , ut tibi reddamur ad gratiam liberales , Te in Archipresbyterum dictæ ecclesiæ instituimus ; ac illum sic vacantem cum plenitudine juris canonici , ac omnibus juribus , & pertinentiis suis , auctoritate ordinaria tibi conferimus , & assignamus , & providemus ; Teque coram nobis propter hoc personaliter constitutum in corporalem possessionem Archipresbyteratus , juriumque & pertinentiarum ejus per annuli traditionem inducimus , & investimus de eodem ; recepto per nos a te , quod nobis & successoribus nostris ordinariis Sibenicensibus obediens eris & fidelis , ac S. Matris Ecclesiæ , nostris , & successorum nostrorum mandatis : & eidem ecclesiæ secundum ipsius statuta , & consuetudines , & ordinationes legitimas deservies , & deserviri facies in Domino , juraque & libertates ipsius ecclesiæ , ac Archipresbyteratus prædicti manutenebis , ac defendes pro posse ; nihilque quod ad dictum Archipresbyteratum spectabit , aut pertinebit alienabis , seu detrahes ; alienataque seu detracta ad jus & proprietatem prædicti Archipresbyteratus reduces , & reduci facies , ac procurabis pro posse ad Sacra Dei Evangelia præstito juramento . Vobis omnibus & singulis personis ecclesiasticis Archidiacono , & Capitulo , Canonicis & personis dictæ ecclesiæ , aliisque notariis , & tabellionibus publicis per civitatem , & diocesim nostram constitutis subditis nostris , tenore præsentium committimus , quatenus vos vel alter vestrum , qui super hoc requisiti ,

vel

vel requiſitus fuerit, ad prædictam eccleſiam accedatis, ſeu accedat; eumque D. Joannem, vel procuratorem ſuum ejus nomine ad eumdem Archipresbyteratum in præfata Eccleſia Sibenicen. in Archipresbyterum recipi faciatis, ſeu recipi faciat, ſtallumque ſibi in choro loco digniori ipſius eccleſiæ cum plenitudine juris Canonici aſſignetis; ſibique de ipſius Archipresbyteratus fructibus, reditibus, obventionibus univerſis integre reſpondeatis, & faciatis ab aliis, quantum in vobis erit, plenarie & integre reſponderi; Contradictores auctoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam compeſcendo. In quorum omnium & ſingulorum fidem, & teſtimonium prædictorum præſentes litteras, ſive præſens publicum inſtrumentum hujuſmodi collationem, & proviſionem in ſe continentes, ſeu continens exinde fieri per notarium publicum infraſcriptum ſubſcribi mandavimus, noſtrique ſigilli juſſimus, & fecimus appenſione communiri. Dat. Sibenici in ſacriſtia præfatæ eccleſiæ, anno ſalutis noſtræ 1495. *Ind. XIII. die vero* 17. *menſ. Octobris, Pontificatus SS. in Chriſto Patris, & Dom. Dom. noſtri D. Alexandri Papæ VI. anno* 4.

Bartholomæus prope annos ſeptemdecim huic eccleſiæ præfuit; ſed de illo præter nomen, nihil fere aliud memoriæ ac litteris traditum invenio. Extat quædam epiſtola Hieronymi Mazzarelli, qui locum tenebat, ac vice fungebatur Bartholomæi Averoldi Archiepiſcopi Spalatenſis, inſcripta *Bartholomæo Bonino Epiſcopo Sibenicenſi V. Kalendas Junias, anno* 1498. Habuit lites neſcio quas cum Tragurinis; quæ delatæ cum fuiſſent ad Curiam Archiepiſcopalem, ab eo miſſus eſt procurator, qui ſuam cauſſam ageret, *Jacobus Tollinevichius Leg. Doct. Rev. P. D. D. Bartholomæi Dei & Apoſt. Sed. gr. Ep. Siben. V. g. anno* 1499. Sub initium ſæculi decimi ſexti, pars territorii ac diœceſis Sibenicenſis, quæ ad orientem vergit, ab excurſionibus Turcarum infeſta cum eſſet, plerique ex incolis fuga diſperſi, alii quidem in inſulas & ſcopulos ſe abdiderunt, alii vero trans mare in Aprutium migrarunt.

JOANNES EP. SIBENICENSIS XIV.

Tragurii opulenta in primis & clara fuit Staphilea familia, quam inde uſque ab inſula Cypro tranſvectam ferunt; & in hac urbe domicilium ac ſedem rerum omnium & fortunarum ſuarum collocavit. Ex ea cum alii viri illuſtres, tum Joannes noſter prodiit; cujus Pater Stephanus unum e ſeptem vel octo illis caſtellis, quæ inter Salonam & Tragurium oræ maritimæ inſident, ædificavit anno 1508. conditoris cognomine appellatum Staphileum, & januæ maximæ hoc Tetraſtichon inſcripſit.

Hic ubi nunc multo cernuntur tecta colono,
Unda fuit ſicco non adeunda pede.
Staphilei ſumptu ceſſit Neptunus, & arte,
Terraque cæruleis undique ceſſit aquis.
MDVIII.

Joannes juris utriuſque ſcientia excelluit. In æde cathedrali Tragurienſi titulum munuſque Archidiaconi geſſit; & anno 1502. ut notatum eſt in tabulis curiæ Spalatenſis, Averoldo Archiepiſcopo abſenti operam vicariam navavit. Romam profectus in gymnaſio Romano, cui a ſapientia cognomen, jus pontificium tradidit; deinde in collegium auditorum Rotæ adſcitus in controverſiis vel implicatiſſimis expediendis, ac dirimendis magnam ſibi vel ingenii, vel doctrinæ famam conciliavit. Cum in illis graviſſimis diſceptationibus ac judiciis, & in clariſſima urbis luce verſaretur, librum compoſuit eruditum oppido ac laborioſum *De Gratiis expectativis*, quem Joannes Lucius ſororis filius poſt mortem avunculi typis cudendum curavit. Ob ejus eximias virtutes cum ſingulari doctrina & prudentia conjunctas, Julius II. anno 1512. Epiſcopum creavit, & Sibenicenſi Eccleſiæ præfecit. Sed neque Julius, neque Leo X. qui Julio in Pontificatum proxime ſucceſſit, talis ac tanti viri operam & ſolertiam, magnis & arduis rebus gerendis idoneam, unius eccleſiæ anguſtiis concludi voluit, ſed ad communem univerſalis eccleſiæ utilitatem uterque cenſuit adhibendam. Itaque & ante, & poſt ſuſceptum Epiſcopatum multa juſſu miſſuque Sedis Apoſtolicæ, & graviſſimas legationes apud Reges Europæ obivit, ex eorumque, a quibus, & ad quos mittebatur, ſententia feliciter peregit. Eccleſiam Sibenicenſem per ſuos Vicarios gubernavit, quam utrum aliquando interviſeret, aut ſaltem initio ſui Epiſcopatus adierit, mihi non liquet. Annos natus ſex omnino & quinquaginta Romæ migravit e vita an. 1528. Funus ei ampliſſimum, & ſepulcrum ad S. Trinitatis in montibus, in primario ejuſdem templi ſacello curavit Joannes Lucius ſororis filius. Lapidi ſepulcrali effigiem epiſcopalem incidi juſſit; titulum ipſe adjunxit.

Joannis Ep. ſepulcrum & inſcriptio ſepulcralis.

Jo: Stapbileo Tragurien. Dalmatae V. I. Doct. Epiſcopo Sibenicen. unum ex Rotae Auditoribus locum tenenti, doctrina, & integritate Viro clariſſimo, juſtitiaeque cultori optimo. Qui in aſſiduis Sedis Apoſtolicae Legationibus totum fere orbem peragravit, vita, moribus boniſque artibus exemplare; cujus graviſſima mors totam Curiam ad deplorandum adduxit. Jo: Lucius Epiſcopus Sibenicen. Nepos obſequentiſſimus avunculo maximis cum lacrimis & Cordis dolore poſuit. Vixit annis LVI. obiit anno ſalutis MDXXVIII. XI. K. Auguſti.

JOANNES II. EP. SIBENICENSIS XV.

Joannes II. Ep. Sibenicen. Baſilicæ cathedralis ædificationem abſolvendã curavit.

Hic itidem erat Tragurinus ex domo Patricia Luciorum, quæ tum antiquitate, & nobilitate generis, tum divitiis & honoribus florebat. Ex ſorore Joannis Staphilei Ep. Sibenicen. genitus eſt; & memoriæ gratique animi cauſſa, propter accepta beneficia, cognomen avunculi cum ſuo & paterno conjunxit, voluitque appellari *Joannes Lucius Staphileus*. Sunt qui huic ab avunculo Epiſcopatum Sibenicenſem ceſſione voluntaria traditum fuiſſe affirmant: certe illius merita illuſtria viam ſororis filio ad Sedem hanc obtinendam aperuerunt. Anno igitur 1528. acceſſit ad gubernacula Eccleſiæ Sibenicenſis, cui per annos circiter triginta ſaluberrimis inſtitutis, & virtutum ſuarum exemplis mirifice profuit. Nihil vehementius optavit, quam ut ædis cathedralis jamdudum inchoatæ perfectionem abſolutionemque videret. Itaque tum de ſuo plu-

rimum

rimum identidem pecuniæ conferebat, tum aliunde etiam adjumenta, & subsidia conquirebat; Præfectos vero fabricæ, architectos, & operarios verbis ac promissis assidue urgere instituit, ut se vivo, opus tam egregium absolverent. Nec vero sua illum spes & pecunia, sollicitudo & cura impensa frustrata est; id quod Joannis Lucii Episcopatum maxime illustravit, ejusque memoriam insignem posteris fecit. Ergo hujus sæculi anno circiter quadragesimo perfecta est omni ex parte, & absoluta basilica Sibenicensis; quæ vel ambitus magnitudine, vel structuræ elegantia, ceteris omnibus Dalmatiæ templis facile antecellit. Opus centum annorum, plane magnificum; expletumque omnibus suis numeris & partibus, vel in hac tanta templorum Italicorum magnificentia conspiciendum. In ejus ædificationem anno superioris sæculi quadragesimo inchoatam, sed variis identidem casibus interruptam, millia nummum argenteorum amplius octoginta insumpta fuisse constat ex tabulis rationum, quæ in publico urbis archivo asservantur; at si nunc eamdem fieri oporteret, ne tercenta quidem millia sufficerent. Tanta vero arte ac solertia perfecta est, ut Faustus Verantius templum Sibenicense inter perfecta architectonices opera annumerandum esse censuerit in eo libro, quem superiori sæculo Venetis typis impressum edidit, sub hoc titulo: *Machinæ novæ Fausti Verantii Sicensis, cum declaratione Latina, Italica, Hispanica, Germanica &c.*

Hæc ecclesia, inquit, *non est meæ inventionis: nam ante centum quinquaginta annos extrui cœpit. Et quia pulcherrimæ inusitatæ formæ est, eam hoc loco inter mea inventa, patriæque meæ ornamentum ponere placuit. Nam præterquamquod absque ulla materia lignea constet; testudinem ipsam, non ut reliqua templa ex lateribus fornicatam habet; sed tota ingentibus lapidibus sectis secundum longitudinem positis tecta est, qui tam ab interiori, quam ab exteriori parte iidem conspicui sunt. Reliqua delineatio demonstrabit.*

Antonii Verantii Sibenicensis elogium, & epitaphium.

Et quoniam Fausti Verantii in hunc locum incidit mentio, facere non possum, quin aliquid commemorem de Antonio Fausti Patruo ex nobilissima gente Verantia Sibenicensi, Archiepiscopo ac primate Strigoniensi, qui hoc sæculo multis legationibus apud reges ac viros Principes obitis, rebusque gloriosissime gestis patriam illustravit; cujus omnes excellentes virtutes, dignitates, ac laudes complectitur epitaphium, quod ejus sepulcro Tyrnavienſi insculpendum filii fratris curarunt.

Reverendissimo in Christo Patri ac Domino D. Antonio Verantio Archiepiscopo Metropolitano Ecclesiæ Strigoniensis, locique ejusdem perpetuo, & Comitatus Hontensis Comiti, Primati Hungariæ, Sanctæ Sedis Apostolicæ Legato nato, summo, & secretario, & cancellario, & consiliario, ac per Hungariam locum tenenti Sacratissimæ Regiæque Majestatis. Integritate, & munificentia singulari, rerumque experientia insigni, variisque legationibus statim ab ineunte ætate, in primis quidem nomine Joannis Regis Hungariæ apud omnes fere principes Christianos; tum vero ultimis duabus nomine Sacratissimi Imp. Rom. Ferdinandi I. & Maximiliani II. apud Solimanum, & Selimum Turcarum Principes summa dexteritate, fide, & solertia, atque adeo omnibus Reipublicæ curis honorificentissime perfuncto, deque tota christianitate optime merito, mœsti nepotes Faustus, Casimirus, Franciscus & Antonius hoc monumentum posuer: Natus Sibenici in Dalmatia; obiit Eperiis in Pannonia annos natus LXIX. dies XVI. Jacet Ternaviæ in D. Nicolai anno D. MDLXXIII. XVII. Kal. Sextil.

Ædem cathed. Siben. Joannes Lucius consecravit.

Nunc ad basilicam Sibenicensem revertamur. Hanc anno 1555. Joannes Lucius Episcopus sollemni ritu & cerimonia dedicavit, ingenti advenarum, & incolarum multitudine ad ejusdem dedicationem celebrandam confluente. Annum & diem hujus consecrationis declarat inscriptio supra januam lateralem, quæ plateam respicit, una cum duplici stemmate gentilitio Episcopi & Comitis Sibenicensis, tabulæ marmoreæ insculpta.

Joannes Lucius Staphileus Antistes Sicci opt. Philippo Bragadino civitatem diligenter administrante, Phanum hoc caste pieque consecravit Men. April. Quart. Kal. Maii MDLV.

Ante aliquot annos Venetiis cum esset, ædem S. Zachariæ, rogatu illustrium illarum Virginum ordinis Benedictini consecravit, ut docet inscriptio ad latus dexterum interius januæ maximæ olim affixa.

Itemque Venetiis ædem S. Zachariæ,

Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MDXLII. die septima mensis Maji Ego Joannes Lucius Staphileus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Sibenicensis consecravi hanc ecclesiam in honorem, gloriam, & laudem D. N. J. C. nec non in honorem B. Zachariæ Prophetæ, sedente Præsule in Sede Apostolica Paulo PP. III. pontificatus sui anno VII. Hieronymo Quirino Patriarcha Venetiarum, Principatu Sereniſſimi Domini Petri Lando, significans cunctis Christi fidelibus dictam ecclesiam devote visitantibus in die consecrationis ejusdem unum annum, & in die anniversario consecrationis hujusmodi, ipsam visitantibus XL. dies de vera indulgentia in forma ecclesiæ consueta concessum.

ejus obitus, sepulcrum, inscriptio.

De Sibenicensi Ecclesia egregie meritus anno 1557. e vivis excessit. Amplissimo funere elatus est, atque ad latus basilicæ Sibenicensis Septentrioni obversum conditus in loculo marmoreo, qui duobus pilis incumbens, e terra aliquantulum eminet. Huic superimposita visitur effigies Episcopi jacentis, impluvia Sacerdotali amicti, cum mitra, & baculo pastorali. Loculo inscriptus est titulus sepulcralis.

Jo: Lucio Staph. Nob. Trag. opt. merito Sicen. Antistiti, Jo: Staphileo avunculo in apice Pontific. decenter suffecto, exactoque Præsulatus Lustro Seno, honorifice defuncto Stephanus Frater PP. An. Sal. MDLVII. & suæ LX.

Inter posteros Joannis Lucii Episcopi Sibenicensis insigni doctrina & eruditione floruit Joannes Lucius, auctor librorum de regno Dalmatiæ, & Croatiæ, itemque monumentorum Tragurienſium, de quo sæpe in variis multisque locis historiæ Sacræ Illyricæ.

HIERONYMUS EP. SIBENICENSIS XVI.

Hieronymus Saornianus Ep. Sibenicen.

Gens Saorniana inter Forojulienses nobilitate, divitiis, honoribus, factis illustribus & gloriosis excelluit; quæ ob insignia in Rempublicam merita, præsertim cum Friderici Saorniani opera magni fuisset in bello Cameracensi, ad Patricias Venetorum familias aggregata fuit anno 1509. Ex ea natus est Hieronymus, non majo-

interfuit Concilio Tridentino.

majorum gloria, quam ſua virtute clarior; quem Paullus IV. Epiſcopum Sibenicenſibus dedit anno 1557. v. Idus Auguſti; & tali ac tanto præſule, quo nobilitaretur, eccleſiam illam dignam eſſe exiſtimavit. Sub initium Epiſcopatus ab inſulanis Corcyrenſibus adſcitus fuit ad conſecrandam ædem cathedralem, cum Petrus Barbadicus eorum Epiſcopus abeſſet. Sub Pio IV. interfuit Concilio Tridentino; & ſecum adduxit F. Amantem ex ordine Servorum B. Mariæ, virum ſingularis doctrinæ, qui locum inter Theologos Concilii obtinuit. Ante hæc tempora tota fere animarum procuratio in unum Archipresbyterum ædis cathedralis incumbebat; cumque hic tanto oneri ferendo non eſſet, præſertim poſtquam numerus incolarum ad plura millia creviſſet, & magis magiſque in dies creſceret; Hieronymus ſex urbanos parochos inſtituit, primum ipſum Archipresbyterum eſſe voluit, cui paroeciam S. Chryſogoni commiſit, ſecundum S. Gregorii, tertium S. Benedicti, quartum omnium Sanctorum, quintum Sanctiſſimæ Trinitatis, ſextum denique S. Spiritus templis parochialibus præpoſuit; & ſuos cuique terminos definivit, intra quos cujuſque juriſdictio, atque adminiſtratio contineretur. Duo deinde ſuburbani Parochi adjecti ſunt; alter S. Marci ad mare, alter S. Mariæ, olim SS. Coſmæ & Damiani, quæ reſpicit ad continentem. Duo ſunt in urbe domicilia, & cœtus Virginum Deo ſacratarum, videlicet S. Salvatoris, & S. Catharinæ; quæ cum ſint illuſtrior portio gregis Chriſti, curæ illi maximæ fuerunt. Utrique leges præſcripſit ad earum inſtitutum accommodatiſſimas, quibus tum erudiri ad regularis vitæ diſciplinam, tum ad perfectionem ſtatus religioſi aſſequendam excitari ac juvari poſſent. Has leges, ne per incuriam exſoleſcerent, renovavit, confirmavit, & tertio quoque menſe in utroque cœnobio ſingulis annis in communi Triclinio religi juſſit Vincentius Arrigonus, tertius ab Hieronymo Epiſcopus Sibenicenſis.

Joſeph Binius Archipresbyter Glemonæ, vir excellenti eruditione atque doctrina, & veterum monumentorum ſolertiſſimus inveſtigator, quem ut aliis locis, ſic etiam hic honoris & grati animi cauſſa nomino, pro ſua egregia humanitate faſciculum ſchedarum mihi communicavit, in quibus diligentiſſimus præſul permulta & varia ſua manu ſcripſit, quæ pro ratione ſui muneris paſtoralis vel jam decreverat, vel decernenda & facienda ſibi eſſe judicabat. Ex his ſingularis viri prudentia, doctrina, & æque in minimis ac maximis rebus diſponendis atque ordinandis mira accuratio, & ſolertia elucet. His pagellis expoſuit ſua quædam præclara cogitata & conſilia, veluti illud de Seminario pro clericis Dalmatiæ inſtituendo, & alia hujuſmodi, quæ ad commodum & utilitatem non ſolum Sibenicenſis, ſed etiam totius Eccleſiæ Dalmaticæ ſpectabant. Verum ea perficiendi viam ille quidem rationemque oſtendit, ſed facultas & adjumenta neceſſaria defuerunt. Dialogum de Matrimonio conſcripſit, exquiſita doctrina, Canonicis præſcriptionibus, & Sanctorum Patrum ſententiis refertum, in quo de officiis utriuſque conjugis, quæ alter alteri præſtare debet, de vinculo inſolubili ſocietatis conjugalis, de ſeparatione & divortio, de interdictione plurium uxorum, de adulterio, de ſecundis nuptiis, erudite copioſeque diſſeruit. Sed mutilus eſt, initio & fine caret.

Adverſaria Mſſ. Hieronymi Ep. Sibenicenſis.

Poſt abſolutum Concilium Tridentinum, antequam ad ſuam eccleſiam ſe referret, epiſtola ſupplici ab Duce & Senatu tria poſtulavit; primum ut, juberet Comitem ſeu rectorem Sibenici Epiſcopo auxilio, non impedimento eſſe. tum ad puniendos clericos violatores eccleſiaſticæ diſciplinæ, eoſque in officio continendos, tum ad omnia, quæ ſunt juriſdictionis & muneris epiſcopalis, libere peragenda; ſecundo ut vetaret ex annuis proventibus ædis cathedralis, qui erant admodum exigui, ſumptus fieri in ſtemmata gentilitia, quæ honoris & memoriæ cauſſa ſingulis prætoribus, cum civitatis regimine perfuncti abibant, ſuum cuique, ex marmore procudi, & loco eminenti collocari ſolebant; tertium erat, ut cum reditus menſæ epiſcopalis, ob tres ac triginta villas diœceſis Sibenicenſis a Turcis occupatas, valde diminuti fuiſſent, juberet diminui etiam ſolutionem decimarum, quas Epiſcopus ex antiqua taxatione ærario publico pendebat.

Epiſtola ad Ducem & Senatū.

Sibenicum reverſus nihil prius ſibi faciendum putavit, quam ut Synodum diœceſanam cogeret; in qua decreta quædam Sacroſancti Concilii Tridentini, quæ præſertim ad eccleſiaſticam diſciplinam reſtituendam, divinum cultum augendum, moreſque reformandos pertinent, promulgari & recipi juſſit. Convenerunt itaque anno 1564. Canonici ædis cathedralis, & rectores eccleſiarum cum Abbate S. Nicolai de portu, cui primum ante Canonicos ſubſellium datum fuit; Canonicis Archidiaconus, Archipresbyter, Primicerius; parochis omnibus Archipresbyter Breberienſis, ruralibus urbani parochi, ut dignitate antecedebant, ita etiam loci primatu præpoſiti ſunt. Cum omnes ſuo quiſque loco & ex ordine conſediſſent; Hieronymus Epiſcopus e ſolio Pontificio, gravi & brevi ſermone ad hunc modum illos alloquutus eſt,

Synodus diœceſana.

Reverendi Sacerdotes & fratres amantiſſimi.

Ingentes gratias agere debemus Deo Opt. Max, unde omnia bona manant, quod cum omnes fere chriſtiani orbis provinciæ pernicioſiſſimis hæreſibus fuerint hiſce temporibus agitatæ, & vexatæ, noſtram Dalmatiam in ſinceritate fidei & Eccleſiæ Catholicæ unitate ita conſervavit, ut remediis nobis oblatis per Sacrum Oecumenicum & generale Concilium Tridentinum, quo ad dogmata fidei non indigeremus. Verum ſicut ad obedientiam & reverentiam filialem pertinet læto & alacri animo recipere quæcumque a pia matre offeruntur, ita noſtrum eſt prompte ac ſtudioſe ſuſcipere & venerari omnia & ſingula decreta a Sancta matre eccleſia definita; qui enim eccleſiam matrem non veneratur, Deum Patrem propitium habere non poterit. Quapropter cum eximia Summi Dei erga nos clementia, & Sanctiſſimorum Pontificum ſingulari ſapientia & pietate Sacrum Concilium Tridentinum ſalubriter cœptum, ac feliciter peractum fuerit, in quo aſſiſtentia Spiritus Sancti multa, tam ad hæreſes extirpandas, quam ad mores reformandos definita ſunt, quæ omnia Sancta Sedes Apoſtolica, & Beatiſſimus Papa noſter Pius IV. Pont. Max. confirmavit, & approbavit, immo quod executioni mandentur omnibus Epiſcopis & Prælatis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis a Sacris Canonibus conſtitutis, diſtricte injunxit atque mandavit; cumque inter cetera decreta ejuſdem Concilii ſtatutum ſit, quod ſingulis annis juxta canonicas ſanctiones ab

Brevis oratio ad Synodum.

Epiſ-

Episcopis Synodus diœcesana convocetur, in qua de moribus moderandis, excessibus corrigendis, & controversiis componendis agatur; necessarium duximus præsentem Synodum celebrare, in qua non tantum de supradictis Deo favente agendum erit, verum etiam nonnulla ab eodem Sacro Concilio definita executioni mandabimus; & quædam alia, quæ ad morum correctionem, & divini cultus augmentum pertinent, legenda curabimus, ut mores nostri ad Dei gloriam ita componantur, & ad ecclesiasticam disciplinam reducantur, juxta doctrinam Apostoli sobrie, caste, & pie vivendo, ut laicis vita & conversatio nostra ad pietatem morumque disciplinam exemplo esse possit; ecclesiaque nostra in his, quæ pertinent ad cultum Dei, ita bene disponatur, & ordinetur, ut & de illa aliqua ex parte verificetur versiculus Canticorum: Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulcra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata; quod ut Dominus omnipotens nobis per suam misericordiam concedere dignetur, ei nostras & orationes cum humilitate, & devotione fundamus.

Post sacrificium & sollemnes precationes, Lector jussus est in suggestum conscendere, ac nomine Episcopi de scripto hanc admonitionem edicere.

Admonitio. *Cum præsens hæc Synodus, quam Deo propitio celebramus, in eam gratiam fuerit per nos indicta & convocata, ut definitiones & decreta Sacrosancti Oecumenici Concilii Tridentini per Sanctissimum Dominum nostrum Papam confirmata, summa cum veneratione omnes, ut par est, suscipiamus, quædamque horum in præsenti Synodo executioni mandemus, & nonnulla alia, quæ ad honorem Dei, & divini cultus incrementum facere videbuntur in moribus moderandis, & controversiis componendis, tractemus; ideo nos Hieronym. Savorg. Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Sibenicen. admonemus & hortamur in Domino omnes & singulos Sacerdotes & clericos quoscumque, qui huic Synodo intersunt, aut interesse debent, ut pro reverentia ejusdem SS. D. N. Pp. & Sacrosanctæ Sedis Apostolicæ nullus, juxta Toletani Concilii decretum, indiscretis vocibus perstrepere, aut quibuslibet tumultibus perturbare, aut obstinatis disceptationibus contendere debeat; sed in incessu, statu, & in omnibus motibus suis faciat quod cujusque non offendat aspectum; omnesque & singuli attente quæ dicentur, & legentur audiant; cum vero sententiæ dicendæ erunt in creatione deputandorum ad causas, & examinatorum eorum, qui ad parochiales ecclesias sunt in posterum promovendi, omnes illi, qui de jure vel consuetudine vocem habere solent, suffragia ferrent, approbantes personas eorum, qui sibi magis idonei pro sua conscientia coram Deo, & hominibus videbuntur; & nemo ante finem & benedictionem nostram discedat.*

Incipiunt acta Concilii. Postea per eumdem lectorem lectum est decretum Concilii Tridentini de sui receptione, dicendo: Caput secundum reformationis publicatum in ultima Sessione Sacrosancti Concilii Tridentini: Cogit temporum calamitas &c.

Quo finito surrexit Episcopus & cartulam manu tenens legit alta & intelligibili voce hæc verba, & hanc receptionem: Ego Hieronymus &c. recipio & profiteor &c.

Finita confessione Episcopi, & eodem sedente, lector alta voce clamavit & dixit: Nonne vos Rev. Domini recipitis omnia & singula definita & statuta in Sancta Oecumenica Synodo Tridentina, a Sanctissimo Domino nostro Pio IV. confirmata perinde ac si omnia & singula ad verbum legerentur, & lecta in præsenti fuissent.

Responderunt: recipimus.

Iterum interrogavit dicens: Nonne veram obedientiam eidem Summo Pontifici Pio IV. & ejus successoribus canonice intrantibus spondetis & profitemini.

Responderunt: Spondemus & profitemur.

Tertio interrogavit & dixit: Nonne hæreses omnes a Sacris Canonibus, & generalibus Concilis, præsertim ab Oecumenico Concilio Tridentino damnatas, publice detestamini, & anathematizatis.

Responderunt: Detestamur, & anatemathizamus.

Quibus finitis legit decretum de observandis & vitandis in celebratione Missæ dicens: Decretum de observandis & vitandis in celebratione Missæ publicatum in Sessione 22. ejusdem Sacri Concilii Tridentini: Quanta cura adhibenda sit, ut Sacrosanctum Missæ sacrificium omni religione &c.

Eo finito legit constitutiones Episcopi ita dicendo:

Constitutiones Sibenicenses de sacrificio Missæ.

Cum ex omnibus thesauris, quos Christus Servator noster nobis reliquit, nullus sit omnino venerando sacrificio Missæ aut dignitate præstantior, aut utilitate major & uberior; ex debito pastoralis officii tenemur omnibus viribus, atque omni ope & consilio providere, ut tantum sacrificium debito more & cultu ad Dei gloriam, & fidelium ædificationem celebretur. Quapropter, ut in quantum possumus, illud in sua puritate, reverentia, & dignitate conservemus, nos Hieronymus Savor. &c. auctoritate nobis tradita a Sacrosancto Concilio Tridentino, & in hoc casu, tamquam Sedis Apostolicæ delegatus, infrascriptas Constitutiones ad omnium notitiam præsenti in Synodo dioecesana publicandas esse decrevimus, mandantes omnibus clericis nostræ dioecesis, tam sæcularibus, quam regularibus sub excommunicationis, & suspensionis pœna, quatenus eas inviolabiliter observent, & observari faciant.

Nemo in domibus privatis, vel extra ecclesiam Missam celebrare audeat.

Ut addamus majorem difficultatem illis, qui contra nostrum præceptum ausi fuerint facere celebrare Missas in eorum domibus privatis, prohibemus sacristis nostræ ecclesiæ, & aliis clericis tam in civitate, quam per totam dioecesim nostram degentibus, ne audeant absque Vicarii nostri licentia paramenta vel calices extra eorum ecclesias exportare.

Nemo celebret ante auroram vel post meridiem.

Sacerdotes in altari decenter ornato nitidis & candidis corporalibus ac linteis, Sacerdotalibus vestibus rite compositis, voce gestuque secundum S. Rom. Ecclesiæ consuetudinem in rubrica descriptam celebrare omnino studeant.

Purificatoria & corporalia sint linea, & mundissima, quæ propriis manibus Sacerdotum laventur & extergantur.

Non celebretur cum calice rubiginoso vel fracto, & illum saltem bis in mense lavent.

Sacerdotes celebrantes etsi nullo peccato mortali obnoxii, saltem die dominico confiteantur.

Celebrantes barbam circa os non nutriant, labiumque superius detondeant.

Nullus ad ministerium altaris accedat, nisi prius manus abluat.

Missæ devote celebrentur, ac prævideantur, in earumque celebratione observentur ceremoniæ, prout in ordinario & rubricis.

In illis eccleſiis, quæ ſacriſtiam habent, non liceat celebraturis induere veſtes ſacras, niſi in ipſa ſacriſtia.

Sacerdotes ſacris veſtibus induti, dum expectant, non nugentur aut deambulent, ſed ſolliciti ſint de magno myſterio, quod ſunt acturi.

Antequam celebraturus aſcendat ad altare, per clericum ei inſervientem in ipſo altari accendantur candellæ ſaltem duæ, & ampullæ cum vino & aqua, & intortitium afferantur.

Non celebretur in civitate, niſi cum miniſtro aſſiſtente induto ſuperpelliceo, ſi miniſter ſit clericus ſæcularis.

Super altari biretum, Zanfarda, aut quid profanum non ponatur.

Celebraturus antequam confeſſionem incipiat, præparet miſſale, & corporale, videatque an ſuper patena hoſtiam habeat.

Duæ Miſſæ eodem tempore non celebrentur ita propinquæ, ut ſe invicem impediant.

Dum Miſſa ſolemnis cantatur, Miſſæ privatæ non celebrentur, niſi poſtquam in Miſſa majori Corpus Chriſti fuerit elevatum.

Omnes Miſſæ in parochiis & capellis civitatis dicantur ante celebrationem Miſſæ majoris in eccleſia cathedrali.

Singuli in eccleſia cathedrali, vel in eorum parochiali, ſaltem diebus dominicis, Miſſam audiant.

Dum Miſſa celebratur, vel divinum officium recitatur, in eccleſia non fiant deambulationes, & ſilentium ſervetur.

Clericus peregrinus & ignotus ad celebrandas Miſſas ſine noſtra licentia non admittatur.

In eccleſiis monialium nemo ſine noſtra, vel capellani illius monaſterii licentia celebret.

In celebratione Miſſarum novarum tripudia, & ſumptuoſa convivia non fiant.

In ſingulis eccleſiis ſit tabula miſſarum dicendarum per ſingulos dies, ut teſtamenta adimpleantur, Miſſæque dicantur in altaribus a teſtatoribus ordinatis.

Publici peccatores arceantur ab eccleſia, dum Miſſa celebratur.

Sacriſtæ curent quod ſingulis diebus a prima Miſſa uſque ad horam competentem Miſſæ ſine intermiſſione & ſucceſſive in noſtra majori eccleſia celebrentur.

Atque tandem, ut multa paucis comprehendamus, omnes celebraturos per viſcera miſericordiæ Dei noſtri Jeſu Chriſti hortamur, & rogamus, quod nulla ſpe profani lucri, aut ſordida cupiditate ad tam veneranda myſteria accedere audeant; ſed memores, quod ſunt in ſortem Domini vocati, puro cordis affectu, cultuque ita compoſito & decoro, ut aſſiſtentes devotione repleant, & ad religionem excitent, immaculata ſacrificia offerant; & quoniam ubi eſt major periculum, ibi plenius eſt conſulendum, ideo ut defectibus, qui in Miſſis quandoque accidere ſolent non ſine divina indignatione, & aſtantium ſcandalo, remedia propria & opportuna adhiberi poſſint, mandamus omnibus & ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ, quod præ manibus habeant aliquem probatum auctorem, a quo poſſint inſtructionem plenam accipere de remediis contra hujuſmodi defectus neceſſariis & opportunis.

Lectum eſt decretum de Confeſſionibus: Decretum de Reformatione. Caput XV. publicatum in 23. Seſſione Sacroſancti Concilii Tridentini: Quamvis Presbyteri in ſua ordinatione a peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant &c.

Eo finito lectæ ſunt conſtitutiones Epiſcopi:

Conſtitutiones Sibenicenſes de Confeſſionibus.

Nemo eſt qui neſciat quam utile, quamque neceſſarium ſit in hac noſtra fragili vita Sacroſanctum Sacramentum pœnitentiæ; experientiaque docemur quam ſit difficile ſervare innocentiam acceptam illæſam & incontaminatam; Chriſtus ſalvator noſter & Pater miſericordiarum noſtræ fragilitati ſubveniens de remedio pœnitentiæ providit, ut homo per peccatum ab ipſo elongatus, ad illum per pœnitentiam appropinquaret, & reverteretur. Cum autem inter cetera Sacramenta, pœnitentia potiſſimum in ejus miniſtro prudentiam, doctrinam, diligentiam, & vitæ ſanctitatem requirat; Nos Hieronymus Savorgn. &c. Saluti gregis noſtræ curæ commiſſi intendentes, in quantum poſſumus, conſulere, Sacri Concili Tridentini decreto inhærendo, omnibus & ſingulis Sacerdotibus tam ſæcularibus, quam regularibus ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, cujus abſolutionem nobis tantum reſervamus, inhibendo prohibemus quod nullus, præterquam in caſu neceſſitatis, qui non ſit rector eccleſiæ parochialis, & curam animarum habeat, audeat in civitate vel dioceſi confeſſiones audire, & abſolutionem impendere, niſi prius fuerit examinatus aut approbatus a nobis; volumus inſuper, & jubemus in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus parochialium rectoribus, & ceteris, quibus conceſſa fuerit a nobis licentia confeſſiones in civitate, & dioceſi noſtra audiendi, quod obſervare debeant infraſcriptas conſtitutiones noſtras, quarum ſi quis tranſgreſſor fuerit, is quamprimum ſit, & intelligatur ipſo jure privatus auctoritate confeſſiones audiendi eis a nobis conceſſa, perinde ac ſi eis data non fuiſſet.

Confeſſiones præterquam infirmorum & impotentium, alibi quam in eccleſiis Sacerdotes tam ſæculares, quam regulares non audiant; locoque decenti reſidere ſtudeant, neque mulieres ante ortum vel poſt occaſum ſolis ad confeſſionem admittant; & ſic ſint compoſiti, ut auro præbeant, oculos vero prohibeant ab aſpectu.

Confeſſiones nullus clericus ſæcularis audiat, qui ſuperpelliceo non ſit indutus.

Curent omnes rectores parochialium, ut pueri eorum parochiarum, qui octavum annum attigerunt, in Paſchate confiteantur.

Confeſſiones audientes pro peccatis pœnitentias pecuniarias non infligant, applicando eas ſibi, vel eorum eccleſiæ vel monaſterio; & ſi alicui viſum fuerit pro pœnitentia injungere quod Miſſas celebrare faciat, volumus quod id pœnitentis libito relinquatur, & omnino per alium, quam per Confeſſorem, celebrentur.

Confeſſiones audientes ut ſibi aliquid relinquatur perſuadere non præſumant, quod etiam ad confraternitates extendi volumus.

Confeſſores habeant caſus reſervatos SS. D. N. Papæ & epiſcopales.

Item habeant Canones pœnitentiales.

Ubi caſus fuerint dubii in confeſſione, non dent abſolutionem, donec per Nos, vel pœnitentiarium eccleſiæ noſtræ, informentur quid ſit agendum.

Singulis annis conficiant, & nobis vel Vicario noſtro præſentent catalogum eorum, qui ſibi confeſſi fuerint in paſchate.

Confitentes peccata, cum non ſunt infirmi, ſtent genuflexi & capite aperto.

Rectores parochialium hortentur & curent, ut eorum parochiani accedant ad confeſſiones peragendas ante Dominicam Palmarum; & nemo niſi in caſu neceſſitatis differat confiteri ad eum diem,

quo

quo intendit ſumere Sacramentum Euchariſtiæ.

Lectum eſt decretum de Matrimonio: Decretum de reformatione matrimonii publicatum in 24. Seſſione ejuſdem Concilii Tridentini. Caput primum. Tametſi dubitandum non eſt clandeſtina matrimonia &c. Caput ſecundum. Docet experientia propter multitudinem prohibitionum &c. Caput quintum. Si quis intra gradus prohibitos &c. Caput ſextum. Decernit Sacra Synodus raptorem & raptam &c. Caput ſeptimum. Multi ſunt qui vagantur, & incertas habent ſedes &c. Caput decimum. Ab Adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti uſque ad feſtum Epiphaniæ &c.

Quibus finitis lectæ ſunt conſtitutiones epiſcopales ad normam decreti Tridentini compoſitæ.

Deinde lectum eſt decretum de clericis concubinariis: Caput decimum quartum publicatum in Seſſione 25. ejuſdem generalis Conc. Tridentini. Quam turpe, ac clericorum nomine, qui ſe divino cultui addixerunt, ſit indignum &c. & decretum de laicis concubinariis: Caput octavum de reformatione matrimonii publicatum in 24. Seſſione ejuſdem Concilii. Grave peccatum eſt homines ſolutos concubinas habere.

Adjunctæ ſunt & lectæ Conſtitutiones Epiſcopales ad normam utriuſque decreti.

Poſtea lecta ſunt decreta de Reſidentia Prælatorum, & Curatorum: Caput primum publicatum in 6. Seſſione Sacri Concilii Tridentini. Eadem Sacroſancta Synodus, item aliud decretum de reſidentia: Caput primum publicatum in 23. Seſſione ejuſdem Concilii Tridentini. Cum præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animatum cura commiſſa eſt &c.

Poſtea lecta eſt Conſtitutio epiſcopalis.

Conſtitutiones Sibenicenſes de Reſidentia.

Quoniam per Sacrum Tridentinum Concilium proviſum eſt contra rectores parochialium eccleſiarum, qui per longum tempus abſunt a ſuis eccleſiis, in noſtra autem dioceſi eſt abuſus quorumdam rectorum, qui parum ſolliciti de ſalute gregis eorum, fere ſingulis hebdomadis accedunt, nulla neceſſitate cogente, ad civitatem magno cum periculo & detrimento animarum eorum curæ commiſſarum; ideo nos Hieronymus &c. volentes, ut par eſt, huic malo remedium adhibere, innovamus, & in uſum revocamus conſtitutionem jamdiu ſuper hoc editam a prædeceſſoribus noſtris, quæ ut ad omnium notitiam perveniat, in præſenti Synodo publicari juſſimus, mandantes Rev. Vicario noſtro pro tempore exiſtenti, ut eam inviolabiliter obſervari faciat & exſequatur. Lecta eſt hæc conſtitutio.

Nullus clericorum tempore divinorum officiorum a civitate diſcedat abſque noſtra, vel Vicarii noſtri licentia.

Nemo cujuſcumque ordinis clericorum ſine ſuperpelliceo, vel quibus congruit, ſine almutiis, chorum ingredi, aut taliter indutus eccleſiam, niſi collegialiter, exire præſumat.

Clerici chorum ingredientes altare primum, deinde Pontificem, ceteroſque poſtremo decenter venerentur, eiſque ſecundum ſui ordinis dignitatem reverenter a ceteris aſſurgatur.

Silentium in choro, ac ſtandi, ſedendique decentia omnino ſervetur.

Clerici divinum officium, aut decenti voce, & pauſis legendo, aut congruo cantu, nihil alienum intermiſcentes, peragant.

Officium divinum nullus inferiorum ordinum, ſed Sacerdos tantum incipiat.

Nullus incipere officium, aut aliquid legere, vel cantare præſumat, niſi is, cui de jure competit, vel is, cui vices ſuas mandavit, vel eo abſente, ſenior in choro juſſerit.

Singulis diebus de occurenti feſto ſecundum noſtrum calendarium officium recitetur, de præteritis vero ſecundum ordinem & rubricam.

Negligentes intereſſe divinis officiis, & tranſgreſſores ſupraſcriptarum conſtitutionum per ſacriſtas Sacramento adſtrictos nobis, aut Vicario noſtro pro tempore exiſtenti denuncientur, mulctaque quatuor ſolidorum applicandorum fabricæ eccleſiæ, pro qualibet vice punientur.

Mandamus omnibus & ſingulis in eccleſia majori vel cathedrali celebrantibus, quod quicumque defecerit in prima Miſſa, vel in Miſſa Magnifici Comitis, & in Miſſa majori, vel ultima, quod debeat ſolvere unum ducatum fabricæ S. Jacobi, prout fuit longæva in ſimilibus conſuetudo; deficientes vero in aliis miſſis ſub obligatione dicendis, ultra oblationem ſolitam, quam debet habere pro eodem deficiente celebrans, condemnamus, & condemnatum decernimus in ſolidos decem parvorum pro qualibet vice, fabricæ S. Jacobi applicandos.

Canonici Sacerdotes & clerici omnes noſtræ civitatis teneantur ſub pœna arbitrio noſtro, vel Vicarii inferenda, intereſſe omnibus officiis eccleſiæ noſtræ, ut infra.

Ad matutinum tam diebus feſtivis, quam feriatis conveniant omnes clerici, & Sacerdotes, qui habitaverint in civitate, præter illos, qui attigerint annum ſexageſimum; & ut commodius intereſſe poſſint, concedimus quod tantum in aurora incipiant.

Ad horas, Miſſam majorem, & veſperas diebus feſtivis, & eorum vigiliis, omnibus cujuſcumque gradus, ætatis, conditionis præcipimus ut veniant; ſed diebus feriatis abſolvimus eos, qui in ſcholis grammaticalibus ſe exercent; Verum ſi qui ſunt, qui huic conſtitutioni nolint eſſe ſubjecti, decernimus quod neque in funeralibus neque in anniverſariis, neque ad celebrationem Miſſarum in eccleſia, vel ad alia Sacramenta in hac civitate adminiſtranda admittantur.

Matutinales lectiones ita diſtribuantur, ut cujuſcumque ordinis clericis eas legere & cantare liceat.

Negligentes intereſſe divinis officiis punctentur, & arbitrio Pontificis puniantur.

Nullus audeat chorum exire tempore divinorum officiorum, ſine ſuperioris expreſſa licentia.

In altari majori Canonici diebus dominicis & feſtis duplicibus, & majoribus ſemiduplicibus Miſſam, duo vero Subcanonici Evangelium & epiſtolam cantent, uno ſubdiacono aut acolyto, qui crucem, ac duobus, qui cereos ferant, aſſiſtentibus; duo vero minores oſtiarii introitum chori cuſtodiant. In feſtis duplicibus Canonico veſperas incipienti, ſicut in Miſſa, iidem miniſtri aſſiſtant. Evangelium ac pacem diaconus clericis, ſubdiaconus laicis deferat.

Cum contigerit clerum noſtrum ire ad obſequia, omnes congregentur in eccleſia noſtra, & ibi induti ſuperpelliceis, cruce præcedente, collegialiter exeant, & proceſſionaliter procedant ad domum defuncti, quod in reverſione ſimiliter obſervent, nec liceat ulli ipſorum exuere ſe ſuperpelliceo, nec diſcedere ante finem obſequiorum, ſi contingeret fieri in noſtra eccleſia; ſed ſi fient extra, quod finitis obſequiis eodem ordine, & cum ſuperpelliceis aſſocient uſque ad chorum noſtræ eccleſiæ crucem, verum eorum vexillum.

Sermonem in eccleſia noſtra clerici omnes ordi-

nate

nate ante altare juxta ſuorum ordinum dignitatem ſedentes audiant, non tam diſcentes, quam etiam pradicanti auctoritatem præſtantes.

Poſtea lectum eſt decretum de eligendis examinatoribus: Caput XVIII. publicatum in 24. Seſſione Sac. Conc. Tridentini: Expedit maxime animarum ſaluti &c. Quo finito dixit

Reverend. D. in Chriſto Pater & D. noſter D. Hieronymus Savorgnanus Dei & Apoſtolicæ Sed. gratia Epiſcopus Sibenicenſis proponit vobis in examinatores eligendos

D. Georgium Calverium majorem Canonicum.

D. Matthæum Gabrich.

D. Nicolaum Dragnich Canonicos eccleſiæ noſtræ.

Presbyterum Joannem Buglievich parochianum Sancti . . . .

Presbyterum Joannem Liſnicic parochianum Sancti . . . .

Et Presbyterum Miſſich manſionarium eccleſiæ noſtræ.

Paternitates veſtræ dicant ſententias ſuas, an vobis placeant.

Et omnes vocem habentes reſponderunt: Placent.

Approbatis examinatoribus lectum eſt decretum de cauſis eccleſiaſticis committendis: Caput decimum publicatum in ultima Seſſione ejuſdem Concilii Tridentini: Quoniam ob malitioſam petentium ſuggeſtionem &c.

Quo finito dixit Cancellarius alta voce:

Reverendi Domini, idem Rever. H. Epiſcopus noſter in executionem ſupradicti decreti nominat ad deſignationem judicum, quibus cauſſæ eccleſiaſticæ in partibus a SS. Dom. noſtro, & ejus officialibus ſunt committendæ,

D. Franciſcum Ferro Archipresbyterum.

D. Martinum Sainerum Primicerium.

D. Michaelem de Natalis Canonicum, & pœnitentiarium eccleſiæ noſtræ.

Et Ven. Fratrem Hieronymum Diſnicum in Sacra Theologia magiſtrum, & monaſterii S. Franciſci in noſtra civitate Guardianum ord. Min. conventualium.

Omnes reſponderunt: Placent.

Deinde lectum eſt decretum de diſtributionibus quotidianis conſtituendis: Caput tertium publicatum in 21. Seſſione Sac. Conc. Trid. Cum beneficia ad divinum cultum, atque ad eccleſiaſtica munia obeunda ſint conſtituta &c.

Poſtea lecta eſt conſtitutio Epiſcopi.

Conſtitutio Epiſcopalis de Diſtributionibus.

Cum inter cætera, quæ Sancta & generalis Synodus Tridentina in Spiritu Sancto directa & congregata decrevit, illud quoque ſtatutum ſit, quod Epiſcopi etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ legati, in eccleſiis tam cathedralibus, quam collegiatis, in quibus nullæ ſunt diſtributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut veroſimiliter negligantur; tertiam partem fructuum, & quorumcumque proventuum, & obventionum tam Dignitatum, quam Canonicatuum, perſonatuum, & officiorum ſeparare, & in diſtributiones quotidianas convertere debeant, quæ inter Dignitates obtinentes & cæteros divinis intereſſentes proportionaliter, juxta diviſionem ab eis faciendam dividantur; volenteſque ſicut & aliis, ita & huic decreto debitam obedientiam & executionem præſtare, idcirco Nos Hieronymus Savorgnanus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſc. Sibenicen. tamquam Sedis Apoſtolicæ legatus auctoritate a Sacroſancta Synodo nobis tradita, hac præſenti noſtra conſtitutione & decreto declaramus, quod ex omnibus obventionibus & fructibus, quos Canonici noſtræ cathedralis eccleſiæ tam in inſula Slarim, quam in reliquis ex decimis bladorum, vini, & animalium habent, vertimus & aſſignamus ad diſtributiones quotidianas, quæ tantum Canonicis præbendatis divinis intereſſentibus in eccleſia noſtra diſtribuantur, totum hordeum, quod ratione decimarum illis perſolvi ſolet; declarantes, quod illi tantum pro intereſſentibus habeantur, qui in choro ſuperpelliceo induti in matutinis ante finem pſalmi Venite exultemus, in horis vero & veſperis ante finem primi pſalmi, & in Miſſa ante finem ultimi Kirie eleiſon uſque in finem officio interfuerint; niſi aliqua neceſſitate cogente, poſtquam in choro ſe præſentaverint, petita & obtenta licentia diſcedendi a Vicario, vel eo abſente, a præſidente chori, eos diſcedere oporteat; quo caſu pro illa hora tantum præſentes ut habeantur permittimus; ſicuti etiam pro præſentibus haberi volumus omnes illos, qui pro tempore erunt extra civitatem aut ſtudii cauſa, vel deſtinati cum noſtra licentia pro utilitate & defenſione rerum & jurium cleri. Canonicos quoque in civitate, vel dioceſi, dum adverſa valetudine fuerint impediti, ad diſtributiones admittimus, ſicut etiam pro præſentibus in matutinis haberi decernimus, qui in civitate, vel dioceſi noſtra commorantes 60. annum attigerint juxta conſuetudinem eccleſiæ noſtræ. Habeantur pro abſentibus illi, qui a principio uſque ad finem in proceſſionibus non permanſerint. Ut autem hæc omnia debitam & realem habeant executionem, mandamus ſub excommunicationis pœna, & alia arbitrio noſtro imponenda, decimariis Capituli Canonicorum pro tempore exiſtentibus, quod nullam partem hordei, quod ratione decimarum ab eis exigetur, in alium uſum convertant; ſed illud reſervent pro diſtributionibus quotidianis, ſicut prædiximus, perſolvendis. Ut autem certa notitia haberi poſſit eorum, qui tamquam filii obedientiæ in atriis domus Dei noſtri hilares penſum ſervitutis ſuæ Domino perſolverint, & juxta menſuram laboris plus minuſve capiant emolumenti, præcipimus, & mandamus decimariis pro tempore exiſtentibus, quod ſub pœna perjurii, fideliter agendo & nulli parcendo, notent, & punctent omnes & ſingulos Canonicos, qui ſingulis diebus ſtatuto tempore non interfuerint, incipiendo a proximis Calendis Novembris; quo die & cætera decreta S. Conc. Tridentini juxta declarationem a SS. D. N. Pio IV. Pont. Max. ſuam executionem habebunt; portionem vero illorum, qui abſentes aut negligentes fuerint ad intereſſendum divinis officiis, volumus & declaramus, quod tantum inter illos Canonicos dividatur, qui ultra tres menſes quolibet anno a ſervitio eccleſiæ non abfuerint; quavis colluſione, aut remiſſione penitus excluſa, ſublatoque illo abuſu, quo in una dumtaxat hora præſens totius diei diſtributiones uſurpare ſolet, omnibuſque aliis, quæ in diminutionem cultus divini, ac in fraudem hujus conſtitutionis excogitari poſſent.

Qua finita lectum eſt decretum de Canonicis & dignitatibus: Caput 12. publicatum in 24. Seſſ. Sac. Concilii Trident. Cum dignitates in eccleſiis præſertim cathedralibus &c.

Deinde lectum eſt decretum de vita & honeſta Cleric. Caput primum publicatum in 22. Seſſione Sac. Conc. Trid. Nihil eſt quod alios magis ad pietatem &c.

Poſtea lecta eſt conſtitutio Epiſcopi.

Quoniam a Sacroſancta Synodo Tridentina ſtatutum & præceptum eſt Epiſcopis & Prælatis, ut

Conſtitutiones Sibenicenſes de vita & honeſtate clericorum.

diligenter curent, quod obſerventur ea, quæ copioſe & ſalubriter ſancita fuerunt a Summis Pontificibus, & a Sacris Conciliis de clericorum vita & honeſtate retinenda, ac ſimul de luxu, comeſſationibus, & quibuſcumque criminibus, & ſæcularibus negotiis fugiendis, noſtri vero muneris eſt omnia & ſingula ejus ſtatuta & definita executioni mandari; ideo ne quemquam latere poſſint quæ fugienda, & quæ ſequenda ſint ab his, qui divino cultui ſe dicarunt, Nos Hieron. &c. colligere quibuſdam noſtris conſtitutionibus ad morum correctionem ſpectantibus nonnulla decreta Summorum Pontificum & Sacrorum Conciliorum, & quaſdam alias his ſubnectere curavimus, mandantes eas in præſenti Synodo publicari, & ab omnibus cleri noſtri inviolabiliter obſervari. Si quis autem auſu temerario aliquas earum tranſgreſſus fuerit, pœnis in eis contentis, & majoribus arbitrio noſtro imponendis juxta auctoritatem nobis a Sacro Concilio traditam punietur.

Clericus, qui legitimo impedimento ceſſante divinum officium ſingulis diebus non dixerit, pœna carceris & alium arbitrio noſtro imponendam incurrat; & ſi beneficiatus fuerit, a perceptione fructus officii ſui ipſo facto ſuſpenſus intelligatur.

Tonſuram & coronam ordini ſuo congruentem abraſam & viſibilem deferant.

Clerici camiſias circa collum vel manus non laboratas ſed ſimplices, cum ſuis collariis honeſtis deferant.

Clerici incedant veſtibus ſuperioribus ſtatui ſuo convenientibus, inſertis brachiis in manicis, vel emiſſis manibus per foramina manicarum.

Mulierem ſuſpectam in domo tenere non præſumant.

Tabernas publicas, & conventicula comeſſantium, in quibus potiſſimum cantantur ponaſnine, *ut vulgo dicitur; in propria vel aliena domo taxillorum, cartarum, & quemcumque alium illicitum ludum omnino evitare ſtudeant.*

Crapula & ebrietate omnino abſtineant.

Clerici ſi nocturno tempore ante matutinum ſine lumine inventi fuerint, ſecundum ſuorum ordinum dignitatem a nobis punientur.

Clerici, qui etiam cum lumine de noctu exeuntes cantaverint laſcivas & amatorias cantilenas, quas matinatas vocant, ſeu cantantibus ſe aſſociaverint, carceri mancipabuntur, & aliis pœnis majoribus arbitrio noſtro punientur.

Clerici, qui obliti decoris militiæ, in qua ſunt adſcripti, auſi fuerint ire maſcarati per civitatem, aut muliebribus choreis & pompis intereſſe, per tres menſes in carcerem, aqua tantum, & modico pane ſubſtentandi condemnentur.

Clerici, qui in loco publico, & coram laicis pila ludere auſi fuerint, pro eorum qualitate & ordine puniantur.

Negotiis omnibus ſæcularibus abſtineant.

Clericus maledicus, maxime in Sacerdotes, cogatur ad poſtulandam veniam; ſi noluerit, degradetur, nec umquam abſque ſatisfactione ad officium revocetur.

Qui calumniam illatam non probat, pœnam debet incurrere, quam ſi probaſſet, reus utique ſuſtineret.

Poſtmodum lectum eſt decretum contra privilegiatos: Caput tertium publicatum in 6. Seſſione Sacr. Concil. Trid. Eccleſiarum prælati ad corrigendum &c. item Caput quartum publicatum in 14. Seſſione: Omnes eccleſiarum prælati, qui ad corrigendum &c. demum Caput decimum & undecimum publicatum in 24. Seſſione: Epiſcopi ut aptius quem regunt populum, poſſint in officio &c. Quoniam privilegia & exemptiones, quæ variis titulis pleriſque conceduntur, hodie perturbationem in Epiſcoporum juriſdictione &c.

Quibus omnibus perlectis Epiſcopus fecit hunc ſermonulum.

Reverendi Sacerdotes & Fratres amantiſſimi.

Sermo Epiſcopi hortativus antedimiſſionem Synodi.

Audiſtis, Fratres dilectiſſimi, quanta cum diligentia & ſtudio Sancta & pia Mater Eccleſia ſuis conſtitutionibus & decretis normam recte vivendi nobis tradere curaverit; noſtrum autem eſt ejus mandata non ſolum ſuſcipere & venerari, ut promiſimus, verum etiam executioni mandare. Quapropter expoliantes veterem hominem cum moribus & actibus ſuis, induamus manſuetudinem, humilitatem, modeſtiam, & caſtitatem; ſuper hæc omnia caritatem habeamus, quia caritas operit multitudinem peccatorum. Sobrii ſimus, orationi inſtemus, vigilantes in ea cum gratiarum actione, conſideranteſque quod poſiti ſumus tamquam ſignum ad ſagittam apud omnes, qui in nos oculos conjiciunt, ut ex actionibus noſtris ſumant quod imitentur. Avaritiam fugiamus, quia eſt radix omnium malorum. Scrutemur Scripturas, ut poſſimus inſtruere populos noſtræ curæ commiſſos, & ſemper parati ſimus reddere ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea, quæ in nobis eſt, fide. Memores eſſe debetis, quod eſtis genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, ut virtutes & fidem annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum. De cætero quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque juſta cogitemus; & Deus pacis erit nobiſcum. Veniet juxta dictum Evangelii Dominus vineæ, malos male perdet, vineamque ſuam locabit aliis agricolis, qui ei reddent fructum temporibus ſuis. Caveamus itaque, Fratres, ab omni opere malo, & obediamus præpoſitis noſtris, ut, quemadmodum heſterna die ab eccleſia cantatum fuit, Dominus nobis concedat diabolica vitare contagia, & ipſum ſolum Deum pura mente ſectari, atque una cum populo nobis credito perpetua beatitudine perfruamur, Deum Patrem ſuppliciter exorantes, ut noxia cuncta ſubmoveat, & omnia nobis profutura concedat per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Cantato a cantoribus Cantico Te Deum &c. *publicata eſt indulgentia 40. dierum impertita ab Epiſcopo, a quo etiam omnibus data fuit benedictio.*

Tandem Archidiaconus dixit: Recedamus in pace; & omnes reſponderunt: In nomine Chriſti.

Decretum Tridentini de titulo ordinandorum non potuit locum habere in Diœceſi Sibenicenſi.

Cum inter cætera decreta Sacroſancti Oecumenici Concilii Tridentini lectum eſſet in Synodo dioceſana Sibenicenſi Caput ſecundum publicatum in Seſſione 21. ejuſdem Sacri Concilii, per quod ſtatuitur neminem deinceps ad ſacros ordines promovendum eſſe, niſi prius legitime conſtet beneficium eccleſiaſticum pacifice poſſidere, aut patrimonium, vel penſionem vere obtinere, quæ ei ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint; omnes Rev. Canonici, & reliqui Sacerdotes ibi præſentes ſurrexerunt dicendo: Si hoc decretum ſervabitur, pauci vel nulli noſtræ dioceſis in poſterum ordinandi erunt, quod erit maximo cum detrimento animarum hujus civitatis, & territorii; nam ob ſterilitatem regionis, & incurſionem Turcarum, qui majorem & uberiorem partem noſtri territorii occuparunt, nullum eſt omnino in hac civitate & territorio beneficium eccleſiaſticum præter Epiſcopa-

copatum & Abbatiam S. Nicolai de portu, quod ſatis ſit ad ſuſtinendum mediocriter gradum ſacerdotalem; in bonis vero patrimonialibus omnes tanta paupertate laborant, quod admodum pauci ſint, qui reditibus, & introitibus poſſint ſe ſuſtentare; unde omnes unanimiter Rev. D. Epiſcopum Synodo præſidentem & præſentem rogarunt, ut huic incommodo ſua ſolita benignitate, & paterna pietate provideret; qui experientia cognoſcens veriſſima eſſe adducta per Rev. Canonicos & Sacerdotes, promiſit ſe curaturum, ut in proximo provinciali Concilio huic incommodo provideretur; & quando id non ſufficiat, tandem notificaturum calamitatem & anguſtiam hujus cleri & regionis SS. D. N. PP. qui cum ſit Paſtor univerſalis, & vere Pater, neceſſitatibus eorum opportune proſpiciet: qua reſponſione audita gratias egerunt Rev. D. Epiſcopo, & rogarunt, ut ea ad futurorum memoriam redigerentur in actis.

Epiſtola Hieronymi Sibenicenſis Epiſcopi ad Sac. Congreg. Cardinalium.

Illuſtriſſimi Domini.

Epiſtola Hieronymi ad Sac. Congreg.

Cum in Sacro Concilio Tridentino cap. 2. ſeſſ. 21. ſtatutum ſit, ne ad Sacros Ordines admittantur illi, qui non habent beneficium eccleſiaſticum, vel ſaltem patrimonium, quod eis ad victum honeſte ſufficiat; Epiſcopus Sibenicen. Illuſtr. DD. VV. humiliter exponit hujuſmodi decretum in ſua diœceſi ſine præjudicio animarum ſibi commiſſarum obſervari non poſſe. Nam cum fere totum territorium illius civitatis ſit occupatum & devaſtatum a Turcis, omnes incolæ illius regionis tam eccleſiaſtici, quam laici redacti ſunt ad extremam inopiam; & admodum pauci ſint, qui ex reditibus ſuſtentare ſe poſſint; ſed plerique victum arte piſcatoria, navigationibus, mercaturis, & artificiis acquirunt. Quare cum in illis partibus nec patrimonia, nec beneficia eccleſiaſtica ſint idonea ad vitam ſuſtentandam, & populus ita ſit frequens, ut requirat ſaltem 60. Sacerdotes, qui miniſterio altaris inſerviant, & in adminiſtrandis Sacramentis ſatisfaciant, ſupradictus Epiſcopus petit ut per Illuſtriſſimas DD. VV. oſtendatur ſibi via, qua poſſit conſulere ſaluti animarum ſuæ curæ commiſſarum, non violato decreto ejuſdem Sacri Concilii.

Dum Hieronymus huic eccleſiæ præſidebat, bellum Cyprium exarſit; & diœceſis ac territorium Sibenicenſe anno 1570. duas villas non infrequentes amiſit, Rachonizam, & Dazlinam, quæ ſub poteſtatem Turcarum ceciderunt. Anno 1573. vitæ quietioris ſtudio, Sibenicenſem Epiſcopatum ſponte depoſuit, ejuſque conferendi cui vellet arbitrium Romano Pontifici reliquit.

Eccleſiæ Sibenicenſi nuncium remiſit.

LUCAS II. EP. SIBENICENSIS XVII.

Ex vetuſtiſſima & nobiliſſima familia *de Spingarolis*, quam oriundam ferunt ab antiquis Dominis de Deſſa, præpotentibus olim, & opulentiſſimis Dalmatiæ Dynaſtis. Cum Jaderæ per multa ſæcula tum opibus, tum omnibus honoribus, qui patriciis viris conferri ſolent, floruiſſet; Petrus de Spingarolis frater noſtri Lucæ ad Flumen in oppidum S. Viti domicilium tranſtulit; & cum quinque liberos procreaſſet, Erneſtus natu maximus apud Flumen, Franciſcus tertius frater Jaderæ nomen ſuum genuſque propagarunt. Huic familiæ præclarum vetuſtiſſimæ nobilitatis teſtimonium, publica fide munitum, tribuerunt Conſiliarii urbis Jaderæ, quod petierat Dominicus Antonius de Spingarolis, adoleſcens ſumma ſpe & animi & ingenii præditus, qui tum Viennæ in celeberrimo collegio Thereſiano litteris operam dabat. *Juſtum cenſentes*, inquiunt, *teſtimonium adhibere virtuti, nec ſinere antiquiſſimæ nobilitatis decus in dubium revocari; ideo patentibus litteris notum facimus, atque teſtamur illuſtrem familiam Dominorum de Deſſis, qui circa annum 1300. de Spingarolis nuncupari cœperunt, unam ex originariis antiquiſſimiſque eſſe familiis inclyti regni Dalmatiæ, quæ a pluribus jam ſæculis nobilem Patriciatum hujus metropoleos haud interrupto honore obtinet, eoſque ſemper cenſuit viros, qui & geſtis in patria præclare magiſtratibus, & quibuſque aliis etiam honoribus domi foriſque omni tempore ſatis effulſere &c.* Hiſce ergo majoribus Lucas natus eſt anno circiter triceſimo hujus ſæculi decimi ſexti. Parentem habuit Hieronymum virum clariſſimum, & fratres quatuor, quibus hæreditate paterna relicta, & rebus mortalibus nuncio remiſſo, ad cœnobitas ordinis Dominicani ſe aggregavit; inter quos cum illuſtria ingenii & doctrinæ ſpecimina dediſſet, juſſus eſt ſcholam tenere, & Fratribus junioribus primum Philoſophiam, deinde Theologiam tradere. Gregorius XIII. Lucam haud minus virtute, quam ſacra eruditione, ac præſidum ſuorum teſtimonio commendatum, creavit Epiſcopum Sibenicenſem, ut docent tabulæ conſiſtoriales: 1574. 23. *Januarii providit Eccleſiæ Sibenicen. in Dalmatia ſub ditione Dominorum Venetorum, per liberam ceſſionem Reverendi Dom. Hieronymi Savorniani in manibus SS. ſponte factam, & per eum admiſſam vacanti, de perſona R. P. Fr. Lucæ Spingaroli ord. S. Dominici Sacerdotis, & lectoris, & ſui Superioris teſtimonio comprobati; ipſumque dictæ eccleſiæ in Epiſcopum præfecit cum decreto &c.* Extat hujus Epiſcopi diploma, quo Sacerdotium quoddam ſimplex ab illis, ad quos jus rectoris nominandi ſpectabat, collatum Archipresbytero ædis cathedralis confirmavit: *Lucas Spingaroli Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Sibenicenſis dilecto filio nobis in Chriſto R. D. Thomæ Surriechievich Sac. Theologiæ Doctori, & Archipresbytero noſtræ cathedralis, ac plebano, & decano eccleſiæ S. Mariæ de Srima diœc. Sibenicen. ſalutem in Domino ſempiternam &c.* Cetera deſunt; ſed hanc notam ibi appoſita invenio: *Confert Plebanatum ſive Decanatum S. Mariæ vacantem per obitum Franciſci Michelevich, qui erat de jure patronatus nonnullorum laicorum civitatis, a quibus Thomas fuerat præſentatus. Erat ſine cura animarum. Hic ergo plebanatus, ſicut quidam Jadrenſes, eſt dignitas ſuper congregationem quamdam, ſive parvam collegialem Presbyterorum. Dat. Siben. in noſtro epiſcopali Palatio die 20. Maji 1579.* Huic eccleſiæ annos quindecim præfuit, & anno 1587. Concilio provinciali Spalatenſi interfuit. Sibenici obiit anno 1589. Sepultus eſt in æde cathedrali ad latus ſiniſtrum ſcalæ marmoreæ, quæ ad aram maximam & Canonicorum ſubſellia aſſenſum præbet, cum hac inſcriptione.

Lucas Ep. Sacerdotii Archipresbytero ædis cath. collatum confirmavit.

Ejus obitus & titulus ſepulcralis.

Lucas Spingarolus
Jadrenſis Epiſcopus
Sibenicenſis. Obiit Anno
Domini MDLXXXIX.

VINCENTIUS EP. SIBENICENSIS XVIII.

Vincentius Baſſus Ep. Sibenici ad Eccleſiam Andrien. translatus.

Patricius Cremenſis, cognomento Baſſus, juris pontificii laurea inſignitus, quem Sixtus V. in Sedem Sibenicenſem Lucæ Spingarolo ſubrogavit : 1589. 2. *Febr. Providit Eccleſiæ Sibenicen. in Dalmatia provinciæ Spalaten. ſub dominio Venet. per ob. Lucæ Epiſcopi vacanti, de perſona R. D. Vincentii Baſſi Presb. Cremen. in jure Canonico Doct. cum retentione compoſſibilium.* Anno 1597. ut eſt apud Ughellum, Eccleſiam Sibenicen. cum Andrienſi in provincia Tranenſi, permiſſu Pontificis commutavit ; eique biennio poſt ſubſtitutus eſt in Sedem Sibenicenſem

VINCENTIUS II. EP. SIBENICEN. XIX.

F. Vincentius II Arrigonus Ep. Siben. ſeptem Synodos diœceſanas celebravit.

Brixiæ ortus eſt ex Arrigona familia, & ab ineunte adoleſcentia in ſodalitatem Patrum Prædicatorum adſcriptus, æque virtutibus religioſis, ut doctrina multiplici floruit. Multas & honorificas ordinis ſui præfecturas geſſit ; ac demum Veronæ munus graviſſimum inquirendi, animadvertendique in hæreticos ſuſtinuit. Cum de illius ſapientia & virtute magna eſſet opinio, Senatus Veneti exiſtimationem & gratiam ſibi conciliavit ; qui ejus merita remunerari cupiens, ſuo apud Sedem Apoſtolicam oratori mandavit, ut Vincentio Eccleſiam Sibenicenſem conferendam curaret. Hujus gratioſæ commendationi obſequens Clemens VIII. *anno 1599. 18. Auguſti providit Eccleſiæ Sibenicenſi in provincia Dalmatiæ per translationem Rev. Patris D. Vincentii Epiſcopi ad Eccleſiam Andrien. vacanti, de perſona F. Vincentii Arrigonii Brixien. ordinis Prædic. Doctoris Theologiæ &c.* Annos ſeptem & viginti hanc eccleſiam ſanctiſſime gubernavit ; diœceſim fere quarto quoque anno epiſcopali peragratione luſtravit. Synodos omnino ſeptem coegit ; in quibus multa & perutilia decreta ſancivit, quæ partim ad cultum divinum ac religionis officia rite peragenda, partim ad mores chriſtianæ plebis reformandos, partim ad cleri diſciplinam conſtituendam potiſſimum pertinent. Has Synodos, editaſque in iiſdem conſtitutiones, quibus totius rei chriſtianæ & eccleſiaſticæ recte adminiſtrandæ ratio & præcepta pulcherrima continentur, dignas cenſeo, quæ infra deſcriptæ in communem utilitatem conferantur. Sacerdotium S. Laurentii in pago Morinenſi contulit Joanni Baptiſtæ Difnico Archidiacono ædis cathedralis. De jure eligendi manſionarios litem habuit cum Capitulo, quæ per appellationem cum ad Sedem Apoſtolicam delata fuiſſet, auditores ſacri palatii ſecundum Canonicos judicarunt, idque notatum invenio in tabulis archivi capitularis. *A centum quadraginta & ultra annis Capitulum cum Epiſcopo in vim indulti apoſtolici* (per Nicolaum V. conceſſi) *contulerunt manſionatus Cathedralis. At modernus Epiſcopus privavit quemdam manſionarium ab Capitulo cum Epiſcopo electum. Capitulum appellavit ad Sedem Romanam. De mandato Papæ res fuit commiſſa uni ex auditoribus ſacri palatii apoſtolici, qui fuit Philippus Pirovanus, qui de coauditorum conſilio declaravit pro Canonicis Sibenicenſibus contra Epiſcopum, ita ut dicti Canonici manutenerentur in poſſeſſione eligendi conjunctim cum Epiſcopo manſionarios &c. Romæ 1611. Ind. 9. die 4. menſ. Julii.*

De jure eligendi manſionarios litem Capitulo intulit.

Fauſtus Verantius Sibenicen. vir doctrina rebuſque geſtis clariſſimus.

His temporibus florebat celebritate nominis ac famæ Fauſtus Verantius patricius Sibenicenſis, qui Antonii patrui Strigonienſis Archiepiſcopi glorioſa veſtigia perſequens, graviſſimis ab Rodulpho Imperatore muneribus & negotiis præpoſitus, rei publicæ & chriſtianæ, præſertim Hungaricæ plurimum profuit, nec minus rem litterariam coluit ac juvit. Poſt obitum uxoris Epiſcopus Chanadienſis creatus eſt anno 1600. Aliquot annos illi eccleſiæ præfuit ; ſed rerum & negotiorum pertæſus, Romam ſe contulit, ut depoſito Epiſcopatu vitam privatam, & a publicis occupationibus vacuam tranquille degeret. Revocatus eſt in Hungariam, ut contra hæreſes late graſſantes catholicæ religioni laboranti opem ferret. Deinde iterum in urbem reverſus, religioſæ apud clericos regulares Congregationis a S. Barnaba cognominatæ ineundæ conſilium cœpit : quod exſequi cum non potuiſſet, & cælum Romanum ejus valetudini parum eſſet propitium, decrevit ſecedere Previchium in inſulam diœceſis Sibenicenſis, ubi procul negotiis tumultibuſque more eremitarum ſibi uni, ac Deo vacaret. Itaque Roma diſceſſit. Venetiis cum eſſet, letalem in morbum incidit, quo paucos infra dies extinctus eſt. Ejus corpus, ut ipſemet ſupremis tabulis juſſerat, delatum fuit ad eamdem inſulam, in qua & domicilium & ſepulcrum ſibi deſignaverat, conditumque extra fores eccleſiæ Patrum tertii ordinis Franciſcani, cum hac inſcriptione loculo inciſa.

Fauſtus Verantius Epiſcopus Canadienſis
Novorum Prædicamentorum & novarum
Machinarum & Fragmentorum Hiſtoriæ
Illyricæ ac Sarmaticæ Collector.
Anno MDCXVII.

Mors Vincentii Ep. ſepultura & inſcriptio.

Ad Vincentium Epiſcopum ut redeam, anno proximo poſt ultimam Synodum celebratam, qui fuit æræ vulgaris 1627. pie ſancteque deceſſit. Erravit igitur Cavallerius, qui ejus mortem ad annum hujus ſæculi undeviceſimum revocavit. Sepultus eſt apud Patres Prædicatores in templo S. Dominici ad latus ſiniſtrum altaris, quod ipſe S. Vincentio Ferrerio exſtruxerat, incluſuſque in arcam marmoream ; ſupra quam decumbit effigies epiſcopalis itidem ex marmore. Titulus ſuperadditus unica linea comprehenditur.

— O BVS
FRI VIN: ARIGONO DE BRV: BIXIEN. SACRÆ THEOL.
O S RVM —
MAGIS. ORD. PRÆ. EPO SIBENICEN. FFFF

SYNODI DIOECESANÆ

Sub Vincentio Arrigono Epiſcopo Sibenicenſi.

SYNODUS PRIMA ANNO 1602.

Conſtitutiones & Decreta.

De Fidei Profeſſione.

1. *NUllus ad animarum curam, ſive quodcumque aliud beneficium eccleſiaſticum admittatur, niſi prius in manibus noſtris, vel noſtri Vicarii fidei profeſſionem emiſerit. Idem faciant concionatores.*

2. *De Dignitatibus ſive de Canonicatibus proviſi fructus non faciant ſuos, niſi præmiſſa fidei profeſſione juxta Sacri Concilii Tridentini decre-*

ta ;

ta; aliter facientibus illis adepta poſſeſſio non ſuffragetur, pœniſque arbitrariis mulctabuntur.

3. Nullus ad ſacrum Ordinem Presbyteratus admittatur, niſi prævia fidei profeſſione; aliter ordinatus intelligatur ipſo facto ſuſpenſus ad arbitrium.

4. Non audeat quis pro ludi Magiſtro ſe exhibere, nec publice, nec private, niſi profeſſione fidei facta coram nobis, vel Generali Vicario ſub pœna interdicti ingreſſus eccleſiæ.

De Fidei Propagatione, & Conſervatione.

Omnibus tam in civitate, quam extra in noſtra diœceſi curam animarum habentibus mandamus, & in meritum ſanctæ obedientiæ præcipimus, ac ſub pœna ſuſpenſionis, nec non & privationis beneficiorum in notabiliter & pertinaciter delinquentibus, ut ſingulis diebus feſtivis faciant convocare pueros ad eccleſiam poſt prandium, eoſque juxta ſacri Concilii Tridentini ſancita doctrinam chriſtianam doceant, erigendamque mandamus ſocietatem ad hunc effectum in noſtra cathedrali.

Hortamur omnes, ac in Domino obſecramus, tam clericos, quam ſæculares, quatenus velint ſe exemplum præbere infidelibus, tam in civitate, quam extra ob illorum vicinitatem converſantibus, ut bono exemplo moti cognoſcant ſanctæ fidei chriſtianæ ſanctitatem, & puritatem, eamque Deo auxiliante amplectantur.

Caveat unuſquiſque, ut ea, quæ fidei ſunt, in dubitationem, diſceptationemque audeat revocare, libroſque vetitos apud ſe tenere, vel legere non præſumat, alioquin pœnis a ſacris canonibus impoſitis mulctabuntur.

De Sacramentorum adminiſtratione.

In Sacramentorum adminiſtratione omnino ſervari volumus ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, aliter facientibus pœnam ſuſpenſionis imponimus: id etiam ſervari volumus in omnibus cærimoniis eccleſiaſticis, quas in noſtra cathedrali præcipue fieri curabit Magiſter cærimoniarum, cui omnes parebunt, nec non & in celebratione divini Officii, cujus cura erit apud cantores, quibus omnes obtemperare volumus.

Loca, & vaſa, in quibus ſervantur aqua baptiſmalis, ſacrataque olea pro ſanctiſſimis Sacramentis conficiendis, a Parochis teneantur munda, ac ſub tutis clavibus concluſa.

Animadvertat quilibet Sacerdos, ne Sacramentum aliquod miniſtret in peccato mortali.

De Sacramento Baptiſmi.

Quilibet Parochus curam habens animarum per ſe, & non per alium, niſi legitime impeditus, ſuis parochianis ſanctiſſimum Sacramentum Baptiſmi miniſtret.

Non permittatur prolongari infantibus ſanctiſſimum Baptiſmi Sacramentum ultra octo dies, eiſque Parochi non permittant nomina barbara imponi.

Doceant Parochi obſtetrices, quando, & quomodo debeant pueros in periculo vitæ poſitos baptizare, & dum pueros ad Baptiſmum deferunt, ab eis requiratur, num eos baptizaverint, quomodo, & quibus verbis.

Immediate poſt collatum Baptiſmum nomina baptizati, & patrinorum in libro deſcribantur.

In Patrinos nullo modo aſſumantur, nec a Parochis admittantur excommunicati, facinoroſi, publici concubinarii, uſurarii, S. Romanæ Eccleſiæ inobedientes, & qui eo anno in Paſchate confiteri, & ſacrum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere neglexerunt, nec Confirmationis Sacramentum ſuſceperunt, juxta ſancita ab Illuſtriſſimo D. Viſitatore.

Sit penes omnes Parochos curam animarum habentes liber, inſcriptus Ordo baptizandi juſſu Sanctæ Romanæ Eccleſiæ reformatus.

De Sacramento Confirmationis.

Deputata die pro Sacramento Confirmationis adminiſtrando Parochi populum monebunt de virtute, & ratione dicti Sacramenti, & quales eſſe debent Patrini aſſumendi, ut de Baptiſmo dictum eſt, & ad quid teneantur.

Nullus offeratur ad hujus Sacramenti receptionem ante ſeptimum annum, niſi ex rationabili cauſa nobis notificanda.

Eodem die non permittatur, quod quis Patrinus poſſit tenere plures tribus.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

Cum omnis utriuſque ſexus teneatur in Paſchate Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere in propria parochia, caveant Parochi, ne eorum negligentia quis tam ſalubre Eccleſiæ præceptum omittat, & ſi quis propriæ ſalutis immemor repertus fuerit inobediens extitiſſe, die octava Paſchatis nobis ſub pœna ſuſpenſionis notificaſſe teneantur.

Omnes tam Sacerdotes quam clerici cujuſcumque dignitatis, gradus, & conditionis ſint, in die Cœnæ Domini Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ a nobis, vel nobis abſentibus a celebrante Miſſam recipiant; negligentes ſine rationabili cauſa pœna ſuſpenſionis plectentur. Clerici ſemel in menſe, & præcipuis ſolemnitatibus idem faciant, quod Magiſter morum fieri curabit.

Omnino prohibemus, ut de cætero Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ laicis non miniſtretur in ſacriſtiis, ſed in eccleſia juxta Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ritum, tam in die Cœnæ Domini, quam in aliis diebus, nulluſque alibi, quam in propria parochiali ſumat eccleſia.

Curabunt Parochi, ut in communionibus generalibus viri a mulieribus ſecernantur, diſponendo viros ex una, & mulieres ex altera parte.

Moneant Parochi ſuos parochianos, quod ad minus in Paſchate, in Pentecoſte, & Nativitate Domini confeſſione præmiſſa, ſacro reficiantur Euchariſtiæ Sacramento.

Cum ſacrum Euchariſtiæ Sacramentum ad infirmos defertur, deferatur etiam aqua benedicta, & infirmus ac domus ejus aſpergatur.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Nullus audeat Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrare, niſi a nobis, vel Vicario noſtro fuerit approbatus ſub excommunicationis pœna, & quilibet Parochus præcipue tempore quadrageſimali, niſi in propria eccleſia parochiali.

Fiant omnino in omnibus eccleſiis parochialibus confeſſionalia, & non alibi, quam in confeſſionalibus audiantur confeſſiones.

Mandamus omnibus Parochis ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda, ut quando fuerint vocati ad audiendas confeſſiones infirmorum in eorum parochiis degentium, non negligant audire omni alio negotio poſtpoſito. Id etiam mandamus Reverendo Archipresbytero ſub eadem pœna reſpectu advenarum, cum ei ex officio id incumbit.

Nullibi casu necessitatis excepto a confessoribus audiantur confessiones, praeterquam in ecclesia superpelliceo indutis cum stola ab ortu usque ad occasum solis, & sedendo.

Negligentes confiteri Paschatis tempore nobis deferantur.

Omnes Confessarii non alia utantur absolutionis forma, quam communi, juxta ritum Sanctae Romanae Ecclesiae, quod praecipue animadvertant Illyrici Sacerdotes, qui curabunt illam habere in earum lingua translatam infra terminum quindecim dierum.

De Extrema Unctione.

Quilibet parochus in sua ecclesia, vel in domo teneat sanctissimum infirmorum oleum; Extremaque Unctionis Sacramentum requisitus, suae parochiae infirmis non negligat administrare; negligentes graviter punientur a nobis.

Sciant parochi se teneri ad saepe visitandos infirmos suae parochiae, eosque consolari, & in extremis orationibus, monitionibus, & piis verbis, ut in fide persistant, eis adesse, & qui facere abnuerint, Deum ultorem habebunt; moneantque interdum infirmos, ut aliquem ex suis ad Episcopum mittant, ut ab eo benedictionem, antequam e vita recedant, accipiant.

De Ordine.

Nullus pro recipiendis Ordinibus se praesentet, nisi secum habuerit litteras testimoniales sui parochi de natalibus, aetate, vita, & moribus, a Ludimagistro, tum Grammaticae, tum etiam cantus de frequentatione scholae & sufficientia, & a praeposito doctrinae christianae de sollicitudine veniendi diebus festivis ad ipsam doctrinam respective recitandam, addiscendam, & docendam.

Examinatores promovendorum tam ad ordines, quam ad beneficia jurabunt se fideliter omni postposito respectu officium suum executuros.

Cancellarius nomina, & cognomina omnium ordinatorum curabit in libro ad hoc particulariter deputato registrari, specificando Ordines susceptos anno, mense, die, & loco.

De Matrimonio.

Matrimonii Sacramentum celebrabitur omnino in ecclesia de mane post Missae celebrationem.

Moneant parochi sponsos, ut antequam contrahant, praemissa confessione, Sacro Eucharistiae Sacramento reficiantur.

A propriis parochis tantum, & non ab aliis Matrimonia conficiantur sine nostra speciali licentia.

Sponsalibus contractis juxta Sacri Concilii Tridentini decreta parochi curam adhibebunt, ne differatur Matrimonium; sed ut omnes praecidantur morae, curabunt; si non voluerint, nos moneant.

Non fiant a parochis denunciationes, nisi prius examinata utriusque contrahentis voluntate sub poena suspensionis.

De Sanctae Missae Sacrificio.

Missam celebrante Episcopo nullus celebret, nec eodem die ad illud altare, nisi petita licentia.

Curent parochi, ac alii Sacerdotes, & sacristae, ut paramenta, calices, corporalia, purificatoria, ac alia, quibus utuntur in celebratione Missarum, sint munda & decentia; negligentes reperti privabuntur in illis ecclesiis ubi inserviunt, facultate celebrandi, & vino utantur albo.

Provideatur omnibus ecclesiis ab iis, quibus incumbit pro celebratione Missarum juxta a nobis ordinata in visitatione, alioquin interdicentur.

Ante quodlibet altare ponatur crux, & tabella secretarum, adsintque candelabra decentia duo, ad altare majus sex.

Caveat quilibet Sacerdos, ne dum celebrat, biretum reponat super altare.

Singulis hebdomadibus cantetur semel Missa mortuorum pro benefactoribus, & die sequenti ad diem commemorationis omnium fidelium defunctorum pro Summis Pontificibus, alia sequenti die pro Episcopis, alia sequenti pro omnibus Sacerdotibus defunctis hujus civitatis, quia eadem mensura, qua mensi fuerimus, remetietur & nobis.

Omnino prohibemus, quod nullus Sacerdos possit suscipere onus celebrandi plures Missas in die, & si quis susceperit, dimittat infra terminum octo dierum; alioquin acriter a nobis punietur, & facultate celebrandi privabitur.

Qui tenetur ad aliquod altare celebrare, non celebret ad aliud.

Certis, & determinatis horis pulsentur campanae pro convocatione ad divina officia persolvenda, quod fieri curabit Vicarius cum Archidiacono, & duobus Canonicis: Sacristae negligentes exequi solvant pro qualibet vice solidos decem.

Servetur omnino silentium in choro & ecclesia, praecipue dum divina officia celebrantur; alioquin poena suspensionis plectentur inobedientes.

Dum divina celebrantur, nullus recedat a choro sine licentia praefecti chori; praefectum esse volumus absente Vitario nostro, qui majorem obtinet locum.

Nullus advena admittatur ad celebrandum, nisi sui Ordinarii habeat licentiam in scriptis.

Punctatores coram nobis jurabunt se fideliter munus suum executuros.

Absentes a choro ultra tres menses, etiam si sint in civitate, punientur poenis a S. Tridentina Synodo taxatis.

Ordinamus, & omnino servari volumus, quod quotidie post completorium fiant particulares preces pro Sanctissimo Domino nostro Papa, & Serenissimo Venetorum Principe & Senatu, ac etiam pro tota hac civitate, juxta infrascriptam formam.

Recitabitur Psalmus, Exaudiat te Dominus in die tribulationis, cum Kyrie, Pater noster, & versiculis Salvos fac servos tuos, Deus meus, Mitte vis auxilium de sancto & de Sion, cum orationibus Deus qui facis mirabilia magna solus, & oratione pro Serenissimo Principe Venetiarum.

Dum divina persolventur officia in ecclesia, nullus clericus cujuscunque gradus, dignitatis, & conditionis sit, audeat in platea deambulare, cum hoc fieri nequeat sine magna piarum personarum admiratione, & hoc nobis certum est; sed quilibet omni respectu postposito consideret (praecipue si beneficia ecclesiastica possideat) se teneri apud Deum nullam admittentem excusationem in die furoris sui ad chori frequentationem; quod si quis perficere minime curabit, & Deum ultorem habebit, & nos debitis remediis perficiendum curabimus juxta Illustrissimi Visitatoris constitutionem.

Dignitates volumus teneri ad chori frequentationem saltem diebus festivis, reliquos dies non excludendo, si de jure tenentur.

De

De Festivitatibus.

Festivitates omnes ab ecclesia sub præcepto observandæ institutæ ab omnibus serventur ; negligentes pœna excommunicationis plectentur.

In festo Nativitatis Domini cum duobus diebus sequentibus, Paschatis pariter cum duobus diebus sequentibus, & Pentecostes omnino prohibemus saltationes præcipue apud ecclesias sub pœna interdicti ingressus ecclesiæ.

De Processionibus.

Cum ad Archidiaconum spectet processiones ordinare, ideo ut confusiones tollantur, munus suum exequi curabit.

A processionibus generalibus abesse non liceat cuiquam ex clero sub pœna pro qualibet vice suspensionis per mensem.

Omnes ex clero a vigesimo usque ad quinquagesimum annum sub eadem pœna teneantur in tribus diebus Rogationum associare totam processionem, reliqui vero usque ad ecclesiam S. Martini.

De Sacris Imaginibus.

Curent omnino parochi præcipue villarum, ut omnes in sua domo habeant saltem sacram Crucifixi, & Beatissimæ Virginis imaginem.

Imagines in ecclesiis vetustate consumptæ, vel deformes, vel in decentem formam reducantur, vel omnino amoveantur.

De Dignitatibus;

Dignitates suo fungantur officio, nec eis abesse contingat ab assistentia Episcopi sacra peragente, vel ipso interveniente, ac etiam concionante, zanfardamque deferant ; alioquin punientur juxta mandata alias a nobis facta.

De Canonicis, & Mansionariis,

Canonici omnes, ac mansionarii zanfardam deferant saltem diebus festivis, juxta mandatum a nobis factum, ne puniantur.

Non liceat cuiquam ex Canonicis, sive mansionariis, qui matutinalibus tenentur interesse officiis, habitare extra civitatem, & qui modo habitant, infra terminum quindecim dierum, sub pœna privationis Canonicatus & mansionariæ respective in civitate sibi eligant habitationem saltem pro nocte.

Non liceat pariter sub pœna supradicta privatis nec Canonicis, nec mansionariis, onus capellaniæ cujuscumque habentis curam animarum extra civitatem habere.

Munus suum per se ipsos obeant Canonici, & mansionarii justa & legitima causa non impediente, alioquin in fructibus punientur.

De cetero ad mansionariatum nullus admittatur, qui requisitus ob necessitatem, ut pro parocho villis inserviat ad minus per biennium, inservire renuerit, qui latine examinatus non responderit, & qui Psalmos secundum omnes tonos intonare ignoraverit.

Cum jam a multis annis in hac nostra cathedrali laudabilis consuetudo obtinuerit, ut omnes Dignitates, Canonicatus, & mansionariatus Sacerdotibus conferantur, id omnino servari volumus juxta Sacri Concilii Tridentini decreta. Declaramusque de consilio etiam Capituli nostri juxta facultatem a dicto Sacro Tridentino Concilio cuilibet Canonicatui, & mansionariatui, cum sic requirat cathedralis nostræ servitium, connexum fore & esse Sacerdotium.

De Parochis.

Nullus Parochus possit abesse a sua parochia sine licentia nostra ultra duos dies, nec extra diœcesim recedere.

Parochi munus suum per se ipsos exequantur, nec aliis committant, causa necessitatis excepta.

Villarum Parochi, aliique Presbyteri ad civitatem venientes per eam non incedant sine bireto; alioquin accessu ad civitatem privabuntur.

De Clericis.

Veste oblonga usque ad talos omnes clerici cujuscumque dignitatis & conditionis sint, non alterius, quam nigri coloris, cum bireto in formam crucis utantur, nec liceat eis uti per civitatem pileo, tempore pluviali excepto, sub pœna suspensionis.

Nullus superpelliceo indutus audeat extra ecclesiam perambulare, & præcipue per plateam, nec aliquid emere, nec cum aliquo confabulari.

Legente Reverendo Theologo omnes conveniant sub pœna suspensionis per tres dies pro qualibet vice abfuerint.

Nullus recipiatur pro clericatu, nisi prius fuerit coram nobis examinatus.

Sacris, ac divinis officiis interveniente Episcopo clerici omnes interveniant, matutinisque saltem diebus festivis intersint ; alioquin a clericorum consortio ejicientur.

De Funeralibus.

Dum cadavera ad ecclesiam deferuntur, a mulieribus non associentur sub excommunicationis pœna.

Candelæ non dentur cadavera ad ecclesiam non associantibus, Theologo, & clericorum Magistro exceptis, sub pœna suspensionis dispensatoribus.

Dum funeralia perficiuntur in ecclesia, nullus recedat.

De Quæstoribus.

Nullus audeat juxta Sacrorum Canonum decreta quæstuare per civitatem, sive diœcesim propriis locis, sine nostra speciali licentia sub pœna excommunicationis, nec iis concedatur quæstuandi facultas, qui coram nobis rationes non erunt reddituri semel in anno.

Reverendissimus Dominus Episcopus dicta decreta omnino judicio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ submittit, facultatemque interpretandi, declarandi, minuendi, augendi, & in totum abolendi sibi reservat, prout urgens occasio postulaverit.

Lecta fuerunt per me Marcum Simeonich curiæ episcopalis Sebenici cancellarium alta & intelligibili voce coram antelato Reverendissimo Domino Episcopo, & præsentibus Canonicis, & aliis quamplurimis de clero, nec non & multis laicis, audientibus & intelligentibus omnibus de Synodo supra nominatis nullo contradicente.

SYNODUS SECUNDA ANNO 1604.

Decreta præfati Illustrissimi & Reverendissimi D. Episcopi lecta & publicata in Synodo diœcesana, die 9. Junii 1604.

Decretum Primum.

Confessarii pœnitentibus pro pœnitentia quamcumque pecuniæ, vel alterius rei summam imponentes, sive pro Missis celebrandis, vel eleemosynis faciendis, ipsi nullo pacto dictam pecuniæ sum-

ſummam accipiant ; nec a pœnitentibus quoquomodo pro confeſſione aliquid petant ; quod ſi ſecus fecerint , ſuſpenſionem ipſo facto ab adminiſtratione Sacramenti confeſſionis incurrant , procurentque omnes ſub eadem ſuſpenſionis pœna , ut infra terminum duorum menſium penes ſe habeant copias Bullæ Cœnæ Domini , ac caſuum a nobis reſervatorum.

Confeſſores etiam regulares , qui a nobis , vel Vicario noſtro ſine prævio examine ad audiendas confeſſiones admiſſi fuerunt , ſuſpenſos eſſe decernimus , donec per examen fuerint approbati.

Decretum II.

Quia maximum dedecus eſt Sacerdotem ſaltem diebus feſtivis ſacrum non facere , ideo omnibus Sacerdotibus nobis ſubjectis in meritum ſanctæ obedientiæ mandamus , ut dictis diebus feſtivis Miſſam celebrent , juxta Sac. Conc. Trid. diſpoſitionem , ſeſſ. 23. cap. 14.

Decretum III.

Cum ex indifferenti facultate , quæ unicuique datur , concionandi ſæpe multa ſequantur incommoda , eo quod vel inadvertenter , vel per favores quandoque ad concionandum incogniti , profugi , ſcandaloſi , apoſtatæ , & excommunicati in maximum tum fidei , tum pietatis chriſtianæ , & Sacrorum Canonum detrimentum admittantur : caveantque omnino Vicarii , & ſubſtituti noſtri , qui pro tempore erunt in civitate , ac parochi in villis noſtræ diœceſis , ut neminem ſive clericum ſæcularem , vel regularem ad dictum concionandi munus admittant , niſi teſtimoniales ſui ſuperioris de vita , moribus , doctrina , & concionandi facultate penes ſe habuerit , præſentatuſque fuerit a ſuperioribus ſui ordinis (ſi fuerit regularis) in civitate , ac diœceſi exiſtentibus , qui fidem faciant de veritate teſtimonialium ſupradictarum , quæ diligenter etiam erunt examinandæ , an veræ , vel fictæ , an recentes , vel veteres ſint , & ſi intra clauſtra actualiter degat juxta Sacrorum Canonum decreta.

Decretum IV.

Imagines argenteæ , vel cereæ , ac cujuſcunque generis res voti cauſa eccleſiis , piiſque locis nobis ſubjectis oblatæ venditari , nec in aliquem uſum aſſumi ullo modo poſſint , nec etiam confractæ niſi de licentia noſtra.

Decretum V.

Nullus Sacerdos onus capellaniæ aſſumat in quacumque eccleſia , niſi prius fuerit nobis præſentatus & approbatus , & qui præſentatus & approbatus fuerit a nobis ſemel , ab aliquo inferiori noſtro amoveri non poſſit , nec ipſe ſine noſtra ſpeciali licentia dicto oneri renunciare valeat.

Decretum VI.

Deambulationes , conclamationes , ac confabulationes in eccleſiis omnino prohibemus , ac in meritum ſanctæ obedientiæ omnibus & ſingulis nobis quomodolibet ſubjectis , ut ab eis abſtineant , mandamus.

Decretum VII.

Dignitates , Canonici , manſionarii , parochi , & capellani non per ſubſtitutos , ſed per ſe ipſos fungantur ſuis officiis ; ſi quis tamen ob impotentiam non valuerit , comprobata coram nobis impotentia diſpenſabitur.

Decretum VIII.

Nullæ fiant locationes bonorum eccleſiaſticorum ſine conſilio , & aſſenſu RR. DD. Judicum deputatorum.

Decretum IX.

Nullus ad monaſterium monialium accedat collocutionis cauſa ſine noſtra licentia in ſcriptis obtinenda , iis exceptis , qui monialibus in primo conſanguinitatis gradu conjuncti ſunt ſub excommunicationis pœna.

Die dicta 9. Junii 1604.

Lecta fuerunt per me Marcum Simeonich curiæ epiſcopalis Sibenici cancellarium alta & intelligibili voce coram antelato Reverendiſſimo D. Epiſcopo , & præſentibus , & aliis quamplurimis de clero , nec non multis laicis , audientibus & intelligentibus omnibus de Synodo ſupranominatis nullo contradicente.

SYNODUS TERTIA ANNO 1611.

Conſtitutiones & Decreta in Synodo diœceſana Sibenici facta a Reverendiſs. D. Epiſcopo de anno 1611.

1. *Præfectis doctrinæ chriſtianæ pro ipſa pie exercenda juxta Sacri Concilii Tridentini decreta omnem auctoritatem noſtram tribuimus , mandantes omnibus , & ſingulis de noſtro clero , quatenus eis obedientiam circa dictum exercitium præſtare debeant , & ſi quis auſus fuerit eorum mandatis contravenire , a dictis præfectis puniantur uſque ad pœnam ſuſpenſionis incluſive , ac etiam ſequeſtrationis in proprias domos , ſive in ſacriſtia ſuperiori ; & ſi quis pertinaciter eis reſtiterit , nobis notificetur , ut debitis pœnis plectatur.*

Rogamuſque dictos præfectos , quatenus omni alio negotio poſtpoſito ſinguli ſingulis menſibus attendere ad dictum officium non deſiſtant , quod quidem exercitium erit peragendum ſingulis diebus feſtivis a Sancta Eccleſia præceptis.

Monemus pariter omnes alios de clero noſtro , quatenus ad dictum ſanctum exercitium intervenire velint , tam pro educandis pueris in doctrina chriſtiana , quam etiam pro ædificando populo , & ſi ſegnes circa hoc comperti fuerint , etiam pœnis a medio tollendos curabimus.

Parochi villarum . . . . . omni cura & diligentia dictis diebus feſtivis poſt veſperas convocabunt pueros villarum , ac eis dictum exercitium inculcare curabunt ; & ſi negligentes in hoc reperti fuerint , etiam ſuis parochiis privabuntur.

2. *Parochi , nec alii confeſſarii ſub quovis prætextu pro audiendis confeſſionibus aliquid petant a pœnitentibus , minuſve prætendere poſſint ; ſi quid vero ſponte a piis hominibus oblatum fuerit , accipere poſſint.*

3. *Et ſi pœnitentias pecuniarias pro celebratione Miſſarum imponant , ne ſibi ipſis illas applicare poſſint , ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda mandamus.*

4. *Clerici ad ſervitium eccleſiæ noſtræ adſcripti divina non frequentantes officia tam de die , quam de nocte , privati ſint emolumentis , & obventionibus ſibi debitis , & aliis applicentur , & notabiliter delinquentes aliis etiam pœnis mulctabuntur pro qualitate negligentiæ.*

5. *Silentium in eccleſia , & ſacriſtia , & præcipue dum divina celebrantur officia , omnino ſervari*

vari mandamus, aggravantes in hoc præfecti chori conscientiam, si illud observari non curaverit, & transgressores pœnis mulctabuntur.

6. *Nullus superpelliceo indutus extra ecclesiam solus incedat, nec per plateam deambulet, sed in processionibus & funeralibus bini & bini, ita ut minores majores antecedentes extra ecclesiam ordinate exeant.*

7. *Nulli Sacerdoti, clericove anulum, nisi ex dignitate prædito, in qua conferenda sibi traditur, gestare liceat, eumque unum solum, & digito dextera manus quarto; eum vero dum Missæ sacrificium facit, vel Episcopo in sacris ministrat, deponat.*

8. *Clericus, qui amictu clericali indutus incedit, ne in propinquorum, ne parentum quidem obitu vestes lugubres more laicorum induat, gestetque, neque vero vestis formam, aut genus, quo clerum universum uti mos est, commutet; sed pium erga propinquos mortuos charitatis officium præseferat omni alia ratione, quæ cum clericalis ordinis decore, dignitateque omnino conveniat.*

9. *Clericis pilcos forma oblonga omnino prohibemus, nec ad nos aliter accedere audeant, quam cum bireto clericali, nec quoquomodo incedere sive intra, sive extra civitatem sine habitu, quo clerici cognoscantur, sub pœnis arbitrio nostro infligendis.*

10. *Prima noctis hora transacta nullus clericus per civitatem deambulare, sive vagari audeat sub pœna carceris per mensem, si legitime hujus ordinis transgressor extiterit, & ducatorum quinque captoribus solvendorum.*

11. *Ad publicas processiones omnes tam clerici regulares, quam sæculares, ac confraternitates venire teneantur, & quotiescunque devota imago Beatæ Virginis castri superioris intra civitatem deferri contigerit pro quacumque occasione, omnes pariter una nobiscum teneantur ipsam devote processionaliter associare, prout in aliis processionibus fit, & si quis obedire neglexerit, arbitrio nostro mulctabitur.*

12. *Procuratores quomodolibet instituti bonorum ecclesiasticorum, per biennium tantum durare volumus, quo completo teneantur reddere rationes suæ administrationis coram nobis, & aliis, quibus de jure competit.*

13. *Nullus Parochus, nec etiam clericus cujuscunque gradus & dignitatis sit, audeat ullo modo in ecclesiis publicis tam in Missis, quam in aliis occasionibus legere, vel decantare epistolas, vel Evangelia in lingua Illyrica, nisi in missalibus in dicta lingua Illyrica inscriptis, vel impressis sub pœna suspensionis a divinis, ipso facto incurrenda pro prima vice, pro secunda vero sub pœna privationis beneficiorum in habentibus beneficia, in reliquis vero sub pœna inhabilitationis ad ipsa beneficia habenda, ac etiam inhabilitationis ad ascendendum ad majores ordines.*

14. *Cum his postremis diebus ad manus nostras constitutiones pro monialibus a qu. bo. mem. Reverendissimo D. Hieronymo Savorgnano prædecessore nostro editæ pervenerint, & cum illas diligenter inspexerimus, ac maxima pietate & religione editas fuisse invenerimus, necessariasque pro regulari observantia illas cognoscamus, mandamus tam Abbatissis, quam monialibus monasteriorum Sancti Salvatoris, & Catherinæ in meritum sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis in dictis constitutionibus contentis, ac aliis in pertinaciter illas observare renitentibus arbitrio nostro infligendis, quatenus irrefragabiliter illas observare debeant, easdem auctoritate nostra ordinaria quatenus opus esset innovantes, ac confirmantes, mandantesque Abbatissis, quatenus dictas constitutiones saltem quater in anno legere faciant omnibus monialibus, ne ignorantiam prætendere possint, & valeant, sub pœna Abbatissis suspensionis ab earum officiis.*

Mandamus RR. DD. Joanni Zoriceo, & Simeoni Pordenono, quatenus accedere debeant una cum cancellario nostro, ac duobus testibus assumptis ad dicta monasteria, ac Abbatissis cum omnibus monialibus intimare superiorem constitutionem nostram, & cum dictatione perlegere ad crates, ac eisdem copias relinquere, & de intimatione, ac perlectione publicum fieri instrumentum per dictum cancellarium.

Lecta fuerunt per me Marcum Simeonich curiæ episcopalis Sibenici cancellarium alta & intelligibili voce coram antelato Reverendissimo D. Episcopo in ecclesia cathedrali Sibenici, præsentibus quamplurimis de clero, necnon & multis laicis, audientibus, & intelligentibus omnibus de Synodo supranominatis nullo contradicente.

SYNODUS QUARTA ANNO 1614.

Constitutiones & Decreta in Synodo diœcesana Sibenici facta a Reverendiss. D. Episcopo de anno 1614.

1. *Sacra Tridentina Synodus ecclesiam Dei vere orationis domum agnoscens sess. 22. ne impurum quid, vel indecens agatur, inter alia locorum Ordinariis, ut sæculares omnes actiones vana, atque profana colloquia, deambulationes, strepitus, & clamores arcere studeant, præcipit. Quare tam a prædecessoribus nostris, quam etiam a nobis per publica edicta, monitiones paternas, ac constitutiones synodales, ne prædicta in templo Dei peragerentur, prohibitum fuit; sed quia prædicta edicta, monitiones, ac constitutiones sine pœna non valuerunt inducere Christi fideles, ut a prædictis indecentiis se abstinerent; ideo volentes omnino pro munere nobis injuncto providere, ne de cætero domus Dei prædictis contaminetur, præcipimus omnibus & singulis Christifidelibus in meritum sanctæ obedientiæ, ac sub pœna divinæ ultionis, & Ecclesiasticis etiam sub aliis pœnis arbitrio nostro infligendis, ne audeant in ecclesiis, & præcipue in nostra cathedrali sæculares actiones facere, vana, atque profana colloquia habere, deambulationes, strepitus, ac clamores exercere, animadvertentes omnes & singulos tam sæculares, quam etiam ecclesiasticos, quod contra inobedientes huic constitutioni etiam brachium sæculare invocabimus.*

2. *Omnino prohibemus, ne de cætero in ecclesiis a quocunque Judice audiantur, aut terminentur causæ nec civiles, nec criminales, juxta decretum Sacræ Congregationis Illustrissimorum DD. Cardinalium negotiis Episcoporum deputatorum, sed locus audientiæ de cætero erit sala episcopalis palatii; declarantes omnia acta circa prædictas causas in ecclesiis irrita, ac nullius valoris, ac si facta non essent.*

3. *Ut divinus cultus in dies augeatur, mandamus omnibus & singulis de clero nostro sub pœnis arbitrio nostro infligendis, ut omnino cærimonias, ac omnia contenta in cærimoniali Episcoporum Romæ edito, ac Venetiis impresso observent; magistrisque cærimoniarum RR. D. Joanni*

Maz-

Mazzarich, & D. Jacobo de Lucianis Canonicis, iis quæ in dicto cærimoniali, ſive in aliis libris eccleſiaſticis cærimoniarum præcipiuntur omnino pareant, prout & nos in obſervandis cærimoniis libenter eis obtemperare curabimus, eiſque facultatem omnem circa prædicta exequenda tribuentes, nobis tamen reſervantes facultatem diſponendi, vel declarandi ſuper dubiis, vel difficultatibus, quæ ſuper obſervatione dicti cærimonialis oriri poſſent, quod ſi a nobis exequi non poterit, recurſum habebimus ad Illuſtriſſimos & Reverendiſſimos Dominos Superiores.

4. *Admonet ſacroſancta Tridentina Synodus ſeſſ. 23. & in Domino hortatur Epiſcopos, quod præcipue apud eccleſiam ſuam reperiri debeant tempore Dominici Adventus, Quadrageſimæ, Nativitatis, Reſurrectionis, Pentecoſtes, & ſanctiſſimi Corporis Chriſti; quare etiam decet, ut Dignitates, Canonici, Manſionarii, ac etiam alii ad ſervitium eccleſiarum adſcripti pariter dictis temporibus ad eorum reſidentiam reperiantur, & una cum proprio paſtore, ut oves ſibi creditæ maxime dictis temporibus ſpiritualiter refici poſſint, ac in Domino gaudere ſui paſtoris, & cleri præſentia. Item prædictis omnibus, & ſingulis de clero noſtro mandamus in meritum ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœnis arbitrariis, ut dictis temporibus ad ſuam reſidentiam nobiſcum, & ad divinorum frequentiam curent intereſſe.*

5. *Licet ſacra Trident. Synodus facultatem tribuat iis, qui ad reſidentiam tenentur, poſſe per tres menſes a ſua reſidentia abeſſe, ubi adeſt conſuetudo, ne omnes, vel major pars eodem tempore abeſſe contingat in detrimentum divini cultus, præcipimus omnibus & ſingulis, qui ad reſidentiam prædictam, & ſervitium eccleſiarum tenentur, ne a civitate, vel propriis eccleſiis ſine noſtra licentia recedere audeant, ne puniantur.*

6. *Quia abſque ſcitu Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, & noſtro a paucis hinc annis nonnullorum Sanctorum officia celebrari in noſtra eccleſia incepta fuerunt ſub feſto duplici, ideo inhibemus, ne de cætero dicta officia celebrentur, donec a Sanctiſſimo Domino noſtro Papa fuerit permiſſum, ubi ejus auctoritate opus fuerit, ac ſine noſtra licentia, vel ſcitu, ſi dicta auctoritate opus non fuerit; quia quando permittitur a Sanctiſſimo D. N. Papa celebrari officium alicujus Beati in una eccleſia, minime celebrandum eſt in aliis, niſi ſpecialiter concedatur.*

7. *Concurrentibus quandocumque feſtis devotionis cum feſtis in Breviario notatis, feſta devotionis anteponi ſolent feſtis Breviarii; ideo de cætero mandamus, quod feſta Breviarii ſuis diebus propriis celebrentur, devotionis vero ad alium diem transferantur.*

8. *Sacra Tridentina Synodus ſeſſ. 24. præcipit, ut omnes divina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire officia, & Epiſcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti adſiſtere & inſervire: ſed quia prædicta quandoque non obſervantur, ſcandala eveniunt, & nonnulli in principalioribus ſolemnitatibus abeſſe ſoleant, nec ſua officia exercere curant; ideo de cætero mandamus, ut nullus poſſit ſibi ſubſtituere ſubſtitutum, nec minus nullus poſſit accipere ſubſtitutionem ſine noſtra licentia, quæ non niſi ex urgenti cauſa concedetur ſub pœnis tranſgreſſoribus arbitrio noſtro infligendis.*

9. *Errantes in lectura Evangeliorum, Epiſtolarum, ac aliarum lectionum in choro, ac etiam in Miſſis corrigantur a præfecto chori, ac etiam per ipſum uſque ad pœnam vel pecuniariam, vel ſuſpenſionis puniantur, cui quoad hoc omnem noſtram auctoritatem tribuimus.*

10. *Camiſias circa collum, vel manus elaboratas nullus clericus audeat deferre, ſed ſimplices cum ſuis collariis abſque fuco honeſtis; idem dicimus de collariis aliorum veſtimentorum: inobedientes acriter punientur.*

11. *Omnes eccleſiaſtici nobis ſubjecti, beneficia ſimplicia, domos, terras, fructus, livella, vel quæcunque alia bona ſtabilia temporanea, vel perpetua ratione unionis, legati, pii, ſive cujuſque conceſſionis eccleſiaſticæ poſſidentes, quæ quoquo modo ad juriſdictionem eccleſiaſticam ſpectare videntur, teneantur infra terminum dierum octo nobis præſentare circa prædicta ſuas inſtitutiones, conceſſiones, ac jura, ad hoc, ut in forma publica authentica redigi poſſint, ne earum memoria pereat ſub pœna privationis omnium prædictorum beneficiorum, terrarum, ac quorumcumque aliorum bonorum.*

12. *Volentes omnino, ut novum cataſticum authenticum bonorum eccleſiaſticorum conficiatur, ne dicta bona vel dilapidentur, vel per oblivionem deperdantur, mandamus omnibus & ſingulis quomodolibet in hac civitate & diœceſi noſtra quæcumque beneficia, vel bona eccleſiaſtica poſſidentibus, quatenus per totum menſem Novembris proxime venturi teneatur quilibet in forma authentica redigere omnia bona ſui beneficii, vel legati eccleſiaſtici cum ſuis confiniis, ac aliis requiſitis in cataſtico reponendis, quod ſi quis circa hoc negligens extiterit, pro qualitate negligentiæ contra ipſum ſevere procedemus ad condignas pœnas.*

13. *Quia quamplurimæ ſcripturæ originales, nempe proceſſus tam criminales, quam civiles, inſtrumenta, teſtamenta, edicta, conſtitutiones, & alia hujuſmodi ad formam eccleſiaſticam ſpectantia apud privatas perſonas reperiuntur in maximum præjudicium juriſdictionis eccleſiaſticæ; ideo omnibus, & ſingulis tam eccleſiaſticis, quam ſæcularibus, apud quos prædictæ ſcripturæ reperiuntur, in meritum ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna mandamus, ut in termino dierum octo ſupradictas ſcripturas & proceſſus nobis præſentare teneantur, ad hoc ut in cancellaria noſtra poſſint reponi ad publicum commodum tam eccleſiaſticorum, quam etiam ſæcularium.*

14. *Examinatores qui pro tempore erunt, ad ordines, beneficia, vel confeſſiones audiendas examinandos non aliter, quam latino ſermone examinent, nec examinati aliter, quam latino ſermone reſpondeant; quod ſi nequiverint reſpondere, omnino repellantur.*

15. *Cum non ſine maximo, ac publico ſcandalo, prout alias & de recenti plures perſonæ graves, ac fide dignæ apud nos conqueſtæ ſint, quod nonnulli ex noſtro clero, ac ſi meri laici mercatores eſſent, a multis annis continuum commercium cum Turcis, aut Murlachis tenent mercaturam cum eis exercendo; res ſi vera eſt, viro eccleſiaſtico nimis indigna, a Sacris Canonibus, conſtitutionibus eccleſiaſticis, & Sanctis Patribus prohibita, & acriter deteſtata; ideo dicto ſcandalo debitis remediis occurrere volentes, ſalutique animarum eorum, qui talia committunt, providere: inhibemus omnibus & ſingulis de noſtro clero ſub pœnis a Sacris Canonibus, & conſtitutionibus eccleſiaſticis.... etiam uſque ad privationem*

nem quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, ne de cætero talem negotiationem, nec quamcumque aliam, nec etiam cum aliis personis exercere audeant. Declarantes tamen, quod omnes ecclesiastici a prædictis Murlachis, vel aliis omnia, quæ ad usum propriæ domus erunt necessaria, emere possint, & quod etiam pro dicto usu proprios reditus etiam eis vendere.

16. *Ad monasteria monialium sub quovis prætextu nullus accedere audeat sine nostra licentia, nec cum monialibus colloquia habere, litteras, munuscula, vel ambasciatas eis mittere, vel ab eis recipere sub excommunicationis pœna, ac aliis arbitrio nostro infligendis etiam usque ad invocationem brachii sæcularis, consanguineis usque ad secundum gradum exceptis.*

17. *Moniales omnino abstineant ab elaboratione collarium virorum, sive aliarum rerum vanitatem concernentium sub pœna privationis veli.*

18. *Monialibus prohibemus sub pœna privationis veli, vocis activæ, & passivæ, ne sub quovis pratextu deferant instrumenta argentea ad ornamentum spectantia, nec vestes sericas, nec etiam ex serico quoquomodo ornatas, sed eorum ornatus sit modestus, juxta earum constitutiones; præcipimusque Abbatissis in meritum sanctæ obedientiæ, ut super hoc diligenter invigilent, ac nobis notitiam dent de transgressione præsentis constitutionis; aliter contra ipsas procedemus.*

19. *Ne ullus ignorantiam harum constitutionum, ac aliarum in præcedentibus Synodis editarum prætendere possit, mandamus cancellario nostro, quatenus in termino unius mensis dictas omnes constitutiones redigere debeat in unum volumen Sacristis consignandum, ad hoc, ut quilibet pro suo libito illas videre possit; qui Sacristæ completo termino sui officii teneantur suis successoribus sub pœna suspensionis, ac aliis arbitrio nostro infligendis illud consignare.*

Prædictas omnes constitutiones submittimus correctioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Cum alias a nobis statutum fuerit, ut omnes de clero nostro deferre deberent biretum in formam crucis, quod est vere clericale insigne, & nonnulli sub infirmitatis prætextu illum deferre effugiant, cum tamen nos prædictos renuentes publice pileum in manibus tenendo viderimus deambulare, quod excusationem infirmitatis excludit; ideo volentes, ut omnes de nostro clero quacumque excusatione præclusa tam nobile & decorum insigne deferant, exemplo nostri, qui licet indispositionibus subjecti tam in domo, quam extra illud prædictis indispositionibus non obstantibus deferimus, omnes & quascumque facultates hactenus concessas illud non deferendi revocamus, & ut ab omnibus deferatur, sub pœnis arbitrio nostro infligendis, & jam usque ad invocationem brachii sæcularis mandamus; nec ullus de cætero coram nobis aliter comparere, quam cum dicto bireto audeat exemplo nostri, qui non aliter comparere audemus coram Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Prælatis, ac etiam publicis Repræsentantibus, quam cum dicto bireto.

Die dicta 24. Maji 1614.

Lecta fuerunt per me Marcum Simeonich curiæ episcopalis Sibenici cancellarium alta & intelligibili voce coram antelato Reverendissimo Dom. Episcopo, & præsentibus aliis quamplurimis de clero, necnon multis laicis, audientibus, & intelligentibus omnibus de Synodo supranominatis nullo contradicente.

Marcus Simeonich curiæ episcopalis Sibenici Cancellarius ex actis ejusdem curiæ exemplavit & subscripsit.

SYNODUS QUINTA ANNO 1618.

Constitutiones & Decreta facta ut supra de anno 1618.

Quoniam contingit, ut seniores ex DD. Canonicis plerumque morbis, aliisque senectutis incommodis detenti munia sua in cathedrali obire non possint, ita ut vix aliquando reliqui juniores in majoribus sollemnitatibus satisfacere queant ecclesiasticis cærimoniis ob exiguum eorum numerum: quare ne ecclesia debitis fraudetur divini cultus servitiis, decernimus & statuimus, ne de cætero sub quovis colore, vel prætextu Canonicatus cum aliqua dignitate conjungi possit, & ab uno possideri unam ex tribus dignitatibus, & Canonicatus simul; quinimo omnes, & quoscumque ex clero nostro ad ejusmodi beneficia simul obtinenda, atque possidenda inhabilitamus.

Omnibus clericis diœc. nostræ accessum ad tabernas, publicasque comessationes, & compotationes in tabernis, vel triviis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda interdicimus, & prohibemus.

Sacerdos Missam pro devotione propria, vel aliena eleemosyna, tam in nostra cathedrali, quam in qualibet alia nostræ diœc. ecclesia celebrans, alium in illa, vel in illis celebrare obligatum nullatenus excusare præsumat sub pœna suspensionis a divinis ab utroque ipso facto incurrenda, cujus absolutio nobis tantummodo reservatur.

In diebus anniversariis mortuorum, in quibus cantatur Missa, decimarii nullo modo Missam eo die in ecclesia obligatam, vel aliam pro eleemosyna privatorum dicendam, sed peculiarem non obligatam, sed eleemosyna speciali anniversarii illius diei inventa percantare faciant pro illo, vel illis defunctis, quorum dies anniversaria agitur.

Eleemosynæ anniversariorum fidelium defunctorum non tribuantur nisi actualiter celebranti, & singula eleemosyna pro singula Missa, non obstante quacumque consuetudine in favorem cujuslibet hactenus male servata.

Constitutionem a nobis cum assensu & voto Vener. Capituli nostri sub die 20. Martii 1617. latam super parochis de cætero non admittendis in iis villis, in quibus domicilium firmum habent; item de clericis Illyricæ linguæ, qui Stagolitæ nuncupantur, ad ordines majores non promovendis, nisi per triennium in hac nostra urbe, vel alia studiis & bonis moribus operam laudabilem navaverint, navataque operæ testimoniales idoneas litteras ab eo magistro, apud quem profecerint, exhibuerint, innovamus, & synodali auctoritate roboramus.

Parochi, aliique Sacerdotes nullo modo intersint comessationibus fieri solitis in domibus fratalearum, nisi quando universa fratalea congregatur, sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda.

Nullus ex clero nostro sub quovis colore, sive prætextu audeat in publicis, vel in privatis locis, & tam in domibus propriis, quam alienis cum sæcularibus ad talos, vel tesseras, sive cartas ludere, nec etiam absque sæcularibus inter ipsos clericos lucri causa sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, aliisque pœnis arbitrio nostro.

Nullus itidem cujuscumque gradus, vel condi-

tio-

tionis exiſtat, audeat alium in eccleſiis, vel ſacriſtiis convitiis injurioſis, nec verbis afficere ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda, cujus abſolutionem nobis tantummodo reſervamus.

Omnibus in Sacris exiſtentibus piſcationis exercitium lucri cauſa, & cum ſæcularium ſocietate ſub eadem pœna ſuſpenſionis interdicimus.

Cum contra præſcriptum Miſſalis Romani quidam ex clero noſtro audeant diebus feſtis ex præcepto anniverſarias Miſſas pro mortuis, item alias votivas celebrare, ideo omnibus talem abuſum prohibemus ſub eadem ſuſpenſionis pœna.

In ſacrificio altaris non adhibeantur minores candelæ valoris duorum ſolidorum. Sanctiſſimum Sacramentum Viatici ex nulla eccleſia parochiali deferatur ad infirmos, niſi ex cathedrali, exceptis temporibus brumalibus, vel notabili tempeſtatum injuria affectis.

In omnibus eccleſiis parochialibus, aliiſque capellis diebus dominicis a Sacerdote intelligibili voce coram populo dicatur Illyrico ſermone Oratio Dominica, Salutatio Angelica, Symbolum Apoſtolorum, decalogus, & confeſſio generalis juxta formulam in noſtra cathedrali uſitatam.

Primæ Miſſæ in cathedrali noſtra quantum maxime fieri poterit ad evitanda multa ſcandala ad altare majus ſecundum antiquam laudabilem conſuetudinem celebrentur.

Celebrantibus nobis ſollemniter digniores Domini Canonici: Canonicis, præſentibus nobis, celebrantibus, vel magiſtratu urbis præſente, digniores manſionarii ſecundum antiquam conſuetudinem aſſiſtant.

Sabbato Sancto non audiantur confeſſiones, niſi eorum, qui intra quadrageſimæ tempus peccata ſua confeſſi ſint.

Domus cleri noſtri meretricibus, aliiſque ſcandaloſis perſonis non locentur.

Confratres Fratalearum in proceſſionibus tunicas induant: alioquin intereſſe iis non intelligantur, atque pœnam in matricula ſua non intereſſentibus inflictam incurriſſe intelligantur.

Cum antiquiſſimæ conſtitutiones ſuper funeralibus olim ſtatutæ nimis perverſæ videantur: idcirco anno ſuperiori dedimus curam reviſendi illas DD. Archidiacono, Primicerio, Simeoni Pordenich, & Joanni Timeo Canonicis, nec non illas, & alias recentioribus temporibus editas componendi, conciliandique; ita ut cultus divini augmentum, & communis utilitas privatorum æque poſſit ſubſiſtere: quamobrem cum eorum diligentia opus hoc adeo pium & neceſſarium ſit ad debitum finem perductum, ipſarum modificationem, & compoſitionem hoc ſynodali noſtro robore ratificatam, & approbatam perpetuo obſervandam proponimus.

Ordinationes quoque ſuper monaſteriis monialium in poſtrema noſtra viſitatione editas inferius digerendas ſub pœnis in eis contentis obſervari mandamus.

Edictum quoque noſtrum ſub die 21. Maji, anni 1617. ſuper ludis, comeſſationibus, pompis, perſonis, ſeu maſcaris, aliiſque exceſſibus inibi ſpecificatis innovantes ſub pœnis in eo contentis ſynodali robore innovamus.

Feſtivitates Sanctorum denuncientur tam a Parochis, quam a capellanis per noſtram diœceſim exiſtentibus juxta formulam affigendam in ſacriſtia noſtra, ita ut populus poſſit agnoſcere, quæ feſtivitates ſint obſervandæ de præcepto eccleſiæ, quæ vero de conſuetudine approbata civitatis, & demum quæ privata devotione recolendæ.

Tam Canonici, quam manſionarii, aliique inferiores Presbyteri, & clerici ſecundum diſpoſitionem in ſacriſtia deſcriptam locum ſuum in choro teneant ea ſilentii modeſtia, quam divini cultus gravitas requirit ſub pœna ſuſpenſionis, ac aliis arbitrio, &c.

Nullus præter Parochos ſine expreſſa noſtra licentia examinet ſponſalia concludentes.

Itidem nullus in baptizatorum libro, neque in eo, in quo tam contracta matrimonia, quam matrimoniorum denunciationes deſcribuntur, illa notet, ſive deſcribat, niſi qui actualiter baptizaverit, adminiſtraverit matrimonii Sacramentum, vel ſponſalia contrahentes examinaverit.

Omnes abſentes a Synodo ſine noſtra licentia declarantur incurriſſe pœnam ſuſpenſionis a divinis, a qua non abſolvantur, niſi a nobis, & ſolutis prius libris triginta parvorum.

Proceſſionem initio noſtri Epiſcopatus inſtitutam ſingulis feriis ſextis Sac. Quadrageſimæ continuari præcipimus, non ſolum in hac cathedrali, ſed etiam in aliis omnibus parochialibus eccleſiis diœc. noſtræ a parochis & capellanis earumdem parochialium eccleſiarum.

Omnes locationes hactenus factæ abſque ſcitu & aſſenſu DD. Judicum deputatorum ſint, & intelligantur irritæ.

Die 25. menſis Maji 1618.

Congregato Capitulo Reverendiſſimorum Canonicorum Sibenici ad ſonum majoris campanæ ut moris eſt in anticameram epiſcopalis palatii Sibenici coram antelato Reverendiſs. D. Epiſcopo, in quo interfuerunt infraſcripti M. R. D. Joannes Baptiſta Diphnicus Archidiaconus, R. D. Thomas Surrichievich Archipresbyter, Rev. D. Joannes Toriceus Primicerius, R. D. Joannes Craglich, R. D. Joannes Tomeo, R. D. Balthaſſar Smoglianeus, & R. D. Matthæus Doroſevich, omnes Canonici totum & integrum Capitulum repræſentantes ob reliquorum Canonicorum abſentiam & valetudinem, atque ibidem latæ fuerunt per ſupradictum R. D. Joannem Tomeum Canonicum prædictæ Conſtitutiones, & ab omnibus prædictis commendatæ.

Die 26. dicti menſis Maji.

Lectæ, & publicatæ fuerunt ſupradictæ Conſtitutiones per me Marcum Simeonich curiæ epiſcopalis Sibenici cancellarium alta & intelligibili voce coram antelato Reverendiſſimo D. Epiſcopo in eccleſia cathedrali Sibenici, præſentibus omnibus de Synodo, & præcipue RR. DD. Canonicis ſupra nominatis.

SYNODUS SEXTA ANNO 1623.

Conſtitutiones, ſive Decreta per Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum D. Epiſcopum Sibenicenſem edita in Synodo diœc. ſub die 28. præſentis menſis Aprilis celebrata, ac coram omnibus ad dictum Synod. pertinentibus publicata de anno 1623.

Conſtitutiones ſynodales, ac decreta a nobis in præcedentibus Synodis 1602. 1604. 1611. 1614. 1618. promulgata, quatenus opus eſſet, confirmamus, ſub pœniſque in eis contentis obſervari mandamus.

Cum plurimi abuſus in detrimentum divini cultus in noſtra cathedrali irrepſerint circa perſonarum eccleſiaſticarum ingreſſum chori pro divinis

per-

perſolvendis, ſtationem, & egreſſum, in decentem formam reducere volentes infraſcripta omnia omnino obſervari mandamus, quæ in omnibus eccleſiis bene regulatis obſervantur, ex Synodo prima provinciali S. Caroli Borromæi, olim Archiepiſcopi Mediolanenſis excerpta.

Primo, quando in eccleſiam ad divina officia diurna, vel nocturna conveniendum erit, id campanæ ſono ſignificetur ea interpoſita mora, qua omnes facile poſſint convenire.

Secundo ſigno audito, qui dignitates in eccleſia, etiam ſi præfecti ſint, perſonatuſve, aut Canonicatus habent, cæterique omnes, qui intereſſe debent, præparent ſe ad divinas laudes, & mature ad eccleſiam progrediantur.

Ingreſſi eccleſiam, factiſque ad Sacroſanctam Euchariſtiam precibus, recta in ſacriſtiam proficiſcantur.

Quo loco retenta talari veſte ſuperpelliceum aſſumant, & reliquum veſtitum ad ſacrum munus neceſſarium, quod ut ſervos Dei decet, tacite & modeſte faciant.

In ingreſſu chori ad matutinum, & alias horas, & divina officia is ordo ſervetur.

Ut paullo poſt ultimum campanæ ſignum ad rem divinam faciendam univerſis in ſacriſtia præparatis pulſetur parvula campana, qua egreſſus Sacerdotum ad Miſſas celebrandas ſignificari ſolet, ut omnes, qui in eccleſia, vel circum eam ſunt, divini officii celebrationem inſtare intelligant; poſtea omnes de ſacriſtia ordine procedentes exeant, & ubi ſe ad altare humiliter inclinarint, ſuum quiſque locum in choro adeat, ibi flexis genibus, & ſubmiſſa voce ſaltem orationem dicant dominicam.

Deinde dato ſigno, vel pronunciato Pater noſter per hebdomadarium ad initium officii omnes ſurgant, & officium inchoetur.

Qui vero in eccleſia, vel circum eam, aut in ſacriſtia fuerit, & eo ordine chorum ingredi neglexerit, dimidia parte diſtributionum illius horæ privetur, vel alia pœna, ut nobis in notabiliter delinquentibus viſum fuerit, legitimo tamen impedimento excluſo a nobis cognoſcendo.

Si quis auſus fuerit inchoare officium, priuſquam eo ordine in chorum convenerint, & diſtributionem illius horæ amittet, & graviori etiam pœna a nobis plectetur.

Si quis autem aliis in choro jam conſiſtentibus advenerit, idem ſtatutum ſervet, ut in ſacriſtia, & in choro.

Si quis non venerit ad matutinum ante finem Pſalmi Venite exultemus, in aliis etiam horis ante finem primi Pſalmi, pro abſente habeatur, illiuſque horæ diſtributione careat.

In Miſſa vero, niſi venerit ante finem ultimi Kyrie eleiſon, eamdem negligentiæ pœnam ſubeat.

Omnes in choro divina officia ut temporis ratio poſtulabit alternis vocibus canant, recitent, attenteque audiant.

Id non curſim, non perturbate, non oſcitanter, ſed leniter, diſtincte, ac ſtudioſe faciant.

In choro pro temporis & officii ratione ex inſtituto, & more eccleſiæ ſedeant, ſtent, flectant genua, caput aperiant, & ſubmittant, cæteraque ejus generis adhibeant. Omnes vero æque idem faciant.

Faceſſant ſomnus, riſus, jocus, rixæ, colloquia, ne vagentur in choro, vel eccleſia, neve locum mutent, ne occaſione quidem genua flectendi, nec in choro, ubi communi officio opera datur, privatim officium dicant.

Neve litteras, libros, aliave ſcripta legant, numos numerent, nec tribuant.

Nec exeant niſi divino officio confecto, ne cauſa quidem de communi re agendi, ſi neceſſitas non coegerit, tumque a præfecto venia petita.

Si cum divina celebrantur officia, Sacerdoti, vel clerico, vel miniſtro interdum per eccleſiam neceſſario ſit incedendum, graviter & modeſte id faciat, neque cum ullo ſermonem habeat de rebus inanibus.

Qui dignitates, aut perſonatus habent, Canonici, & alii omnes, qui aliquid in his commiſerint, ſi moniti a nobis, vel Vicario noſtro, vel præſidente chori non reſipuerit, & horæ illius diſtributione careant, & pro modo culpæ aliis pœnis a nobis arbitrariis plectentur.

Poſt divinum officium in choro flexis genibus ſubmiſſa voce ſaltem orationem dominicam dicant.

Tum reſurgente, vel ſignum dante hebdomadario conſurgant omnes, & inter ſe conſalutantes, & ordine procedentes ſimul exeant, & de more ante altare ſe inclinent.

Eodemque ordine ad ſacriſtiam progrediantur, ubi modeſte & quiete ſuperpelliceum exuant, non in eccleſia.

Qui ſecus fecerit monitus a præfecto chori, diſtributionem illius horæ ne capiat, & a nobis pro modo culpæ plectetur.

Quod nobis a choro abſentibus Vicarius noſter perficere curabit.

Punctatores pro tempore exiſtentes in initio ſui officii obeundi coram nobis jurare curabunt officium ſuum ſe fore fideliter executuros.

Libros punctationum diligenter cuſtodire curabunt, & nobis, & Capitulo ſingulis menſibus exhibere non deſiſtant, & quoties nos & Capitulum poſtularet.

Quo tempore in officio punctatoris quis permanſerit, ſacris horis, & officiis omnibus interſit, niſi abſit de licentia noſtra, vel ejus, qui choro præſidebit; quo tempore alium vel a nobis, vel a chori præfecto probandum ſubſtituat, qui ſuo muneri ſatisfaciat.

Sacriſtæ ſingulis diebus in libro ad hoc ſpecialiter deputato omnes, qui Miſſam celebraverint in noſtra cathedrali, deſcribant, eorum conſcientiam ante tribunal Domini onerantes, ſi negligentes extiterint, nobiſque ſingulis menſibus dictum librum deferre curabunt, ut ſi legata pia celebrationis Miſſæ executioni demandentur, agnoſcere valeamus: ut idem etiam fiat in aliis eccleſiis, ubi Miſſæ legatæ, vel aliter celebrandæ ſint, Sacriſtis ipſarum eccleſiarum mandamus.

Cum a quamplurimis perſonis piis anniverſaria, ac pia legata relicta fuerint, ſuo loco, tempore, & modo exequenda, & nonnulli magis licentioſe, quam rationabiliter, & locum, & tempus, & modum contra teſtatorum voluntates aliter diſponere auſint, ne eorum mentes defraudentur, nec in aliquo mutentur, providere volentes, omnibus & quibuſcumque, ad quos teſtatorum mentes in prædictis operibus piis exequi ſpectat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna ac brachii ſæcularis invocatione reſpective mandamus, ne quovis modo, nec ſub quovis prætextu aliter diſponere audeant, quam a teſtatoribus ipſis diſpoſitum invenitur.

Puerorum in litteris, ac moribus educatio maxime Reipublicæ chriſtianæ neceſſaria, ut chriſtiane ac utiliter exerceatur, omnes ludi magiſtros monemus, ut in ſuis ſcholis omiſſis pro-

fanis auctoribus ſuis ſcholaribus catechiſmum Romanum, epiſtolas Divi Paulli, & Sancti Hieronymi legant, prius tamen eos in principiis grammaticalibus, ut lectionis prædictas intelligere valeant, inſtruendo, cum in prædictis principiis parum inſtructi a nobis prævio examine coram nobis facto clericorum præcipue reperti fuerint; quod omnino a ludi magiſtris eccleſiaſticis ſub pœna privationis facultatis ſcholas exercendi ſervari mandamus.

Prædictos etiam ludi magiſtros monemus, ac in Domino obſecramus, ut ſingulis diebus dominicis cum ſuis ſcholaribus ad exercitium doctrinæ chriſtianæ in noſtra cathedrali intereſſe velint, tantæ charitatis maximum a Deo præmium recepturi; eccleſiaſticis vero ludi magiſtris, ut dicto exercitio interſint, in meritum ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœna privationis facultatis ſcholas tenendi præcipimus ſaltem ut in pluribus.

Maximum inter alia indicium, quo quis ſe apud Deum gratum exhibeat, verbi Dei a concionatoribus declamati libens auditio præſtantiſſimum locum tenet, Jeſu Chriſto Domino noſtro dicente, Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: & cum maxima negligentia a quamplurimis adhibeatur non ſine maxima ac publica piarum perſonarum admiratione, ac ſcandalo magis per plateas & vicos, dum verbum Dei a concionatoribus in eccleſia cathedrali exponeretur, deambulare eligentes, quam concionibus prædictis intereſſe, omnes & ſingulos Chriſtifideles monemus, & in Domino obſecramus, ut concionibus, ac lectionibus tam in noſtra cathedrali, quam alibi intereſſe curent; omnibus vero, & ſingulis de noſtro clero cujuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis ſint, ad quos maxime ſe laicis exemplum præbere ſpectat, in meritum ſanctæ obedientiæ præcipimus, ut de cætero concionibus, ac lectionibus in noſtra cathedrali præcipue ſive a nobis, ſive ab aliis concionatoribus habendis intereſſe non dedignentur, noſque ab ædibus epiſcopalibus eccleſiæ noſtræ cathedrali contiguis juxta antiquam conſuetudinem ac Superiorum ſtatuta conciones audituri ad dictam eccleſiam aſſociare curabunt, ſibi potius quam nobis honorem acquirere penſitantes, & ne divini Verbi ſuique Superioris contemptores ſcandaloſe habeantur.

Nulla congregatio nec publica, nec ſecreta ſub quovis prætextu, nec quavis de cauſa reddituum excepta a ſubditis noſtris eccleſiaſticis ſine noſtro ſcitu & licentia Vicarii noſtri generalis pro tempore exiſtentis, ſub gravioribus pœnis tam his qui convocaverint, quam etiam his qui interfuerint, habeatur.

Et cum ab Illuſtriſſimo D. Viſitatore apoſtolico Triolo inter alia ſtatutum fuerit ſingulis ſextis feriis Capitulum Canonicorum eſſe convocandum, omnino dictum ſtatutum obſervari volumus, mandamuſque RR. DD. decimariis pro tempore exiſtentibus, ut qualibet die Veneris Capitulum coram nobis in loco ſolito vel nobis abſentibus coram Vicario noſtro convocent. In quo quidem Capitulo hic ordo ſervandus erit.

1. *Ante omnia invocabitur auxilium Spiritus Sancti, in fineque Deo gratiæ agentur.*

2. *Quilibet in ſuo loco ſedebit.*

3. *Decimarii, vel ad quos ſpectabit, quæ in Capitulo erunt tractanda, deinde ſi aliquis ex reliquis DD. Canonicis aliquid proponere voluerit, proponent, & factis propoſitionibus, qui primum locum tenet in Capitulo, dicet votum ſuum, & ſic per ordinem uſque ad ultimum, nec uno vo-*

tum ſuum dicente alius audeat aliquid loqui ſub pœna privationis vocis activæ & paſſivæ ad arbitrium noſtrum. In dicto Capitulo, nec ullus injuriis aliquem afficere audeat ſub pœna careveris per menſem, ſed modeſte agatur.

Expoſitus infans penes ſe ſchedulam teſtimonialem habens, quod baptizatus fuerit, ſi alia notitia non habeatur illum eſſe baptizatum, baptizetur ſub hac verborum formula; Si tu es baptizatus, ego te iterum non baptizo, & ſi nondum es baptizatus, ego te baptizo, &c. & ſi in ſchedula teſtimoniali appareat, eidem nomen impoſitum fuiſſe, idem nomen imponatur, ſchedulaque teſtimonialis prædicta conſervetur, ac in libro baptizatorum deſcribatur.

Magiſtris cærimoniarum eccleſiæ noſtræ cathedralis in meritum ſanctæ obedientiæ mandamus, quatenus omni diligentia curare debeant, ut omnia, quæ in Cærimoniali Epiſcoporum continentur, ab omnibus omnino obſerventur, & ſi qui inobedientes extiterint, nobis notificentur, ut condignas pœnas recipiant; & cum prædictis Magiſtris quandoque abeſſe contingat, eorum loco ſubſtituimus Presbyterum Vincentium Benovith manſionarium eccleſiæ noſtræ cathedralis, cui omnes in dicto miniſterio parebunt.

Antiqua, laudabilis, & admodum religioſa conſuetudo ſuperpelliceorum abſque ſuperfluis ornamentis delatio, quæ etiam nunc apud ſeniores & graviores cleri noſtri in viridi obſervantia exiſtit, ut ab omnibus obſervetur, novis, vanis, ac ſuperfluis ornamentis amotis, in meritum ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœna pecuniaria arbitrio &c. præcipimus.

Dum divina celebrantur officia in eccleſia noſtra cathedrali, nullus in ea adſcriptus ex clero noſtro alibi, quam in choro ſe detineat; nec per civitatem, & per plateas deambulare audeat, ſed ad Deum collaudandum in choro cum aliis intereſſe curet, ne laicis occaſionem ſcandali præbeat, pœnaſque condignas luat.

Mandatum alias a nobis promulgatum, quod qui in die antecedenti ad divina officia non interfuerit, ſequenti Miſſam celebrare non poſſit, ſub pœnis in eo contentis decernimus; tamen ſub eo comprehendi non intendimus, qui ut in pluribus intereſſe ſolent divinis, ſed tantum qui immemores in ſortem Domini vocatos ad Deum collaudandum in choro notabiliter negligentes exiſtunt.

Clerici vero temporibus, quibus ſcholæ non detinentur, divinis officiis, ſinguliſque diebus feſtis exercitio doctrinæ chriſtianæ in noſtra cathedrali ut omnino interſint mandamus, & qui negligentes extiterint, ſuperpelliceo privabuntur, ad ordines non admittentur, & pro qualitate pertinaciæ etiam a clericorum conſortio ejicientur; ſub eiſdem etiam pœnis eis præcipimus ut obedientes Magiſtri cærimoniarum in his, in quibus ab eis mandatum fuerit pro cærimoniis exequendis, omni excuſatione ſecluſa ſe præbeant.

Obventiones funeralium, & anniverſariorum tantum præſentibus tribuantur; ſi tamen aliquis ex Sacerdotibus in actuali adminiſtratione Sacramentorum vel eccleſiæ noſtræ cathedralis miniſterio occupatus extiterit, nobiſque in dicta eccleſia celebrantibus adſtiterit, ſive infirmitate, ac impotentia detentus, dum funeralia & anniverſaria peraguntur, fuerit, portione ſua licet abſens non careat.

Prædictas Conſtitutiones & Decreta Sanctæ Romanæ Eccleſiæ correctioni humiliter ſubmittimus; nullus tamen inferior noſter ſuper eis diſponere

nec a pœnis in eis contentis absolvere audeat sine nostra licentia.

Lecta fuerunt per me Marcum Simeonich curiæ episcopalis Sibenici cancellarium alta & intelligibili voce coram antelato Reverendissimo Dom. Episcopo in ecclesia cathedrali Sibenici, præsentibus quamplurimis de clero, necnon & multis aliis, audientibus, & intelligentibus omnibus de Synodo supranominatis nullo contradicente, & præcipue præsentibus R. P. D. Bartholomeo Starbich mansionario, & Reverendo Presbytero Marco Gradinovich itidem mansionario testibus.

SYNODUS SEPTIMA ANNO 1626.

Constitutiones in Synodo diœcesana Sibenicensi factæ ab Illustrissimo & Reverendissimo D. D. Vincentio Arrigono Episcopo Sibenici de anno 1626. & publicatæ in dicta Synodo die 3. Junii de anno 1626.

1. *Monemus omnes, ac in Domino obsecramus tam ecclesiasticos, quam sæculares, ut quando defertur Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum ad infirmos, illud associare velint, meminerintque ii præcipue, qui in schola dicti Sanctissimi Sacramenti sunt adscripti, teneri ad associandum; aliter munia spiritualia dictæ scholæ concessa amittunt, & Dei vindictam non effugient.*

2. *Clerici omnes, qui ad scholas accedunt, singula hebdomada diebus Jovis, Veneris, & Sabbati in ecclesia cathedrali convenient, & coram altaribus majori, Sanctæ Crucis, & Beatæ Virginis solitas preces alias a nobis indictas decantare curabunt, & negligentes mulctabuntur.*

3. *Dum divina celebrantur officia in choro, exinde recedere, nec per ecclesiam discurrere, collocutionesque cum quavis persona habere nulli ex clero nostro liceat sub pœnis arbitrio infligendis, quod exequi maxime curabit adm. R. D. Vicarius noster, qui pro tempore extiterit, & ipso absente, qui majorem locum in choro tenuerit, mercedem a Deo accepturi.*

4. *Dum divina celebrantur officia in choro, iis omnibus, qui personaliter interesse tenentur, non liceat eodem tempore Missam celebrare, nec minus aliquod aliud officium exercere, quo præsentia eorum possit impediri, nec Sacristæ ullo modo eis celebrare permittant, nisi a nobis, vel a Vicario nostro ipsis injunctum fuerit, sub pœnis arbitrariis.*

5. *Omnibus confessoribus ditioni nostræ subjectis in meritum sanctæ obedientiæ, ac sub pœna privationis ab exercitio confitendi, ne eis sub quovis prætextu pro Sanctissimi Pœnitentiæ Sacramenti administratione non solum petere, sed nec aliquid prætendere possint, mandamus; imo omnes in visceribus Jesu Christi D. N. monemus, quod etiam a pœnitentibus voluntarie oblata non recipiant, eos certiorantes majora præmia a Domino nostro Jesu Christo consecuturos. Caveant etiam a nimia suorum pœnitentium familiaritate, quæ spretum, & scandalum parere solet. Confessioneſque mulierum sub quovis prætextu non aliter audiantur, quam in confessionariis cum superpelliceo & stola, nec masculi pariter sine prædicto superpelliceo & stola.*

6. *Constitutionem in præcedenti Synodo editam deferendis superpelliceis juxta antiquam cleri Sibenicensis consuetudinem, prout dignitates, & graviores Canonici, & quasi omnes de dicto clero detulerunt, & ad præsens deferunt, a nonnullis superfluis prætensionibus neglectam, & non recte intellectam confirmamus. Declarando quod liceat circa collum, & in ultima extremitate prædictorum superpelliceorum apponi aliquod modestum laborerium; a collo vero usque ad ultimam extremitatem nullo modo liceat aliquod ornamentum, vel laborerium deferre sub pœna amittendi superpellicea, & solvendi libras duodecim parvorum, quas sacristiæ nostræ cathedralis applicamus.*

7. *Cinctoria alterius quam nigri coloris sicut & vestes nullus ex clero nostro . . . , iis exceptis, quibus ex privilegio concessum est, sub pœna illa amittendi, & solvendi libras tres, quas sacristiæ ecclesiæ nostræ applicamus.*

8. *Cum in dies experientia doceat, quod locationes cujuscumque generis assumptæ non parva inconvenientia inducere soleant, & eo etiam, quia species mercaturæ existant a sacris Canonibus eis inhibitas, & a Sanctis Patribus execratas; ideo opportuno remedio providere, ut de cætero abstineant volentes; omnibus prædictis cujuscumque gradus, status, conditionis, & dignitatis sit, in meritum sanctæ obedientiæ, ac pœna ducatorum triginta, ac etiam juxta qualitatem transgressionis aliis arbitrio &c. ne assumant mandamus sine scitu & permissione nostra, vel Vicarii nostri nobis absentibus; contractus vero, vel instrumenta, quæ de cætero in simili materia fieri contigerint, nulla, ac nullius valoris, & roboris quoad ecclesiasticos, ac si facta non essent.*

JOANNES PAULLUS EP. SIBENIC. XX.

Joan. Paul. Ep. Sibenicen. deinde Feltren. demũ Adrien.

Honesto loco natus est Venetiis, eique *Savio* cognomen fuit. Anno 1627. Urbanus VIII. Episcopum Ecclesiæ Sibenicensi præfecit, ut est in tabulis consistorialibus: 1627. 5. *Julii providit Ecclesiæ Sibenicen. vacanti per obitum Vincentii Arrigoni, de persona R. D. Joannis Pauli Savii Veneti J. U. & Sacræ Theologiæ Doctoris annorum* 40. Sed ne annum quidem integrum hanc sedem retinuit; & anno sequenti ad Feltrensem, ex hac ad Ecclesiam Adriensem translatus est anno 1639. de quo Ughellus in Episcopis Feltrensibus, & Adriensibus.

JOANNES THOMAS EP. SIBENIC. XXI.

Joannes Thomas Mallonius a Congreg. Somascha Ep. Sibenicen.

E familia Mallonia Vicetina ortus est; & post primam ætatem in litterarum politiorum studio mira innocentia transactam, inter clericos Congregationis Somaschæ cum adscribi voluisset, Theologus idemque concionator eximius evasit; cum excellenti ingenio & doctrina virtutes omnes conjunxit, quæ virum religiosum maxime decent. Merito igitur illum Urbanus VIII. ad Episcopatum evexit, eique administrationem Sibenicensis Ecclesiæ demandavit: 1628. 5. *Junii providit Ecclesiæ Sibenicensi per translationem Joannis Pauli ad Feltrensem vacanti, de persona Joannis Thomæ Mallonii Presbyteri Congregationis Somaschæ & Theologi annorum* 45. *cum retentione pensionis annuæ ducatorum* 100. *monet. Venetæ &c.* Sex annos huic ecclesiæ præfuit; lenitatem ita cum gravitate miscebat, ut neque facilitas de auctoritate, neque severitas de suavitate quidquam detraheret; ex quo fiebat, ut ab omnibus æque amaretur, & coleretur. Cum copiose & ornate dicendi facultate plurimum valeret, nunquam fere pontificali ritu rem divinam facere solebat, quin e sella pontificia con-

cionaretur; ejusque verbis vim maximam addebat, tum perspecta viri sanctitas, tum conformatio quædam totius oris & corporis plena majestatis & suavitatis. Ejus ab hac ecclesia discessum, translatumque ad Bellunensem clerus & populus ægerrime tulit, atque abeuntem totius civitatis mœrore prosecutus est; quem Ughellus in Episcopis Bellunensibus brevi elogio commendavit: *Joannes Thomas Vicentinus Somaschæ Congregationis nobilis alumnus, Verbi Dei declamator illustris, eximius Theologus, ex Episcopo Sibenicensi ad Bellunensem Sedem translatus 16. Junii 1634. Mortalitatem explevit anno 1649. Diuturniori vita dignus ob defæcatos mores & incomparabilem pietatem.*

Ad Ecclesiam Bellunensē translatus.

ALOYSIUS EP. SIBENICENSIS XXII.

Hunc itidem e præstantissima Congregatione Somascha idem Urbanus VIII. Episcopum Sibenicensibus dedit; 1635. 17. *Septembris providit Ecclesiæ Sibenicen. per translationem Mallonii ad Bellunensem, de persona Aloysii Presbyteri Cong. Somaschæ &c.* Erat e gente Marcella, inter familias Venetas patricias antiquissima pariter & nobilissima; qui generis claritatem splendore virtutum ac præsertim singularis erga Deum ac superos religionis superavit.

Lacrymæ prodigiosæ ex oculis simulacri virginei manantes.

Antequam Aloysius renunciatus esset Episcopus, res auditu visuque mirabilis accidit, & sempiterna memoria ac litteris digna. Effigies quædam Deiparæ Virginis in tabula lignea depicta, & urbis mœnibus, qua in orientem spectant, infixa, semel pridie nonas Aprilis anno 1635. iterum alio die post sollemnia paschalia vila est ex oculis uberrimas lacrymas effundere, quibus & genæ, & collum, & pectus madescebant. Ut primum hujus prodigii fama divulgari cœpit, tota propemodum civitas ad novum tantæ rei spectaculum confluxit; nec defuerunt qui panniculis lineis ad lacrymas illas abstergendas admoverent, eosque sacro illo humore imbutos referrent, ac ceteris ostenderent.

Joannes Zorriceus Vicarius capitularis inter miracula referendas, & habendas esse declaravit.

Joannes Zorriceus Canonicus Primicerius, idemque, dum sedes Episcopi vacaret, Vicarius a Capitulo electus, homo prudens & gravis rem tam insolitam atque inauditam, ne quid fraudis subesset, accurata inspectione & inquisitione explorandam esse existimavit. Itaque cum primoribus Capituli & cleri, itemque civitatis ad eum locum se contulit; tabulam, in qua picta erat prodigiosa imago, amoveri, sibique afferri jussit: quod fama & auditione acceperat, suis ipsemet oculis vidit, & manibus contrectavit. Interea sacram effigiem diligenti custodia inclusam servari jussit, dum ipse rem totam ex pluribus oculatis testibus jurejurando adactis, ac Theologis insuper in consultationem adhibitis, juridicæ disquisitioni subjiceret. Id cum rite factum esset, fletum illum virgineum pro miraculo habendum esse declaravit, & pridie nonas Maji decretum fecit in hæc verba.

Siben. An. 1635. 6. Maji.

Adm. R. D. Vicarius antelatus congregato Capitulo RR. DD. Canonicorum cum nonnullis Theologis ac piis Sacerdotibus in sacristia ejusdem ecclesiæ cathedralis, ubi perlecto toto processu per R. D. Benovich cancellarium &c. visisque depositionibus testium de & super hoc præfato miraculo; & habito cum illis super hoc maturo consilio ac colloquio, consideratis considerandis in prædicto processu contentis, declaravit supradictum miraculum esse verum, & pro tali habendum & tenendum esse ab omnibus; & quod supradicta imago Virginis Deiparæ verum flendi modum ab oculis, sive lacrymarum guttulas per genas effuderit. Et quoniam hæc miracula e cælo emissa iram divinæ justitiæ contra nostra peccata minantur, ad quam placandam ad suæ misericordiæ pedes est nobis procedendum; ideo præfatus adm. R. D. Vicarius decrevit prædictam B. Mariæ Virg. imaginem a prædicto loco amovendam; & die 13. Maji, quæ erit dies dominica, clero, monachis, ac fratalcis, nec non utriusque sexus fidelibus comitantibus, in altare majus ecclesiæ cathedralis collocandam indixit; ad hoc, ut in præfata ecclesia sacrificiis, orationibus, & gemitibus ad pedes misericordiæ summi Dei, intercessione Sanctissimæ Matris ejus Mariæ, prostrati ipsum supplicemus; & ipso iram suam & flagella a nobis amoveat, & misericordiam concedat, ipso præstante, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit, & regnat, Amen.

Vincentius Benovich Can. & Not. pub. Sibenic. nec non Ven. Capit. ecclesiæ cathed. sede vacante Cancellarius.

Ergo ex mandato Vicarii ad diem constitutam convenerunt piæ sodalitates cum suis insignibus, cœtus religiosi, Capitulum, clerus, magistratus, populusque Sibenicensis; & sollemni supplicatione effigies illa thaumaturgica illata est in ædem cathedralem, & in summo altari collocata, inclusaque in capsam munitam cancellis ex argento reticulatis, per quorum foramina redditur conspicua. Exinde ab advenis juxta indigenisque eximia veneratione coli, & suppliciter invocari, & aureis atque argenteis donis ornari cœpit. Nondum annus post Marianam effigiem translatam abierat, cum redintegrari fletus, & lacrymæ ex oculis virgineis iterum fluere visæ sunt, anno scilicet 1636. VIII. Idus Maji. Idem Joannes Zorriceus, qui Aloysii Episcopi adhuc absentis vice fungebatur, hoc novum prodigium itidem ad legitimum examen ac judicium revocavit; ac testes, qui viderant, citari, juratosque testimonium perhibere jussit.

Virgineus fletus redintegratur.

Cum imago Beatissimæ Virginis Mariæ, quæ anno præcedenti pluries, infinito pene populo cernente, ubertim lacrymas fuderat, ut ex processu per nos fabricato sub die 6. Maji & anno 1635. constat, cum supplicatione cleri ac populi tunc temporis translata esset a loco, in quo erat, ad cathedralem, & collocata in summo altari supra Venerabile Sacramentum; ecce hodie inter octavam & nonam auroræ horam descendentes lacrymæ inter armarium & rete, in quibus inclusa erat, in planitie altaris juxta tabernaculum Ven. Sacramenti miraculose repertæ sunt. Quamobrem cum ad Deiparæ imaginem mediante miraculo prædicto horum populorum devotio magis in dies augeatur, & crescat, ne opera Dei optimi maximi ac summi remaneant abscondita, sed ut a suis fidelibus laudentur & glorificentur; adm. R. D. Joannes Zorriceus Canonicus & Primicerius, nec non Illustrissimi & Reverendissimi D. D. Aloysii Marcello Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Sibenicen. Vicarius ob ejus absentiam generalis, decrevit omnia prædicta esse confirmanda per testes infrascriptos per cancellarium examinandos, & præsente ipso comprobanda. Quare mandavit Presbytero Andreæ Truttina, & Sacristæ notario jurato curiæ episcopalis Sibenicen.

De quo iterum quæstio instituta, ac testes citati.

infra-

infraſcriptos citari & vocari ad comparendum &c.

R. P. Antonium Bayca
Marium Perdirum
Hieronymum Malaſpinam } *Milites.*
Michaelem Bevich

Hoc portentum omnibus ingentem metum incuſſit, verentibus ne aliquid triſte & calamitorum ab irato Deo civibus denunciaret. Nec ſane opinionem metumque communem fefellit eventus. Siquidem poſt aliquot annos civitas a Turcis gravi obſidione afflicta eſt, & agri paſſim devaſtati. Belli calamitatem fœda peſtilentia excepit, quæ univerſam pervagata urbem maximas civium & militum & accolarum ſtrages edidit.

Adventus Aloyſii Ep. & ejus Synodus.

Eodem anno 1636. Aloyſius Sibenicum venit ingenti civium omnium lætitia & expectatione, quam poſtea non explevit modo, ſed etiam ſuperavit. Multa ſapienter conſtituit, quæ ad divini cultus incrementum, & gregis ſibi crediti utilitatem ſpectabant. Anno proximo poſt ſuſceptum hujus eccleſiæ regimen Synodum diœceſanam indixit, ac celebravit VII. Kal. Novembris, cujus decreta ſeptem hiſce Capitibus comprehenſa ſunt. 1. *De tonſura clericorum.* 2. *De honeſta clericorum habitatione.* 3. *De Miſſa feſtis diebus audienda.* 4. *De Miſſarum pro defunctis celebratione.* 5. *De annuæ confeſſionis & communionis præceptis.* 6. *De habitu clericorum.* 7. *Confirmantur decreta ab anteceſſoribus facta; præcipue vero*, inquit, *conſtitutiones & decreta Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini Vincentii Arrigoni, mandantes univerſis, ne ſenſui hujus noſtræ declarationis, admiſſionis, approbationis, & confirmationis quovis modo audeant contraire, ſub pœnis & cenſuris in eis contentis.*

Capitulum & clerum, ut vitam & mores ad normam ſacrorum Canonum componerent, magis exemplo, quam auctoritate incitabat, urgebatque. Si quid præciperet, roganti erat propior, quam jubenti. Omnibus æque ſummis, atque infimis affabilem ſe ac benignum præbebat. Omnes quacumque adiiſſent hora, libenter accipiebat; neminem ab ſe triſtem diſcedere patiebatur; miſeros & egentes quibuſcumque rebus poſſet adjuvabat. Sub ejus pontificatu Eccleſia Sibenicenſis tertio Virginum Deo ſacratarum domicilio aucta eſt. Duo ſiquidem erant in urbe hujuſmodi cœnobia ordinis Benedictini; alterum S. Salvatoris, ad quod nulli, niſi puellis nobilibus, aditus patebat; alterum S. Catharinæ, quod tum e patricio, tum ex inferiori civium ordine adoleſcentulis ingreſſum præbebat. Nicolaus Buronia, civis Sibenicenſis æque opulentus ac pius, tertium adjunxit ſub titulo & patrocinio S. Luciæ, atque idoneis vectigalibus inſtruxit; in hoc autem admitti voluit ingenuas quidem, ſed pauperculas puellas atque indotatas, quæ ibidem ex præſcripto itidem ac diſciplina S. Benedicti vitam religioſam inſtituerent. Jus vero eas, ſi quæ peterent, admittendi, ſibi quoad vixit retentum, ad ſuos hæredes tranſmiſit. Hujus collegii inſtitutique approbationem tum a Veneto Senatu, tum a Sede Apoſtolica impetravit. Extat epiſtola Urbani VIII. ad Aloyſium Marcellum Epiſcopum Sibenicenſem, cui poteſtatem conceſſit omnia exſequenda, quæ Buronia ſupra laudatus conſtituerat: *Nicolaus Burogna*, inquit, *Sibenicenſis, pia devotione ductus, ex propriis pecuniis in civitate Sibenicen. ac loco ad id congruo quaſdam ædes ad formam monaſterii cum eccleſia, & aliis rebus neceſſariis conſtrui ac debita clauſura muniri, ſacraque & profana ſupellectili luculenter inſtrui curavit, illique competentem dotem attribuit, ut monaſterium inſtituatur ſub invocatione S. Luciæ, & regula S. Benedicti. Reditus & bona aſſignavit valoris annui, ad congruam unius Abbatiſſæ, & Prioriſſæ, & duodecim ſaltem monialium ſuſtentationem ſufficientis &c.* Jubet præterea monaſterium ſubjectum eſſe regimini, *adminiſtrationi, viſitationi, ſuperioritati Epiſcopi Sibenicenſis pro tempore exiſtentis. Dat. Romæ ap. S. Petrum die 7. Febr. 1638.*

Novum cœnobium in urbe Virginibus Benedictinis fundatum.

Condito ornatoque templo, ac cœnobio rebus omnibus neceſſariis inſtructo, Aloyſius mandata pontificia exſecutus eſt. Anno igitur 1639. 26. *Novemb.* ut eſt in tabulis Sibenicenſibus, facultatem dedit educendi ex monaſterio S. Catharinæ *Matrem Raphaeliam Ivaneam, & ſororem Gabrielam de Pedris*, a conditore cœnobii nominatas, & introducendi *ad munia*, ut ſupra &c. ideſt, ut alumnas collegii Luciani ad normam ac diſciplinam S. Benedicti, atque ad omne religioſi officii munus inſtruerent; altera vero *Abbatiſſæ*, altera *Prioriſſæ* locum teneret. Demum *die 18. Decembris introductæ fuerunt puellæ proceſſionaliter in ſupradictum monaſterium, una cum ſupradictis duabus; fuerunt autem duodecim, abſque duabus famulis, inter quas tertio loco Catharina filia Dom. Andreæ Arigoni &c.*

Initia cœnobii Luciani ſub regula S. Benedicti.

Bellum Cretenſe.

Hactenus ſub Marcello Epiſcopo quieta omnia, & pacata fuerunt. Urbis & eccleſiæ Sibenicenſis tranquillitatem interturbavit bellum Cretenſe anno 1645. exortum, & utramque in extremum periculum adduxit. Anno ſequenti cœptum eſt bellari etiam in Dalmatia, varioque eventu ibi geſtæ res. Sibenicum fere primum belli hujus impetum excepit. Nam Baſſa Boſnenſis poſt Jadertinum agrum devaſtatum ad Sibenicum tentandum acceſſit; ſed cum Leonardus Foſculus, qui cum ſummo imperio provinciæ præerat, opem tuliſſet, claſſe eo celeriter advectus; hoſtis ſemel atque iterum repulſus a muris, oppugnatione omiſſa, copias alio traduxit. Verum hæc veluti præludia fuerunt graviorum periculorum & calamitatum. Anno enim proximo 1647. Techielius Baſſa cum univerſo exercitu, qui quadraginta millibus militum conſtabat, ad Sibenicum oppugnandum proceſſit; urbem acri obſidione cinxit, ac tormentis plurimis mœnia urbis, itemque arcem, & caſtella quatere inſtituit. Alterum e caſtellis ſemel atque iterum tum hoſtes cœperunt, tum Veneti recuperarunt. Octo & viginti dies hæc obſidio & oppugnatio tenuit. In his periculis aſperiſque temporibus Aloyſius Epiſcopus gregem ſuum minime deſerendum putavit; ſed poſtquam Virgines Deo ſacratas, cum divorum reliquiis & pretioſa templorum ſupellectili, ad inſulam Surium tranſportari juſſas, in tuto collocaſſet, communium incommodorum & calamitatum particeps eſſe voluit, paratus omnia perpeti cum ovibus ſuis, ſive moriendum, ſive duriſſima ſervitus ſubeunda eſſet. Illius præſentia atque opera ad urbis defenſionem plurimum valuit. Nam præter quam quod pias ſupplicationes inſtituit ad divinam opem implorandam, ſuis cohortationibus alacritatem atque animos propugnatoribus addebat; & ubi plus periculi eſſet, atque acrius prælium inſtaret, ipſemet accurrebat, & militibus immiſtus rogando atque hortando egregii ducis partes agebat; præſertim pridie Id.

Sibenicum fruſtra obſeſſum & oppugnatum.

Septembris, cum hostis universas vires ad urbem admovisset; certamen tenuit atrox horas plus quinque; nec semel prope fuit, ut perrumperet, cum duæ Venetorum cohortes Aloysii potissimum vocibus animatæ porta erumpentes proxima, ex improviso in latus oppugnantium incurrerunt; id vero rem inclinavit. Etenim tumultu injecto, cum segniores Turcas fecissent, cumque interim aucti animis, qui mœnia defendebant, procellam ingentem ferrearum glandium cujusque generis in oppugnatores effunderent, simulque turba oppidanorum, nec viri solum, sed feminæ etiam puerique ministrantes tela, aut ex muris jaculantes, impigre adjuvarent; commotus Techielius fœda cæde suorum cecinit receptui. Hoste repulso, & civitate extremo periculo perfuncta, jussu pii Antistitis omnia templorum tintinnabula percrepare læto festoque cœperunt sono, prius admonitis militibus, ut cum id signi datum esset, omnes in genua procumberent, ac Deo superisque gratias agerent; ipse vero cum Capitulo & clero, cum magistratu & præfectis militiæ, populo universo prosequente, ad ædem cathedralem progressus Deo sospiti & victoriæ datori hymnum Ambrosianum, & sollemnes gratiarum actiones persolvit. Paucis post diebus Leonardus Fosculus cum classe obsessis subsidio venit; tunc enimvero concidit animo Techielius, & relatis extemplo in tutum tormentis abiens, vix dimidium exercitus, quem ad Sibenicum oppugnandum duxerat, Tininium reduxit. Gratulatio rursus Deo ac superis decreta, peractaque est ingenti omnium civitatis ordinum frequentia in ædе cathedrali, quo dux Fosculus cum primoribus militiæ convenerat; & Aloysius Episcopus sollemni ritu litavit, cui defensæ, ac liberatæ urbis laus non exigua debebatur. Illud etiam ad cumulum lætitiæ accessit, quod Ecclesia Sibenicensis Rachonizzam, pagum neque ignobilem, neque infrequentem jam inde a bello Cyprio amissum, hoc eodem anno Turcis ereptum recuperavit. Per idem tempus Patres Franciscani Bosnenses de observantia in urbem recepti sunt; eisdem locus cœnobio ædificando, & ædes S. Laurentii assignata est: id quod rei christianæ utilitatem ingentem attulit; nam Patres illi religiosissimi tum nocturna ac diurna psalmodia Dei tutelam ac beneficentiam civitati conciliant, tum concionibus habendis & sacramentis ministrandis assidue in salutem animarum, seduloque incumbunt.

Franciscani Bosnenses in urbem recepti.

Pestilentia Sibenicensis.

Sibenicenses depulso obsidionis periculo lætos nihilo levior calamitas oppressit. Anno siquidem 1649. vere appetente, atrox pestilentia urbem invasit, & assiduis funeribus propemodum exhausit. Initio autumni lenita paullum vis morbi est, discussa demum hyeme ineunte. Intra septem menses decem millia partim civium, partim militum, partim accolarum hac lue absumpta ferunt. Ita civitas frequentissima ad miram incolarum paucitatem redacta est, & post pestem extinctam vix mille & quingenti, qui eam incolerent, superfuerunt. Hi deinde intra finem illius sæculi creverunt ad quatuor millia. Hisce calamitosissimis temporibus Aloysius afflictæ ac desolatæ civitati nullum ab se optimi pastoris ac parentis officium decsse passus est, & miseris atque egentibus civibus quidquid potuit vel solatii, vel auxilii, contulit. Annos præterea quatuor hanc sedem episcopalem retinuit; quam deinde anno 1653. exeunte, jussu Pontificis, cum Polensi commutavit. Sempiternam sui nominis memoriam, in ædе S. Dominici, tabulæ marmoreæ impressam reliquit. Nam Patres illi Dominicani, ob insignia beneficia ab illo accepta, grati animi causa monumentum ibidem posuerunt his litteris inscriptum.

Aloysius Ep. translatus ad Ecclesiam Polensem.

Monumentum eidem positum in ædе S. Dominici.

D. O. M. B. M. B. D.
ILL. AC R. D.D. ALO
YSIO MARCELLO
RELIGIO PRÆDI
CATORIA GRATVM
HOC MEMOLE D.D.
XIX. 9BRIS MDCXXXXVII.

Sed ejus eximias virtutes & præclare facta Franciscus Barticoma Polensis ejus Vicarius generalis brevi elogio complexus est, qui Aloysio Romæ defuncto, tumulatoque in ædе S. Mariæ titulum sepulcralem fecit.

D. O. M.

Aloysio Marcello Patritio Veneto e Congregatione Somascha ad Episcopatum Sibenicensem, deinde Polensem assumpto, viro fidei propagandæ ardore, innocentia, & fortitudine animi præclarissimo, qui anno MDCXLVII. in Sibenicensi obsidione pastoris partes ac ducis pie simul & fortiter explevit, Romæ, dum sacra Limina venerarетur, extincto Anno salutis MDCLXI., ætatis vero LXV. Franciscus Barticoma Vicentinus Archidiaconus Polensis, ejusque Vicarius Generalis mœstissimus posuit.

Epitaphium.

NATALIS EP. SIBENICENSIS XXIII.

Extremo superioris sæculi anno Venetiis natus est bonis parentibus, honestæque conditionis; avitum cognomen ei fuit *Carideus*. Studia humanitatis ac litterarum diligenter coluit, in eoque eruditionis genere plurimum excelluit: nec minus sacræ doctrinæ & juris pontificii peritus fuit. Cum rector esset ecclesiæ & præpositus plebi S. Angeli Venetiis, illum Innocentius X. ad Episcopatum evexit, & Ecclesiæ Sibenicensi præfecit: *An. 1654. 23. Martii providit Ecclesiæ Sibenicen. per translationem Aloysii Marcelli vacanti, de persona D. Natalis Caridei, cum decreto, quod sacrarium sacra supellectili sufficienter instruat, atque ecclesiæ cathedralis, & domus episcopalis reparationibus pro viribus incumbat.* Utrumque enim ædificium ex oppugnatione urbis plurimum damni acceperat. Fuit vir gravis in primis, & severus, disciplinæque ecclesiasticæ admodum tenax, ad cujus præscriptum ut clerus vitam ac mores suos conformaret, non verbis solum hortari, sed pœnis etiam propositis urgere & cogere solebat. Episcopi personam ac munus pro dignitate sustinuit; tantaque inerat in homine gravitas & auctoritas, ut ei summam apud omnes existimationem ac reverentiam conciliaret. Si quando necessitas posceret, ut vultum indueret severiorem, & aliquem increparet asperius; tanta erat vis, ponduſque verborum, ut contra ne hiscere quidem, nedum respondere quisquam auderet. Ubi vero ageretur Dei honos, vel ecclesiæ immunitas, infracto animo erat, invictoque; neque ullis hominum præpotentium opibus ac minis se deterreri patiebatur, quominus causſam utriusque fidenter libereque defenderet.

Dum Natalis Ecclesiam Sibenicensem regebat, urbi memorandum infortunium accidit:

Arx Sibenicensis de cælo tacta.

anno

anno ſiquidem *1663.* XVI. Kalendas Martii tactum de cælo caſtellum vetus, quo aſſervabatur pulvis tormentarius, conflagravit. Vetuſtiſſima ædes S. Michaelis, & plurima circa ædificia corruerunt; cum tribus & quadraginta viris, ruina oppreſſus periit Andreas Maurocenus caſtelli præfectus. Sed in hac calamitate nihil acerbius Sibenicenſibus evenire potuit, quam combuſtio imaginis Deiparæ Virginis, antiquiſſimo cultu & plurimis miraculis inclytæ, quam in templo ejuſdem caſtelli Sibenicenſes ſumma veneratione proſequebantur, & in periculis ac rebus adverſis ad eam opis implorandæ cauſſa confugere ſolebant. Natalis Epiſcopus ſimul cum primoribus civitatis, ut mœrentis populi luctum abſtergerent, ibidem loci alteram ædem conſimilem excitandam curarunt; in eaque, ut Virgineæ Imaginis flammis abſumptæ deſiderium lenirent, alteram eidem ſimillimam collocarunt; quæ ſtatim a populo eadem veneratione ac fiducia, qua vetus, frequentari, colique cœpit; hodieque ejus religio ac celebritas effloreſcit; nec minus in hac, quam in illa civibus eo ſuppliciter adeuntibus Sanctiſſima Dei Mater propitiam ſe ac beneficam præbet.

Natalis annos duos & viginti Eccleſiam Sibenicenſem ſumma cum laude adminiſtravit, eamque & eccleſiaſtica diſciplina, & chriſtiana pietate florentem, rectèque compoſitam, ſucceſſori reliquit anno *1676.* quo quidem anno & menſe Aprili Venetiis extinctum ferunt ac ſepultum in templo S. Mariæ Formoſæ.

JOANNES DOMINICUS Epiſcopus Sibenicenſis XXIV.

Joannes Dominicus Calligarius Ep. Sibenicen. Synodum diœceſanam celebravit.

Hunc etiam civitas Venetiarum, ex familia Calligaria ortum, Eccleſiæ Sibenicenſi Rectorem dedit; quem Innocentius XI. Epiſcopum creavit, eidemque eccleſiæ præfecit, ut docent tabulæ conſiſtoriales: *1676. 19. Octobris providit Eccleſiæ Sibenicen. vacanti per obitum Natalis Caridei, de perſona Joannis Dominici Calligarii Presb. J. U. Doctoris.* Paroeciarum numerum auxit; in urbe unam ad veteres adjunxit, quinque in totidem frequentioribus locis diœceſeos inſtituit. Ad Synodum diœceſanam parochos convocavit anno 1687., & decreta ſapientiſſima condidit his titulis ſubjecta: *de Doctrina Chriſtiana; de prædicatione verbi Dei; de diebus feſtis & vigiliis; de Baptiſmo; de ſancto Miſſæ ſacrificio; de Sacramento Pœnitentiæ; de ordinatione Clericorum; de bonis eccleſiaſticis; de inventariis; de ſacriſtia, ſacriſtis, ac procuratore ſacriſtiæ; de Parochis, & Sacerdotibus; de Clericis.* Hanc Synodum ſimul cum ſeptem Synodis Vincentii Arrigoni, itemque cum Synodo Aloyſii Marcelli, Venetiis apud Hieronymum Albritium typis edendam curavit anno 1700. Antequam Synodum dimitteret, quidquid in illis ſuperioribus Synodis deceſſores ſui ſapienter, pieque decreverant, confirmavit: *Ceterum*, inquit, *decreta, ac prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones, & quæ multa pie ſanxerunt, confirmamus, ac ſi de verbo ad verbum fuerint lectæ, ac de illis fuerit facta mentio ſpecialis.*

Anno quarto belli Peloponneſiaci, qui fuit Chriſti annus 1688. cum Hieronymus Cornelius præfectus Venetæ claſſis ad oppugnandum Tinninium copias duxiſſet; Calligarius Epiſcopus accitus eſt, ut fauſta piaque precatione militibus, vexillis, armis, ceteriſque bellicis inſtrumentis, auxilium a præpotente Deo & proſperos exitus conciliaret. Auditæ preces; & oppidum illud loco & natura munitum intra paucos dies in Venetorum poteſtatem pervenit: idemque Epiſcopus in fano, Turcica ſuperſtitione expiato, rem divinam fecit, & cum præfecto Cornelio, ceteriſque ordinum ductoribus, & militibus gratias Deo pro victoria, rebuſque proſpere geſtis perſolvit. Urbis ac diœceſis Tininienſis, quæ jamdudum paſtoris proprii præſentia carebat, curam Calligarius ex mandato Pontificis ad tempus ſuſcepit. Inſigne gentilitium Calligarii inſculptum eſt tabernaculo ſuper aram maximam conſtituto, quod ſacroſanctæ Euchariſtiæ aſſervandæ Auguſtinus Petraſſus Canonicus ære ſuo e ſelectis marmoribus & lapillis præclaro & eleganti opere conficiendum curavit anno hujus ſæculi undecimo, dum adhuc Calligarius huic Eccleſiæ præeſſet; ut declarat inſcriptio in baſi litteris grandiuſculis inciſa: *Canonicus hujus eccleſiæ cathedralis Auguſtinus Petraſſi ob cultum tam venerabilis Sacramenti ex proprio ære confici curavit anno* 1711. Cum Calligarius Eccleſiæ Sibenicenſi annos circiter ſex & quadraginta, tum optimis inſtitutis, tum ſanctiſſimis exemplis mirifice profuiſſet, pie deceſſit anno viceſimo ſecundo hujus ſæculi, condituſque eſt in æde cathedrali cum hoc ſimplici titulo, quem modeſtiæ cauſſa ſepulcro ſuo inſculpi juſſerat, Ejus mors, ſepulcrum, inſcriptio.

Jo. Dominicus
Callegari C. V. O. ideſt Civis Venetus Originarius.
Epiſcopus Sibenicenſis.

Reliquorum Antiſtitum nihil fere aliud, præter nomina, nanciſci potuimus.

CAROLUS ANTONIUS EP. SIBEN. XXV.

Patria Venetus, cognomento Donadonus, ex Ordine Patrum Conventualium S. Franciſci, vir doctiſſimus, orator & poeta eximius, inſigni virtute ac religione præditus. Anno 1722. regimen eccleſiæ ſuſcepit, quam per annos tres ac triginta egregiis virtutibus & factis illuſtravit. Vivere deſiit anno *1756.* VII. Idus Januarii, condique voluit apud Fratres ſuos in æde S. Franciſci, qui viro de re litteraria & chriſtiana, de Ordine ſuo Franciſcano, & Eccleſia Sibenicenſi præclare merito hunc titulum fecerunt.

Viri Cl. ac Reverendiſſimi Caroli Antonii Donadoni Ven. Ordinis Min. Conv. Rei Litter. Opt. Merit. Sibenicenſis Eccleſiæ per XXXIII. An. Epiſcopi Virtutibus omn. Ornatiſs. Hic jacent Cin. Ob. die VII. Menſis Januarii MDCCLVI.

JOANNES III. EP. SIBEN. XXVI.

Natus Tragurii ex familia Calebotta honeſta in primis & honorata, vir ingenio, doctrina, eloquentia, pietate, magniſque virtutibus excellens, de quo in hiſtoria Eccleſiæ Arbenſis, unde ad Sibenicenſem regendam migravit anno *1756.* Duos annos & ſex menſes præfuit. Diuturniori vita & pontificatu dignus Sibenici obiit anno *1759.* V. Nonas Martii. In ædem cathedralem S. Jacobi honorifico funere illatus, ibidem ſepulcrum obtinuit hoc titulo inſcriptum.

Joan-

Joannes Calebotta Tragurinus prius Arbenſis, deinde Sibenicenſis Epiſcopus optime Meritus hic quieſcit a die 3. Menſis Martii M.D.C.C.L.IX.

HIERONYMUS BLASIUS
Epiſcopus Siben. XXVII.

Bonacicchio cognomen ei fuit, patria vero Milna, vicus non infrequens inſulæ Bractienſis, mari adjacens, atque in occaſum ſpectans. Nereſis oppidulum eſt haud longe ab ora maritima ſitum, in latere ejuſdem inſulæ ad meridiem converſo. Hic per aliquot annos titulum Archipresbyteri, & Parochi munus geſſit, atque in chriſtianæ plebis inſtitutionem, curamque animarum ſtrenue ac laudabiliter incubuit, dignumque ſe præbuit, quem Clemens XIII. ad Sedem Sibenicenſem eveheret. Hanc tres haud amplius annos tenuit, ſuiſque virtutibus & exemplis ornavit. Ut gregis ſibi concrediti utilitati ſalutique conſuleret, nihil operæ ac laboris prætermiſit. Ingenti omnium mœrore deceſſit anno 1762. XII. Kalendas Octobris. In æde cathedrali ſepultus caret inſcriptione ſepulcrali. Annos ferme quinque interregnum epiſcopale tenuit.

Interregnum epiſcopale.

NICOLAUS EP. SIBENICENSIS XXVIII.

Natus Sibenici ex nobiliſſima & antiquiſſima Diphnicorum familia. Ab ineunte ætate ſumma in eo ingenii indoles, ſumma vitæ integritas, & morum innocentia exſplenduit. Ut primum ſatis imbutus latinis litteris ſibi viſus eſt, ſumpta veſte clericali, Patavium contendit, & in florentiſſimo illo omnium liberalium artium Gymnaſio gravioribus diſciplinis, & civilis ac pontificii juris ſcientiæ diligentem operam navavit; & in utroque cum doctrinam ſuam ſapientiſſimis illis magiſtris & profeſſoribus egregie probaſſet, Doctoris nomen & lauream promeruit. Reverſus in patriam, vix alterum & viceſimum ætatis annum attigerat, cum ob eximiam ejus virtutem ac ſapientiam in collegium Canonicorum cooptatus fuit. Sacerdotio initiatus, quidquid temporis a divinis & capitularibus functionibus vacabat, in ſalutem proximorum conferebat. Sacris Deoque devotis Virginibus ad normam religioſæ diſciplinæ inſtituendis, earumque confeſſionibus excipiendis, ſingulari prudentia plures annos præfuit. Hieronymus Bonacicchius propter excellentem viri doctrinam, perſpectamque in rebus agendis induſtriam, Vicarium generalem ſibi delegit; cujus graviſſimi officii partes ſumma omnium approbatione ſuſtinuit, ac geſſit. Decreta illi fuerat Eccleſia Catarenſis; ſed ejus adminiſtrationem ne ſuſciperet, deterritus eſt conſilio medicorum, qui cælum Catarenſe illius valetudini minus propitium atque adeo infeſtum fore judicabant. Poſt mortem Bonacicchii, cunctis Canonicorum ſuffragiis renunciatus eſt Vicarius capitularis; quo in munere ita ſe geſſit, ut e diuturno illo interregno Eccleſia Sibenicenſis nihil detrimenti cœperit, neque viſa eſt paſtoris proprii ſolatio curaque indigere. Interea dum omnia traditæ ſibi adminiſtrationis officia toto animo, & ſtudio omni exſequebatur, nullis incommodis, nullis laboribus, nulla in re ſibi parcens; dignitatem Archidiaconi ab univerſo Capitulo delatam obtinuit. Sed nondum poſſeſſionem ſubſellii archidiaconalis inierat, cum Clemens XIII. in ampliſſimo Cardinalium Senatu Nicolaum Diphnicum IV. Idus Junii an. 1767. Epiſcopum Sibenicenſem declaravit. Quod cum Sibenicenſibus nunciatum eſſet, incredibile dictu eſt, qualis & quanta fuerit totius civitatis gratulatio, inſolito omnium ordinum gaudio, plauſuque ſignificata: quod civem ſuum nobiliſſimum, quod talem ac tantum Præſulem, uno verbo quod Nicolaum Diphnicum, qui omnium exiſtimationem & benevolentiam, tum aliis omnibus eximiis virtutibus, tum præſertim effuſa in pauperes beneficentia ſibi conciliaverat, rectorem adepta eſſet Eccleſia Sibenicenſis, inſatiabili lætitia geſtiebant. Faxit Deus optimus maximus, ut Sibenicenſes tam excellenti bono, & inſigni ſupernæ clementiæ beneficio diu gaudeant, & fruantur, ex eoque ad divini cultus incrementum, & ſuarum animarum ſalutem vel plurimum proficiant.

F I N I S.

INDEX RERUM
ET VERBORUM MEMORABILIUM.

Prior numerus paginam, alter columnam notat.

A

Abbates cœnobii Benedictini Belgradenſis SS. Coſmæ & Damiani, olim S. Joannis Evangeliſtæ. 7. 1. eorum privilegia. 7. *& ſeq.*

Aconcius legatus apoſtolicus in Boſina adverſus Patarenos laborat, diemque ſupremum obiit. 47. 1.

Adamus Rattkai Epiſcopus Senienſis & Modruſſenſis tria templa conſecrat. 159. 1. duas coronas aureas a Capitulo Vaticano Deiparæ Terſactanæ mittendas curat. 159. 1. & ejus Baſilicam indulgentiis locupletandam a Clemente XI. 159. 2.

Ænona eadem ac Nona. 204. 1.

Aimus Epiſcopus Boſnenſis, de quo nihil præter nomen, 53.

Alba maris eadem ac Belgradum. 1. 1.

Albertus Divinius Ep. Modruſſenſis ex ordine S. Dominici transfertur ad Eccleſiam Veglenſem, 113. 2.

Albertus Duymius Ep. Veglenſis adminiſtrat Eccleſiam Modruſſenſem, *ibid.*

Alexander III. P. judicat per litteras ſecundum Templarios adverſus Ep. Scardonenſem de cœnobio Auranenſi, 11. 1. Miræo Ep. Senienſi ut Metropolitæ Spalatenſi ſubjectus ſit, per litteras præcipit. 118. 1. imperat per litteras Comiti & optimatibus Phariæ, ut Martinum Epiſcopum in ſedem Pharienſem reſtituant, Lucarum autem expellant. 242. 1. Cœnobium Benedictinum inſulæ Buci in fidem ac clientelam recipit ſedis apoſtolicæ. 243. 2. jubet Sibenicenſes ſubeſſe Templariis, datis litteris ad Archiepiſcopum Jadrenſem, Abbatem S. Chryſogoni, & Archidiaconum Jadrenſem. 450. 1.

Alexander IV. P. facultatem abſolvendi a cenſuris Sibenicenſes concedit Columbano Epiſcopo Tragurienſi. 346. 2. *&* 454. 1. confirmat ſententiam Archiepiſcopi Jadertini adverſus Sibenicenſes, datis litteris ad Archidiaconum Spalatenſem. 347. 1. *&* 454. 1.

Alexander VI. P. facultatem poſſidendi bona immobilia cœnobio Terſactano S. Franciſci concedit. 110. 2. imperat Georgio Ep. Nonenſi per litteras, ut quoſdam viros Nonenſes injurioſos Fr. Franciſcanis Jadertinis cohibeat, 224. 1.

Alexander VIII. P. jus concedit Venetis eligendi Epiſcopos Scardonenſes. 29. 2. & Macarſchenſes. 200. 1.

Alexander Ep. Scardonenſis ex ordine S. Franciſci primum occupat, poſtea obtinet canonice Epiſcopatum. 23. 2.

Alexander I. Mikulichius Ep. Tinninienſis transfertur ad Eccleſiam Zagrabienſem. 301. 1.

Alexander II. Mariaſſy Ep. Tinnin. & præpoſitus eccleſiæ S. Martini de Scepuſio. 301. 2.

Alfreda Ep. Nonenſis litem de eccleſia S. Georgii de Putalio intendit Petro IV. Archiep. Spalatenſi, cui illam ædem Muncimirus Dux Chrobatorum adjudicat. 208. 2.

Aloyſius de Vilasko Ep. Boſnenſis, ſive Diacovenſis, Franciſco itidem Epiſcopo Boſnenſi vivente. 79. 1.

Aloyſius Cornelius Ep. Tragurienſis e Bergomate. 415. 2. Chriſtophorum de Andreis & Mutium Calinum Archiep. Jadrenſem ſuos vicarios inſtituit. *ibid.* Epiſcopatum dimittit. 418. 1. ejus obitus & epitaphium. *ibid.*

Aloyſius Marcellus Epiſcopus Sibenicenſis e Congregatione Somaſcha. 496. 1. Synodum celebrat. 497. 1. cœnobium Benedictinum S. Luciæ juſſu Urbani VIII. P. inſtituit. 497. 2. Sibenicum a Turcis oppugnatum ſtrenue defendit. *ibid.* ad Eccleſiam Polenſem translatus. 498. 1. ejus obitus & epitaphium. 498. 2.

S. Ambroſius Diaconus ſub S. Anſelmo uno de ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis, & primo Nonenſium Epiſcopo. 204. 1. cultu vetuſtiſſimo gaudet apud Nonenſes. 205. 1. ejus corpus Nona Jaderam translatum. *ib. &* 227. 1. & ab æde metropolitana Jadrenſi ad Marianam Virginum Nonenſium. 230. 2.

Anaſtaſius I. Epiſcopus Tinninienſis cuidam privilegio Creſimiri regis Chrobatiæ ſubſcripſit. 283. 2.

Anaſtaſius II. Ep. Tinninienſis intereſt Concilio provinciali Spalatenſi, & diplomati Colomani Regis Hungariæ ſubſcribit. 284. 2.

Anconitani amicitiam renovant cum Tragurienſibus, miſſis ad eos litteris. 339. 1.

Andreas Gualdus Archiep. Spalatenſis indulgentiam concedit eccleſiæ S. Mariæ de Sparaz diœceſis Tinninienſis. 294. 1.

Andreas I. Ep. Scardonenſis Ordinis Prædicatorum. 15. 1.

Andreas II. Maſculus Ep. Scard. electus a Joanne XXII. P. 18. 1. teſtis adhibetur cujuſdam privilegii ab Arch. Spalatenſi. 18. 2. eximit impedimento canonico, mandato Pontificis, Joannem & Catharinam Comites Breberienſes, ut alter alteram in matrimonium ducat. *ibid.* inquirere jubetur in quemdam F. Joannem ſacrilegum. 19. 1. pacem componit inter Comites Tinninii & Oſtrovitiæ. *ibid.* intereſt Concilio Spalatenſi, in quo judex conſtituitur in cauſſa Epiſcopi Macarenſis. *ibid.*

Andreas Ep. Boſnenſis ex Ordine Dominicano. 54. 2.

Andreas I. Ep. Senienſis ex ordine S. Franciſci. 128. 1. permutationem quorumdam locorum ſuæ perutilem eccleſiæ confirmat. *ibid.*

Andreas II. de Mutina Ep. Senienſis. 131. 2. ſub quo Uladislavus Rex Hungariæ legatum pium Frangipanium Eccleſiæ Senienſi confirmat, & Joannes Frangipanius bona eidem Eccleſiæ ablata reſtitui jubet. 131. 2. *&* 132. 1. Nobiles de Gatzka ad ſolvendas ſibi decimas adigit. 132. 2.

Andreas de Franciſcis Ep. Senienſis & Modruſſenſis electus ex ordine eremitarum S. Paulli ad Eccleſiam Sirmienſem transfertur. 140. 2.

Andreas Epiſcopus Macarſchenſis, ſive Crainenſis, ex ordine S. Dominici, ſemel atque iterum Romam miſſus a Friderico III. Imp. 189. 2. accuſatus apud Pontificem Epiſcopatum dimiſit.

misit. 190. 1.

Andreas I. Episcopus Nonensis post interregnum centum amplius annorum. 214. 2. duobus Conciliis, Spalatensi & Jadertino, interest. 215. 1. partem insulæ Pagi recipit a Cresimiro IV. rege Hungariæ, qua suam diœcesim auget. *ib.*

Andreas II. Balbus Ep. Nonensis translatus ad Polensem Ecclesiam adhuc vivit. 237. 2.

Andreas I. Episcopus Tininiensis. 298. 1.

Andreas II. Sbardellatus Ep. Tininiensis, Cleri Hungarici orator ad Concilium Tridentinum. 298. 2. translatus ad Episcopatum Quinqueclesiensem a Religione catholica deficit. *ibid.*

Andreas III. Matussek Ep. Tininiensis. 301. 2.

Andreas Episcopus Bestoensis an idem ac Bosnensis, incertum. 41. 2.

Andreas Custos & Vicarius Capituli Tininiensis parochis diœcesis onus pecuniarium frustra imponit. 296. 1.

Andreas Dux Dalmatiæ diploma concedit monachis Belgradensibus SS. Cosmæ & Damiani. 8. 1. Micham nominat Episc. Phariensem. 245. 2. postea Rex Hungariæ II. hujus nominis, Ecclesiam Bosnensem Metropolitæ Spalatensi adjudicat. 47. 1. hæreticos Bosnenses profligandos curat. 47. 2. diploma Colomani filii sui Episcopo Tragurienſi concessum confirmat. 337. 2.

Andreas Venerius Comes Spalati respondet Duci Venetiarum de veritate corporis S. Lucæ Jayczа Venetias translati. 75. 1.

B. Angelus a Verbosa Franciscanus obiit Foiniza in Bosina. 76. 1.

Angelus a Gradibus Episcopus Nonensis ex ordine Fratrum S. Francisci, quos vocant Conventuales. 228. 1. Episcopatum deposuit. *ibid.*

Angelus Cavacius Episcopus Tragurienſis ex Parentino. 407. 1. prius erat Arbensis. *ibid.* ob quæsturam pontificiam Romæ triennio moratur. *ibid.* facultatem deferendi almutias impetrat suis Canonicis ab Eugenio IV. 407. 2. Tragurium venit, & sacrarium ædis cathedralis reædificat. 408. 2. Tragurium interdicto supponit, quod deinde revocat. *ibid.* miracula, quæ per B. Joannem Ursinum Episcopum Tragurienſem divinitus edita sunt sæculo decimo quinto, jubet litteris mandari. 324. 2. *& seqq.* 408. 2.

S. Anselmus unus de septuaginta Christi discipulis, & primus Nonensium Episcopus. 204. 1. cultu vetustissimo gaudet apud Nonenses. 205. 1. ejus corpus Nona Jaderam translatum. *ibid.* 227. 1. & ab æde metropolitana Jadrensi ad Marianam Virginum Nonensium. 230. 2.

Antipapa Bosnensis Patarenæ sectæ quemdam Bartholomæum sibi vicarium constituit in Gallia. 47. 2.

Antonius I. Ep. Scardonensis ex ordine S. Francisci, cui demandatur cura Ecclesiæ Bosnensis. 28. 2. *&* 79.

Antonius II. Becichius Ep. Scard. ex Episcopo Nicopolitano. 35. 1. transfertur ad Ecclesiam Phariensem. 35. 2. 279. 1.

Antonius Matthæovichius Ep. Bosnensis sive Diacovensis ex ordine S. Francisci. 77. 2.

Antonius Ep. Bosnensis electus ex ordine S. Francisci. 67. 2. ad aliam ecclesiam transfertur. 68. 1.

Antonius Ep. Modrussensis ex ordine S. Dominici. 109. 2.

Antonius de Dominis Ep. Senensis ex Archipresbytero Senensi. 137. 1. a Turcis in acie cæsus. 137. 2.

Antonius I. Rosignolus Ep. Nonensis ex Episcopo Arbensi. 237. 1.

Antonius II. Tripcovich Ep. Nonensis ex Vicario apostolico in insula Veglensi. 238. 1. adhuc vivit. 238. 2.

Antonius I. Guidus Ep. Tragurienſis. 421. 2. de castro Bussiliniæ graviſſimas contentiones habuit cum ordine Nobilium. 422. 1. eos anathemate ferit. *ibid.* apud Senatum Venetum accusatur. 422. 2. Tragurienſibus reconciliatur, eosque anathematis vinculo exsolvit. 422. 2. *&* 423. 1. ab Augustino Valerio Tragurium revocatur. 423. 1. Spalati, dum Concilio interesset, contumelioſe injurioseque tractatus, 425. 1. possessionem episcopalem castri Bussiliniæ Clementis VIII. P. auctoritate firmandam curavit. 425. 2.

Antonius II. Kadcichius Ep. Tragurienſis ex Archidiacono Jadertino. 443. 1. os femori S. Joannis Ursini Ep. Tragurienſis detrahit, & dono mittit Benedicto XIII. P. jussu Senatus Veneti. 443. 2. ad Archiepiscopatum Spalatensem translatus. 444. 1.

Antonius III. Miocevichius Episcopus Tragurienſis ex Canonico Sibenicensi. 448. 2. vivit. *ibid.*

Antonius a Ponte Episcopus Sibenicensis ex Auditore sacri palatii. 464. 1. impetrat a Sigismundo Rege Hungariæ, ut coloni Episcopi Tragurienſis curiæ episcopali subjecti sint. 464. 2. jussus a Bonifacio IX. P. ut prædia cœnobii Sibenicensis S. Salvatoris, quæ ablata fuerant, eidem curet restituenda. 464. 2. jus decimarum recuperare nititur. 465. 1. accusatur a Sibenicensibus apud Bonifacium, qui illos imo reprehendit. 465. 2. causam adversus Sibenicenses amittit e sententia Chrysogoni Ep. Tragurienſis. 466. 1. jussus a Bonifacio IX. controversiam dirimere, quæ Francisco Ep. Scardonensi erat cum Archiep. & Capitulo Jadertino. 21. 1. translatus ad Ecclesiam Concordiensem, deinde ad Hydruntinam. 466. 2.

Antonius Verantius Archiep. Strigonienſis laudatur. 476. 1. ejus epitaphium. *ibid.*

Antonius Episcopus Lacedæmonensis, Vicarius Urbani VI. Papæ, ecclesiam Senensem S. Spiritus indulgentiis donavit. 123. 1.

Antonius Cernota ex ordine S. Francisci curam suscipit Ecclesiæ Scardonensis. 28. 1.

Antonius de Pola Præses provinciæ Slavonicæ Franciscanæ palatium Tragurienſe suis Fratribus traditum dimittit, ac Tragurienſium Communi renuntiat. 373. 1.

Antonius Priolus Dux Venetiarum mandat Comiti Tragurienſi, ut cœnobium Buense S. Mariæ restituendum curet Fratribus Franciscanis. 427. 1.

Anzius Frangipanius Comes Seniæ cœnobium Brynienſe S. Mariæ Augustinianis ademptum jubet restitui. 132. 1.

Archangelus de Varicassis Ep. Scardonensis Thomam parochum S. Joannis de Breberio, qui ad synodum ab se indictam venire abnuerat, anathemate perculit. 25. 1. alias cum aliis lites habuit. 25. 2. decretum contra Thomam parochum S. Crucis revocat. *ibid.*

Archangelus Ep. Tininiensis subscripsit apographo cujusdam privilegii Svinimiri Regis Hungariæ. 289. 2.

PP. Augustiniani cœnobium S. Mariæ de Zaustrog repetunt a Franciscanis, quibus negantibus arbitros postulant per litteras ab Alexandro VI. P. 190. 2.

B. Auguſtinus Caſoctus primum Zagrabiæ, deinde Nuceriæ Epiſcopus, patricius Tragurienſis. 380. 2. ejus cultus Tragurii. 441. 2.
Auguſtinus Cardinalis legatus Paſchalis II. P. diploma concedit Monachis S. Joannis Evang. adverſus Epiſcopum Belgradenſem. 6. 1.
Auguſtinus Valerius Ep. Veronenſis & Viſitator apoſtolicus in Dalmatia eccleſiam ac diœceſim Pharienſem invifit. 269. 2. acta & decreta ejus viſitationis. *ibid. & ſeqq.* Piam ſodalitatem Piſcatorum in inſula Bua diplomate confirmat, & indulgentiis donat. 423. 1.
Auguſtinus Barbadicus Dux Venetiarum jubet oblationes quaſdam exſolvi Capitulo Tragurienſi ab ærario civitatis Tragurii. 411. 2.

B

B. Epiſcopus Belgradenſis intereſt Concilio provinciali Jadertino. 4. 2. donationi factæ ab Archiepiſcopo Jadrenſi cœnobio S. Mariæ ſubſcribit. *ibid.*
B. Epiſcopus Nonenſis judex præfuit controverſiæ dirimendæ, quæ Templariis erat cum Monachis SS. Coſmæ & Damiani de Aurana. 218. 1.
Banialuka una ex celebrioribus Boſinæ urbibus. 39.
Bartholomæus I. Epiſcopus Scardonenſis conſecrationem contra canones ſuſcipit ab Archiepiſcopo Spalatenſi. 13. 1. eccleſiæ S. Petri cum cœnobio SS. Coſmæ & Damiani conjunctionem confirmat. 13. 2.
Bartholomæus II. Ep. Scardonenſis conſecrat Hugolinum Archiepiſcopum Spalatenſem, eique pallium imponit. 14. 2. Epiſcopatum cum inſtituto Franciſcano commutat. *ibid.*
Bartholomæus Epiſcopus Senienſis ex ordine S. Dominici. 129. 1.
Bartholomæus Cacichius Ep. Macarenſis ex ordine S. Franciſci. 193. 1. adminiſtrator Eccleſiæ Dumnenſis. 181. 2. 193. 2. 196. 1. litem obtinuit de diœceſi Stephanenſi adverſus Epiſcopos Alexienſem & Scodrenſem. 194. & 195. 1. ſtatum ſuæ eccleſiæ per litteras exponit Cardinalibus Sacræ Congregationis, ab eiſque tria poſtulat. 195. præter Dumnenſem & Naronianam, etiam Eccleſiam Boſnenſem adminiſtrat. 196. 1. adminiſter interfuit duorum Epiſcoporum conſecrationi. *ibid.* ſecedit in Phariam inſulam, ibidemque obiit. 196. 2.
Bartholomæus Ep. Tragurienſis ex Archipresbytero S. Juſtinæ de Monte Silicis & Epiſcopo Catharenſi. 381. 1. 382. 1. idem creditur cum F. Bartholomæo ordinis S. Franciſci, itidem Epiſcopo Tragurienſi. 382. 1. legatus apoſtolicus primum ad Raſcianos, deinde ad Stephanum Regem Serbliæ. 382. 2. ſententiam pronuntiat in Jacobum Archidiaconum, qui auctor fuerat ſeditionis Tragurii. 383. 2. impetrat a Ludovico Rege Hungariæ confirmationem privilegiorum Colomani & Belæ IV. conceſſorum Eccleſiæ Tragurienſi. 385. 1. cauſſam obtinet adverſus Ep. Sibenicenſem in controverſia de decimis. 385. 2. accuſatur a Capitulo apud Sedem apoſtolicam. 386. 1. controverſiam cum Tragurienſibus de adminiſtratione redituum ædis cathedralis componit. 387. 1. interdicto ſubjicitur. 387. 388. ſuum procuratorem in controverſia cum Capitulo mittit Anconam ad legatum apoſtolicum. 388. 2. pecuniam mutuam accipit ab Ep. Nitrienſi ad ſolvendum quod debebat legato apoſtolico. 389. 2.
Bartholomæus Boninus Ep. Sibenicenſis. 474. 1. Nicolaum de Draganis ſuum Vicarium generalem conſtituit. *ibid.*
Bartholomæus de Benevento ex ordine S. Dominici, non Leſinenſis ſeu Pharienſis, ſed Liſſenſis Epiſcopus. 253. 1.
Bartholomæus Canonicus Tininienſis recognoſcit ac deſcribit poſſeſſiones Eccleſiæ Spalatenſis. 294. 1.
Bartholomæus Vicarius Antipapæ Boſnenſis in Gallia. 47. 2.
Bela IV. Rex Hungariæ ſcribit ad Patres Dominicanos de ſanctitate B. Joannis Teutonici Ep. Boſnenſis. 52. 1. urbem Seniam donat Comitibus Frangipaniis. 115. 1. & 120. 2. eccleſiam & inſulam Phariam ampliſſimis donat privilegiis. 247. 2. a Tartaris inſecutus Tragurium ſe contulit. 340. 1. privilegium a Colomano Duce Dalmatiæ Eccleſiæ Tragurienſi conceſſum confirmat. 340. 2. auxilium præbet Tragurienſibus adverſus Spalatenſes. 341. 2.
Belgradenſes ſe obſtringunt ad ſolvendas decimas cœnobio S. Joannis Evangeliſtæ. 5.
Belgradenſes Epiſcopi. 1. inſtituti a Creſimiro IV. Duce Chrobatiæ. 1. 2. & 214. 2. recenſentur. 1. 2. transferuntur Scardonam. 6. 1. & 10. 1.
Belgradum varie appellatum. 1. 1. deſcribitur. *ibid.* variorum imperium ſubivit. *ibid.* direptum & everſum a Venetis. *ibid.* & 7. 1. nunc dictum *Jadera vetus*. *ibid.* in Epiſcopatum erigitur. 1. 2. urbs regia appellatur a Colomano Rege Hungariæ. 5. 2.
Benedictus XII. P. controverſiam, quæ de bonis eccleſiaſticis erat Epiſcopo cum Communi Tragurienſi, dirimendam dedit Abbati S. Nicolai Sibenicenſis, & duobus Canonicis Siben. 379. 1.
Benedictus XIII. P. os S. Joannis Urſini Epiſcopi Tragurienſis a Senatu Veneto impetrat, & dono mittit Eccleſiæ Beneventanæ. 443. 2.
Benedictus XIV. P. Paullum Dragechivichium Vicarium Apoſtolicum & adminiſtratorem Eccleſiæ Boſnenſis & Dumnenſis conſtituit, datis ad eum litteris. 85. 2.
Benedictus Archiep. Colocenſis ob bene geſta contra hæreticos Boſnenſes jus metropoliticum in Eccleſiam Boſnenſem a Pontifice petit. 53. 2.
Benedictus I. Guichardus Ep. Boſnenſis ex ordine S. Dominici. 56. 1. Epiſcopatum Boſnenſem dimittit. 56. 2.
Benedictus II. de Benedictis Ep. Boſnenſis. 65. 1. duobus privilegiis Sigiſmundi Regis Hungariæ ſubſcripſit. 65. 2.
Benedictus III. Ep. Boſnenſis, ſive Diacovenſis. 76. 1.
Benedictus Bedecovitius Ep. Senienſis & Modruſſenſis ex Archidiacono Zagrabienſi. 157. 2. laudatur a Paullo Ritter elogio perhonorifico. 158. 1. monaſterium in Licha Capuccinis exſtruendum curat. 158. 2.
Benedictus Epiſcopus Suacienſis adminiſtrat Eccleſiam Boſnenſem. 56. 2.
Benedictus ex ordine Servorum, Subcollector Cameræ Apoſtolicæ, fatetur pecuniam recepiſſe Sedi Apoſtolicæ debitam ex teſtamento Nicolai Epiſcopi Tragurienſis. 392. 2.
Benvenutus Ep. Pharienſis, inter quem & Matthæum Ab. S. Nicolai Iſſenſis extat inſtrumentum compoſitionis. 254. 1.
Berengarius ex Aragonia, ordinis S. Franciſci, Avenionem miſſus Pontifici ad poſtulandos operarios pro vinea Boſnenſi. 62. 2.
Bernardinus de Fabiis Epiſcopus Pharienſis duas epiſtolas accepit a Hieronymo Mazzarello Vicario Bartholomæi II. Archiep. Spalatenſis. 265.

265. 2. de quibuſdam criminationibus ſe purgat apud Bernardum II. Archiep. Spalatenſem, dum ille Eccleſiam Pharienſem inviſeret. 266. 1.
Bernardus II. Zannius Archiepiſcopus Spalatenſis Eccleſiam Pharienſem inviſit, & ſaluberrimum decretum condidit. 266. 1.
Bernardus Ep. Senienſis a Capitulo electus an Epiſcopatum obtinuerit, incertum eſt, 121. 1.
Bernardus Dominicus Leonius Ep. Nonenſis ex Vicario apoſtolico Buduæ. 237. 2.
Bitcula Caſocta de templo Tragurienſi S. Dominici bene merita. 381. 1.
Blaſius Molinus Archiepiſcopus Jadrenſis, judex delegatus a Sede Apoſtolica in cauſa Georgii Epiſcopi Pharienſis. 254. 2. judicio Sedis Apoſtolicæ eum ſubjicit, duobus œconomis proventuum epiſcopalium conſtitutis. 255. 1.
Blaſius Cavacichius Ep. Boſnenſis ſive Diacovenſis, ex ordine S. Franciſci, a Turcis interficitur. 77. 1.
Blaſius Ep. Ottocienſis primus, ex ordine S. Dominici. 164. 2. Spalati commoratur, & judex delegatur a Sede Apoſtolica in quadam Pharienſi controverſia matrimoniali. *ibid.*
Blaſius de Novariena Ep. Dumnenſis, ex ordine S. Franciſci, a Martino V. Papa acceptis litteris electus. 174. 2.
Blaſius Mandevius Ep. Nonenſis. 229. 1. ejus inſcriptio ſepulcralis. 229. 2.
Blaſius I. Ep. Tinninienſis ſubſcriptus privilegio Ludovici Regis Dalmatiæ conceſſo Spalatenſibus, 291. 1. litteras impetrat a Bano, quibus jus exigendi decimas tueatur. 291. 2.
Blaſius II. Jaklin Ep. Tinnin. transfertur ad Eccleſiam Nitrienſem. 301. 1.
Bobovacium, poſtremorum Regum Boſinæ ſedes. 39. 2. & 40. 1.
Bogdanus Puliſe Epiſcopus Sibenicenſis ex Primicerio, creatus a Bonifacio IX. Papa. 466. 2. cui ſuam fidem & obedientiam obligat, Clementem Antipapam execratus. 467. 1. juſſus a Martino V. controverſiam dirimere, quæ Petro X. Archiepiſcopo Spalatenſi erat cum Monachis S. Stephani de Pinnis. 468. 1.
Bonaventura Ep. Senienſis ex ordine S. Franciſci. 137. 1.
Bonaventura Benichius ex ordine S. Franciſci, Vicarius apoſtolicus in Boſina & diœceſi Dumnenſi eligitur, ſed hoc munere ſe abdicat. 86. 2. & 183. 2.
S. Bonifacius Apoſtolus Ruſſorum, cur dictus fuerit Archiepiſcopus Boſnenſis? 42. 1.
Bonifacius VIII. P. inſtituit Epiſcopatum Sibenicenſem, datis litteris ad Henricum Jadertinum, & Petrum Spalatenſem Metropolitas. 362. 1. 459. 1.
Bonifacius IX. P. cognitionem cujuſdam controverſiæ Antonio Epiſcopo Sibenicenſi per litteras committit. 21. 1. Eccleſiam Senienſem S. Spiritus cumulat indulgentiis. 124. 1. facultatem facit Sibenicenſibus inſtituendi collegii Virginum S. Claræ. 464. 1. jubet tribus Epiſcopis, ut reſtituenda curent prædia, quæ cœnobio Sibenicenſi S. Salvatoris ablata fuerant. 464. 2. reprehendit Sibenicenſes, quod Antonium Epiſcopum apud ſeipſum de flagitiis enormibus accuſarent. 465. 2. Bogdanum ex Primicerio Epiſcopum creat Sibenicenſem. 466. 2.
Bonifacius Ep. Corbavienſis ex ordine S. Franciſci, poſtquam Epiſcopus Sulcitanus fruſtra conſecratus fuiſſet, electus a Joanne XXII. P. cum diplomate. 95. 2. & 96. 1.
Bonifacius Ep. Sibenicenſis. 463. 2.
Bonifacius Ep. Boſonenſis vel Boxinienſis, non videtur fuiſſe Boſnenſis. 55. 2. & 56. 1.
Bonjoannes Ep. Boſnenſis transfertur ad Epiſcopatum Firmanum. 60. 1.
Bonus Ep. Belgradenſis adimit eccleſiam SS. Coſmæ & Damiani monachis S. Joannis Evang. ſed reſtituere jubetur. 6. 1.
Borislavus Ep. Senienſis a Guncello Archiep. Spalatenſi conſecratur. 119. 2.
Boſina, olim Pannoniæ pars, circumſcribitur. 37. 1. unde appellata. *ibid.* quibus paruit? 37. 38. a Tartaris vaſtata. 53. 1. tribus eodem tempore regibus paruit. 65. 2. a Turcis capta. 74. & 77. 1.
Boſina hodierna. 38. 2. ejus urbes primariæ. 39. oppida & caſtella. 40. 1. in octo *Sangiacatus* a Turcis diſtribuitur. *ibid.* cur *Argentina* appellata? 40. ejus fertilitas. 40. 2. & varia religio, 41.
Boſna eadem fortaſſe ac Seralium hodiernum, urbs Boſinæ. 39. 2. ſedes Epiſcoporum. 49. 1.
Boſnenſes Epiſcopi, quando initium habuerint. 41. 2. variis metropolitis ſubjecti. 42. 2. nunc Colocenſi, reluctante tamen Spalatenſi. *ibid.* & 54. 1. recenſentur. 43. 1. eorum ſedes vaga. 43. 2. nunc reſident Diacovi, unde Diacovenſes etiam dicti. *ibid.* & 75. 1. non ſolum eccleſiaſticum, ſed etiam jus civile Diacovenſibus adminiſtrant. *ibid.* & 79. 1. 87. 2. 88.
Boſnenſes Bani. 38. 1. *Reges*. *ibid.* eorum ſedes vaga. 39. 2.
Boſnenſes hodierni partim Catholici, partim Schiſmatici, partim Turcæ. 41. 2. eorum natura. *ibid.*
Boſnenſis Eccleſia commendatur Epiſcopo Suacienſi. 56. 2. in duas diœceſes fruſtra diviſa ab Eugenio IV. P. 68. 1. adminiſtratur a Nicolao Epiſcopo Samandrienſi. 77. 2. ab Antonio & Thoma II. Epiſcopis Scardonenſibus. 79. a Hieronymo Epiſcopo Drivaſtenſi. 81. 1. a Vicariis apoſtolicis. 84. 2. in quo ſtatu nunc ſit, deſcribitur. 86. 2.
Brachienſes Epiſcopi iidem ac Pharienſes. 239. 2.
Bractia inſula Dalmatiæ deſcribitur. 239. 2. præter exiguam portionem, quæ ad Spalatenſem Eccleſiam pertinet, ſub diœceſi Epiſcopi Pharienſis continetur. *ibid.*
Branimirus Dux Chrobatorum ad priſtinum erga Eccleſiam Romanam obſequium redit. 206. 2. Joannem Presbyterum cum litteris ad Joannem VIII. P. mittit, ab eoque reſponſum accipit. 207. 2. alteram accipit ab eodem epiſtolam. 208. 1.
Britius Ep. Tinninienſis Thomam Radovichium, qui electus fuerat parochus S. Stephani a deceſſore, tuetur adverſus Paullum Potacichium a Communi Tinninienſium electum. 296. 2. cauſſam obtinet. 297. 1. litteras accipit a Vito de Ruſchis Ep. Dumnenſi. *ibid.*
Bua inſula Tragurio objacens. 303. 1. 306. 1.

C

Cæſar Bonajutus Ep. Pharienſis e Cephalenienſi. 279. 1.
Calliſtus III. P. legationem Boſnenſem Thomæ Ep. Pharienſi prorogat, eique litteras commendatitias concedit. 261. 2. Abbatiam S. Nicolai Iſſenſis primum commendat eidem Thomæ, deinde Eccleſiæ Pharienſi in perpetuum attri-

attribuit, datis litteris ad Epiſcopos Tragurienſem & Scardonenſem, & ad Archipresbyterum Spalatenſem. 262. 1.
Camillus Meltius Archiep. Capuanus leg. apoſt. quemdam Fratrem ord. S. Franciſci in diœceſi Senienſi in ordinem redigere conatur. 141. 1.
Carolus IV. Imperator diploma conficit pro Patavinis. 121. 2.
Carolus Antonius Donadonus Epiſcopus Sibenicenſis ex ordine Patrum Conventualium S. Franciſci. 499. 2. ejus epitaphium. *ibid.*
Carolus de Rubeis Vicarius Epiſcopi Scardonenſis de ſtatu ejuſdem eccleſiæ ſcribit ad Sacram Congregationem. 30. 2.
Catharina Regina Boſinæ, regni Boſnenſis hæredem Eccleſiam Romanam inſtituit ſupremis tabulis. 73. 2. ejus epitaphium. *ibid.*
Cernata Archipresbyter Phariæ expulſus a novo Epiſcopo Pharienſi Martino. 241. 1.
Chota Antiſtita Virginum Tragurienſium S. Nicolai Bonifacio P. IX. fidem ſuam obſtringit. 395. 2. proteſtatur per procuratorem contra electionem Goytizæ Abbatiſſæ S. Nicolai Tragurienſis. 396. 1.
S. Chriſtophori Reliquiæ Conſtantinopoli Sibenicum allatæ. 469. 1.
Chriſtophorus Ep. Modruſſenſis in variis nominatur monumentis. 110. 1. a catalogo Ep. Senienſium expungitur. 132. 2.
Chriſtophorus de Rochas Ep. Tinninienſis ex ordine S. Franciſci. 300. 2. translatus ad Eccleſiam Neoſtadienſem. *ibid.*
Chriſtophorus de Baliſtis Epiſcopus Tragurienſis ex Archipresbytero Spalatenſi. 413. 2. de compenſandis conductoribus prædiorum epiſcopalium, & amovendis, vel retinendis mandatum Venetiis tranſmittit ad ſuos procuratores. 413. Spalati plerumque habitavit. 415. 1.
Chriſtophorus quidam e catalogo Epiſcoporum Tragurienſium expungitur. 409. 2.
Chrobati ad priſtinum erga Eccleſiam Romanam obſequium redeunt. 206. 2. ideoque epiſtolam accipiunt ab Joanne VIII. P. 208. 1.
Chrobatienſes Epiſcopi iidem ac Tinninienſes. 280. 2.
Chrobatorum Epiſcopus Nonenſis. 205. 2. 212. 1.
Chryſogonus de Dominis Epiſcopus Tragurienſis ex Arbenſi. 392. 2. orator miſſus a Tragurienſibus ad Ludovicum Regem Hungariæ. 393. 1. privilegium ſigilli impetrat a Maria Regina Hungariæ Capitulo Tragurienſi. 393. 2. orator miſſus ad eamdem Mariam & ad Stephanum Tuartkum Regem Boſinæ. 394. 2. diſcordias civiles & bellum Tragurienſium cum Spalatenſibus compoſuit. 395. 1. auctor decreti, quod Tragurienſes in honorem SS. Laurentii & Joannis fecerunt. *ibid.* an idem ac alter Chryſogonus Epiſcopus Tragurienſis, incertum. 396. 1. judicat ſecundum Sibenicenſes in controverſia, quæ illis erat cum Antonio Epiſcopo Sibenicenſi. 466. 1.
Chryſogonus Fanſonius Epiſcopus Sibenicenſis cœnobium ſuburbanum dirutum S. Franciſci reſtituendum curat in urbe. 460. 2. diœceſim auxit. 461. 1. ſede expulſus, ab Archiepiſcopo Spalatenſi reſtituitur. 461. 2.
Clemens IV. P. jubet per litteras Columbano Ep. Tragurienſi, ut Patres Dominicanos Tragurium recipiat. 349. 2. Eccleſiam Tragurienſem in ſuam fidem & clientelam recipit, datis ad eumdem litteris. 350. 1. compoſitionem confirmat, quam Archidiaconus Spalatenſis inter Columbanum Ep. Tragurienſem & Sibenicenſes faciendam curaverat. 353. 2. 454. 2.
Clemens VII. P. juſtitium univerſale a Franciſco I. Ep. Senienſi indictum revocari jubet. 134. 2. eumdem Franciſcum Archiepiſcopo Strigonienſi commendat. 135. 1. defenſionem Seniæ Ferdinando Regi Hungariæ commendandam cenſet. 135. 2. jus adeundi Epiſcopatum Ottocienſem a Petro Ep. amiſſum, bis eidem reſtituit. 166. 1. præcipit Canonicis Ottocienſibus, ut eundem Petrum tamquam legitimum Epiſcopum recipiant. 166. 2.
Clemens VIII. P. poſſeſſionem caſtri Buſſiliniæ Antonio Ep. Tragurienſi confirmat. 425. 2.
Clemens XI. P. Baſilicam Terſactanam novis cumulat indulgentiis. 159. 2.
Clemens XII. P. Matthæum Delivichium Vicarium apoſtolicum & adminiſtratorem Eccleſiæ Boſnenſis & Dumnenſis conſtituit, datis ad eum litteris. 84. 2. Stephanum II. Epiſcopum Macarſchenſem confirmat. 203. 2.
Colomanus Rex Hungariæ privilegium ampliſſimum Tragurienſibus concedit. 323. 2. jus confirmandi ordinandique Epiſcopos dimittit. *ib.*
Colomanus Rex Ruthenorum & Dux Dalmatiæ hæreticos Boſnenſes extirpandos curat. 49. 1. de quibus epiſtolam accipit a Gregorio IX. P. *ibid.* prædium regale Drid donat Treguano Epiſcopo Tragurienſi. 337. 1.
Columbanus Ep. Tragurienſis ex ordine S. Franciſci. 346. 1. Romæ conſecratur. 346. 2. poteſtatem impetrat ab Alexandro IV. P. Sibenicenſes abſolvendi a cenſuris. *ibid.* & 454. 1. litem, quam habebat de decimis cum Communi Tragurienſium, componit. 347. 1. 351. 352. jubetur per litteras ab Urbano IV. cœnobium Fratrum S. Franciſci ab urbe remotum transferre in ſuburbium. 347. 2. primos templi lapides jacit. 349. 1. Dominicanis ſacelli cujuſdam poſſeſſionem dare jubetur a Clemente P. IV. 349. 2. eccleſiam ſuam ab eodem Clemente ampliſſimo diplomate muniendam curavit. 350. 1. rogat Joannem V. metropolitam, ut clerum Sibenicenſem reformet. 353. 1. 454. 1. impetrat a Clemente IV. confirmationem compoſitionis, quam inter ſeipſum & Sibenicenſes fecerat Archidiaconus Spalatenſis. 353. 2. 454. 2. per Gervaſium Archidiaconum Sibenicenſes anathemate ferit. 354. 1. 455. 1. Paullum Eritium electum Ep. Sibenicenſem & Sibenicenſes ipſe excommunicat. 355. 2. 455. 1. diploma, quod a Clemente IV. impetravit, a Gregorio X. confirmandum curavit. 356. 1. facultatem dimittendæ Eccleſiæ Tragurienſis petit a Pontifice & impetrat. 357. 2. virum de ſe benemeritum remuneratur. 358. 1. obiit. 358. 2.
Concilium provinciale Nonenſe. 215. 2.
Conradus Epiſcopus Senienſis. 126. 1.
Conſtantinus Epiſcopus Scardonenſis intereſt anno 530. Concilio Salonitano. 9. 2. & 10. 1.
Conventus Boſinenſis a Stephano Thomaſco Rege convocatus Cognitum. 68. 1. 258. 1. ejus acta & conſtituta. 68.
Corbavia urbs Japidiæ olim epiſcopalis. 91. 1. caput Comitatus Corbavienſis. 91. 2. quibus paruit? *ibid.* quod exitum habuerit, incertum. 105. 2.
Corbavienſes Epiſcopi a Petro VII. Archiep. Spal. inſtituti. 91. 2. recenſentur. 92. 1. Modruſſam translati. 105. 1. 151.

Corbavienſis Dioeceſis. 92. 1.
Crainenſes Epiſcopi iidem ac Macarſcinenſes. 178. 2. & 188. 2. & 189. 2.
Creſimirus IV. Rex Chrobatiæ & Dalmatiæ auctor creditur Epiſcopatus Belgradenſis. 1. 2. & 214. 2. Cœnobium Benedictinum S. Joannis Evangeliſtæ Belgradi fundat. 2. duo privilegia eidem cœnobio concedit. 2. & 3. & alterum cœnobio Virginum Jadrenſium. 3. 2. nec non cœnobio Belgradenſi S. Thomæ Apoſtoli. 4. 1. auctor Epiſcopatus Tinninienſis. 280. 1. Epiſcopos Tinninienſes aulam regalem ſequi debere decernit, & Cancellarios regni Chrobatienſis elegit. 280. 2. diœceſim & Capitulum Tinninienſem inſtituit. 281. 1.
Cruciferi Nonenſes privilegium impetrant ab Urbano III. P. 216. 1.
Cselinus Banus Boſinæ primum fidei catholicæ, deinde Patarenæ ſectæ defenſor. 44. 2. epiſtolam accipit a Theobaldo Subdiacono Eccleſiæ Romanæ. *ibid.* Romam adire juſſus ſe catholicum eſſe ſimulat. 45. 1. tandem ad catholicam fidem vere converſus. 46.
Cumnenſes Epiſcopi iidem ac Macarenſes. 178. 2. 190. 1.

D

Dabro Epiſcopus Belgradenſis approbat diploma Creſimiri IV. Regis Dalmatiæ Virginibus Jadertinis conceſſo. 3. 2.
Dalmatienſes Epiſcopi iidem ac Dumnenſes. 170. 1.
Dalminium urbs Dalmatiæ, unde genus & nomen Dalmaticum. 168. 1. nunc Dumnum. *ib.*
Damianus Ep. Scardonenſis confirmat conventiones inter Scardonenſes & Paullum Banum. 16. 1. litem habet cum Abbate SS. Coſmæ ac Damiani de decimis. 16. 2.
Daniel Epiſcopus Boſnenſis fautor Patarenorum. 45. 2. an reſipuerit, incertum. 46. 1.
Daniel I. Vocatius Epiſcopus Dumnenſis ex ordine S. Franciſci Romæ conſecratur. 180. 1. procurationem ſuſcipit Eccleſiæ Macarenſis & Scardonenſis. 28. 1. 180. 1. 193. 1. commendatur a Præſide Franciſcano provinciæ Neapolitanæ Ferdinando Regi Hungariæ. *ibid.* accuſatur apud Sedem Apoſtolicam. 180. 2. Almiſſam ſe recipere cogitur, & Vicarius Joannis Dominici Archiepiſcopi Spalatenſis eligitur. *ibid.* Eccleſiam Dumnenſem, Macarenſem, & Scardonenſem dimiſit. 181. 1.
Daniel II. Vladmirovichius Epiſcopus Dumnenſis ex ordine S. Franciſci a Turcis interficitur. 181. 1. quo ſæculo præfuerit Eccleſiæ Dumnenſi, incertum. *ibid.*
Dela Epiſcopus Tinninienſis diplomati Stephani III. Regis Hungariæ Eccleſiæ Spalatenſi conceſſo ſubſcripſit. 285. 2.
Delmenſes Epiſcopi iidem ac Dumnenſes. 172. 2.
Demetrius de Matapharis Epiſcopus Nonenſis multis regiis diplomatibus ſubſcribit. 220. 2.
Demetrius alter *de Matapharis* a catalogo Epiſcoporum Nonenſium expungitur. 221. 1.
Demetrius Cuporius Epiſcopus Tinninienſis ad Eccleſiam Zagrabienſem translatus. 295. 1.
Deſſa Ep. Tragurienſis. 330. 1. vitio conſecratus & ſede epiſcopali dejectus. 330. 2. alio, qui in ejus locum ſe intruſerat, expulſo, Epiſcopatum recipit. 331. 1. Michaelem ſororis filium adjutorem ſibi & poſt mortem ſucceſſorem conſtituit. 331. 2.
Deſſa Archidiaconus Spalatenſis, adminiſtrator Eccleſiæ Tragurienſis. 380. 1.
Diacovenſes Epiſcopi iidem ac Boſnenſes. 75. 1. & 87. 2. & *ſeqq.*
Diacovum urbs Slavoniæ dono data Epiſcopis Boſnenſibus. 54. 2. & 67. 1. & 75. 1. & 79. 1. & 87. 2. urbs epiſcopalis, antequam conjungeretur Epiſcopatui Boſnenſi. 88.
Didacus Loayſa Ep. Modruſſenſis ex Canonico regulari. 113. 1.
Didacus Manola Ep. Tragurienſis ex Archidiacono & Vicario generali Spalatenſi. 447. 2. ædem Tragurienſem S. Petri conſecravit. 448. 1. de hiſtoria Eccleſiæ Tragurienſis optime meritus. 448. 2.
Dionyſius de Yakch Ep. Boſnenſis ex Canonico Varaſdienſi. 65. 2. ad aliam eccleſiam transfertur. 66. 1.
Dionyſius Pieppius Ep. Modruſſenſis ex ordine S. Dominici. 113. 2.
Dionyſius Ep. Tinninienſis ex ordine Dominicano vel Franciſcano. 291. 1. transfertur ad Eccleſiam Zagrabienſem. *ibid.*
Diplomata Pontificum Romanorum. Diploma Alexandri III. Papæ ſecundum Templarios adverſus Epiſcopum Scardonenſem. 11. 1. ejuſdem, quo cœnobium Benedictinum inſulæ Buci in fidem ac clientelam Sedis Apoſtolicæ recipit. 243. 2. Alexandri VI. cœnobio Terſactano S. Franciſci conceſſum. 110. 2. Bonifacii IX. cognitionem cujuſdam controverſiæ Epiſcopo Sibenicenſi committentis. 21. 1. ejuſdem, quo eccleſiam Senienſem S. Spiritus novis cumulat indulgentiis. 124. 1. ejuſdem, quo facultatem facit Sibenicenſibus inſtituendi collegii Virginum ordinis S. Claræ. 464. 1. ejuſdem, quo Bogdanum ex Primicerio inſtituit Epiſcopum Sibenicenſem. 466. 2. Calliſti III. quo omnibus commendat Thomam Epiſcopum Pharienſem, legatum apoſtolicum in Boſina. 261. 2. Clementis VII. quo jus adeundi Epiſcopatum Ottocienſem a Petro Epiſcopo amiſſum, eidem reſtituit. 166. 1. ejuſdem, quo Canonicis Ottocienſibus præcipit, ut eumdem Petrum ut legitimum Epiſcopum recipiant. 166. 2. Clementis VIII. quo poſſeſſionem caſtri Buſſiliniæ Antonio Epiſcopo Tragurienſi confirmat. 425. 2. Clementis XI. quo Baſilicam Virginis Terſactanæ novis cumulat indulgentiis. 159. 2. Eugenii IV. quo F. Fabianum Vicarium Boſinæ & ejus ſucceſſores ex ordine S. Franciſci inſtituit Inquiſitores in Boſina. 70. 2. ejuſdem, quo F. Ludovicum de Pirano eligit Epiſcopum Senienſem. 127. 1. ejuſdem, quo diem feſtum B. Joannis Urſini Epiſcopi Tragurienſis indulgentiis locupletavit. 328. 2. ejuſdem, quo Patribus Franciſcanis poteſtatem facit cœnobii recipiendi, quod Tragurienſes in inſula Bua illis ædificaverant. 402. 1. ejuſdem, quo facultatem concedit Canonicis Tragurienſibus deferendi almutias. 407. 2. Gregorii XIII., quo indulgentiam altari S. Joannis Epiſcopi concedit in æde cathedrali Tragurienſi. 423. 2. ejuſdem, quo beneficia ſimplicia diœceſis Tragurienſis annectit Menſæ capitulari. 424. 1. Innocentii III. ſecundum Monachos Belgradenſes S. Joannis Evangeliſtæ. 8. 2. Innocentii VI. ſecundum eoſdem Monachos. *ibid.* Innocentii VIII. concedentis Georgio Epiſcopo Nonenſi facultatem Jaderæ commorandi ob aeris Nonenſis inclementiam. 224. 1. Joannis XXII. permittentis Patribus Franciſcanis recipe-

cipere Eccleſiam Scardonenſem S. Joannis Baptiſtæ. 17. 1. ejuſdem, quo Bonifacium de Piſis eligit Epiſcopum Corbavienſem. 96. 1. Julii II. quo ædem cathedralem Pharienſem cumulat indulgentiis. 265. 2. Nicolai V. diploma Martini Frangipanii confirmantis, quo B. Virginem Terſactanam bonorum ſuorum hæredem ille inſtituerat. 102. 2. Paulli III. approbantis cœnobium Benedictinum Virginum Pharienſium, quod inſeruit litteris, quas dedit Epiſcopis Caſtelli maris & Vigevani, & Vicario Epiſcopi Pharienſis. 275. 2. Pii II. quo indulgentias ædis B. Mariæ Virginis prope Modruſſam confirmat. 104. 1. ejuſdem, quo Dalmatiæ Epiſcopi jubentur, ut anathema infligant illis omnibus, qui bona Eccleſiæ Corbavienſis uſurpant. 104. 2. ejuſdem, quo facultatem concedit Franciſco Epiſcopo Corbavienſi duo Sacerdotia conjungendi cum Menſa epiſcopali, 105. 1. Sixti IV. mandantis Epiſcopo Scardonenſi, ut quemdam Presbyterum duplici vinculo, canonico & divino, innodatum exſolvat. 24. 1. ejuſdem, quo indulgentias Eccleſiæ Senienſi S. Spiritus a Bonifacio IX. conceſſas confirmat. 130. 1. Urbani III. ſecundum Cruciferos Nonenſes. 216. 1. Urbani VIII. templo Senienſi & Fratribus Dominicanis conceſſum. 139. 2.

Diplomata Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum. Diploma Auguſtini Cardinalis & legati apoſtolici ſecundum Monachos Belgradenſes S. Joannis Evangeliſtæ. 6. 1. Cardinalis de Alteriis nomine ſacræ Congregationis Concilii Tridentini, quo Franciſco II. Epiſcopo Nonenſi facultatem Jaderæ commorandi concedit. 233. 1. F. Gentilis Presbyteri Cardinalis, legati apoſtolici in Hungaria & Dalmatia, quo ædem cathedralem Tragurienſem cumulat indulgentiis. 365. 1. Joannis Cardinalis S. Angeli, Epiſcopi Portuenſis, legati apoſtolici, quo ædem cathedralem Sibenicenſem indulgentiis locupletavit. 470. 2. Petri Cardinalis Patzmani, Archiepiſcopi Strigonienſis, quo præfectos Comitum Zriniorum immunitati Eccleſiæ Senienſis infeſtos deterret. 139. 1. Gennadii Patriarchæ Conſtantinopolitani, quo de reliquiis S. Chriſtophori Sibenicum allatis fidem facit. 469. 1. Guidonis Patriarchæ Gradenſis, quo eccleſiam Patrum Prædicatorum Jadrenſium a ſe conſecratam fuiſſe teſtatur. 120. 2. Andreæ Gualdi Archiepiſcopi Spalatenſis, quo indulgentiam concedit eccleſiæ S. Mariæ de Sparaz in diœceſi Tinninienſi. 294. 1. Bernardi II. Archiepiſcopi Spalatenſis, quo vetat Patribus Franciſcanis de Zauſtrog munera epiſcopalia uſurpare. 191. 2. Camilli Meltii Archiepiſcopi Capuani & legati apoſtolici contra quemdam Fratrem ordinis S. Franciſci, illicitis miniſteriis operam dantem in diœceſi Senienſi. 141. 2. Georgii Archiepiſcopi Strigonienſis, quo viſitationem Modruſſenſem Petri Mariani Epiſcopi Senienſis & Modruſſenſis confirmat. 143. 1. Andreæ I. Epiſcopi Senienſis confirmantis permutationem quorumdam locorum inter Nicolaum Frangipanium, & Paullum Novakovichium. 128. 1. Antonii Epiſcopi Lacedæmonenſis, Vicarii Urbani VI. Papæ, quo Eccleſiam Senienſem S. Spiritus indulgentiis donavit. 123. 1. Auguſtini Valerii Epiſcopi Veronenſis, Viſitatoris apoſtolici in Dalmatia, quo piam Piſcatorum ſodalitatem apud inſulam Buam confirmat & cumulat indulgentiis. 423. 1. Bartholomæi Epiſcopi Scardonenſis ſecundum Monachos SS. Coſmæ & Damiani. 13. 2. Franciſci Epiſcopi Scardonenſis, Sacerdotium S. Joannis collatum Bartholomæo Canonico Tinninienſi confirmantis. 20. 2. Gregorii Epiſcopi Pharienſis, quo uſum inſignium pontificalium concedit Stantio Abbati S. Nicolai Iſſenſis. 250. 2. Guillelmi Epiſcopi Scardonenſis tres aras Jaderæ conſecrantis. 19. 2. Joannis IV. Epiſcopi Senienſis, quo quidquid petebant, concedit Jadrenſibus adverſus Sibenicenſes. 122. 2. Joannis Baptiſtæ Epiſcopi Senienſis & Modruſſenſis, quo cœnobium Dominicanum Senienſe S. Nicolai Eremitis S. Paulli attribuit. 139. 2. Marci Epiſcopi Nonenſis Zupanatum conferentis Radoslavo Lubactio. 219. 2. *Diploma* unum & alterum Michaelis Epiſcopi Scardonenſis ſecundum Virgines Jadertinos S. Demetrii. 11. 2. Nicolai VI. Epiſcopi Scardonenſis, quo eccleſiam S. Stephani donat Patribus tertii ordinis Franciſcani. 26. 1. Nicolai Epiſcopi Modruſſenſis, quo decimas quaſdam Menſæ epiſcopalis duabus aris addixit per Comitem Laſchonem extructis. 108. 1. Nicolai II. Epiſcopi Dumnenſis, quo privilegium concedit cuidam Joanni ob collatum ad ſacrum bellum ſubſidium. 176. 2. Paulli Epiſcopi Tinninienſis, quo partem decimarum epiſcopalium Patribus Dominicanis Jadrenſibus donavit. 292. 1. *Diploma* ſeu decreta Petri Mariani Epiſcopi Senienſis & Modruſſenſis, quæ in luſtratione diœceſis Modruſſenſis edidit. 142. 2. Præſtantii Epiſcopi Belgradenſis, quo donat eccleſiam SS. Coſmæ & Damiani Monachis S. Joannis Evangeliſtæ. 5. 1. Radoslavi Epiſcopi Corbavienſis, quo duas eccleſias in Oſtrovicia quadraginta dierum indulgentia donavit. 96. 2. Secundi Nanii Epiſcopi Argolicenſis & Neapolienſis, exactoris apoſtolici, quo decimas ſe accepiſſe a Thoma II. Epiſcopo Senienſi teſtatur. 124. 2. Saraceni Epiſcopi Corbavienſis & Dobroniæ Pharienſis, quo conſecrationem epiſcopalem collatam eſſe Nicolao Epiſcopo Tinninienſi teſtantur. 288. 1. Capituli Spalatenſis, quo idem teſtantur. *ibid.* Capituli Scardonenſis in conventione inter Scardonenſes & Paullum Banum. 16. 1. Theobaldi Eccleſiæ Romanæ Subdiaconi, legati apoſtolici in Dalmatia, quo Epiſcopatum Pharienſem adjudicat Metropolitæ Spalatenſi adverſus Jadertinum. 243. 1.

Diplomata Imperatorum, Regum, Ducum, & aliorum. Diploma Caroli IV. Imperatoris ſecundum Paravinos. 121. 2. Ferdinandi III. Imperatoris & Regis Hungariæ, quo Marianum Maravich eligit Epiſcopum Boſnenſem, eumque donat civitate Diacovi. 87. 2. ejuſdem, quo Petrum Epiſcopum Senienſem commendat Senienſibus. 140. 2. tria ejuſdem *Diplomata*, quoſdam viros religioſos in diœceſi Senienſi coerceri & puniri jubentis. 141. 1. 142. Leopoldi Imperatoris, quo Joannem VII. ad Epiſcopatum Senienſem nominat. 145. 2. unum & alterum ejuſdem *Diploma*, quibus decimas ſine diminutione ſolvi jubet Hyacintho & Martino II. Epiſcopis Senienſibus. 146. 1. ejuſdem, quo Epiſcopatum Corbavienſem Martino II. Epiſcopo Senienſi adjudicat adverſus Stephanum Doycich. 151. 2. Andreæ II. Regis Hungariæ, quo Colomani Regis Ruthe-

norum & Ducis Dalmatiæ diploma Eccleſiæ Tragurienſi conceſſum confirmat. 337. 2. ejuſdem Ducis Dalmatiæ ſecundum Monachos Belgradenſes S. Joannis Evangeliſtæ. 8. 1. ejuſdem, quo Micham nominat Epiſcopum Pharienſem, & Pharienſem Eccleſiam adjudicat Metropoli Spalatenſi. 245. 2. Belæ IV. Regis Hungariæ, quo urbem Seniam donat Comitibus Frangipaniis. 115. 1. ejuſdem, quo eccleſiam & inſulam Phariam ampliſſimis donat privilegiis. 247. 2. ejuſdem, quo Colomani Regis Ruthenorum & Ducis Dalmatiæ diploma Eccleſiæ Tragurienſi conceſſum confirmat. 340. 2. Colomani Regis Hungariæ, quo privilegium ampliſſimum concedit Tragurienſibus. 323. 2. Colomani Regis Ruthenorum & Ducis Dalmatiæ, quo prædium regale Drid donat Eccleſiæ Tragurienſi. 337. 1. unum & alterum *Diploma* Creſimiri IV. Regis Chrobatiæ & Dalmatiæ cœnobio Belgradenſi S. Joannis Evangeliſtæ conceſſum. 2. & 3. 2. tertium ejuſdem cœnobio Belgradenſi S. Thomæ Apoſtoli conceſſum. 4. 1. Ferdinandi Regis Hungariæ, quo pium legatum Frangipanium Eccleſiæ Senienſi perſolvi jubet. 136. 1. Geyſæ II. Regis Hungariæ, quo privilegium ampliſſimum concedit Tragurienſibus. 330. 1. Hemerici Regis Hungariæ ſecundum Monachos Belgradenſes S. Joannis Evangeliſtæ. 7. 2. Ludovici I. Regis Hungariæ, quo privilegia Colomani & Belæ IV. Eccleſiæ Tragurienſi conceſſa confirmat. 385. 1. Ludovici II. Regis Hungariæ, quo privilegium Uladislavi patris Eccleſiæ Senienſi conceſſum de legato Frangipanio confirmat. 134. 2. Mariæ Reginæ Hungariæ, quo privilegium ſigilli concedit Capitulo Tragurienſi. 393. 2. Matthiæ Regis Hungariæ, electionem Jacobi I. Epiſcopi Nonenſis confirmantis. 223. 2. Sigiſmundi Regis Hungariæ, quo Paulli Comitis Corbaviæ donationem Eccleſiæ Buſanenſi S. Mariæ Magdalenæ factam confirmat. 100. 2. ejuſdem, quo Tragurienſibus poteſtatem facit eligendi cœnobiarchæ S. Joannis Baptiſtæ. 396. 2. ejuſdem, quo colonos Epiſcopi Sibenicenſis ſubjicit curiæ epiſcopali. 464. 2. Stephani III. Regis Hungariæ ſecundum Monachos Belgradenſes S. Joannis Evangeliſtæ. 7. 2. Stephani Thomaſci Regis Boſinæ Nicolaum Teſtam omnibus commendantis. 72. 2. ejuſdem Dynaſtas Boſnenſes congregari jubentis ad bellum Turcis inferendum. *ibid.* Uladislavi Regis Hungariæ & Bohemiæ, quo penſionem annuam Eccleſiæ Senienſi ſolvendam eſſe confirmavit. 131. 2. ejuſdem, quo controverſiæ inter Epiſcopos Senienſem & Ottocienſem compoſitionem confirmat. 133. 1. ejuſdem, quo Nobiles de Gatzka ſolvere decimas jubet Eccleſiæ Senienſi. 134. 1. Regis Turcarum, quo jubentur præfecti Lichæ & Tinninii facultatem concedere Epiſcopis Nonenſibus ditionis Turcicæ inviſendæ. 234. 1. Franciſci Fuſcari Ducis Venetiarum ſecundum FF. Franciſcanos de Obſervantia Tragurienſes. 402. 2. Ordelaphi Phaletri Ducis Venetiarum ſecundum Monachos Belgradenſes S. Joannis Evangeliſtæ. 6. 2. Anzii Frangipanii Comitis Seniæ, quo cœnobium Brynienſe S. Mariæ Auguſtinianis ademptum jubet reſtitui. 132. 1. Franciſci de Carraria Dynaſtæ Patavini ſecundum Leonardum Epiſcopum Senienſem & ejus fratrem. 124. 2. Joannis Frangipanii Comitis Seniæ, quo cœnobium eremitarum S. Auguſtini in Pringis novis auget donationibus. 109. 1. & 129. ejuſdem, quo bona Eccleſiæ Senienſi adempta reſtitui jubet. 132. 1. Martini Frangipanii Comitis Seniæ B. Virginem Terſactanam bonorum ſuorum hæredem inſtituentis. 101. 2. & 126. 1. ejuſdem, quo donationem Nicolai parentis factam Monachis S. Paulli confirmat. 103. 1. Nicolai II. Frangipanii Comitis Seniæ, quo apud Vinodolium cœnobium extruit monachis S. Paulli, & vectigalibus dotat. 99. 2. ejuſdem, quo aureos ſexagenos annuos legat Capitulo Senienſi. 125. 1. Nicolai Bani Slavoniæ & Chrobatiæ, quo jus exigendi decimas Blaſio Epiſcopo Tinninienſi confirmat. 291. 2. Nicolai de Priolis Prætoris Tragurii, quo cœnobium Buenſe tradit Patribus Franciſcanis. 421. 1. Paulli Comitis Corbaviæ, quo quintam partem villæ Cherniachianæ donat hoſpitali S. Mariæ Magdalenæ in diœceſi Corbavienſi & territorio Buſanæ. 99. 1. Zachariæ Aurio Prætoris Tragurii, quo cœnobium Franciſcanum e ſuburbio Tragurienſi transfert in inſulam Buam. 414. 1. Conſilii Pharienſis, quo portio quædam terrarum Stantio Abbati S. Nicolai Iſſenſis attribuitur. 251. 1. Belgradenſium, quo ad ſolvendas decimas monachis S. Joannis Evangeliſtæ ſe obſtringunt. 5. aliquot Tragurienſium, quo cœnobium Virginum ordinis S. Benedicti inſtituunt Tragurii. 323. 1. Monachorum S. Nicolai Iſſenſis, quo poteſtatem nominandi Abbatis deferunt Lucæ Epiſcopo Pharienſi. 252. 1. Archiconfraternitatis Romanæ Doctrinæ Chriſtianæ, quo Congregationem Doctrinæ Chriſtianæ Pharienſem ſibi aggregat. 274. 2. duorum civium Glemonenſium, quo duo Sacerdotia jure patronatus conferunt Nicolao Epiſcopo Dumnenſi in templo primario Glemonæ. 178. 1. Branæ Tragurienſis, quo cœnobium Benedictinum S. Petri in diœceſi Tragurienſi reditibus auget. 323. 1.

Diploma conſecrationis Matthæi Delivichii in Epiſcopum Bolinenſem a Vincentio Zmajevichio Archiepiſcopo Jadrenſi peractæ. 85. & Paulli Dragechivichii in Epiſcopum Diumenſem. 86.

Diploma, quo Stantius Abbas S. Nicolai Jadrenſis convenit cum Dragoſio de illo recipiendo inter fratres laicos. 250. 2. *Diploma*, quo controverſia de decimis componitur inter Michaelem Epiſcopum Senienſem & viros nobiles de Gatzka. 131. 1. *Diploma*, ſeu teſtificationes quorumdam, quibus Nobiles de Gatzka ad ſolvendas Eccleſiæ Senienſi decimas adiguntur. 132. 2. *Diploma*, ſeu locatio decimarum epiſcopalium facta per Natalem II. Epiſcopum Nonenſem Antonio Ottocichio. 222. 1. *Diploma*, ſeu tabulæ compoſitionis inter Stephanum II. Epiſcopum Pharienſem & Commune Tragurienſe. 253. 2.

Dobronia Epiſcopus Pharienſis a Rogerio Metropolita Spalatenſi conſecratur. 248. 1. teſtis ſententiæ, quam Joannes V. Archiepiſcopus Spalatenſis tulit adverſus quoſdam clericos Sibenicenſes. *ibid.* Nicolai Epiſcopi Tinninienſis conſecrationi interfuit, eamque peractam eſſe teſtatur. 288. 1. legatus a ſuis Venetias miſſus de inſula Pharia & Bractia Venetis tradenda. 248. 2.

Dobroslavus Omuchevichius Ep. Boſnenſis ritus Græci. 62. 2.

Dodinus, ſive *Domnius* Epiſcopus Pharienſis ex Ar-

Archipresbytero oppidi Neresini in insula Brattia. 254. 2.
PP. Dominicani egregiam hæreticis convertendis in Bosina operam navant. 48. 1. & 51. 2. frustra conantur inquisitionem Bosnensem Franciscanis eripere. 58. Tragurium recepti, invito frustra Episcopo. 349. 2. & in insula Bua. 404. 2. & in Sibenici suburbium. 462.
Dominicani Ragusini in conversionem Bosnensium incumbunt. 72. 1.
Dominicus Paschalicus Episc. Scardonensis e Canonico Patavino. 36. 1.
Dominicus Ep. Bosnensis, facile ex ordine S. Francisci. 64. 1.
Dominicus Condulmerius Ep. Phariensis ad sedem Bellunensem translatus. 279. 1.
Dominicus Luccarus Archidiaconus Spalatensis frustra electus Episcopus Tinninensis. 291. 1.
Dominicus de Comitibus, Vicarius Fratrum Prædicatorum in Dalmatia, potestatem facit per litteras Sibenicensibus recipiendi PP. Dominicanos. 462.
Dominicus Napulus cultum S. Ignatii Lojolæ Tragurium invehit. 434. 2. ejus sepulcrum & epitaphium ante aram S. Ignatio ab eodem extructam. 435. 2. sua bona testamento legat ad festum ejusdem Sancti diem perpetuo celebrandum. 441. 2.
Domus Nazarena Terfactum in diœcesi Corbaviensi transfertur, & quadriennio post Terfacto in Picenum. 94. 2. utriusque translationi veritas. 95. 1. ejus Basilica Terfactana amplificatur. 145. 1. & honoribus atque indulgentiis cumulatur. 159.
Donatus a Turre Ep. Bosnensis sive Diacovensis, procurator Ecclesiæ Veglensis. 76. 2.
Donatus Ep. Senensis. 131. 1.
Dragolinus præfectus Ecclesiæ Tragurienſi S. Laurentii, ædem ac turrim restaurandam locat Matthæo Goyvochio architecto. 397. 2.
Duimus Ep. Phariensis Corcyram melænam & Melitam ab diœcesi Pharienſi avulsas amisit. 249. 1.
Dumnenses Episcopum proprium flagitant. 182. 1.
Dumnenses Episcopi. 168. recensentur. 170. 1. olim Dalmatienses dicti. *ibid.* & Delmenses. 172. 2. per annos septingentos prorsus ignoti. *ibid.*
Dumnensis Episcopatus initia obscura. 169. 2. a Petro IX. Arch. Spal. restituitur. 172. 2. aliis ex aliis commendatur. 181. 2. & *seq.* nunc Vicariis Apostolicis. 183. 1.
Dumnensis Diœcesis circumscribitur. 169. 2.
Dumnum, olim Dalminium, multipliciter appellatum. 168. 1. describitur. 168. 2. intra fines Bosinæ hodiernæ situm. *ibid.* a Turcis captum, quibus etiam nunc subest. 176. 1.

E

Effigies Christi in cruce suffixi copioso sanguine manat Phariæ. 267. 1. 270. 1. 275. 2. eidem altare extructum a Hieronymo Vitali. 277. 2.
Effigies altera *Christi* itidem copioso sanguine manat Sibenici in templo suburbano S. Mariæ. 472. 2.
Effigies B. Mariæ Virginis lacrymas ex oculis effundit Sibenici. 496. 1. ex urbis mœnibus in ædem cathedralem illata. 496. 2. iterum lacrymatur. *ibid.*
Emericus. Vide *Hemericum*.
Episcopi duo Tragurienses anonymi. 306. 2. 311. 2. 329. 1.
Episcopi quatuor Bosnenses Patarenæ sectæ, *Diel*, *Gost*, *Staraz*, *Strinich*, ad Concilium Basileense non admissi. 66. 1.
Eugenius IV. P. de re catholica Bosnensi sollicitus. 66. 1. e Franciscanis eximios Evangelii præcones in Bosinam mittit, eosque multis donat privilegiis. 67. Bosinam in duas diœceses partiri frustra nititur. 68. 1. commendat Hungaris Stephanum Regem Bosinæ, datis ad eos litteris. 70. 1. F. Fabianum Franciscanum Vicarium Bosinæ ejusque successores Inquisitores instituit in Bosina. 70. 2. Joannem de Dominis Ep. Anconitanum per litteras legatum mittit ad Hungaros. 127. 2. Ludovicum de Pirano eligit Episcopum Senensem. 127. 2. legatum mittit in Bosinam Thomam Episcopum Pharienſem. 67. 2. & 256. 1. potestatem facit per litteras eidem Thomæ cujusdam Abbatiæ & Sacerdotii transferendi ad clericos Ecclesiæ Pharienſi servientes alendos. 255. 2. multa eidem privilegia concedit, datis ad eum tribus litteris. 256. 2. jubet Stephanum Regem Bosinæ, si vere & ex animo catholicus esse reperiatur, admitti ad divina mysteria, litteris ad eumdem Thomam legatum apostolicum scriptis. 257. 1. jubet Petrum Voislaulichium dominum castri Vysucchii absolvi ab omni censura ecclesiastica, datis ad eumdem litteris. 258. 2. diem festum B. Joannis Ursini Ep. Tragurienſis indulgentiis locupletavit. 328. 2. 407. 1. potestatem facit FF. Franciscanis recipiendi cœnobii, quod Tragurienses in insula Bua extruxerant. 402. 1. jubet Thomæ Ep. Tragur. præsidere Concilio Basileensi, 403. 1. Ludovicum Scarampium præficit Episcopum Ecclesiæ Tragurienſi, datis litteris ad Capitulum. 405. 2. certiores facit Tragurienses, se Romæ detinuisse Angelum Episcopum Tragurienſem, quod pontificius esset quæstor. 407. 2. facultatem deferendi almutias Canonicis Tragurienſibus concedit. *ib.*

F

Fabianus ex ordine S. Francisci Inquisitor fidei catholicæ in Bosina. 58. commendatur a Benedicto XII. P. Dynastis Dalmatiæ. 59. 1.
Fantinus de Valle Tragurienſis, Auditor Rotæ Romanæ, Romæ sepultus cum epitaphio. 305. 1. bibliothecam suam legavit PP. Dominicanis Tragurienſibus. 410. 2.
Faustus Verantius Ep. Chanadienſis laudatur. 484. 2. ejus obitus & epitaphium. *ibid.*
Federicus Cornelius Ep. Tragurienſis. 415. 1. ecclesiam suam regendam tradidit Thomæ Sperandeo. *ibid.* possessionem adit Castri Busilinіæ. *ibid.* ad Bergomensem, deinde ad Patavinam Ecclesiam transfertur, & Cardinalis creatur. *ibid.* ejus epitaphium. *ibid.*
Felix Ep. Scardonensis duabus causis examinandis, quas illi dederat cognoscendas Sedes Apostolica, interesse non potest. 23. 1.
Ferdinandus III. Imp. & Rex Hungariæ Marianum Maravich Episcopum eligit Bosnensem per diploma, eumque donat civitate Diacovi. 87. 2. Petrum Ep. Senensem commendat Senensibus per litteras. 140. 2. quosdam viros religiosos in diœcesi Senensi coerceri ac puniri jubet. 141. 1. duas epistolas mittit ad

Nicolaum Zrinium, ut eoſdem in ordinem redigat. 142.
Ferdinandus Rex Hungariæ Seniam Frangipaniis ſponte tradentibus recepit. 135. 2. pium legatum Frangipanium Eccleſiæ Senienſi perſolvi jubet. 136. 1.
Fidemanus ex ordine S. Franciſci e catalogo Epiſcoporum Tragurienſium expungendus. 397. 1.
Flaſco Ep. Tinninienſis intereſt Concilio nationali Spalatenſi. 285. 2. invitatur ad Concilium Lateranenſem III. *ibid.* diplomati Raynerii Archiep. Spalatenſis & ſententiæ Michaelis Ep. Scardonenſis ſubſcripſit. *ibid.* nec non Concilio provinciali Spalatenſi, ubi ejus diœceſis deſcribitur. 286. 1.
Forminus Ep. Nonenſis intereſt Concilio provinciali Spalatenſi. 215. 1. & altero Nonenſi. 215. 2. diplomati Svinimiri regis ſubſcribit. *ibid.*
PP. Franciſcani de Obſervantia cœnobium Malupſenſe recipiunt in diœceſi Corbavienſi ex poteſtate ſibi facta a Gregorio XI. 97. 2. & Terſactanum, Nicolao V. & Alexandro VI. concedentibus. 102. 2. & 110. 2. a Frangipaniis Seniam evocati. 120. 2. de cœnobio S. Mariæ de Zauſtrog in diœceſi Macarſchenſi litem intendunt Patribus Auguſtinianis, & arbitros poſtulant ab Alexandro VI. P. 190. 2. cœnobium retinent. 191. 1. iidem jubentur a Bernardo Archiepiſcopo Spalatenſi ſe abſtinere a muneribus epiſcopalibus, niſi privilegium apoſtolicum habeant. 191. 2. cœnobium ac templum obtinent Macarſchæ. 192. 1. quod a Venetis dirutum, ſed aliquot poſt annis reædificatum recuperant. 192. 2. domicilium impetrant Nonæ. 221. 1. cœnobium obtinent in ſuburbio Pharienſi. 263. 2. translati in urbem e ſuburbio Sibenicenſi. 461. 1. e Boſina Sibenicum recepti. 498. 1. eorum Præſes in provincia Neapolitana Danielem I. Epiſcopum Dumnenſem commendat per litteras Ferdinando Regi Hungariæ. 180. 1.
PP. Franciſcani Inquiſitores fidei in Boſina conſtituti. 55. 1. Inquiſitionem retinent ex ſententia Joannis XXII. P. contra Dominicanos. 58. Vicarium Boſnenſem inſtituunt. 59. 1. præclare ſe gerunt pro fide catholica in Boſina. 59. & 60. & in diœceſi Dumnenſi. 174. 1. facultatem obtinent parochos agendi & ſibi quædam loca conſtruendi, tribus epiſtolis acceptis a Gregorio XI. P. 63. de re catholica Boſnenſi benemeriti. 64. 2. ad religioſam diſciplinam a B. Jacobo Piceno revocati. 66. privilegiis donati ab Eugenio IV. P. 67. 1. corpus S. Lucæ Jaycza Venetias deferunt. 74. 2. a Turcis honore habiti. 75. 2.
PP. Franciſcani Boſnenſes Chriſtianorum Boſnenſium curam nunc retinent pæne ſoli. 41. 2. 74. 2. & 86. 2. in duas provincias Boſnæ Chrobaticę, & Boſnę Argentinę diviſi. 41. 2. eorum provincia Boſnæ Argentinæ deſcribitur. 86. 2.
PP. Franciſcani Tragurienſes. Cœnobium obtinent in diœceſi Tragurienſi. 338. 2. translati in ſuburbium. 347. 2. & ex ſuburbio in urbem. 371. 1. ex monaſterio urbano S. Joannis Baptiſtæ in aliud S. Petri, Joanne XXII. permittente. 372. 1. ex S. Petri in palatium quoddam translati, illud quoque deſerendum cenſent. 373. 1. redeunt e ſuburbio in cœnobium S. Petri. 398. 2. in inſulam Buam translati. 399. 1. & 402. 1. impetrant diploma a Duce Venetorum contra alios FF. Franciſcanos. 402. 2. in cœnobium Buenſe, quod deſeruerant, reſtituti. 427. 1.
Franciſcani Conventuales e ſuburbio Tragurienſi in inſulam Buam translati. 414. 420. 2. & 421.
Franciſcus Svinirovichius Archiepiſcopus Achridenſis, Viſitator apoſtolicus in Boſina. 82. 1.
Franciſcus Ep. Scardonenſis Sacerdotium S. Joannis collatum Bartholomæo Canonico Tinninienſi confirmat. 20. appellat a ſententia legati ad Pontificem in controverſia cum Archiep. Jadertino. 21.
Franciſcus I. Ballichevichius Ep. Boſnenſis ſive Diacovenſis ex ordine S. Franciſci, e Turcarum manibus vix elapſus. 78. 1. tres Epiſcopos Boſnenſes, alium poſt alium, ſe vivo, confirmatos vidit a Sede Apoſtolica. 78.
Franciſcus II. Erghelius Ep. Boſn. ſive Diacovenſis, vivente adhuc Franciſco I. Ep. Boſnenſi. 79. 1. transfertur ad Eccleſiam Veſprimienſem. *ibid.*
Franciſcus III. Thauſius Ep. Boſn. ſive Diacovenſis. 84. 1. translatus ad Epiſcopatum Zagrabienſem. 84. 1. & 89. 2.
Franciſcus Ep. Corbavienſis orat Pium II. P. ut indulgentias ædis B. M. V. prope Modruſſam confirmet. 104. 1. pro recuperandis bonis eccleſiaſticis ejuſdem Pii II. opem implorat. 104. 2. poteſtatem ab eodem obtinet duo Sacerdotia conjungendi cum menſa epiſcopali. 105. 1. Epiſcopus poſtremus Corbaviæ. 105. 2.
Franciſcus I. Ep. Senienſis ex ordine S. Franciſci. 134. 2. ob contentiones de jure eccleſiaſtico juſtitium univerſale indixit, quod Clemens VII. P. revocari jubet. 134. 2.
Franciſcus II. Joſephichius ſive *Ranzanus* Ep. Senienſis controverſiam componit inter Ep. Zagrabienſem & Joannem de Zrinio. 135. 2. ad Eccleſiam Tergeſtinam transfertur. 136. 1.
Franciſcus Ciculinus Ep. Senienſis & Modruſſenſis electus transfertur ad Archiepiſcopatum Scopienſem. 145. 2.
Franciſcus I. Ep. Macarſchenſis, ſive Crainenſis, ex ordine S. Franciſci. 189. 2.
Franciſcus II. Orellus Ep. Macarſchenſis ac Tribunienſis ex ordine S. Franciſci. 192. 1.
Franciſcus I. Andronicus Ep. Nonenſis ex Canonico Tragurienſi. 230. 1. Sanctorum Nonenſium corpora ab æde metropolitana Jadrenſi ad Marianam Virginum Nonenſium ſollemniter tranſtulit. 230. 2. ejus elogium, & inſcriptio ſepulcralis. 231.
Franciſcus II. de Graſſis Ep. Nonenſis. 231. 2. ædem cathedralem refecit & conſecravit. 232. 1. duas eccleſias a Turcis dirutas reſtituit. 232. 2. ut ſibi facultas Jaderæ commorandi a Sacra Congregatione Cardinalium confirmaretur, petiit & impetravit. *ibid.* privilegia & monumenta ſuæ eccleſiæ in unum volumen collegit. 233. 1. Notitiam proventuum, & indicem rerum Eccleſiæ Nonenſis confecit. *ibid.* ejus virtutes. 233. 2. ditionis Turcicæ inviſendæ facultatem nequicquam a Rege Turcarum impetrat. 234. 1.
Franciſcus Patricius Ep. Pharienſis ex ordine S. Franciſci. 267. 1.
Franciſcus I. Speravichius Epiſc. Tinninienſis ex ordine S. Franciſci. 295. 2.
Franciſcus II. Epiſc. Tinninien. ex eodem ordine. 298. 1.
Franciſcus III. Rumel Ep. Tinnin. transfertur ad Ec-

Ecclesiam Viennensem. 301. 2.
Franciscus I. Marcellus Episcopus Tragurien sis. 411. 2. castrum Buffiliniæ extruxit. 412. 1. decernit cum Capitulo, nequis in æde cathedrali sibi fieri sepulcra possit. 412. 2. litteras a Duce Venetorum impetrat pro immunitate ecclesiastica. *ibid.*
Franciscus II. Coccalinus Episcopus Tragurien sis ex Congregatione B. Petri de Pisis. 429. 2. castrum episcopale Buffiliniæ a Turcis captum amisit. 430. 1. ejus epitaphium & elogium. *ib.*
Franciscus Quirinus Ep. Sibenicensis. 473. 2. primum Hectorem de Franciscis, deinde Stephanum Ep. Sanctuariensem suos vicarios Romæ degens constituit. *ibid.* Episcopatum Sibenicensem deposuit, & Dyrrhachiensem obtinuit. 474. 2. ejus obitus & epitaphium. *ibid.*
Franciscus Mazzarellus Vicarius Thomæ III. Episcopi Tragurien sis Canonicatum a Capitulo Simeoni Florio collatum confirmat. 419. 2.
Franciscus de Lara ex ordine eremitarum S. Augustini in Bosinam missus & Episcopo Bosnensi commendatus a Nicolao V. Papa. 71. 2.
Franciscus Fuscarus Dux Venetiarum jubet magistratibus Dalmatiæ omni molestia & injuria prohiberi Fratres Franciscanos de Observantia Tragurienses. 402. 2. cœnobium in insula Bua condendi potestatem facit Fratribus Dominicanis. 404. 2.
Franciscus de Carraria Dynasta Patavinus privilegium Leonardo Episcopo Senien si & ejus fratri concedit. 124. 2.
Frangipanii in diœcesi Corbavien si dominantur. 94. 2. Comites Modrussæ. 107. 2. urbe Senia a Bela IV. Rege Hungariæ donati. 115. 1. & 120. 2. a Matthia Corvino Rege Hungariæ spoliantur Senia. 130. 2. sed illam ab Uladislavo Rege Hungariæ recipiunt. 132. 1. denique eam tradunt Ferdinando. 135. 2.

G

Gabriel Polver Episc. Bosnensis sive Diacoven sis transfertur ad Ecclesiam Sirmien sem. 76. 1.
Gabriel Episc. Pharien sis ex ordine S. Francisci aut S. Dominici. 249. 2. controversiam, quæ de jure & bonis ecclesiasticis illi fuit cum Venetis, Venetiis curat componendam. *ibid.*
Galvanus Ep. Scardonen sis ordinis Prædicatorum. 15. 2. anathemate perculsus. *ibid.*
Geminianus de S. Geminiano Episc. Corbavien sis. 99. 1.
Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus fidem facit de reliquiis S. Christophori Constantinopoli Sibenicum illatis. 469. 1.
Gentilis Presbyter Cardinalis, legatus apostolicus in Dalmatia & Hungaria, arbiter deligitur ad controversiam dirimendam, quæ de prædio Drid Episcopo Tragurien si erat cum Capitulo. 363. 1. causam hanc cognoscendam dedit Philippo auditori suo. 363. 2. sententiam tulit secundum Capitulum. 364. 2. alteram controversiam inter Metropolitam Spalatensem & Tragurienses diremit. 365. 1. ædem cathedralem Tragurien sem indulgentiis locupletavit. *ibid.* rectæ administrationis bonorum ejusdem ædis providit. 365. 2. decretum de horum bonorum administratione explicat & confirmat. 367. 1. controversiam inter Liberium Episc. Trag. & Tragurienses dirimendam delegat Philippo de Sardinia auditori suo. 369. 1. admoneri jubet Tragurienses, ut sua privilegia restituant Episcopo & Capitulo Trag. 370. 1.
Georgius Lippai Archiep. Strigonien sis visitationem Modrussensem Petri Mariani Ep. Senien sis & Modruss. confirmat. 143. 1.
Georgius Episcopus Scardonen sis. Vide *Georgium I. Episcopum Dumnensem*.
Georgius I. Ep. Bosnensis tantum notus ex privilegio, quod concessit Spalatensibus Maria Regina Hungariæ. 64. 1.
Georgius II. Palisnæus Ep. Bosnensis sive Diacoven sis occumbit in prælio contra Turcas. 76. 2.
Georgius III. Patacichius Ep. Bosnensis sive Diacoven sis e Canonico Zagrabien si. 83. 2. & 89. 1.
Georgius I. Ep. Senien sis ex Archipresbytero S. Mariæ de Valmone. 125. 1.
Georgius II. Sivkovichius Ep. Senien sis ex ordine S. Francisci. 136. 1. Administrator Ecclesiæ Modrussensis. 136. 2. interest Concilio Tridentino. *ibid.*
Georgius III. Ritgert Ep. Senien sis ex Episcopo Retinensi. 136. 2.
Georgius I. Ep. Dumnensis ex ordine S. Franciscì transfertur ad Ecclesiam Pharien sem. 174. 1. 254. 1. deposita Pharien si, ad Scardonen sem migravit. 22. 1. & 254. 1. Pharien sem repetit. 254. 2. de variis criminibus accusatus se apud Martinum V. Pontificem purgavit. 255. 1.
Georgius II. Ep. Dumnensis. 174. 2.
Georgius Diphnicus Ep. Nonensis facultatem impetrat ab Innocentio VIII. Jaderæ commorandi ob inclementiam aeris. 223. 2. 224. 1. jussus per litteras ab Alexandro V. P. quosdam viros Nonenses injuriosos Patribus Franciscanis Jadertinis cohibere. 224. 1. sacras Virgines, bello Turcico imminente, Jaderam transfert. 224. 2. lites habuit de decimis cum Nonen sibus & Jadertinis. *ibid.* se purgat apud Patres Lateranenses, quod non interesset Concilio, per Episcopum Tarvisinum. *ibid.* Jacobum fratris filium sibi adjutorem impetrat ab Adriano VI. cum jure succedendi. 225. 1. ejus epitaphium. *ibid.*
Georgius II. Georgiceus Ep. Nonensis. 230. 1. ad Veglensem Ecclesiam translatus. *ibid.*
Georgius III. Parcich Ep. Nonensis ex Archipresbytero Sibenicensi. 235.
Georgius Episcopus Pharien sis. Vide *Georgium I. Ep. Dumnensem*.
Georgius I. Ep. Tinninien sis jussus a Cœlestino III. dirimere controversiam, quæ cum Canonicis Spalatensibus erat Petro VIII. Archiepiscopo. 286. 1. interest comitiis archiepiscopalibus Spalatensibus. 286. 2. diplomati Andreæ Regis Dalmatiæ subscripsit. *ibid.* delegatus ab Innocentio III. ut inquireret, an Nicolaus a Pharien si ad Jadertinam Ecclesiam rite transierit. *ibid.*
Georgius II. Matthisius Ep. Tinnin. 300. 1.
Georgius III. Bealovichius Ep. Tinnin. ex ordine S. Franciscì. *ibid.*
Georgius IV. Gyllany Ep. Tinnin. e Canonico Strigonien si. 301. 2.
Georgius Sisgoreus Ep. Sibenicensis ex ordine S. Dominici. 468. 1. novæ ædis cathedralis fundamenta jecit. *ibid.* duodecim Mansionarios instituendos curat. 468. 2.
Georgius Sisgoreus Vicarius Lucæ Ep. Sibenicen sis testatur effigiem Jesu Christi in templo suburbano S. Mariæ Sibenici sudore sanguineo manasse. 472. 2.

Georgius Wolphangus Chiolich Ep. Senienſis & Modruſſenſis ex Canonico Senienſi. 162. conſecrat cathedralem Senienſem. 162. 2.
Georgius Xaverius Marottus Epiſcopus Dardaniæ, poſtea Petinenſis, aureum diadema Virgini Terſactanæ & puero Jeſu imponit. 159. 2. Nicolaum V. Ep. Senienſem & Modruſſenſem conſecrat. 160. 1.
Gerardus Miniſter generalis ordinis S. Franciſci de re catholica Boſnenſi optime meritus. 59.
Gervaſius Archidiaconus Tragurienſis Sibenicenſes anathemate perculit. 288. 2. 354. 1. 455. 1. quod litteris Saraceni Ep. Corbavienſis teſtatum eſſe voluit. 354. 2. 455. 1.
Geyſa II. Rex Hungariæ ampliſſimum privilegium concedit Tragurienſibus. 330. 1.
Glemonenſes de adventu Nicolai Ep. Dumnenſis, collectoris pecuniæ ad bellum ſacrum, admoniti & Utinum venire juſſi. 177. 1. reſpondent duobus ejuſdem poſtulatis. *ibid.* decernunt, quibus honoribus illum excipi oporteat. 177. 2. Eccleſiæ Glemonenſis adminiſtrationem illi tradunt. *ibid.* duo itidem Sacerdotia eidem conferunt. 178. 1.
S. Gregorius P. ſcribit ad Malchum Ep. Dalmatienſem, ut controverſiam quamdam curet dirimendam. 170. 2. adminiſtrationem patrimonii Dalmatici S. Petri Malcho Ep. Dalmatienſi adimit, atque ad reddendam rationem Romam accerſit. *ibid.* prohibet eidem, ne ſe rebus immiſceat Eccleſiæ Salonitanæ. 171. 1.
Gregorius IX. P. litteras dat Zibislavo Bano Boſnenſi. 48. 2. & Colomano Regi Slavoniæ. 49. 1. ad Epiſcopum Cumanorum, ut B. Joannem Teutonicum Eccleſiæ Boſnenſi præficiat. 50. 1. ad eumdem B. Joannem, ad Dominicanos Quinqueccleſienſes, & ad Hungaros, ut hæreticos Boſnenſes perſequantur. 51. 2. ad FF. Franciſcanos, ut cœnobium Malupſenſe in diœceſi Corbavienſi recipiant. 97. 2.
Gregorius X. P. Eccleſiam Tragurienſem in ſuam fidem & clientelam recipit. 356. 1.
Gregorius XI. P. concedit quidquid poſtulant Patribus Franciſcanis Boſnenſibus, datis ad eos tribus litteris. 63.
Gregorius XIII. P. indulgentiam concedit altari S. Joannis Ep. in æde cathedrali Tragurienſi. 423. 2. beneficia ſimplicia diœceſis Tragurienſis annectit Menſæ capitulari. 424. 1.
Gregorius Card. Creſcentius Micham Ep. Pharienſem per litteras commendat Spalatenſibus. 246. 2. quo anno legatione Hungarica fungeretur, exponitur. 332. 2. cultum B. Joanni Urſino Ep. Tragurienſi exhibitum approbavit. 322. 1. 333. 1.
Gregorius Civallelus Ep. Scardonenſis ex Primicerio Jadrenſi. 29. 2. conſecratur a Patriarcha Venetiarum. 30. 1. obiit Sibenici. 31. 2.
Gregorius I. Ep. Nonenſis jus & nomen metropoliticum affectat. 212. 2. uſum linguæ Slavonicæ in ſacram liturgiam perperam invectum pertinaciter tuetur. *ibid.* 213. 2. a Concilio nationali ſuo Metropolitæ ſubeſſe jubetur, ubi ejus quoque diœceſis certis finibus circumſcribitur. 213. 1. duobus Concilii decretis, uibus ſua juriſdictio coercebatur, repugnat atque ad Sedem apoſtolicam appellat. 213. 2. a Madalberto leg. apoſt. & a Concilio provinciali Spalatenſi ſe continere jubetur intra fines ſuæ diœceſis a priori Concilio circumſcriptæ. 214. 1. quod Leo VI. P. confirmat, datis ad eum & reliquos Dalmatiæ Epiſcopos litteris, & conceſſa Scardonenſis Eccleſiæ adminiſtratione. *ibid.*
Gregorius II. Ep. Non. ſuam fidem atque obedientiam ſacramento ſollemni Metropolitæ Spalatenſi obſtringit. 215. 2.
Gregorius de Madiis Ep. Pharienſis ex Canonico Spalatenſi. 250. 1. per litteras jubetur a Joanne XXII. inquirere cum præpoſito eccleſiæ S. Petri Jadrenſis, an ita eſſet de cœnobio Franciſcano Tragurienſi, ut Pontifici expoſitum fuerat. *ibid.* & 372. 1. juſſus ab eodem poſſeſſionem cœnobii S. Petri Fratribus Franciſcanis Tragurienſibus confirmare. 372. 1. intereſt conventioni inter Dragolium quemdam, & Abbatem S. Nicolai Iſſenſis, 250. 2. uſum inſignium pontificalium conceſſit Stantio Abbati S. Nicolai Iſſenſis. *ibid.*
Gregorius Epiſcopus Tinninienſis intereſt Concilio provinciali Spalatenſi, & Svinimiri Regis Chrobatorum inaugurationi. 283. 2. tribus ejuſdem diplomatis ſubſcripſit. *ibid.*
Gregorius Epiſcopus Tragurienſis ex ordine S. Franciſci. 359. 1. acta ejus electionis. 359. 2. controverſiam de decimis, quæ ſibi erat cum Communi Tragurienſium, componit. 360. 1. decretum edidit de clericis admittendis. 360. 2. defenſus a Joanne Metropolita Spalatenſi adverſus Sibenicenſes. 361. 1. Romam ire decernit, ut contra Sibenicenſes auxilium Sedis Apoſtolicæ imploret, ſed conſilium deponere cogitur. 361. 1. 455. 2. Romam citatur ſuam cauſam adverſus Sibenicenſes dicturus. 457. 2.
Grubcius Ep. Nonenſis ex Archipresbytero Eccleſiæ Spalatenſis. 217. 2. conſecratur a Bernardo Archiepiſcopo Spalatenſi, Nicolai electione reſciſſa. 218. 1. Diaconum ordinat Guncellum electum Archiep. Spalatenſem. *ibid.*
Guerrinus Epiſc. Dumnenſis ex ord. S. Franciſci, ſive Ep. Pulichienſis ex valle Politiana, in qua ſedem precariam ſibi ad tempus conceſſam habebat. 173. 2.
Guido Patriarcha Gradenſis diploma edidit conſecrationis eccleſiæ PP. Prædicatorum Jadrenſium. 120. 2.
Guillelmus Ep. Scardonenſis, ordinis Prædicatorum. 19. 2. Jadræ tres aras conſecrat. *ibid.* transfertur ad Eccleſiam Capritanam. 20. 1.
Guillelmus filius Margaritæ ſororis Belæ III. Regis Hungariæ obiit Tragurii. 341. 1. ejus epitaphium. *ibid.*

H

Hemericus, ſive *Henricus*, Rex Hungariæ concedit diploma Monachis Belgradenſibus SS. Coſmæ & Damiani. 7. 2. jubet datis litteris Michaelem Ep. Scardonenſem ſubeſſe Archiep. Jadertino, quod poſtea revocat. 12. 2. ſcribit ad Innocentium III. P. de hæreticis Boſnenſibus. 46. 2.
Henricus Epiſc. Senienſis ex Abbate Benedictino S. Vincentii diœceſis Baſileenſis. 126. 1.
Herboſa, vulgo *Traunyk*, ſedes Baſſæ Boſnenſis. 40. 1.
Hermolaus de Hermolais Ep. Modruſſenſis ex ordine S. Franciſci. 113. 1.
Hieronymus Ep. Dumnenſis ex ordine S. Franciſci. 175. 1. Epiſcopatum dimittit. 175. 2. teſtamentum edit. *ibid.*
Hieronymus I. Mazzarellus Ep. Nonenſis ex Canonico Jadertino. 227. 2. intereſt Concilio pro-

vinciali Spalatenſi. 228. 1. approbationem legationis ad Sixtum V. P. a Concilio decretæ revocat. *ibid.*

Hieronymus II. Fonda Epiſc. Nonenſis ad Eccleſiam Tragurienſem translatus. 237. 2.

Hieronymus I. Diedus Ep. Pharienſis, cujus mentio in quibuſdam actis Viti de Ruſchis Dumnenſis Epiſcopi. 265. 1.

Hieronymus II. Argentinus Ep. Pharienſis ex Canonico Patavino. 268. 1. conſecrat ædem Iſpidenſem S. Mariæ Gratiarum in agro Patavino. *ibid.* ejus epitaphium. *ibid.*

Hieronymus III. Priolus Ep. Pharienſis e Congregatione Somaſcha. 277. 2. aram marmoream in æde cathedrali ædificavit, *ibid.* ejus epitaphium. 278. 1.

Hieronymus Fonda Ep. Tragurienſis ex Nonenſi. 445. 1. de ſtatu eccleſiæ & diœceſis Tragurienſis ſacram Cardinalium Congregationem certiorem facit. 445. 2. eccleſiam cathedralem conſecrat. 447. 1.

Hieronymus Saornianus Ep. Sibenicenſis intereſt Concilio Tridentino. 476. 2. ædem cathedralem Corcyrenſem conſecrat. 477. 1. ſex parochos in urbe, duos ſuburbanos inſtituit. *ib.* manu ſcripta multa reliquit. *ibid.* tria poſtulat a Senatu Veneto. 477. 2. Synodum diœceſanam cogit. 477. 2. *& ſeqq.* ſcribit ad ſacram Cardinalium Congregationem, decretum Concilii Tridentini de titulo Ordinandorum non poſſe locum habere in diœceſi Sibenicenſi, 483. 1. Epiſcopatum dimittit. *ibid.*

Hieronymus Epiſcopus Drivaſtenſis adminiſtrat Eccleſiam Boſnenſem. 81. 1.

Hieronymus de Cipicis, Vicarius Bartholomæi II. Archiepiſcopi Spalatenſis, adminiſtratorem Eccleſiæ Pharienſis conſtituit Nicolaum Sillevichium. 265. 1.

Hieronymus Mazzarellus Archipresbyter Tragurienſis, & Vicarius ejuſdem Bartholomæi, duas litteras dedit Bernardino Epiſcopo Pharienſi. 265. 2.

Hieronymus Blaſius Bonacicchius Ep. Sibenicenſis ex Archipresbytero Nereſino. 500. 1.

Hippolytus de Hippolytis Ep. Nonenſis ex ordine S. Dominici. 229. 2.

Honorius III. P. epiſtolam ſcribit Hugrino Archiep. Colocenſi de hæreticis Boſnenſibus. 48. 1.

Horatius Bellotus Epiſcopus Nonenſis ex ordine Minorum conventualium S. Franciſci. 228. 1. Sacerdotia ſimplicia obtinentibus, horum deſcriptionem ut conficerent, per litteras imperavit. 228. 2. eorumdem catalogum confecit. 229. 1. ejus epitaphium. *ibid.*

Hugo Fornetus Epiſcopus Dumnenſis ex ordine S. Franciſci. 174. 2.

Hugrinus Archiepiſcopus Colocenſis doctrina & armis decertat cum hæreticis Boſnenſibus. 47. 2. ad quem epiſtolam ſcribit Honorius III. P. 48. 1.

Hyacinthus Dimitri Ep. Senienſis & Modruſſenſis ex ordine S. Dominici. 146. 1. ut Leopoldus Imper. ſibi decimas ſolvi jubeat, impetrat. *ibid.*

I

Iſ Epiſcopus Boſnenſis Epiſcopatum dimittit. 48. 2.

B. Jacobus Picenus in Boſinam miſſus ad religioſam diſciplinam Fratrum Minorum reſtituendam, & fidem catholicam adjuvandam. *66.* & 71. 2.

Jacobus I. Martinuſius Epiſc. Scardonenſis ex ordine S. Auguſtini. 22. 2.

Jacobus II. Bragadenus Ep. Scardonenſis ex cubiculario pontificio, 23. 2. ſedem epiſcopalem ab alio præoccupatam recipit. *ibid.* transfertur ad Eccleſiam Nonenſem. *ibid. &* 223. 1.

Jacobus de Blaſiolis Ep. Senienſis de juriſdictione ac decimis controverſiam habuit cum Epiſcopo Ottocienſi, quæ per arbitros eſt compoſita. 133. 1. 165. 1. litteras ab Uladislavo Rege Hungariæ impetrat, quibus Nobiles Gatzkenſes ſibi decimas ſolvere jubentur. 134. 1. intereſt Concilio V. Lateranenſi. *ibid.*

Jacobus Ep. Macarſchenſis duobus privilegiis Ludovici Regis, & alteri Mariæ Reginæ Hungariæ ſubſcripſit. 188. 2.

Jacobus I. Bragadenus Epiſc. Nonenſis e Scardonenſi. 23. 3. 223. 1. confirmatus a Matthia Rege Hungariæ. 223. 2. jus ſuum obtinuit a quibuſdam patriciis Jadertinis. *ibid.* ejus epitaphium. *ibid.*

Jacobus II. Diphnicus Ep. Nonenſis ex adjutore Georgii patrui Epiſcopi item Nonenſis. 225. 1. ante legitimam ætatem conſecratus ex privilegio pontificio. *ibid.* controverſiam, quæ illi erat cum quibuſdam Jadertinis, per arbitros componendam curat. 226. 1. quatuor litteras ducales impetrat, quibus vectigalia & proventus eccleſiaſticos communit. 226. 2.

Jacobus Turlonus Ep. Tragurienſis duos habuit Vicarios. 409. 1. auctor fuit, ut diebus feſtis tribunalia omnino ſilerent. 410. 1. baptiſterium & pavimentum ædis cathedralis exſtruit. *ibid.* ejus mors & epitaphium. 410. 2.

Jacobus Juſtinianus ex ordine S. Benedicti eligitur Ep. Tragurienſis, ſed rejicitur. 409. 1.

Jacobus Dragatius ex Auditore Romanæ Rotæ electus Epiſcopus Modruſſenſis. 110. 1. 305. 2.

Jacobus Archidiaconus Spalatenſis juſſus per litteras a Nicolao IV. P. mandat Gregorio Epiſcopo Tragurienſi & Leonardo Ep. Sibenicenſi, ut Sedi apoſtolicæ ſe ſiſtant ſuam cauſſam dicturi. 219. 2. 456. 1. 457. 2. præcipit ſcribæ, qui tabulas citationis confecerat & litteras Nicolai IV. interpolaverat, ut rurſus fideliter deſcribat. 458. 1.

Jacobus Victurius Archidiaconus Tragurienſis auctor ſeditionis popularis. 383. 1. condemnatur ab Epiſcopo Trag. Bartholomæo. 384. 2.

Jacobus præpoſitus Eccleſiæ Berſtranovi diœceſis Trag. queritur de quodam Epiſcopo Græco apud Angelum Ep. Tragurienſem. 408. 1.

Jacobus Antonius Marcellus, Locumtenens generalis Carniæ, Glemonenſes admonet per litteras de adventu Nicolai Ep. Dumnenſis & collectoris pecuniæ ad bellum ſacrum. 177. 1.

Jadera vetus, olim Belgradum. 1. 1.

Janſon Epiſcopus Nonenſis. Vide *Sanſonem*.

Jaycza princeps olim civitas Boſinæ. 39. 1. ſub imperio Turcarum cum tota Boſina. 77. 1.

Innocentius I. P. ſcribit ad Laurentium Ep. Senienſem, ut hæreticos Photinianos perſequatur. 115. 2.

Innocentius III. P. concedit diploma Monachis Belgradenſibus SS. Coſmæ & Damiani. 8. 2. ſcribit ad Hemericum Regem Hungariæ, ut e Boſina expellat Patarenos. 45. 2. procurationem Eccleſiæ Pharienſis commendat Capitulo Spalatenſi. 246. 2. de Presbytero, qui lethargo oppreſſus habitu monachali indutus fuerat, interrogatus ab Epiſcopo Tragurienſi, monachum illum non eſſe reſpondit. 334. 2.

Innocentius IV. P. poteſtatem delegat Epiſcopo Scar-

Scardonenſi & Archiep. Jadertino controverſiæ dirimendæ, quæ erant Epiſcopo Tragurienſi cum Sibenicenſibus. 15. 1. 218. 2. 346. 1. 453. 1. reſpondet Treguano Ep. Tragurienſi, ejus acta confirmans in controverſia, quæ illi erat cum Sibenicenſibus. 343. 2. 452. 2. ſcribit ad Laurentium Archiep. Jadrenſem, ut Treguano præſto ſit contra Sibenicenſes, 344. 1. 452. 2.

Innocentius V. P. facultatem concedit Columbano Epiſcopo Eccleſiæ Tragurienſis dimittendæ, & Joannem Ep. Tragurienſem eligit, datis litteris ad Tragurienſes. 357. 2.

Innocentius VI. P. concedit diploma Monachis Belgradenſibus SS. Coſmæ & Damiani. 8. 2.

Innocentius VIII. P. facultatem concedit Georgio Ep. Nonenſi Jaderę commorandi ob aeris Nonenſis inclementiam. 224. 1.

Innocentius XII. P. quoſdam incolas & agros Tragurienſes expiandi poteſtatem delegat Epiſcopo, vel Vicario Epiſcopi Tragurienſis. 441. 1.

Interregnum epiſcopale Scardonenſe I. 18. 1. II. 22. 1. III. 28. 1. IV. 29. 1. *Boſnenſe* I. 46. II. 54. 1. III. 74. 1. IV. 77. 1. V. 77. 2. VI. 82. 1. *Corbavienſe*. 100. 2. *Senienſe*. 138. 1. *Dunnenſe I.* 172. 1. II. 179. 2. III. 181. 2. IV. 182. 1. *Macarſchenſe* I. 184. 2. II. 189. 2. III. 191. 2. IV. 193. 1. V. 198. 1. *Nonenſe* I. 205. 2. II. 214. 2. III. 221. 2. *Tinninienſe* I. 294. 2. II. 299. 2. III. *ibid. Tragurienſe* I. 330. 1. II. 429. 2. *Sibenicenſe*. 500. 1.

Joachimus Maria Pontaltus Ep. Pharienſis ex ordine Carmelitano. 279. Epiſcopatu ſe abdicat. *ibid.*

Joannes VIII. P. reſpondet litteris Theodoſii electi Nonenſis. 207. 1. & Branimiri Ducis Chrobatiæ. 207. 2. epiſtolam mittit ad Chrobatos, & ad Branimirum. 208. 1.

Joannes XXII. P. poteſtatem facit Franciſcanis recipiendi eccleſiam & cœnobium Scardonenſe S. Joannis Baptiſtæ. 17. 1. commendat Stephano Bano Boſnenſi & ejus conjugi, nec non Carolo Regi Hungariæ Inquiſitores Franciſcanos Boſnenſes. 57. 2. ſcribit ad Archiepiſcopos Spalatenſem & Jadertinum, ut de controverſia inter Franciſcanos & Dominicanos Boſnenſes cognoſcant, ad ſeque reſcribant. *ibid.* ſecundum Franciſcanos judicat, Inquiſitione Boſnenſi Dominicanis adempta. 58. 1. Bonifacium Epiſcopum Corbavienſem eligit, datis eidem litteris. 96. 1. ſcribit ad Epiſcopum Pharienſem, ut de translatione Fratrum Minorum ex ſuburbio Tragurium ad monaſterium S. Joannis Baptiſtæ ipſum faciat certiorem. 250. 1. & 372. 1. jubet eidem, ut poſſeſſionem cœnobii S. Petri iiſdem Fratribus traditam confirmet. 372. 1. Lampridium electum Epiſcopum Tragurienſem confirmat, datis litteris ad Tragurienſes. 374. 1. Primicerii munus & duo Sacerdotia confert Nicolao Caſocto Canonico Tragurienſi. 374. 2.

Joannes Cardinalis S. Angeli, Epiſcopus Portuenſis, legatus apoſtolicus, ædem cathedralem Sibenicenſem indulgentiis ditavit. 470. 2.

Joannes V. Archiep. Spalatenſis revocat, quæ ſecundum Sibenicenſes adverſus Tragurienſes decreverat. 361. 1. & 456. 1.

Joannes Archiep. Neapolitanus Eccleſiam Nonenſem adminiſtrat. 221. 2.

Joannes I. Ep. Scardonenſis eligitur Archiepiſcopus Spal. ſed rejicitur a Pontifice. 14. 2. judex præponitur in controverſia Ep. Tragurienſis cum clero Sibenicenſi. 15. 1. 346. 1. 453. 1. tuetur juſſu Pontificis Dominicanos adverſus Ep. Tragurienſem. *ibid.* 349. 2.

Joannes II. Ep. Scard. ex ordine eremitarum S. Auguſtini. 22. 2.

Joannes III. a Roſa Ep. Scard. ex Epiſcopo Suacienſi. 27. 2. translatus ad Veglenſem, curam retinet Scardonenſis Eccleſiæ. *ibid.*

Joannes Vidovichius Epiſcopus Scard. electus impetrat a Senatu Veneto reſcriptum contra ſchiſmaticos. 31. 2. transfertur ad Eccleſiam Tragurienſem. 32. 1. 443. 1.

B. Joannes Teutonicus Ep. Boſnenſis ex ordine S. Dominici. 49. 1. ejus acta ante Epiſcopatum. 49. 2. eligitur Epiſcopus. 50. 1. idem ac *F. Ponſa*. 50. Legatus etiam apoſtolicus in Boſina. 51. 1. a Pontifice admonitus, ut hæreticos perſequatur. 51. 2. Epiſcopatui nuncium remittit. *ibid.* fit magiſter generalis ordinis Prædicatorum. 52. 1. Argentorati ſanctiſſime moritur. *ibid.* decernitur illi titulus & cultus Beati. 52. 2.

Joannes II. Ep. Boſnenſis Dominicanus, an Franciſcanus, incertum. 54. 1.

Joannes III. Tomcus Maravitius Ep. Boſn. in duobus Sigiſmundi Regis Hungarię diplomatibus nominatur. 65. 1.

Joannes IV. Thelegdinus Ep. Boſnenſis ſive Diacovenſis, vivente adhuc Franciſco I. Ep. Boſnenſi. 79. 2.

Joannes V. Poſgai Ep. Boſnenſis ſive Diacovenſis a Rege Hungariæ nominatus, ſed a Sede Apoſtolica non approbatus. 79. 2.

Joannes VI. Tomkus Marnavitius ex Archidiacono Zagrabienſi Ep. Boſnenſis ſive Diacovenſis. 80. & 88. 2. provinciam Hungaricam ordinis S. Paulli luſtravit & reformavit ex mandato Congregationis de Propaganda Fide. 80. 2. ædem Hieronymianam Illyricorum conſecravit Romæ. 81. 1. Eccleſiam Boſnenſem ad Epiſc. Drivaſtenſem commendatam non adminiſtravit. *ib.* plurimos libros edidit. *ibid.*

Joannes Coſiſichius Ep. Modruſſenſis vel ultimus, vel penultimus. 113. 2.

Joannes I. Ep. Senienſis, de quo extat formula ſacramenti, quo ſe obſtrinxit Bernardo Archiep. Spalatenſi. 119. 2.

Joannes II. Ep. Sen. a Guncello Archiep. Spal. conſecratur. 119. 2.

Joannes Ep. Senienſibus datus a Joanne XXII. an Epiſcopatum obtinuerit, incertum eſt. 121. 1.

Joannes III. Ep. Senienſis. 122. 1.

Joannes IV. de Cardinalibus Ep. Sen. nominatur in privilegio Sigiſmundi Regis Hungariæ Spalatenſibus conceſſo. 122. 2. Vicarius Dalmatiæ ab eodem Sigiſmundo electus. *ibid.* concedit Jadrenſibus quidquid petunt adverſus Sibenicenſes. 122. 2. ejus epitaphium. 123. 2.

Joannes V. de Dominis Ep. Senienſis translatus ad Eccleſiam Anconitanam. 127. 1. legatus mittitur ab Eugenio IV. P. in Hungariam. 127. 2.

Joannes VI. de Dominis Ep. Senienſis. 135. 2.

Joannes VII. Smolianovich Ep. Sen. & Modruſſenſis ex Archidiacono Modruſſenſi. 145. 1.

Joannes Cheregatus Ep. Ottocienſis ex Præpoſito generali Cruciferorum. 165. 2. transfertur ad Catharenſem Eccleſiam. *ibid.*

Joannes I. Ep. Macarſchenſis diplomati Ludovici Regis Hungariæ ſubſcripſit, & Comitiis Budenſibus ſub eodem Ludovico interfuit. 188. 2.

Joannes II. Ep. Macarſch. compoſitioni inter Andream Archiep. Spalat. & quamdam illuſtrem matronam ſubſcripſit. 189. 1.

Joannes I. Ep. Nonenſis contra Canones a Bernardo Archiep. Spalat. conſecratus. 217. 1. cuidam ſententiæ Magiſtri militiæ templi ſubſcribit. 217. 2.

Joan-

Joannes II. Ep. Nonenſis finem imponit controverſiæ, quæ ſibi erat cum Nonenſibus. 218. 2. caſtrum Chetilavacium ſibi donandum curat a Bela IV. Rege Hungariæ. *ibid.*
Joannes III. Ep. Nonenſis nominatus in tabulis Nonenſibus. 220. 1.
Joannes IV. Ep. Nonenſis Lichæ poſſeſſionem ſibi confirmandam curavit. 220. 2. intereſt Concilio provinciali Spalatenſi per Stantium Archipresbyterum Nonenſem. *ibid.*
Joannes V. Ep. Nonenſis judex præfuit paci reconciliandæ inter Comitem Seniæ & Commune Jadrenſium. 221. 1. duobus Sigiſmundi Regis diplomatibus ſubſcriptus. *ibid.*
Joannes VI. Borgofortius Ep. Nonenſis. 233. 2. diœceſis Turcis ſubjectę inviſendæ facultatem prohibetur. 234. 1. Licham a Turcis recuperatam, & Epiſcopo Senienſi conceſſam, amiſit. 234. 2.
Joannes VII. Vuſſius Ep. Nonenſis Romæ conſecratus. 235. 1.
Joannes VIII. Manola Ep. Nonenſis ex Canonico Spalatenſi. 236. 2. ejus elogium. 237. 1.
Joannes I. Ep. Pharienſis intereſt Concilio provinciali Spalat. anno 1344. 252. 2.
Joannes II. de Andreis Ep. Pharienſis, aram D. Proſpero extruxit, ejuſque ſodalitatem inſtituit. 277. 1. ad Eccleſiam Tragurienſem translatus. 277. 2. 436. 1.
Joannes I. Ep. Tinninienſis ex ordine S. Dominici. 289. 2. translatus ad Eccleſiam Tiburtinam. *ib.*
Joannes II. Ep. Tinninienſis duobus Ludovici Regis Hungariæ privilegiis ſubſcripſit. 291. 2.
Joannes III. Ep. Tinnin. ex præpoſito eccleſiæ Caſmenſis. 295. 1. arbiter datus a Sigiſmundo Rege Hungariæ ad controverſiam dirimendam, quæ Comiti Cetinæ cum Politienſibus erat. *ibid.* legatus ad Uladislavum Ducem Lithuaniæ, qui electus fuerat Rex Hungariæ. *ibid.*
Joannes IV. de Vyllach Ep. Tinnin. ad Eccleſiam Vacienſem translatus. 298. 2.
Joannes V. Cherodius Ep. Tinnin. ex Canonico Strigonienſi. 300. 1.
Joannes VI. Jovanezius Ep. Tinnin. ex Canonico Jaurinenſi, *ibid.*
S. Joannes Urſinus Ep. Tragurienſis. 309. 2. ejus vita, quam auctor anonymus ſcripſit, Treguanus Archidiaconus Tragurienſis reformavit & auxit, notis illuſtratur. 310. 1. *& ſeq.* eligitur Epiſcopus a Joanne legato apoſtolico, & conſecratur a Laurentio Archiep. Spalatenſi. 310. 2. 311. 1. ejus amicitia & conjunctio cum Laurentio Archiep. 322. 2. ejus ſtudium precandi, & corporis maceratio. 312. 1. auctor condendi cœnobii Virginum ordinis Benedictini Tragurii. 323. 1. tria ejus miracula. 312. 2. Jaderam a Colomano rege Hungarorum obſeſſam ab excidio prohibuit. 313. 1. Jadrenſium, qui ſe regi dediderunt, cauſſam agit apud eundem. 314. 1. ab eodem beneficia & immunitates Tragurienſibus impetravit. 323. 2. Sibenici, dum ſacris operatur, columba cælo dimiſſa ejus capiti inſidet. 314. 2. compoſitionem init in controverſia, quæ ſibi & Capitulo erat de eccleſia S. Leonis cum nepotibus Vitalis Tragurienſis. 324. 1. morti proximus futura multa prædicit. 315. 1. 329. 2. obiit. 315. 2. ſepelitur. 316. 1. cuidam Theodoro apparuit, eumque de loco ſui ſepulcri docuit. 316. 2. ejus corpus invenitur & transfertur. 318. 331. 1. ejus brachium ſublatum a Venetis. 318. 2. 319. 1. 331. 2. & Angelorum miniſterio Tragurium Venetiis relatum. 319. 2. 331. 2. ejus poſt obitum miracula. 320. 321. 324. 2. *& ſeq.* 408. 2. ejus dies feſtus per Eugenium IV. P. indulgentiis locupletatur. 328. 2. 407. 1. e gente Urſina originem procul dubio traxit. 329. 1. ejus cultus quando inſtitutus. 333. 1. ejus ſacellum abſolutum cum inſcriptione. 380. 1. aliud novum eidem extructum. 410. 1. 413. 1. ejus altare indulgentiis locupletatum a Gregorio XIII. 423. 2. ejus translatio. 435. 2. 436. 437. os ejus femori detrahitur, & dono mittitur Benedicto XIII. P. quo ipſe donat Eccleſiam Beneventanam. 443. 2. 444. 1.
Joannes II. Ep. Tragurienſis ex præpoſito Eccleſiæ Grigoriſſenſis in diœceſi Zagrabienſi. 358. 2. dubitatur, an a Tragurienſibus receptus fuerit. 359. 1.
Joannes III. Vitelleſcus Ep. Tragur. ex Archiep. Florentino & Patriarcha Alexandrino & Cardinali. 406. 1. per vicarium eccleſiam adminiſtrat. 406. 2. ejus obitus & epitaphium. 407. 1.
Joannes IV. de Andreis Ep. Trag. ex Pharienſi. 277. 2. 436. 1. transferendum curat corpus S. Jo. Ep. Trag. 436. 2. & translationis acta litteris publicis conſignari jubet. 437. 1.
Joannes V. Cuppareus Ep. Tragur. ex Archidiacono Spalatenſi. 438. 1. aram ſimulacro Crucifixi extrui jubet teſtamento. 438. 2. reſponſa ad quædam ſua poſtulata accepit a Sacra Congregatione. 439. 1.
Joannes VI. Vidovichius Ep. Trag. ex electo Scardonenſi. 443. 1.
Joannes Epiſcopus Sibenicenſis electus. 361. 2.
Joannes I. Staphileus Ep. Sibenicenſis & Romanæ Rotæ auditore. 475. 1. juſſu Sedis Apoſtolicæ graviſſimas legationes obivit, & librum edidit de Gratiis expectativis. 475. 2. ejus obitus & epitaphium. *ibid.*
Joannes II. Lucius Ep. Sibenicenſis ædem cathedralem abſolvit. 475. 1. & conſecrat. 476. 2. nec non Venetiis ædem S. Zachariæ. *ibid.* ejus obitus & epitaphium, *ibid.*
Joannes III. Calebottus Ep. Sibenicenſis ex Arbenſi. 499. 2. ejus epitaphium. *ibid.*
Joannes Salix titulo tenus Epiſcopus Corbavienſis. 114. 1. 145. 1. *&* 151. 1.
Joannes Epiſcopus Signinus, non Senienſis. 117. 2.
Joannes de Vegla expungendus ab Epiſcopis Senienſibus. 122. 1.
Joannes de Caſæmario legatus apoſtolicus in Boſina Culinum Banum & quoſdam monachos hæreticos ad fidem catholicam revocat. 46. 1.
Joannes Archidiaconus Tragurienſis conſtitutiones edit de diſtributionibus quotidianis, Capitulo Tragurienſi approbante. 420. 1.
Joannes Zorriceus Vicarius capitularis, ſede Sibenicenſi vacante, inter miracula referendas eſſe declarat lacrymas ex oculis ſimulacri B. Mariæ Virginis manantes. 496. 1. idem Aloyſii Marcelli Ep. Sibenicenſis Vicarius quæſtionem inſtituit de lacrymis iterum ex eodem ſimulacro manantibus. 496. 2.
Joannes Abbas S. Chryſogoni Jadrenſis juſſus a Nicolao IV. P. mandat Gregorio Epiſcopo Tragurienſi & Leonardo Ep. Sibenicenſi, ut ſedi apoſtolicæ ſe ſiſtant ſuam cauſſam dicturi. 219. 2. 456. 1. 457. 2.
Joannes Frangipanius Comes Seniæ cœnobium eremitarum S. Auguſtini in Pringis novis auget donationibus. 109. 1. *&* 129. 2. bona Eccleſiæ Senienſi ablata reſtitui jubet, eaque diplomate communit. 132. 1.
Joannes Brunatius de hiſtoria Illyrici Sacri benemeritus. 61. 1.

Joan-

Joannes Antonius Benzonus Ep. Senienſis & Modruſſenſis ex Archidiacono Modruſſenſi. 160. 2. ejus geſta. 161. & epitaphium. 162. 1.
Joannes Baptiſta Agalich Ep. Senienſis & Modruſſenſis ex ordine S. Auguſtini. 138. 2. Synodum diœceſanam celebrat, in qua de liturgia Slavonica recudenda actum eſt. *ibid.* animadvertere cenſuris eccleſiaſticiis jubetur ab Archiepiſcopo Strigonienſi in præfectos Comitum Zriniorum immunitati eccleſiaſticæ infeſtos. 139. 1. cœnobium Dominicanum Senienſe S. Nicolai Eremitis Paullinis attribuit. 139. 2. ejus obitus & epitaphium. 140. 1.
Joannes Baptiſta Pallavicinus Ep. Pharienſis & Cavallicenſis, idemque Cardinalis. 267. 2. ejus elogium & epitaphium. *ibid.*
Joannes Dominicus Calligarius Ep. Sibenicenſis parœciarum numerum auget. 499. 1. ſynodum celebrat. *ibid.* diœceſis Tinninienſis curam ad tempus ſuſcipit. 499. 2. ejus obitus & epitaphium. *ibid.*
Joannes Evangeliſta de Bruſchis Ep. Modruſſenſis ex ordine S. Auguſtini. 113. 1.
Joannes Franciſcus Barbadicus Ep. Veronenſis duas aureas coronas a Capitulo Vaticano Deiparæ Terſactanæ decernendas ac mittendas curat. 159. 1.
Joannes Fridericus Roſa Ep. Nonenſis ex Arbenſi. 237. 2. ejus epitaphium. *ibid.*
Joannes Hieronymus Ep. Boſnenſis ſive Diacovenſis deſignatus tantum, ut videtur. 81. 2.
Joannes Paullus Garzonius Ep. Tragurienſis ex ordine Cruciferorum. 430. 2. de ſtatu Eccleſiæ Tragurienſis Sacram Cardinalium Congregationem certiorem facit. *ibid.* cultum S. Ignatii Lojolæ Tragurium invectum primum improbat. 435. 1. deinde probat, & aram eidem extrui jubet. 435. 2. corpus S. Joannis Urſini Ep. Tragurienſis transferendum parat. *ibid.*
Joannes Paullus Savius Ep. Sibenicenſis. 495. 2. ad Feltrenſem, deinde ad Adrienſem Eccleſiam translatus. *ibid.*
Joannes Thomas Rovetus Ep. Pharienſis ex ordine S. Dominici. 278. 1. Epiſcopatu ſe abdicat. 278. 2.
Joannes Thomas Mallonius Ep. Sibenicenſis e Congregatione Somaſcha. 495. 2. ad Bellunenſem Eccleſiam translatus. 496. 1.
Joſeph Ep. Boſnenſis ex prępoſito plebis Betzkienſis. 66. 1. Diacovi moratur. 67. 1. B. Jacobum Picenum in Boſinam revocat. *ibid.*
Joſeph Caccia Ep. Tragurienſis ex ordine S. Franciſci. 444. 1. Epiſcopatu ſe abdicat. 444. 2. ejus obitus & epitaphium. 445. 1.
Joſeph Binius Archipresbyter S. Mariæ Glemonenſis de hiſtoria Illyrici ſacri benemeritus. 175. 2. & 477. 1.
Joſephus Antonius Chiolnichius Ep. Boſnenſis, ſive Diacovenſis hodiernus. 84. 1. Epitomen de Diacovenſi Eccleſia, ejuſque poſterioribus Epiſcopis confecit. 87. 2. & *ſeqq.* ſua optime geſta in Epiſcopatu ipſe deſcripſit. 89. 2. 90.
Joſephus Carolus Zbisko Ep. Tinninienſis & Canonicus Strigonienſis vivit. 302. 1.
Julius II. P. ædem cathedralem Pharienſem indulgentiis cumulat. 265. 2.
Iſſa inſula Dalmatiæ in diœceſi Pharienſi deſcribitur. 239. 2. rerum antiquarum monumentis celeberrima. 240. 1. 303. 2.
S. Ivan e ſtirpe Chrobatorum regali, ſanctiſſimus in Bohemia anachorita. 209. 1. ejus vita, Nicolao Salio auctore. 210. 1.

K

Knin idem ac Tinninium. 280. 1.
Kreſcevum civitas olim nobilis Boſinæ. 39. 2. ſedes Epiſcoporum Latinorum. 43. 2. & poſtea Græcorum. 69. 1.

L

Ladislavus Ep. Corbavienſis ſubſcribit diplomati Ludovici Regis Hungariæ, quo oppidum *Monyaras* donavit Virginibus S. Claræ. 97. 2.
Ladislavus I. Ep. Tinninienſis conſecratur a Rogerio Archiep. Spalatenſi. 287. 1. judex delegatur controverſiæ, quæ Epiſcopo & Capitulo Trag. erat cum Tragurienſibus. *ibid.*
Ladislavus II. Ep. Tinnin. a Sigiſmundo Rege Hungariæ juſſus inveſtigare ac recognoſcere poſſeſſiones Eccleſiæ Spalatenſis, *Reambulatorium* ſeu earum deſcriptionem mittit Sigiſmundo. 293. 2. intereſt ſollemni ſacramento, quo Jadrenſes Ladislavo Regi Neapolitanorum ſe obſtrinxerunt, 294. 2.
Lampridius Ep. Scardonenſis cauſſa cadit, quam habuit de cœnobio Auranenſi cum Templariis. 11. 1. intereſt Concilio Spalatenſi. *ibid.*
Lampridius Victurius Primicerius Tragurienſis electus a Pharienſibus Epiſcopus, ſed a Card. Gentili leg. apoſt. rejectus. 249. 1. 373. 2. eligitur Ep. Tragurienſis & confirmatur ab Joanne XXII. P. 374. 1. Capitulum ad Canonicos duodenos redigit. 375. 1. juſſus a Joanne XXII. P. ut ſuper defectu natalium diſpenſet cum Sabino monacho Benedictino. *ibid.* convenit cum Fratribus Minoribus de conſuetudine obſervanda in funeribus. 377. 1. magiſtratum & Conſilium Tragurienſe ſacrorum communione privavit. 377. 2. de reditibus eccleſiaſticis litem intendit Tragurienſibus, & eos ſub interdicto ſubjecit. 378. 1. cauſſa facile cadit ex ſententia judicum a Benedicto XII. delegatorum. 379. & a Cardinali Galairando ejuſdem Pontificis delegato excommunicatur. 380. 1. forte ab epiſcopali adminiſtratione prohibitus. 380. 1. ejus mors & epitaphium. 381. 2.
Laurentius Periander Archiep. Jadrenſis, juſſus ab Innocentio P. acta Treguani Ep. Tragurienſis contra Sibenicenſes confirmat. 343. 2. 344. 452. 2.
Laurentius Ep. Boſnenſis e Canonico ejuſdem eccleſiæ. 58. 2. a Rege Hungariæ ire Avenionem prohibetur. 59. 2.
Laurentius de Gherardis Ep. Modruſſenſis ex ordine S. Dominici. 113. 2.
Laurentius Epiſcopus Senienſis, ad quem exſtat epiſtola Innocentii I. P., an Epiſcopus Seniæ Dalmaticæ, incertum. 115. 2.
Laurentius Michael Ep. Pharienſis judex delegatus in quadam controverſia eccleſiaſtica. 264. 2. collegium Virginum Bractienſe inſtituit. *ibid.*
Laurentius Canonicus Spalatenſis & Strigonienſis eligitur Ep. Pharienſis a Petro IX. Archiep. Spalat. ſed rejicitur a Card. Gentili leg. apoſt. 249. 2.
Leonardus de Cardinalibus Ep. Senienſis Joanni patruo ſuccedit. 123. 2. electus a Sigiſmundo Rege Hungariæ, ut præſit Jaderæ quæſtionibus de cæde Eliſabethæ Reginæ Hungariæ. *ibid.* nominatur in privilegio ejuſdem Sigiſmundi Eccleſiæ Strigonienſi conceſſo. 124. 1. privilegio donatus a Franciſco de Carraria dynaſta Patavino. 124. 2.
Leonardus Epiſc. Tinninienſis Ludovicum Regem Hungariæ Tinninium excepit. 289. 1.
Leonardus Faletrus præpoſitus Eccleſiæ S. Angeli Ve-

Venetiarum eligitur Ep. Sibenicenſis . 361. 2. 456. 1. Romam citatur ſuam cauſſam dicturus adverſus Gregorium Ep. Tragurienſem . 457. 2. quoad vixit, electi nomen retinuit . 458. 2.
Leonardus Lauredano Dux Venetiarum jubet Rectoribus Tragurii immunitatem eccleſiaſticam reſtitui & ſervari. 412. 2.
Leonellus Clericatus Ep. Trag. ex Arbenſi. 411. 1. translatus ad Eccleſiam Concordienſem. 411. 2.
Leopoldus Imp. Epiſcopum Senienſem nominat Joannem VII. diplomate perquam honorifico. 145. 2. decimas ſine diminutione ſolvi jubet Hyacintho & Martino II. Ep. Senienſibus. 46. 1. 153. 1. Epiſcopatum Corbavienſem Martino II. Ep. Senienſi adverſus Stephanum Doycich adjudicat diplomate auguſtali. 151. 2.
Liberius Ep. Tragurienſis ob inſtitutionem Epiſcopatus Sibenicenſis partem maximam diœceſis amittit. 362. 1. compoſitioni conſenſit in controverſia de juriſdictione cum Communi Tragurienſi. 362. 1. arbitrum eligit F. Gentilem legatum apoſtolicum ad controverſiam aliam dirimendam, quæ de prælio Drid ſibi erat cum Capitulo. 363. 1. cauſam agit apud Philippum Auditorem F. Gentilis. 363. 2. & amittit. 364. 2. Poteſtati & Conſilio Trag. anathema denunciat. 366. 2. nec non Gregorio Salinguerræ operario ædis cathedralis. 367. 1. appellationem Poteſtatis, Conſilii, & Gregorii Salinguerræ ad legatum apoſtolicum rejicit & refutat. 368. 1. ſententiam excommunicationis, appellationes, & refutationem mittit ad F. Gentilem. 369. 1. cauſam obtinet ex ſententia Philippi de Sardinia judicis a F. Gentili delegati. 369. 2. cœnobium urbanum S. Joannis Baptiſtæ tradit FF. Franciſcanis, monachis Benedictinis in Parthenonem P. Nicolai migrantibus. 371. 1.
Lieſina eadem ac Pharia. 238. 1.
Liturgia Slavonica a templis eliminata in Concilio nationali Spalatenſi, 213. 2. & in altero provinciali, 215. 1.
S. Lucæ Evangeliſtæ Corpus a Patribus Franciſcanis Jaycza Venetias translatus. 74. 2.
Lucas Ep. Boſnenſis ſive Diacovenſis ex ordine S. Franciſci transfertur ad Eccleſiam Chanadienſem. 76. 1.
Lucas Ep. Pharienſis ex Abbate cœnobii Jadrenſis SS. Coſmę & Damiani controverſiam habuit cum Stephano Primicerio Spalat. de Epiſcopatu Pharienſi. 251. depoſito ſponte pontificatu, denuo eligitur a Joanne XXII. P. 252. 1. eligit ex poteſtate a monachis ſibi facta Abbatem S. Nicolai Iſſenſis. *ibid.* volumini diplomatum regalium, quæ Dominicus Archiep. Spalat. collegit, ſubſcripſit. 252. 2.
Lucas I. Tolentichius Ep. Sibenicenſis ex electo Corcyrenſi. 470. 2. legatus ad Principes miſſus. 471. commendatur Innocentio VIII. P. a Maximiliano Imperatore, qui Pontificem rogat, ut Lucam aggreget in Cardinalium collegium. 411. 2.
Lucas II. de Spingarolis Ep. Siben. ex ordine S. Dominici. 483. 1. Sacerdotium Archipresbytero ædis cathedralis collatum confirmat. 483. intereſt Concilio provinciali Spalatenſi. *ibid.* ejus obitus & epitaphium. *ibid.*
Luccarus Cicla Ep. Pharienſis ex Archidiacono Spalatenſi, 242. 1. ab Alexandro III. P. depoſitus. 242. 2.
Ludovicus Ep. Senienſis ex ordine S. Franciſci ad Eccleſiam Forolivienſem transfertur. 127. 2.
Ludovicus Ep. Nonenſis ex Priore S. Mariæ de Venetiis. 222. 1.
Ludovicus Scarampius Ep. Tragurienſis e Canonico Patavino. 405. 1. abſens eccleſiam per vicarium gubernavit. 406. 1. transfertur ad Archiep. Florentinum, deinde ad Patriarchatum Aquilejenſem. *ibid.* fit Cardinalis. *ibid.* ejus elogium. *ib.*
Ludovicus de Matapharis e catalogo Epiſcoporum Nonenſium expunctus. 221. 1.
Ludovicus Coriolanus de Cipico eligitur Ep. Tragurienſis, ſed rejicitur. 411. 1.
Ludovicus I. Rex Hungariæ privilgia Colomani & Belæ IV. conceſſa Eccleſiæ Tragurienſi confirmat. 385. 1.
Ludovicus II. Rex Hungariæ privilegium Uladislavi patris Eccleſiæ Senienſi conceſſum de legato Frangipanio confirmat. 134. 2.
Lurinus Archidiaconus Pharienſis & Vicarius Bernardini Ep. Pharienſis, ad quem epiſtolam ſcripſit Vitus de Ruſchis Ep. Dumnenſis & Vicarius Bartholomæi II. Archiep. Spalatenſis. 265. 2.

M

Macarenſes Epiſcopi iidem ac Macarſchenſes. 184. 1.
Macarſcha varie appellata. *ibid.* ejus poſitio & ſtatus hodiernus. *ibid.* a Turcis bis diripitur. 191. 1. 197. 2. ſub ditionem Venetorum redit. 196. 2.
Macarſchenſes Epiſcopi, ſive *Macarenſes*. 184. 1. poſt Stephanum per annos ſeptingentos prorſus ignoti. 184. 2. a Petro IX. Archiep. Spalatenſi reſtituti. 185. 2. recenſentur. *ibid.* dicti Crainenſes. 178. 2. 188. 2. 189. 2. & Cumnenſes. 178. 2. 190. 1. a Senatu Veneto eliguntur. 200. 1.
Macarſchenſis Eccleſia Epiſcopo Pharienſi commendata. 185. 1. 247. 1. cum Dumnenſi conjuncta. 190. 1. Archiep. Spalatenſi commendata. 191. 2. & Epiſcopis Dumnenſi & Samandrienſi. 193. 1.
Macarſchenſis Diœceſis antiqua deſcriptio. 184. moderna. 193. 2.
Madius Ep. Delmenſis, ſive Dumnenſis, ex ordine S. Dominici vel Franciſci. 172. 2. Procurator Valentini Ep. Macarenſis fruſtra cauſſam dicit in Concilio provinciali Spalatenſi. 173. 1. & 186. 2.
Malchus Ep. Dalmatienſis, ſive Dumnenſis, Curator patrimonii apoſtolici in Dalmatia. 170. 1. jubetur a S. Gregorio P. ut Ep. Scodrenſem compellat ad finem cuidam controverſiæ imponendum. 170. 2. Romam accerſitus ad reddendam rationem patrimonii apoſtolici ab ſe adminiſtrati. *ibid.* a curatione ejuſdem patrimonii amovetur. 171. 1. prohibetur ab eodem S. Gregorio P. immiſcere ſe rebus Eccleſiæ Salonitanæ. *ibid.* auctor ſchiſmatis Salonitani. 171. 2. morte repentina extinguitur. *ibid.*
S. Marcella pediſequa S. Marthæ, & adjutrix laboris apoſtolici S. Anſelmo uno de ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis, & primo Nonenſium Epiſcopo, nec non S. Ambroſio Diacono. 204. 2. cultu vetuſtiſſimo apud Nonenſes gaudet. 205. 1. ejus corpus Jaderam Nona translatum. *ibid.* 227. 1. Nonam liberat obſidione Turcarum. 224. 2. translata ab æde metropolitana Jadrenſi ad Marianam Virginum Nonenſium, quæ exinde ab S. Marcella cognominari cœpit. 230. 2.
Marcellus Marchefius Ep. Senienſis & Adminiſtrator Eccleſiæ Modruſſenſis. 138. 1.
Marcellus Ep. Nonenſis juſſus per litteras a Nicolao IV. P. mandat Gregorio Epiſcopo Tragurienſi, & Leonardo Sibenicenſi, & clericis Tragurienſibus, ut Sedi Apoſtolicæ ſe ſiſtant ſuam cauſſam dicturi. 219. 2. 456. 1. 457. 2.

Marcius Andreutius Ep. Tragurienſis ex Decano Eccleſiæ Utinenſis. 426. 2. Virgines Sibenicenſes S. Catharinæ Tragurium evocat, eiſque cœnobium & templum S. Michaelis tradit. 427. 1.
Marcus Ep. Senienſis ex ordine S. Auguſtini ad Eccleſiam Tinninienſem transfertur. 129. 1.
Marcus I. Ep. Nonenſis Zupanatum confert Radoslavo Lubactio cum diplomate. 219. 2.
Marcus II. Lauretanus Ep. Nonenſis. 226. 2. Vicarius generalis duorum Archiep. Jadrenſium, & deinde illius Eccleſiæ adminiſtrator. *ibid.* Nonam a Turcis captam ut recuperarent, Venetis auctor fuit. 227. 1.
Marcus Maripetrus Ep. Pharienſis ex Corcyrenſi. 268. 2. Franciſcum Promaſcevum vicarium habuit. *ibid.*
Marcus I. Indigus Ep. Tinninienſis. 282. 1. donationem Stephani Bani Chrobatiæ factam cœnobio Benedictino Jadrenſi S. Chryſogoni confirmavit. 282. 2.
Marcus II. Ep. Tinnin. miſſus orator ad Sedem apoſtolicam a Matthia Rege Hungariæ. 295. 2.
Marcus Antonius de Dominis Ep. Senienſis & Adminiſtrator Modruſſenſis transfertur ad Eccleſiam Spalatenſem. 137. 2. deficit a Spalatenſi ad Strigonienſem Metropolitam. 138. 1.
Marcus Antonius Raymundus Georgii I. & Jacobi II. Epiſcoporum Nonenſium Vicarius. 225. 1. deſcriptionem diœceſis Nonenſis ſcriptis tradidit. 225. 2.
Maria Regina Hungariæ, Belæ Regis conjux, ſcribit ad Patres Dominicanos de ſanctitate B. Joannis Teutonici Ep. Boſnenſis. 52. 2.
Maria Regina Hungariæ, Ludovici Regis filia, privilegium ſigilli Capitulo Tragurienſi concedit. 393. 2.
Marianus Marurvichius Ep. Dumnenſis ex ordine S. Franciſci. 181. 2. transfertur ad Eccleſiam Boſnenſem ſive Diacovenſem a Ferdinando III. Imp. 81. 2. 87. 2. 88. 2. 182. 1. Ramam membrum eſſe diœceſis Boſnenſis judicandum curat adverſus Epiſcopum Macarenſem. 82. 1. retinet adminiſtrationem Eccleſiæ Dumnenſis, nequicquam obnitente Epiſcopo Scardonenſi. 82. 1. & 182. 1.
Marianus Liſnichius Ep. Macarſchenſis ex ordine S. Franciſci. 197. 1. lites de decimis, de caſtro Almiſſæ, & de Rama parte diœceſis Boſnenſis ſuſceptas amiſit. *ib.* munus Vicarii adimit Joanni Cacichio. 197. 2. in vincula a Turcis conjectus, a Chriſtianis redimitur. 198. 1.
Marinus de Cernotis Ep. Tragurienſis ex Arbenſi. 399. 2. dictus quoque *de Coroninis*. *ibid.* ad Eccleſiam Tergeſtinam translatus. *ibid.* ejus vitam deſcripſit Rodulphus Coroninus. 400. 1.
Martinus Ep. Corbavienſis conſecratur a Guncello Archiep. Spalatenſi. 93. 1.
Martinus I. Ep. Senienſis intereſt dedicationi Eccleſiæ Jadrenſis Patrum Prædicatorum. 120. 2.
Martinus II. Braicovichius Ep. Senienſis & Modruſſenſis ex Canonico Zagrabienſi. 148. 2. 149. cauſſam obtinet apud Leopoldum Imp. adverſus Stephanum Doycich de Corbavienſi Epiſcopatu. 150. 151. ab eodem impetrat, ut decimas ſibi ſolvi jubeat. 153. 1. binas dedit epiſtolas, alteram ad Pontificem, alteram ad Cardinales Sacræ Congregationis. 153. 2. & 154. quædam monita & conſilia de ſchiſmaticis dedit Leopoldo Imp. 155. 2. de magiſtratu Græcienſi queritur apud eumdem. 157. 1. palatium epiſcopale reſtaurat. 157. 2. ad Zagrabienſem Eccleſiam transfertur. *ibid.*
Martinus Dragolius Ep. Nonenſis ex Archidiacono Spalatenſi. 236. 1.
Martinus Manzavini primus Pharienſium Epiſcopus, expulſo Cernata Archipresbytero. 241. 1. ab Archiep. Raguſino conſecratus. 241. 2. ſenex & mente captus Epiſcopatu ſpoliatur a Pharienſibus. 242. 1. ex mandato Alexandri III. ſuam ſedem recuperavit. *ibid.*
Martinus II. de Martinis Ep. Pharienſis, poſtquam Societati Jeſu, in quam nomen dederat, nuncium remiſit. 269. 1. Auguſtinum Valerium Ep. Veronenſem & Viſitatorem apoſtolicum excepit, ab eoque commendatur. 269. 2. intereſt Concilio nationali Jadertino. 274. 1. ad Eccleſiam S. Severi tranſivit. *ibid.*
Martinus Ep. primus Sibenicenſis ex ordine S. Franciſci. 460. 1. Sibenicenſes Tragurienſibus reconciliavit. 460. 2.
Martinus II. Ep. Sibenicenſis intereſt Concilio Spalatenſi, in quo judex conſtituitur in cauſa Epiſcopi Macarenſis. 461. 2.
Martinus Frangipanius Comes Seniæ B. Virginem Terſactanam & FF. Franciſcanos bonorum ſuorum hæredes inſtituit. 101. 2. & 126. 1. donationem Nicolai parentis confirmat. 103. 1.
Matthæus Jammicius Ep. Scardonenſis ex Archidiacono Spalatenſi. 32. 1. rogatus a Proviſore Dalmatiæ, ut ſchiſmaticis templum permittat, caute reſpondet. 32. 2. conſecratur a ſuo Metropolita. 33. 1. de ſtatu eccleſiæ ſuæ ſcribit ad Sacram Congregationem Cardinalium. 33. 2.
Matthæus Ep. Corbavienſis primus e Canonico Spalatenſi, electus a Concilio provinciali Spalatenſi, 92. 2. controverſiam dirimit, quæ Sibenicenſibus cum Tragurienſibus clericis erat. 93. 1. 334. 1. 451. 1. Andreæ Ducis Dalmatiæ diplomati teſtis adfuit. *ibid.*
Matthæus Ep. Nonenſis ſcribit ad Alexandrum III, P. ut Mineum Ep. Senienſem in cauſa, quam cum illo habebat, ſtare judicio Raynerii Archiep. Spalatenſis jubeat. 119. 1. 216. 1, & ad Raynerium, ut ejus cauſſam agat apud Alexandrum III. adverſus quamdam feminam Climenſem. 216. 1. intereſt Concilio III. Lateranenſi, & provinciali Spalatenſi, in quo diœceſis Nonenſis circumſcribitur. *ibid.* judex cum ſuo Metropolita præfuit controverſiæ, quæ Templariis erat cum monachis SS. Coſmæ & Damiani. 217. 1.
Matthæus Cernota Ep. Sibenicenſis teſtis adeſt diplomatibus Ludovici, Mariæ, & Sigiſmundi Regum Hungariæ. 463. 1. controverſias inter Spalatenſes & Raguſinos componit. *ibid.* cum Bartholomæo de decimis, & Nicolao Epiſcopis Tragurienſibus de quodam jure patronatus contendit. *ibid.*
Matthæus Delivichius Ep. Bolinenſis ex ordine S. Franciſci, Vicarius apoſtolicus & adminiſtrator Eccleſiæ Boſnenſis & Dumnenſis a Clemente XII. P. conſtitutus. 84. 2. & 183. 2. conſecratus Epiſcopus ab Archiepiſcopo Jadertino. 85.
Matthæus Bealichius ex ordine S. Franciſci, e catalogo Epiſcoporum Boſnenſium expunctus. 82. 1.
Matthias Ep. Boſnenſis, ſive Diacovenſis. 76. 1.
Matthias I. Sabedinus Ep. Tinninienſis transfertur ad Eccleſiam Varadinenſem. 298. 1.
Matthias II. Draſcovitius Ep. Tinnin. 300. 1.
Matthias de Vado an numerandus inter Epiſcopos Tinninienſes, incertum. 297. 2.
Matthias Corvinus Rex Hungariæ Frangipanios Seniæ principatu ſpoliavit. 130. 2. legatum pium Frangipanium Eccleſiæ Senienſi confirmat. *ibid.* electionem approbat Jacobi I. Epiſc. Nonenſis.

ſis. 223. 2.
Maximilianus Imperat. erat Innocentium VIII. P, ut Lucam Ep. Sibenicenſem aggregare velit in Cardinalium collegium. 471. 2.
Micha Ep. Pharienſis ab Andrea III. Duce Dalmatiæ electus e Canonico Spalatenſi. 245. 2. confirmatus a Pharienſibus, & conſecratus. *ibid.* juſſus a ſua eccleſia ſecedere, donec ejus electio legitima declararetur. 246. 1. legitime electus denuntiatur. 246. 2. intereſt conſecrationi Nicolai Ep. Scardonenſis. 247. 1.
Michael I. Ep. Scardonenſis intereſt Concilio Lateranenſi III. 11. 2. & Spalatenſi. *ibid.* unam itemque alteram ſententiam dicit ſecundum Virgines Jadertinas S. Demetrii. *ibid.* judex datur a Cæleſtino III. Canonicis Spalatenſibus. 12. 2. ad comitia archiepiſcopalia Spalatum ſe confert. *ibid.* juſſus ſubeſſe Archiep. Jadertino. *ibid.* epiſtolam accepit ab Innocentio III. qua cauſſam Archiep. Jadertini cognoſcere juſſus eſt. *ibid.*
Michael II. Ep. Scard. ex quadam inſcriptione tantum notus. 19. 2.
Michael III. Ep. Scard. intereſt comitiis Budenſibus. 20. 1. variis regum privilegiis ſubſcribit. *ib.*
Michael Cheſulius Ep. Boſnenſis ſive Diacovenſis. 76.
Michael Ep. Senienſis electus. 131. 1. viros nobiles de Gatzka ad ſolvendas decimas adigit. *ibid.*
Michael I. Ep. Senienſis. 133. 1.
Michael II. Pipercovich Ep. Senienſis ex ordine S. Franciſci. 136. in quodam diplomate Rodulphi Imp. adminiſtrator Modruſſenſis nominatur. *ibid.* Senienſes ob levem cauſam anathemate ferit, 137. 1.
Michael Jahum Ep. Dumnenſis poſtremus ex ordine S. Franciſci. 182. 2. apud Card. Præfectum Sacræ Congregat. ſe purgat per litteras, quod Seniæ ſe receperit. *ibid.*
Michael Epiſc. Tinninienſis electus juſſus cum aliis quatuor a Tuartko rege Boſinę, ut Spalatenſes mittat in poſſeſſionem quarumdam terrarum intra fines ab rege præſcriptos, quod diplomate teſtatum eſſe curarunt. 293. 1.
Michael Ep. Tragurienſis. 331. 1. adjutor Deſſæ Ep. ejuſque viventis ſucceſſor datus. *ibid.* litteras accipit ab Alexandro III. P. de piratis Sibenicenſibus. *ibid.* invitatus a Raynerio metropolita ad Concilium Lateran. III. 332. 1. ſubſcripſit Concilio provinciali Spalatenſi, & quæ in eodem ſecundum Canonicos Spalatenſes decreta fuerant, biennio poſt approbavit. 332. 1. litem Capitulo intendit, quam ſecundum Capitulum dirimit Petrus VIII. Archiepiſcopus Spalatenſis. 333. 2. litem, quæ ſuis clericis erat cum Sibenicenſibus, compoſuit. 334. 1. 451. 1. ſuper Presbytero, qui lethargo oppreſſus habitu monachali indutus fuerat, conſulit Innocentium III. P. 334. 2.
Michael Epiſcopus Boſnenſis non videtur idem ac Boſnenſis. 55. 2.
Michael Angelus Farolfus Ep. Tragurienſis ex ordine S. Franciſci. 442. 2. Divorum Reliquiis ſuam eccleſiam auxit, 443. 1.
Micovanus Ep. Boſnenſis fruſtra conatur ſe ſubjicere Metropolitę Spalatenſi, reluctante Raguſino. 44. 2.
Micuſus Ep. Tinninienſis. 286. 2. diplomati Colomani Ducis Dalmatiæ ſubſcripſit. *ibid.*
Miræus Ep. Senienſis primus, de quo conſtet. 117. 2. a Metropolita Spalatenſi ad Jadertinum deficere molitur. 118. 1. ab Alexandro III. P. per litteras admonitus, in ordinem redigitur. *ibid.* a judicio Raynerii Metropolitæ Spalatenſis ad Pontificem appellat in cauſa, quam habuit cum Matthæo Ep. Nonenſi. 118. 2. 216. 1. ſubſcribit cuidam actui judiciali ejuſdem Raynerii. 119. 1. intereſt Concilio Spalatenſi ſub Petro VII. Archiepiſcopo. *ibid.*
Mladinus II. Banus Dalmatiæ & Chrobatiæ interficiendum curat Paullinum Epiſc. Scardonenſem. 17. 2. in carcerem conjicitur. *ibid.* 57. 1. principatu Boſnenſi exuitur. 57. 1. Tragurium oppugnat. 370. 2.
Mladinus III. Comes Scardonæ, Almiſſæ, & Cliſſiæ obiit. 380. 2. ejus epitaphium. *ibid.*
Modruſſa, olim Tediaſtum, civitas fuit epiſcopalis. 106. 1. nunc pęne diruta. *ibid.* a P. Riceputo deſcribitur, nec non ejus ager & diœceſis. *ibid.* a Turcis direpta. 112. 1.
Modruſſenſes Epiſcopi, olim Corbavienſes. 106. 1. recenſentur. 108. 1. everſa Modruſſa, alibi ſedem precariam conſtituere coacti. 112. 2. Epiſcopi octo poſtremi expunguntur. 114. 1. eligendi jure a Sede Apoſtolica. 149.
Modruſſenſis Epiſcopatus commendatur Epiſcopo Veglenſi. 113. 2. deinde Senienſi, cum quo tandem conjungitur. 114. 1. 136. 2. *& ſeqq.* 140. 1. *&* 149. 150. 151.
Morinenſis Epiſcopatus in Dalmatia commentitius demonſtratur. 456. 1. 457. 1.
Muccurenſes Epiſcopi iidem ac Macarſchenſes. 184. 1.
Mutius Calinus Archiep. Jadrenſis, Vicarius generalis Aloyſii Cornelii Epiſcopi Tragurienſis, Synodum diœceſanam convocat Tragurium. 415. 2. conſtitutiones edit. 416. 417.

N

Natalis I. Ep. Nonenſis, de quo nihil præter nomen. 220. 1.
Natalis II. Ep. Non. catalogum bonorum eccleſiaſticorum confecit, & caſtrum chatilavacium recuperavit. 222. 1. decimas epiſcopales Antonio Oſtoichio locavit. *ibid.* judex electus in cauſa Paſchalis Gradonici, duos alios ſibi ſubrogavit. *ib.* tres dynaſtas hæreticos Boſnenſes Romam adducit. 223. 1. juſſus a Laurentio II. Archiep. Spalat. ut in ordinem cogat F. Alexandrum ſedis Scardonitanæ invaſorem. *ibid.*
Natalis Carideus Epiſcopus Sibenicenſis ex Plebano S. Angeli Venetiarum. 498. 2. obiit Venetiis. 499. 1.
S. Nicolaus Taviglichius Sibenicenſis, ex ordine S. Franciſci, a Turcis interficitur. 463. 2.
Nicolaus IV. P. mandat Epiſcopo Nonenſi, Abbati S. Chryſogoni Jadrenſis, & Archidiacono Spalatenſi, ut Gregorio Ep. Tragurienſi, & Leonardo electo Sibenicenſi diem conſtituant ad ſuam cauſſam Romæ dicendam. 456.
Nicolaus V. P. indulgentias concedit ampliſſimas Stephano Regi Boſinæ. 71. 1. legatum mittit in Boſinam Thomam Ep. Pharienſem, eumque dynaſtæ cuidam Boſnenſi commendat. 71. 2. *&* 259. 2. quædam mandata committit eidem Thomæ per litteras. 259. 2. jubet inquiri & animadverti in eos, qui in Boſina cœnobia quædam & ſacerdotia invaſerant, datis ad eumdem litteris. 260. 2. commendat F. Franciſcum de Lara Epiſcopo Boſnenſi. 71. 2. Epiſc. Conſtantienſem legatum mittit in Boſinam. 72. 1. Diploma Martini Frangipanii pro Virgine Terſactana confectum confirmat. 102. 2.
Nicolaus I. Ep. Scardonenſis, approbat ſententiam Guncelli Arch. Spal. quam dixerat ſecundum monachos SS. Coſmæ & Damiani. 14. 1.
Nicolaus II. Ep. Scard. objurgatur a Joanne V. Archiep.

chiep. Spal. ob violatam jurisdictionem Episc. Tragurienſis. 15. 2. 361. 2.
Nicolaus III. Ep. Scard. teſtis cujuſdam homicidii. 16. 2.
Nicolaus IV. Ep. Scard. ex Epiſcopo Caretenenſi, ex ordine S. Franciſci. 22. 1.
Nicolaus V. Ep. Scard. ex ordine S. Franciſci. 22.
Nicolaus VI. Ep. Scard. ex Canonico. 26. 1. Eccleſiam S. Stephani donat Patribus tertii ordinis S. Franciſci. *ibid.*
Nicolaus VII. Ep. Scard. ex familia Thomaſea Bractienſi. 34. 2.
Nicolaus I. Ep. Boſnenſis ſubſcribit concilio Poſonienſi. 56. 1.
Nicolaus II. Plumbenſis Ep. Boſnenſis ſive Diacovenſis ex ordine S. Franciſci. 82. 2. a Schiſmaticis Raſcianis religionis cauſſa interficitur. 83. 1. & 89. 1.
Nicolaus Ep. Corbavienſis arbiter deligitur ad controverſias componendas inter Comitem Seniæ & Commune Jadrenſium. 98. 1. de ratione colligendi decimas ſcribit ad Andream Archiep. Spalatenſem. *ibid.* epiſtolam accipit a Bonifacio IX. ad FF. Franciſcanos ſpectantem. 99. 1.
Nicolaus Machinenſis Epiſcopus Modruſſenſis primus, decimas quaſdam menſæ epiſcopalis addixit duobus altaribus per Comitem Laſchonem extructis. 108. 1. legatus miſſus ad Stephanum Regem Boſinæ a Pio II. 74. 1. & 108. 2. ejus epitaphium. 109. 2.
Nicolaus I. Ep. Senienſis teſtis adeſt ſententiæ, quam Cardinalis Gentilis tulit ſecundum Eccleſiam Tragurienſem S. Laurentii. 121. 1.
Nicolaus II. Ep. Sen. privatur epiſcopatu. 124. 2.
Nicolaus III. Ep. Sen. ad Eccleſiam Arbenſem transfertur. 128. 1.
Nicolaus IV. Ep. Sen. legatus a Stephano Rege Boſinę Mantuam miſſus ad Pium II. Pontificem. 129. 1.
Nicolaus Ambroſiades Ep. Sen. electus. 136. 2.
Nicolaus V. Pobmajevichius Ep. Sen. & Modruſſenſis ex Canonico Senienſi. 160. 1.
Nicolaus I. Ep. Dumnenſis ex ordine S. Franciſci. 174. 2.
Nicolaus II. Ep. Dumnenſis ex eodem ordine. 176. 1. ſede ſua expulſus Jaderam ſe recipit. 176. 2. in cauſa quadam eccleſiaſtica judex delegatus ibidem. *ibid.* Collector pecuniæ ad bellum ſacrum in Iſtria & Carnia. *ibid.* privilegium concedit cuidam Joanni ob collatum ad eumdem bellum ſubſidium. *ibid.* internuncium ad Glemonenſes mittit, ut illos de ſuo adventu præmoneat. 177. 1. Eccleſiæ Glemonenſis adminiſtrationem petit et obtinet. 177. 2. duo itidem Sacerdotia ibidem obtinet. 178. 1.
Nicolaus III. Ep. Dumnenſis. 179. 2.
Nicolaus Blancovichius Ep. Macarenſis ex Canonico Spalatenſi. 198. 1. antequam eſſet Epiſcopus, curam ſuſceperat Eccleſiæ Macarenſis, Scardonenſis, & Dumnenſis cum titulo Vicarii apoſtolici. 29. 1. 187. 1. 199. 1. Congregationem Philippinam Spalati inſtituit. 199. 2. nominatur Epiſcopus. 200. 1. Venetiis a Patriarcha conſecratur. 200. 2. diœceſim ſæpe luſtravit. *ib.* magno in honore atque veneratione fuit apud Turcas. 201. 1. aggredientes ad ſe interficiendum duobus verbis deterritos in fugam avertit. 201. 2. a Præpoſito generali duos Presbyteros Societatis Jeſu impetravit. 202. 1. partem diœceſis Dumnenſis luſtravit. *ibid.* ejus vita ſanctiſſima & mors. 202. 2. 203. 1.
Nicolaus I. de Matapharis Ep. Nonenſis transfertur ad Eccleſiam Jadrenſem. 220. 2.
Nicolaus II. Ep. Non. ex Archiep. Thebano. 221. 2. Epiſcopatum depoſuit. *ibid.* ejus epitaphium, *ib.*
Nicolaus III. Draſſic Ep. Nonenſis translatus ad Eccleſiam Auxerenſem. 237. 2.
Nicolaus I. Manzavini Ep. Pharienſis a Lucio III. P. conſecratur Veronæ. 244. 1. a Spalatenſi ad Jadertinum metropolitam defecit. 244. 2. ſedem Jadertinam invadit. 245. 2. ſedem Pharienſem recipere fruſtra nititur. 246.
Nicolaus II. Ep. Pharienſis a Guncello Archiep. Spal. conſecratur e Canonico Spalatenſi. 247. 1. Thomam Archidiaconum Spalatenſem Gregorio IX. P. commendat. 247. 2. Hugrinum Archiep. Spalatenſem conſecrat. 248. 1.
Nicolaus III. a Crucibus Ep. Pharienſis poteſtatem condendi teſtamenti a Sixto IV. impetravit. 263. 2. teſtatur. 264. 1.
Nicolaus IV. de Georgiis Ep. Pharienſis. 275. 2. ſodalitatem ſanctiſſimi Redemptoris inſtituit. *ibid.*
Nicolaus I. Ep. Tinninienſis ex Archidiacono. 287. 1. repulſo Simone itidem electo, conſecratur Epiſcopus. 288. 1.
Nicolaus II. Ep. Tinnin. ex Cœnobiarcha Benedictino S. Stephani de Pinnis. 289. 1.
Nicolaus III. Ep. Tinnin. ex ordine Dominicano vel Franciſcano. 290. 1. intereſt Concilio provinciali Spalatenſi, deque ejus mandato duas cauſſas judicat. *ibid.* legationem odioſam ſibi impoſitam ſuſcipere coactus eſt. 291. 1.
Nicolaus IV. Ep. Tinnin. diplomati Ludovici Regis Hungariæ Arbenſibus conceſſo ſubſcripſit. 292. 1.
Nicolaus V. Ep. Tinnin. ex ordine S. Franciſci. 294. 2.
Nicolaus VI. Ep. Tinninien. duobus Matthiæ Regis Hungariæ privilegiis ſubſcripſit. 296. 1. ſe in ſuis litteris decretorum doctorem appellat. *ibid.*
Nicolaus VII. Ep. Tinnin. 296. 2.
Nicolaus VIII. Eſtheraſius Ep. Tinnin. 301. 1.
Nicolaus Caſoctus Ep. Tragurienſis ex Primicerio. 390. 1. decimas unius anni remittit una cum Capitulo Monachis S. Joannis Baptiſtæ. *ibid.* citatus cum quibuſdam Presbyteris & Diaconis ab Hugolino Metropolita nomine monachorum eorumdem, rejicit Hugolinum, & arbitros petit. 390. 2. ab regiis adminiſtris impetrat, ut Tragurienſibus redderentur quæ Pharienſes abſtulerant. 392. 1. jus epiſcopale tuetur. *ibid.* ejus teſtamentum. 392.
Nicolaus Diphnicus Ep. Sibenicenſis ex Archidiacono & Vicario Capitulari. 500. 1. vivit. 500. 2.
Nicolaus Ugrinovichius Ep. Samandrienſis Eccleſiam Boſnenſem adminiſtrat. 77. 2. & Dumnenſem. 181. 2. & Macarenſem. 193. 1.
Nicolaus Ep. Ottonienſis, vel Ottocienſis, ex ordine S. Dominici. 164. 1. 167. 2.
Nicolaus Sillevichius Adminiſtrator Eccleſiæ Pharienſis a Hieronymo de Cipicis Vicario Archiepiſcopi Spalatenſis conſtitutus. 265. 1.
Nicolaus Galucius Archidiaconus Tarviſinus, adminiſtrator Eccleſiæ Tragurienſis. 380. 1.
Nicolaus Canonicus Spalatenſis eligitur Epiſcopus Nonenſis, ſed ejus electio reſcinditur. 217. 2.
Nicolaus de Draganis Primicerius & Vicarius Bartholomæi Ep. Sibenicenſis Joannem Procopovichium electum Archipresbyterum confirmat. 474. 1.
Nicolaus Abbas S. Joannis Baptiſtæ Tragurii, Vicarius Joannis III. Ep. Tragurienſis. 406. 2. & Angeli itidem Epiſcopi. 408. 1. querelam Jacobi præpoſiti Eccleſiæ Berſtranovi de quodam Epiſcopo Græco litteris conſignari jubet. *ibid.*
Nicolaus Banus Slavoniæ & Chrobatiæ jus exigendi decimas Blaſio Ep. Tinninienſi confirmat. 291. 2.
Nicolaus Comes de Breberio, Banus Dalmatiæ, villam Oſtroch Tragurientibus adjudicat adverſus

Spa-

Spalatenſes. 356. 1. 357. 1.
Nicolaus I. Frangipanius Comes Seniæ veritatem tranſitus domus Nazarenæ e Palæſtina Terſactum inquirendam curat. 94. 2. poſt eamdem Terſacto in Picenum advectam, ædiculam eidem conſimilem ibidem excitat. *ibid.*
Nicolaus II. Frangipanius Comes Seniæ cœnobium apud Vinodolium extruit Monachis S. Paulli, illudque dotat vectigalibus. 99. 2. aureos ſexagenos annuos legat Capitulo Senienſi. 125. 1.
Nicolaus de Priolis Comes Tragurii domum S. Lazari apud inſulam Buam tradit Franciſcanis Conventualibus. 420. 2. 421.
Nicolaus Salius vitam S. Ivanis Chrobati, in Bohemia anachoritæ, deſcripſit. 210. 1.
Nicolaus Petricellus e Congregatione Somaſcha vitam Stephani Cupilli Ep. Trag. conſcripſit. 440.
Nicolaus Buronia cœnobium Benedictinum S. Luciæ inſtituit Sibenici. 497. 1.
Nona, olim *Ænona*, urbs Dalmatiæ antiquiſſima. 204. 1. Venetis deditur. 220. 1. 221. 2. 227. 1. S. Marcella opitulante obſidione Turcarum liberata. 224. 2.
Nonenſes lucem evangelii accepiſſe dicuntur temporibus apoſtolicis. 204. 1.
Nonenſes Epiſcopi. 204. dicti *Epiſcopi Chrobatiæ*. 205. 2. 212. 1. recenſentur. 206. 1. jus obtinuerunt conferendi Zupanatus Nonenſis. 219. 2. Jaderæ commorandi facultatem impetrant ab Innocentio VIII. P. 224. 1.
Nonenſis Eccleſia fundata a S. Anſelmo uno de ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis, & primo Nonenſium Epiſcopo. 204. 1. poſt S. Anſelmum deficit uſque ad ſeptimum ſæculum. 205. 2. unica totius Chrobatiæ uſque ad inſtitutionem Belgradenſis & Tinninienſis Epiſcopatuum. 205. 2. 212. 1. 214. 2. commendata Archiep. Neapolitano. 221. 2.
Nonenſis diœceſis deſcribitur. *ibid.* in Concilio nationali Spalatenſi certis finibus circumſcribitur. 213. 1. & in altero provinciali. 214. 1. inſtitutione Epiſcopatuum Belgradenſis & Tinninienſis valde diminuta. 214. 2. deſcripta a M. Antonio Raymundo Georgii I. & Jacobi II. Epiſcoporum Nonenſium Vicario. 225. 2.

O

Oliverius Cardinalis bibliothecam relictam a Fantino de Valle PP. Dominicanis Buenſibus commendat Tragurienſibus. 410. 2.
Ordelaphus Phaletrus Dux Venetiarum privilegium concedit monachis Belgradenſibus S. Joannis Evangeliſtæ. 6. 2.
Ottocienſes Epiſcopi. 163. 2. omnino quatuor. 164. 1. *Canonici* a Clemente VII. P. juſſi Petrum Epiſcopum recipere. 166. 2.
Ottocienſis Epiſcopatus inſtitutio. 164. 1. & abolitio. 133. & 165. 2. 167. 2.
Ottocium, vulgo *Ottochaz*, oppidum diœceſis Senienſis, & ſedes olim epiſcopalis. 163. 2. Capitulum retinet Canonicorum, & Abbatiam S. Nicolai. 164. 1.

P

Patareni hæretici graſſantur in Boſina. 45. a Bano & Epiſcopo Boſinæ in clientelam accepti. 45. 2. ædem cathedralem & urbem epiſcopalem diruunt. 46. 1. multi ad catholicam fidem converſi. 46. Papam ſibi creant. 47. 2. & Epiſcopum, qui a catholicis expellitur. 48. 1. reviviſcunt in Boſina. 53. igne divinitus immiſſo non ſolum territi, ſed in hæreſi confirmati. 61. 2. quatuor Epiſcopos mittunt ad Concilium Baſileenſe, qui non admittuntur. 66. 1. Boſina excedere jubentur aut fidem catholicam amplecti. 73. 1. diœceſim Tinninienſem invadunt. 290. 2.
Paullinus Draſcovitius Ep. Scardonenſis interficitur a Mladino Bano Dalmatiæ & Chrobatiæ. 17. 2.
Paullus II. P. Sacerdotium Sibenicenſe S. Danielis Joanni Tholonichio collatum approbat. 470. 1. jubet tribus Epiſcopis Dalmatiæ, ut quoſdam eremitas compellant ad deponendum habitum Minoritarum. 470. 2.
Paullus III. P. cœnobium Pharienſe Virginum ordinis S. Benedicti approbat, datis litteris ad Epiſcopos Caſtelli maris & Vigevani, & ad Vicarium Epiſcopi Pharienſis. 275. 2.
Paullus Poſilovichius Ep. Scardonenſis ex ordine S. Franciſci. 28. 2. ex Italico in Boſnenſem ſermonem tranſtulit opuſculum, quod *Flos virtutum* inſcribitur. 29. 1. fruſtra nititur eripere Ep. Boſnenſi adminiſtrationem Eccleſiæ Dumnenſis. 182. 1.
Paullus I. Ep. Senienſis ex ordine S. Franciſci. 129. 1. ſub quo Sixtus IV. indulgentias Eccleſię Senienſi S. Spiritus conceſſas confirmat. 130. 1.
Paullus II. Ep. Senienſis. 131. 1.
Paullus I. Ep. Tinninienſis duobus Ludovici Regis Hungariæ privilegiis ſubſcripſit. 292. 1. Patribus Dominicanis Jadrenſibus partem decimarum epiſcopalium donavit. *ibid.* in litteris Mariæ Reginæ, & diplomati Sigiſmundi Regis Hungariæ nominatus. 292. 2.
Paullus II. de Churina Ep. Tinnin. ex Archidiacono Zagrabienſi. 298. 1.
Paullus III. David Ep. Tinnin. transfertur ad Eccleſiam Veſprimienſem. 300. 1.
Paullus Dragechivichius Ep. Diumenſis ex ordine S. Franciſci, Vicarius apoſtolicus & adminiſtrator Eccleſiæ Boſnenſis & Dumnenſis. 84. 2. 85. 2. & 183. 2. conſecratur Epiſcopus ab Archiepiſcopo Jadertino. 86. 1. onus Vicarii depoſuit. 86. 2.
Paullus Eritius Canonicus Strigonienſis eligitur Epiſcopus Sibenicenſis a ſchiſmaticis Sibenicenſibus. 355. 1. 454. 2. anathemate perculſus ab Epiſcopo Tragurienſi. 355. 2. 455. 1. nomen Epiſcopi deponere juſſus a legato apoſtolico. 359. 1. 455. 2. obiit. 361. 2. 456. 1.
Paullus de Breberio, Banus Chrobatiæ & Dalmatiæ de quibuſdam vectigalibus convenit cum Scardonenſibus. 16. 1. Boſinæ principatum obtinet. 55. 2.
Paullus Comes Corbariæ donat quintam partem villæ Cherniachianæ hoſpitali Buſanenſi S. M. Magdalenæ. 99. 1.
Paullus Ritter Benedictum Ep. Senienſem elogio laudat perhonorifico. 158. 1.
Pax Jordanus Ep. Tragurienſis. 427. 1. diœceſim luſtrat & plures ſynodos convocat. 427. 2. de quibuſdam rebus conſulit ſacram Cardinalium Congregationem. 428. 1. clericis omnibus edicit, ut ſtatis diebus ad dirimendas quæſtiones theologicas conveniant. 428. 2. tibiam S. Severini M. Roma allatam in ædem cathedralem deducit. 429. 1. opus egregium in lucem edit. *ibid.*
B. Peregrinus de Saxonia Ep. Boſnenſis ex rectore Vicariæ Franciſcanæ Boſnenſis. 60. 1. plurimos hæreticos convertit. 60. 2. titulo Beati donatus. *ibid.*
Peregrinus Ep. Senienſis. 121. 2.
Petramuſtus Ep. Scardonenſis ex Epiſcopo Acienſi, ordinis S. Franciſci. 21. 1.
Petrana Comes Jaderæ auctor Epiſcopatus Pharienſis. 241. 1.

Petrus Patzmanus Cardinalis, Archiep. Strigonienſis præfectos Comitum Zriniorum immunitati Eccleſiæ Senienſis infeſtos deterret. 139. 1.
Petrus VII. Archiep. Spalatenſis Epiſcopatum Corbavienſem inſtituit. 91. 2. & 92. 2.
Petrus VIII. Archiep. Spalatenſis controverſiam dirimit, quæ erat Michaeli Ep. Tragurienſi cum Capitulo Tragurienſi. 333. 2.
Petrus IX. Archiep. Spalatenſis Epiſcopatum Dumnenſem reſtituit. 172. 2. & Macarſchenſem. 185. 2.
Petrus I. Ep. Scardonenſis ex Ordine S. Franciſci, transfertur ad Epiſcopatum Caſtrenſem. 22. 1.
Petrus II. de Marchis Ep. Scard. ex eodem ordine poteſtatem accipit a Pontifice eximendi quemdam Presbyterum a duplici vinculo, canonico & divino. 24.
Petrus I. Ep. Boſnenſis ex ordine S. Dominici conſecratur ab Epiſcopo Oſtienſi. 56. 2. obiit Avenione. 58. 2.
Petrus II. Ep. Boſn. ex ordine Dominicano vel Franciſcano. 61. 1. epiſtolam accipit ab Urbano V. P. qui PP. Franciſcanos illi commendat. 62. 1. variis diplomatibus ſubſcribit. 61. 1. & 64. 1.
Petrus III. Ep. Boſnenſis ſive Diacovenſis ante conſecrationem obiit. 83. 2. 89. 1.
Petrus IV. Bachichius Ep. Boſnenſis ſive Diacovenſis. 84. 1. & 89. 2.
Petrus I. Ep. Corbavienſis obiit in Anglia. 95. 2. & 96. 1.
Petrus II. Ep. Corb. approbat privilegium, quod Ludovicus Rex Hungariæ fecit ſecundum Virgines de Valle Veſprimienſi. 97. 2.
Petrus III. de Zeth Ep. Corb. ex Archidiacono Zagrabienſi. 101. 2.
Petrus Marianus Ep. Senienſis & Modruſſenſis Conſiliarius Cæſareus Seniam miſſus a Ferdinando III. rege Hungariæ cum litteris commendatitiis. 140. 2. auxilium impetrat a Ferdinando adverſus Nicolaum Zrinium. 142. diœceſim Modruſſenſem perluſtrat, & multa ibidem decernit. 142. 2. quæ Archiep. Strigonienſis confirmat. 143. Romæ accuſatus, per epiſtolam ad Præſidem Sacræ Congregationis de Propaganda fide ſe purgat. 144. 1. ipſe vel ejus deceſſor Baſilicam Terſactanam amplificat. 145. 1. obiit & tumulatur Terſacti. *ib.*
Petrus de Andreis Ep. Ottocienſis. 165. 2. jus adeundi Epiſcopatum bis amittit, quod eidem Clemens VII. P. reſtituit. 166. 1. commendatur ab eodem Canonicis Ottocienſibus. 166. 2. poſtremus, vel poſtremo proximus. 167. 2.
Petrus Teliconius Ep. Dalmatienſis, ſive Dumnenſis, ex ordine S. Franciſci & e pœnitentiario apoſtolico. 174. 1.
Petrus Cacichius Ep. Macarenſis ex ordine S. Franciſci. 195. 2. adminiſtrat Eccleſiam Dumnenſem. 181. 2. & 197. 1.
Petrus Cedulinus Ep. Nonenſis. 227. 1. intereſt Concilio nationali Jadrenſi. 227. 2. translatus ad Eccleſiam Pharienſem. *ibid.* 274. 1.
Petrus I. Cedulinus Ep. Pharienſis e Nonenſi. *ibid.* duas ſynodos celebravit. 274. 1. intereſt Concilio Spalatenſi & inventioni S. Felicis Ep. 274. 2. in diſciplina eccleſiaſtica tuenda excedit. *ib.* Congregationem doctrinæ chriſtianæ inſtituit, quam aggregandam ad Archiconfraternitatem Romanam curavit. 274. 2. Octavianum Garzadorum Archiep. Jadrenſem & Viſitatorem apoſtolicum excepit. 275. 1. oculis orbatur. *ibid.* ejus teſtamenta & epitaphium. *ibid.*
Petrus II. Ribolus Ep. Pharienſis e Canonico Spalatenſi. 279. 2. vivit. *ibid.*
Petrus I. Ep. Tinninienſis diplomati Svinimiri regis Chrobatiæ ſubſcripſit. 284. 1. interfuit conventui Tinninienſi celeberrimo. *ibid.*
Petrus II. Boncherius Ep. Tinnin. ex ordine S. Dominici. 288. 2. ſcripſit Commentaria ſuper 4. libros Magiſtri ſententiarum. 289. 1.
Petrus III. Hereſſynezis Ep. Tinnin. transfertur ad eccleſiam Zagrabienſem. 299. 2.
Petrus Ep. Tragurienſis ſæculo octavo, ſi ſchedis mſſ. Joannis Lucii ſit fides. 306. 2.
Petrus Lupi de Luna, Auditor Ægidii Ep. Sabinenſis & legati apoſtolici, terminum concedit Ep. Trag. & Capitulo ad cauſſam dicendam in eorum controverſia, 388. 2.
Petrus Paullus Vergerius Ep. Modruſſenſis ex clerico Juſtinopolitano. 112. 2. ad Eccleſiam Juſtinopolitanam transfertur, & ad hæreticos deficit. 113. 1.
Petrus Paullus Calorius Ep. Tragurienſis e Congregatione Somaſcha. 442. 1. cultus S. Ignatii de Lojola propagator, 442. 2. ad Veglenſem Eccleſiam translatus. *ibid.*
Pharia inſula maris Adriatici, nunc Leſina, 238. 1. deſcribitur. *ibid.* 239. 1. variis dominis paruit, nunc Venetis. 239. 1. Cœnobia, xenodochia, & Abbatiæ in urbe ac diœceſi Pharienſi, 240. 2. ante Epiſcopatum Pharienſem, in diœceſi Spalatenſi continebatur. 239. 2. piratica tyrannide armis Spalatenſium liberatur. 247. 2. a Ludovico rege Hungariæ Venetis adempta. 252. 2. a Venetis recepta. 254. 2. vaſtata a Turcis ac direpta. 269. 1.
Pharia urbs inſulæ Phariæ deſcribitur. 238. 1. vaſtata a Turcis ac direpta. 269. 1.
Pharienſes Epiſcopi. 238. dicti *Epiſcopi inſularum*, & *Pharienſes & Brachienſes*. 239. 2. recenſentur. 240. 2.
Pharienſis Epiſcopatus quando conditus. 239. 2. judicatur ſuffraganeus Metropolitæ Spalatenſis adverſus Jadertinum a legato apoſtolico. 243. 1. commendatur Capitulo Spalatenſi, donec electio Michæ Ep. declaretur legitima. 246. 1. commendatur Archiepiſcopo Spalatenſi. 254. 2.
Pharienſis diœceſis. 239. 2. in concilio provinciali Spalatenſi deſcripta. 244. 2. contrahitur ob inſtitutionem epiſcopatus Corcyrenſis. 249. 1.
Pharienſis ædes cathedralis & Capitulum. 240. 1.
Philippus Seralius Ep. Modruſſenſis ad Eccleſiam Aliphanam translatus, 113. 1.
Philippus Ep. Senienſis conſecratus Lugduni ab Innocentio IV. P. 120. 1. conſecrat Hugrinum Archiep. Spalatenſem, a quo miſſus Lugdunum pallium ab Innocentio IV. ejus nomine petit. 120. 2.
Philippus de Sardinia, auditor Cardinalis Gentilis legati apoſtolici in Dalmatia, ſententiam tulit ſecundum Liberium Ep. Tragurienſem in controverſia, quæ Epiſcopo erat cum Tragurienſibus. 369. 1.
Philippus Riceputus e Societate Jeſu diœceſim Modruſſenſem deſcripſit. 106. & 107.
Philippus de Ochievia ex ordine S. Franciſci de hiſtoria Eccleſiæ Boſnenſis optime meritus. 38. 2. quo in ſtatu nunc ſit Eccleſia Boſnenſis, deſcripſit. 86. 2.
Pius II. P. indulgentias ædi B. M. V. prope Modruſſam conceſſas confirmat. 104. 1. jubet Epiſcopis Dalmatiæ, ut anathema infligant omnibus illis, qui bona Eccleſiæ Corbavienſis uſurpant. 104. 2. poteſtatem facit Franciſco Ep. Corbavienſi duo Sacerdotia conjungendi cum menſa epiſcopali. 105. 1. ſedem epiſcopalem Corbavienſem

ſem Modruſſam transfert, 105. 2. Nicolaum Ep. Modruſſenſem legatum mittit in Boſina. 74. 1, 108. 2. jubet Thomæ Ep. Pharienſi legato apoſtolico in Boſina excommunicatum declarare Stephanum Regem Boſinæ. 263. 1.
Pius Manzadorius Ep. Senienſis & Modruſſenſis ex Præpoſito generali Clericorum S. Paulli, 162. 2. adhuc vivit. 163.
Pontius Ep. Senienſis. 121. 2.
Portina Ep. Senienſis, an idem ac Prothina Seginenſis, incertum, 121. 2. quinque privilegiis Ludovici Regis Hungariæ teſtis adeſt. 122. 1.
Præſtantius Ep. Belgradenſis donat monachis S. Joannis Evangeliſtæ eccleſiam SS. Coſmæ & Damiani. 4. 2. intereſt conſecrationi ædis S. Joannis Evangeliſtæ. 5. 1. & Concilio Spalatenſi. 5. 2.
Prodanus Ep. Nonenſis ſuam fidem atque obedientiam Petro VIII. metropolitæ ſacramento ſollemni addixit. 217. 1.

Q

Quirinus princeps Salonitanus multa legavit eccleſiæ cathedrali S. Laurentii Tragurii, 308. 1.

R

Radingoſtus Omuchevichius Ep. Boſnenſis ritus Græci. 62. 2.
Radoslavus Ep. Corbavienſis ex ordine S. Franciſci duas ſacras ædes in Oſtrovicia quadraginta dierum indulgentia donavit. 96. 2. Concilio Spalatenſi per procuratorem intereſt. 97. 1. litem, quam Canonicis Zagrabienſibus intulerat, amiſit. *ibid.*
Rama membrum diœceſis Boſnenſis. 82. 1.
Raymundus de Aſpertis Ep. Pharienſis ex ordine S. Dominici. 278. 2. ædem cathedralem Pharienſem & templum S. Stephani in urbe veteri conſecrat. *ibid.*
S. Raynerius Archiep. Spalatenſis petit ab Alexandro III. P. per litteras, ut judicium confirmet, quem tulerat in cauſa Miræi Ep. Senienſis cum Matthæo Ep. Nonenſi. 119. 1.
Raynerius Ep. Tininienſis tria Creſimiri Regis Chrobatiæ privilegia laudavit. 282. 2. intereſt duobus Conciliis Spalatenſibus. 283. 1.
Rhadagaſtus Ep. Boſnenſis an ſubjectus fuerit metropolitæ Raguſino, vel Spalatenſi, incertum. 44.
Richardus expunctus ex catalogo Epiſcoporum Pharienſium. 254. 1.
Rodanus Ep. Nonenſis diplomati Stephani III. Regis Hungariæ ſecundum Eccleſiam Spalatenſem teſtis adeſt. 215. 2.
Rodulphus Coroninus vitam deſcripſit Marini Epiſcopi Tragur. 400. 1.

S

Sanſon, ſive *Janſon* Ep. Nonenſis conſecratus a Guncello Archiep. Spalatenſi. 218. 1.
Saracenus Ep. Corbavienſis conſecratur ab eodem. 93. 2. a Joanne V. Arch. Spal. ad diœceſim Tragurienſem luſtrandam delegatus non recipitur a Tragurienſibus. 94. 1. Presbyterum ordinat Nicolaum electum Tininienſem. 287. 2. adeſt ejuſdem conſecrationi epiſcopali, & teſtificationem edidit. 288. 1. teſtatur Gervaſium Archidiaconum Tragurienſem anathemate perculiſſe Sibenicenſes. 94. 1. & 354. 2.
Savinus Abbas monaſterii Tragurienſis S. Jo. Baptiſtæ domum locat Communi Tragurienſium ad annos undetriginta. 375. 2. adminiſtrator Eccleſiæ Tragurienſis intereſt Concilio provinciali Spalatenſi. 380. 1.
Scardona urbs perantiqua ac celebris. 9. 2. ejus poſitio, *ibid.* Venetis traditur. 19. 1. 21. 2. 28. 1. 29. 1. ſub imperium Hungarorum tranſit. 19. 2. 21. 2. a Turcis capta. 27. 2. & 29. 1.
Scardonenſe Capitulum. 10. 2. tabulas conventionis inter Scardonenſes & Paullum Banum confici jubet. 16. 1. Judex in controverſia Andreę Archiep. Spalatenſis cum Comitiſſa Cetinæ. 21. 1.
Scardonenſes partim Græci, partim latini ritus. 10. 2. de quibuſdam vectigalibus conveniunt cum Paullo Bano. 16. 1. ſubſunt Sibenicenſibus. 21. 2.
Scardonenſes Epiſcopi. 9. 2. Belgrado translati. 10. recenſentur. *ibid.* a Venetis eliguntur. 29. 1.
Scardonenſis Epiſcopatus perantiquus. 9. 2. nuper Belgrado Scardonam translatus. 10. 1. aliis ex aliis commendatur. 28. 1. 29. 1.
Scardonenſis Diœceſis. 10. 2. *ædes cathedralis*. *ibid.*
Sebaſtianus Glavinich Ep. Senienſis & Modruſſenſis. 147. 1. detrimenta eccleſiis illata collegit & expoſuit Leopoldo Imp. 147. 2.
Secundus Nanius Ep. Argolicenſis & Neapolienſis accipit decimas ærario apoſtolico debitas a Thoma II. Ep. Senienſi, idque teſtatur ſuis litteris. 124. 2.
Senia urbs Japidiæ deſcribitur, 114. nunc Venetis, nunc Hungaris ſubjecta. 115. 1. dono data Comitibus Frangipaniis a Bela IV. Rege Hungariæ. *ibid.* & 120. 2. adempta. 130. 2. ab iiſdem recepta. 132. 1. ſed tandem reddita Regibus Hungariæ. 115. 2. & 135. 2. a Venetis capta & incenſa. 122. 2.
Senienſes ob levem cauſſam anathemate icti a Michaele II. Ep. Senienſi ad Rodulphum Imp. per litteras confugiunt. 137. 1.
Senienſes Epiſcopi. 114. 1. recenſentur. 117. adminiſtratores Eccleſiæ Modruſſenſis. 136. 2. & *ſeqq.* a Spalatenſi ad Strigonienſem Metropolitam deficiunt. 137. 1. 138. 1. 147. 1. iidem & Modruſſenſes Epiſcopi. 140. 1. 149. 150. 151. Conſiliarii Regis Hungariæ. *ibid.*
Senienſis Epiſcopatus initia obſcura. 115. 2. antequam reſtitutus eſſet, commendabatur Epiſcopo Veglenſi. 116. 2. & 118. 1. cum Epiſcopatu Modruſſenſi conjunctus. 140. 1. 149. 150. 151. ejus Capitulum, ædes cathedralis, & cœnobia. 116. 1.
Senienſis Diœceſis. 116. 2. 117. 1.
Seralium urbs totius Boſinæ celeberrima. 39. 2. idem forte ac *Biſtum novum*. *ibid.* 41. 2. creditur Boſna olim urbs Boſinæ. 39. 2. ſedes Epiſcoporum. 49. 1.
Severinus ex ordine S. Franciſci e catalogo Epiſcoporum Tragurienſium expungendus. 397. 1.
Sibenicenſe Capitulum. 459. 2.
Sibenicenſes piraticam exercent. 449. 2. Equitibus Templariis ſubeſſe detrectant. 450. 1. variis dominis paruerunt, demum Venetis. 449. 450. anathemate perculſi ab Hugrino Archiep. Spalatenſi, & ab Innocentio IV. P. abſoluti. 452. 1. Epiſcopum impetrant a Bonifacio VIII. P. 459. cum Antonio Ep. contendunt de decimis, eumque accuſant apud Bonifacium IX. P. & ob id ab eodem per litteras reprehenſi. 465. cauſam de decimis obtinent. 466. 1.
Sibenicenſes Epiſcopi. 449. a Bonifacio VIII. P. inſtituti. 459. recenſentur. 460. 1.
Sibenicenſis Clerus litem intendit clericis Tragurienſibus, quæ ab Epiſcopo Corbavienſi dirimitur. 334. 1. 451. 1. aliam Treguano Ep. Tragurienſi, quæ dirimitur ab Archidiacono Spalatenſi. 339. 2. 451. 1. novæ ejus controverſiæ cum Tragurienſibus. 342. 1. 451. 2. confitetur ſuam Eccleſiam Tra-

Tragurienſi ſubjectam eſſe. 342. 2. 451. 1. promiſſis non ſtans excommunicatur a Treguano Ep. 343. 2. 452. 1. condemnatur ab Archiepiſcopo Jadrenſi juſſu Innocentii IV. P. 344. 1. 452. 2. tribus judicibus remittitur ab eodem Pontifice. 346. 1. 453. 1. cauſſam ſuam Stephano Cardinali Prænestino commendat. 453. 2. abſolutus a Columbano Ep. Tragurienſi a cenſuris. 346. 2. 454. 1. in ordinem redigitur quoad ejus mores corruptos a Joanne V. Archiep. Spalatenſi. 353. 1. 454. 1. anathemate perculſus a Gervaſio Archidiacono Tragurienſi. 354. 1. 455. 1. Paullum Eritium ſibi Epiſcopum eligit. 355. 1. 454. 2. anathemate ictus a Columbano Ep. 355. 2. 455. 1. Paullo Eritio vita functo, Leonardum Phaletrum Epiſcopum ſibi eligit. 361. 2. 456. 1. Epiſcopatum neſcio quem Morinenſem translatum fuiſſe Sibenicum confingit. 456. 1. tandem Epiſcopum impetrat a Bonifacio VIII. P. 459.

Sibenicenſis Diœceſis. 459. 2. duabus inſulis Mortario & Surio aucta. 461. 1.

Sibenicenſis Baſilica abſolvitur. 475. 1. cetera Dalmatiæ templa facile antecellit. 476. 1.

Sibenicenſis Arx de cælo tacta. 498. 2.

Sibenicum aliud a Sico oppido vetuſtiſſimo. 449. 1. deſcribitur. *ibid.* jure civitatis donatur a Stephano III. Rege Hungariæ. 449. 2. variis dominis paruit, demum Venetis. 449. 2. 450. diœceſis Tragurienſis pars. 450. 2. Epiſcopatum obtinet. 459. a Turcis obſeſſum. 497. 2. peſtilentia vaſtatum. 498. 1.

Sicum oppidum vetuſtiſſimum, aliud a Sibenico. 449. 1.

Sigiſmundus Rex Hungariæ donationem Paulli Comitis Corbaviæ factam Eccleſiæ Buſanenſi S. Mariæ Magdalenæ confirmat. 100. 2. ſcribit ad Tragurienſes, ut monumenta de ſanctitate B. Joannis Urſini Ep. Tragurienſis ad ſe tranſmittant. 329. 2. 396. 2. poteſtatem facit Tragurienſibus eligendi cœnobiarchæ S. Joannis Baptiſtæ. 396. 2. colonos Epiſcopi Sibenicenſis ſubjicit curiæ epiſcopali. 464. 2. jubet Sibenicenſibus decimas Epiſcopo perſolvere. 465. 1.

Simeon Diphnicus Ep. Nonenſis. 229. 2. ad Feltrenſem Eccleſiam transfertur. 230. 1.

Simeon Florius Canonicatum obtinet a Capitulo Tragurienſi. 419. 1. in ejus poſſeſſionem inducitur. 419. 2.

Simon Begnius Ep. Modruſſenſis. 110. 2. intereſt Concilio generali Lateranenſi quinto, & in ſexto conventu orationem habuit eloquentiſſimam. 111. 1. & 2. varia monumenta vetera collegit. 112. 1. ejus obitus & epitaphium. 112. 1.

Simon Ep. Macarſchenſis ex ordine S. Franciſci, dictus Ep. Crainenſis. 188. 2.

Simon Ep. Pharienſis notus ex conventione quadam inter Benedictinos Iſſenſes S. Nicolai & Dracdoſtam piam mulierem. 248. 2.

Simon ex ordine S. Dominici electus Ep. Tinninienſis Martinum Canonicum Tragurienſem ſuum procuratorem inſtituit, ut adverſus Nicolaum pariter electum cauſſam diceret apud Joannem V. Metropolitam. 287. 1. cauſſa cecidit. 287. 2.

Simon I. de Dominis Ep. Tragurienſis electionem Lucæ Presbyteri in Canonicum confirmat. 396. 1. impetrat Tragurienſibus a Sigiſmundo poteſtatem eligendi cœnobiarchæ S. Jo. Baptiſtæ. 396. 2. intereſt Concilio Conſtantienſi. *ibid.* loco rebellium a Venetis habitus & urbe expulſus. 397. Marinum Ep. Arbenſem ſuum ſucceſſorem eligendum curat. *ibid.*

Simon II. Cavagninus Ep. Tragurienſis ex Canonico Spalatenſi. 439. 2.

Sixtus IV. P. mandat Epiſcopo Scardonenſi, ut Stephanum Presbyterum duplici vinculo innodatum exſolvat. 24. indulgentias Eccleſiæ Senienſi S. Spiritus a Bonifacio IX. P. conceſſas confirmat. 130. 1. poteſtatem teſtamenti condendi facit Nicolao III. Ep. Pharienſi. 263. 2. bibliothecam a Fantino de Valle Dominicanis Buenſibus teſtamento legatam diplomate communivit. 411. 1.

Spalatenſe Capitulum teſtatur Nicolaum Ep. Tinninienſem conſecratum fuiſſe a Joanne V. Archiep. Spalatenſi & duobus aliis Epiſcopis. 288. 1.

Spalatenſes bellum gerunt cum Tragurienſibus. 341. 2. de villa Oſtroch armis, cum iiſdem contendunt. 356. 1. cauſſam obtinent apud Ladislavum Regem. 356. 2. pacem ineunt cum Tragurienſibus. 358. 2. rurſus Tragurienſibus infeſti, rurſus ineunt pacem. 360. 1.

Stana uxor Petriſſæ domum vendidit Treguano Ep. Tragurienſi. 338. 2.

Stanimirus Archipresbyter Sibenici fatetur ſuam Eccleſiam Tragurienſi ſubjectam eſſe. 342. 2. 452. 1.

S. Stanislava fundat monaſterium S. Claræ in ſuburbio Scardonenſi. 15. 1.

Stephanenſes Epiſcopi quinque in Epiro, non in Dalmatia. 194. 1.

Stephanenſis Eccleſia eadem ac Naroniana. 194. 1. alia a Stephanenſi in Epiro. 194. 2.

Stephanenſis Diœceſis. 194. 2. adjudicatur Epiſcopis Macarenſi & Tribunienſi. 195. 1.

Stephanus Antonius Triviſanus Epiſc. Scardonenſis ex Archidiacono Scardonenſi. 36. 2.

Stephanus I. Radoſnichius Ep. Boſnenſis ex ordine S. Franciſci. 67. 1. litteras accipit a Nicolao V. P. qui illi F. Franciſcum de Lara commendat. 71. 2. ejus exitus ignotus. 74. 1.

Stephanus II. Senney, Ep. Boſnenſis ſive Diacovenſis a Rege Hungariæ, ſed a Sede Apoſtolica non approbatus. 79. 2.

Stephanus Ep. Boſnenſis ſive Diacovenſis electus. 76. 1.

Stephanus Doycich titulo tenus Ep. Corbavienſis. 114. 1. cauſa cadit adverſus Martinum II. Ep. Senienſem de Epiſcopatu Corbavienſi. 150. 151.

Stephanus Ep. Dalmatiæ, ſive Dumnenſis ſedem epiſcopalem Dumni recuperavit. 173. 2.

Stephanus Epiſcopus primus Macarſchenſis ex Presbytero Eccleſiæ Salonitanæ. 184. 1.

Stephanus II. Blaſcovichius Epiſcopus Macarſchenſis ex Præpoſito Congregationis S. Philippi Nerii. 203. 1. adhuc vivit. 203. 2.

Stephanus Ep. Nonenſis poſſeſſionem Lichæ, quam ei ceſſit Joannes V. Archiep. Spalatenſis a Stephano Rege Hungariæ ſibi confirmandam curavit. 218. 2. 219. 1. intereſt dedicationi eccleſiæ S. Marci PP. Prædicatorum, quam Guido Patriarcha Gradenſis conſecravit. 219. 1.

Stephanus I. Ep. Pharienſis ex Primicerio Spalatenſi. 251. 1. Lucam Abb. SS. Coſmæ & Damiani, Ep. Pharienſem conſecratum, acerrimum habuit adverſarium. 251. 2. excommunicatur & ab Epiſcopatu depellitur. *ibid.* fruſtra recipere nititur. 252. 1.

Stephanus II. Ciga Ep. Pharienſis. 252. 2. Tragurii graviter vulneratur. *ibid.* 383. 1. pro pecunia mutuo accepta turrim domeſticam Tragurienſibus tradit. 253. 2.

Stephanus de Sloradis Plebanus Eccleſiæ Jadrenſis S. Matthæi eligitur Epiſcopus Pharienſis, ſed rejicitur. 251.

Stephanus Fejerkovus Ep. Tinninienſis. 299. 1. ad Eccleſiam Veſprimienſem translatus. 299. 2.

Ste-

Stephanus Cupillus Ep. Tragurienſis e Congregatione Somaſcha. 439. 2. vix electus Ep. Arbenſis transfertur ad Eccleſiam Tragurienſem. *ibid.* ejus vita a Nicolao Petricello conſcripta uſque ad Archiepiſcopatum Spalatenſem adeptum. 440. anathemate exſolvit quoſdam agros Tragurienſes juſſu Innocentii XII. P. 441. 1. cultum B. Auguſtini Caſocti reſtituit. 441. 2. & S. Ignatii Lojolæ provehit. *ibid.*

Stephanus Ep. Nitrienſis & alii duo, Judices delegati a Ludovico Rege Hungariæ, ſententiam ferunt ſecundum Bartholomæum Ep. Tragurienſem adverſus Epiſcopum Sibenicenſem in controverſia de decimis. 385. 2. pecuniam commodat eidem Bartholomæo ad ſolvendum quod debebat legato apoſtolico. 389. 2.

Stephanus Avellanus Ep. Sanctuarienſis Vicarium agit Franciſci Quirini Ep. Sibenicenſis. 473. 2. interdictum Hectoris de Franciſcis, antea Vicarii ejuſdem Epiſcopi, nullum eſſe declarat. *ibid.* viſitationem epiſcopalem Sibenicenſem indicit, 474. 1.

Stephanus Ep. Senienſis expungitur. 131. 2.

Stephanus III. Rex Hungariæ diploma concedit monachis Belgradenſibus SS. Coſmæ & Damiani. 7. 2.

Stephanus Rex Serbliæ Boſinam Hungaris adimit, hæreticoſque Boſnenſes exterminandos curat, 55. 1.

Stephanus Dabiſcia Rex Boſinæ Dalmatiam & Chrobatiam cedit Sigiſmundo Regi Hungariæ. 64. 2.

Stephanus Tuartkus I. Banus Boſinæ catholicis infenſus. 61. 173. 2. titulum Regis Boſinæ & Raſciæ aſſumit. 63. 2.

Stephanus Tuartkus II. cognomento *Scurus* Rex Boſinæ. 64. 2. fœdus init cum Stephano Jablanovichio contra Oſtojam. 65. 2. & cum Turcis. *ibid.* ſolus regnat in Boſina. 66. 2. B. Jacobi Piceni necem molitur. *ibid.*

Stephanus Oſtoja Chriſtichius Rex Boſinæ Turcas in Boſinam evocat. 65. 2.

Stephanus Jablanovichius Rex Boſinæ fœdus init cum Tuartko II. adverſus Oſtojam. 65. 2.

Stephanus Thomaſcus Rex Boſinæ. 67. 1. baptizatur ritu latino. 68. 1. 257. 1. Conventum Boſinenſem edicit Epiſcopis & proceribus. *ib.* 258. 1. commendatur Hungaris ab Eugenio IV. P. 70. 1. indulgentiis cumulatur ab Nicolao V. P. acceptis litteris. 71. 1. erga PP. Franciſcanos apprime benevolus. 71. 2. Nicolaum Teſtam legatum mittit ad Pontificem & Principes chriſtianos, ampliſſimis litteris communitum. 72. bellum Turcis illaturus a Calliſto III. P. crucis inſigne impetrat. 72. 2. dynaſtas Boſnenſes congregari jubet, datis ad eos litteris. *ibid.* Patarenos Boſina excedere jubet. 73. 1. cum Turcis amicitiam jungit. 73. 2. a filio & fratre interficitur. *ibid.*

Stephanus Rex Boſinæ Stephanum Thomaſcum patrem interficit, eique in regnum ſuccedit, 73. 2. victus a Turcis vitam ac regnum amiſit. 74. 1.

Synodus Tragurienſis ſub Aloyſio Epiſcopo, & ejus conſtitutiones. 415. 2. *Sibenicenſis* ſub Hieronymo Epiſcopo. 477. 2. ejus conſtitutiones. 478. *& ſeqq. Synodi ſeptem Sibenicenſes* ſub Vincentio Arrigono Epiſcopo, & earum conſtitutiones. 484. *& ſeqq.*

T

Tartari Boſinam vaſtant. 53. 1. in Hungariam & Dalmatiam irrumpunt. 340. 1.

Templarii cauſſam obtinent adverſus Ep. Scardonenſem de cœnobio Auranenſi judicio Alexandri III. 11. 1.

Terſactum oppidum diœceſis Corbavienſis, quo transfertur ſacroſancta Domus Nazarena, quæ in Picenum quadriennio poſt demigravit. 94.

Theobaldus Subdiaconus Eccleſiæ Romanæ epiſtolam ſcribit ad Culinum Banum Boſinæ. 44. 2. & ad Spalatenſes, quorum Archiepiſcopo adjudicat Epiſcopatum Pharienſem adverſus metropolitam Jadertinum. 243. 1.

Theodorus Ep. Sareanenſis ſubſcriptus Concilio Diocletano, non Scardonenſis, ſed Sorbienſis fuit. 13. 1.

Theodorus per viſum admonitus a S. Joanne Urſino, ejuſdem corpus indicat Epiſcopo Tragurienſi. 316. 2. 318. 2.

Theodoſius I. Epiſcopus primus Belgradenſis. 2. 1. ſubſcribit duobus diplomatibus Creſimiri IV. Regis Dalmatiæ pro fundatione cœnobii S. Joannis Evangeliſtæ. 2. 2. *&* 3. 2.

Theodoſius II. Epiſcopus Belgradenſis confirmat diploma Creſimiri IV. Regis Dalmatiæ cœnobio Belgradenſi S. Thomæ Ap. conceſſum. 4. 1.

Theodoſius III. Ep. Belgradenſis ſubſcribit diploma Svinimiri Regis ſecundum Eccleſiam Spalatenſem. 5. 2.

Theodoſius Ep. Nonenſis ex ordine Diaconorum. 206. 2. Chrobatos ad priſtinum erga Romanam Eccleſiam obſequium revocat. *ibid.* Joannem Presbyterum cum litteris ad Joannem VIII. P. mittit, ab eoque reſponſum accipit. 207. 1. Romæ conſecratus epiſtolam Joannis VIII. P. ad Branimirum refert. 208. 1.

Thomas I. de Nigris Ep. Scardonenſis ex Vicario Epiſcopi Veſprimienſis. 26. 1. ejus acta ante Epiſcopatum. *ibid.* legatus mittitur ad Cæſarem. 27. 1. transfertur ad Eccleſiam Tragurienſem. 27. 2. 413. 1.

Thomas II. Juvcovichius Ep. Scardonenſis ex ordine S. Franciſci, cui cura demandatur Eccleſiæ Boſnenſis. 28. 2. *&* 79.

Thomas I. Koroevich Ep. Boſnenſis ſive Diacovenſis ex ordine S. Franciſci. 77. 1.

Thomas II. Balasfius Ep. Boſnenſis ſive Diacovenſis a Rege Hungariæ nominatus, ſed a Sede Apoſtolica non approbatus. 79. 2.

Thomas III. Marnavitius Ep. Boſnenſis ſive Diacovenſis ex ordine S. Franciſci. 81. 2. confunditur cum Joanne Marnavitio præceſſore a Chiolnichio. 88. 2.

Thomas Ep. Corbavienſis nominatur in privilegio Ludovici Regis Hungariæ conceſſo monachis Benedictinis de *Pecs-Varad*. 98. 1.

Thomas I. Ep. Senienſis nominatur in privilegio Mariæ Reginæ Hungariæ Spalatenſibus conceſſo. 122. 2.

Thomas II. Ep. Senienſis nominatus in diplomate Sigiſmundi Imp. & Regis Hungariæ Eccleſiæ Buſanenſi S. M. Magdalenæ conceſſo. 124. 2. decimas ſolvit Secundo Nanio Ep. Argolicenſi exactori apoſtolico. *ibid.*

Thomas III. Ep. Senienſis nominatus in duobus privilegiis Sigiſmundi Imp. & Regis Hungariæ. 125. 1. 126. 1. & in tabulis Nicolai Frangipanii, quibus aureos ſexagenos annuos Capitulo Senienſi legavit. 125. 1.

Thomas IV. Epiſc. Senienſis idem fortaſſe ac Thomas III. 126. 1.

Thomas Nechich Ep. Nonenſis. 237. 2. ejus epitaphium. 238. 1.

Thomas Thomaſinus Ep. Pharienſis intereſt Concilio Florentino. 255. 1. ab Eugenio IV. P. facultatem impetrat cujuſdam Abbatiæ & Sacerdotii transferendi ad clericos eccleſiæ ſervientes alendos. 255. 2. legatus miſſus in Boſinam ab eodem.

dem. 67. 2. & 256. 1. variis ab eodem donatur privilegiis. 256. 2. Stephanum Thomaſcum Regem Boſinæ ad fidem catholicam convertit. 68. 1. & 256. 2. juſſus ab Eugenio IV. ad divina myſteria admittere eumdem Regem, ſi vere & ex animo catholicus eſſe reperiatur. 257. 1. præeſt Conventui Boſinenſi. 68. 1. 258. 1. juſſus ab Eugenio IV. Petrum Voislaulichium dominum caſtri Vyſucchii abſolvere a cenſuris. 258. 2. iterum legatus in Boſinam miſſus a Nicolao V. P. 71. 2. 259. 1. quædam mandata ab eodem accepit. 259. 2. juſſus ab eodem inquirere & animadvertere in eos, qui cœnobia quædam & Sacerdotia invaſerant in Boſina. 260. 2. legatus in Boſinam confirmatus a Calliſto III. P. ab eoque litteras impetrat commendatitias. 261. 2. ut Abbatiam S. Nicolai Iſſenſis ſibi commendatam, Eccleſiæ Pharienſi in perpetuum attribueret, ab eodem petiit atque impetravit. 262. 1. juſſus a Pio II. P. excommunicatum declarare Stephanum Regem Boſinæ. 263. 1.

Thomas Ep. Tinninienſis cum aliis Epiſcopis indulgentiam concedit inviſentibus templum Murianenſe S. Michaelis, & Tarviſinum SS. Chriſtinæ & Pariſii. 290. 1.

Thomas I. Thomaſinus Ep. Tragurienſis ex Urbinate, ordinis S. Dominici. 401. 1. priuſquam eſſet Urbinas, fuit Epiſcopus Civitatis novæ & Polæ. *ibid.* Gubernator Fori Livii, & adminiſtrator cœnobii Veneti S. Salvatoris. 401. 2. transfertur ad Maceratenſem & Recinetenſem, deinde ad Feltrenſem & Bellunenſem Eccleſias. 404. 1. in Eccleſiam Tragurienſem liberalis. *ibid.* ejus ſcripta, & epitaphium. 404. 2. revocatus fruſtra a Tragurienſibus. 406. 2.

Thomas II. de Nigris Ep. Tragurienſis e Scardonenſi. 27. 2. & 413. 1. Epiſcopatum dimittit. *ibid.* ejus mors & epitaphium. 413. 2.

Thomas III. Sperandeus Ep. Tragurienſis. 418. 1. antea Vicarius Federici Epiſcopi Trag. poſſeſſionem adit caſtri Buſſiliniæ. 415. 1. ipſe quoque Epiſcopus poſſeſſionem adit ejuſdem caſtri. 418. 1. litem dirimit, quæ Patribus Dominicanis erat cum Capitulo Tragurienſi. 418. 2. ad Eccleſiam Balneoregienſem translatus. 420. 1. ejus conſtituta & mandata. *ibid.*

Thomas Archidiaconus Spalatenſis litem dirimit, quæ clericis Sibenicenſibus erat cum Spalatenſibus. 339. 2. 451. 1.

Thomas Morichius parochus S. Crucis cauſſam obtinet adverſus Archangelum Ep. Scardonenſem. 25. 2.

Thomas parochus S. Joannis de Breberio ad Synodum Scardonenſem venire abnuit, & anathemate perculſus. 25. 1.

Thomas Mocenicus Dux Venetiarum jubet Comiti Tragurii, ut ab epiſcopatus adminiſtratione Simonem Epiſcopum prohibeat. 397. 2. mandat eidem Comiti, ut locum opportunum cœnobio Franciſcano ædificando perquirat ac deſignet. 398. 2. utque ſua domus Rectori S. Stephani Tragurienſis reſtituatur. 399. 1.

Tinninienſe Capitulum. 281. 1. ejus ſigillum magno fuit in honore, cujus cuſtodia uni de Canonicis tradebatur. 281. 2. juſſum a Sigiſmundo Rege Hungariæ recognoſcit & deſcribit poſſeſſiones Eccleſiæ Spalatenſis, earum deſcriptionem mittit Sigiſmundo. 293. 2. compoſitionis cujuſdam teſtes litteras edidit. 295. 1.

Tinninienſes Epiſcopi. 280. aſſeclæ Regum Chrobatiæ. 280. 2. appellati *Regii*, ſeu *Palatini*, & *Epiſcopi Croatienſes*. *ib.* Cancellarii regii. *ibid.* recenſentur. 281. 2. ſub Regibus Hungariæ dignitate & juriſdictione ceciderunt. 284. 2. ſub imperio Turcarum lege reſidendi exempti, 299. 1. nominantur a Rege Hungariæ. *ibid.* ſub imperio Venetorum titulum inanem nudumque ab omni juriſdictione retinent. 301. 1.

Tinninienſis Eccleſia nunc commendatur Epiſcopis Sibenicenſibus, quamvis Epiſcopi Tinninienſes exiſtant. 301. 1. 302. 2.

Tinninienſis Diœceſis antiqua. 281. 1. deſcribitur in Concilio Spalatenſi ſub Petro VII. Archiepiſcopo. 285. 2.

Tininium, olim *Arduba*, nunc *Knin*. 280. 1. variis dominis paruit. *ibid.* deſcribitur, *ibid.* ejus olim dignitas & amplitudo. 297. 1. a Turcis captum. 297. 2. a Venetis captum ac dirutum paullo poſt Turcæ recipiunt. 300. 2. a Venetis receptum, quibus nunc paret. 301. 1.

Tolonus de Tolono Ep. Sibenicenſis P.P. Dominicanos in urbem recepit. 462. 1.

Tragurienſe Capitulum. 307. 2. emit agrum a filiis Beriſii Soldani. 346. 2. arbitrum eligit legatum apoſtolicum in controverſia, quæ ſibi erat cum Epiſcopo de prædio Drid. 363. 1. cauſſam agit coram legati Auditore & obtinet, 363. 2. 364. 2. appellat ab interdicto ſibi per Archiepiſcopum Spalatenſem inflicto ad ſedem apoſtolicam. 384. 1. de Bartholomæo Ep. queritur apud Pontificem, & ab illo ad eumdem appellat. 386. 1. privilegium ſigilli obtinet a Maria Regina Hungariæ. 393. 2. proteſtatur Bartholomæo Ep. ſe ob interdictum, in quod ipſe incurrerat, aliquid detrimentum capere nolle. 387. 1. tabulas de ejuſdem Epiſcopi excommunicatione conficiendas curat. 388. 1. procuratores mittit Anconam, ut coram legato has controverſias componant. 388. 2. aliam componit litem, quæ ſibi erat cum vilicis agri Tragurienſis. 398. 2. decernit, ne quis in æde cathedrali ſibi fieri ſepulcra poſſit. 412. 2. impetrat a Venetis, ut quædam beneficia a decimis ſint exempta. *ibid.* Canonicatum confert Simeoni Florio. 419. 1. conſtitutiones edit de diſtributionibus quotidianis. 420. 1.

Tragurienſe territorium deſcribitur. 306. 1.

Tragurienſes bellum gerunt de finibus cum Spalatenſibus. 341. 2. litem de decimis cum Epiſcopo & Capitulo componunt. 347. 1. 351. 352. de villa Oſtroch cum Spalatenſibus & Sibenicenſibus contendunt. 356. 1. Nicolai Bani judicio cauſſam obtinent. *ibid.* ſed a Ladislavo Rege Hungariæ condemnantur. 356. 2. litteras commendatitias ad Benedictum Archiep. Strigonienſem ab Archidiacono Borſienſi impetrant. *ibid.* ejuſdem Benedicti patrocinium ipſi per litteras implorant. 357. 1. inviti jure ſuo decedunt. *ibid.* pacem ineunt cum Spalatenſibus. 358. 2. 360. 1. controverſiam de decimis cum Epiſcopo componunt, 360. 1. de juriſdictione cum Liberio Ep. contendunt. 362. 1. ſe Venetis dedunt. 375. 1. anathemate perculſi a Lampridio Epiſcopo ad Sedem apoſtolicam appellant. 377. 2. rurſus ab interdicto, quod idem Epiſcopus in eos pronuntiaverat, ad eamdem ſedem appellant, miſſis ad Pontificem procuratoribus. 378. 2. ex aliis ad alios dominos tranſeunt ac redeunt. 394. 2. ſe Venetis iterum dedunt. 397. 2. Joannem III. Ep. recipere detrectant, & Thomam I. revocare conantur. 406. 2. dies feſtos SS. Hieronymi & Sebaſtiani colendos eſſe decernunt. 409. 2.

Tragurienſes viri illuſtres. 305. 1. *Tragurienſes quidam cives* ædem Spilani B. M. Virgini extruxerunt, & prædiorum, quibus eam donaverant, ca-

catalogum confici jufferunt. 332. 1.
Tragurienſes Epiſcopi. 303. recenſentur. 307. 1.
Tragurienſis Epiſcopatus primordia ignota. 306. 2.
Tragurienſis Diœceſis deſcribitur. 309. 1. 332. 1. diminuta ob inſtitutionem Sibenicenſis Epiſcopatus. 362. 1. a Joanne Paullo Ep. deſcripta in litteris ad ſacram Cardinalium Congregationem, 430. 2. & a Hieronymo Ep. in litteris ad eamdem. 445. 2.
Tragurienſis Baſilica perantiqua. 307. 2. a Quirino Principe Salonitano dotata atque ornata. 308. 1. ejus opulentia. 308. 2. & curatores. 365. 2. ejus bonorum adminiſtrationi proviſum per Genſilem legatum apoſtolicum. *ibid.*
Tragurium non inſula, ſed peninſula, 303. 1. ab Iſſeis conditum. 303. 2. primum Dionyſiis Syracuſanis, deinde Iſſeis paruit. *ibid.* civitas Romanorum. 304. variis dominis poſt Romanos, denum Veneris paruit. *ibid.* 375. 1. a Saracenis everſum. 329. 2. reædificatum. 330. 1. a Venetis direptum. 331. 1. deſcribitur. 304. 2. ejus ædes & cœnobia. 308. 2.
Treguanus Ep. Tragurienſis ex Archidiacono. 335. 1. dum Archidiaconus eſſet, vitam S. Joannis Urſini Ep. Tragurienſis ab anonymo auctore conſcriptam reformavit & auxit. 310. 1. 316. 2. 335. 2. conſecratur Epiſcopus a Bernardo Metropolita Spalatenſi. 335. 2. ædem cathedralem inchoatam ad faſtigium perduxit. 336. 1. ad Concilium Lateranenſe IV. proficiſcitur. 336. 2. primum lapidem eccleſiæ S. Nicolai prope Spalatum ædificandæ conſecrat. *ibid.* diploma a Colomano Duce Dalmatiæ, & alterum ab Andrea II. Rege Hungariæ impetravit, quibus prædium regale Drid dono accepit. 337. Guncellum metropolitam admonet per litteras, ut eccleſiis provinciæ Spalatenſis vacantibus Epiſcopos præficiendos curet. 337. 2. Prodanum Canonicum commendat Capitulo Spalatenſi. 338. 1. intereſt conſecrationi Nicolai Ep. Scardonenſis, quam legitimam eſſe teſtatur. 338. 1. domum emit a Stana uxore Petriſſæ. 338. 2. Franciſcanos in ſuam diœceſim recepit. *ibid.* Thomam Archidiaconum Spalatenſem commendat Sedi apoſtolicæ. 339. 1. miſſus Anconam ad renovandam Tragurienſium cum Anconitanis amicitiam. 339. 1. Sibenicenſes interdicto ſuppoſuit & abſolvit. 339. 2. 451. 1. *Diploma* impetratum a Colomano confirmandum curat a Bela IV. Rege Hungariæ. 340. 2. decretum Hugrini Archiep. Spal. ſecundum Sibenicenſes approbat. 342. 1. 452. 1. pactum init cum eorum Archipresbytero. 342. 2. 452. 1. excommunicat Sibenicenſes promiſſis non ſtantes, & auxilium petit ab Innocentio IV. qui ejus acta confirmat per litteras eidem datas & Laurentio Archiep. Jadertino. 343. 2. 344. 452. procuratores Spalatum mittit, ut ab actis Rogerii Archiep. Spalatenſis pro Sibenicenſibus ad ſedem apoſtolicam appellent. 345. 2. 452. 2. 453. 1. obiit. 346. 1.
Trucula, ſive *Torcula*, inſula Dalmatiæ in diœceſi Pharienſi. 240. 1.
Turcæ ter in Boſinam evocati. 65. 2. Boſina potiuntur. 74. 1. 77. 1. PP. Franciſcanos Boſnenſes maxime colunt, 75. 2. cœnobium eorum diripiunt. 78. 1. Sibenicum obſident, & repelluntur. 497. 2.

V

V Ep. Tinninienſis a cenſura, quam in eum intulit Alexander III. P. immunis fuiſſe oſtenditur. 285. 1. 330. 2.
Valentinus Ep. Corbavienſis jus percipiendi decimas ex Licha & Buſana primum impetrat a Ludovico Rege Hungariæ, deinde amittit ejuſdem juſſu. 97. 1.
Valentinus Ep. Macarſchenſis ſedem precariam obtinet Almiſſæ ab Archiep. Spalatenſi. 186. 1. juſſus a Dominico Archiep. Spal. Georgium Comitem Almiſſæ declarare excommunicatum, parere abnuit. 186. 2. citatus ad Concilium provinciale intereſſe noluit, ſed ſuum procuratorem inſtituit Madium Ep. Delmitanum. *ibid.* a judicibus delegatis a Concilio excommunicatione & aliis pœnis punitur. *ibid.* de Caſtro Almiſſenſi eidem Dominico Metropolitæ litem intulit. 187. 1. ejus poſſeſſione ultro cedit, & in inſulam & cœnobium S. Andreæ de Pelago ſe recipit. 187. 2. ſedem & eccleſiam ſuam recuperavit. 188. 1. duobus diplomatibus Ludovici Regis Hungariæ ſubſcripſit, *ibid.*
Valentinus Epiſc. Tragurienſis ſubſcripſit diplomati Ludovici Regis Hungariæ Capitulo Jadrenſi conceſſo. 392. 2.
Varboſania urbs olim celebris Boſinæ. 39. 2.
Veneti jus habent eligendi Epiſcopos Scardonenſes, 29. 2. & Macarſchenſes. 200. 1. reditus aſſignant Epiſcopo & Capitulo Scardonenſi. 29. 2.
Vicholdus de Vindemia ex ordine S. Franciſci expungitur e catalogo Epiſcoporum Pharienſium. 254. 1.
Victor Ep. Marcitanus idem fortaſſe ac Dumnenſis. 169. 2.
Villemirus Vladmirovich Ep. Kreſcevenſis in Boſina ritus Græci. 68. 2. & 69. 1.
Vincentius Zmajevich Archiep. Jadertinus conſecrat Matthæum Delivichium in Epiſcopum Bolinenſem. 85. & Paullum Dragechivichium in Epiſcopum Diumenſem. 86. 1.
Vincentius Bragadenus Epiſcopus Scardonenſis ex ordine Capucinorum ædem cathedralem ad faſtigium perducit. 34. 2. ad ſedem Clugienſem transfertur. 35. 1.
Vincentius Zuggoni Ep. Boſnenſis ſive Diacovenſis a Rege Hungariæ nominatus, ſed a Sede apoſtolica non approbatus. 79. 2.
Vincentius Martena Ep. Senienſis & Adminiſtrator Eccleſiæ Modruſſenſis. 138. 1.
Vincentius de Andreis Ep. Ottocienſis ex ordine S. Dominici. 165. 1. 305. 2. de juriſdictione ac decimis controverſiam habuit cum Ep. Senienſi, quæ per arbitros componitur. 133. 1. 165. 2.
Vincentius Milanus Ep. Pharienſis ex Caprulenſi. 275. 2. cœnobium Pharienſe Virginum Benedictinarum jamdiu decretum inſtituit. 276. 2.
Vincentius I. Baſſus Ep. Sibenicenſis, 484. 1. ad Eccleſiam Andrienſem translatus. *ibid.*
Vincentius II. Arrigonus Ep. Siben. ex ordine S. Dominici. 484. 1. ſynodos ſeptem coegit. 484. & *ſeqq.* de jure eligendi Manſionarios litem Capitulo intulit, & amiſit, 484. 1. ejus obitus & epitaphium. 484. 2.
Vita S. Joannis Urſini Ep. Tragurienſis, quam auctor anonymus edidit, & Treguanus Archidiaconus Tragurienſis reformavit & auxit, notis illuſtratur. 310. 1.
Vitus Oſtoja Marinich Ep. Corbavienſis e Canonico Corcyrenſi. 101. 2. rogat Nicolaum V. P. ut facultatem faciat Martino Frangipanio condendi cœnobii Terſactani & Fratribus Franciſcanis tradendi. 102. 2. liberalis erga patriam ſuam & Eccleſiam Corcyrenſem. 103. 2.
Vitus de Ruſchis Ep. Dumnenſis & Macarenſis ex Vicario Epiſcopi Pharienſis. 178. 2. & 190. 1.

cur

cur dictus *Epiſcopus Crainenſis*, ſive *Cumnenſis? ibid.* Spalati domicilium habuit, & vices geſſit Bartholomæi II. Archiep. Spalatenſis. 178. 2. 190. 2. PP. Franciſcanorum operam adhibuit ad regendam diœceſim. 179. 1. 190. 2. heroico carmine celebratus ab adoleſcente Spalatenſi. *ibid.* jus ſuccedendi Thomizæ antiſtitæ cœnobii Bracienſis confirmat Catharinæ Bilojevichiæ, ut Archiepiſcopi Spalat. vicarius. 264. 2. & Sacerdotium Tinninienſe Thomæ Radovichio dijudicat adverſus Paullum Potacichium. 297. 1. litteras dedit Lurino Archidiacono & Vicario Bernardini Epiſc. Pharienſis. 265. 2. nec non Bano Chrobatiæ & Britio Ep. Tinninienſi. 297. 1.

Vitus Lucas de Spingarolis e Canonico Epiſcopus Scardonenſis eligitur, ſed rejicitur. 18. 1.

Uladislavus Ep. Boſnenſis primus, de quo conſtet, 43. 2. ſubjectus Archiepiſcopo Raguſino, ſedem habuit Kreſcevi. *ibid.*

Uladislavus Rex Hungariæ penſionem annuam Eccleſiæ Senienſi ſolvendam confirmat. 131. 2. Seniam reddit Frangipanibus. 132. 1. controverſiæ inter Epiſcopos Senienſem & Ottocienſem compoſitionem confirmat. 133. 1. jubet Nobiles Gatzhenſes ſolvere decimas Eccleſiæ Senienſi. 134. 1.

Urbanus III. P. privilegium concedit Cruciferis Nonenſibus. 216. 1. ad clerum & populum Spalatenſem per litteras ſignificat, ſe cauſſa cognita ſententiam laturum de Epiſcopatu Pharienſi, utrum ſuffraganeus ſit Jadertini, an Spalatenſis metropolitæ. 245. 1.

Urbanus IV. P. jubet per litteras Columbano Epiſc. Tragurienſi transferre cœnobium Patrum S. Franciſci ex agro Tragurienſi in ſuburbium. 347. 2.

Urbanus V. P. confirmat in fide Stephanum fratrem Bani Boſnenſis, datis ad eum & ad Ludovicum regem Hungariæ litteris. 61. 2. F. Franciſcanos Boſnenſes commendat Petro II. Ep. Boſnenſi & Ludovico Regi Hungariæ. 62. 1.

Urbanus VIII. P. indulgentiam templo Senienſi S. Nicolai & PP. Dominicanis concedit. 139. 2. poteſtatem facit Nicolao Buroniæ cœnobium Benedictinum S. Luciæ Sibenici inſtituendi, datis litteris ad Aloyſium Ep. Sibenicenſem. 497. 1.

Urbanus Vignacus Ep. Sibenicenſis ex juris civilis lectore in Gymnaſio Patavino. 468. 2. nominationem Antiſtitæ cœnobii Benedictini, quæ jure patronatus præfecturam altaris S. Bartholomæi in æde S. Salvatoris Michaeli Presbytero contulerat, approbavit, 469. 1. quatuor Archipresbyteros in ſua diœceſi conſtituit. 469. 2.

Urſa uxor Paulli Bani Eccleſiam Scardonenſem S. Joannis Baptiſtæ ædificat, 16. 2.

Y

Y Epiſc. Tinninienſis & Banus maritimus. 288. 2. intereſt proteſtationi Archidiaconi Tragurienſis adverſus Joannem V. Metropolitam Spalatenſem, ac Joannis retractationi. *ibid.* 354. 1.

Z

Zacharias I. Triviſanus Ep. Pharienſis ex Protonotario apoſtolico. 268. 1. Epiſcopatum dimiſit. *ibid.*

Zacharias II. Delphinus Ep. Phar. ex protonotario apoſtolico. 268. 2. multas pro Sede Apoſtolica legationes geſſit. *ibid.* a Pio IV. Cardinalis creatur. 269. 1. Epiſcopatum depoſuit. *ibid.*

Zacharias Moſſoczius Ep. Tinninienſis transfertur ad Eccleſiam Vacienſem. 299. 2.

Zacharias Aurio Prætor Tragurii cœnobium Franciſcanum a ſuburbio Tragurienſi jubet transferri in inſulam Buam. 414. 1.

Zibislavus Banus Boſinæ hæreticorum hoſtis, laudatur a Gregorio IX. Papa. 48. 2. Epiſcopatum Boſnenſem Boſnæ reſtituit, 49. 1.

FINIS.